



EPISTOLARVM
INNOCENTII III.
ROMANI PONTIFICIS
LIBRI VNDECIM.

ACCEDVNT

Gesta ejusdem Innocentii, & prima collectio Decretalium composita à Rainerio Diacono & monacho Pomposiano.

STEPHANVS BALVZIVS Tutelensis in unum collegit, magnam partem nunc primùm edidit, reliqua emendavit.

TOMVS PRIMVS.







PARISIIS

Apud FRANCISCUM MUGUET Typographum Regis & illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis.

MDCLXXXII.

Cum Privilegio Regis.




INVICTISSIMO

PRINCIPI

LUDOVICO XIV.

REGI

CHRISTIANISSIMO.



D suscipiendam novam editionem epistolarum Innocentii III. Romani Pontificis duabus præcipuè de causis permotus sum, REX CHRISTIANISSIME; *tum quia is fuit vir magnus & magnarum rerum patrator, tum quia Ecclesiæ Gallicanæ Regumque Franciæ decessorum tuorum, quos*

impensè ubique laudat, amantissimus; adeo ut ad Philippum Augustum scribens non dubitaverit asserere gloriam & magnitudinem sedis apostolicæ pendere quodam modo ex incolumitate regni Francorum. Vnde inter ceteros Reges catholicos, *inquit*, & Principes Christianos serenitatem tuam prærogativa dilectionis amplectimur, & ad ea quæ honorem tuum & incrementum regni Francorum respiciunt propensiùs aspiramus; utpote in cujus exaltatione exaltari credimus apostolicam sedem, & in cujus depressione, quod absit, ipsam deprimi crederemus. *Quare cùm editio illa absolveretur, non alii eam dicari debere arbitratus sum quàm tibi,* MAGNE REX, *qui & jure sanguinis tenes eorum Principum provincias quos ille laudat, & jure successionis defensor es apostolicæ sedis & Ecclesiæ Romanæ protector. Erunt qui præclara tua facinora pace belloque gesta summis ingenii viribus celebrabunt, teque superiorem dicent heroibus quos antiquitas venerata est; & id quidem jure meritòque, cùm, præterquàm quòd tu eadem quæ illi fecisti, eò perveneris celebritate famæ ut terra sileat in conspectu tuo, &, quod est pulcherrimum ac potentissimum victoriæ genus, fortissimas & bellicosissimas gentes terrore perdomueris, ac munitissimas urbes famaque inexpugnabiles compuleris ad deditionem. Nos verò, qui sacrarum literarum studiis incumbimus, laudamus quidem ac suspicimus illustria illa gloriosaque facta tua, quæ te Clodovei Magni, Caroli Magni, Philippi Augusti, Ludovici sancti, Francisci primi, Henrici Magni avi tui successorem esse*

Registr. de negot. imper. epist. 64.

probant ; sed tamen in primis colimus eximiam illam ergà Deum pietatem quam ubique ostendis, & caritatem in subditos tuos extra regnum Iesu Christi superiore seculo præcipitatos arte & industria eorum qui magis sua quærebant quàm ea quæ sunt Iesu Christi. Intelligis profectò, REX SAPIENTISSIME, *loqui me de miseris illis qui insidiosorum ac fallacium ætatis illius hominum fraudibus circumventi, eorumque figmenta ac deliria sequentes, ac vana pro veris amplectentes, à veritate quidem, quod futurum monuerat Paulus Apostolus, auditum averterunt, ad fabulas autem sunt conversi & ad insanias falsas, secumque posteros suos traxerunt in eandem calamitatem. Tu verò*, REX CHRISTIANISSIME, *illos in viam revocas prudentia & dexteritate admirabili, nihil per vim, nihil per metum agendo, sed tantùm ostensa meliore religione, & coërcita novorum hominum libertate intra terminos edictorum regiorum; adeo ut multi eorum ac, ut ita dixerim, innumeri, qui cæco errore deviaverant à recta fide, nunc cognita veritate, volentes lubentesque eos ritus amplectantur quibus olim consecrata est Ecclesia Gallicana ab apostolicis viris qui eam constituerunt. Quæ cura religionis Dei adeo altè pectori tuo infixa est ut quum civitas Argentoratensis, quæ ad te coronamque tuam spectabat juxta pacta conventa apud Monasterium VVestphalorum & Noviomagum, nuper ad obsequium rediisset, teque Dominum haud invita recognovisset, nihil antiquius aut sanctius habueris quàm ut ejus Episcopum, hinc pulsum ante centum & quinquaginta annos, in eam Ecclesiam reduceres quæ se à*

EPISTOLA.

Dagoberto Francorum Rege gloriatur esse fundatam. Facias ita semper, REX INVICTISSIME, *nec unquam in tam sancto opere aut animus tuus aut fortuna lassetur; & dum Ecclesiam protegis & ornas, etiam tuo favore prosequere novam hanc editionem epistolarum Pontificis verè maximi.*

SACRÆ MAIESTATI TVÆ

Lutetiæ Parisiorum Kal. Ianuar. MDCLXXXII.

Devotissimus subditus
STEPH. BALVZIVS.



PRÆFATIO.

INNOCENTIVS III. Pontifex Romanus, ut erat vir alti & providi ingenij, jam ab ipsis sui pontificatus initiis statuit pro more illorum qui ante eum sedem apostolicam tenuerant in regestum suum referre, non solùm epistolas suas, sed etiam eas quæ ad ipsum scribebantur de majoribus causis, ac prætereа graviora negotia quæ sub auctoritate sedis apostolicæ gerebantur in provinciis & regnis Christi religionem colentibus, ut videmus in ista epistolarum ejus collectione. Neque enim ampliori probatione indiget ista observatio. Sanè multùm interetat reip. Christianæ ut illa cogitatio intraret in animum tanti viri, cùm ea ratione ad nos multa illustria antiquitatis ecclesiasticæ monumenta pervenerint quibus haud dubiè careremus absque illa Innocentij providentia. Dolendum tamen est ita indiligenter tractatum esse hoc negotium ut non solùm ab uno, quod maximè necessarium ac utile videbatur, confectum non fuerit, sed prætereа ita oscitanter ac supinè in illud incubuerint collectores ut nullum ferme ordinem in eo opere digerendo servaverint. Quod ut lectori meliùs liqueat, explicanda sunt ista per partes.

Primò enim à diversis personis compositam fuisse istorum librorum collectionem satis, ut reor, ostendit vetus nota apposita in veteri exemplari post epistolam CCLXI. libri XI. ubi sic legitur: *Vuillelmus Scofer Constantiensis diocesis scribit undecimum librum.* Nam si unus idemque homo omnes scripsisset, inutile erat admonere hunc librum à Germano illo scriptum fuisse. Porrò non alium fuisse horum regestorum consarcinatorem quàm ipsos scribas hinc etiam evincitur quòd admodum indiligenter & absque ullo ferme ordine, ut antea dixi, epistolas Innocentij descripserunt, quòd plerasque omiserunt quæ sunt majoris momenti quàm bene multæ quæ nunc extant in regesto, quòd quasdam locis non suis repo-

fuerunt & in libris non suis, quòd interdum unam eandemque epistolam bis in eodem libro, denique quòd sæpe neglexerunt adnotare diem & locum datarum epistolarum. Ista quivis per se satis intelliget inter legendum, adeoque sufficit ita semel admonuisse. Sed tamen prætermittendum non est magnam fuisse vel incuriam vel inscitiam Willelmi Scoser, qui omisit initium epistolæ CCLXX. libri XI. eoque modo effecit ne quis scire possit quænam fuerit Ecclesia illa quam Alexander III. contulerat cuidam Cardinali, quam verò Archiepiscopus Beneventanus pertinere contendebat ad suam donationem. Atqui res ista, cùm præsertim utilis esse posset hæc epistola, si integra data fuisset, ad præcidendam viam litibus, omitti non debuerat. Porrò quæ sequuntur epistolæ post epistolam CCLXI. ejusdem libri undecimi, eas valde puto non esse istius libri, sed huc ab aliquo studioso translatas ex antiquis collectionibus Decretalium, ut vacantes paginæ implerentur. Istud collegisse mihi videor ex eo quòd nota illa quam suprà retuli ex fine libri XI. antecedit epistolam CCLXII. quæ illic est mutila, & quòd omnes istæ posteriores epistolæ reperiuntur in corpore juris, tum etiam quòd epistolæ CCLXVIII. & CCLXXII. certò sunt libri decimi, ut illic observatum est. Denique epistola CCLXII. ejusdem libri undecimi, quæ illic legitur absque nota loci & temporis, pertinet omnino ad librum duodecimum; ut colligitur ex capite *Requisisti*, quod illic constituit epistolam quinquagesimam octavam. Vnde etiam deprehendere possumus indiligentiam illius qui duodecimum librum confecit; quandoquidem unicum tantùm caput descripsit egregiæ illius epistolæ, & id quidem absque inscriptione. His de causis supersedere poteramus editione harum epistolarum absque ullo incommodo rei canonicæ; sed cùm illas invenissemus in veteri codice positas ad calcem libri undecimi, eas supprimere nobis religio fuit.

Insignis est difficultas in libro decimo, quam dissimulare non licet. Certum est enim Indictionem decimam concurrere cum anno decimo pontificatus Innocentii. Et tamen in libro decimo, quoties Indictio ponitur in epistolis anno illo datis, toties occurrit nona, quam constat decimam tum fuisse. Quare cùm anno MDCLXXIV. lis de jurisdictione esset inter illustrissimum Episcopum Aurelianensem & Canonicos sancti Aniani, isti verò epistola quadam Innocentij, quæ est XCV. libri decimi, uterentur ad probandam exemptionem suam à jure episcopali, vir celeberrimus & istarum rerum peritissimus, qui in ea causa partes regias egit, non dubitavit asserere eam epistolam esse manifestè falsam; quia ipsi

ipsi certò constabat, uti verum est, Indictionem decimam fuisse eo tempore quo epistola illa data est. quod videtur esse signum certissimum falsitatis. Quamquam in authentico illius epistolæ, quod Canonici illi penes se habent, tum etiam in regesto, disertè posita est Indictio nona, tum etiam in ceteris ejusdem anni epistolis. Immo in epistola scripta ad Priorem de Samblerijs, quam vir clarissimus Nicolaus Camuzatius primus omnium in lucem emisit, quamque nos recudimus in calce tomi secundi, Indictio nona conjungitur cum anno incarnationis dominicæ MCCVII. & decimo pontificatus Innocentij. Vnde colligi certò potest invaluisse hunc errorem per totum annum decimum inter scriptores apostolicos; adeoque hinc concludi debet signum illud non esse suppositionis, cùm contrà falsitatis argumentum esse nunc videretur si quæpiam epistola illo anno data reperiretur per Indictionem decimam. Contrario illi errore posuerunt Indictionem XI. pro IX. in epistolis CXCII. & CCV. ejusdem libri decimi.

Vetera regestorum Innocentij exemplaria non extant omnia in uno eodemque loco. Priores novem libri habentur Romæ in armarijs apostolicæ sedis, tres sequentes habebat illustrissimus vir Franciscus Bosquetus Episcopus Monspeliensis, quatuor verò qui deinceps sequuntur diù conservavit bibliotheca collegij Fuxensis. Tres ultimi aut perierunt, aut adhuc latent in angulis bibliothecarum. Raynald. an. 1214. §. 32.

Prima epistolarum Innocentij editio, quæ duos tantùm priores libros complectitur, prodijt Romæ anno MDXLIII. opera viri nunquam sine laude nominandi Gulielmi Sirleti, tum quidem doctissimi Custodis bibliothecæ Vaticanæ, postea verò amplissimi Cardinalis; cui quantum debeat universa Ecclesia satis sciunt qui has nostras literas tractant, ut necesse nobis non sit hcic illius encomium enarrare. Secundam eorundem librorum editionem emisit Maternus Cholinus typographus Coloniensis anno MDLXXV. tertiam triennio pòst societas typographorum Venetorum. Et hæc quidem tantùm superiore seculo vulgata, donec is quem suprà nominavi Bosquetus, quamquam juvenis admodum, incensus tamen amore epistolarum Innocentij, cùm libros quatuor antea ineditos reperisset Tolosæ in bibliotheca collegii Fruxensis, eos sub prælum misit anno Domini MDCXXVII. ac demum emisit anno MDCXXXV.

Quantum hinc utilitatis accesserit Ecclesiæ universæ, quantum juris canonici & historiæ ecclesiasticæ professoribus, qui antea dolebant tanti Pontificis epistolas non haberi nisi decurtatas &

absque nota temporum quibus scriptæ fuerunt, vel me tacente omnes intelligunt. Itaque cùm necessitas studiorum meorum me traxisset ad lectionem librorum quos vocant Decretalium, videremque quantam illic personam sustineret hic Innocentius, quàm porrò jucundum esset istarum rerum amatoribus si epistolæ ejus illis darentur integræ quæ in Decretalium libris habentur tantùm per partes, statui mecum nova editione donare sex libros à Sirleto & Bosqueto publicatos, tum ceteros quoque conquirere. Ergo pluries Romam scripsi ut tertium & ceteros hinc habere possem. Sed id totum frustra fuit. Partem tamen libri quinti, quo hactenus carebamus, habui beneficio viri doctissimi Iacobi Augusti Chevanei Advocati Divionensis; cui eo quoque nomine non parum debent literati omnes, cùm in libro illo nonnullæ sint epistolæ magni momenti. Tertij defectum quodam modo supplevimus ope vetustæ collectionis quam ex tribus primis epistolarum Innocentij libris confecit Rainerius Diaconus & monachus Pomposianus, quam verò nos invenimus in bibliotheca monasterij sancti Theodorici Remensis. Sanè non vidimus vetus exemplar ex quo expressa est editio duorum priorum librorum, neque Fuxense, unde accepti sunt quatuor libri à Bosqueto editi; sed horum loco usi sumus vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ, in quo extant tituli & inscriptiones epistolarum quæ in sex illis libris continentur. Qui quidem codex nobis multùm profuit ad tollenda menda aliquot insigniba quæ extabant in superioribus editionibus.

Nunc ergo, præter libros illos quos diximus, editionis honore donamus etiam decimum, undecimum, & duodecimum, nunquam antehac editos; quos nobis subministravit, ut antea significavi, illustrissimus ac doctissimus Episcopus Monspeliensis Franciscus Bosquetus. Damus etiam regestum de negotio imperij, acceptum è codice CCCCXV. bibliothecæ Vaticanæ, eo ipso nimirum quo usi sunt clarissimi scriptores annalium ecclesiasticorum Abrahamus Bzovius & Odoricus Raynaldus. Nos tamen non habuimus ex codice Vaticano, sed ex bibliotheca Celsissimi Principis & doctissimi Præsulis Ferdinandi Furstenbergij Episcopi Paderbornensis & Monasteriensis: qui cùm ex literis clarissimi & eruditissimi viri Hermanni Coringij intellexisset incumbere me novæ editioni epistolarum Innocentij III. ac valde optare eos libros qui extabant in bibliotheca Vaticana, regestum hoc, quod ille Romæ positus in usum suum describi fecerat, ad me pro sua eximia in literas & earum professores inclinatione misit cum epistola quam heic subjicio.

Bzov. an 1199 § 22 23 1207. § 1 1208 §. 1. Raynald. an. 1200. §. 22. 1202. §. 26. 1204. §. 48.

PRÆFATIO.

FERDINANDVS EPISCOPVS ET PRINCEPS. Paderbornensis, Coadjutor Monasteriensis, S. P. D. Cl. viro Stephano Baluzio Canonico Remensi.

EX quo Hermannus Conringius certiorem me reddidit, Vir clarissime, te epistolas Innocentij III. Pontificis nullis hactenus typis editas vulgaturum, summopere desiderare codicem literarum quas memoratus Pontifex tempore Ottonis IV. *Cæsaris & Philippi Sueviæ Ducis de imperio nostro decertantium ad diversos Reges & Europæ Principes dedit, & ego Alexandri VII. P. O. M. intimus Cubicularius olim Romæ describendas curavi & diligenter recognovi, optavi continuò occasionem quam illustrissimus Verjusius Christianissimi Regis ad Germaniæ Principes Legatus, perquam mihi familiaris, modò hic præsens, offert, hunc codicem tutò ad te mittendi, ut eruditos ingenij tui labores hoc saltem munere adjuvarem atque excitarem. Cogitavi quidem antehac ipse has epistolas Notis illustratas publicare; sed gravioribus reipub. curis districtus, tibi, Vir doctissime, hanc modò provinciam do. Vbi codice meo quantum libuerit usus fueris, eum cum tuo commodo nobis restituas velim. Vale, & illustrissimo hero tuo D. Colberto mea defer officia cum salute plurima. Paderbornæ* VI. *Id. April.* MDCLXXII.

In eo igitur regesto sive libro continentur epistolæ quas Innocentius III. ad diversos scripsit occasione schismatis quod tum erat in imperio Germanico, tum etiam eæ quas alij ad illum de eodem negotio scripsere. In quo illud in primis observandum est, nullam ex his epistolis extare in libris epistolarum qui per annos pontificatus digesti sunt: quia Innocentius, jam ab initio prævidens hanc causam varios ac multiplices eventus habituram, constituit peculiarem istius magni negotij collectionem facere. Nos tamen, quia regestum illud non habebamus eo tempore quo secundus liber recusus est, in illum conjecimus priores duas epistolas libri de negotio imperij, quas inveneramus in annalibus ecclesiasticis Odorici Raynaldi, & ad librum secundum pontificatus pertinere constabat. Ceterùm licèt in nonnullis epistolis hoc regesto contentis, quæ à viris clarissimis editæ sunt, Episcopus Ostiensis qui in Germaniam missus est cum Leone Cardinale sanctæ crucis vocetur Hugo, itaque etiam interdum scriptum sit in exemplari quo ego usus sum, constanter tamen Hugolinum vocavi, quia certum est illi hoc nomen fuisse. Quod admonere visum est, ne quis me malæ fidei insimulet.

Ne quid verò, quantum ad meam curam attinet, huic editioni deesset, addidi gesta Innocentij III. scripta ab auctore illorum temporum, eadem sanè quæ illustrissimus Episcopus Monspeliensis olim ediderat ex codice MS. collegij Fuxensis, sed multò meliora. Ad ea autem emendanda usus sum duobus antiquis exemplaribus; quorum unum extat in bibliotheca regia, aliud nobis exhibuit humanitas illustrissimi viri Caroli Mauritij Tellierij Archiepiscopi Remensis. Vsus præterea sum exemplo quod vir celeberrimus & alter historiæ nostræ parens Andreas Duchesnius manu sua descripserat ex veteri codice MS. Ecclesiæ Podiensis, qui multis in locis præstat reliquis duobus.

Præterea in gratiam studiosorum juris canonici adnotavi in margine eas epistolas quæ sunt in corpore juris; & ut faciliùs inveniri quæque possit, earum elenchum alphabeticum posui post hanc præfationem. Porrò in epistolis illis emendandis usus sum duobus antiquis codicibus MSS. uno bibliothecæ Colbertinæ, altero monasterij sancti Albini Andegavensis. In primo continentur tertia, quarta, & quinta compilationes Decretalium; in altero tertia tantùm.

Constitueram olim Notas edere ad loca quædam istarum epistolarum illustriora aut difficiliora; sed penuria otij factum est ut mutarem consilium.

In fine necesse visum est veniam tarditatis deprecari, quòd opus ante quindecim annos inceptum, tam serò exit in lucem. Multæ fuerunt occasiones quæ me coëgerunt supersedere hoc labore, præcipuè verò quia diù expectavi exemplaria librorum bibliothecæ Vaticanæ: qui si darentur in vulgus, maximam lucem afferrent historiæ ecclesiasticæ illorum temporum, multùmque conducerent ad ostendendam magnam quæ tum erat Romani Pontificis auctoritatem.

Vale, lector, & piis Innocentij manibus bene precare.



ELENCHVS EPISTOLARVM DECRETALIVM Innocentij III. quæ relatæ sunt in corpus juris canonici.

D

E

F

G

I

L

RANUTIUS

E R R A T A.

IN GESTIS INNOCENTII III.

P*Ag.* 5. *col.* 1. *cap.* 16. *lin.* 2. Vtriculum
Pag. 12. *col.* 1. *cap.* 31. *lin. ult.* vices

TOMO I.

P*Ag.* 56. *col.* 2. *lin.* 33. Bochar quondam Canonico
Pag. 65. *col.* 2. *lin.* 45. Præposito Canonicæ Gualteri
Pag. 67. *col.* 1. *lin.* 18. L.
Ibid. lin. 20. LI.
Pag. 121. *col.* 2. *lin.* 46. animæ suæ à te
Pag. 125. *epist.* 235. *lin.* 3. emanare
Pag. 141. *col.* 2. *lin.* 29. Cibiniensem
Pag. 173. *col.* 2. *dele hæc verba.* fortè florenos.
Pag. 193. *col.* 2. *lin.* 50. Soffredo
Pag. 194. *col.* 1. *lin.* 18. Soffredum
Pag. 235. *col.* 2. *lin.* 8. tanto majori lumine
Pag. 266. *col.* 1. *lin.* 21. leges
Pag. 298. *epist.* 523 *lin.* 2. qui se pro
Pag. 336. *col.* 1. *lin.* 31. saltem defe
Pag. 390. *dele notam marginalem.*
Pag. 432. *epist.* 141. *in titulo,* Christi fidelibus tam
Pag. 434. *col.* 1. *lin.* 9. Non est ergo
Pag. 452. *col.* 2. *cap.* 2. *lin.* 4. Diocliæ
Pag. 475. *col.* 2. *lin.* 9. *scribe:* Rursumque: *Paululum*
Pag. 476. *col.* 1. *lin.* 26. Canonicum
Pag. 491. *epist.* 229. *in fine:* scævi
Pag. 500. *col.* 2. *lin.* 34. decimæ
Pag. 621. *epist.* 21. *lin.* 2. dilectorum filiorum
Pag. 631. epist. 38. in titulo. *P. Episcopo*
Pag. 678. col. 1. adde in margine: *Epist.* 162.

TOMO II.

P Ag. 56. epist. 97. in titulo: *quod in Tervanensi*
Ibid. in margine: De electione Abbatis.
Pag. 60. *col.* 1. *lin.* 24. VIIII.
Pag. 74. *col.* 2. *lin.* 31. annuatim jurent
Pag. 176. *col.* 1. *lin.* 32. oculis
Pag. 208. *col.* 1. *lin.* 19. variis rapinis, videlicet usuris, vendit.
Pag. 287. col. 1. adde in margine: *Epist.* 282.
Pag. 374. *col.* 1. *lin.* 60. inducti
Pag. 471. *col.* 1. *initio.* venerabiles fratres nostros
Pag. 513. *col.* 1. *lin.* 7. facilitas
Pag. 587. *col.* 2. *in admonitione, lin.* 7. Sanè in veteri codice
Pag. 665. *col.* 1. *dele notam marginalem.*
Pag. 837. *in parte inferiori, lin.* 21. quæ erant
Pag. 838. *lin.* 14. MCCXI.
Ibid. lin. 16. Henrici Regis

GESTA



GESTA
INNOCENTII III.
ROMANI PONTIFICIS.
Auctore incognito, ſed coætaneo.

STEPHANUS BALUZIUS Tutelenſis editionem Toloſanam innumeris propemodum in locis emendavit ex fide vetuſtiſſimorum codicum MSS.

I. NNOCENTIUS tertius Papa, ex patre Tranſmundo de Comitibus Signiæ, matre verò Claricia de nobilibus Urbis, fuit vir perſpicacis ingenij & tenacis memoriæ, in divinis & humanis litteris eruditus, ſermone tam vulgari quàm litterali diſertus, exercitatus in cantilena & pſalmodia, ſtatura mediocris, & decorus aſpectu, medius inter prodigalitatem & avaritiam, ſed in eleemoſynis & victualibus magis largus, & in aliis magis parcus, niſi cùm neceſſitatis articulus exigebat; ſeverus contra rebelles & contumaces, ſed benignus erga humiles & devotos; fortis & ſtabilis, magnanimus & aſtutus; fidei defenſor, & hæreſis expugnator; in juſtitia rigidus, ſed in miſericordia pius; humilis in proſperis, & patiens in adverſis; naturæ tamen aliquantulùm indignantis, ſed facilè ignoſcentis.

II. Hic primùm in Urbe, deinde Pariſius, tandem Bononiæ ſcholaſticis ſtudiis inſudavit, & ſuper coætaneos ſuos tam in philoſophica quam theologica diſciplina profecit; ſicut ejus opuſcula manifeſtant, quæ diverſis temporibus edidit & dictavit. Fecit enim ante pontificatum libros de miſeria conditionis humanæ, & de Miſſarum myſteriis, & de quadripartita ſpecie nuptiarum. Poſt pontificatum autem, libros Sermonum, Epiſtolarum, Regeſtorum, & Decretalium. quæ manifeſtè declarant quantum fuerit tam in humano quam in divino jure peritus.

III. Hunc ſanctæ memoriæ Gregorius octavus Papa in Subdiaconum ordinavit; & Clemens III. Papa promovit in Diaconum Cardinalem, vigeſimum nonum ætatis annum agentem, aſſignans ei Eccleſiam ſanctorum Sergij & Bacchi, cujus ipſe fuerat Diaconus Cardinalis. Proficiebat autem, ſicut ætate, ſic etiam probitate coram Deo & omni populo, ita ut omnes de ipſius ſublimatione præſumerent & ſperarent.

IV. Infra biennium poſtquam promotus fuit in Cardinalem, præfatam ſanctorum Sergij & Bacchi Eccleſiam, quæ nimis erat deformis & ruinoſa, ut magis crypta quàm baſilica videretur, ſuis ſumptibus reſtauravit, parietes erigens, & renovans tectum, ſuper novos gradus conſtruens novum altare, novàque pectoralia faciens ante chorum. Statim autem poſtquam fuit ad apoſtolatus apicem aſſumptus, juſſit fieri ante ipſam Eccleſiam porticum columnatam, de bonis quæ in Cardinalatu contulerat ſibi Deus; multis mirantibus unde in novitate ſua tantas inveniſſet expenſas, cùm manus ſuas ab omni turpi munere excuſſiſſet, nullam à quoquam donationem vel promiſſionem accipiens antè quam ejus eſſet negotium terminatum, nihil exigens à quoquam, via regia ſemper incedens, non declinans ad dexteram vel ſiniſtram, inter fratres ſine querela converſans, non dividens ſe in partem.

V. Defuncto igitur Celeſtino, cùm quidam Cardinalium ſe contuliſſent ad Septa Solis monaſterij Cliviſauri, ut liberiùs & ſecuriùs ibi poſſent de ſucceſſoris electione tractare, ipſe

cum quibusdam aliis apud Basilicam Constantinianam voluit decessoris exequiis interesse. Quibus honorificè celebratis, ipse cum illis ad præfatum locum accessit. Missarum solemniis in honore sancti Spiritus à solis ibidem Cardinalibus celebratis, cùm ad tractandum de substitutione Pontificia consedissent, placuit omnibus in commoni ut ad terram humiliter inclinati, singuli pacis osculum sibi darent. Et exhortatione præmissa, examinatores fuerunt secundùm morem electi, qui sigillatim votis omnium perscrutatis, & in scriptis redactis, examinationem factam retulerunt ad fratres. Et quoniam in eum plurimi convenerunt, licèt tres alij fuissent ab aliquibus nominati, post disputationem super ætate habitam inter eos, quia tunc erat annorum triginta septem, omnes tandem consenserunt in ipsum, propter honestatem morum & scientiam litterarum, eum in Summum Pontificem eligentes, flentem, ejulantem, & renitentem, vocantes ipsum Innocentium, cùm prius Lotharius vocaretur. Et publicata electione, cum laudibus ductus est à multitudine cleri ac populi, qui inferiùs expectabat, ad Constantiniam Basilicam, & inde ad Patriarchium Lateranense perductus, peractis omnibus secundùm morem solitum & antiquum.

VI. Cùm autem celebraretur electio, hujuscemodi signum apparuit; quòd videlicet tres columbæ frequentabant volatus in locum in quo Cardinales sedebant congregati, & cùm ipse post nominationem fuisset à ceteris segregatus, una illarum, quæ candidissima erat, ad eum volitans, juxta dexteram insidebat. In visione quoque nonnunquam ostensum est quòd ipse matrem suam duceret in uxorem. Et aliæ multæ revelationes factæ sunt viris religiosis de ipso, quas scribere prætermittimus, quoniam & ipse nolebat hujusmodi præsagia indicari.

VII. Celebrata est ejus electio sexto Idus Januarij anno incarnationis dominicæ millesimo centesimo nonagesimo septimo. Et quia tunc Diaconus erat, dilata est ejus ordinatio in Presbyterum usque ad sabbathum quatuor temporum, nono Kalendas Martij; & sequenti Dominica, in qua tunc occurrit festum Cathedræ sancti Petri, fuit apud sanctum Petrum in Episcopum consecratus, & in ejusdem Apostoli cathedra constitutus, non sine manifesto signo & omnibus admirando. Interfuerunt autem consecrationi ejus, quam ipse cum multa cordis compunctione & lacrymarum effusione recepit, quatuor Archiepiscopi, & viginti octo Episcopi, sex Presbyteri & novem Diaconi Cardinales, & decem Abbates; cum quibus omnibus, & tam Priore cum Subdiaconis, quàm Primicerio cum Cantoribus, nec non Judicibus, Advocatis, & Seriniariis, & ceteris scholasticis processit solemniter coronatus per Urbem à Basilica sancti Petri usque ad Lateranense palatium, comitantibus Præfecto & Senatore cum magnatibus & nobilibus Urbis, multisque Capitaneis & Consulibus ac Rectoribus civitatum. Coronata est tota civitas & clerus cum thuribulis & incenso. Populus autem cum psalmis & floribus, utrique cum hymnis & canticis, sparsis de more missilibus obviam illi catervatim venerunt; factàque laude tam infra Ecclesiam sancti Petri quàm ante Lateranense palatium, postquam ascendit in domum majorem, quæ Leoniana vocatur, Presbyterio per ordinem distributo, solemne convivium celebravit.

VIII. Statim post electionem ipsius, Romanus populus cœpit apud eum vehementer instare, supplicans & deposcens ut eos ad fidelitatem reciperet, & consueta sibi dona conferret. Ipse verò induci non potuit ut ante consecrationem super hoc eis vellet præbere consensum. Sed post consecrationem, cùm turbulentiùs conclamarent, deliberavit super hac petitione populi diligenter. Et quoniam status Romanæ Ecclesiæ pessimus erat, pro eo quòd à tempore Benedicti Cariscum Senatum Urbis perdiderat, & idem Benedictus seipsum faciens Senatorem, subtraxerat illi Maritimam & Sabiniam, suos Justiciarios in illis constituens, Henricus autem Imperator occupaverat totum regnum Siciliæ totúmque patrimonium Ecclesiæ usque ad portas Urbis, præter solam Campaniam, in qua tamen plus timebatur ipse quàm Papa, in hoc devenit consilium ut petitionem populi exaudiret; quatenus & tempus redimeret malum, & patrimonium recuperaret amissum. Verùm antè quàm populo responderet, volens scire utrum thesaurus Ecclesiæ sufficeret ad hoc opus, usus est hac cautela, quòd per singulas parochiales Ecclesias fecit singulos parochianos occultè describi, ut sciret & numerum & qualitatem ipsorum; & ita veritate comperta, jussit illos recipi per singulas regiones. Sed nunquam tantam potuit adhibere cautelam quin fraus committeretur in multis. Forma verò juramenti quod præstitit populus, talis fuit. *Ego &c.* Sequenti die post consecra- *Lib. 1 epist. 23. & 177. 178.*
tionem suam Petrum Urbis Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit, & per mantum, quod illi donavit, de præfectura eum publicè investivit, qui usque ad id tempus juramento fidelitatis Imperatori fuerat obligatus, & ab eo præfecturæ tenebat honorem. Sed & ab aliis Baronibus circumquaque juramentum fidelitatis recepit; missisque nuntiis per totum Ecclesiæ patrimonium, fecit sibi fidelitatem ab omnibus exhiberi. Et exclusis Justiciariis Senatoris, qui ei fidelitatem juraverat, suos Justiciarios ordinavit; electóque per medianum suum alio Senatore tam infra Urbem quàm extrà, patrimonium recuperavit nuper amissum.

IX. Porrò non sufficit hoc sibi; sed statim post suam electionem destinavit duos Presbyteros Cardinales, Cinchium Tituli sancti Laurentij in Locina, & Johannem Tituli sanctæ Priscæ, contra Marcualdum in Marchiam, ut eum ad dominium Ecclesiæ revocarent. Ipse autem Marcualdus misit nuntios suos, videlicet Camerinensem & Venafranum Episcopos, & nobilem virum Rambertum Monaldi, ad Dominum Innocentium, petens per illos ut faceret ipsum ad præsentiam suam securè conduci, quia & de persona & de pecunia & de terra volebat esse ad mandatum ipsius. Et sic in animam ejus juravit nobilis antedictus. Erat enim idem Marcualdus Senescalcus Imperij, Dux Ravennæ & Romaniolæ, Marchio Anconæ & Molisij, vir inge-

niosus & subdolus, multam habens pecuniam sub Henrico Imperatore in regno Siciliæ acquisitam, quem inter omnes familiares suos ipse Imperator habuerat prædilectum, & eum executorem sui fecerat testamenti. Unde promittebat eidem Domino Papæ quòd si eum in gratiam suam admittere dignaretur, ipse Romanam Ecclesiam ampliùs exaltaret quam exaltata fuerat à tempore Constantini, cùm testamentum illud ad ingentem redundaret Ecclesiæ Romanæ gloriam & honorem. Petebat tamen ut donec ad præsentiam ejus accederet, & reverteretur in Marchiam, Cardinales non reciperent ad fidelitatem Ecclesiæ Marchianos. Ipse vero concessit ut interim invitos non cogerent, sed reciperent voluntarios; mittens ad ipsum Guidonem Tituli sanctæ Mariæ Trans Tyberim Presbyterum Cardinalem, qui eum ad præsentiam suam securè conduceret, si vellet præmissa complere. Sed noluit, quia Dominus Papa præsenserat & vitaverat ejus fraudem, negans se Ramberto Monaldi mandasse ut in animam ejus præscripto modo juraret. Qui cùm scriptum proferret quod illi tribuerat, secundùm quod ipse juravit, respondit se non didicisse scripturam, ideòque quid Notarius ejus scripserit ignorare. Cardinales autem excommunicaverunt eum propter sceleta quæ patrabat; & recipientes ad fidelitatem Ecclesiæ Marchianos, receperunt terram ad dominium Ecclesiæ revertentem. Qui cùm multam pecuniam expendisset, & cognosceret quòd non posset Marchiam retinere, obtulit Domino Papæ pecuniam copiosam, annuum censum promittens, si recepta fidelitate concederet ei terram. Quod cùm Dominus Papa facere nollet, quia suspectam habebat fraudem ipsius, reliquit Marchiam, & regnum intravit. Reducta est igitur tota Marchia, præter Asculum, ad dominium & fidelitatem Ecclesiæ, videlicet Ancona, Firmum, Auximum, Camerinum, Fanum Esim, Senegalia, & Pensaunium, cum omnibus diocesibus suis.

IX. Conradus ergo natione Suevus, Dux Spoleti, & Comes Asisij, videns terram suam pari modo ad dominium Ecclesiæ Romanæ redire, multis modis tentavit si posset apud Dominum Papam gratiam invenire, offerens ei decem millia librarum in continenti, & annum censum centum librarum argenti, & obsequium ducentorum militum per patrimonium Ecclesiæ à Radicofano usque Ceperanum. Pro securitate verò, præter hominium & fidelitatem suam & juramenta suorum, promittebat tradere filios suos obsides, & omnes munitiones tribuere suis custodiendas expensis. Licèt autem Dominus Papa conditionem istam utilem reputaret; quia tamen multi scandalizabuntur ex ea, tanquam vellet Theotonicos in Italia confovere, qui crudeli tyrannide redegerant eos in gravissimam servitutem, in favorem libertatis declinans, non acceptavit oblata. Dictus ergo Conradus cùm taliter non proficeret, reddidit se ad mandatum ipsius sine pacto quolibet & tenore: qui misit Narniam Octavianum Ostiensem Episcopum & Gerardum sancti Adriani Diaconum Cardinalem: in quorum præsentia, coram Episcopis, Baronibus, & multitudine copiosa juravit super Evangelium, Reliquias, & Crucem stare universis mandatis Domini Papæ; & absolvens in continenti omnes vassallos à sua fidelitate, mandansque omnibus ut ad dominium Ecclesiæ Romanæ redirent, statim etiam reddidit duas munitiones quas ipse tenebat, videlicet Rocham de Vualdo, & Roccham de Cese. Roccham autem Asisij reddi mandavit. Sed Asisinates, qui eam tenebant obsessam, non permiserunt illam reddi Domino Papæ, quin captam penitùs destruxerunt. Recuperavit ergo Romana Ecclesia Ducatum Spoleti, & Comitatum Asisij, videlicet Reatem, Spoletum, Asisium, Fulgineum, & Nuceram, cum omnibus diocesibus suis. Quia verò mora prædicti Conradi erat valde suspecta, de mandato Domini Papæ rediit in Theotoniam. Recuperavit etiam Perusium, Eugubium, Tudertum, & civitatem Castelli, cum Comitatibus suis, recepto juramento fidelitatis à civibus, Baronibus, & Catanis. Fecit autem destrui castrum Montis sanctæ Mariæ, in quo tempore prædecessoris sui Conradus, qui Musca in cerebro dicebatur, captum detinuit præfatum Octavianum Episcopum Ostiensem de Francia redeuntem, ut esset demolitio hæc in titulum memoriæ sempiternæ.

X. Celebrato ergo Apostolorum festo, Dominus Papa Urbem exivit & in Ducatum Spoletanum accessit, quem ad fidelitatem Ecclesiæ nuperrimè revocaverat, ut illum personaliter visitaret; venitque Reate; ubi receptus cum ingenti gaudio & honore, consecravit Ecclesiam sancti Eleutherij Martyris, & Ecclesiam sancti Johannis Evangelistæ. Inde profectus Spoletum, dedicavit Ecclesiam cathedralem; ibique quiddam miraculosum evenit, quòd cùm cives anxiarentur super aquarum penuria, cœperunt circa civitatem studiosè perquirere ubi fodiendò possent aquarum copiam invenire quæ sufficeret equorum multitudini adaquandæ. Ac subitò sub muro civitatis viderunt aquam scaturire de rupe, quæ fossas ibi factas replevit, ita exiens abundanter quod omnibus equis sufficiebat ad potum; vocatúsque est fons Papalis. Processit inde Perusium, ubi majoris Ecclesiæ consecravit altare; veniénsque Tudertum, altare sancti Fortunati solemniter consecravit, & ad ornatum omnium altarium quæ propriis manibus consecravit, obtulit serica pallia pretiosa & pallas subtiliter operatas. Statuénsque Rectorem in Ducatu Spoleti & Comitatu Asisij tertisque vicinis, videlicet Gregorium sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinalem, per Ameliam, Ortam, & civitatem Castellanam, circa festum omnium sanctorum remeavit ad Urbem.

XI. Civitates autem Tusciæ, quæ propter importabilem Alemannorum tyrannidem quasi gravem incurrerant servitutem, societatem hanc adinvicem inierunt, præter civitatem Pisanam, quæ nunquam potuit ad hanc societatem induci, & obtinuerunt à Summo Pontifice ut & civitates *Vide lib. 1. epist. 34.* Ecclesiæ quæ sunt in Tuscia & Ducatu Spoleti se illis in hac societate conjungerent, salvo semper in omnibus apostolicæ sedis dominio & mandato. Constituerunt ergo singulos Rectores de singulis civitatibus, & unum Priorem, cui tempore sui

Primatus omnes intenderent ad societatis negotia peragenda; omnésque, tam Rectores, quàm alij, juraverunt quòd societatem servarent ad honorem & exaltationem apostolicæ sedis, & quòd possessiones & jura sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ bona fide defenderent, & quòd nullum in Regem vel Imperatorem reciperent nisi quem Romanus Pontifex approbaret. Ab eo autem non potuerunt aliud nisi hujusmodi litteras obtinere.

Lib. 1. epist. 401. Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori & Rectoribus Tusciæ & Ducatus salutem &c. Sicut universitatis conditor Deus duo magna luminaria in firmamento cœli constituit, luminare majus, ut præesset diei, luminare minus, ut nocti præesset, sic ad firmamentum universalis Ecclesiæ, quæ cœli nomine nuncupatur, duas magnas instituit dignitates, majorem, quæ quasi diebus, animabus præesset, & minorem, quæ quasi noctibus, præesset corporibus, quæ sunt pontificalis auctoritas & regalis potestas. Porro sicut Luna lumen suum à Sole sortitur, quæ revera minor est illo quantitate simul & qualitate, situ pariter & effectu, sic regalis potestas ab auctoritate pontificali suæ sortitur dignitatis splendorem; cujus conspectui quanto magis inhæret, tanto minori lumine decoratur, & quò plus ab ejus elongatur aspectu, eò plus proficit in splendore. Utraque verò potestas seu primatus sedem in Italia meruit obtinere, quæ dispositione divina super universas provincias obtinuit principatum. Et ideo licèt ad universas provincias nostræ provisionis aciem extendere debeamus, specialiter tamen Italiæ paterna nos convenit solicitudine providere, in qua Christianæ religionis fundamentum existit, & per apostolicæ sedis primatum sacerdotij simul & regni præminet principatus. Hujus autem provisionis officium laudabiliter exercemus si per nostræ solicitudinis studium procuramus ne filij fiant servi, neque minores a majoribus opprimantur; ut servata moderaminis æquitate, sic isti serviant quòd illi non sæviant, ut nec isti subesse contemnant, nec illi contendant præesse. Volentes ergo vos, tanquam speciales filios, apostolicæ protectionis brachiis amplexari, firmum gerimus in deliberatione nostra propositum ad divini nominis gloriam & apostolicæ sedis honorem, quantum cum nostra possumus honestare, vobis adversùs oppressionis incursum & gravaminis insolentiam nostrum patrocinium exhibere; quatenus per apostolicæ protectionis auxilium in debito statu perseverare possitis, & inita jam concordia semper inter vos de bono in melius perseveret; sperantes & pro certo tenentes quòd vos nobis & Ecclesiæ Romanæ gratum semper devotionis & fidei debeatis obsequium impertiri; ut dum vos à nobis protectionis patrocinium susceperitis, & nos à vobis devotionis obsequium receperimus, utrinque grata debeat utilitas procurari. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus certam & firmam de nobis fiduciam obtinentes, qui, sicut apostolicæ convenit gravitati, plus facere quàm promittere vobis intendimus, ea semper agere studeatis quæ ad honorem & profectum Ecclesiæ Romanæ proveniant, ut meritò debeatis ipsius favoris dextera communiri.

XII. Post hæc dedit operam ad recuperandum Radicofanum, Aquampendentem, Montem Flasconem, atque Tuscanum; quæ tandem recuperavit non sine laboribus & expensis, liberans Aquampendentem ab Urbevetanis, qui eam acriter impugnabant. Misit præterea Nuntios & Legatos ad recuperandum Exarchatum Ravennæ, Brictonorium, & Terram Calvaca Comitis. Sed Archiepiscopus Ravennas asserebat Exarchatum antiquitus fuisse concessum à Romanis Pontificibus Ecclesiæ Ravennati, & privilegia ostendebat. Brictonorium quoque concessum fuisse de novo ab Alexandro Papa, dum Venetiis moraretur. Supersedit ergo Dominus Innocentius prudenter ad tempus magis quàm super hoc vellet aliquid experiri. Permisit tamen ut Archiepiscopus Ravennas, salvo jure apostolicæ sedis, recuperaret Brictonorium & teneret. Vide lib. 2. epist. 27.

XIII. Cùm autem per Legatos suos ad hos specialiter destinatos requireret terram Comitissæ Mathildis à civitatibus detinentibus eam, licèt ipsæ civitates vellent eandem per Romanam Ecclesiam sub certis pactionibus recognoscere ac tenere, quia tamen pactiones illæ convenientes non erant, noluit ex ipsa terra quicquam concedere, præter id quod concessit Episcopo Mantuano, differens in aliud tempus idoneum, quia tunc ei solicitudo gravior supervenit ex divisione Imperij & turbatione regni Siciliæ, quibus eum intendere principaliter oportebat.

XIV. Has autem munitiones ad manus suas Dominus Innocentius detinebat & custodiri faciebat per proprios Castellanos; in Tuscia, Radicofanum, Montem Flasconem, & Orelam; in Ducatu Spoletano, Gualdum, & Cese; in Sabinia, Roccam Anticuli; in Campania, Sarianum, & Castrum; in maritima, Roccam Cicergij. Apud Palatium Montis Flasconis fecit fieri Capellam, & removeri domos post palatium usque ad muros castri, construens hinc inde parieres a palatio usque ad muros illos, & in muro faciens largam portam, ut haberet ipsa munitio ingressum, non solùm communem per castrum, sed etiam proprium & specialem per illum locum. In Rocca de Radicofano fecit exaltari veteres muros, & novos construi, cavari fossatum, & locum bene muniri. Roccam verò Cicergij redemit à Rolando Guidonis de Leculo, cui Oddo & Robertus Fraiapanis in feudum concesserant; quamvis eam ab Ecclesia Romana tenerent solius custodiæ ratione. Patrimonium autem apostolicæ sedis in Tuscia diversis temporibus commisit regendum diversis personis, à quibus faciebat annuatim colligi fodrum per civitates & castra. In aliis autem regionibus proprium accipiebat * affictum. * Cod. reg. officium.

XV. Duo verò nobiles Guido & Nicolaus temporibus suis & prædecessorum suorum graviter Romanam Ecclesiam offenderunt, vulnerando, capiendo, & spoliando venientes ad eam, & redeuntes ab ipsa. Unde cùm Dominus Papa non posset id ulteriùs sustinere, man-

davit Rectoribus patrimonij beati Petri ut procedentes in Tusciam, eos, si moniti sponte contemnerent ad mandatum ejus redire, coërcerent invitos. Qui eos contemptores pariter & rebelles intra castrum Rispanpini obsederunt, vastantes segetes, & arbores incidentes, abducentes greges ipsorum, damnúmque ipsis trium milium librarum & ampliùs inferentes. Cùmque parareut ligna, lapides, & cæmentum, ut aore præfatum castrum Rispanpini ad capiendum ipsum turrim ædificarent excelsam, prædicti nobiles protinus desperantes, ad mandatum ejus humiliter redierunt, sine aliqua conditione jurantes stare mandatis Domini Papæ super facto Vetrallæ, Petrognani, stratæ securitate, mattollectis, & Ecclesiarum indemnitate, ac insuper pacem ei, universis fidelibus suis peregrinis, & omnibus viatoribus fideliter observare, insuper bene munitum restituere castrum Marthæ, dantes fidejussoriam caotionem mille librarum Senensium super omnibus supradictis. Insuper Domino Papæ fidelitatem secundùm morem & consuetudinem aliorum fidelium juraverunt.

XVI. Circa verò suæ promotionis primordium Narnienses Nutriculum graviter molestabant. Quod licèt eis sub interminatione interdicti & banno mille librarum firmiter vetuisset, ipsi tamen inhibitione contempta castrum illud ceperunt & destruxerunt. Idem verò Pontifex justus & fortis fecit exercitum contra illos tam de Romanis quam de foriosecis congregari, per quem graviora sunt quàm intulerunt damna perpessi; & tandem reædificato castro, bannum mille librarum ab illis accepit, jurantibus ejus stare mandatis, faciens ducentas libras præstari pro restauratione murorum.

XVII. Quia verò longum esset explicare per singula quàm diligens & studiosus extiterit circa patrimonium Ecclesiæ reformandum, sufficiat dixisse pauca de multis, quia molta possunt excogitari de paucis; quamvis hanc solicitudinem quodammodo haberet exosam, (Unde sæpe dicebat: *Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea*) maximè quia labor erat magnus, & fructus parvus, & propter excrescentem malitiam homines non poterant facilè coërceri.

XVIII. Ceterùm quò ampliùs cupiebat à secularibus negotiis expediri, eò magis est mundanis curis implexus. Defuncto namque Rogerio filio Tancredi Regis Siciliæ, quem pater in vita sua Regem constituens fecerat coronari, eique filiam Isacij Constantinopolitani Imperatoris duxerat in uxorem, consequenter etiam pater ejus præ nimio, sicut dicebatur, dolore defunctus est, relinquens tres filias & unicum filium parvulum nomine Guillelmum, quem mater ejus Sibilia coronari fecit in Regem. Regno igitur taliter destituto, Henricus Imperator adspirans ad illud occasione Constantiæ conjugis suæ filiæ quondam Rogerij primi Regis Siciliæ avi prædicti Tancredi, congregavit exercitum maximum de pecunia quam extorsit pro redemptione Richardi Regis Anglorum nequiter capti dum rediret de terra promissionis ab obsequio Crucifixi. Hic ergo regnum ingressus, sine pugna illud obtinuit, nemine resistente. Præfata verò Sibilia cum filio suo & filiabus, Salernitano quoque Archiepiscopo & fratribus ejus, recepit se in quodam castello Siciliæ; cum qua Imperator fecit de pace tractari; & concordaverunt pariter in hunc modum: Quòd Imperator interposito juramento concessit Guillelmo filio ejus & heredibus suis Comitatum Licij, quem pater ejus Tancredus habuerat ante regnum, & addidit ei Principatum Tarenti, promittens salvare personas & res. Mox autem postquam eos in sua potestate habuit, occasione captata cepit illos & quosdam alios nobiles regni, eósque captivos in Theutoniam destinavit, faciens fratres præfati Archiepiscopi aliósque nonnullos privari luminibus oculorum, Archiepiscopum verò, Reginam, & filium ac filias, in arcta custodia detineri. Frater autem Imperatoris Philippus relictam præfati Rogerij filiam Imperatoris Constantinopolitani duxit uxorem; quam frater ejus Alexius luminibus orbans, Constantinopolitanum Imperium usurpavit. *Vide lib. 1. epist. 24. 25. 26.*

XIX. Henricus igitur Imperator, ex quo regnum Siciliæ totum obtinuit, spolians illud auro & argento & lapidibus pretiosis, rediit in Theutoniam cum ingenti triumpho, efficiens apud Principes ut filium suum Federicum infantem nondum duorum annorum, necdum etiam baptizatum, in Regem Romanorum eligerent, eique fidelitatis juramenta præstarent; inter quos præfatus Philippus fidelitatis ei præstitit juramentum.

XX. Quo facto, iterum venit Imperator in regnum, & tandem apud Messanam præsente Imperatrice diem clausit extremum. Post cujus obitum quidam familiares ejus exeuntes de regno, Marchualdus accessit in Marchiam, Conradus rediit in Ducatum, Philippus autem frater ipsius recepit se apud Montem Flasconem, & inde rediit in Theutoniam, patrimonium occupans universum. Remanserunt autem in regno aliqui de Theotonicis, in Sicillia Guillelmus Capparonus, in Calabria Fredericus, in Apulia & Terra Laboris Dupuldus & fautores ipsius, multas munitiones tenentes.

XXI. Post mortem Imperatoris, infra tres menses obiit Celestinus, & substitutus est Innocentius, rebus taliter & aliter variatis. Imperatrix verò Constantia reversa Panormum, misit ad Ducissam Spoleti, quæ filium suum in Marchia nutriebat, & perductum ad se coronari fecit in Regem, cœpitque cum illo regnare. Direxit autem incontinenti nuntios cum muneribus ad Dominum Innocentium, devotissimè postulans ut regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, cum ceteris adjacentiis, sibi & filio suo concedere dignaretur secundùm formam qua prædecessores ejus concesserunt illa prædecessoribus suis. Ipse verò sagacissimus Pontifex diligenter attendens quòd privilegium concessionis indoltum primò ab Adriano, & renovatum postmodum à Clemente, super quatuor capitulis, videlicet electionibus, legationibus, appellationibus, & Conciliis, derogabat non solùm apostolicæ dignitati, verùm etiam ecclesiasticæ libertati, mandavit Imperatrici ut illis capitulis

renuntiaret omnino, cùm ea non esset aliquatenus concessurus. Tentavit illa propositum ejus muneribus immutare. Quod cùm efficere nequivisset, missis honorabilibus nuntiis, Anselmo Neapolitanensi Archiepiscopo, Aimerico Syracusanensi Archidiacono, Thoma Justitiario, & Nicolao Judice, post tractatum diutinum obtinuerunt concessionis privilegium innovari, capitulis illis omnino remotis, sub censu, fidelitate, ac hominio consuetis. Privilegium non pervenit ad illam mortis acceleratione præventam.

XXII. Idem verò pijssimus Pontifex ad liberationem captivorum clementer intendens, præsertim cùm per detentionem Salernitanensis Archiepiscopi nimis detraheretur apostolicæ dignitati, statim circa suæ promotionis primordium misit Sutrinum Episcopum, natione Theotonicum, & Abbatem sancti Anastasij Cisterciensis ordinis, in Theutoniam, scribens Episcopis quatenus detentores eorum monerent, & si necesse foret, compellerent per excommunicationem in personas, & interdictum in terras, ut illos dimitterent absolutos; comminando Principibus universis quòd nisi ad hoc impenderent operam efficacem, ipse totam Alamanniam supponeret ecclesiastico interdicto. Quia verò Celestinus Papa prædecessor suus excommunicaverat præfatum Philippum Ducem Sueviæ, dum esset Dux Tusciæ, propter invasionem & devastationem apostolici patrimonij, & excommunicationem illam publicari fecerat etiam Henrico Imperatori, hanc formam dedit super ipsius absolutione præfatis Episcopo & Abbati, ut quia superioris sententia per minorem relaxari non potest, & ob hoc oporteret eundem Philippum accedere ad sedem apostolicam absolvendum, ipsi tamen hoc modo remitterent ei laborem itineris, si præfatum Archiepiscopum liberaret, & recepto secundùm formam Ecclesiæ juramento quòd super omnibus pro quibus excommunicatus fuerat mandatis apostolicis obediret, absolutionis ei beneficium exhiberent. Illi ergo in Theutoniam procedentes, invenerunt supradictum Philippum à quibusdam Principibus electum in Regem. Qui Guarmatiam ad ipsos accedens, de facto se fecit absolvi, non publicè, sed occultè, nec præstito juramento secundùm formam Ecclesiæ, sed promissione facta per stolam. Præfatum tamen Archiepiscopum & fratres ipsius gratuitò liberavit. Post modicum autem idem Philippus fecit se inungi & coronari, non Aquisgrani, sed Maguntiæ, nec a Coloniensi Archiepiscopo, sed à Tarantasiensi; quia nullus Archiepiscoporum Theutoniæ id facere attentavit. Sed nec aliquis Episcoporum qui fuerunt in illa coronatione præsentes, pontificalibus indui præsumpserunt, præter solum Sutrinum, qui ad illud fuerat destinatus. Unde cùm ad Summi Pontificis præsentiam rediisset, veritate per propriam confessionem comperta, tum de forma neglecta, tum de præsumptione commissa, fecit eum extra suum episcopatum usque ad finem vitæ manere. Pro prædictis verò captivis, licèt jam liberatis, adhuc tamen exulibus, rogavit Imperatricem per nuntium ad hoc specialiter destinatum, eisque restitutionis gratiam impetravit. Sed & Sibilia relicta Regis Tancredi cum filiabus suis ergastulum captivitatis evasit, & in regnum Francorum confugiens, primogenitam suam Gualtero Brenensi Comiti tradidit in uxorem.

Lib. 1. epist. 25.

Coloniensis autem Archiepiscopus & quidam alij Principes tam ecclesiastici quàm seculares, videntes se in electione Philippi fuisse contemptos, vocaverunt Othonem filium quondam Henrici Ducis Saxoniæ, Comitem Pictavensem, & apud Coloniam elegerunt in Regem; eúmque Coloniensis Archiepiscopus coronavit solemniter Aquisgranis; & sic facta est divisio in Imperio longo tempore duratura. Nam Othoni adhæserunt Coloniensis Archiepiscopus & suffraganei universi. Præterea Cameracensis, & Padeburgensis, & illi deservientes Episcopi. Necnon Bremensis Archiepiscopus, Dux Lovaniæ, Dux Lumburgo, Comes Palatinus Rheni, Lantgravius Thoringiæ, multique Comites, itàque terram obtinuit ultra Mosellam à Cameraco usque Vidaniam penè totam. Philippo verò reliqua terra cum ceteris Principibus se submisit; quamvis nec isti nec illi firmiter adhærerent, sicut ex postfacto patebit.

Hæc non erant in codice regio.

XXIII. Interim autem Constantia Imperatrix cognoscens quòd perfidus Marcualdus machinabatur invadere regnum, diffidavit eundem, & mandavit per litteras suas eum tanquam hostem Regis & regni ab omnibus evitari. Habebat etiam valde suspectum Gualterum Troianum Episcopum, regni Siciliæ Cancellarium; ità quòd subtraxerat illi sigillum, (Nam & fratres ipsius reduxerunt Marcualdum) sed ad multam intercessionem Summi Pontificis recepit illum in gratiam, ita quòd cùm eadem Imperatrix parum post annum à morte Imperatoris ageret in extremis, statuit eum familiarem regium cum Panormitanensi, Montis-Regalis, & Capuano Archiepiscopis; balium verò regni Domino Papæ dimisit ab omnibus juramento firmandum, quoniam ad eum spectabat tanquam ad dominum principalem; constituens ut singulis annis durante balio perciperet de proventibus Regis triginta millia tarenorum, & si quas expensas pro regni foret defensione facturus, omnes sibi ex integro redderentur; sicque debitum carnis exsolvit, Rege pupillo in familiarium custodia derelicto. Marcualdus autem egressus in regnum, ad occupandum illud totis viribus intendebat, prætendens quòd ex testamento Imperatoris, ipse debebat esse Balius Regis & regni. Statim ergo Dominus Papa Gregorium sanctæ Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem Legatum in Siciliam destinavit, ut ibi cum familiaribus Regis de regni negotiis ordinaret. Qui profectus, recepit ab eis balij juramentum, & fecit illud ab aliis per Siciliam exhiberi. Verùm quia non bene intendebatur ei à familiaribus Regis, & præsertim à Cancellario, qui dedignabatur eum superiorem habere, cùm & omnes non regiis sed propriis utilitatibus insudarent, post non multum temporis ad sedem apostolicam est reversus, nuntiis cum litteris Regis per regnum transmissis ut ab omnibus Domino Papæ juramentum balij præstaretur. In Terram verò Laboris Dominus Papa direxit Johannem Tituli sancti Stephani in Cælio monte Presbyte-

rum & Girardum ſancti Adriaoi Diaconum Cardinales, ut civitates, Comites, & Barones inducerent ad reſiſtendum perfido Marcualdo, qui congregato exercitu intendebat in primis capere monaſterium Caſinenſe, ut ingreſſum regni liberum obtineret. Cùm ergo Caſinenſis Abbas in inſtantis neceſſitatis articulo Summi Pontificis auxilium imploraret, miſit nobilem virum Landonem de Montelongo, conſobrinum ſuum, Rectorem Campaniæ, cum quingentis penè militibus & centum archariis conductis ad ſolidos, qui cum præfatis Cardinalibus receperunt ſe in villa ſancti Germani, ut eam defenderent contra impetum Marcualdi. Homines autem ipſius villæ, tanquam puſillanimes & imbelles, illo veniente fugerunt ad montem Caſinum cum filiis & uxoribus ſuis; & poſt eos, Cardinales & milites diſceſſerunt. Cardinales verò cum habitatoribus mille infra monaſterium ſunt recepti, & milites cum archariis ſe in vallo ante monaſterium receperunt, quos capta villa & ſpoliata Marcualdus obſedit, æſtimans eos ad deditionem poſſe compellere propter inopiam victualium aliorúmque neceſſariorum defectum. Quo audito, Summus Pontifex vehementer doluit; ſtatímque miſit Jordanum Tituli ſanctæ Pudentianæ Preſbyterum Cardinalem & Octavianum Subdiaconum conſobrinum ſuum, cum unciis auri mille quingentis, ad Petrum Comitem Celanenſem, ut cum eo, prout meliùs poſſent, efficerent quatenus obſeſſis ſaltem in victualibus ſubvenirent. Ipſe verò aurum recepit, & diſtribuit illud militibus ſuis, propriam magis utilitatem quàm obſeſſorum neceſſitatem attendens. Nam vix tandem fecit illuc intromitti aliquas ſaumas farinæ. Sed illi, licèt in multa penuria & timore eſſent, reſtiterunt tamen viriliter & conſtanter; ità quòd cùm quoſdam corrupiſſent pecunia de exercitu Marcualdi, & ad ſuum præſidium attraxiſſent, idem Marcualdus poſt duos menſes ab obſidione receſſit, aliquíſque malo fuit uſus in illo. Nam capta villa, & fugatis militibus, tantus omnes terror invaſit quòd ſi cum illo triumpho protinus proceſſiſſet, penè nullos inveniſſet ſuæ malitiæ reſiſtentes. Sed interim timore ſedato, ſpiritúque reſumpto, ad reſiſtendum ei ſe plurimi paraverunt. Ille verò non ſolùm viribus ſed & fraudibus inſiſtebat, ut præconceptam malitiam duceret ad effectum; & licèt quoſdam viribus ſuperaſſet, aliós verò fraudibus decepiſſet, non tamen potuit prævalere, cùm Summus Pontifex obſtaculum ſibi poneret in omnibus viis ſuis. Sperans autem quòd eum poſſet inclinare promiſſis, per Conradum Maguntinenſem Archiepiſcopum de Hieroſolymitanis tunc partibus redeuntem & ſæpe per alios ſecretè fecit & cautè tentari utrum eum poſſet oblatione munerum mitigare, promittens quòd ſi ſolummodo ab ejus impedimento ceſſaret, quamvis nullum ſibi præſtaret auxilium, incontinenti daret ei valentiam auri viginti millium unciarum, & poſtquam obtinuiſſet Panormum, totidem ſibi auri uncias exhiberet, ligiam ſibi fidelitatem præſtaret, duplicaret cenſum, & multiplicaret obſequia quæ Romani Pontifices de regno Siciliæ conſueverunt habere, ipſúmque regnum ab apoſtolica ſede immediatè teneret. Nec debebat obſtare quòd Summus Pontifex Regem infantulum in ſua cura ſuſceperat; quia, ſicut ipſe firmiter aſſerebat, puer ille nec Imperatoris nec Imperatricis filius fuerat, ſed ſuppoſitus partus. quod teſtibus adſtruere promittebat. Porrò Summus Pontifex tantam ipſius iniquitatem attendens; promiſſiones & oblationes ipſius execrabiles judicavit. Cùmque non poſſet hoc modo proficere, ad aliam ſe fraudem convertit, proponens quod reconciliari vellet eccleſiaſticæ unitati. Sed cùm fuiſſet illi reſponſum quòd oporteret eum juramento firmare ut ſuper omnibus pro quibus excommunicatus erat mandatis apoſtolicis obediret, reſpondit quòd in ſpiritualibus abſolutè pareret, in temporalibus autem juſtis mandatis parendi præſtaret juratoriam cautionem. Quod cùm ſibi fuiſſet aſſertum quia propter eum conſueta forma jurandi nullatenus mutaretur, tandem in ſcriptis promiſit quòd ſuper omnibus pro quibus excommunicatus erat juraret abſque pacto quolibet & teneret ſe univerſis mandatis apoſtolicis pariturum. Licèt autem Dominus Papa fraudem ipſius haberet valde ſuſpectam; quia tamen redire volentibus non eſt aditus Eccleſiæ obſerandus, miſit Verulas in Campaniam Octavianum Oſtienſem Epiſcopum & Guidonem ſanctæ Mariæ Trans Tyberim Preſbyterum ac Hugolinum ſancti Euſtachij Diaconum Cardinales, ut dictum Marcualdum illuc ad eorum præſentiam accedentem ſub forma reciperent ſupraſcripta. Qui cùm veniſſet, poſt multas altercationes prædicto modo juravit, rogans Epiſcopum & Cardinales prædictos ut ad faciendum mandatum deſcenderent ad monaſterium Caſemarij, dictæ civitati vicinum, ut coram ſociis ſuis, quorum illic remanſerat multitudo, audiret uſus hac fraude, ut cùm à loco munito ad locum deſcenderent immunitum, non auderent ei grave proferre mandatum. Acquievit Oſtienſis Epiſcopus, ſeductus conſilio nobilis viri Leonis de Monumento conſobrini ſui, qui reconciliationis hujuſmodi fuerat mediator. Acquieverunt & alij, licèt improvidè ipſius Oſtienſis Epiſcopi perſuaſione ſeducti. Cùmque ad præfatum monaſterium deſcendiſſent, paratum eſt illis convivium, in quo præfatus Marcualdus eis accuratiſſimè deſervivit, & ſub finem convivij ſubmurmuratum eſt quòd capi deberent, ut ſic territi mandatum quod diſpliceret illi facere non auderent. Vehementer ergo confuſi, quid facerent ignorabant. Sed præfatus Hugolinus ſancti Euſtachij Diaconus Cardinalis, reſumpto ſpiritu fortitudinis, coram omnibus qui convenerant ad audiendum mandatum, protulit ſcriptum Bulla Domini Papæ munitum, in quo mandatum, quod illi faciendum erat, continebatur expreſſum; & ait: Ecce mandatum Domini Papæ. Nos aliud facere non valemus. Hanc autem cautelam Summus Pontifex adhiberat, tum propter ſe, tum propter illos. Mandatum eſt ergo illi, ſicut continebatur in ſcripto, ſub debito præſtiti juramenti, ut à ballio regni, invaſione quoque ac moleſtatione per ſe ac ſuos omnino deſiſteret, nec ipſum aut patrimonium beati Petri aliquatenus moleſtaret, univerſa quæ de regno per ſe vel ſuos violenter

ac fraudulenter invaserat restitueret quæ haberet; quæ verò detinerentur ab aliis, pro posse suo restitui faceret bona fide; super damnis autem & injuriis irrogatis, præsertim Ecclesiæ Romanæ ac monasterio Casinensi, satisfaceret competenter secundùm dispositionem Summi Pontificis & proprias facultates; in Clericos & viros ecclesiasticos manus de cetero non injiceret nec injici faceret violentas; Cardinales & Legatos apostolicæ sedis nec spoliaret nec caperet, nec spoliari nec capi faceret, aut etiam obsideri; nisi forsan, impugnatus ab eis, in defensionem propriam id facere cogeretur; non quòd id ei diceret tunc licere; sed quia hoc ei non interdicebat ex debito juramenti.

Lib. 2. epist. 167.

XXIV. Audito mandato, factus est ingens tumulus in populo. Sed ipse Marcualdus, quamvis valde commotus, non tamen permisit ut in Cardinales committeretur aliquid inhonestum; quin potiùs usque Verulas eos in propria persona conduxit; proponens quod ad præsentiam Summi Pontificis vellet accedere, ut ei quædam secretissima patefaceret quæ nulli alij revelaret. Unde petebat ut præscriptum mandatum interim suspendere dignarentur. Litteras tamen suo sigillo munitas in testimonium destinavit quòd præscriptum juramentum præstiterat, & mandatum receperat suprascriptum.

Sed ad vomitum rediens, post absolutionem suam litteras Domino Papæ direxit, in quarum salutationis alloquio fraudem ejus perpendit, in eo quòd salutatio talis erat: *Reverendo in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia sanctæ Romanæ sedis Summo Pontifici, Marcualdus Imperij Senescalcus &c. salutem & obedientiam tam debitam quàm devotam.* Et in aliis sic erat expressum: *Marcualdus Imperij Senescalcus, & id quod est devotum obedientia famulatum;* tanquam nec ex toto supprimeret nec exprimeret manifestè quòd regni Balius & Procurator existeret, sicut se priùs in suis litteris consueverat appellare.

Lib. 2. epist. 179.

Misit etiam litteras, non solùm intra regnum, sed extra, significans quòd ipse reconciliatus erat Summo Pontifici, tantámque gratiam in oculis ejus invenerat quòd concesserat ei ut balium regni gereret, & duos ei deputaverat Cardinales, qui ad intendendum sibi compellerent universos. Super quibus cùm redargutus fuisset à Cardinalibus, apertè rescripsit quòd nec pro Deo nec pro homine mandatum quod sibi fecerat Summus Pontifex observaret. Unde Dominus Papa per totum regnum nuntios & litteras destinavit, significans totum processum negotij, & ipsius perfidiam manifestans, districtè præcipiens universis ut eum, tanquam excommunicatum, perjurum, hostem, & proditorem vitarent.

Lib. 2. epist. 179.

Ipse verò cognoscens se sua intentione fraudatum, cœpit subtiliter machinari qualiter posset in Siciliam transfretare, suam ibi nequitiam liberiùs impleturus. Et cùm quosdam sibi comparasset fautores, transivit, & cœpit mala quæ poterat operari, dimittens suæ iniquitatis complices & fautores, Diupuldum, Otthonem & Sifridum fratres ipsius, Conradum Sorellæ, Otthonem de Laviano, & Fredericum Maluti, & quosdam alios, multas ex hac parte Phari munitiones tenentes, qui omnes cum illo de vanitate convenerant in idipsum. Cùm ergo per illum mala super Siciliam multiplicari cœpissent, familiares Regis ad Summum Pontificem clamare cœperunt ut eis cum exforcio mitteret protectorem. Misit igitur C. Tituli sancti Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum & nobilem virum Jacobum consobrinum & Marescalcum suum cum ducentis militibus pecuniaria mercede conductis; quibus adjunxit Anselmum Neapolitanensem & Angelum Tarentinensem Archiepiscopos, viros industrios & prudentes, quorum studio & consilio uterentur. Qui profecti, Fredericum in Calabria compresserunt totam provinciam devastantem; & inde pervenere Messanam civitatem Ecclesiæ fidelissimam, quæ nunquam in hac tempestate à via regia declinavit.

Lib. 2. epist. 128.

XXV. Interim autem Gualterus Comes Brenensis, qui primogenitam filiam Regis Tancredi duxerat in uxorem de captivitatis ergastulo cum matre & sororibus redeuntem, vir utique fortis, nobilis, strenuus, & magnanimus, ad apostolicam sedem accessit, postulans humiliter & instanter justitiam sibi fieri de his quæ ad uxorem ejus in regno Siciliæ pertinebant. Constabat enim quòd pater ejus Rex Tancredus regnum Siciliæ obtinuerat, & post eum filius ejus Vvillelmus in regni solium fuerat sublimatus; cui Henricus Imperator tempore Celestini Papæ abstulit regnum, & sic tandem cum illo composuit quòd concessit ei & heredibus suis Comitatum Licij & Principatum Tarenti, concessionem hujusmodi tam suo quàm suorum juramento confirmans. Sed postquam eum, matrem, atque sorores ipsius in sua obtinuit potestate, captivos in Theuroniam destinavit; de qua vix tandem, ipso puero in captivitate defuncto, mater & sorores ejus per mandatum apostolicum evaserunt. Cœpit ergo Dominus Papa multipliciter dubitare quid ei super petitione prædicti Comitis esset agendum. Nam ipse Comes Frederico puero Regi Siciliæ filio prædicti Imperatoris videbatur non immeritò esse suspectus, tanquam qui suorum intenderet injuriam vindicare. Sed è contrario dubitabat ne si omnino ipsius Comitis repelleretur petitio, ipse se Regis hostibus jungeret, & sic fieret error novissimus pejor priore. Deliberavit igitur diligenter, non solùm cum Cardinalibus, sed & cum aliis viris prudentibus; & in hoc tandem universorum resedit consilium ut jus quod uxor prædicti Comitis ex concessione Imperatoris habebat in Comitatu Licij & Principatu Tarenti recognosceretur illi, ne justitiam denegaret. Ut autem contra suspicionem præfato Regi caveret, in publico Consistorio, adstante multitudine copiosa, subscriptum ab ipso Comite juramentum recepit. Et ne familiares Regis scandalizarentur ex hoc, si fortè antequam eis hujusmodi facti causam exponeret concessisset præfato Comiti litteras pro Principatu Tarenti & Comitatu Licij obtinendo, protinus misit eis litteras in hunc modum.

Nuper dilectus filius nobilis vir Gualterus Comes Brenensis cum nobili muliere S. relicta quondam Regis Tancredi & filia ipsius uxore sua

sua, cum Militibus etiam & aliis multis, ad apostolicam sedem accedens, ex parte ipsius uxoris suæ ac sororum ejusdem petitionem nobis offerre curavit super assignando sibi Principatu Tarentinensi & Comitatu Liciensi vel justo excambio pro ipso Comitatu, juxta concessionem quam Henricus quondam Imperator super iis Vuillelmo quondam filio Regis ejusdem & ipsius heredibus fecisse publicè noscebatur, cùm contra eum nec idem Vuillelmus nec sorores ipsius in aliquo deliquissent, utpote qui ætatis beneficio excusantur. Nos igitur ejusdem Comitis nobilitatem & potentiam attendentes, cùm etiam eum multi sequantur, & plures sint in proximo secuturi, utpote quem dilecti filij Campaniæ & Flandriæ Comites proxima linea consanguinitatis attingunt, qui jam crucis signaculum assumpserunt in Terræ sanctæ succursum & ipsius Comitis subsidium profecturi, deliberavimus quid esset agendum, utrum scilicet eum ad Regis traheremus obsequium, an pateremur hostilem animum assumere contra regnum. Cognoscentes ergo petitionem ipsius secundùm ea quæ intelleximus esse justam, favorem ei apostolicum super ipsa petitione duximus impendendum; ne si ei forsitan justa negaremus, quasi desperans regni hostibus adderetur, vel per seipsum fortior Regis fieret inimicus, & fieret error novissimus pejor priore. Procuravimus igitur & obtinuimus apud ipsum studio diligenti, multa consilij deliberatione præhabita, quòd exhibuit nobis supra crucem & reliquias juratoriam cautionem quòd nec per se nec per alium machinabitur quicquam contra personam Regis, honorem ipsius, & regnum Siciliæ; sed cùm assequetur Principatum & Comitatum prædictos, vel justum excambium, od mandatum nostrum præstabit eidem Regi fidelitatem, & hominium exhibebit, & nobis tam Regis tutelam quàm regni balium assecurabit proprio juramento, & quòd bona fide pro posse suo ad defensionem Regis & regni studebit contra hostes ipsius, nominatim contra Marcualdum, Diupuldum, Oddonem de Lavanio, & fautores ipsorum. Similiter autem S. uxor & filia quondam Regis Tancredi, uxor ipsius Comitis, juraverunt quòd id quantum in eis est fideliter observabunt & procurabunt apud eundem Comitem ut inviolabiliter observentur. Quòd si forsan contra præstitum juramentum idem Comes vel uxor ipsius per se vel alium quacunque tentaret occasione venire, præter reatum perjurij, excommunicationis in personas & interdicti sententiam in terram incurrerent, & ab omni jure, si quod eis non solùm in prædictis terris sed & in regno etiam competeret, caderent omnino. Super quibus omnibus fideliter observandis fidejussores idoneos idem Comes nobis quos poterit exhibebit. Volentes igitur honori vestro deferre priùs quàm ei Principatum & Comitatum prædictos vel justum faceremus aut etiam mandaremus excambium assignari, id vobis duximus intimandum, ut præter vestram conscientiam non agatur; fraternitatem vestram monentes & exhortantes in Domino, ac per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus infra vos ipsos diligentiùs attendentes & justitiam & potentiam Comitis antedicti, qui per se ac suos Regi ac regno poterit utiliter deservire, & hostes ipsius potenter ac viriliter expugnare, necessitatem quoque regni & egestatem, quod peccatis exigentibus non solùm supervenientem sed nec etiam imminentem persecutionem sufficit sustinere, procuretis prudenter & cautè ut quod ad justitiam ejus pertinere dinoscitur, sine turbatione qualibet compleatur; scituri quòd idem Comes, quem experimento cognovimus esse virum industrium & prudentem, & quem Deum timere credimus, & præ omnibus animæ suæ affectare salutem, nobis firmiter repromisit quòd tantum ac tale, dante Domino, Regi & regno contra hostes suos servitium exhibebit quòd non solùm ab eo non molestabitur super istis, sed majora merebitur obtinere. Quod si forsan vobis visum fuerit ut ampliùs per eundem Comitem possimus Regi & regno cavere, id per vestras nobis litteras intimetis; ut de consilio vestro cautionem quam expedire videritis exigamus ab ipso, & recipiamus exactam.

Cùm autem Gualterus Trojanus Episcopus, regni Siciliæ Cancellarius, apud Messanam has litteras recepisset, commotus est vehementer; & convocato populo, intentionem Summi Pontificis in impetu spiritus modis quibus potuit studuit depravare, magis sibi timens quàm Regi; quia cùm ipse cum omnibus suis semper opposuisset se Regi Tancredo, verebatur ne præfatus Comes, qui filiam ejus duxerat in uxorem, si potens efficeretur in regno, in eum & suos se acriter vindicaret. Memoratus verò Comes, uxore ac socru dimissis, in Franciam est reversus, ut exercitu congregato veniret ad obtinendam terram præscriptam & ad hostes regios expugnandos.

XXVI. Interea Marcualdus, attractis sibi Sarracenis Siciliæ, multisque sibi nobilibus sociatis, in tantum profecit quòd obtentis multis civitatibus & castellis, venit usque Panormum, & civitatem ipsam fortiter impugnabat. Unde oportuit Legatum & Marescalcum Summi Pontificis, qui Messanæ cum præfato Cancellario morabantur, accelerare Panormum. Quid autem de ipsorum adventu provenerit, litteræ Anselmi Neapolitanensis Archiepiscopi ad Dominum Papam transmissæ testantur; quarum tenor est talis.

Bona quæ vestrarum orationum intervenientibus meritis operatus est Dominus his diebus, vobis Domino meo, sicut vidi propriis oculis, studui declarare. Noverit itaque sanctitas vestra me cum tribus galeis & uno bussio Apulorum, qui me vestri gratia cum Magistro Bartholomæo scriptore vestro & mea tota familia honorificè perduxerunt, feliciter applicuisse Panormum, die videlicet decimaseptima præsentis mensis Julij; quo etiam die, sicut Domino placuit, & hora eadem, Dominus Cardinalis cum Dominis omnibus Curiæ, excepto Cataniensi, & exercitu regio pariter pervenere Panormum. Factum est autem gaudium in civitate, pro eo præcipuè quòd occasione Marcoaldi nequissimi, qui eam cum Sarracenorum gente nefaria per viginti dies continuos tenuerat strictè nimis & detinebat obsessam, summa jam videbatur inopia laborare. Die

ergo eodem exercitus Regis extra civitatem, in viridario scilicet Regis quod dicitur Januardum, castra sunt posita, ut statim die sequenti campalis fieret cum inimico congressio. Sed homo versutus & callidus, mox ut applicuisse præsensit exercitum, per Rainerium de Manente verba pacifica transmisit in dolum, ut partis nostræ, si posset, infirmiora cognosceret, & quas de hora præstolabatur in horam vires interim recipiens cumularet. Noverat etiam pecuniæ nostræ defectum, & quòd propter importunam murmurationem stipendiariorum & instantiam belli erat nobis periculosa dilatio. Et ideo verbis detinendo sive decipiendo nos dulcibus illaqueare credebat; fecissetque votis satis, præsertim cùm jam audientium animos ad pacis suæ concordiam inclinasset, nisi consilia Principum Dominus desuper, qui novit omnia antequam fiant, & cogitationes hominum à longè considerat, dissipasset. Omnibus enim diversis & variis linguis quæ in exercitu erant regio congregatæ voluntatem & vocem contulit uniformem, ut omnes unanimiter dicerent, omnes una voce clamarent: Pacem excommunicati respuimus, inimici Dei & hominum concordiam penitùs sine omni consilio refutamus. Verùm propter hæc verba nec ille pacem suam desistebat expetere, nec tractatores nostri quæ ab eo proponebantur seu postulabantur audire. Et cùm ferè finis jam esset, & murmurantibus omnibus pax consummari deberet, quæ nostræ partis pro certo continere videbatur incommodum, nec ad nostrum spectabat honorem, Magister Bartholomæus scriptor vester, qui nostram & Ecclesiæ Dei injuriam æquanimiter tolerare non potest, audiens quòd ista concordia in odium contemptúmque vestrum fieri debebat, & quòd etiam toti regno poterat esse damnosa, literas prohibitionis vestræ produxit in medium, & ubi, præter devotissimum vestrum Dominum Montis Regalis, tres erant alij Domini congregati pro tractanda immo perficienda dicta concordia, videlicet Cancellarius, & Domini Messanensis & Cephaludensis, præsente jam dicto Raynerio nuntio Marcualdi, protulit & assignavit litteras vestras, firmiter prohibens eis, juxta tenorem mandati, ut cum Marcualdo nequissimo pactum non facerent neque finem. Factum est itaque ut tum pro mandato vestro, tum quia totius exercitus & populi Panormitani tumultus nimis crescebat & murmur, post diem quartum inter Panormum & Montem Regalem, quem Marcualdus vi ceperat & tenebat, ab hora Tertiæ usque ferè ad Nonam fuit hinc inde fortissimè præliatum, & tandem, sicut Domino placuit, promerentibus sanctis orationibus vestris, post multas partis adversæ strages, mutilationes, & cædes, per egregij viri Domini Marescalci vestri subsidium, qui cum suis in extremo locatus castellum tenebat, immo ipse castellum erat exercitus, optatum habuimus de inimico triumphum. Ut enim aliquantulum pleniùs eloquar, primi nostri; qui erant in prima belli facie constituti, licèt in primis viriliter fecerint, quamplures prostraverint & occiderint, multitudinem tamen illorum qui in ipsos insimul irruerunt non valentes sustinere, bis terga dedisse coacti sunt, & benedictus à Domino Marescalcus bis eos recepit & defendit incolumes; & dum nimis urgeret ac premeret Theutonicorum & Agarenorum pars alia, benedictus à Domino Marescalcus & sui unanimiter & animosè congressi, in hora una, in puncto uno, castra verterunt, fugaverunt, receperunt, ceciderunt, & occiderunt; sequentes & persequentes, donec illi qui gladium evaserunt, loca castrorum cum omnibus tentoriis & rebus suis desererent, & se per aspera montium, per concava vallium & defossa terrarum dispergerent, & in viam perditionis abirent. Quidam autem Pisani, ut dictum est, numero quingenti vel ampliùs, quibus quidam præerat nomine Benedictus, qui & ipse Pisanus, Montis Regalis montana tenebant, & infinita Sarracenorum multitudo erat ibi cum eis ad custodienda loca debilia constituti. Sed quàm primò nuntiatum est bellum, pedites nostri cum Comite Gentili & Comite Malgario & quibusdam Militibus aliis potenter ascenderunt, transcenderunt, & obtinuerunt montana, & omnes ferè quot ibi inventi sunt in ore gladij posuerunt. Benedictus autem ille qui præerat, cum paucis dicitur evasisse. Sed & quidam Sarracenus nomine Magded, qui omnium erat Magister & Dux, ibi quoque truncatus & mortuus fuit. Marcualdus verò quò & cum quot aut quibus de suis aufugerit, adhuc nescitur. Scimus autem quia ille nuper hominum & diaboli mediator Rainerius de Manente captus est, & in carcere positus, & multi alij de majoribus & melioribus, quorum nomina nescio, do exercitu Marcualdi. Quot autem & qui sunt occisi, nescimus. Scimus autem multos & optimos fuisse. Spolia eorum multa & pretiosa fuerunt, ita quòd totus ille dies vix ad exportandum suffecit. Hæc est ergo, Domine, dies quam fecit Dominus, optatæ redemptionis & lætitiæ; dies in quo magnificatum & benedictum est nomen vestrum; dies, inquam, quæ & nobis de hoste victoriam contulit, & viro egregio Marescalco cum omnibus suis nomen acquisivit æternum. Faciat Deus ut ei respondeatur secundùm merita sua bona, immo præclara opera sua. Vobis autem eum non commendo, quia opera sua valde bona eum apud vestram magnificentiam recommendant.

XXVII. In hac fuga perdidit Marcualdus universam supellectilem suam; & inventum est in quodam scrinio testamentum Imperatoris Henrici aurea bulla signatum, in quo inter cetera hæc de verbo continebantur ad verbum. *Imperatrix consors nostra, & filius noster Fredericus, Domino Papa & Ecclesia Romana exhibeant omnia jura qua à Regibus Sicilia consueverunt habere, & Domino Papa securitatem faciant, sicut Reges Sicilia Summo Pontifici & Romana Ecclesia facere consueverunt. Si verò predicta consors nostra pramoreretur, filius noster secundùm ordinationem suam remaneat. Et si filius noster sine herede decesserit, regnum Sicilia ad Romanam Ecclesiam deveniat.* Vide Baron. ad an. 1197 § 9.
[*Si verò filius noster pramoreretur, dilecta consors nostra regnum in vita sua teneat, & post mortem suam regnum Sicilia ad Romanam Ecclesiam deveniat.*] Hæc desunt in codice regio. *De Imperio ordinamus quòd Dominus Papa & Ecclesia Romana il-*

lud filio nostro confirment; & pro hac confirmatione Imperij & regni volumus quòd tota terra nostra Comitissæ Mathildis restituatur Domino Papæ & Romanæ Ecclesiæ, præter Medisinam & Argelatam cum earum pertinentiis. Et insuper ordinamus & volumus ut tota terra de Ponte Payle, cum monte Fortino, liberè dimittatur Domino Papæ usque Ceperanum, & quòd Ecclesia Romana habeat Montem Flasconem cum omnibus pertinentiis suis. Insuper præcipimus Marcualdo Senescalco nostro ut Ducatum Ravennæ, terram Brittonorij, & Marchiam Anconitanensem recipiat à Domino Papa & Romana Ecclesia, & recognoscat etiam ab eis Medisinam & Argelatam cum suis pertinentiis. De quibus omnibus bonis securitatem ei juret, & fidelitatem ei faciat, sicut domino suo. In morte verò sua, si sine herede decesserit, Ducatus Ravennæ, terra Brittonorij, & Marchia Anconæ, Medisina, & Argelata cum suis pertinentiis in dominio Romanæ Ecclesiæ remaneant.

XXVIII. Intantum autem præfati Marescalci strenuitas & prudentia, non solùm Regi & familiaribus ejus, verùm etiam universis Comitibus & Baronibus & omnibus tam indigenis quàm extraneis grata extitit & accepta ut ei communi omnium consilio & favore Comitatus Andriæ donaretur, regali privilegio aurea bulla munito super ipsius sibi concessione collato. Quia verò familiares Regis necessarias sibi & suis denegabant expensas, & propter nimium æstatis ardorem milites sui jam inceperant graviter infirmari, compulsus est ad propria remeare; multámque pecuniam Dominus Papa fecit militibus elargiri, tum pro stipendiis & muneribus, tum pro equis & armis; quoniam propter quasdam expensas quas fecerant in Sicilia, nihil penitùs à Regis familiaribus acceperunt.

XXIX. Tunc temporis defuncto Panormitanensi Archiepiscopo, metropolis Panormitana vacabat; ad quam præfatus Cancellarius vehementer adspirans, usque adeo laboravit quòd fecit se in Archiepiscopum postulari, eandémque postulationem per præfatum Legatum admitti, Summo Pontifice penitùs inconsultò. Et quamvis nondum Palleum recepisset, nedum etiam postulasset, Panormitanensem tamen Archiepiscopum & re & nomine se gerebat. Quod cùm ad Summi Pontificis notitiam pervenisset, redarguit valde Legatum quòd in tanto negotio circa talem personam processerat antè quàm suum beneplacitum perquisisset. Ut tamen illi deferret, de multa benignitate concessit ut idem Cancellarius tam in spiritualibus quàm in temporalibus procurationem gereret metropolis antedictæ; sic tamen ut se, sicut priùs, Troianum Episcopum appellaret, &, si vellet, Ecclesiæ Panormitanensis procuratorem sive ministrum. Sed ipse spiritu elationis inflatus, hujusmodi gratiam dedignatus est acceptare; quin potiùs ad infamandum Summum Pontificem, de facto Brenensis Comitis nec linguam nec calamum voluit cohibere.

Vide lib. 5. de concord. sac. & imp. cap. 26 § 7.

XXX. Sæpefatus autem Comes Gualterus Brenensis, congregatis militibus, non multis quidem sed strenuis, Romam cum illis concito cursu pervenit; nonnullis ejus audaciam subsannantibus, quòd cum tam modica manu vellet regnum intrare. Quo audito, Diupuldus & complices ejus in unum se pariter collegerunt, modis omnibus laborantes ut ejus impedirent ingressum. Porrò Dominus Papa cognoscens quod ipse cum tam paucis militibus absque strage suorum & sua regnum ingredi non valeret, tum quia longè major erat cum adversariis multitudo, tum quia ipsi, scilicet adversarij, munitiones in ingressu regni tenebant, misertus ipsius, quingentas auri uncias concessit eidem, ex quibus colligeret sibi milites, quorum suffragio regnum intraret; deditque sibi litteras ad Comites & Barones, Castellanos, & cives, ut eum reciperent & juvarent. Qui collectis militibus intrepidus regnum intravit, & receptus à civibus Theatinensibus, cùm eorum recepisset castellum, Capuam est profectus; sed à Capuanis non est infra civitatem admissus. Diupuldus igitur & complices ejus collecta multitudine copiosa circa Capuam, ei obviam processerunt, putantes eum & suos uno impetu deglutire. Cùmque hinc inde acies fuissent instructæ, pugnatum est satis durè. Sed Domino protegente fideles ab infidelibus, præfati excommunicati sunt in fugam conversi; ex quibus aliqui cæsi, aliíque sunt capti. Tunc egressi Capuani cives diripuerunt spolia multa derelicta, Comite cum suis persequentibus fugientes; sícque data est illi à Deo victoria insperata. Petrus ergo Comes Celani, confœderatus illi, retinuit illum plusquam per mensem ad obtinendum Comitatum Molisij, cujus suffragio majorem partem ipsius obtinuit Comitatus. Cecidit enim terror ejus in eos qui suam & suorum fortitudinem audiebant; compressisque Theotonicis qui ante adventum ipsius per regnum liberè discurrebant, descendit pacificus in Apuliam; & redditæ sunt ei quædam civitates & villæ pertinentes ad Principatum Tarenti, videlicet Matera, Hydruntum, Brundusium, aliæque quamplures. Obtinuit etiam Melfiam, Barolum, Montem Pilosum, & quasdam alias civitates & villas quæ suæ se custodiæ submiserunt. Cœpitque pugnare contra Monopolitanenses & Tarentinenses & quosdam alios qui dominationem ejus recipere noluerunt. Castellum quoque Licij potenter obtinuit; multáque magnalia prudenter exercuit, quæ longum esset per singula enarrare.

XXXI. Gualterus autem Trojanus Episcopus, & regni Siciliæ Cancellarius, quasi totum sibi usurpavit inter familiares regios dominatum, ita quòd, tanquam Rex esset, conferebat & auferebat Comitatus & Baronias, instituebat Justitiarios & Camerarios, Secretarios & Stratigotos; vendebat & impignorabat dohanas, & bajulationes accipiebat, & expendebat redditus & proventus; quinetiam familiares instruebat regios quos volebat, immemor apostolicæ jussionis quam ipse cum aliis sibi fieri postulaverunt in hæc verba: *Prohibemus ut domanium Regis nullatenus distrahatur, nec titulo quolibet obligetur, nisi evidentissima urgente necessitate, utpote si exercitum terra vel mari oporteat congregari; & tunc redditibus propter hoc pignori obligatis, accepta pecunia in obsequio regio per manus Secretariorum utiliter expendatur. Præsentium quoque tenore duximus inhibendum ut nullus vestrum, qui*

Regi familiariter adhæretis, nisi ex communi omnium voluntate, vel ex majori saltem parte consilij sanioris, aliquod arduum regni negotium audeat explicare, vel percipere quicquam de fisco præsumat. Regis quoque matrimonium minimè consummetur, nisi assensu nostro primitus requisito. Præcipimus etiam ut nullus Secretariorum alicui personaliter de familiaribus Regis intendat, aut aliquid ei de fisco persolvat, nisi omnibus assentientibus, vel majori & saniori parte volente; per quos thesaurum nuper inventum jubemus studiosiùs custodiri. Gravat etiam nos admodum & perturbat quòd cùm perfidus Marcualdus sit per vires nostras & regias Domino Deo faciente contritus & ad nihilum ferè redactus, quidam, ut audivimus, in dispendium Regis & regni contra nostri formam mandati pacem cum eo facere moliuntur; ut qui judicio jacet divino prostratus, hac dolosa pace resumptis viribus resurgat concitus ad nocendum. Ne igitur tam fraudulenta pax, quæ pernicies deberet potiùs nominari, perveniat ad effectum, per apostolica scripta districtiùs inhibemus quatenus nemo, cujuscunque conditionis aut ordinis, de clero vel populo, pacem hujusmodi cum eodem perfido facere vel inire præsumat; sed ut ex majori parte jam victus, ex toto vincatur, contra ipsum agatur fortiter & prudenter. Ceterùm quia pax & tranquillitas Regi & regno super omnia expedire probatur, volumus & mandamus ut si Sarraceni sufficientem præstiterint cautionem quòd inimicis Regis de cetero non adhæreant, & in ejus fidelitate ac obsequio firmi & stabiles perseverent, pace cum ipsis integrè reformata, eos in gratiam pietatis regiæ revocetis, eisdémque Sarracenis aliisque proditoribus regni sine dubitatione scituris quòd si forsan his & aliis mandatis nostris, quæ pro Regis honore regnique salute transmittimus, contraire præsumpserint, nos ad eorum rebellionem & superbiam edomandam constantiùs accingemus, & Principes etiam Christianos, qui ad subsidium Terræ sanctæ festinant, in eorum confusionem auctore Domino potenter assurgere faciemus. Salva in omnibus supradictis auctoritate Legati vel ejus cui vires nostras duxerimus committendas.

XXXII. Ut autem idem Cancellarius præconceptam malitiam posset liberiùs adimplere, callidè procuravit ut apostolicæ sedis Legatus rediret. Vocaverat etiam idem Cancellarius Gentilem fratrem suum Comitem Manupelli, & familiarem regium constituerat, ad sublimationem ejus ardenter aspirans, cœpítque cum Marcualdo tractare de pace contra proprium juramentum & apostolicum interdictum, contradicentibus aliis Dominis Curiæ, nisi quos ipse creaverat ut sibi faverent. Et quanquam eundem Marcualdum sciret à Domino Papa cum omnibus suis fautoribus excommunicatum & maledictum, quem & ipse de mandato apostolico cum omnibus suis fautoribus excommunicaverat & maledixerat ore proprio, composuit tamen cum illo, in regiam eum familiaritatem admittens, immo inter universos familiares majorem constituens, dividens sibi regnum cum illo, ut unus in Sicilia & alter in Apulia Regis & regni negotia procurarent, mandans sub regio nomine universis ut pacem istam reciperent & secundùm eam intenderent Marcualdo, etiamsi Summo Pontifici displiceret. Verùm etsi uterque intenderet decipere reliquum, affinitatem tamen contrahere firmaverunt per conjugium inter nepotem unius & neptem alterius contrahendum. Porrò cùm uterque deprehendisset fraudem alterius, revelata sunt abscondita tenebrarum; quoniam Marcualdus per nuntios & litteras suas publicavit ubique per regnum quòd Cancellarius machinabatur hæc & hujusmodi ut Comitem Gentilem fratrem suum ad regni solium promoveret. Cancellarius autem è contrà, quòd Marcualdus moliebatur usurpare sibi regium diadema. Cœpitque Marcualdus resumere vires & crudeliùs solito debacchari. Cancellarius verò, quia jam in Sicilia dissipaverat universa, nec inveniebat unde facere posset expensas, dimisso Rege in custodia fratris sui, transfretavit in Calabriam & Apuliam; ut sicut per exactiones & extorsiones Siciliam spoliaverat, ita Calabriam & Apuliam spoliaret. Diripuit penè omnes Ecclesiarum thesauros, cruces, calices, & thuribula, quinetiam capsas & iconas aureas & argenteas excrustabat, nemini parcens quin à quo posset aut blanditiis aut terroribus aut fraudibus aut verberibus pecuniam extorqueret. Sed quamvis taliter extorsisset innumeram, consumpsit tamen inutiliter universam, in acquirendo cupidus, sed prodigus in donando.

XXXIII. Hic igitur in reprobum sensum datus, non cessabat Summum Pontificem profanis vocibus diffamare super facto Comitis Brenæ, quem habebat vehementer exosum, conspirationes & conjurationes cum Comitibus & Baronibus ac etiam civitatibus faciens contra illum. Unde Summus Pontifex ejus nequitiam non valens ulteriùs sustinere, damnationis in eum sententiam promulgavit; ipsúmque multis ex causis perjurum & excommunicatum denuntians, tam à Panormitanensi Ecclesia quàm à Trojanensi removit, faciens in utraque alium Præsulem ordinari; mandans ubique per regnum ut ei nullus intenderet, neque per litteras sub regio nomine destinatas ad intendendum ei quispiam teneretur. Res mira! Protinus cecidit ab universis despectus, abiitque vagus & profugus super terram; & cùm ei non intenderetur à fidelibus Regis, conjunxit se Diupuldo & fautoribus ejus, ut cum eis contra Summum Pontificem & præfatum Comitem Brenæ mala quæ poterat exerceret. Quo audito, familiares Regis, qui erant complices Cancellarij, cœperunt valde timere, fecerúntque pro se pariter & pro illo intercessorias litteras sub nomine regio Summo Pontifici præsentari; qui Regi rescripsit hoc modo.

Epistola Papæ ad Fridericum Regem Siciliæ.

Utinam puerilibus annis virilem animum Dominus inspiraret, & ætati adhuc teneræ illam sensus infunderet gravitatem per quam inter fas & nefas discerneres, inter fidem & perfidiam judicares, nec fideles damnares pro perfidis, nec perfidos pro fidelibus exaltares. Utinam non experimento disceres, sed doctrina, quod in Evangelio legitur, *Inimici hominis, domestici ejus*, & quod Sapiens protestatur: *Nulla pestis efficacior ad nocendum quàm familiaris inimicus existit.* Utinam intelligeres quòd in ætate quondam &

Boët. lib. 3 de Consol. Philos.

nunc etiam tenera constitutum, & utriusque parentis destitutum solamine, protegendum sedes apostolica te recepit, & ut manus servorum, qui contra te conjuraverunt in regno, confringeret extra regnum, radicem pestiferæ arboris nisa fuerit amputare, ut venenosi rivi poculum exsiccaretur in fontem. Nec in regno etiam tibi defuit manus nostra. Immo nos per fratres & milites nostros primo cohibuimus impetus Marcualdi furentis, qui in fideles tuos barbarica feritate desæviens, non regni balium, ut adulatores tibi aliqui mentiuntur, sed regni dominium nitebatur sibi per violentiam occupare, te Henrici quondam Imperatoris & inclytæ recordationis Constantiæ Imperatricis matris tuæ filium esse negans, ut hac occasione tam nos quam alios à tuo subsidio revocaret. Nos autem ejus fallaciæ non credentes, licèt multa nobis & magna promiserit ne ipsius vellemus propositum impedire, quamvis etiam ut ei obviaremus in partibus cismarinis solicitudines subierimus quamplurimas & expensas, angustias, & labores non solùm in nostra, sed fratrum nostrorum, quinetiam consanguineorum & fidelium nostrorum personis, eos pro te periculis exponentes, postquam autem Siciliam est ingressus, dilectum filium I. Marescalcum & consobrinum nostrum, nobilem civem Romanum, cum exercitu nostro direximus contra eum, qui de ipso, faciente Domino, cum exercitu tuo mirabiliter triumphavit; ita quòd nisi quidam de familiaribus tuis milites nostros à persecutione revocassent ipsius, hodie plena tibi pax esset & optata regno tranquillitas restituta. Ecce in hoc tutoris debitum extendentes, & non tam Balij personam gerentes quàm tuam, cùm nemo cogatur suis sumptibus militare, & ex dispositione Imperatricis prædictæ sumptus nobis essent pro regni necessitatibus ministrandi, in expensis tamen nostris tuum dejecimus inimicum, ita quòd præter pauca, dum moram facerent, nihil vel in accessu vel in recessu milites nostri à tuis familiaribus receperunt; sed præter expensas, emendationem armorum & equorum militibus nostris duximus faciendam. Quidam autem ex eisdem familiaribus, qui quietem regni non appetunt, sed in ejus turbatione commoda sua ponunt, in aqua turbida piscari meliùs se credentes, ne turbatio regno desit, eodem Marescalco ad nos sine remuneratione remisso, contra claves Ecclesiæ, quæ prædictum Marcualdum cum universis fautoribus & participibus suis excommunicationis laqueis innodavit, quam ipsi etiam ore proprio publicarunt, sub specie pacis, quæ, sicut effectus indicat, pernicies potiùs est dicenda, in caput tuum erexere dejectum, & jacentem in familiarem stabilire regium præsumpserunt, quasi totam ei potestatis plenitudinem in regno Siciliæ conferentes. Et ne debilior, sed fortior potiùs ex casu resurgeret, & in excidium tuum ampliùs prævaleret, universis captivis quos in fuga ejus receperant restitutis, etiam hominum regni ei voluerunt comparare favorem, pacem initam vel perniciem potiùs procuratam mandantes per universum regnum, sive volentibus sive nolentibus, inviolabiliter observari. Ecce qualiter nobis familiares regij detulerunt, qualiter suo consulerunt honori; qui ut tuum erigerent inimicum, contra juramentum fidelitatis, quo quidam eorum sunt nobis astricti, & illud etiam quod de non componendo cum ipso sine mandato nostro præstiterant, persecutionem suscitavere sopitam, virus angui & camino oleum infundentes. Unde qua fronte vel ipsi pro se rogare possint, vel alius valeat intercedere pro eisdem, cùm quidam eorum gratiam nostram demeruerint, donec congruè satisfaciant, non videmus, quanquam eos de benignitate sedis apostolicæ duxerimus tolerandos. Ipsi etenim in arcum conversi vel potiùs adversi perversum, dispositionem ejusdem Imperatricis suis interpretationibus depravantes, inane nobis nomen Balij reliquerunt, detrahentes honorem, & onus solummodo relinquentes; sibi etiam universa temeritate propria usurparunt; ita quòd jam ferè totum tuum domanium contra prohibitionem nostram ad eorum petitionem obtentam penitùs exhauserunt, Comitatus & Baronias pro suæ distribuentes arbitrio voluntatis, ut ex eo sibi favorem ampliùs compararent; & cum regnum exactionibus plurimis aggravarint, collectam pecuniam non converterunt in commodum regium, nec nobis secundùm constitutionem Imperatricis factas restituerunt expensas, sed nec censum debitum, nec quod eadem Imperatrix nobis & fratribus nostris annis singulis statuit persolvendum, curaverunt exsolvere; sed ex ea ditaverunt consanguineos suos, & consanguineas dotaverunt; ut taceamus ea quæ sibi, cùm loculos habeant, reservarunt. Nos igitur attendentes quòd, sicut tuæ quoque litteræ continebant, pueritiæ tuæ passim domestici se opponerent, passim se objicerent alieni, immo etiam homo pacis tuæ, in quo sperabas, & qui edebat panes tuos, supplantationem adversùs te curaverat ampliare, ad progenitorum tuorum exemplar recurrimus, & sicut eis consultum fuerat, sic etiam tibi duximus consulendum. Accepimus etenim & novimus esse verum quòd cùm illustris memoriæ Vvillelmus primus Siciliæ Rex multos de regni nobilibus in exsilium destinasset, ij qui post ejus obitum inclytæ recordationis Vvillelmi Regis Siciliæ filij ejus curam & custodiam susceperunt, ejectos ad propria revocantes, usque adeo ipsos per revocationis & restitutionis beneficium in fidelitate ac devotione regia solidarunt ut nullus progenitorum ejus in ea pace vixerit, nullus à subditis suis sic formidatus fuerit & dilectus, nullus ita paci regni providerit & quieti. Attendentes igitur quòd Henricus quondam Imperator de assensu illustris memoriæ Constantiæ Imperatricis matris tuæ, filiæ quondam Regis Rogerij, quando Vvillelmus filius inclytæ recordationis Regis Tancredi nepotis ejus ipsi se reddidit, Principatum Tarenti & Comitatum Licij ei & heredibus ejus concessit, & in animam ejus juramentis Principum tam de Imperio quàm de regno concessionem hujusmodi fecerit roborari, nec idem Vvillelmus aut sorores ipsius aliquo modo peccaverint, cùm ætatis beneficio excusentur, qua fronte in hac parte contraire justitiæ vel resistere veritati possemus, nulla potuimus intelligere ratione, cùm pro suspicione non sit veritas relinquenda, contra suspicionem ta-

Vide lib. 5. epist. 17.

men hujusmodi cautelam quantamcunque potuimus curavimus adhibere. Nam ab eodem Comite super crucem, evangelium, & reliquias recepimus publicè juramentum quòd nec per se nec per alium &c. *ut in ea quæ mittitur familiaribus Regis, usque* inviolabiliter observetur. Potuerat enim, si voluisset, hostibus tuis addi, & cum eis non solùm jus suum sed alia etiam usurpare; fuissetque novissimus error pejor priore. Sed nos maluimus ipsum ad regni defensionem inducere ac in fidelitate regia fortiùs solidare. Unde ipse nuper regnum ingressus, quod juraverat executus, cum exercitu quem in propriis expensis de ultramontanis partibus secum duxit, de Diupoldo, qui hactenus per totum regnum Siciliæ citra Pharum impunè discurrens quietem omnium perturbabat, faciente Domino mirabiliter triumphavit. Unde jam, per Dei gratiam, per ejus est industriam procuratum ut fideles tui, qui muros usque modò egredi formidabant, securè colligant messes suas, & ea quæ hostes seminaverant ipsi metant, & ab eis plurimùm metuantur quos plus quam expediret hactenus metuebant; qui etiam omnes quos de manu inimicorum tuorum potest eripere, tibi facit ad mandatum nostrum fidelitatis juramenta præstare. Verùm ne adhuc regnum pace gaudeat exoptata, sed ejus turbatio ampliùs augeatur, Gualterus Cancellarius cum devicto & fugato composuit, & cadentem nititur sustinere. Sed cùm manus Domini sit in ejusdem D. ultionem extenta, Cancellarius ipsum sustinere non poterit, nec cum ipso subsister, sed corruet cum ruente, qui jam ex duplici causa cum quibusdam suis fautoribus sententiam excommunicationis incurrit. Videas igitur cui potiùs credere debeas, utrum nobis, an quibusdam ex eis quos familiares appellas; cùm nos in hostium tuorum vigilemus excidium, & utroque gladio, altero per nos, altero per prædictum Comitem & alios fideles nostros, eorum nitamur contumaciam edomare. Illi autem in caput tuum gladium hostibus tuis tradunt, & eos non absque virium tuarum infirmatione in sua iniquitate confirmant. Sanè si verum inspicias, plus tibi Brenensis Comes contulit uno die quàm quidam qui de bonis tuis dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias, profuerint dum vixerunt. Ne igitur audieris eos, nec eorum oblocutionibus fidem præstes; quoniam non honorem tuum, sed propriam utilitatem affectant, & non propter te, sed propter seipsos, nostris dispositionibus contradicunt. Quòd si forsan illud objiciunt contra Comitem memoratum, quòd H. quondam Imperator de regno uxorem ejus, & matrem ejus, & fratrem ejus, & fratrem uxoris ejecit, plus poteris de ipsorum aliquo dubitare, quem prædicta Imperatrix non sine causa forsitan aliquandiu tenuit ut captivum, & nisi fuisset morte præventa, vel nostrum ei auxilium subvenisset, ipsum forsan penitùs ejecisset à regno, vel adhuc in vinculis detineret. Certum est autem quòd faciliùs quis injuriam negligit alienam quàm propriam læsionem. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus, quantum de homine credi potest, in nullo dubites de Comite memorato; sed potiùs de ipso confidas; quoniam, nisi per te steterit vel per tuos veriùs, (qui tamen utinam essent tui) eum fidelem invenies & devotum & regni tui post Deum & nos potentissimum defensorem. Nec credas quod id tam pro ipsius utilitate quàm pro tua & regni salute dicamus. Considera ergo prudenter, immo familiares tui diligenter attendant, ne occasione vel comprehensione correctionis hujusmodi ad eos qui animam tuam sitiunt convertantur: quoniam si semel acceperint potestatem in eos, ipsi nos de eis divino judicio judicabunt. Quòd si ad cor redire voluerint, & nunc tandem mandatis nostris humiliter & devotè parere, nos pro tuæ serenitatis honore, quiete regni, ac eorum salute ipsos adhuc ad apostolicæ sedis gratiam admittemus. Datum Laterani V. Non. Julij, pontificatus nostri anno quarto.

XXXIV. Misit ergo Dominus Papa Petrum Portuensem Episcopum Legatum in Apuliam & Terram Laboris, præcipiens Comitibus & Baronibus, Castellanis & civibus, ut ad mandatum Legati cum dicto Comite contra Diupuldum & Cancellarium exurgerent universi. Qui cùm in Apuliam pervenisset, miser ille solo nomine Cancellarius ad præsentiam ejus accessit, reconciliari postulans ecclesiasticæ unitati; & præstito corporaliter juramento quòd pareret universis mandatis Domini Papæ, absolutus est à Legato. Sed cùm mandaret ei ut non opponeret se Comiti Brenensi, respondit quòd si Petrus Apostolus hoc ei præcepisset missus ab ipso Christo, mandato hujusmodi non pareret, etiamsi sciret quòd propter hoc deberet in inferno damnari. Et ponens os suum in cœlum, cùm linguam traheret super terram, publicè coram omnibus Summum Pontificem blasphemabat, præsente Legato; abiitque ad Diupuldum. Et congregatis universis quos poterant congregare, ad pugnandum contra Brenensem Comitem juxta Barolum processerunt. Ipse verò Comes erat ibi cum paucis. Nam de fidelibus Regis penè nullos ibi secum habebat. Barolitanenses quoque, licèt præcedenti die Legato jurassent, cùm aspicerent multitudinem esse cum illis, & paucitatem cum istis, non permiserunt ipsos intrare. Videns itaque Comes se constitutum in arcto, cœpit multipliciter anxiari, maximè propter Legatum, qui, tanquam formidolosus, plurimùm metuebat. Et confortatus in Domino, prosilit ad arma cum suis; & benedictione ac remissione à Legato recepta, cùm idem Legatus maledixisset hostibus, in nomine Domini Comes alta voce sanctum Petrum invocans adjutorem, processit ad pugnam. Et cùm acriter dimicare cœpissent, adversarij terga verterunt, & in fugam conversi, singuli, prout poterant, declinabant; ex quibus multi sunt capti, plures sunt cæsi, & plurimi etiam in stagnis & paludibus suffocati. Videbant enim plerique crucem auream splendidissimam ante Comitem miraculosè deferri. Fuitque tanta victoria ut prima quasi nulla videretur respectu secundæ. Nam inter alios captus est Sifredus frater Diupuldi, & Odo de Laviano, qui sanctæ memoriæ Albertum Leodiensem Episcopum interfecerat, Petrus de Venere sororius Cancellarij, & Magister Girardus Salernitanus

intrusus, multique alij nobiles & potentes. Magnificatus est ergo Comes & clarificatus in regno; hostes autem humiliati sunt & comprehensi. Comes verò Geotilis recepta pecunia, sicut publicè dicebatur, turrem ad mare tradidit Marcualdo, abiitque Messanam.

XXXV. Marcualdus verò Panormum obtinuit, & tam palatium quam Regem in suam potestatem accepit, universam penè Siciliam, præter Messanam, suæ subjugans ditioni; misissetque manum in poenum, & usurpasset sibi coronam, nisi præfatum Comitem timuisset, ad quem, Rege defuncto, regnum hereditario jure ratione conjugis pervenisset. Idcoque multifariè multisque modis & apud Dominum Papam & apud eundem Comitem cœpit agere ut accepta pecunia regnum exiret. Quod cùm obtinere non posset, tempus oportunius observabat. Verùm ille qui non dimittit virgam peccatorum super sortem justorum, cœpit per seipsum, ne daret gloriam suam alteri, perfidum graviter flagellare. Quia cùm jamdudum calculosus fuisset, cœpit tunc de vitio lapidis tam vehementer affligi ut præ nimiis doloribus ingentes clamores emittens, irremediabilibus cruciatibus torqueretur; & cùm non posset ulteriùs vehementiam ægritudinis sustinere, secari vel incidi se fecit; sed subitò miseram animam exhalavit. Ut verè fit de illo completum quod dicitur per Psalmistam: *Vidi impium superexaltatum & elevatum super cedros Libani. Transivi, & ecce non erat; quæsivi, & non est inventus locus ejus.*

XXXVI. Guillelmus autem Capparonus præcurrens Panormum, palatium ac Regem in sua potestate recepit, & ex nunc se Regis Custodem & Magistrum Capitaneum Siciliæ appellavit. Quidam verò de complicibus nefandæ memoriæ Marcualdi hoc indignè ferentes, se in partem alteram statuerunt. Cancellarius autem oportunum sibi tempus æstimans advenisse, iteratò exhibens juratoriam cautionem quòd mandatis apostolicis per omnia obediret, absolutionis beneficium impetravit; regressusque in Siciliam, & adjungens se alteri parti, adversùs Capparonem agebat; misitque nuntios & litteras ad Dominum Papam ut Legatum in Siciliam destinaret. Qui misit Getardum sancti Adriani Diaconum Cardinalem; per quem Vvillelmus Capparonus se fecit absolvi, jurans in manibus ejus Domino Papæ balium, & quòd eidem Cardinali tanquam vice balij, in omnibus obediret. Ipse verò Cardinalis cœpit tractare concordiam inter ipsum & Cancellarium, quæ propter simultates subortas non potuit consummari; accessitque Panormum, & honorificè à Capparone receptus, cœpit tanquam Balius Regis & regni negotia pertractare. Cùm autem mandatum Capparoni fecisset sub debito præstiti juramenti super satisfactione Clericis & Ecclesiis impendenda, ille semper bene promittens, de promissis nihil agebat, universa pro sua voluntate disponens. Unde Cardinalis prædictus, post aliquantulam moram quam fecit Panormi, maximè propter Regem, qui delectabatur in ejus præsentia, & de sua consolatione gaudebat, Messanam rediit, Domini Papæ responsum expectans. Cancellarius quoque reversus in Apuliam, instans apud Dominum Papam, per nuntios & litteras suas faciens apud eum multiplicari preces nobilium & potentum, ut cum ipso misericorditer agere dignaretur, reddendo sibi Panormitanensem metropolim, vel saltem episcopatum Trojanum. Sed ipse, sicut erat justus & constans, hujusmodi preces noluit exaudire, ne sine causa injuriam faceret Petro quondam Mazarienſi Episcopo, qui per ejus mandatum erat in Archiepiscopum Panormitanensem assumptus, vel Trojano Episcopo, quem elegi fecerat & etiam consecrari; quin potiùs præfato Archiepiscopo Pallium destinavit, ne in ejus locum ulteriùs Cancellarius aspiraret.

XXXVII. Ut autem Dominos Papa majorem impenderet Comiti Brenensi favorem, nobilem virum Jacobum consobrinum & Marescalcum suum in Apuliam destinavit, constituens eos pariter Magistros & Justiciarios Apuliæ & Terræ Laboris; fecitque illi castellum Baroli ad custodiam assignari, & reddi Montem Pilosum, qui ad Comitatum Andriæ pertinebat, regia sibi liberalitate concessum, præcipiens Comiti memorato ut ad obtinendum Comitatum prædictum impenderet ei auxilium & favorem. Cùm autem multa prudenter agerent & potenter, venerunt tandem in Campaniam visitare Summum Pontificem, quem audierant ægrotare. Invenerùntque illum apud Anagniam tam graviter ægrotantem quòd à multis mortuus dicebatur. Cùmque de morte ipsius fama volasset, multæ civitates præfato Comiti rebellarunt, quædam expellentes milites suos, aliæ trucidantes; perdiditque tunc Materam, Brundusium, & Hydruntum. Barolitanenses castrum Baroli obsederunt, & coëgerunt Castellanum, quem ibi dimiserat Marescalcus, sibi resignare castellum.

XXXVIII. Porrò cùm Summus Pontifex convalescere incepisset, Comes & Marescalcus in Apuliam redierunt; & licèt recuperare prædicta nequivissent, multa tamen acquirere studuerunt. Nam ipse Marescalcus Adriam & Minerbium civitates obtinuit; & ex tunc se Comitem Adriæ appellavit, extruxitque munitionem fortissimam apud Andriam, ubi palatium Comitis priùs erat. Quidam autem filij Belial ei ponentes insidias, irruerunt in ipsum, putantes eum gladiis interficere. Sed quoniam armatus erat sub chlamyde, intentionem suam non potuerunt ducere ad effectum; maximè quia quidam miles ipsius objecit se illis, quem in sua præsentia peremerunt. Ipse verò quosdam eorum capiens, diversis suppliciis interemit; omnium autem bona diripiens confiscavit. Comes autem Brenensis, cùm multa fuisset magnificè operatus, quæ longum esset per singula explicare, usque adeo compressit Theutonicos ut vix auderent de castellis exire; quæ cùm essent necessariis destituta, sperabatur ab omnibus quòd ea non possent diutiùs sustinere. Nam & apud Salernum obtinuerat Terracinam, & turrem majorem tenebat obsessam. Ipse verò nimis securus effectus, personæ suæ custodiam negligebat. De quo cùm argueretur à multis, interdum arroganter respondit quòd Teutonici armati non auderent aggredi

Francos inermes. Unde cùm quoddam Diupuldi castrum, quod Sacrum dicitur, obsideret, Diupuldus ipsius prævidens incautelam, summo diluculo armatus cum suis super Comitem & suos nudos in tentoriis quiescentes irruit improvisus, multósque peremit, & cepit ipsum Comitem fortiter repugnantem, sagittis & lanceis vulneratum; qui captivus deductus ad castrum, post aliquos dies recepta pœnitentia & viatico debitum carnis exolvit. Jacobus autem Comes Tricarici relictam Brenensis Comitis * conjugem desponsavit. Sed quia gravida erat, distulit illam traducere in uxorem; peperitque filium quem nomine patris vocavit Gualterum. Diupuldus verò cœpit apud Summum Pontificem supplicationibus & promissis vehementer instare ut ipsum & suos recipere dignaretur. Interveniente igitur fratre Rainerio recepit illum hoc modo, quòd absolutè juravit stare universis mandatis Summi Pontificis super omnibus pro quibus excommunicatus erat ab ipso, quòd fideliter intenderet illi de balio Regis & regni, quòd ad mandatum ejus faceret guerram & pacem, quòd omni petenti sub ejus examine justitiam exhiberet, quódque Philippo Duci Sueviæ nullum contra regnum Siciliæ in regno vel extra regnum impenderet auxilium vel favorem. Misit igitur præfatum fratrem Rainerium & magistrum Philippum Notarium suum in Terram Laboris, qui publicè secundùm præscriptum tenorem juramento recepto & in scriptis redacto absolverunt Diupuldum & suos, similiter Marcualdum de Laviano cum suis, ac deinde Conradum Sorellæ cum suis. Et sic omnes Theutonici tam ultra Pharum quàm citra ad mandatum Summi Pontificis redierunt. Diupuldus autem Panormum accedens, apud Vvillelmum Capparonem usque adeo laboravit quòd Regem reddidit in manibus Legati & Cancellarij, securitate ab illis accepta, promittens quòd & palatium eis redderet, ut de cetero Rex & regnum pacem haberent. Cùmque de palatio Regem adducens perduxisset in civitatem ad Cancellarium & Legatum, facto convivio epulabatur cum illis. Interea rumor insonuit quòd hoc operaretur in fraudem, ut cùm illos reduceret in palatium, paratis insidiis caperet universos. Quod à multis creditur falsò fuisse confictum, ut hac occasione caperetur ab illis. Et sic captus est & detentus. Sed minùs providè custoditus, per fugam evasit; redíitque Salernum, filio in captivitate dimisso. Interim frater ejus Soffridus proditoriè cepit magistrum Philippum Notarium Domini Papæ, quem ad petitionem ipsius Diupuldi Dominus Papa direxerat in Apuliam & Terram Laboris, committens eidem in temporalibus vices suas, ut inter Theutonicos & Latinos pacem & justitiam faceret observari; quem dictus Soffridus vix tandem extorta gravi redemptione dimisit.

* Cod. reg. duxit in conjugem.

De fratre Rainerio vide lib. 2, epist. 129.

XXXIX. Inter omnes verò Theutonicos qui post Imperatoris mortem in regno remanserant ad flagellum, infidelissimus extitit Conradus Castellanus Sorellæ, qui & Roccam Arcis in ingressu regni tenebat, supra modum persequens & affligens, non solùm undique per circuitum Terram Laboris, verùm etiam Campaniam & maritimam universam. Contra quem Dominus Papa sæpe misit nuntios & exercitum ad devastationem civitatis Soranæ, quam ipse perfidus possidebat, sed forsan ut eam à sua posset perfidia revocare. Quoddam namque vicinum castrum quod Insula dicitur occupavit, ejúsque dominos ad tantam calamitatem perduxit quòd licèt nobiles essent, cogebantur tamen publicè mendicare. Illius ergo malitiam Dominus Papa detestans, & istorum miseran paupertatem, ad succurrendum istis, & impugnandum illum, Petrum Tituli sanctæ Pudentianæ Presbyterum Cardinalem Rectorem Campaniæ ac maritimæ destinavit. Qui magno exercitu congregato, adversùs illum processit, & eum infra prædictum castrum obsedit, terram ejus circumquaque devastans. Obsidione verò protracta, cùm ad deditionem induci non posset, laboraverunt dividere amnem qui præterfluebat undique castrum ipsum, ut amne transmisso, adversùs ipsum castrum facere possent insultum. Sed frustra laboratum est in utroque; immò non sine damno fuit attentatum utrumque. Verumtamen ita perfidum arctaverunt quòd recepta pecunia, quam eisdem nobilibus Dominus Papa misericorditer mutuavit, reddidit eis castrum, & pacem sub certo tenore firmavit; quam tamen infra modicum tempus non erubuit violare. Nam & quosdam Verulanos fideles & vassallos Domini Papæ, causa visitationis ad ipsum circa festum nativitatis dominicæ venientes, ut eum, sicut moris est, honorarent, priùs benignè receptos, malignè postmodum cepit, & per mutilationem membrorum ad gravissimam redemptionem coëgit, non parcens etiam cuidam nobili quem diù secum familiarem habuerat & insigniverat cingulo militari. Cùmque monitus satisfacere nollet, prædictus Cardinalis Rector Campaniæ & maritimæ diffidavit eundem. Cives verò Sorani, qui præfatum tyrannum, importabilibus eos gravaminibus affligentem, habebant vehementer exosum, inito cum Roffrido venerabili Casinensi Abbate secreto consilio & tractatu, noctu eum cum multis armis introduxerunt in civitatem Soranam, & se ac civitatem reddiderunt eidem ad mandatum Domini Papæ. Ad cujus auxilium Dominus Papa Richardum germanum suum & Stephanum Camerarium protinus destinavit, & deinde præfatum Cardinalem direxit. Qui congregato exercitu, civitatem ipsam munire cœperunt, pro eo maximè quòd Diupuldus cum magna multitudine dicebatur in illius auxilium accessurus; & occupaverunt Planellum, montem videlicet qui est supra civitatem juxta Sorellam, ut præsidio ibi constructo, civitatem defenderent à Sorella. Tandem, sicut Domino placuit, summo diluculo cum ingenti clamore irruerunt ad vallum, & facto cœlitus cum nimia pluviarum effusione grandi fulgore ac tonitruo, exeuntes adversùs ipsos de Rocca, commisso certamine coëgerunt ad fugam; territúsque tyrannus, cùm putaret se proditum à quibusdam Latinis qui secum erant in Rocca Sorellæ, reddidit se & suos, salvis personis, in manus præfati Richardi germani Domini Papæ; sicque miraculosè præter opinionem omnium munitionem inexpugnabilem

inexpugnabilem acceperunt, victualibus & armis copiosè refertam. Ipsum verò Conradum & suos Ceperanum adduxerunt captivos, apud illos agentes ut Roccam Arcis faceret eis reddi, quam Hugo consobrinus ipsius Corradi tenebat. Qui cùm ad reddendum eam nec minis nec persuasionibus posset induci, ut sine mutilatione membrorum & sanguinis effusione negotium ageretur, maximè propter Summi Pontificis honestatem, promissis & datis mille auri unciis & equis viginti, liberatisque captivis, arcem obtinuerunt in pace. Quod audiens Rex Siciliæ, admirans & gaudens civitatem Soranam & Roccam Sorellæ, castrum Arcis, & Roccam ipsius, Broccum, & Pesclum solidum, quæ omnia eripuerunt de manu Corradi, concessit per privilegium præfato Richardo germano Domini Papæ ac ejus heredibus in perpetuum, constituens illum Comitem, & faciens eum de Comitatu per regale vexillum, quod illi transmisit, solemniter investiri.

X L. Cancellarius autem manens cum Rege in civitate Panormi, modis quibus poterat nitebatur eripere palatium de manibus Capparonis. Quod cùm non posset efficere, litteras & nuntios Regis sæpe direxit pro succursu per regnum. Sed nulli vel pauci succurrere voluerunt. Cùmque longa fieret concertatio inter Capparonem & fautores ejus ex parte una, & Cancellarium & fautores ejus ex altera, Sarraceni Siciliæ, qui receperant se in montibus, hoc videntes, non solùm se ab obsequio Regis penitùs subtraxerunt, verùm etiam alij descendentes, Christianos multiformiter impugnabant, ita quòd castrum Carilionis ceperunt, pejora facere meditantes. Miserabilem ergo statum regni Siciliæ Dominus Papa prudenter advertens, licèt jam tempus balij expirasset, assumpto tamen labore descendit in regnum, & apud sanctum Germanum juxta monasterium Casinense convocatis & congregatis Comitibus, Baronibus, ac Prioribus civitatum, ad hoc illos induxit ut se juramentis & fidejussionibus obligarent quòd super succursu & adjutorio Regis, & super pace ac defensione regni, ordinationem ejus bona fide susciperent, & pro posse suo facerent observari. Ordinatio verò quam fecit est talis: Ut videlicet super succursu & adjutorio Regis, & super pace ac defensione regni, Magistris Capitaneis, quos ad hoc statuit, omnes intendant. Quicumque ordinationem istam receperint, adinvicem sibi pacem observent. Et si quisquam ab alio fuerit offensus, non statim reoffendat eundem; sed apud Magistros Capitaneos querelam deponat, qui eam secundùm rationem & consuetudinem regni faciant emendari. Qui autem ordinationem istam recipere noluerit aut servare, tanquam hostis publicus habeatur, & à ceteris impugnetur. Ducenti milites dirigantur in succursum & adjutorium regni usque ad Kalendas Septembris, moraturi per annum in expensis eorum à quibus fuerint destinati. Distribuantur autem secundùm æstimatorum arbitrium, qui ad hoc fuerint specialiter deputati, pensatis debitis servitiis & propriis facultatibus Comitum & Baronum ac etiam civitatum. Proviso etiam ut ad opus eorum victualia dirigantur. Civitatem autem, Comites, & Barones assignent in propriis expensis certum numerum bellatorum ad prædictorum Capitaneorum mandatum, si quando guerra contra quemquam propter hoc fuerit exercenda. In omnibus autem servavit sibi plenariam potestatem addendi & minuendi, mutandi & declarandi, prout viderit expedire. Scripsit autem super hoc Comitibus, Baronibus, & ceteris regni fidelibus in hunc modum.

Affectum dilectionis & gratiæ quem habemus ad Regem & regnum Siciliæ licèt in multis multotiens ostenderimus, nunc tamen evidentiùs & expressiùs per effectum operis demonstramus, cùm propter necessitatem urgentem in regnum personaliter descendimus, ceteris mundi negotiis ex magna parte postpositis, propter hoc unum, ut in ipso videlicet pacem & justitiam reformemus. Bonum ergo per Dei gratiam assecuti initium, progressum intendimus facere meliorem, ut finis optimus subsequatur. Quocirca devotionem vestram monemus & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus sicut divinam & apostolicam ac regiam gratiam caram habetis, ordinationem quam fecimus super Regis adjutorio & succursu, defensione ac pace regni, ad exemplar aliorum Comitum & Baronum ac etiam civitatum recipiatis hilariter & efficaciter observetis, prout ipsa ordinatio in capitulari continetur expressa bulla nostra munito, Magistris Capitaneis humiliter intendentes qui ad executionem ipsius de mandato nostro fuerint constituti; ne si fortè, quod absit, quisquam præsumeret refragari, pœnam in ipsa ordinatione statutam incurrat, & nos manus nostras in eum spiritualiter & temporaliter aggravemus. Quia verò propter fervorem æstatis ad præsens non possumus personaliter descendere in Apuliam, vices nostras super his committimus exequendas dilecto filio nostro G. sancti Theodori Diacono Cardinali, apostolicæ sedis Legato, cui dilectum filium O. Acolytum nostrum à latere nostro transmissum duximus adjungendum.

X L I. Licet hîc circa processum temporalium actionum figere gressum, ut ad principium promotionis hujusmodi præclarissimi Pontificis recurrentes, spirituales actus interim persequamur. Inter omnes itaque pestes habuit venalitatem exosam, cogitans qualiter eam posset à Romana Ecclesia extirpare. Statim ergo fecit edictum ut nullus officialium Curiæ suæ quicquam exigeret, præter solos scriptores & bullatores, quibus tamen certum modum præfixit, districtè præcipiens ut singuli suum officium gratis impenderent, recepturi gratanter si quid eis gratuitò donaretur. Fecit igitur Ostiarios à Notariorum cameris amoveri, ut liberè ad eos pateret accessus. Erat autem infra sacrum Lateranense palatium in transitu, juxta cisternam coquinæ, nummulariorum mensa locata, super quam cotidie ponebantur vasa aurea & argentea, monetarum diversitas, multúsque thesaurus ad vendendum vel cambiandum; quam idem sollertissimus Pontifex, illius zelo succensus qui mensas nummulariorum subvertit, de toto palatio fecit penitùs amoveri. Ter in hebdomada solemne consistorium, quod in desuetudinem jam deve-

tierat, publicè celebrabat: in quo auditis querimoniis singulorum, minores causas examinabat per alios; majores autem ventilabat per se tam subtiliter & prudenter ut omnes super ipsius subtilitate ac prudentia mirarentur; multique litteratissimi viri & jurisperiti Romanam Ecclesiam frequentabant, ut ipsum duntaxat audirent, magisque discebant in ejus consistoriis quàm didicissent in scholis; præsertim cùm promulgantem sententias audiebant: quoniam adeo subtiliter & efficaciter allegabat ut utraque pars se victuram speraret, dum eum pro se allegantem audiret; nullúsque tam peritus coram eo comparuit Advocatus qui oppositiones ipsius vehementissimè non timeret. Fuit autem in ferendis sententiis ita justus ut nunquam personas acciperet, nunquam a via regia declinaret; easque cum multa maturitate deliberatione præhabita proferebat.

XLII. Ob hoc ad ejus audientiam tot & tantæ cœperunt de toto orbe causæ perferri ut plures & majores causas ipse suo tempore diffinivent quàm a longis retro temporibus in Romana fuerint Ecclesia diffinitæ. Statim enim circa suæ promotionis primordium Compostellanus & Bracharensis Archiepiscopi ad ejus præsentiam personaliter accesserunt pro causis quæ vertebantur inter eos de septem episcopatibus, videlicet Columbriensi, Lamecensi, Visensi, Egitanensi, Ulixbonensi, & Elborensi, ac Zamorensi; quæ causæ licèt essent prolixæ nimiùm & diffusæ, ut super eis magni essent hinc inde libri conscripti, & vix possent earum merita declarari, per oppositiones tamen & inquisitiones ipsius ita demum sunt earum abdita patefacta, eásque tam prudenter & subtiliter diffinivit ut omnes in eo supereminentem intelligentiam commendarent. Eodem quoque tempore veterem illam, sed necdum * terminatam querelam, quæ de metropolitana dignitate super totam Britanniam inter Turonensem & Dolensem Ecclesias vertebatur, tam prudenter examinavit, támque subtiliter diffinivit, ut licèt per prædecessores suos multotiens fuerit diffinita, nunquam tamen nisi per eum finem fuerit sortita finalem. Litem etiam quæ inter Archiepiscopum & Capitulum Cantuariensis Ecclesiæ cœperat agitari super Ecclesia de Lamehe, quam idem Archiepiscopus eodem Capitulo contradicente construxerat, & dotaverat multis & magnis redditibus, instituens in ea Canonicos regulares, viros nobiles, potentes, & litteratos, non sine multa difficultate sedavit. Nam Rex & Archiepiscopus in illo facto se mutuò adjuvabant. Capitulum autem non habebat, post Deum, nisi solum Romanum Pontificem adjutorem, asserens pro constanti quod nisi præfatam Ecclesiam faceret demoliri, metropolica dignitas pro majori parte transferretur ad illam. Ubi verò Dominus Papa rationes partium sufficienter audivit, apostolicæ sedis auctoritate decrevit ut dictus Archiepiscopus eandem Ecclesiam suis sumptibus demoliretur, omnino in irritum revocans quidquid factum fuerat circa ipsam. Quod cùm facere distulisset, prætendens quòd Rex illud fieri non sinebat, ipse successus zelo justitiæ præcepit districtè in virtute obedientiæ Archiepiscopo memorato ut illud exequi ulteriùs non differret, alioquin sciret se ab officio pontificali suspensum, & suffraganeos suos ab ejus obedientia esse subtractos. Et sic demum, quantumcumque Rex & Archiepiscopus reniterentur & murmurarent, impletum est penitùs quod mandavit. Controversiam quoque quæ vertebatur inter Mediolanensem Archiepiscopum & Abbatem de Scozula super districtu & jurisdictione portus de Sexto, cum honore, districtu, & jurisdictione præfati loci & castellantiæ, hominum quoque qui habitant in Baveno, Gralia, Carpuneto, Vesterpeno, Cadempleno, insula superiore, Bolgerate, ac Lisia mirabiliter terminavit. Nam cùm diù multùmque super iis coram diversis judicibus delegatis fuisset à partibus litigatum, & testes ac instrumenta producta, ipse habens instrumenta suspecta, pro eo quòd cùm sera sigilli ab interiori parte vetustissima esset, cera quæ posita erat ab exteriori parte quasi ad conservationem sigilli recens erat & mollis, falsitatem taliter deprehendit, quòd videlicet præsentibus partibus cum omnibus Advocatis in præsentia Cardinalium idem Dominus Papa dixit quòd volebat in conspectu omnium frangi sigilla, & si reperirentur vera & incorrupta, renovari faceret instrumenta sub testimonio bullæ suæ; si verò invenirentur corrupta vel falsa, nolebat quòd prævaleret falsitas veritati. Quod cùm factum fuisset, certo certius est compertum quòd sub vetusto sigillo carta fuerat perforata, & per glutinum novæ ceræ, quæ posita fuerat exteriùs quasi ad conservationem sigilli, vitiosè fuerat ipsi cartæ conjunctum; & sic falsitate comperta contra monasterium sententiam promulgavit, omnibus admirantibus quòd mirabiliter deprehenderat vitium falsitatis. Quis autem enumerare sufficeret innumerabilem multitudinem quæstionum quas inter diversas Ecclesias & personas super variis & dubiis articulis diffinivit, via regia semper incedens, numquam declinans ad dexteram vel sinistram, personas non accipiens & munera non acceptans.

* XLIII. Cùm autem Turonensis Archiepiscopus quendam qui fuerat electus in Episcopum Abrincensem, & per Metropolitanum suum postea confirmatus, & tam in spiritualibus quàm in temporalibus aliquandiu ministraverat, in Andegavensem Ecclesiam præter apostolicæ sedis auctoritatem præsumpsisset transferre ac Episcopum consecrare, quem Rothomagensis Archiepiscopus præter apostolicæ sedis mandatum à priore absolvit Ecclesia, & ad posteriorem ei licentiam tribuit transeundi, attendens idem prudentissimus Papa hoc attentatum esse in derogationem apostolicæ dignitatis, cui soli competit Episcoporum translatio, utrumque Archiepiscopum à confirmatione pariter & consecratione Pontificum, ipsum autem electum à pontificalis officij executione suspendit, auctoritatibus & rationibus evidenter ostendens quòd idem juris est in confirmatis electis quod in Episcopis consecratis. Propter eandem causam Antiochenum Patriarcham à pontificali suspendit officio; quia videlicet Appamiensem electum præter apostolicæ sedis licentiam in Tripolitanum Episcopum transferre præsumpsit: sed

Vide lib. 1 regest. epist. 103. 105. 106. 135. & seqq. 149.

* Codex reg. habet inveteratam.

Vide lib. 1 regest. epist. 168. & lib. 2. epist. 82. & seqq.

Vide lib. 1 regest. epist. 111. 357. 432.

Vide lib. 2 regest. epist. 37.

Vide lib. 1. Regest. epist. 447. & 531.

Vide lib. 1 Regest. epist. 50. & seqq. 103.

utrosque suam ignorantiam humiliter confitentes, & iodulgentiam suppliciter postulantes, sine difficultate & mora restituit & absoluit.

Vide lib. 1. Regest. epist. 135. & lib. 3. epist. 54.

XLIV. Propter similem quoque causam excommunicavit Conradum Hildesemensem Episcopum, imperialis aulæ Cancellarium, virum utique nobilem, divitem, & potentem, ingeniosum, industrium, & astutum, quia videlicet ad Herbipolensem Ecclesiam sua præsumpsit temeritate transire, monitúsque contempsit resipiscere ab errore, prætendens quod à Celestino Papa sibi fuerat indultum ut invitatus majorem posset assumere dignitatem. Sed hæc indulgentia eum non poterat excusare; quoniam Herbipolensis Ecclesia, quamvis ditior, non tamen dignior quàm Hildesemensis existit; & majoris est indulgentiæ ut transeat quis ad parem quàm ad majorem dignitatem ascendat. Et ideo cùm post admonitionem contemptam præcepisset eidem quatinus Ecclesiam utramque dimitteret, quia cautum est in canonibus ut qui ad majorem se plebem transtulerit, & à cathedra pelli debeat aliena & carere propria, ut nec illis præsideat quos per soperbiam sprevit, nec illis quos per avaritiam concupivit, ipse tandem excommunicari fecit eundem, & excommunicatum per totam proviociam publicari. Qui cùm ab omnibus vitaretur, tentavit multotiens per honorabiles nuncios si forsan intercessione Principum, aut oblatione munerum, ejus posset animum inclinare. Quod cùm nullo modo proficeret, proptium tandem recognoscens excessum, primo coram Magdeburgensi Archiepiscopo & multis Principibus, ac secundò coram Maguntinensi Archiepiscopo & multis aliis magnatibus juramento firmavit quòd mandatis apostolicis obediret. Et exinde nec viarum evitans discrimina, nec incommoda temporis impacati, ad apostolicam sedem accessit, in multa contritione cordis & humilitate corporis absolutionis beneficium implorans. Qui cùm fuisset juramento rursus præstito absolutus, depositis calceamentis & pallio, cum corrigia in collo, apostolico se conspectui præsentavit; & prosternens se totum in terram, in modum crucis manus expandit, cum grandi fletu postulans indulgentiam, proprium confitendo peccatum. Commota sunt autem viscera Summi Pontificis super eum. Sed ne dissolveret nervos ecclesiasticæ disciplinæ, post deliberationem multiplicem in publico consistorio præcepit eidem sub debito præstiti jurameoti ut tam Hildesemensem quàm Herbipolensem Ecclesias omnino dimitteret: qui quamvis omnino confusus humiliter obedivit, faciens de necessitate virtutem. Misítque munera quædam ipsi Domino Papæ, videlicet vasa argentea pulcra visu; qui animo hæsit paulisper, hæsitans utrum deberet illa recipere, an potiùs refutare. Sed ne ille de gratia sua penitùs desperaret, recepit oblata; & ne putaret quòd munerum posset donatione corrumpi, misit ei per honorabilem nuncium unam cupam auream preciosam majoris quàm illa vasa essent argentea universa. Volens autem infundere oleum super vinum, cùm præcepisset ut Hildesemensis Ecclesia idoneum sibi Pontificem per electionem canonicam provideret, ordinationem duxit Herbipolensis Ecclesiæ differendam; ut si forsan eadem Ecclesia iterató postularet eundem, humiliatum erigeret quem dejecerat exaltatum; sicque post annum factum est ut prævidit de eo.

XLV. Ne autem ex aliqua parte suum judicium claudicaret, similem pœnæ modum adversùs Salzburgensem Archiepiscopum observavit: qui cùm esset Brixinensis Episcopus, quoniam in Archiepiscopum Salzburgensem electus, absque licentia Summi Pontificis ad metropolitanam Ecclesiam transire præsumpsit, electionem omnino cassavit, & præcepit eidem ut ad primam Ecclesiam, secunda relicta, rediret, cassans quicquid egerat erga illam. Unde Gurzensem electum à Gurzensi episcopatu removit, quoniam in eum ab ipso fuerat institutus. Ipse verò alterius exemplo perterritus humiliter obedivit. Cùmque postmodum fuisset electus, electionem recipere non præsumpsit; sed cum electoribus suis ad apostolicam sedem accessit, dispensationis gratiam obtenturus. Et quidem obtinuit, ut experimento cognosceret quòd in arca fœderis & virga continetur & manna.

XLVI. Inter hæc ad subventionem & recuperationem terræ sanctæ ferventissimè aspitabat, sollicitè cogitans qualiter hoc posset efficaciùs adimplere. Quia verò detrahendo dicebant nonnulli quòd Ecclesia Romana imponebat aliis onera gravia & importabilia, digito autem suo nolebat illa movere, duos de fratribus, videlicet Soffridum tituli sanctæ Praxedis Presbyterum & Petrum sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinales elegit, quibus & sigoum crucis imposuit, ut tam verbo quàm exemplo invitarent alios ad obsequium crucifixi, constituens ut universi Clerici majores pariter & minores de proventibus ecclesiasticis quadragesimam partem in subsidium terræ sanctæ conferrent, ipse verò & Cardinales decimam de proventibus suis tribuerent portionem. Sicque factum est ut decrevit; fecítque fieri novam oavim; pro qua cum armamentis suis mille trecentas libras expendit, & jussit eam onerari frumento, leguminibus, panibus, & carnibus; & per duos fratres, unum Templi, & alium Hospitalis, & tertium monachum, præcepit universa distribui necessitatibus terræ sanctæ. At illi proficiscentes applicuere Messanam, ubi propter turbaoonem æquoris compulsi sunt diutiùs demorari. Videntes autem deperire frumentum, quod & tunc cariùs in Sicilia quàm in Syria vendebatur, præhabito diligenti consilio frumentum ipsum Messanæ vendiderunt; preciúmque cum ceteris deferentes, in tres partes omnia diviserunt; & onam partem assignaverunt ad restauraoonem murorum Tyri, qui corruerant terræ motu, alteram io usus pauperum, & tertiam in stipendia bellatorum. Navim verò fecit tradi Templariis in præsidium oportunum. Misit ergo præfatum Soffridum Presbyterum Cardinalem ad Ducem & populum Venetorum; ad cujus exhortationem ipse Dux & multi de populo crucis characterem assumpseruot. Marchio quoque Montisferrati, Episcopus Cremonensis, & Abbas de Lucedio, multique alij nobiles de provincia Lombardiæ, cum

multitudine plebis innumera, devoverunt se ad obsequium crucifixi. Quod ut pleniùs & liberiùs posset impleri, duos alios Cardinales, videlicet Petrum Presbyterum tituli sanctæ Cæciliæ & Gratianum sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconum, Pisas & Januam destinavit; ut inter Pisanos & Januenses pro terræ sanctæ succursu pacis fœdera reformarent. Sed quia filij pacis non erant, verbum pacis minimè receperunt. Generalem igitur indulgentiam universis Crucesignatis concessit in remissionem peccatorum, & eos cum omnibus bonis suis sub apostolica protectione suscepit.

Vide lib. 1 Regest. epist. 345. & seqq. 355. lib. 2. epist. 23. & seqq.

XLVII. Præfatum verò Petrum Diaconum Cardinalem, quem ipse postmodum in Presbyterum ad titulum sancti Marcelli promovit, direxit in Gallias, tria sibi præcipiens & injungens, videlicet ut exhortaretur & induceret populos ad terræ sanctæ succursum, ut pacem vel treugas inter Francorum & Anglorum Reges componeret & firmaret, & ut ipsum Regem Francorum ad dimittendum superinductam & recipiendum uxorem propriam, quam injustè dimiserat, commoneret & cogeret, si necessitas postularet. Ipse verò profectus circa primum capitulum usque adeo divina gratia favente profecit quòd innumera tam militum quàm peditum multitudo ad verbum exhortationis ipsius signum crucis suscepit ad obsequium crucifixi. cum quibus & quidam Episcopi & Abbates ac alij multi Clerici peregrinationis propositum assumpserunt; inter quos principales fuerunt Theobaldus Comes Trecensis, Ludowicus Comes Blesensis, Balduinus Comes Flandriæ ac Hayoniæ, & Comes de sancto Paulo, Suessionensis & Trecensis Episcopi, & quidam ordinis Cisterciensis Abbates. Circa secundum quoque capitulum idem Legatus ita processit quòd Philippus Rex Franciæ in manu ejus data fide promisit se ad mandatum ipsius pacem vel treugas cum Rege Angliæ initurum. Richardus autem Rex Angliæ se difficilem ostendebat. Sed cùm idem Legatus ei cœpit rigorem ecclesiasticum intentare, saniori ductus consilio aequievit; & quinquennales treugas composuit inter Reges, faciens quædam castella quæ tunc unus firmaverat contra alterum demoliri.

XLVIII. Circa tertium verò capitulum ad pleniorem intelligentiam est notandum quòd defuncta prima uxore præfati Philippi Regis Francorum filia Balduini Comitis Hannoniæ, nepte videlicet Philippi Comitis Flandriæ, de qua susceperat unicum filium nomine Ludovicum, tractatum est inter ipsum & Canutum Regem Danorum ut Ingeburgim sororem ipsius idem Rex Franciæ duceret in uxorem; missóque Stephano Noviomensi Episcopo cum regio apparatu ut illam adduceret, ipse Rex eam cum multo desiderio expetebat. Cùmque de ipsa suscipienda in conjugem & tenenda præstitæ fuissent sufficientes & idoneæ cautiones, frater ejus transmisit cum ea Petrum Roschildensem Episcopum cum idoneo comitatu, Quæ cùm transvecta per mare pervenisset Ambianis, ubi Rex Franciæ ipsius præstolabatur adventum, dilationis impatiens, ipso die desponsavit eandem. Et congregatis Principibus tam ecclesiasticis quam mundanis, sequenti die per manum Uvillelmi Remensis Archiepiscopi fecit eam secum solemniter coronari. Sed inter ipsa coronationis solemnia, suggerente diabolo, ad aspectum ipsius cœpit vehementer horrescere, tremere, ac pallere, ut nimiùm perturbatus vix sustinere posset finem solemnitatis inceptæ. Statimque motum est verbum divortij celebrandi propter affinitatis obstaculum quod inter eos quidam existere mussitabant, dicentes quòd secunda contigerat primam uxorem in gradu consanguinitatis quarto vel quinto. Sed aliis asserentibus quòd id sine turpi nota subitò fieri non valeret, aliquantulum est dilatum; & interim suggestum est Regi ut ad illam accederet, si forsan affectu mutato carnaliter illam cognoscere posset. Accessit igitur Rex ad illam apud Fossatum prope Parisius, quò fecerat illam adduci; & thorum ejus ingressus, post paululum ab illa recessit, in tantum habens ipsam exosam ut vix sustineret coram se de illa fieri mentionem. Asserebat autem Regina quòd Rex carnaliter illam cognoverat. Rex verò è contrario affirmabat quòd ei non potuerat carnaliter commisceri.

XLIX. Convocatis igitur præfato Remensi Archiepiscopo in sua provincia tunc apostolicæ sedis Legato & aliis quibusdam Episcopis, coram eis accusatum est matrimonium, ipsa Regina quid ageretur penitùs ignorante, utpote quę compatriotis remissis ad propria, quasi sola remanserat, linguæ Francorum prorsùs ignara; & affinitate per quosdam testes in continenti jurata, mox idem Archiepiscopus sententiam divortij promulgavit; quæ cùm Reginæ per quemdam exponeretur interpretem, illa ultra quàm dici posset admirans, flens, & ejulans, exclamavit: *Mala Francia, Mala Francia*; & adjecit: *Roma, Roma*. Non enim aliter noverat Gallicis verbis talem exprobrare sententiam aut sedem apostolicam appellare. Protinus ergo Rex illam à regno Francorum emisit, & in quodam cœnobio monialium extra regni fines fecit utcunque deponi.

L. Turbati sunt multi, quin & penè omnes qui Deum timebant & justitiam diligebant, super sententia tam iniqua. Pervenitque fama vel magis infamia hujus facti ad Celestinum tunc temporis Papam: qui cùm per magistrum Meliorem tituli sanctorum Johannis & Pauli Presbyterum Cardinalem de Francia redeuntem veritatem pleniùs & certiùs cognovisset, quia factum erat notorium, quod nulla poterat tergiversatione celari, sententiam illam divortij contra ignaram & indefensam inordinatè ac impetuosè prolatam auctoritate apostolica irritavit, interdicens Regi per nuncios & apices suos ne aliam sibi præsumeret copulare. Verùm quanto idem Papa ferventior circa hoc apparuit in principio, tanto tepidior est inventus in fine: quia licèt Rex Danorum, germanus frater ipsius Reginæ, per honorabiles nuntios imploraret ut compelleret Regem Francorum ad recipiendum eandem Reginam sororem suam, quam injustè dimiserat, sicut juris ratio postulabat, nunquam tamen apud eum hoc potuit obtinere: quinetiam toleravit ut idem Rex, post interdictum ipsius,

filiam Ducis Meraniæ, puellam utique pulchram nimis, non sine multo scandalo superduceret & teneret.

LI. Præfatus autem Innocentius Celestino succedens, statim per litteras suas & per Parisiensem Episcopum sæpedictum Regem studuit commonere ut eam removeret a se quam contra interdictum Ecclesiæ superduxerat, & reciperet illam in gratiam conjugalem quam legitimè ductam illegitimè duxerat amovendam, juris ei licentia non negata quo minùs facta restitutione, postmodum audiretur, si quid duceret proponendum, coontestatis eidem quòd quantumcunque sibi molestum existeret eum in aliquo molestare, quia tamen oportebat eum plus cælesti quam terreno Regi deferre, & sine personarum acceptatione procederet sicut ratio postularet. Quia verò idem Rex sæpe commonitus noluit acquiescere, sæpedicto Legato per apostolica scripta præcepit quatinus sublato appellationis obstaculo totam terram ipsius ecclesiastico subjiceret interdicto, ut nullum in ea, præter baptisma parvulorum & pœnitentiam morientium, divinum celebraretur officium, si forsan ei vexatio tribueret intellectum. Congregato igitur apud Divionem Archiepiscoporum, necnon Abbatum, & aliorum multorum Concilio, Rex præsentiens quòd idem Legatus vellet procedere contra ipsum, per nuntios suos fecit ad sedem apostolicam appellari. Legatus autem, non ut appellationi deferret, sed ut differret ad tempus, quatinus alibi mandatum apostolicum commodiùs adimpleret, tandem apud Viennam multis Archiepiscopis convocatis, inter quos quidam de regno Francorum fuere præsentes, interdicti sententiam promulgavit mandans per litteras suas, quibus etiam tenorem apostolicarum inseruit litterarum, universis Ecclesiarum Prælatis in terra Regis Franciæ constitutis ut eam & ipsi servarent & facerent per suas litteras observari. Quòd si forsan Episcoporum aliqui contra eam venire præsumerent, scirent se ab officio pontificali suspensos. Ceteris verò cujuscumque dignitatis vel ordinis officiorum & beneficiorum administrationem penitùs interdixit. Omnes autem ad festum Ascensionis Domini proximè tunc futurum de inobedientia responsuros ad sedem apostolicam appellavit.

LII. Receptis igitur litteris ejus, quidam in auditu auris obedire cœperunt, sicut Canonici Senonenses, Parisiensis Episcopus, Silvanectensis, Suessionensis, Ambianensis, Attrebatensis, & quidam alij, sententiam interdicti firmiter observantes. Alij verò distulerunt observare sententiam, sicut Rhemensis Archiepiscopus, Episcopus Laudunensis, Noviomensis, Antissiodorensis, Beluacensis, Morinensis, Meldensis, Carnotensis, Aurelianensis, & alij fortè perpauci, nuntios suos ad sedem apostolicam destinantes, pet quos quasdam excusationes, licèt frivolas, prætendebant; sed promittebant quòd illis expositis, si demum placeret Summo Pontifici, sententiam observarent. Cùm igitur Summus Pontifex excusationes illas evidentissimis rationibus improbaret, præcepit eisdem ut & ipsi pariter observarent sententiam interdicti. Qui, audito præcepto, humiliter paruerunt. Sicque tota terra Regis Francorum arctissimo est interdicto conclusa, ita ut clausis Ecclesiis nusquam in cœmeteriis sepelirentur corpora mortuorum, quinetiam super terram servabantur ubilibet insepulta.

LIII. Rex autem in tantam indignationem excanduit ut Episcopos & alios Clericos, qui primò servaverunt interdictum, ab Ecclesiis suis faceret violenter expelli & bona omnia occupari. Sed cùm plebs universa clamaret, Rex jam non valens ecclesiasticæ severitatis sustinere rigorem, nuntios suos, quosdam videlicet Clericos, & quosdam Milites, ad Summum Pontificem destinavit, conquerens multipliciter de Legato, sed tamen offerens per eosdem juratoriam cautionem quod coram Legatis vel delegatis judicibus staret juri. Quibus prudentissimus Papa respondit quòd distinguendum erat utrum stare vellet juri dictato vel juri dictando; si juri dictato, ut videlicet secundùm jus quod dictaverat, superinductam à suo removeret consortio, & Reginam reciperet antedictam, libenter reciperet cautionem, immo sinè cautione qualibet, si hoc faceret, relaxaret sententiam interdicti, dummodo priùs Episcopi & Clerici destituti plenam fuissent restitutionem adepti. Si vero juri dictando, videlicet ut secundùm jus quod dictaret, affinitatis decideretur articulus, cautionem oblatam reciperet ad cautelam, dummodo superducta remota, Reginam priùs reciperet memoratam. Hoc autem cùm Rex per nuntios suos à sede apostolica revertentes audisset, spiritus ejus cœpit multipliciter anxiari; quia nec illam volebat recipere quam habebat vehementer exosam, nec istam dimittere quam habebat nimis acceptam. Verùm convocatis quibusdam Principibus tam ecclesiasticis quàm mundanis, cœpit deliberare cum illis quid ei foret in hoc articulo faciendum. Quibus unanimiter respondentibus quòd parendum erat apostolicæ sedis mandatis, quæsivit ab avunculo suo Remensi Archiepiscopo, qui sententiam divortij promulgaverat, utrum verum esset quod sibi Dominus Papa scripserat, videlicet quòd illa non erat divortij dicenda sententia, sed ludibrij fabula nominanda. Qui cùm respondisset verum esse quod scripserat Summus Pontifex, (non enim audebat aliud respondere) statim Rex intulit dicens: Ergo tu es stultus & fatuus, qui talem sententiam protulisti.

LIV. Remissis igitur nuntiis instabat ut priùs, quòd videlicet relaxato interdicto, cognosceretur de jure. Sed cùm nec minis nec precibus nec promissis animus Summi Pontificis flecti posset in fundamento justitiæ solidatus, ipsius arbitrio se submisit. Qui Octavianum Ostiensem Episcopum Legatum in Franciam destinavit, talem sibi formam præfigens, ut ante omnia satisfactionem plenariam de damnis & injuriis Clericis & Ecclesiis irrogatis faceret exhiberi, ita quòd ij qui propter obedientiam & reverentiam apostolicæ sedis graves perpessi fuerant contumelias & jacturas, per apostolicam sedem sibi sentirent & gauderent congruè satisfactum; deinde superinductam præciperet à Regis consortio tam carnaliter quàm localiter removeri; ut non so-

lùm à Regis amplexibus, verùm etiam à regni finibus faceret illam excludi, & præfatam Reginam ab ipso Rege solemniter recipi & regaliter pertractari, recepta publicè juratoria cautione quòd eam sine judicio Ecclesiæ non dimitteret; & sic relaxaret sententiam interdicti, reservata sibi correctione illorum qui ab initio non servaverunt interdictum. Et si post frequentes & diligentes admonitiones & exhortationes idem Rex præfatam Reginam sicut legitimam habere nollet uxorem, sed mallet matrimonium accusare, præcepit eidem Legato ut pro termino peremptorio ad inchoandum causam spatium sex mensium assignaret; infra quod, si præfata vellet Regina, commoneretur Rex Danorum germanus ipsius ut ad defensionem ipsius viros prudentes cum Advocatis & testibus & aliis quibuslibet necessariis sub apostolica & regia securitate dirigeret competenti loco de libera voluntate partium assignato. Associavit autem de libera voluntate partium Ostiensi Episcopo ad examinationem & defensionem causæ ipsius Juhannem tituli sanctæ Priscæ Presbyterum Cardinalem, injungens eidem ut assidentibus sibi viris religiosis, litteratis, & providis, causam ipsam sufficienter, diligenter, ac patienter examinare curarent, taliter in verbis & operibus & aliis circumstantiis se habentes ut nulla de ipsis posset suspicio suboriri, sed juris ordine per omnia observato, securitatem & libertatem parti sæpedictæ Reginæ per omnia providentes, causam ipsam mediante justitia terminarent. Profectus est Ostiensis Episcopus secundùm hanc formam ad Regem Francorum, & tam ab ipso quàm ab ejus magnatibus honorificè ac devotè receptus, fecit inprimis Ecclesiis & ecclesiasticis viris de damnis & injuriis satisfieri congruenter, ac deinde Reginam de loco in quo fuerat ad quoddam regale castrum adduci; ubi præsentibus Archiepiscopis & Episcopis regnique magnatibus, & tam cleri quàm populi multitudine copiosa, Rex ad mandatum Legati Reginam recepit, faciens in animam suam juramento firmari quòd honorificè eam ut Reginam tractaret & absque judicio Ecclesiæ non dimitteret. Et sic ipse Legatus sententiam interdicti, quæ per octo menses duraverat, relaxavit cum multo gaudio & applausu. Sed nonnulli sibi detraxerunt quòd apostolici mandati forma neglecta in quibusdam superficialiter processisset. Superinductam autem Rex à suis separavit amplexibus, sed à regni finibus non exclusit, quia gravida erat & partui jam vicina. Porrò causam ipsius Dominus judicavit; quia post partum graviter infirmata, debitum carnis exsolvit.

L V. Cùm igitur idem Rex non posset induci ut ipsam Reginam vellet maritali affectione tractare, assignati sunt certi dies & certus locus ad causam, in quo apud Suessionem, præsentibus partibus, ambo interfuere Legati; coram quibus causa cœpit suo marte tractari. Et licèt Rex plures & majores Advocatos haberet, non tamen defuit qui propter Deum verbum faceret intrepidus pro Regina. Videns verò Rex quod parum proficeret, cùm diebus aliquot litigasset, indignatus recessit, nolens coram ipsis Legatis ulteriùs litigare. Summus autem Pontifex, etsi numquam potuerit Regem inducere ut ipsam Reginam diligeret, nunquam tamen cessabat nec blandis nec asperis agere apud ipsum ut eam faceret regaliter honorari, consolatorias & confortatorias ei litteras sæpe transmittens, & per proprios nuntios eam faciens visitari, de contingentibus nihil omittens, etiamsi Regi plurimùm displiceret. Nam eadem Regina conquerebatur se magis esse incarceratam quàm restitutam: cùm enim Rex in victu & vestitu competenter ei faceret provideri, adeò tamen arctè faciebat eam apud Stampas in regio palatio custodiri quòd nec ipsa permittebatur exire, nec quisquam ad eam nisi raró permittebatur intrare, sicque manebat omnino solatio destituta.

L VI. Interea vacante metropoli Senonensi, Autissiodorensis Episcopus ab universo Capitulo unanimiter est electus, Rege suum præbente consensum; missique sunt nuntij honorabiles & solemnes ad obtinendam translationem & Pallium impetrandum. Porrò Summus Pontifex prudenter attendens quòd idem Autissiodorensis Episcopus unus fuerat ex illis qui ab initio interdicti sententiam non servaverant, & Senonensis Ecclesia eam servaverat ab initio, ut discerneret inter obedientes & devotos, postulationem ipsius in publico consistorio reprobavit; cùm secundùm legem divinam non sit arandum in bove & asino, nec quisquam debeat induere vestem de lana linóque contextam. Unde quidam protinus exclamavit, Nunquam Autissiodorensis Episcopus de bene cantando tantum acquiret quantum de malè cantando jam perdidit, universis exsultantibus & laudantibus Deum. Præfecit autem eidem metropoli magistrum Petrum de Corbolio, cujus Parisius in sacra pagina fuerat auditor, quem jampridem in Cameracensem Episcopum fecerat promoveri.

L VII. Quia verò Summus Pontifex reservaverat sibi correctionem eorum qui ab initio non servaverant sententiam interdicti, & ipsi sententiam suspensionis incurrerant quam Legatus protulerat in eos qui eandem sententiam non servarent, compulsi sunt ad apostolicam sedem personaliter laborare. Venerunt igitur Remensis Archiepiscopus, Carnotensis, Aurelianensis, Meldensis, Autissiodorensis, Noviomensis, & Belvacensis Episcopi, & procuratores eorum qui propter senectutem vel ægritudinem accedere nequiverunt. Similiter & quidam Abbates venerunt. Qui verò venire non potuerunt, procuratores idoneos destinarunt. Recepit autem ab omnibus publicè juramentum quòd tam super interdicti quàm suspensionis sententia non servata mandatis apostolicis obedirent; & sic eos à vinculo suspensionis absoluit; sed mandatum facere distulit ad cautelam.

L VIII. Eo tempore tam in Oriente quàm in Occidente detestabilis fuerat commissus incestus. Nam in Oriente una duobus fuit incestuosè conjuncta. In Occidente verò unus duas præsumpsit sibi jungere per incestum. Et incestui quidem in Oriente commisso non solùm consensus sed & auctoritas Clericorum ibi consistentium intercessit. Sed in detestabili copula in Occiden-

Vide lib. 1. Regest. epist. 75.

te contracta, licèt non absque quorundam ecclesiasticorum virorum consensu fuerat forsitan attentata, ecclesiastica tamen auctoritas nullatenus intervenit. Volens autem Deus majus peccatum vindicare celeriùs & à similibus alios deterrere, tam Corradum Marchionem Montisferrati, qui Reginæ Jerosolymitanæ priùs adhæserat per incestum, occidit gladio, quàm Henricum Campaniæ Comitem, qui ei & in culpa quodammodo & in pœna successit, dejecit præcipitio, utrumque verò morte imprævisa peremit. Nondum enim in hujusmodi iniquitatis auctores in Occidente suam exercuerat ultionem. Sed quanto longanimiùs adhuc sustinet, tanto forsan severiùs vindicabit. Licèt autem apostolica sedes quod super hoc fuerat in Oriente commissum propter malitiam temporis & persecutionem urgentem dissimulare sit visa, ad vindicandum tamen quod in Occidente fuerat attentatum, rigore canonicæ districtionis est usa. Nam audito quòd Rex Legionensis consobrinam suam filiam Regis Portugalliæ incestuosè sibi præsumpserat copulare, tam Regem ipsum Portugalliæ quàm incestuosè conjunctos excommunicationis sententia innodavit, & Legionense ac Portugalliæ regna sententiæ supposuit interdicti. Unde quod illegitimè factum fuerat est penitùs revocatum. Verùm dictus Rex Legionensis ad deteriora manum extendens, sicut is de quo dicit Scriptura, *Væ homini illi qui post se trahit peccatum quasi longam restem*, & *Impius cùm venerit in profundum vitiorum contemnit*, filiam Regis Castellæ consobrini sui, neptem videlicet propriam, impudenter sibi copulare præsumpsit. Quod cùm ad ipsius Summi Pontificis pervenisset notitiam, protinus fratrem Raynerium, virum scientia & religione pariter reverendum, Deo & hominibus obtentu scientiæ & honestatis acceptum, in Hispaniam destinavit, ut juxta verbum propheticum dissolveret colligationes impietatis, solveret fasciculos deprimentes; qui per Dei gratiam excussit ab omni munere manus suas, ita ut quod legitur verè possit de ipso referri: *Non fuit qui ditaverit Abraham.* Idem igitur frater Raynerius cùm in Hispaniam pervenisset, dictum Regem Legionensem semel & iterum ex parte Summi Pontificis commonuit diligenter ut à tam detestabili & nefanda copula resiliret, universis colligationibus dissolutis quæ fuerant pro ipsa copula consummanda contractæ. Sed cùm apud eum nihil prorsùs monitis profecisset, certum ei diem assignavit & locum; & cùm ipsum etiam ultra terminum expectasset, in eum se contumaciter absentantem juxta formam mandati apostolici excommunicationis sententiam promulgavit, & regnum Legionense interdicto generali conclusit. In memoratum verò Regem Castellæ ac terram suam in nullo processit, cùm idem Rex se mandatis ejus exponeret, & quòd reciperet filiam suam, si sibi redderetur, proponeret assertivè, obligans se ad hoc per litteras suas Summo Pontifici destinandas. Postmodum autem Toletanus Archiepiscopus & Episcopus Palentinensis ex parte ipsius Regis Castellæ, ac ex parte Regis Legionensis Zamorensis Episcopus, ad sedem apostolicam accedentes, postulabant à Domino Papa ut cum eodem Rege Legionensi & cum filia Regis Castellæ dignaretur super hujusmodi copula dispensare. Propter quod, nisi specialis illa gratia quam habebat idem Dominus Innocentius ad devotionem dicti Regis Castellæ motum sui animi temperasset, in ipsos ita curasset severitatem ecclesiasticam exercere quòd nulli de cetero temporibus suis repudiatas toties & damnatas petitiones afferrent. Tandem verò intelligentes Archiepiscopus & Episcopi memorati quòd non solùm indulgentiam super hoc à Summo Pontifice sed vix etiam possent audientiam impetrare, interdictum in terram dicti Regis Legionensis prolatum à Domino Papa postulavere remitti, asserentes quòd ex eo triplex toti regno periculum imminebat, videlicet ab hæreticis, Sarracenis, & Christianis. Ab hæreticis; quia cùm propter interdictum ipsum clausa essent in partibus illis ora pastorum, non poterant fideles per eos contra hæreticos instrui & ad resistendum eis aliquatenus informari. unde tum ex hoc, tum quia Rex Legionensis ab Ecclesia se asserens aggravatum, eis minimè resistebat, invalescebant contra fideles heretici, & in regno ipso hæreses variæ pullulabant. A Sarracenis; quoniam cùm per exhortationes & remissiones Ecclesiæ Hispaniarum populus consuevisset ad expugnationem paganorum induci, cessante prædicatorum officio, populi etiam devotio tepescebat; quia dum se cum Principe suo, quoad interdictum, eidem videret pœnæ subjectum, à culpa, cui vel tacendo consenserat, fortè se non credebat immunem. propter quod minùs circa debellationem Sarracenorum fervebat, ne decederet in peccato. A catholicis; quia cùm Clerici laicis spiritualia ministrare non possent, laici Clericis temporalia subtrahebant, oblationes, primitias, & decimas detinentes. Unde cùm Clerici ex his pro majori parte in partibus illis consueverint sustentari, eis subtractis, non solùm mendicare, sed fodere ac servire Judæis in Ecclesiæ ac totius Christianitatis opprobrium cogebantur. Videbatur autem Domino Papæ difficile eorum petitioni annuere, ac sententiam ex animo & ordine & causa latam canonicè sine satisfactione congrua relaxare. Ex animo siquidem; quia, sicut Deus suæ conscientiæ testimonium perhibebat, ad hoc nonnisi justitiæ & honestatis obtentu processerat, cùm ex contrario potiùs contra ipsum Dominum Papam oriri præsumptio potuisset, si tam detestabile facinus duxisset in patientia tolerandum. Ex ordine: quia dictus frater Raynerius post commonitiones & dilationes legitimas, tandem de districtione percussit ecclesiastica contumacem. Ex causa; exemplo, divino videlicet & humano. divino; quia cùm David in populi numeratione peccasset, Dominus in populum vasa sui furoris effudit. unde idem David dixisse legitur, peccatum suum Domino confitendo: *Ego sum qui peccavi, ego qui iniquè egi. Isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Avertatur, obsecro, furor tuus à populo tuo.* Humano; quia esset mali exempli; videlicet quòd si forsan in alia regna similem eundem Dominum Papam contingeret sententiam promulgare, si-

milis ab ipso gratia peteretur; quam si forsan negaret, apud ipsum esse videretur acceptio personarum. Ex hoc etiam de ipso Summo Pontifice posset apud aliquos oriri suspicio, præsumentibus fortè quibusdam quòd ad id moveretur ex causa latenti. Licèt igitur ex causis præmissis non videretur dicta petitio admittenda, quia tamen ubi multitudo est in causa, detrahendum est aliquid severitati ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat, in eo ad petitionem prædictorum Archiepiscopi & Episcoporum gratiam duxit de communi fratrum suorum consilio faciendam ex quo videbantur impedimenta expressa superiùs provenire. Relaxavit igitur Summus Pontifex, non in totum, sed in una parte solummodo, interdictum; nec perpetuò, sed ad tempus, quamdiu scilicet sibi placeret, & expedire videret, ut probaret interim spiritus si essent ex Deo, & an, sicut idem Archiepiscopus & Episcopi affirmabant, speratà inde utilitas sequeretur; sic videlicet ut in regno ipso divina celebrarentur officia, sed decedentium corpora ecclesiasticæ sepulturæ minimè traderentur, in quo tamen Clericis, fecit gratiam specialem, in eo videlicet ut in cœmiterio ecclesiastico deberent cessante solemnitate solita tumulari. Quod licèt aliquibus posset absonum fortè videri, ut officio restituto, sepultura ecclesiastica negaretur, quia juxta canonicas sanctiones cui communicavimus vivo, communicare debemus & mortuo, rectè tamen intelligentibus nihil ex hoc incongruitatis occurrit, cùm juxta Lateranensis instituta Concilij decedentes ex torneamentis, etsi per pœnitentiam reconcilientur Ecclesiæ, Christiana tamen sepultura priventur. Ut autem non remittere pœnam sed commutare potiùs videretur, dictum Regem Legionensem, memoratam filiam Regis Castellæ, & omnes eorum principales Consiliarios & fautores excommunicationis vinculo innodavit, mandans ut ad quamcumque civitatem, villam, vel oppidum devenirent, nullus ibidem eis præsentibus divina officia celebraret. Dicto autem Regi Castellæ ac Reginæ uxori ejus præcepit ut ad dissolvendam prædictam copulam operam impenderent efficacem. alioquin in eos & terram suam similem sententiam promulgaret. Quia verò castra quædam, quæ idem Rex Legionensis dictæ filiæ Regis Castellæ tradidisse dicebatur in dotem, ita ut si eam aliqua ratione relinqueret, ipsa cederent in jus ejus, impedimentum præstabant bujusmodi copulæ dissolvendæ, mandavit castra ipsa restitui, & ad id puellam ipsam excommonicationis sententiam coarctari, decernens ut si ex tam incestuosa & damnabili copula susciperetur aliqua proles, spuria & illegitima penitùs haberetur, quæ secundùm statuta legitima in bonis paternis nulla ratione succedit. Licèt autem aliquanto tempore in sua contumacia perdurassent, demum tamen redeuntes ad cor, incestuosam copulam dissolverunt; & cùm fuissent ab invicem separati, præstito secundùm formam Ecclesiæ juramento meruerunt absolvi.

L IX. Eodem tempore anathematizavit Suerum apostatam, qui regnum Norvagiæ per violentiam occupaverat, legitimo regni herede perempto; & Nidrosiensem Archiepiscopum, qui perversis ejus actibus consentire nolebat, coëgit eum idem apostata extra suam provinciam exulare; qui per apostolicæ sedis mandatum ab alio Archiepiscopo benignè receptus, invasor in peccato suo vitam finivit, & sic ad Ecclesiam suam post exilium suum remeavit.

L X. Audita promotione Domini Innocentij, Lib. 1. epist. 353. Alexius Constantinopolitanus Imperator misit 354. ad eum honorabiles nuntios, cum muneribus preciosis, rogans ut ipse per Legatos suos ejus Imperium visitaret. Qui misit illuc Albertum Subdiaconum & Arbertum Notarium, monens per eos in litteris suis Imperatorem prædictum ut ad succursum intenderet terræ sanctæ, cui propter divitiarum abundantiam, vicinitatem locorum inter omnes Principes Christianos poterat pleniùs subvenire. sed & Græcorum Ecclesiam reduceret ad obedientiam sedis apostolicæ matris suæ, à cujus magisterio se subtraxerat in sua contumacia longo tempore perseverans. alioquin pro certo cognosceret quòd non posset sub dissimulatione transire quin super hoc suum exequeretur officium, cùm ipse acceperit justitiam judicandi. super hoc ipse scribens Patriarchæ Constantinopolitano, monens ut ad id Imperatorem induceret memoratum. Quid autem Imperator ipse ad utrumque responderit, & qualiter ad ejus responsum Dominus Papa rescripserit per Johannem Capellanum suum illuc iterum destinatum, ipsius litteræ ad eundem Imperatorem directæ declarant.

Multæ, *inquit*, nobis attulit exultationis affe- Lib. 2. epist. 211. ctum quòd sicut ex litteris excellentiæ imperialis accepimus, Legatos & litteras nostras recepit humiliter imperatoria celsitudo, & ad ea quæ super Ecclesiæ unitate nos scripsisse meminimus, etsi non omnino sufficienter & evidenter, benignè tamen & devotè respondit, & exhortationes & commonitiones nostras suum rescripsit imperium acceptasse. Is enim à quo secundùm Apostolum est omnis potestas, scrutator scilicet renum & cordium Jesus Christus, qui habet cor Principum in manu sua, qui aperit & nemo claudit, aures tuæ serenitatis aperuit, & eum tibi devotionis spiritum inspiravit ut quæ per nos, licèt insufficientes vicarios suos & immeritos Apostolorum principis successores, imperiali magnificentiæ litteris fuerant exarata, & audires humiliter & benigniùs acceptares; licèt super subventione terræ orientali hactenus non impensa magnificentiam tuam nos credideris increpasse, cùm tamen id non increpando scripserimus, sed potiùs commonendo. quamvis increpationis alloquium à pontificali non sit alloquio alienum, juxta quæ Paulus ad Timotheum scribens ajebat: *Prædica verbum, insta importunè opportunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Miramur autem quòd imperialis prudentia pro recuperatione terræ sanctæ nondum esse laborandum visa est suis litteris innuisse; quia, sicut ex detentione ipsius terræ poterat evidenter agnosci, nondum Dominus peccatis nostris fuerat complacatus, qui non in multitudine, nec in arcu, sed in virtute sua salvos facit de sua misericordia confidentes. Timens

enim,

enim, ficut tuæ litteræ continebant, ne fi tempus à Deo ejofdem terræ liberationi prævifum imperialis ferenitas voluerit prævenire, fe fruftra laboraffe deploret, & increpetur à Domino per Prophetam dicentem fibi : *Regnaverunt, & non per me : dominati funt, nec me noverunt.* Verùm ut non tam ad reprehenfionem quàm inftructionem loquamur, fi diligenter confideres & infpicias veritatem, longè aliter intelliges fentiendum. Bonorum enim omnium dator, qui reddet unicuique fecundùm opera fua, cui fervitia coacta non placent, liberum homini conceffit arbitrium, ut fuper his in quibus humanum poffet invenire remedium Dominum non tentaret. Scriptum eft enim : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Eft igitur in tanta neceffitate populi Chriftiani vel potiùs Iefu Chrifti tam tibi quàm univerfis facri baptifmatis unda renatis libero utendum arbitrio, & fubveniendum exuli crucifixo; ne fi redemptionis ejufdem terræ tempus ignotum hominibus expectare volueris, & nihil agere per teipfum, fed univerfa relinquere difpofitioni divinæ, fepulcrum dominicum à Sarracenorum manibus per tuæ fubventionis auxilium nullatenus liberetur, & inde per negligentiam imperialis magnificentia divinam incurrat offenfam onde per folicitudinem fuam gratiam Domini poterat promereri. Numquid enim fenfum Domini cognovifti? Nomquid Confiliarius ejus es, ut certus de difpofitione divina, tunc primùm arma moveas in paganos & ad liberationem Hierofolymitanæ provinciæ accingaris cùm Dominus difpofuerit mifereri populi Chriftiani & hereditatem fuam de manu Sarracenorum liberare? Nonne legifti de altitudine divitiarum fapientiæ & fcientiæ Dei, quoniam incomprehenfibilia funt judicia ejus & inveftigabiles viæ ejus? Sanè fi divinæ mentis arcana præfcires, & liberationem fepulcri dominici occultæ revelationis oculo prævideres, numquid tibi meritorium effet tunc primùm in terræ fanctæ fubfidium proficifci, quafi velles Dominum in fuæ difpenfationis executione juvare, quæ per te nec impediri poffet nec etiam prorogari? Qui hoc fentiont, dicere compellentur defipuiffe Prophetas, qui eos penitentiam agere prædicabant quorum peccatum ex eorum contemptu Deus præviderat aggravandum. Vt cùm Moyfes juffus à Deo monuerit Pharaonem ut & dimitteret populum, induratum fit tamen cor ejus ut populum dimittere nollet, eft flagellatus, non erat fecundùm opinionem talium vel defiftendum à vitiis vel virtutibus infiftendum, fed ftandum potiùs difpofitioni divinæ, quæ damnandos prævidit fingulos aut falvandos. Legit, ficut credimus, imperialis excellentia vel audivit quòd propter peccatum Ifraëlitici populi quadraginta dies, quibus debuerat terram repromiffam intrare, in annos totidem Dominus commutavit, & è converfo ad contritionem & lacrymas Ezechiæ vitam ejus in ter quinos annos extendit. Ex quo 4. Reg. 20. poteft plenè perpendi quòd & tempus poffet Sarracenicæ perfecutionis breviare qui in evangelio de Antichrifti perfecutione loquutus adjecit : *Nifi breviati fuiffent dies illi, falva non fieret omnis caro.* Præterea inter ceteras arcanas & infcrutabiles caufas invafionis & detentionis terræ orientalis, hanc etiam Dominus fua forfan miferatione prævidit ut multi relictis parentibus & amicis, immo etiam omnibus quæ habebant, affumpto falutiferæ crucis figno fequentes in defenfione terræ fanctæ ipfius veftigia martyrio coronentur, & inde triumphans Ecclefia lætetur & augeatur in cœlis unde militans dolere & minorari videtur in terris. Nolumus autem in hujufmodi ampliùs immorari, cùm rectè attendentibus & infpicientibus diligenter veritas pateat per feipfam. Imperialis autem celfitudinis erit fic de cetero Chrifto exuli fubvenire ut & obloquentium detractionem evitet, & in ultimæ difcuffionis examine illud evangelicum contra fe audire non poffit : *Hofpes fui, & non collegiftis me : infirmus & in carcere, & non veniftis ad me.* Gaudemus autem quòd fuper Ecclefiæ unione, pro qua imperatoriæ magnificentiæ specialiter litteras noftras direximus & Legatos, ficut ex litteris tuis accepimus, promptum videris habere affectum, & ad confummandum quæ fcripfimus intendere diligenter. Refcripfifti enim per litteras tuas, ut tuis verbis utamur, quòd noftræ fanctitatis aft, fecundùm præcedentes fynodales operationes, pro requifiria dogmatibus fynodales conventiones fieri difpenfare, & noftra fic fanctitate faciente, fanctiffima quæ apud vos eft Ecclefia non ad conventum tardabit. Licèt autem apoftolica fedes non tam conftitutione fynodica quam divina caput & mater omnium Ecclefiarum exiftat, ficut ex tenore litterarum quas venerabili fratri noftro Patriarchæ Conftantinopolitano dirigimus, & quarum tibi deftinamus exemplar, celfitudini tuæ poterit apparere, ideoque Patriarcha prædictus nec pro difparitate rituum nec dogmatum diverfitate differre debuerit quin nobis, ficut fuo capiti, fecundùm antiquum & canonicum ftatum beniguiùs & devotiùs obediret, cùm certa non fint pro dubiis relinquenda, nos tamen pro multis neceffitatibus ecclefiafticis difpofuimus auctore Domino generale Concilium convocare & fynodalem celebrare conventum; ad quem fi vocatus à nobis juxta tuam promiffionem occurreti, cùm hæc fint dogmata quæ noftris litteris requifivimus, ut fcilicet membrum ad caput & ad matrem filia revertatur, Ecclefiæ Romanæ reverentiam & obedientiam debitam impenforus, eum ficut fratrem cariffimum & præcipuum membrum Ecclefiæ benignè ac hilariter admittemus; de ceteris auctoritate fedis apoftolicæ ac facri approbatione Concilij cum fuo & aliorum fratrum noftrorum confilio quæ ftatuenda fuerint ftatuentes. Alioquin cùm fcandalum Ecclefiæ non debeamus ulteriùs fuftinere, qui de area Domini zizaniam debemus & paleas exfufflare, diffimulare non poterimus quin in ipfo Concilio, fi defuper datum fuerit, in hoc negotio de fratrum noftrorum confilio procedamus. Monemus igitur magnificentiam tuam & exhortamur attentiùs & in remiffionem injungimus peccatorum quatenus fic efficias ut idem Patriarcha per fe, vel fi fortè jufta præpeditus occafione nequiverit, per procuratores idoneos & aliquos de majoribus Ecclefiarum Prælatis ftatuto tempore ad Concilium vocatus accedat, apoftolicæ fedi obedientiam & reverentiam fecundùm ftatum canonicum præftiturus; ne fi fecùs actum fuerit, quod non credimus, tam in te, qui potes, fi volueris, efficere quod mandamus, quàm in eum & in Græcorum Ecclefias procedere

compellamur. Super ceteris autem dilectum filium Iohannem Capellanum & familiarem nostrum apostolicæ sedis Legatum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris obtentu suæ religionis & honestatis acceptum, ac tuæ serenitati devotum, ad imperialem excellentiam duximus destinandum, monentes & exhortantes attentiùs quatenus eum sicut Legatum apostolicæ sedis benignè recipias & honores, & ea sine dubitatione qualibet credas quæ tibi ex parte nostra duxerit proponenda. Scituros pro certo quòd si nostris volueris consiliis acquiescere, gravi tempestate sedata, grata tibi poterit tranquillitas provenire.

LXI. Patriarchæ verò, qui eum super duobus articulis consuluerat, rescripsit hoc modo.

Lib. 2. epist. 209. 'Apostolicæ sedis primatus, quem non homo sed Deus, immo veriùs Deus homo constituit, multis quidem & evangelicis & apostolicis testimoniis comprobatur, à quibus postmodum constitutiones canonicæ processerunt concorditer asserentes sacrosanctam Romanam Ecclesiam in beato Petro Apostolorum principe consecratam, quasi magistram & matrem ceteris præminere. Hic enim cùm interroganti Domino quem homines esse dicerent filium hominis, aliis opiniones referentibus aliorum, ipse velut inter ceteros primus eum esse Christum Dei vivi filium respondisset, audire promeruit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et post pauca: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Nam licèt primum & præcipuum fundamentum Ecclesiæ sit unigenitus Dei Filius Iesus Christus, (juxta quod dicit Apostolus, quia fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus) secundum tamen & secundarium Ecclesiæ fundamentum est Petrus, etsi non tempore primus, tamen auctoritate præcipuus inter ceteros; de quibus Paulus inquit Apostolus; *Iam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum*; quos & fundamenta esse in montibus sanctis David Propheta etiam testatur. Hujusmodi etiam primatum veritas per seipsam expressit, cùm inquit ad eum: *Tu vocaberis Cephas.* quod etsi Petrus interpretetur, caput tamen exponitur; ut sicut caput ter cetera membra corporis, velut in quo viget inplenitudo sensuum, obtinet principatum, sic & Petrus inter Apostolos, & successores ipsius inter universos Ecclesiarum Prælatos prærogativa præcelleret dignitatis, vocatis sic ceteris in partem solicitudinis ut nihil ei de potestatis plenitudine deperiret. Huic Dominus oves suas pascendas vocabulo tertiò repetito commisit, ut alienus à grege dominico censeatur qui eum etiam in successoribus suis noluerit habere pastorem. Non enim inter has & illas oves distinxit, sed simpliciter dixit, *Pasce oves meas*, ut omnes ei omnino intelligantur esse commissæ. Iacobus enim frater Domini, qui videbatur esse columna, Hierosolymitana sola contentus, ut semen fratris præmortui suscitaret ubi fuerat crucifixus, Petro non solùm universam Ecclesiam sed totum reliquit seculum gubernandum. Quod ex eo etiam evidenter apparet quòd cùm Dominus apparuisset in littore discipulis navigantibus, sciens Petrus quòd Dominus esset, se misit in mare; aliis navigio venientibus, ipse sine beneficio navis ad Dominum festinavit. Cùm enim mare mundum designet juxta verbum Psalmistæ dicentis, *Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus*; propter hoc quòd Petrus se misit in mare, privilegium expressit pontificij singularis, per quod universum orbem susceperat gubernandum, ceteris Apostolis vehiculo navis contentis; cùm nulli eorum fuerit universus orbis commissus, sed singulis singulæ provinciæ vel Ecclesiæ potiùs deputatæ. Iterum etiam ut se unicum Christi vicarium designaret, ad Dominum super aquas maris mirabiliter ambulantem & ipse super aquas maris mirabiliter ambulavit. Nam cùm aquæ multæ sint populi multi, congregationesque aquarum sint maria, per hoc quòd Petrus super aquas maris ambulavit, super omnes populos se potestatem habuisse demonstravit. Pro eo quoque Dominus se orasse fatetur, inquiens in articulo passionis: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; ex hoc innuens manifestè quòd successores ipsius nullo unquam tempore deviarent, sed revocarent magis alios & confirmarent etiam hæsitantes; propter hoc sic ei confirmandi alios potestatem indulgens ut aliis necessitatem imponeret obsequendi. Quod & tunc Petrus agere cœpit quando quibusdam ex discipulis abeuntibus retro, & *Durus est hic sermo* dicentibus, cùm dixisset Iesus ad duodecim, *Numquid & vos vultis abire?* solus ipse respondit pro ceteris: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Huic præterea dictum in evangelio & audisti sæpius & legisti: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quod si omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributam esse cognoscas ligandi atque solvendi à Domino facultatem; ut quod non alij sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato à Domino & concessa plenitudine potestatis. Ad quod nimirum videtur illud non incongruè pertinere quòd ipse solus legitur interrogasse Iesum: *Si peccaverit in me frater meus, dimittam ei usque septies?* Et ei soli Iesus legitur respondisse: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Quia profectò septenarius numerus universus est numerus, eò quòd omne tempus septenario dierum numero noscitur comprehendi. Septenarius ergo numerus in seipsum multiplicatus in hoc loco significat universorum universa peccata; quia solus Petrus potest, non solùm omnia, sed omnium crimina relaxare. Demum post passionem suam Dominus Petro dixisse legitur: *Tu me sequere*: quod utique non tam de sequela perferendæ passionis quàm creditæ dispensationis debet intelligi, cùm & Andreas & quidam alij præter Petrum sicut Dominus fuerint crucifixi: sed solum Petrum substituit sibi Dominus & in officio vicarium & in magisterio successorem. Vnde post Ascensionem Domini Petrus velut successor ipsius regere cœpit Ecclesiam ad complendum duodenarium numerum discipulorum loco Iudæ prævaricatoris ex verbis Prophetæ alium instituens & faciens subrogari, & recepto Paraclito, discipulos non musto repletos, sed spiritus sancti gratia illustratos ex verbis Iohelis

apertiùs comprobavit. Hic pœnitentiam agere jussit, & baptizari credentes. Hic inter discipulos, curando claudum, primus fuit miraculum operatus; & in Ananiam & Saphiram uxorem suam tamquam primus & præcipuus inter eos, quia mentiti fuerant in spiritu sancto, mortis sententiam promulgavit. Hic simoniacæ pestis radicem contra primitivam Ecclesiam pullulantem apostolica falce succidit, solus in Simonem magum sententiam damnationis promulgans; licèt non ei soli sed omnibus communiter pecuniam obtulisset. Ipse præterea cùm in eum mentis excidisset excessus, vidit cælum apertum & descendens vas quoddam linteum magnum quatuor initiis de cælo in terram submitti, quod omnia quadrupedia & serpentia terræ ac cæli volatilia continebat. Et cùm facta esset vox dicens ad eum, *Surge, Petre, macta, & manduca*, respondit: *Absit, Domine: quia nunquam immunda & communia manducavi*. Et vox ad eum facta est secundò: *Quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris*. Per quod innuitur manifestè quòd Petrus prælatus fuit populis universis, cùm vas illud orbem & universitas contentorum in eo universas significet tam Iudæorum quàm gentilium nationes. Quia licèt postmodum ex revelatione divina ab Antiochia fuerit translatus ad Vrbem, non tamen concessum sibi primatum deseruit, sed secum potiùs cathedræ transtulit principatum; cùm Dominus eum nullatenus ignorare voluerit quem Romæ præviderat martyrio coronandum. Sanè cùm ipse postmodum, immo Dominus potiùs, qui se in eo pati asseruit, *Venio*, dicens ad eum, *Romam iterum crucifigi*, Romanam Ecclesiam suo sanguine consecrasset, primatum cathedræ successori reliquit, totam in eo transferens plenitudinem potestatis. Pro patre siquidem nati sunt ei filij, quos Dominus principes super omnem terram constituit. Sanè cùm per navem Petri Ecclesia figuretur, tunc Petrus juxta præceptum dominicum navim duxit in altum, laxans prædicationis retia in capturam, cùm ibi posuit Ecclesiæ principatum ubi vigebat secularis potentiæ altitudo & imperialis monarchia residebat, cui ferè singulæ nationes sicut flumina mari tributa solvebant certis temporibus constituta. Ipse quidem primus Iudæos, ipse quoque primus gentiles post Ascensionem Christi convertit ad fidem, ut super utrosque fideles se primatum accepisse monstraret, cùm ipso die Pentecostes ad verbum exhortationis ipsius circiter tria millia Iudæorum baptismi receperint sacramentum, ac deinde Cornelium centurionem & suos quasi primitias gentium ad revelationem angelicam baptizavit. Cùm autem inter Apostolos ad consultationem credentium magna fieret conquisitio utrum oporteret circumcidi fideles & legem Mosaicam observari, Petrus principali fretus auctoritate respondit: *Vt quid tentatis Deum imponere jugum super cervicem discipulorum quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Cujus sententiam subsecutus, apostolicum super ista quæstione decretum Iacobus promulgavit. Paulus autem postquam abiit in Arabiam, & iterum rediit in Damascum, deinde post tres annos venit Hierusalem, ut Petrum videret, cum eo evangelium quod gentibus prædicaverat collaturus, ne fortè in vacuum curreret aut etiam cucurrisset; cui etiam singularis apostolatus privilegium recognoscens antonomasticè scribit de illo: *Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est mihi inter gentes*. Vt autem quem Dominus ceteris præfecit privilegio dignitatis, præ ceteris quoque virtutis privilegio decoraret, tantam ei contulit potestatem quòd ad umbram ejus salvabantur infirmi; ut in eo intelligatur esse completum quod Dominus dixerat: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet*. Hæc autem non idcirco præmisimus ut nos qui ei, licèt indigni, successimus in apostolatus officio, extra nos ambulare velimus in magnis, aut super nos in mirabilibus exaltare, cùm à Domino dictum esse noverimus: *Omnis qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur*. Vnde cùm inter discipulos ejus quæstio de majoritate fuisset exorta, respondit: *Qui major est inter vos, erit omnium servus; & qui præcessor, tamquam ministrator*, seipsum in exemplo proponens: *Quia filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. Propter quod & ipse Petrus aiebat: *Non quasi dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo*. Nam alia dicit scriptura: *Quantò major es, humilia te in omnibus*. Et iterum: *Principem te constituerunt; noli extolli, esto in illis quasi unus ex illis. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Sed quia per hæc & alia, sicut credimus, quæ tua non debet fraternitas ignorare, apostolicæ sedis magisterium recognoscens, eam super quibusdam dubitationum articulis consulere decrevisti; quod utique gratum gerimus & acceptum, & tuam exinde prudentiam in Domino commendamus; non quod existimemus nos quasi sufficientes ex nobis, sed nostra sufficientia est ex Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, qui linguas infantium facit disertas, & aperit ora mutorum. Quæsivisti etenim dubitans & addiscere volens qua ratione Romanam Ecclesiam unam & universalem in nostris litteris vocaverimus, velut in quasdam species specialissimas jam divisam, cùm & unus sit pastor & unum ovile, licèt sub uno pastorum principe Christo plures sint constituti pastores. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd Ecclesia duabus ex causis universalis vocatur. Intelligentia namque dictorum ex causis est sumenda dicendi; cùm non res sermoni, sed rei sit sermo subjectus. Dicitur enim universalis Ecclesia quæ de universis constat Ecclesiis, quæ Græco vocabulo quoque catholica nominatur. Et secundùm hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiæ, prima videlicet & præcipua, veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad ceteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una quæ sub se continet Ecclesias universas. Et secundùm hanc nominis * rationem Romana tantùm universalis Ecclesia nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis privilegio dignitatis ceteris est prælata; sicut & Deus universalis dominus appellatur, non quasi jam divisus in species aut specialissimas aut etiam subalternas, sed quoniam universa sub ejus dominio continentur. Est enim una generalis Ecclesia, de qua veritas inquit ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Et sunt multæ

* Cod. Eccl. Pad. expositionem

particulares Ecclesiæ, de quibus Apostolus ait: *Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* Ex omnibus tamen una consistit, tamquam ex particularibus generalis; & una præminet omnibus; quoniam cùm unum sit corpus Ecclesiæ, de quo dicit Apostolus, *Omnes unum corpus sumus in Christo*, illa velut caput ceteris membris excellit. Quæsivisti etiam & te asseruisti non modicùm dubitare, cupiens addiscere causam, quam acceptabis sine contradictione rationem habentem; tùm David de Hierusalem dicat in psalmis: *Mater Sion dicet, homo & homo factus est in ea*, utpote in qua Christus dignatus est conversari, prædicare pariter & docere, ac nostram operari salutem, in ea nostræ ponens fidei fundamentum, propter quod mater meritò debet nuncupari, cùm ex ea doctrina processerit salutaris, cur mater omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia * dicatur, quæ ab Hierosolymitana Ecclesia orthodoxæ fidei sacramenta recepit, cùm Apostolus etiam inquiens se usque ad Illyricum evangelium prædicasse, quod quasi à Hierusalem inceperit evidenter ostendatur. Licet autem ex præmissis intelligatur & huic * inquisitioni responsum, cùm Ecclesia Romana dicatur mater, non ratione temporis, sed ratione dignitatis; (Nam etsi secundùm Iohannem Andreas primus venerit ad fidem quàm Petrus, prælatus est tamen Petrus Andreæ, cùm & in Apostolorum catalogo semper primus quasi præcipuus præmittatur; non quòd Petrus prior sit tempore, sed potior dignitate) ad omnem tamen dubietatem tollendam tua fraternitas debet distinguere secundùm diversas nominis rationes inter Romanam & Hierosolymitanam Ecclesias; quòd illa dicenda sit mater fidei, quoniam ab ea sacramenta fidei processerunt, illa verò dicenda sit mater fidelium, quoniam privilegio dignitatis universis fidelibus est prælata; sicut etiam synagoga dicitur mater Ecclesiæ, quoniam & ipsa præcessit Ecclesiam, & Ecclesia processit ab ipsa, (juxta quod eadem dicit in Canticis: *Filij matris meæ pugnaverunt adversùs me.* Rursomque: *Paululum cùm pertransissem inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ.*) nihilominus tamen Ecclesia * mater est generalis, quæ novo semper fœtu fecunda concipit, parit, & nutrit. Concipit catechizando quos instruit, parit baptizando quos abluit, nutrit communicando quos reficit. De qua Propheta dicit in psalmo: *Habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Et idem Propheta: *Leva*, inquit, *in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt. Venerunt tibi; filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere consurgent.* Gaudemus autem non modicùm (& utinam in te ac super te nostrum gaudium impleatur) quòd apostolatus nostri solicitudinem super unione Latinorum & Græcorum Ecclesiæ commendasti pro divino zelo & ignito proposito quæ nos expressisti habere in tuarum serie litterarum. Super qua etiam imperialis nobis celsitudo rescripsit, quòd (ut verbis ejus utamur) nostræ sanctitatis est secundùm præcedentes syondales operationes pro requisitis dogmatibus synodalem conventionem fieri dispensare, & nostra sic sanctitate faciente, sanctissima quæ apud vos est Ecclesia non ad conventum tardabit. Licèt autem, sicut ex prædictis apparet, Ecclesia Romana non tam constitutione synodica quàm divina caput & mater omnium Ecclesiarum existat, & ideo nec pro disparitate rituum nec dogmatum diversitate differre debueris quin nobis, sicut tuo capiti, secundùm antiquum & canonicum statum benigniùs & devotiùs obedites, cùm certa non sint pro dubiis relinquenda, nos tamen pro multis necessitatibus ecclesiasticis disposuimus, auctore Domino, generale convocare Concilium & synodalem celebrare conventum, ad quem si vocatus à nobis juxta ipsius Imperatoris promissionem concurreris, cùm hæc dogmata sint quæ nostris litteris requisivimus, ut scilicet membrum ad caput & ad matrem filia revertatur, Ecclesiæ Romanæ reverentiam & obedientiam debitam impensurus, te sicut fratrem carissimum & præcipuum membrum Ecclesiæ benignè & hilariter admittemus, de ceteris auctoritate sedis apostolicæ ac sacri approbatione Concilij cum tuo & aliorum fratrum nostrorum consilio quæ statuenda fuerint statuentes. Alioquin cùm scandalum Ecclesiæ non debeamus ulteriùs sustinere, qui de area Domini zizania debemus & paleas exsufflare, dissimulare non poterimus quin in ipso Concilio, si desuper datum fuerit, in hoc negotio de fratrum nostrorum consilio procedamus. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus per te, vel si fortè justa præpeditus occasione nequiveris, per procuratores idoneos & aliquos de majoribus Ecclesiarum Prælatis, statuto tempore ad Concilium vocatus accedas, apostolicæ sedi obedientiam & reverentiam secundùm statum canonicum præstiturus; ne si secus actum fuerit, quod non credimus, tam in Imperatorem ipsum, qui potest si voluerit efficere quod mandamus, quàm in te & Græcorum Ecclesiam procedere compellamur. Super ceteris autem dilectum filium Iohannem Capellanum & familiarem nostrum apostolicæ sedis Legatum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris obtentu suæ religionis & honestatis acceptum, ad imperialem excellentiam duximus destinandum, monentes & exhortantes attentiùs quatenus eum sicut Legatum apostolicæ sedis benignè recipias & honores, & ea sine dubitatione qualibet credas quæ tibi ex parte nostra duxerit proponenda.

LXII. Cùm autem Imperator & Patriarcha litteras hujusmodi recepissent, & eas sibi fecissent diligenter exponi, non minimùm doluerunt, de his quæ priùs scripserant pœnitentes; quoniam Imperator ex promissione sua cognoscebat se obligatum quòd cùm Romanus Pontifex convocaret Concilium generale, ipse debebat Græcorum Ecclesiam ad Concilium destinare, statuta Concilij recepturam. Patriarcha verò ex responsionibus apostolicis super suis consultationibus factis cognoscebat se tam rationibus quàm auctoritatibus coarctatum ad obedientiam Romano Pontifici exhibendam. Imperator igitur habito cum Græcis longo consilio, ad ultimum sic respondit, quòd si Romanus Pontifex faceret in Græcia celebrari Concilium, ubi quatuor antiqua Concilia fuerant celebrata, illuc Græcorum Ecclesia suos mitteret responsales; & fingens se longiùs ire, ad aliam materiam se convertit, mittens summo Pontifici litteras in quibus nitebatur probare quòd imperium sacerdotio præpollebat; ad quas ei Dominus Papa rescripsit hoc modo.

* Cod. Pod. nuncupatur

* Cod. reg. quæstioni

* Cod. reg. mater nostra est

Cap. Solitæ. De major. & obed.

I. XIII. Solitæ benignitatis affectu recepimus litteras qoas per dilectum filium Archidiaconum Durachij, virum providum & fidelem, imperialis excellentia destinavit; per quas intelleximus quòd litteræ qnas per dilectum filium Iohannem Capellanum nostrum tunc apostolicæ sedis Legatum tibi transmisimus, imperio tuo præsentatæ fuerant & perlectæ. Mirata est autem imperialis sublimitas, sicut per easdem nobis litteras intimasti, quòd te visi fuimus aliquantulum increpare; licèt non increpandi animo, sed affectu potiùs commonendi, quæ scripsimus nos meminetimus scripsisse. Huic autem tuæ admirationi non caosam sed occasionem præbuit, sicut ex eisdem conjecimus litteris, quòd legisti beatum Petrum Apostolorum principem sic scripsisse: *Subditi estote omni humana creatura propter Deum, sive Regi tamquam præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Volens enim, de quo nos rationabiliùs admiramur, imperatoria celsitudo per hæc & alia quæ induxit imperium sacerdotio dignitate ac potestate præferre, ex auctoritate præmissa triplex trahere voluit argumentum. Primùm ex eo quod legitur, *Subditi estote,* secundum ex eo quod sequitur, *Regi tamquam præcellenti*, tertium ex eo quod subsequenter adjectum est, *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, per primum, subesse sacerdotium, per secundum, imperium præminere, per tertium, Imperatorem tam in Sacerdotes quàm laicos jurisdictionem immo etiam gladij potestatem accepisse præsumens. Cùm enim & boni quidam sint sacerdotes, & quidam eorum malefactores existant, is qui secundùm Apostolum gladium portat ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, in malè facientes Presbyteros excessus præsomptos ultore potest gladio vindicare, cùm inter Presbyteros & alios Apostolus non distinguat. Verùm si & personam loquentis & eorum ad quos loquebatur vim locutionis diligentiùs attendisses, scribentis non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus sobditis suis, & eos ad humilitatis meritum provocabat. Si enim per id quod dixit, *Subditi estote*, sacerdotio imponere voluit jugum subjectionis & eis prælationis auctoritatem * conferre quibus eos subjectos esse commonebat, sequeretur ex hoc quòd etiam servus quilibet in sacerdotes imperium accepisset, cùm dicatur, *omni humanæ creaturæ.* Quod autem sequitur, *Regi tamquam præcellenti*, non negamus quin præcellat in temporalibus Imperator, illis duntaxat qui ab eo recipiunt temporalia. Sed Pontifex in spiritualibus antecellit; quæ tantò sunt temporalibus digniora quantò corpori est anima præferenda. Licèt nec simpliciter dictum fuerit, *Subditi estote*, sed additum fuit, *propter Deum*; nec purè scriptum sit, *Regi præcellenti*, sed interpositum forsitan non sine causa sit, *tamquam.* Quod autem sequitur, *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, intelligendum non est quòd Rex vel Imperator super omnes bonos & malos gladij potestatem acceperit, sed in eos solummodo qui utentes gladio, ejus sunt jurisdictioni commissi, juxta quod veritas ait: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Non enim potest aut debet quisquam servum alterius judicare, cùm servus suo domino secundùm Apostolum stet aut cadat. Ad id etiam

* Tert. Collect. auferre

induxisti quòd licèt Moyses & Aaron secundùm carnem fratres extiterint, Moyses tamen princeps populi, Aaron sacerdotij potestate præerat, & Iesus successor ipsius imperium in Sacerdotes accepit. David quoque Rex Abiathar Pontifici præminebat. Ceterùm licèt Moyses dux populi fuerit, fuit etiam & sacerdos, qui Aaron in sacerdotem inunxit, & cui Propheta sacerdotium recognoscens, *Moyses*, inquit, *& Aaron in sacerdotibus ejus.* Quæ verò de Iesu ad commendandam prælationem ejus scripsisti, magis secundùm spiritum quàm litteram debent intelligi, (quia secundùm Apostolum, *Littera occidit, spiritus autem vivificat*) pro eo quòd ipse veri Iesu figuram expressit, qui populum suum in terram promissionis induxit. David etiam, quamvis diadema regium obtineret, Abiathar Sacerdoti non tam ex dignitate regia quàm auctoritate prophetica imperabat. Verùm quicquid olim fuerit in veteri testamento, nunc aliud est in novo, ex quo Christus factus est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech; qui se non ut Rex, sed ut sacerdos in ara crucis hostiam obtulit Deo patri, per quam genus redemit humanum, circa illum præcipuè qui successor est Petri Apostoli, sed & Vicarius Iesu Christi, potuisses prærogativam sacerdotij ex eo intelligere quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo, non Regi, sed Sacerdoti, nec de regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, de sacerdotibus videlicet qui erant in Anathoth: *Ecce constitui te super gentes & regna, ut evellas & dissipes, ædifices & plantes.* Dictum est & in lege divina: *Diis non detrahes, & principem populi tui non maledices:* quæ Sacerdotes Regibus anteponens, istos deos & illos principes appellavit. Præterea nosse debueras quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli, luminare majus & luminare minus, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus; quia nomine cæli præsignatur Ecclesia, juxta quod veritas ait: *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui summo mane conduxit operarios in vineam suam.* Per diem verò spiritualis accipitur; & per noctem carnalis, secundùm propheticum testimonium: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Ad firmamentum igitur cæli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas magnas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas, & regalis potestas; sed illa quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor est; ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Hoc autem si prudenter attenderet imperatoria celsitudo, non faceret aut permitteret venerabilem fratrem nostrum Patriarcham Constantinopolitanum, magnum quidem & honorabile membrum Ecclesiæ, juxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere, cùm alij Reges & Principes Archiepiscopis & Episcopis suis, sicut debent, reverenter assurgant, & eis juxta se honorabilem sedem assignent. Nam & pissimus Constantinus quantum honoris exhibuerit Sacerdotibus, tua, sicut credimus, * prudentia non ignorat. Nos autem, etsi non increpando scripserimus, potuissemus tamen rationabiliter increpare: cùm beatus Apostolus

Vide lib. 1. epist. 401. & l. 2. epist. 194. & addit. ad lib. 2. de concord. sac. & imp. cap. 1.

* In tert. compilat. discretio

Paulus Episcopum instruens ad Timotheum scripsisse legatur: *Prædica verbum, insta opportunè importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Non enim os nostrum debet esse ligatum, sed patere debet ad omnes; ne secundùm *Prophetam simus canes muti non valentes latrare. Vnde correctio nostra non debuit esse molesta, sed magis accepta: quia pater filium quem diligit corripit, & Deus quos amat arguit & castigat. Debitum igitur officij pastoralis exequimur cùm obsecramus, arguimus, increpamus, & non solùm alios, sed Imperatores & Reges opportunè & importunè ad ea studemus inducere quæ dominicæ sunt placita* voluntati. Nobis enim in beato Petro sunt oves Christi commissæ, dicente Domino, *Pasce oves meas*, non distinguens inter has oves & alias; ut alienum à suo demonstraret ovili qui Petrum & successores ipsius magistros non recognosceret & pastores; ut illud tanquam notissimum omittamus quod Dominus inquit ad Petrum, & in Petro dixit ad successores ipsius: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* nihil excipiens qui dixit, *Quodcunque.* Verùm his diutiùs insistere nolumus, ne vel contendere videamur vel in hujusmodi delectari; cùm si gloriari expediat, non in honore, sed onere, non in magnitudine, sed in solicitudine sit potiùs gloriandum; cùm & Apostolus in infirmitatibus glorietur. Novimus enim scriptum: *Omnis qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.* Et iterum: *Quantò major es, humilia te in omnibus.* Et alibi: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Propter quod exaltationem nostram in humilitate ponimus, & humilitatem exaltationem maximam reputamus. Vnde etiam servos, non solùm Dei, sed & servorum Dei nos esse scribimus & fatemur, & tam sapientibus quàm insipientibus secundùm Apostolum sumus debitores. Verum autem imperatoriam excellentiam ad bonum & utile per litteras nostras duxerimus invitandam, utrum justa tibi suggesserimus & honesta, tua celsitudo discernat, cùm nonnisi ad unitatem Ecclesiæ ac terræ Hierosolymitanæ subsidium nos te meminerimus invitasse. Inspiret igitur menti tuæ is qui ubi vult spirat, & qui habet corda Principum in manu sua, ut consiliis nostris & monitis acquiescas, & id agas quod ad honorem divini nominis, Christianæ religionis augmentum, & salutem animæ tuæ meritò debeat provenire. Nos autem, quicquid tu egeris, quod expedire viderimus faciemus. Vtinam autem illum egregium prædecessorem tuum inclytæ recordationis Manuelem Imperatorem satageres in devotione sedis apostolicæ verbis & operibus meliùs imitari, ut per ejus auxilium & consilium, sicut illi, sic tibi & imperio tuo meliùs proveniret, saltem amodo supplens quod hactenus neglexisti. Prædictus autem Archidiaconus quod à nobis audivit excellentiæ tuæ fideliter poterit intimare.

Cod. Colbert. & Andegav. Prophetarum verbum.

** In idem Codd. majestatis.*

LXIV. Post hoc autem idem Imperator summo Pontifici supplicavit ut compelleret Regem Hierusalem ad restitutionem Cypri, quam asserebat ad Constantinopolitanum imperium pertinere. Cui dominus Papa rescripsit hoc modo.

Recepimus litteras quas per dilectum filium B. Pirotem Pisanorum nuntium tuum imperatoria nobis celsitudo direxit * benignitate qua decuit, & notavimus omnia quæ curasti per eas * auribus apostolicis intimare. Petebas autem carissimum filium nostrum in Christo Regem Hierosolymorum illustrem ad restitutionem Cypri ad Constantinopolitanum imperium pertinentis per excommunicationis sententiam auctoritate nostra compelli, paratus magnos eidem & tam Hospitalariis quàm Templariis sub idonea cautione in terræ sanctæ subsidium redditus ministrare; cùm eam inclytæ recordationis Richardus Rex Angliæ, violato pacis fœdere quam cum imperio tuo fecerat, invasisset; ad cujus recuperationem licèt validum disposuisses stolium destinare, distulisti tamen hactenus id efficere studio pietatis, ne sanguinem Christianorum effunderes & terræ sanctæ commodum impedires. Nos autem deliberantes super hoc quid esset agendum, accepimus quod prædictus Rex Cyprum de manu cujusdam eruerat qui de ipsa Constantinopolitano imperio nullatenus respondebat. Præterea occidentales nos Principes rogaverunt ut quoniam ex insula Cypri non modicum subsidium orientali provinciæ ministratur, imperialem magnificentiam per nostras litteras moneremus ne statu terræ sanctæ pendente Regem ipsius super eadem insula molestares: quia de facili posset accidere ut si re, quem in facto Hierosolymitanæ provinciæ fautorem & defensorem se credidit invenire, sentiret forsitan inimicum, dum minùs posset imperiali potentiæ & paganorum violentiæ pariter repugnare, neglecta solicitudine terræ sanctæ, de qua sibi minus commodi provenit, plus laboris, ad eam se converteret defensandam ex qua plus perciperet & quam faciliùs se posse crederet defensare, sicque inde pateretur religio Christiana dispendium unde Constantinopolitanum imperium nullum susciperet incrementum. Quapropter super hoc & nos imperio tuo scripsisse meminimus, & occidentales Principes suas super hoc serenitati tuæ credimus litteras destinasse. Cùm igitur nobis de rei veritate non plenè constaret, antequam magnificentiæ tuæ possimus super ea finaliter respondere, habere nos convenit notitiam pleniorem; ad quam pleniùs obtinendam tam ipsum Hierosolymitanum Regem quam etiam occidentales Principes per litteras & nuntios solicitè requiremus, ut ita demum petitioni tuæ certius valeamus dare responsum. Super eo verò imperialem prudentiam in Domino commendamus quòd maluit ab impugnatione * cessare quàm sanguinem Christianorum effundere vel Hierosolymitanum præsidium impedire, celsitudinem tuam monentes & exhortantes attentiùs quatenus ab hoc proposito non recedas; quia nos ad honorem & profectum tuum, quantum cum honestate nostra poterimus, intendemus.

Cod. Reg. benè gratitudine. *Idem Cod. nostris auribus intimare.*

Cod. Pod. addit malorum.

LXV. Cùm autem regnum Blacorum & Bulgarorum à longissimis retro temporibus se ab obedientia sedis apostolicæ subtraxisset, Dominus Innocentius, tanquam bonus pastor, cupiens errabundas oves ad caulas reducere, direxit Dominicum Archipresbyterum Brundusinum, virum in Græca & Latina lingua peritum, ad Iohannitium dominum Blacorum & Bulgarorum, qui à Græcorum dominio se subduxerat; per quem tales ei litteras destinavit.

Respexit Deus humilitatem tuam & devotionem Lib. 1 epist. 166.

quam erga Romanam Ecclesiam cognosceris hactenus habuisse, & inter tumultus bellicos & guerrarum discrimina non solùm potenter defendit, sed & misericorditer & mirabiliter dilatavit. Nos autem audito quòd de nobili urbis Romæ prosapia genitores tui originem traxerunt, & tu ab eis & sanguinis generositatem contraxeris & sinceræ devotionis affectum quem ad sedem apostolicam geris quasi hereditario jure, jampridem te proposuimus & litteris & nuntiis visitare: sed variis Ecclesiæ solicitudinibus detenti, hactenus non potuimus nostrum propositum adimplere. Nunc verò inter alias solicitudines nostras hanc etiam assumendam duximus, immo consummandam potiùs jamdudum assumptam, ut per Legatos & litteras nostras te in laudabili foveamus proposito & devotione sedis apostolicæ solidemus. Dilectum itaque filium nostrum Dominicum Archypresbyterum Græcorum de Brundusio ad te præsentialiter destinantes, monemus nobilitatem tuam & exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus ipsum humiliter & devotè recipiens, honorificè ac benignè pertractes, & per eum pleniùs tuam nobis devotionem exponas. Cùm enim plenè nobis per ipsum de sinceritate tui propositi ac devotionis affectu constiterit, ad te proposuimus majores nuntios vel Legatos potiùs destinare, qui tam te quàm tuos in apostolicæ sedis dilectione confirment, & de benevolentia nostra efficiant certiorem.

LXVI. Iohannitius autem nuntios & litteras Domini Papæ devotè recipiens, rescripsit hoc modo.

Lib. 5. epist. 115. Venerabili & sanctissimo patri summo Pontifici, ego Calojohannes Imperator Bulgarorum & Blacorum, gaudium & salutem mando tibi. Notum facimus sanctitati vestræ quòd nos recepimus vestras sacrosanctas litteras, quas nobis portavit religiosus Archipresbyter Brundusinus, & nos reputavimus eas caras super omne aurum & quemlibet lapidem pretiosum. Vnde multas egimus gratias omnipotenti Deo quia visitavit nos servos suos indignos secundùm suam inæstimabilem bonitatem, & respexit humilitatem nostram, & reduxit nos in memoriam sanguinis & patriæ nostræ, à qua descendimus. Et nunc, sancte pater, tamquam bonus pastor, & caput omnium fidelium Christianorum, filios sanctæ catholicæ & apostolicæ sedis congregare volens in unum, requisistis nos remotos secundùm corpus. Et quamvis fratres mei bonæ memoriæ jamdudum voluerint mittere sanctitati vestræ, non tamen ad vos pervenire propter multos nostros contrarios potuerunt. Et nos similiter probantes semel, secundò & tertiò ad vos dirigere, deducere non potuimus quod optabamus in * fructum. Et nunc videntes quòd sanctitas vestra dignata est mittere imperio nostro, tamquam proprij & dilectissimi filij sicut amantissimo & desiderantissimo patri mittimus misericordiæ vestræ religiosum electum Brandizuberensem fidelem nostrum Presbyterum Blasium, unà cum fideli nuntio vestro Archipresbytero Brundusino, referentes vobis ex parte nostra gratiarum actiones & amicitiam, & servitium sicut patri spirituali & summo Pontifici. Sanctissime pater, significastis nobis per sacras litteras vestras quòd nos significaremus vobis quid ab Ecclesia Romana petamus. Hoc autem petit imperium nostrum ab apostolica sede, ut nos simus in Ecclesia Romana sicut matris filialitate firmati. Inprimis petimus ab Ecclesia Romana matre nostra coronam & honorem tamquam dilectus filius, secundùm quod Imperatores nostri veteres habuerunt. Vnus fuit Petrus, alius Samuel, & alij qui eos in imperio præcesserunt, sicut in libris nostris invenimus esse scriptum. Nunc autem, si placitum est sanctitati vestræ nobis istud implere, quicquid imperio nostro duxeritis injungendum, ad honorem Dei & Ecclesiæ Romanæ complebitur. Nec miremini quod nuntius vester citiùs non redit, quia nos suspicati fuimus aliquid contra eum, quia multi venerunt in imperium nostrum nos decipere cogitantes; sed nos ab omnibus bene novimus præcavere; sed nos pro eo testimonium recepimus Prætaxati, & ei acquievimus. Verùm, si placet vobis, sanctissime pater, mittite nobis magnos nuntios de quibus nobis per litteras nuntiastis, & istum destinate cum eis; & tunc certificabimur de prima missione pariter & secunda. Det vobis Dominus multos annos.

* f. effectum.

LXVII. Basilius quoque Bulgarorum Archiepiscopus hujusmodi litteras Papæ transmisit.

Honorantissimo & sanctissimo summo Pontifici Papæ, ego Basilius indignus Archiepiscopus sanctitatis vestræ, & pastor de Zagora, salutem, gaudium, & adorationem meritò vobis tamquam patri nostro spirituali. Quamvis non possumus vos corporaliter adorare, vos tamen spiritualiter adoramus, notificantes sanctitati vestræ quòd cùm nos vidimus missum à vobis Dominicum Archipresbyterum Brundusinum, Deo gratias egimus, qui non despexit nos humiles & indignos servos suos esurientes & sitientes gratiam & benedictionem sanctæ catholicæ & apostolicæ sedis: quia Domini nostri Imperatores & nos voluimus à multis annis mittere ad vos, sed non potuimus. Et nunc per voluntatem potentis Dei & vestræ sanctitatis, quia misistis Domino nostro Imperatori orationem & benedictionem, valde bene fecistis. Nos autem hæc ab Imperatore discentes, qui fecit nos vocari, levavimus manus ad cœlum cum universo populo sic dicentes: Memor fuit nostri Dominus, quod nos non cogitavimus. Vnde nos omnes parvi & magni, sicut boni filij, rogamus vos sicut bonum patrem ut Dominus noster Imperator quod petit à vobis obtineat, quia dignus est hoc obtinere; quia ipse ac totum imperium ejus bonam devotionem ad Ecclesiam Romanam habent, tamquam heredes descendentes a sanguine Romanorum. Item rogamus sanctitatem vestram quòd sint vobis recommendati filius socius noster Blasius Presbyter * Brandizuberensis electus, unà cum fidelissimo nuntio vestro Dominico Archipresbytero Brundusino; quia eis commisit Dominus noster Calojohannes Imperator sua secreta; & quod isti dixerint vobis & nostræ litteræ, firmum habeatis. Et precamur sanctitatem vestram quòd festinetis vestros nuntios destinare.

Lib. 5. epist. 117.

* Alibi legitur Brandiburicensis, interdum Brandu-berensis.

LXVIII. Receptis his litteris, Dominus Papa transmisit ad eos Iohannem Capellanum suum cum apostolicis scriptis habentibus hunc tenorem.

Calojohanni Domino Blacorum & Bulgarorum. Lib. 5. epist. 116.
Apostolica sedes, cui licèt immeriti præsidemus, evangelici verbi memor quo beato Petro Apostolo-

lorum principi & cuilibet successori ejus intelligit esse dictum, *Si diligis me, pasce oves meas*, ut puræ dilectionis affectum habere se ostendat, oves ejus pascere satagit, & in omius Ecclesiæ gremio remotas etiam congregare contendit, ut sit unum ovile & unus pastor. Cùm enim mater sit omnium generalis, ut circa filios matris exhibeat lenitatem, convocare ipsos & congregare conatur in unum, sicut gallina congregat pullos suos, & eos tum per Legatos tum per litteras suas visitat, ut & pastor suas oves agnoscat, & cognoscant oves ovile pariter & pastorem. Hoc igitur attendentes, jampridem nobilitatem tuam per nuntium & litteras nostras duximus visitandam, ut intellecto devotionis affectu quem habes ad Romanam Ecclesiam matrem tuam, majores ad te nuntios postmodum mitteremus, qui tam te, qui ex nobili Romanorum prosapia diceris descendisse, quàm degentem sub te populum verbo pascerent & exemplo, & de benevolentia & gratia sedis apostolicæ redderent certiorem. Et licèt de nuntio nostro primùm tua nobilitas dubitaverit, sciens quòd angelus sathanæ interdum se in lucis angelum transfigurat, intellecta postmodum per nobilis viri Prætaxati testimonium veritate, benignè ac honorificè ipsum recipere procurasti, sicut transmissæ ad nos tuæ litteræ continebant. Rescripsisti autem nobis per eum & humiliter intimasti quòd litteras nostras reputaveras * preciosas super omne aurum & quemlibet lapidem pretiosum, & Deo gratiarum exsolveras actiones quòd te dignatus fuerat visitare. Addidisti etiam quòd licèt inclytæ recordationis fratrum tuorum sequutus exemplum, semel & secundò & tertiò ad nos nuntios * dirigere tentavisses, non potueras tamen quod desideraveras adimplere, sed nunc per nostras litteras confortatus B. Presbyterum Brandizuberensem electum cum nostro nuntio destinabas; quamvis idem electus ad nos propter viarum discrimina non potuerit pervenire. Petisti verò humiliter ut coronam tibi Ecclesia Romana concederet, sicut illustris memoriæ Petro, Samueli, & aliis progenitoribus tuis in libris tuis legitur concessisse. Nos igitur ut super hoc majorem certitudinem haberemus, regesta nostra perlegi fecimus diligenter; ex quibus evidenter apparet quòd in terra tibi subjecta multi Reges fuerant coronati. Præterea continebatur in eis quòd tempore bonæ memoriæ Nicolai Papæ prædecessoris nostri Rex Bulgarorum, ad cujus consulta sæpissime respondebat, cum toto regno sibi commisso ad prædicationem ejus fuerat baptizatus, & Rex ipse ab eo Archiepiscopum postulaverat. Legatus quoque Michaëlis Regis Bulgarici cum donis regalibus Adriano Papæ prædecessori nostro regias litteras præsentarat, & postularat ab eo ut aliquem ex Cardinalibus in Archiepiscopum eligendum dirigeret, quem post approbationem eorum ad sedem apostolicam remeantem ipse postmodum consecraret. Cùmque idem Adrianus illuc cum duobus Episcopis quendam Subdiaconum direxisset, Bulgari corrupti donis Græcorum, & promissionibus circumventi, Romanis ejectis Græcos Presbyteros receperunt. Licèt igitur tantæ memoria levitatis nos usque adeo induxerit ad cautelam ut nullum ex fratribus nostris, Cardinalibus scilicet, ad tuam præsentiam mitteremus, nihilominus tamen dilectum filium Iohannem Capellanum & familiarem nostrum, apostolicæ sedis Legatum, virum providum & discretum, quem nos & fratres nostri suæ probitatis & religionis obtentu inter ceteros Capellanos nostros specialis in Domino dilectionis brachiis amplexamur, ad te duximus destinandum; cui etiam commisimus vices nostras, ut & in tota terra tua quoad spiritualia corrigat quæ corrigenda cognoverit, & statuat quæ secundùm Deum fuerint statuenda. Per ipsum quoque Archiepiscopo terræ tuæ palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, destinamus, ei juxta formam quam sub bulla nostra dirigimus conferendum. Eidem quoque Legato nostro dedimus in mandatis ut si qui forsan in terra tua promovendi ad ordines fuerint vel in Episcopos consecrandi, per vicinos catholicos duntaxat Episcopos & ordinandos ordinet & consecret consecrandos. Mandamus quoque ipsi ut de corona progenitoribus tuis ab Ecclesia Romana collata tam per libros veteres quàm alia documenta inquirat diligentiùs veritatem, & de omnibus tecum tractet quæ fuerint pertractanda; ut cùm per ipsum & nuntios tuos de omnibus redditi fuerimus certiores, consultiùs & maturiùs prout procedendum fuerit procedamus. Monemus igitur nobilitatem tuam & hortamur in Domino quatenus Legatum ipsum sicut personam nostram benignè suscipias & honorificè studeas pertractare, salubria monita & statuta ipsius & tu ipse recipiens & ab universa Bulgarorum & Blacorum * multitudine recipi faciens & servari. Expedit enim tibi tam ad temporalem gloriam quàm salutem æternam ut sicut genere, sic sis etiam imitatione Romanus, & populus terræ tuæ, qui de sanguine Romanorum se asserit descendisse, Ecclesiæ Romanæ instituta sequatur, ut etiam in cultu divino mores videantur patrios redolere.

* Cod. Ped. gratiosas

* Edit. Telef. destinare

* Edit. Telef. gente

LXIX. Item Archiepiscopo de Zagora.

Lib. 5. epist. 119.

Quia nobis in beato Petro Apostolorum principe intelligimus esse dictum, *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, cùm ab innumeris sollicitudinibus quæ nobis incumbunt ad tranquillitatem convertimur nostræ mentis, remotos etiam fratres & coepiscopos nostros, quos etsi habeamus absentes corpore, præsentes tamen spiritu reputamus, confirmamus in iis quæ ad salutem eorum & Ecclesiæ pertinent unitatem; ut sicut sunt in partem solicitudinis evocati, sic etiam nostris monitis roborentur. Sanè cùm unum sit Ecclesiæ sanctæ corpus, juxta illud Apostoli, *Omnes unum corpus sumus in Christo*, æstimari non debet in uno corpore capita esse plura; sed is duntaxat post Dominum intelligendus est Ecclesiæ Dei caput quem Iesus Christus Dominus noster vicarium sibi substituit & caput etiam nominavit, dicens ad Petrum, *Tu vocaberis Cephas*, quod & Petrus interpretatur & caput. Sanè cùm ei Dominus pascendas commisit oves suas, *Pasce*, inquiens, *oves meas*, ab ovili Christi, quæ est Ecclesia, extraneum se demonstrat qui caput eum habere noluerit & pastorem. Nos ergo, quos Dominus licèt immeritos vicarios suos esse voluit & Apostolorum principis successores, ut paternæ dilectionis affectum circa Bulgarorum & Blacorum Ecclesiam, quæ à Romanis secundùm carnem & sanguinem descendisse dicitur, per effectum opera monstraremus, jampridem dilectum filium Archipresbyterum

preſbyterum Brunduſinum ad dilecti filij nobilis viri Calojohannis domini Bulgarorum & Blacorum præſentiam duximus deſtinandum, qui tam ipſum quàm degentem ſub eo populum Chriſtianum in devotione ſedis apoſtolicæ roboraret, & nos de puritate fidei & ſinceritate dilectionis ipſius rediens redderet certiores. Gaudemus autem & tuam prudentiam in Domino commendamus quòd apoſtolicæ ſedis magiſterium recognoſcens, ſcripſiſti gratiam & benedictionem ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Eccleſiæ te ſitire ac Deo gratiarum actiones egiſſe quòd prædictus nobilis noſtris meruetar litteris viſitari. Volentes igitur adhuc pleniùs te ac Eccleſiam tibi commiſſam in eccleſiaſtica unitate ac devotione ſedis apoſtolicæ roborare, dilectum filium Iohannem &c. *ut in litteris videlicet miſſis Calojohanni uſque amplexamur*, ad te ac nobilem memoratum duximus deſtinandum; cui etiam commiſimus vices noſtras, ut in tota terra ejuſdem nobilis corrigat &c. *uſque*, Per ipſum quoque fraternitati tuæ palleum &c. *in eundem ferè modum uſque* conferendum. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs & per apoſtolica tibi ſcripta mandamus quatenus magiſterium & primatum ſedis apoſtolicæ recognoſcens, & in noſtra & Eccleſiæ Romanæ devotione perſiſtas, & Legatum ipſum ſicut perſonam noſtram benignè recipias &c. *in eundem ferè modum uſque* ſervari; ut qui à Romanis traxerunt originem, Eccleſiæ Romanæ inſtituta ſequantur. Noveris autem quòd eidem Legato noſtro dedimus in mandatis ut ſi qui forſan in provincia tuâ &c. *in eundem ferè modum uſque* procedamus.

LXX. Ille verò profectus palleum, mittam, & anulum præfato Archiepiſcopo aſſignavit, recepto ab eo juramento fidelitatis & obedientiæ ſummo Pontifici & Eccleſiæ Romanæ in perpetuum exhibendæ. Cùmque à præfato Iohannitio ſive Calojohanne domino Blacorum & Bulgarorum fuiſſet honorificè ac devotè ſuſceptus, de ipſius conſilio & aſſenſo duos alios Metropolitanos in illo regno conſtituit, videlicet * Beleſbulnenſem & Poſtolavenſem, quos præfato Zagorenſi tamquam Primati ſubjecit; & apud Trinovium nobiliorem ipſius provinciæ civitatem conſtituit primatiam. His igitur bene geſtis, Iohannitius ſe ac regnum ſuum imperio Eccleſiæ Romanæ ſubjecit per privilegij paginam aurea bulla ſignatam, cujus tenor talis eſt.

* Cod. reg. Beleſburdieni

In nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, Amen. Cùm placuit Domino noſtro Ieſu Chriſto me Dominum & Imperatorem totius Bulgariæ & Blaciæ facere, inquiſivi antiquorum noſtrorum ſcripturas & libros & beatæ memoriæ Imperatorum noſtrorum prædeceſſorum leges, unde ipſi ſumpſerunt regnum Bulgarorum & firmamentum imperiale, coronam ſuper caput eorum & patriarchalem benedictionem; & diligenter perſcrutantes, in eorum invenimus ſcripturis quòd beatæ memoriæ illi Imperatores Bulgarorum & Blacorum, Simeon, Petrus, & Samuel, & noſtri prædeceſſores coronam * imperij eorum & patriarchalem benedictionem acceperunt à ſanctiſſima Dei Romana Eccleſia & ab apoſtolica ſede, principe Apoſtolorum Petro. Sed imperium meum voluit benedictionem & imperiale firmamentum coronæ capitis imperij ſui ſuſcipere & patriarchalem benedictionem ab Eccleſia Romana, ab apoſtolicæ ſedis principe Apoſtolorum Petro, & à ſanctiſſimo patre noſtro univerſali Papa tertio Innocentio; & à quocunque patriarchalis benedictio & mandatum in civitate imperij mei Trinovi data & conceſſa fuit à Domino Papa faciendi & conſecrandi Archiepiſcopos, Metropolitas, & Epiſcopos, & reliquas eccleſiaſticas obſequutiones ſacramentales, concedit imperium meum ut pleniſſimam in omni tenimento & imperij mei pertinentiis ipſi habeant poteſtatem. Ecce enim omnes totius imperij mei & tenimenti, & Patriarcha meus metropolitanus, Epiſcopi, Archiepiſcopi, & cuncti Sacerdotes Romanæ ſubſint Eccleſiæ, & teneant legem & conſuetudinem & obſervationem quas tenuerunt beatæ memoriæ Imperatores totius Bulgariæ & Blaciæ, priſci illi noſtri prædeceſſores, & nos eodem modo veſtigia eorum imitantes. Subſignat autem imperium meum ad ſecuritatem chryſobolum ſuum quòd nunquam ab Eccleſia Romana & ab apoſtolica ſede, principe Apoſtolorum Petro, ipſum videlicet imperium meum diſcedet, neque alij imperij mei Principes diſgregabuntur; ſed ut vocatos dilectus filius ſacroſanctæ & apoſtolicæ Romanæ ſedis principis Apoſtolorum Petri ero. Et deinceps quaſcunque terras Chriſtianorum ſeu paganorum meum acquiſiverit imperium, ſub poteſtate & mandato ejuſdem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ & apoſtolicæ ſedis erunt. Et ut præſens chryſobolum imperij mei ratum & firmum habeatur, dedi imperium meum in manibus reverendiſſimi viri Iohannis ſacroſanctæ Romanæ ſedis Legati & Domini Papæ Capellani, in quo & noſtrum pium & à Deo promotum ſubſignavit imperium anno ſex milleſimo ſeptingenteſimo duodecimo, indictione ſeptima.

* Cod. reg. pro imperio

LXXI. Miſit præterea Blaſium Brandizuberenſem Epiſcopum cum præfato Capellano Iohanne, per quem & quædam donaria in ſignum devotionis Domino Papæ tranſmiſit & litteras bonę tenorem habentes.

Sanctiſſimo & dominatori & univerſali Papæ ſedenti in ſede beati Petri & domino patri regni mei tertio Innocentio Papæ ſedis apoſtolicæ & Eccleſiæ Romanæ & magiſtro totius mundi. Spero in Deum ſalvatorem omnium quòd bene & multùm bene valeat ſanctitas tua cum omnibus ſedentibus circa thronum ſanctitatis tuæ Cardinalibus ſanctæ Eccleſiæ Romanæ. Noverit magna ſanctitas tua quòd ego filius tuus & Romanę Eccleſiæ, Imperator omnium Bulgarorum & Blacorum, cum omnibus Principibus imperij mei multùm bene ſum per Deum & orationem tuam. Multotiens miſit imperium meum nuntios ſuos ad ſanctitatem tuam, ſed non invenerunt opportunitatem tranſeundi ad ſanctitatem tuam. Ideo certè non potuerunt tranſire, quia illi qui non habebant pacem cum imperio meo ſervabant vias. Poſtea menſe Iunij præterito imperium meum [miſit] Archiepiſcopum meum & totius Bulgariæ regionis & univerſalem ſanctæ & magnæ Trinovæ & magnum hominem imperij mei meritò nominatum Primatem & Archiepiſcopum totius Bulgariæ & Blaciæ nomine Baſilium: qui cùm perveniſſet Durachium, non fuit permiſſus tranſire ad ſanctitatem tuam, ut compleret deſiderium imperij mei ſanctitas tua ſecundùm conſue-

tudinem prædecessorum meorum Imperatorum Bulgarorum & Blacorum Simeonis, Petri, & Samuelis progenitorum meorum & ceterorum omnium Imperatorum Bulgarorum. Verùm, Deo adjuvante, & intervenientibus orationibus sanctitatis tuæ, venit ad me præsens nuntius apostolicæ cathedræ & primæ sedis principis Apostolorum & sanctæ & universalis Ecclesiæ Romanæ Iohannes Capellanus, & detulit mihi litteras ex præcepto sanctitatis vestræ & apostolicæ sedis, & palleavit dictum Archiepiscopum, & fecit eum Primatem totius Bulgariæ & Blaciæ, & portavit imperio meo litteras sanctitatis tuæ, & exposuit quicquid ei sanctitas vestra mandavit; & repletum est cor meum gaudio magno, quoniam secundùm voluntatem imperij mei donavit mihi Deus & sanctitas tua. Et rogo & deprecor magnam sanctitatem tuam ut compleat desiderium imperij mei, & mittat virgam pastoralem ad congregandas oves, & cetera quæ Patriarcha consuevit habere, & faciat præsentem Primatem & Patriarcham in sancta & magna Ecclesia Trinovæ primæ civitatis totius Bulgariæ, & habeat Ecclesia ipsa etiam post mortem istius Patriarchæ Patriarcham in perpetuum ex præcepto sanctitatis tuæ. Et quoniam grave esset propter longitudinem viæ & guerram hominum in obitu cujusque Patriarchæ recurrere ad Ecclesiam Romanam, concedatur ab Ecclesia Romana Ecclesiæ Trinovæ ut sibi possit eligere & consecrare Patriarcham, ne ex ejus absentia terra illa sine benedictione remaneat & tua consecratio imperfecta, & reduodet peccatum in sanctitatem tuam. Nunc autem petimus ut fiat chrisma ex præcepto sanctitatis tuæ in sancta & magna Ecclesia civitatis Trinovæ pro baptismate Christianorum. Sciat sanctitas tua quòd cùm sciverint * Romæi quòd receperimus consecrationem à sanctitate tua, non dabunt mihi chrisma. Et aliud peto à sanctitate tua, ut mittas Cardinalem ad imperium meum, seu istum qui venit ad me, sive alium à sede apostolica, & des ei diadema & sceptrum secundùm apostolicæ sedis & Apostolorum principis benedictionem, & mittas privilegium bullatum aurea bulla ad exemplar ipsius servandum perpetuò in Ecclesia Trinovæ. Et hæc omnia dent imperio meo, & consecrent & coronent imperium meum. Omnia autem prædicta mitti debent ad imperium meum à sanctitate tua. Videat præsens nuntius Episcopus Brandizuberensis Blasius ut possit referre quid tu scripseris manu propria. Et si hæc omnia impleverit sanctitas tua, ita reputabo cum prosapia imperij mei & omnium Bulgarorum & Blacorum quòd sumus dilecti filij orthodoxæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et de confinio Vngariæ, Bulgariæ, & Blaciæ relinquo judicio sanctitatis tuæ ut dirigas negotium istud rectè & justè, ut non habeat peccatum anima sanctitatis tuæ, & ita habeat imperium meum justitias Bulgariæ & Blaciæ quòd Rex Vngariæ habeat justitias Vngariæ, & cessent occisiones Christianorum in me & imperium. Sciat autem sanctitas tua quòd quinque episcopatus Bulgariæ pertinent ad imperium meum, quod invasit & detinet Rex Vngariæ cum justitiis Ecclesiarum; & ipsi episcopatus sont annihilati, & si justum est hoc fiat. Quicquid dicturus est præsens nuntius imperij mei Episcopus Brandizubereosis Blasius sanctitati tuæ habeas verum; quoniam ex parte mea dicet.

* id est, Constantinopolitani

LXXII. Per eundem præfatus Archiepiscopus tales summo Pontifici litteras destinavit.

Multas inclinationes & magnas preces ad Dominum & gloriosissimum & cathedralem apostolicæ sedis, patri totius Christianitatis, & Domino nostro Innocentio tertio Papæ, Archiepiscopus Basilius de minoribus & humillimis totius Bulgariæ & Blaciæ, vestram perfectam benedictionem. Adoro clementissimum Deum & beatissimam Dei genitricem Mariam ut sanam & gaudentem vestram sanctitatem meum inveniat scriptum. Et quod mea anima desideravit per octavumdecimum annum, ecce hodie dedit nobis Deus & sancta tua oratio sedis beati Petri Apostoli & tuæ sanctitatis. Noscat sanctitas tua qualiter ego conversatus sum, tuam quærens benedictionem. Mota est per mensem Iulij, quarta die, sex millesimo septingentesimo undecimo, Indictione sexta, mea humilitas ad sanctum & gloriosissimum patrem nostrum Innocentium Papam Romanum, & fecit dies triginta in Durachio juxta mare; & cùm vellem introire navim gratia transfretandi, tunc detinuerunt me Græci, & non dimiserunt transire, sed tenuerunt me apud Durachium per octo dies, & multa mea deprecatione erga Deum & beatissimum principem Apostolorum Petrum per sanctas tuas orationes dimiserunt me * Latini. Nam consilium acceperant proiciendi me in mare; sed eripuit Deus tuaque sancta oratio. Exiens autem de civitate, reversus sum in villa nuncupata Cavathocori, & ibi diebus viginti permansi, & inde misi duos bonos homines meos Romæ sanctitati tuæ; & utrum transiverint, necne, novit Dominus. Sed litteræ mihi ex parte Domini mei Imperatoris venerunt Domini Iohannis dicentes mihi: Revertere citò, quia hic pervenit Cardinalis à Domino Papa. Legens ergo litteras Imperatoris, & videns quoniam me vocavit, reversus sum, & perveni Drianum per mensem Septembrem, & inveni virum sanctum, justum, & rectum à tua sanctitate directum. Nomen ejus Iohannes Capellanus. Et dedit mihi litteras ex parte vestræ sanctitatis, & perlectæ mihi fuerunt. Vnde valde anima mea est lætata; & manus meas ad cælum extendens, gratias Deo egi quia visitavit Dominus plebem suam, & pater noster beatus Papa quærens ovem quæ perierat, ut eam reduceret in sancto ovili. Et sicut continebatur in litteris vestræ sanctitatis, sic Dominus Iohannes Capellanus fecit. Secundùm edictum magnæ vestræ sanctitatis vestram mihi benedictionem dedit, & largiens mihi palleum ad plenitudinem pontificalis officij, mense Septembri, octavo die, in festo nativitatis sanctissimæ nostræ Dei genitricis. Et ego cum multa devotionis humilitate recepto palleo, exhibui fidelitatis obedientiam, præsentibus Episcopis qui scribunt sanctitati vestræ & Principe nostro & multis aliis in Ecclesia assistentibus. Et iterum, pater sancte, vestram rogo sanctitatem ut dispenses & adimpleas ordinem ecclesiasticum, & qualiter debeam regere ovile quod mihi est commissum à Deo & sanctitate vestra. Sanctum chrisma non habemus; immo à Græcis receperamus. Sed de cetero nos tamquam & vos, Græci exosos habent. Et scias, Domine mi, quoniam hæc omnia in sanctitate tua

* Vos corrupta.

remanserunt, quòd debeat in omnibus dispensare. Et de sancto chrismate nos doceat qualiter gentem baptizare debeamus, & ne remaneat gens absque chrismate sancto, & erit peccatum, sed in omnibus nos filios tuos perditos & pereuntes moneas; & mittas mihi, Pater bone, pallea ad opus duorum Metropolitanorum Prisclavæ & Belesbudij; & quicquid aliud noverit vestra sanctitas quod sit ad opus mei pontificalis officij plenitudinem, mihi illud vestra dirigat sanctitas.

LXXIII. Cùm autem Episcopus & Capellanus prædicti ad sedem apostolicam pervenissent, Dominus Papa eos benignè suscepit, & super petitionibus sæpefati Iohannitij per eundem Episcopum præsentatis habito diligenti tractatu, constituit eum Regem Blacorum & Bulgarorum, mittens ad eum Leonem tituli sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum, & per ipsum sceptrum regni ac regium diadema, ut eundem vice summi Pontificis ungeret & coronaret in Regem, transmisso apostolico privilegio cujus tenor talis est.

Calojohanni illustri Bulgarorum & Blacorum Regi, ejusque posteris et tam in regno quàm in devotione sedis apostolicæ successuris in perpetuum. Rex Regum & dominus dominantium Iesus Christus, Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, cui dedit omnia pater in manu, pedibus ejus subiciens universa, cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & omnes habitantes in eo, immo cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum, summum apostolicæ sedis & Ecclesiæ Romanæ Pontificem, quem in beato Petro sibi Vicarium ordinavit, super gentes & regna constituit, evellendi, destruendi, disperdendi, & dissipandi, & ædificandi, & plantandi conferens potestatem, loquens ad eum in Propheta, qui fuit de Sacerdotibus Anatoth: *Ecce constitui te super gentes & regna, ut evellas & destruas & disperdas, & dissipes & ædifices & plantes.* Vt autem id expressiùs demonstraret, non per alium, sed per seipsum, cùm pro hominibus carnem assumpsisset humanam, & calciamentum suum extendisset in Idumæam, ut ei allophyli subderentur, & oves suas quæ de hoc ovili non erant adduceret, & fieret unum ovile & unus pastor, in se, qui est super omnia Deus benedictus in secula, universalis Ecclesiæ posuit fundamentum, ejúsque Apostolorum principi Petro magisterium contulit & primatum, dicens ad eum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, & tibi dabo claves regni cælorum.* Vbi etiam consequenter adjecit: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Post passionem quoque suam, ascensurus in cælum, ovile suum, videlicet Ecclesiam, ei committens & commendans in omnibus, dixit ei, *Pasce oves meas*, vocabulo tertiò repetito; per hoc patenter ostendens quod ad ejus ovile non pertinent oves illæ quæ se commissas & subjectas esse beato Petro contumaciter denegarent & ejus noluerint erudiri doctrina & magisterio subjacere. Siquidem Ecclesia est illa arca in qua paucæ animæ, pereuntibus ceteris in diluvio, sunt salvatæ. Vnde sicut omnes quos arca non cepit, in diluvio perierunt, sic omnes qui extra Ecclesiam inventi fuerint, in judicio damnabuntur. Arca enim Ecclesiam, cataclismus judicium, & pastorem Ecclesiæ Petrum Noe rector arcæ figuravit. Ille cum Domino legitur ambulasse; hic autem super undas maris, quod hunc mundum significat, ad Dominum scribitur pervenisse. In quo etiam expressè notatur quòd Petro non specialiter aliqua specialis Ecclesia, sed totus mundus commissus fuerit & Ecclesia generalis. Nam sicut aquæ multæ sunt populi multi, sic mare magnum & spatiosum mundum significat universum. Vnde vocatis ceteris in partem solicitudinis, hunc assumpsit Dominus in plenitudinem potestatis, cùm inquit ad eum, *Tu vocaberis Cephas*, (quod Petrus interpretatur & caput) ut Petrum caput Ecclesiæ demonstraret, qui sicut unguentum quod à capite Aaron descendit in barbam, in membra * diffunderet, ut nihil sibi * Cod. reg. & Fod. descenderet
penitùs deperiret: quoniam in capite viget sensuum plenitudo, ad membra verò pars eorum aliqua derivatur. Insuper quærenti Petro si quotiens peccaret in eum frater ejus dimitteret ei usque septies, Dominus legitur respondisse: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagesies septies.* Sanè cùm omne tempus septem dierum numero concludatur, multiplicatus in se ipsum septenarius in hoc loco notat universa peccata universorum, cùm solus Petrus non solùm omnia sed & omnium possit crimina relaxare. Ipsi enim, & non alij, dictum à Domino reperitur, *Tu me sequere*, id est, in veri pastoris officio & potestatis ecclesiasticæ plenitudine imitare; quia eum in officio Vicarium sibi substituit Dominus & in magisterio successorem, sic hereditatem, in cujus præclaris funes ejus ceciderant, transferens in eundem ut aliis possit per eum & sub eo quasi partem facere de hereditate legata. Cùm igitur, licèt immeriti, ejus vices geramus in terris qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit illud, utpote per quod Reges regnant & Principes dominantur, cùm Petro & successoribus suis & nobis in eo noverimus esse dictum, *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, cùm ex præcepto Domini oves ejus pascere teneamur, populis Bulgarorum & Blacorum, qui multo jam tempore ab uberibus matris suæ alienati fuerunt, in spiritualibus & temporalibus paterna solicitudine providere volentes, ejus auctoritate confisi per quem Samuel David in regem inunxit, Regem te statuimus super eos, & per dilectum filium Leonem tituli sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum, virum providum & honestum, nobis inter ceteros fratres nostros acceptum, sceptrum regni ac regium tibi mittimus diadema, ejus quasi nostris tibi manibus imponendum, recipiendo à te juratoriam cautionem quòd nobis & successoribus nostris & Ecclesiæ Romanæ devotus & obediens permanebis, & cunctas terras & gentes tuo subjectas imperio in obedientia & devotione sedis apostolicæ conservabis. Ad petitionem insuper venerabilis fratris nostri Blasij Brandizuberensis Episcopi, quem ad sedem apostolicam destinasti, publicam in regno tuo cudendi monetam tuo charactere insignitam liberam tibi concedimus facultatem. Venerabili etiam fratri nostro Archiepiscopo Trinovitano in terris in

quibus imperas universis privilegium concedimus primatiæ, qui & successores ipsius tuos in posterum successores simili ab eis juramento recepto apostolicæ sedis auctoritate coronent, & in terra tua primatus obtineant dignitatem, eique Metropolitani tam in Bulgariæ quàm Blaciæ provinciis constituti subjaceant, & juxta formam canonicam reverentiam Primati debitam exhibeant & honorem. Sic ergo, fili carissime, gratiam quam apostolica sedes mater tua tibi facit agnoscas, sic retribuas nobis pro omnibus quæ tribuimus tibi, sic regnum tuum in apostolicæ sedis subjectione ac devotione confirmes ut cùm sub beato Petro in illius petræ fuerit firmitate fundatum de qua inquit Apostolos, *Petra autem erat Christus*, nec ploviarum imbres, nec impulsus ventorum, nec fluminum formidet incursus, tu quoque præter auxilium apostolicæ sedis, quod juxta devotionem tuam senties in præsenti, de temporali regno ad regnum pervenias sempiternum. Decernimus ergo ut nullus omnino &c. hoc privilegium nostræ constitutionis & confirmationis infringere vel ei &c. Si quis autem &c. Datum Anagniæ per manum Iohanius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi & Notarij, sexto Kalendas Martij, Indictione septima, incarnationis dominicæ anno MCCIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno septimo.

LXXIV. Misit etiam per eundem Legatum eidem Regi vexillum cum litteris habentibus hunc tenorem.

Ut in cruce Domini nostri Iesu Christi cum Apostolo glorieris, & non tibi, sed ei cui flectitur omne genu, tuos de cetero triumphos adscribas, qui docet manus ad prælium & digitos mover ad bellum, & inter varios bellorum eventus ejus suffragio sentias te muniri cui Dominus claves regni cælorum & ligandi atque solvendi contulit potestatem, præter regiæ dignitatis insignia quæ tibi per dilectum filium Leonem tituli sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum, virum providum & honestum, tuæ serenitati dirigimus, per eundem vexillum quo contra illos utaris qui honorant labiis crucifixum, cor autem eorum est longinquum ab ipso, ad petitionem venerabilis fratris nostri Brandizuberensis Episcopi tibi duximus destinandum. Prætendit autem non sine mysterio crucem & claves: quia beatus Petrus Apostolus & crucem in Christo sustinuit, & claves à Christo suscepit. Repræsentat itaque signum crucis, in quo Christus, utpote qui vincit, regnat, & imperat, debellavit aereas potestates & in quo capiens præda prædonem absorbuit, moriens vita mortem & Behemoth cepit in suis oculis quasi hamo. Clavem autem geminam repræsentat, discretionis alteram, reliquam potestatis; ut cùm discreveris inter bonum & malum, lucem & tenebras, sanctum & profanum, commissum tibi materialem gladium ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, exerceas, & arma contra illos apprehendas & scutum qui non posuerunt Deum adjotorem sibi, sed in feritate sua & multitudine confidentes, nituntur contra stimulum calcitrare. Monemus igitur serenitatem regiam & hortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus eodem vexillo in humilitate cordis utaris, & inter acies bellicas memor dominicæ passionis existas, ejusque magisterium recognoscas cui Dominus ipse dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam; & tibi dabo claves regni cælorum.* Sic enim inimici tui non solùm contra te prævalere non poterunt, sed ante faciem tuam dante Domino non subsistent.

LXXV. Constituit etiam Trinovitanum Archiepiscopum Primatem totius Bulgariæ & Blaciæ, misitque illi privilegium hujusmodi per dictum Legatum.

Archiepiscopo Trinovitano Bulgarorum & Blacorum Primati ejúsque successoribus canonicè substituendis in devotione sedis apostolicæ successuris in perpetuum. Rex Regum &c. *usque ad* Samuel David in Regem inunxit; carissimum in Christo filium nostrum Calojohannem, hactenus ipsorum dominum, Regem statuimus super eos, per dilectum filium &c. *usque* devotione sedis apostolicæ conservabit. Te quoque in regno Bulgarorum & Blacorum Primatem statuimus, & Ecclesiæ Trinovitanæ præsenti privilegio auctoritatem concedimus primatiæ, statuentes ut tu & successores tui, qui tibi in apostolicæ sedis devotione successerint, ceteros Metropolitanos Bulgariæ & Blaciæ præcellatis ratione primatiæ, & ipsi tibi & eis juxta formam canonicam reverentiam Primati debitam exhibeant & honorem, fraternitatem tuam scire volentes quòd apud nos hæc duo nomina, Primas & Patriarcha, penè penitùs idem sonant, cùm Patriarchæ & Primates teneant unam formam, licèt eorum nomina sint diversa. Præsenti quoque privilegio tibi & per te tuis successoribus inungendi, benedicendi & coronandi Reges Bulgarorum & Blacorum in posterum liberam concedimus facultatem. Obeunte verò te nunc Ecclesiæ memoratæ Primate, nullus ibi qualibet surreptionis astutia præponatur nisi qui canonicè fuerit electus ad eam secundùm consuetudinem approbatam. Electus autem per Metropolitanum & alios suffraganeos ejusdem Ecclesiæ, qui poterunt interesse, in Episcopum solemniter ordinetur. Consecratus verò ad sedem apostolicam nuntios suos mittat, palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, petituros; in cujus susceptione juramentum illud nobis & successoribus nostris & Ecclesiæ Romanæ præstabit quod alij Primates & Metropolitani secundùm generalem consuetudinem nobis præstant, & tu ipse in susceptione pallei præstitisti; cujus formam bulla nostra signatam ad perpetuam memoriam destinamus, exprimentes in ea ut cùm in Regem quemlibet ex prædicti Regis successoribus coronaverint, præscriptum ab eo recipiant juramentum. Cùm autem aliquis Metropolitanorum qui tibi jure subjacent primatiæ viam fuerit universæ carnis ingressus, confirmabis electionem canonicam de persona idonea celebratam, & personam electam in Episcopum consecrabis. Pro palleo verò nuntios tuos cum nuntiis Ecclesiæ cui præest ad apostolicam sedem mittes, nósque illud tibi per eos libenter & hilariter transmittemus, per te Metropolitano Episcopo juxta formam quam sub bulla nostra recipies solemniter conferendum; ita quòd si Legatum vel nuntium nostrum contigerit interesse, id cum eo pariter exequaris. Chrisma verò & oleum

catechumenorum & infirmorum singulis annis in Cœnâ Domini tam in Ecclesia Bulgariæ quàm Blaciæ fieri secundùm consoetudinem Ecclesiæ Romanæ concedimus, ot quoties necesse fuerit, qui baptizandi fuerint baptizentur, & confirmentur per diocesanos Episcopos qui fuerint confirmandi, nec Episcoporum consectatio nec ordinatio Sacerdotum propter defectum hujusmodi vel impediatur penitùs vel diutiùs differatur: quia licèt hactenus apud vos nec in sua ordinatione Presbyteri nec in consecratione sua Episcopi consueverint sacram recipere unctionem, volomus tamen ut deinceps non tam ritum nostrum quàm mandatum divinum sequentes, per quod in lege præcipitur ut Pontifices & Sacerdotes ungantur, manus eorum qui ordinandi sunt in Presbyteros, & tam manus quàm caput eorum qui consecrandi sunt in Episcopos, solemniter inungantur. Præterea crucem, vexillum videlicet dominicæ passionis, ante te per totam Bulgariam & Blaciam deferendi fraternitati tuæ licentiam impartimur.

LXXVI. Quia verò secundùm consuetudinem Bulgarorum & Blacorum nec in ordinatione Presbyteri nec in consecratione Pontifices fuerant inuncti, fecit præfatum Brandizuberensem Episcopum per Iohannem Episcopum Albanensem, assistentibus ei duobus Episcopis, in præsentia sua Dominus Papa secundùm morem Latinorum inungi, & mandavit ut tam Primas quàm Metropolitani & universi Episcopi ac Presbyteri sacram reciperent unctionem, ac de cetero nulli sine unctione ordinarentur Presbyteri aut consecrarentur Episcopi, assignans super his rationes in litteris memorato Primati directis: cui etiam insignia pontificalia universa per prædictum Legatum liberaliter destinavit, taliter ei scribens.

Cap. Cùm venisset. ext. de sac. unct.

Cùm venisset ad apostolicam sedem venerabilis frater noster Episcopus Brandizoberensis clara nobis insinuatione monstravit quod in consecratione sua sacram non * receperat unctionem, quoniam apud vos non consuevere Pontifices, cùm consectantur, injungi. Nos ergo good illi defuerat mandavimus in ipso suppleri, facientes caput ejus & manos per venerabilem fratrem nostrum Iohannem Albanensem Episcopum, assistentibus ei duobus Episcopis, secundùm morem ecclesiasticum sacro chrismate deliniri. Hoc enim catholica tenet Ecclesia, non solùm ex præcepto divino, verùm etiam Apostolorum exemplo. In Exodo quippe legimr præcepisse Dominus Moysi ut Aaron & filios ejus inungeret, quatenus ei sacerdotio fungerentur. Et Anacletus origine Græcus, qui à beatu Petro fuit in Presbyterum ordinatus, & postea in apostolatus officio Clementi successit, tradit in ordinatione sua ungendos Episcopos more Apostolorum & Moysi: quia omnis sanctificatio in spiritu sancto consistit, cujus invisibilis virtus sancto chrismati est permixta. Vnde scire te volumus duas esse species unctionis, exteriorem, quæ materialis est & visibilis, & interiorem, quæ est spiritualis & invisibilis. Exteriore visibiliter ungitur corpus, interiore invisibiliter ungitur cor. De prima Iacobus Apostolus ait: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum.* De secunda * Iohannes Apostolus ait. *Vos unctionem quàm accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus vos docet de omnibus.* Vnctio visibilis & exterior signum est interioris & invisibilis unctionis; unctio verò invisibilis & interior non solummodò est signum, sed etiam sacramentum; quia si dignè sumatur, vel agit, vel auget absque dubio quod designat. Ad exhibendam igitur exteriorem & visibilem unctionem benedicitur oleum quod dicitur catechumenorum vel infirmorum, & conficitur chrisma, quod ex oleo fit & balsamo mystica ratione. Per oleum enim nitor conscientiæ designatur, juxta quod legitur, *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*; per balsamum autem exprimitur odor famæ; propter quod dicitur: *Sicut balsamum aromatizans odorem dedi.* Hoc igitur chrismate ungi debet Episcopus non tam in corpore quàm in corde; ut & interiùs habeat nitorem conscientiæ quoad * Deum, & exteriùs habeat odorem famæ quoad proximum. De nitore conscientiæ dicit Apostolus: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Nam *omnis gloria filiæ Regis ab intus.* De odore famæ idem Apostolus ait: *Christi bonus odor sumus in omni loco, & aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.* Debet enim Episcopus bonum habere testimonium & ab his qui sunt intus & ab his qui sunt foris, ut cortina cortinam trahat, & qui audit dicat, Veni. Hoc unguento caput & manus Episcopi consecrantur. Per caput enim mens intelligitur, juxta illud: *Vnge caput tuum, & faciem tuam lava.* Per manus opera designantur, secundùm illud: *Manus meæ distillaverunt * aurum.* Manus igitur unguntur oleo pietatis, ut Episcopus operetur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Caput autem inungitur * balsamo caritatis, ut Episcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota mente & ex tota anima, & proximum suum sicut seipsum. Caput inungitur propter auctoritatem & dignitatem, manus propter ministerium & officium. Caput inungitur, ut ostendatur illius repræsentate personam de quo dicitur per Prophetam: *Sicut unguentum in capite ejus, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Caput enim viri Christus; caput Christi Deus est, qui de se dicit: *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Manus unguntur Episcopo, ut ostendatur accipere potestatem benedicendi & consecrandi. Vnde cùm eas consecrator inungit, *Consecrare*, inquit, *& sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam sanctam unctionem & nostram benedictionem, ut quæcunque consecraverint consecrentur, & quæcunque benedixerint benedicantur in nomine Domini.* Verùm in veteri testamento non solùm ungebatur sacerdos, sed & Rex & Propheta, sicut in libro Regum præcepit Dominus Heliæ: *Vade, & revertere in * viam tuam per desertum in Damascum; cùmque perveneris illuc, unges Hazaël Regem super Syriam, & Geu filium Namsi unges Regem super Israël, Helisenm autem filium Saphat, qui est de Abelmala, unges Prophetam pro te.* Sed ubi Iesus Nazarenus, quem unxit Deus spiritu sancto, sicut in actibus Apostolorum habetur, unctus est oleo præ consortibus suis, qui secundùm Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, Principis unctio à capite

Anaclet. epist. 2.

* In tertia collect. acceperat

* Tert. collect. Iacobus

* Cod. reg. cum.

* Cantic. 5. & in codicibus Colbertino & Andegav. legitur myrrham.

* Iidem codd. oleo

* Tertia collect. domum

* Cod. reg. principes ex tunc non ungantur

scilicet in brachium est translata, ut * Princeps ex tunc non ungatur in capite, sed in brachio sive in humero vel in armo, in quibus principatus congruè designatur, juxta quod legitur: *Et factus est principatus super humerum ejus.* Ad quod etiam designandum Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos qui fuerant invitati. In capite vero Pontificis sacramentalis est delibatio conservata, quia personam capitis in pontificali officio repræsentat. * Differt autem inter Pontificis & Principis unctionem, quia caput Pontificis chrismate consecratur, brachium verò Principis oleo delinitur, ut ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis & Principis potestatem. Quia verò Christus in sanguine suo fecit nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, propter quod Petrus Apostolus ait, *Vos estis genus electum, regale sacerdotium,* idcirco in novo testamento non solùm Sacerdotes & Reges unguntur, sed omnes etiam Christiani bis, ante baptismum scilicet oleo benedicto, primùm in pectore, deinde inter scapulas, & bis post baptismum, scilicet chrismate sacro, primùm in vertice, deinde in fronte. In pectore namque ungitur baptizandus, ut per spiritus sancti donum abiciat errorem & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia justus ex fide vivit. Inter scapulas autem baptizandus innungitur, ut per spiritus sancti * gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est; & ut per fidei sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, per operis exercitium sit fortitudo laborum in scapulis, quatenus fides per dilectionem secundùm Apostolum operetur. In vertice verò baptizatus inungitur, ut sit paratus omni poscenti de fide reddere rationem; quia per caput intelligitur mens, juxta quod legitur: *Oculi sapientis in capite ejus*; cujus superior pars est ratio, & inferior sensualitas. Vnde bene per verticem, qui est suprema pars capitis, intelligitur ratio, quæ superior pars est mentis. In fronte ungitur baptizatus, ut liberè confiteatur quod credit; quia *corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* memor ejus quod Dominus ait: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Ante baptismum verò inungitur oleo benedicto, & post baptismum chrismate sacro, quia chrisma soli competit Christiano. Christus enim à chrismate dicitur, vel potiùs à Christo dicitur chrisma, non secundùm nominis formam, sed secundùm fidei rationem. A Christo enim Christiani dicuntur, tamquam uncti deriventur ab uncto, ut omnes currant in odorem unguentorum illius cujus nomen oleum est effusum. Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio; quia per eam spiritus sanctus ad augmentum datur & robur. Vnde cùm ceteras unctiones simplex Sacerdos, id est, Presbyter, valeat exhibere, hanc nonnisi summus Sacerdos, id est, Episcopus, debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum Vicarij sunt Episcopi, quòd per manus impositionem spiritum sanctum dabant, quemadmodum actuum Apostolorum lectio manifestat. *Cum audissent*, inquit, *Apostoli qui erant Hierosolymis quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Iohannem: qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum*: cujus adventus per unctionis mysterium designatur, quia columba in qua spiritus sanctus super Christum in baptismo descendit ad vesperam, in cataclismo revertens ramum retulit virentis olivæ. Cujus nimique sacramentum David Propheta prænoscens, exhilarandam faciem in oleo prædicavit. * Vnguntur præterea secundùm ecclesiasticum morem cùm consecratur altare, cùm dedicatur templum, & cùm benedicitur calix, non solùm ex mandato legis divinæ, verùm etiam exemplo beati Silvestri, qui cùm consecrabat altare, illud chrismate perungebat. Præcepit enim dominus Moysi ut faceret oleum unctionis de quo ungeret * tabernaculum testimonij & arcam testamenti mensamque cum vasis. De quibus etiam unctionibus si forsitan dubitaveris, cùm à te fuerimus requisiti, fraternitatem tuam pleniùs instruemus. Veruntamen unctionis sacramentum aliud quidem efficit & figurat tam in novo quàm in veteri testamento. Vnde non judaizat Ecclesia cùm unctionis celebrat sacramentum, sicut aliqui mentiuntur, qui neque scripturas neque Dei novere virtutes. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs per apostolica tibi scripta mandantes quatenus ad mandatum dilecti filij nostri Leonis tituli sanctæ crucis Presbyteri Cardinalis apostolicæ sedis Legati tu quoque sacram * suscipias unctionem, ne quid tibi desit ad plenitudinem sacramenti; ut cùm sacro fueris chrismate delibutus, Archiepiscopos & Episcopos tuos similiter ungas, & per eos facias manus Sacerdotum inungi oleo benedicto, illum de cetero in ordinandis Presbyteris & consecrandis Episcopis morem servans & faciens observari quem apostolica sedes observat, quæ, disponente Domino, cunctorum fidelium mater est & magistra. Mittimus autem tibi per Cardinalem prædictum pontificalia ornamenta, caligas & sandalia, amictum & albam, cingulum & succinctorium, orarium & manipulum, tunicam & dalmaticam, chirothecas & anulum, planetam & mitram. Palleum verò per dilectum filium Iohannem Capellanum nostrum antea miseramus. Et licèt Romanus Pontifex non utatur baculo pastorali, tum propter historiam, tum etiam propter mysticam rationem, (* quod idem Cardinalis, sicut à nobis accepit, poterit edocere) tu tamen ad similitudinem aliorum Pontificum poteris eo uti.

* Cod. reg. & Pod. & tert. collect. Refert

* Cod. Colbert. & Andegav. donum

* Tertia collect. Vnguntur

* Cod. Colbert. & Andeg. altarium tabernaculis &

* Cod. reg. recipias.

* Tert. collect. quorum omnia rationem

LXXVII. Misit etiam per eundem Legatum duobus Archiepiscopis de novo creatis duo pallea assignanda illis secundùm hanc formam.

Ad honorem Dei omnipotentis & beatæ Mariæ virginis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli & Domini Papæ Innocentij & Romanæ Ecclesiæ necnon & Ecclesiæ tibi commissæ tradimus tibi palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, quo ad Missarum solemnia infra Ecclesias tibi subjectas utaris in nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, circumcisione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica in ramis palmarum, Cœna Domini, sabbatho sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione Domini, Pente-

coste, tribus festivitatibus sanctæ Mariæ, natali beati Iohannis Baptistæ, solemnitatibus omnium sanctorum, commemoratione omnium Apostolorum, dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus clericorum, Ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, anniversario consectationis tuæ die.

Sanè solus Romanus Pontifex in Missarum solemniis palleo semper utitur & ubique; quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per palleum figuratur. Alij autem eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem acceperunt, certis debent uti diebus; quoniam vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Præcepit etiam ut tam à Primate quàm præfatis Archiepiscopis reciperet hujusmodi sacramentum.

Ego Archiepiscopus Trinovitanus Primas totius Bulgariæ & Blaciæ ab hac hora in antea ero fidelis & obediens beato Petro sanctæque Romanæ & apostolicæ sedi & Domino meo Innocentio ejusque catholicis successoribus. Non ero in facto vel consilio vel consensu ut perdant vitam aut membrum, vel capiantur aut spolientur. Consilium quod mihi crediderint, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Eorum certum malum si scivero, impedire studebo. Quòd si non potero impedire, eis quàm citò potero intimare curabo. Papatum Romanum, honores, dignitates & rationes apostolicæ sedis defendam pro posse, salvo ordine meo, contra omnem viventem. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditione canonica fuerim impeditus. Apostolorum limina singulis quadrienniis per me vel per meum nuntium visitabo; nisi eorum absolvar licentia. Legatum apostolicæ sedis, quem pro certo scivero esse Legatum, devotè suscipiam & in suis necessitatibus adjuvabo. Cùm quemlibet de meis suffraganeis consecravero, faciam illi jurare ut Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ perpetuam obedientiam & debitum honorem impendat. Ceterùm cùm aliquem coronavero in Regem Bulgarorum & Blacorum juxta indulgentiam mihi & successoribus meis ab apostolica sede concessam, ab eo juratoriam recipiam cautionem quòd ei qui tunc apostolicæ sedi præfuerit, successoribus ejus, & Ecclesiæ Romanæ devotus & obediens permanebit, & cunctas terras & gentes suo subjectas imperio in obedientia & devotione sedis apostolicæ conservabit. Hæc omnia bona fide servabo. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta evangelia in præsenti & in futuro.

LXVIII. Legatus ergo transitum faciens per Vngariam, tam à Rege quàm à Principibus ecclesiasticis & mundanis honorificè fuit & devotè susceptus. Sed cùm ad fines jam Vngariæ pervenisset, missis post eum nuntiis Rex fecit ejus transitum impediri. Super quo qualiter Dominus Papa processerit ipsius litteræ manifestant ad Regem Vngariæ destinatæ.

Inter alios, *inquit*, Reges catholicos & Principes Christianos de te specialiter, fili carissime, gloriamur quòd Deo fidelis nobisque devotus existas, ita ut tu meritò valeas gloriari quòd gratiam & favorem apostolicæ sedis obtineas specialem; sicut hinc inde plurima probant, non solùm indicia, sed exempla. Rediens enim ad apostolicam sedem Iohannes tunc Capellanus noster, nunc autem Fureonensis Episcopus, constanti nobis assertione suggessit quòd à te cum ingenti honore & devotione susceptus clementer obtinuit, non solùm quod circa negotium Culumbani à regia celsitudine requisivit, verùm etiam impetravit quòd tam ipsi quàm aliis Ecclesiæ Nuntiis & Legatis liber pateat per regnum tuum progressus pariter & regressus in Bulgariam & Blaciam. Tu quoque, si bene recolimus, suggessisti quòd tuæ serenitati placebat ut Megajuppanus Serviæ debitam & devotam apostolicæ sedi reverentiam & obedientiam exhiberet, & à nobis, salvo in temporalibus jure tuo, regium susciperet diadema. Vnde nos hujus executionem negotij venerabili fratri nostro Colocensi Archiepiscopo meminimus injunxisse. Per has ergo non tam generales quàm speciales causas inducti filium nostrum Leonem tituli sanctæ crucis Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum in Bulgariam & Blaciam per regnum tuum ad propagationem fidei Christianæ duximus destinandum: qui, sicut nobis suis litteris intimavit, à tua regia celsitudine ultra etiam quàm crediderit extitit honoratus, ita ut quasi deposita gravitate regali, universa conareris efficere quæ sibi crederes complacere; dato prius cum omni jocunditate ducatu nuntiis quos in Bulgariam duxerat destinandos. Datóque pacis osculo, & facta cum magno gaudio mutua promissione amicitiæ specialis, & muneribus elargitis, non solùm licentiam obtinuit transeundi, verùm etiam tuis nuntiis præcepisti ut eum transferrent in Bulgariam cum honore, promittens quòd tuum sibi scriptum in confinio destinares, quod ipse apud se secretiùs retineret, & secundùm illud ad reformationem pacis fideliter laboraret. Procedens ergo cum nuntiis tuis usque ad regni terminum, pervenit ad castrum quod vocatur Keve, ubi solo Danubio mediante regnum Vngariæ à Bulgarorum provincia separatur, multis eum cum desiderio expectantibus ex altera parte. Sed post unius moram diei nuntios ex inspetato recepit, qui cum festinatione maxima venientes, sibi & Episcopo Bulgaro transitum fecerunt omnino præcludi, ex parte regia proponentes ut ad quoddam tuum præsidium retroiret quod itinere trium dierum reliquerat jam post tergum, ibique morans Domino Bulgarorum per nuntios demandaret quòd ad quandam insulam festinus accederet in confinio constitutam, ut ibi priùs de controversia quæ vertitur inter vos plenè cognosceret & eam fine debito terminaret, * aliàs ei transitus non pateret. Ipse verò Cardinalis inter multa respondit quòd hoc tali modo facere non debebat, tum quia si eum cum hujusmodi pactionibus reciperet ad matris ubera redeuntem, cùm super hoc non tam seculare quàm spirituale negotium ageretur, videretur intervenire species simoniacæ pravitatis; tum quia non posset eum compellere ad aliquid faciendum donec obligatus esset apostolicæ sedi per vinculum spirituale. Vnde cùm nollet ab incepto itinere retroire, protinus exiit edictum à Comite castri quòd quicunque sibi & suis aut etiam Episcopo memorato auderet aliquid vendere seu aliquod humanitatis solatium exhibere, pœnam incurreret personarum & rerum. Et ipse Cardinalis cum Episcopo sæpe dicto

* Cod. Pod. aliter

à trecentis ad minus circumfuſis ſatellitibus cuſtoditur, qui adeo ipſum comprimunt quòd oſtium cameræ, ſi camera dici debet, obſervant; ut taceamus ea quæ ſibi & ſuis circa neceſſaria naturæ viliter irrogantur. Heu heu! fili cariſſime, ubi eſt regia clementia, ubi religio Chriſtiana, ubi ſpecialis devotio quam ad nos & Romanam Eccleſiam prædicaris habere? Mutatus eſt color optimus, & aurum in ſcoriam eſt converſum. Parcat igitur eis Deus qui animum tuum pravo conſilio eduxerunt, volentibus inter regnum & ſacerdotium diſcordiam ſeminare. Sed nos pro certo ſperamus quòd aut per te ipſum jam errata correxeris, aut ad monitionem noſtram taliter debeas emendare ut injuria tranſeat in honorem & offenſa in gratiam revertatur. Quocirca ſerenitatem regiam, de qua planè confidimus, rogamus attentiùs & monemus, in remiſſionem tibi peccatorum injungentes, quatenus injuriam Cardinali prædicto, immo veriùs nobis in ipſo, quin potiùs illatam Domino Ieſu Chriſto in nobis, ita ſatagas abolere ut nos in hoc devotionem tuam experiri poſſimus[1], & non cogamur propter hoc aliquid agere quod tibi poſſit eſſe moleſtum; quia quantumcunque nobis moleſtum exiſteret te in aliquo moleſtare, non poſſemus tam perverſum exemplum relinquere incorrectum, & propoſitum noſtrum auctore Domino nihilominus exequemur. Mitiùs etiam ac benigniùs tibi ſcribimus quàm inſtans materia poſtularet, ne quis fortè litteras noſtras inſpiciens æſtimaret apoſtolicæ ſedis favorem tibi eſſe ſubtractum, quod utilitati utique ac honori tuo nullatenus expediret; quia multa geſta ſunt & geruntur in regno tuo, quæ ſi deducerentur ad limam, correctionem expoſcerent graviorem; non ſolùm de voto tuo, captione fraterna, & electionibus Prælatorum, ſed etiam multis aliis, quæ, ne nimiùm conturberis, ad præſens duximus ſupprimenda. Provideas ergo tibi, ne in eam te difficultatem inducas de qua non facilè valeas expediri.

LXXIX. Ipſe verò Rex quendam militem cum litteris excuſatoriis ad Dominum Papam direxit, per quem ei Dominus Papa reſcripſit hoc modo.

Regiæ celſitudinis litteras quas nobis per dilectum filium nobilem virum E. militem deſtinaſti benignè recepimus, & quæ ſignificaſti per eas novimus diligenter. Ad primum ergo capitulum reſpondemus quòd utique piæ recordationis progenitores tui, ex quo regnum Vngariæ ad catholicæ fidei unitatem per beati Stephani Regis diligentiam divina gratia præcedente pervenit, cum multa devotione ſedem ſunt apoſtolicam venerati, & omnes qui ex ejus progenie deſcenderunt, ſicuti in regno, ita ſibi in reverentia beati Petri ſucceſſoribus exhibenda pariter ſucceſſerunt; præſertim inclytæ recordationis Bela Rex pater tuus, qui toto tempore vitæ ſuæ ſedem apoſtolicam ſtuduit honorare; cui tu tam in regno quàm in devotione ſuccedens, ea facere ſtuduiſti quæ ad ipſius procederent commodum & honorem. Porrò ſicut nos ea quæ dicta ſunt abſque dubio recognoſcimus eſſe vera, ita tu ea quæ ſunt dicenda vera eſſe proculdubio recognoſcas. Licèt enim prędeceſſores noſtri progenitores tuos inter alios Reges catholicos diligere ac honorare ſtuduerint quadam gratia ſpeciali, ſatagentes illis ſecundùm Deum in omni neceſſitate favere, ſpecialiter tamen claræ memoriæ patrem tuum apoſtolica ſedes toto conamine promovere curavit, ita quòd cùm propter quaſdam cauſas, ſicut credimus, tibi notas regalem non poſſet obtinere coronam, felicis recordationis Alexander Papa prædeceſſor noſter poſt multas exhortationes, præceptiones, & commonitiones Strigonienſi Archiepiſcopo factas ut ei regium diadema conferret, cùm ipſe non poſſet ad hoc aliquatenus inclinari, tandem Colocenſi Archiepiſcopo diſtrictè præcepit ut ipſe illum abſque præjudicio Strigonienſis Eccleſiæ coronaret in Regem; & ſic ad mandatum apoſtolicæ ſedis obtinuit coronari. Quantum etiam circa principium regni, quod utique propter diſſenſiones multorum non leviter extitit perturbatum, apoſtolica ſedes tibi curaverit ſubvenire, ipſe rerum oſtendit effectus, quæ tandem per Legatum ſuum ad hoc ſpecialiter deſtinatum te ac tuos ex una parte, necnon & fratrem tuum ac fautores ejus ex altera, reduxit ad pacem; quæ licèt reformata fuerit & firmata, utinam tamen meliùs obſervata fuiſſet. Ad ſecundum verò capitulum reſpondemus hoc modo, quòd revera tu nuntiis noſtris in terra Iohannitij Domini Bulgarorum & ipſius nuntiis ad Eccleſiam Romanam ire volentibus per terram tuam ſecurum conductum & liberum tranſitum conceſſiſti, dimittens exercitum ad preces Legati noſtri quem congregaveras contra ipſum, ſumptibus fruſtra conſumptis; ſuper quibus ſerenitati tuæ gratiarum referimus actiones. Quòd autem ſcripſiſti quoniam præfatus Iohannitius terram quam pater tuus ſorori tuæ Imperatrici Græcorum dedit in dotem, detinet occupatam, & terram Serviæ, tuæ coronæ ſubjectam, adjuncta ſibi paganorum multitudine copioſa crudeliter devaſtavit, ita quòd præter eos qui per ejus tyrannidem ſunt perempti, non pauci Chriſtiani ſunt in paganorum captivitatem deducti, eo videlicet tempore quo precibus noſtris inductus, Rege Bohemiæ à Philippi conſortio ſeparato & Regi Othoni conjuncto, cum ipſo pro iſto validum contra illum exercitum deſtinaſti, certiſſimè noveris nobis eſſe valde moleſtum quicquid in tuam injuriam & jacturam noſcitur attentatum, & ut tibi congruè ſatisfaciat nos diligens ſtudium impenſuros & operam efficacem. Ad tertium verò capitulum reſpondemus taliter, quoniam etſi ſcripſeris quòd præfatus Iohannitius nullius terræ de jure ſit dominus, licèt aliquam partem tui & aliam regni alterius ad tempus detineat occupatam, unde miraris quòd tam manifeſtum inimicum tuum te inconſulto tam ſubitò in Regem propoſuerimus coronare, ſecus eſt tamen ex aliqua parte, ut ſalva tui pace loquamur, cùm ſuper hoc non plenè noveris veritatem. Nam antiquitus multi Reges in Bulgaria ſucceſſivè fuerunt auctoritate apoſtolica coronati, ſicut Petrus & Samuel, & alij nonnulli poſt eos. Nam ad prædicationem ſanctæ memoriæ Nicolai prædeceſſoris noſtri Rex Bulgarorum, ad quorum conſulta ſæpiſſime reſpondebat, cum toto regno ſibi commiſſo meruit baptizari; ſed tandem prævalentibus Græcis, Bulgari perdiderunt regiam dignitatem; quin immo compulſi ſunt gravi ſub jugo Imperatori Conſtantinopolitano ſervire, donec noviſſimè duo fratres, Petrus videlicet & Iohannitius, de priorum Regum proſapia deſcendentes, terram

partum

patrum ſuorum non tam occupare quàm recuperate cœperunt, ità quòd una die de magnis Principibus & innumeris populis mirabilem ſunt victoriam conſequuti. Non ergo negamus quin forſan aliquam partem terræ violenter invaſerint, ſed conſtanter aſſerimus quòd plurimam terræ partem de jure recuperavere paterno. Vnde nos eum non ſuper alienam ſed ſuper propriam terram ad inſtar prædeceſſorum noſtrorum Regem intendimus coronare, volentes ut & ipſe terram reſtituat injuſtè detentam, & terra injuſtè retenta reſtituatur eidem; cùm ipſe poſtulaverit hoc à nobis, ut de terris invaſis faciamus inter te & ipſum utrique parti juſtitiam exhiberi. Cùm igitur nuntiis noſtris ad eum & nuntiis ejus ad nos non ſolùm liberum conceſſeris tranſitum, verùm etiam ſecurum ducatum, non debuimus opinari quòd ipſe tibi eſſet infeſtiſſimus inimicus, * ſed per noſtræ ſolicitudinis ſtudium inimicitiarum occaſione ſublata, de inimicis fieri valeatis amici. Nec repentè proceſſimus ad hoc negotium conſummandum, cùm frequenter ad eum nuntios cum litteris noſtris propter hoc curaverimus deſtinare, ut filiam revocaremus ad matrem & membrum reduceremus ad caput; quatenus eſſet unum ovile & unus paſtor. Verùm & illud non ab re potuiſſemus attendere in hoc caſu, quòd cùm nobilis vir Stephanus Megajuppanus Sarviæ per venerabiles nuntios nobis humiliter ſupplicaverit ut in terram ſuam dirigeremus Legatum, qui eam ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ reduceret & regium ſibi diadema conferret, nóſque petitionem ipſius de communi fratrum noſtrorum conſilio decreverimus admittendam, hujus legationis officium venerabili fratri noſtro Iohanni Albanenſi Epiſcopo injungentes, intellecto tandem quòd hoc tuæ * ſublimitati plurimùm diſpliceret, ob tui gratiam non ſine quadam noſtra confuſione deſtitimus ab incepto. Tu verò poſtquàm expugnaſti Sarviam amoto Stephano, & Vulco ſubſtituto in locum ipſius, per tuos nuntios intimaſti quòd terram illam ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ reducere cupiebas, & ſalvo in temporalibus jure tuo, æquanimiter ſuſtinebas ut dictus Vulcus regalem ſuſciperet ab apoſtolica ſede coronam. Vnde nos hujus executionem negotij de conſilio nuntiorum tuorum venerabili fratri noſtro Coloceнſi Archiepiſcopo duximus committendam. Sed cùm jam biennium ſit tranſactum, in nullo novimus eſſe proceſſum. Ad quartum verò capitulum reſpondemus hoc modo, quòd licèt dilectum filium Leonem tituli ſanctæ crucis Preſbyterum Cardinalem apoſtolicæ ſedis Legatum devotè receperis & honoraveris ſtudiosè, ita quòd eum in oſculo pacis benignè dimiſſum feciſti uſque ad regni fines honeſtè conduci, ut jam non ſupereſſet niſi Danubij tranſitus de Vngaria in Bulgariam, quia tamen juxta verbum poëticum, *Turpiùs eicitur quàm non admittitur hoſpes*, miramur non modicùm & movemur, magis quidem pro te quàm pro nobis, quòd mox eum retroducere præcepiſti, cùm minùs indecens extitiſſet ſi non admiſiſſes eum quàm admiſſum non ſineres proficiſci. Rationibus ergo quas ad hoc in tuis litteris expreſſiſti ſufficeret illud Salomonicum reſpondere, *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum*, niſi reſpondere nos oporteret ad illud quod per litteras tuas ſuppliciter poſtulaſti, ut vel à propoſito coronationis illius deſiſteremus omnino, vel ſaltem tamdiu ceſſaremus donec diſcordia inter vos judicio poſſet vel arbitrio Legati noſtri pacari. Reddimus ergo pauciſſimas de plurimis rationes, ne nimis expreſſa reſponſio te nimiùm conturbaret. Cùm enim Cardinalis prædictus in regno tuo longam fecerit moram, & tam à te quam ab aliis non ſolùm honeſtè receptus, ſed & magnificè fuerit honoratus, profectò non poſſet mediator eſſe communis ad concordiam reformandam, aut judex æqualis ad controverſiam dirimendam, niſi pari modo in terra ſua reciperetur ab illo, ut omnis ſuſpicio tolleretur. Præterea non poſſet illum compellere ad faciendam concordiam vel juſtitiam exhibendam antequàm jugum ſuſciperet apoſtolicæ diſciplinæ noſtroque ſe ſubiceret magiſterio & præcepto. Ad hæc, cùm idem Legatus procedat ad propagandum Chriſtianæ fidei ſacramentum & promovendum apoſtolicæ ſedis honorem, ſi forſan impedires eundem, profectò divinam indignationem incurreres, & noſtram mereris offenſam, illúmque tibi redderes ampliùs inimicum, nihilque proficeres; quia nos modo alio poſſemus noſtræ voluntatis propoſitum adimplere. Attende nihilominus diligenter quale denique reputares ſi nos impedire vellemus ne filius tuus carnalis coronari poſſet in Regem, & tale nos reputare cognoſce ſi tu impedire coneris ne filius noſter ſpiritualis in Regem valeat coronari, filius inquam prodigus, qui olim cum meretricibus vivendo luxuriosè, ſubſtantiam diſſipavit, ſed tandem in ſeipſum reverſus, ad patrem revertitur: qui occurrens amplectitur & oſculatur filium revertentem, præcipiens ſervis ſuis ut eum induant ſtolam primam & dent anulum in manu ejus & calciamenta in pedibus ejus, occidántque vitulum ſaginatum, ut manducent & epulentur; quia filius ejus mortuus fuerat & revixit, perierat & inventus eſt. Qualiter autem pater indignationem ſedaverit filij ſenioris, parabola te doceat evangelica, cujus doctrinam te cupimus & in hoc & in aliis imitari. Quòd ſi forſan verearis ne poſtquam coronam acceperit, inſolentior fiat ſubitò ſublimatus, ſcire te decet pro certo quòd non tantum ex procurata fraude proficeret quantum deficeret ex fide mentita; nóſque minùs dicimus tibi, ut tu intelligas per te magis. Ad quintum verò capitulum reſpondemus, quoniam etſi ſcripſeris quod de his qui ſedis apoſtolicæ ſententiam contemnentes, tibi ſub ſecuritate contra fraudem inimicorum nil providenti Iaderam deſtruxerunt, elapſo jam biennio nihil ferè adhuc juſtitiæ ſuper tam irrecuperabili damno per Romanam Eccleſiam conſequi potuiſti, unde ſi permittetes præfatum Iohannitium coronari antequam inter te & ipſum diſcordia ſopiretur, nunquam ampliùs per Romanam Eccleſiam tibi poſſet juſtitia exhiberi; nolumus te, fili cariſſime, ignorare quòd tam ſtolium Venetorum quàm Francorum exercitum propter deſtructionem Iaderæ anathematis vinculo curavimus innodare, cúmque majores exercitus Gallicani abſolutionis beneficium poſtularent, non priùs potuerunt abſolvi quàm juraverint noſtris ſtare mandatis & obligaverint non ſolùm ſeipſos ſed ſuos etiam ſucceſſores per litteras authenticas & patentes quòd ad mandatum noſtrum ſuper illo exceſſu ſatisfacere procurabunt. Quia verò Dux Venetorum & ſui nondum abſolu-

Cod. reg. & Pod. hoste

* Cod. Pod. serenitati

tionis gratiam postularunt, nos in tantum jam processimus contra eos quòd dilectum filium suum Patriarcham electum noluimus consecrare; immo cùm ad nos personaliter accessisset, remisimus eum non sine multo pudore confusum. Significavimus quoque tibi ut apud Iadetam, quæ hactenus cum tota provincia sua subjecta fuit Patriarchæ Gradensi, faceres electionem canonicam de persona idonea celebrari, & electum ad nos consecrandum & palleandum dirigeres, ut sic inciperemus punire superbiam Venetorum. Pari modo præfatus Iohannitius puniretur, si post susceptionem coronæ nollet super discordia inter vos arbitrio vel judicio Legati nostri parere, fierèntque novissima sua deteriora prioribus & error novissimus pejor priore. Quia verò quantumcunque sæpedictum Iohannitium diligamus, te tamen diligimus incomparabiliter magis, modum, sicut credimus, invenimus congruentem per quem honori & juri tuo debeat provideri, sicut per litteras quas super hoc modò dirigimus advertere poteris evidenter. Quocirca serenitatem tuam rogamus attentiùs & monemus quatenus Deo dans gloriam & nobis honorem, non impedias propagationem fidei Christianæ nec dilatationem apostolicæ sedis, experieris absque dubio fructuosum.

LXXX. Ex illo autem verbo quod in præmissis continetur, *Quale denique reputares si nos impedire vellemus ne filius tuus carnalis coronari posset in Regem*, Rex ipse valde territus fuit: quia cùm fecisset coriam congregari solemnem ut filium suum parvulum in Regem faceret coronari, timuit vehementer ne coronationem ejus Dominus Papa faceret impediri. Vnde cùm præfatus Cardinalis ad curiam illam nuntios destinasset, tunc demum obtinuerunt à Rege licentiam transeundi. Profectus ergo Legatus universa, sicut fuerant constituta, complevit; & rediens tales ex parte Regis & Primatis Bulgarorum & Blacorum litteras reportavit.

A Calojohanne Rege totius Bulgariæ & Blaciæ ad à Deo promotum & sanctissimum & in Christo dilectum & honorificentissimum patrem regni nostri tertium Innocentium & sacerrimum Papam Romæ, & successorem principis Apostolorum Apostoli Petri. Legatus apostolicæ sedis Dominus Leo sanctitatis tuæ scriptum mèo obtulit imperio; addiscentesque de ejus sanctitate & incolumitate, omnipotenti Deo & sanctissimæ matri suæ glorificavimus. Et utinam quòd scriptum imperij mei inveniat sanctitatem tuam viventem & degentem cum omni gaudio & hilaritate! Et imperium meum per gratiam omnipotentis Dei & beatissimæ Dei genitricis & per intercessiones sanctitatis vestræ sanum est & multùm bene cum omni gaudio & exultatione. Hoc autem notum sit sanctitati vestræ, patri spirituali regni mei, Domino Papæ, quòd Dominus Leo Legatus apostolicæ sedis venit ad imperium meum, sibi afferens coronam, & eam benedicens super caput imperij mei imposuit, & in manibus meis dedit mihi sceptrum atque vexillum, & benedixit sanctissimo Patriarchæ regni mei & totius Bulgariæ ex præcepto vestræ sanctitatis. Et valde Deo & beatissimæ Dei genetrici necnon & circumspectioni sanctitatis vestræ glorificavimus, eò quòd secundùm petitionem imperij mei sanctitas vestra totum suum velle adimplevit, & universa Bulgaria atque Blacia & omnis imperij mei pertinentia valde glorificavit, & vestram sanctitatem magnificavit. Scribo autem vobis & de Vngaro, quoniam imperium meum non habet aliquam societatem regionum vel aliquam rem cum eo, neque ei nocet; immo ipse parvipendit, & nocet regionibus imperij mei. Et Dominus Leo Cardinalis vidit, & vestræ sanctitati annuntiabit justum vel injustum quod est ab imperio meo, aut si ego parvipendo Vngarum, vel si ipse meum imperium parvipendit. Et scribat ei sanctitas vestra quatenus distet à regno meo, quoniam imperium meum nec eum habet parvipendere nec contra terras ejus abire. Si verò ipse venerit contra terras imperij mei, & Deus adjuverit ut vincatur, non habeat sanctitas vestra imperium meum suspectum, sed sim liber. De Latinis quoque qui Constantinopolim introierunt, scribo sanctitati vestræ ut eis scribatis quòd distent ab imperio meo, & sicut imperium meum nullum malum eis facit, neque ipsi nos parvipendant. Si fortè ipsi conati fuerint contra imperium meum, & parvipenderint eum, & occidetur ex eis, non habeat sanctitas vestra imperium meum suspectum, sed sint universa libera. Misi autem ad tuam magnam sanctitatem pueros duos. Vnus nominatur Basilius, alius Bethelem. Et detur ex præcepto ejus ut addiscant in scholis litteras Latinas, quoniam hic grammaticos non habemus qui possint litteras quas mittitis nobis transferre; & postquam addidiscerint, remittentur ad imperium meum. Misi autem ad præsens in signum parvæ recordationis examita duo, episima dupla, unum est rubeum, & aliud album, & camelum unum. Cùm verò mittam Legatos ad sanctitatem vestram, semper vestræ sanctitatis recordabor.

LXXXI. Multas inclinationes & multas sanitates à me Basilio humili Bulgarorum & Blacorum Primate erga patrem universorum & dominum & patrem meum magnificentissimum & sanctissimum Papam Innocentium. Oramus omnipotentem Deum & sanctissimam Dei genitricem & beatissimos Apostolos Petrum & Paulum ut cum sanitate & sospitate inveniat vos scriptum meæ humilitatis, & per nostri Domini magnificentiam vivo & ego per Dei gratiam magnis involutus delictis. Notum sit ergo vestræ magnæ sanctitati quòd Leo Cardinalis & sanus & sospes pervenit delegatus à sanctitate vestra & apostolica sede, & usque ad nostram magnam civitatem Trinovæ tetendit quintadecima die mensis * Septembris, & * Cod. reg. Octobris
portavit universalem plenitudinem patriarchalis dignitatis & paramenta omnia quæ mihi à vestra magna sanctitate fuerunt delegata. Tradidit similiter & anulum & privilegium & scripta & instructiones. Ex præcepto vestræ sanctitatis unxit me chrismate, mihi benedicens, & consecravit me in Patriarcham mensis Novembris septimo die, in festivitate scilicet sancti Apostoli Iacobi fratris Domini. Et ego illa die duos unxi Metropolitanos & ceteros Episcopos magno cum gaudio, & duobus de Metropolitanis benedixit Cardinalis, & tradidit eis palleum atque mitras, & reliquis in caput eorum mitras imposuit. Octavo verò die ejusdem mensis, in festivitate videlicet sancti Michaëlis, coronavit & benedixit Imperatori Calojohanni Domino omnium Bulgarorum atque Blacorum, & superposuit capiti suo regiam coronam,

& sceptrum suis manibus imponens omnia hæc complevit & perfecit secundùm sanctitatis vestræ velle; & benedicens nobis segregatus est à nobis mensis Novembris die quintadecima. Interea sciat vestra magna sanctitas quod duos pueros ex præcepto Domini Imperatoris vobis mitto (Vnus est Presbyteri Constantini filius, alius verò Regis) ut ex præcepto vestræ sanctitatis litteras Latinas addiscant. Et quicquid meditari valetis ad honorem Imperatoris faciatis. Manuteneat enim Deus vestram sanctitatem per multa & longæva tempora.

LXXXII. Alexius autem filius Isachij quondam Constantinopolitani Imperatoris de carcere fugiens venit ad summum Pontificem, gravem de patruo suo Alexio Constantinopolitano Imperatore querelam deponens, quòd videlicet patrem suum Imperatorem Isachium, quem sicut fratrem & dominum debuerat honorare, crudeliter excœcaverat, & invadens violenter imperium, tam illum quàm ipsum Alexium ejus filium incarceraverat ferreis vincolis compeditum, postulans de eo justitiam exerceri. Contra quem idem Imperator nuntios & litteras suas summo Pontifici destinavit, quarum tenor in ipsius responsivis litteris apostolicis explicatur, & ad alia super quibus idem Imperator ei rescripserat respondetur.

Lib. 5. epist. 122. Litteras & nuntios imperatoriæ dignitatis ea qua decuit benignitate recepimus, & tam ea quæ iidem nuntij proponere voluerunt quàm quæ in litteris continebantur eisdem intelleximus diligenter. Proposuerunt siquidem nobis dicti nuntij tui, & id etiam tuæ litteræ continebant, quòd cùm Christianorum exercitus qui venturus est in subsidium terræ sanctæ proposuerit tuæ magnitudinis terram invadere & contra Christianos arma movere, nostro conveniebat officio ut eos à tali deberemus proposito revocare; ne fortè manus suas de Christianorum nece fœdantes, & Dei exinde offensam incurrerent, ac inimicos Christi, debilitati non modicùm, non possent aliquatenus impugnare. Ex parte insuper tuæ celsitudinis adjecerunt quòd Alexio filio Isachij Angeli quondam Imperatoris, qui ad Philippum Sueviæ Ducem accessit ut imperium contra te ipsius possit auxilio obtinere, favorem nullatenus præstaremus, quia imperium non debet ad eum aliqua ratione devolvi, cùm illud non per successionem sed per electionem nobilium conferatur; nisi fortè genitus esset post adeptum fastigium imperatoriæ dignitatis; quod utique idem Alexius non poterat allegare, cùm priùs quàm pater ejus esset in Imperatorem promotus natus fuerit, & quia pater ejus tunc privata erat persona, in imperio non poterat sibi jus aliquod vendicare. Nos autem imperiali prudentiæ taliter duximus respondendum, quòd prædictus Alexius olim ad præsentiam nostram accedens, gravem in nostra & fratrum nostrorum præsentia, multis nobilium Romanorum adstantibus, proposuit quæstionem, asserens quod patrem ejus injustè ceperis & feceris etiam nequiter excœcari, eos diù detinens carcerali custodiæ mancipatos, quia ad superiorem nobis non poterat habere recursum, & nos, juxta Apostolum, eramus tam sapientibus quàm insipientibus debitores, et justitiam facere tenebamur. Cùmque nos eidem dedissemus responsum juxta quod vidimus expedire, recessit à nobis, & ad prædictum Philippum sororium suum concitus properavit: cum quo deliberato consilio sic effecit quòd idem Philippus nuntios suos ad Principes exercitus Christiani sine qualibet dilatione transmisit, rogans eos & petens ut quia pater suus & ipse fuerant jure suo & imperio nequiter spoliati, cum eo Constantinopolitanum deberent regnum intrare, ac ad illud recuperandum eidem præstarent consilium & favorem, promittens eisdem quòd tam in subsidium terræ sanctæ quàm in expensis & donativis eis magnificè responderet, paratus etiam in omnibus & per omnia nostris stare mandatis, & quod sacrosanctam Romanam Ecclesiam vellet juxta posse suum modis omnibus honorare ac ea efficere quæ nostræ forent placita voluntati. Ceterùm dicti Principes deliberato consilio responderunt quòd cùm in tam arduo negotio sine mandato & auctoritate nostra non possent procedere nec deberent, nos volebant consulere super his ac exinde præstolari nostræ beneplacitum voluntatis, inducentes dilectum filium nostrum Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem, qui tum transfretare debebat, ut ad præsentiam nostram rediret, & super prædictis omnibus nostram inquireret voluntatem. Verùm idem Cardinalis ad præsentiam nostram accedens, omnia nobis curavit proponere diligenter; &, cùm nuntij vestri ad nostram accesserint præsentiam, super his cum fratribus nostris habebimus tractatum, & illud statuemus quod poterit tibi meritò complacere: quamquam plures assererent quòd ad hujusmodi postulationem benigniùs deberemus præstare favorem, pro eo quòd Græcorum Ecclesia sit apostolicæ sedi minùs obediens & devota.

LXXXIII. Cùm de subventione Hierosolymitanæ provinciæ tam in Italia quàm in Gallia ingens fieret apparatus, Comites Galliarum crucesignati miserunt nuntios suos in Italiam ad Ducem & populum Venetorum, ut ab eis sibi conducerent navigia opportuna. Tractatum est etiam inter eos de societate pariter ineunda. Et postquam sub certis pactionibus convenerunt, communiter est provisum ut aliquot in Syriam destinatis, ceteri tenderent in Ægyptum, ut caperent Alexandriam & finitimas regiones, sicque terra sancta liberaretur faciliùs de manibus paganorum. Vbi ergo Franci & Veneti societatem hujusmodi firmaverunt, utrique simul ad sedem apostolicam nuntios destinarunt, petentes ut summus Pontifex pactiones hujusmodi inter se factas pro subsidio terræ sanctæ auctoritate apostolica confirmaret. Ipse verò, quòd futurorum esset præsagiens, cautè respondit quòd conventiones illas ita duceret confirmandas, ut videlicet ipsi Christianos non læderent, nisi forsan iter eorum illi nequiter impedirent, aut alia causa justa vel necessaria forsan occurreret propter quam aliud agere non possent, apostolicæ sedis Legati consilio accedente. Vide infrà cap 93. Veneti autem confirmationem sub hoc tenore recipere noluerunt. Vnde pro certo conicitur qualis fuerit eorum intentio per effectum operis postea declarata. Contigit interim quòd Theobaldus Comes Trecensis, qui se ad iter peregrinationis magnificè præparaverat, debitum carnis exsolvit. Vnde ceteri Comites & Barones cum consilio Regis Franciæ vocaverunt Bonifacium

Marchionem Montisferrati, & eum sic ducem Christiani exercitus præfecerunt, tradita ex majori parte pecunia quam pro subsidio terræ sanctæ Comes memoratus congregaverat. Ipse verò de Francia per Alamanniam transitum fecit; ubi cum Philippo Duce Sueviæ, qui se Regem gerebat, dicebatur habuisse tractatum ut Alexium sororium suum, filium videlicet Isachij quondam Constantinopolitani Imperatoris, cujus sororem ipse Philippus duxerat in uxorem, ad se de captivitatis ergastulo fugientem reduci faceret Constantinopolim ab exercitu Christiano ad obtinendum imperium Romaniæ. De quo, cùm idem Marchio ad summum Pontificem accessisset, cœpit agere à remotis; sed cùm intellexisset ipsius animum ad hoc non esse directum, expeditis negotiis ad crucis officium pertinentibus ad propria remeavit.

LXXXIV. Quàm verò diligens & sollicitus, studiosus & promptus exstiterit ad subveniendum necessitatibus terræ sanctæ, ut ad recuperationem ipsius Christianum exercitum inflammaret, ex litteris quas super hoc negotio destinabat colligitur evidenter: de quibus, cùm multæ sint & diversæ, hanc unam credidi præsenti paginæ inserendam.

Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis in regno Franciæ constitutis. Verendum est nobis & vobis, immo etiam omnibus in sortem Domini evocatis, ne viri Ninivæ nobiscum & cum Clericis nostris surgant in judicio, & vos damnent, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, vos autem non solùm non scidistis hactenus corda vestra, sed nec manus vestras ad mandatum nostrum sæpius repetitum voluistis hactenus aperire, ut subveniretis pauperi Iesu Christo ad relevandum opprobrium quo ei à fidei nostræ hostibus jugiter exprobratur. Ecce etenim rursus in cruce sua crucifigitur crucifixus, rursus alapis cæditur, rursus etiam flagellatur; rursus cadunt opprobria exprobrantium super eum, dicentibus inimicis: *Si filius Dei es, salvum facias temetipsum.* Si quidem potes, libera terram nativitatis tuæ de manibus nostris, & crucis cultoribus restitue crucem tuam. Vos autem, quod pro majori parte dicimus & dolemus, poscenti & reposcenti sæpius nec poculum aquæ frigidæ ministrastis; ita ut contra vos jam à laicis, quos interdum ad crucis obsequium verbis non operibus invitatis, illud evangelicum assumatur: *Alligant onera gravia humeris subditorum, quæ movere digito etiam nolunt ipsi.* Iam improperatur vobis à laicis quòd de patrimonio Iesu Christi libentiùs histrionibus subvenitis quàm Christo, plura in canibus & avibus pascendis consumitis quàm velitis in ejus subsidium erogare, facti prodigi aliis, ipsi parci, vel, ut veriùs dicamus, avari. Ecce quomodo tribuistis ei pro omnibus quæ retribuit ipse vobis? Ecce quomodo amatis eum? Ecce qualiter multiplicibus ejus beneficiis respondetis; sic evidentiùs ostendentes qualiter animas pro ovibus poneretis, qui nec etiam quadragesimam partem redituum vestrorum pro ipso, immo ipsi hactenus impendere noluistis, cùm plures vestrum non solùm quadragesimam juxta mandati nostri tenorem, sed tricesimam juxta promissionem suam factam in Divionensi Concilio in tam pium opus convertere tenerentur. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & per apostolica vobis scripta mandamus, & ex parte Dei omnipotentis in virtute spiritus sancti sub interminatione divini judicij districtè præcipimus quatenus juxta priorum nostrarum litterarum tenorem vos & universi clerici jurisdictioni vestræ subjecti saltim quadragesimam partem omnium ecclesiasticorum redituum & proventuum vestrorum, priùs tamen deductis usuris quarum solutio vitari non possit, in terræ sanctæ subsidium convertatis, facientes vos, fratres Archiepiscopi & Episcopi, quadragesimam ipsam per vestras dioeceses instanter exactam & collectam fideliter in tuto loco deponi; de qua singuli vestrum, fratres Archiepiscopi & Episcopi, assumptis secum duobus fratribus, uno Hierosolymitani hospitalis, & alio militiæ Templi, de consilio nobilium virorum Matthæi de Mallio Canonici de Bethunia & Milonis de Bremont ac Galteri de Guidonisvilla, & aliorum discretorum virorum, militibus vel aliis bellatoribus qui signum dominicæ crucis assumpserint, si in suis non potuerint sumptibus transfretare, congrua de eadem summa stipendia subministrent, sufficienti ab eis cautione recepta quòd in defensionem terræ orientalis per annum vel ampliùs juxta quantitatem subsidij commorentur, & si decesserint, quod absit, in via suscepta, subsidium non in alios usus convertant, sed restituant potiùs in stipendia bellatorum; qui etiam cùm redierint, non priùs absolvantur à præstita cautione quàm litteras Regis vel Patriarchæ, vel Magistri hospitalis, vel militiæ Templi, vel etiam Legati nostri vobis exhibeant de mora ipsorum testimonium perhibentes. Vt autem mandatum apostolicum faciliùs & meliùs compleatur, per singulas provincias in metropolitana Ecclesia, vel si hoc ibi fieri propter hostilitatem vel aliud evidens impedimentum non poterit, in duobus vel tribus locis provinciæ sine dilatione convenire curetis, & inter vos juxta formam apostolici mandati de ipsius terræ subventione tractare, & post reversionem suam quilibet vestrum in sua dioecesi Concilium convocet sine mora, auctoritate* nostra præcipiens Abbatibus & Prioribus tam exemptis quàm aliis, Archidiaconis, & Decanis, & universis omnino Clericis in sua dioecesi constitutis ut juxta veram æstimationem proventus & reditus suos taxent, & infra tres menses post factam eis denuntiationem, quadragesimam partem valoris eorum sub ipsius Episcopi testimonio & aliquot religiosorum virorum, adhibitis nihilominus ad cautelam aliquibus laicis fidelibus & discretis, in locum idoneum ejusdem dioecesis non differant consignare. Ab hac autem generalitate Grandimontenses & Cartusienses heremitas, monachos Cistercienses & Canonicos Præmonstratenses excipimus, quibus mandatum super hoc injungimus speciale. Ad hæc, in singulis Ecclesiis truncum concavum poni præcipimus, tribus clavibus consignatum, prima penes Episcopum, secunda penes Ecclesiæ sacerdotem, tertia per aliquem religiosum laicum conservandis; ut & in eo fidelis quilibet, juxta quod Dominus eorum mentibus inspiraverit, suas eleemosynas * firmitate statuta deponere in remissionem eorum peccaminum moneantur, & in omnibus Ecclesiis semel in hebdomada pro remissione peccatorum, & præsertim offerentium, certa die, quam tamen sacerdos prænuntiet popu-

* Cod. Tol. apostolica

* Cod. Reg. fraternitate

jo, Missa publicè decantetur, singulisque diebus inter Missarum solemnia *Deus venerunt gentes* campanis pulsantibus cum oratione consueta dicatur. Concedimus autem vobis, fratres Archiepiscopi & Episcopi, ut circa eos qui de bonis suis terræ sanctæ voluerint subvenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum & rerum facultate pensatis, & considerato nihilominus devotionis affectu, opus injunctæ pœnitentiæ commutare possitis in opus eleemosynæ faciendæ. Noveritis autem nos venerabilibus fratribus nostris Parisiensi & Suessionensi Episcopis, & dilectis filiis Vallium Sarneij & sancti Victoris Abbatibus, per apostolica scripta districtè præcipiendo mandasse ut eos qui in Concilio à dilecto filio Petro tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali tunc apostolicæ sedis Legato apud Divionem collecto tricesimam suorum redituum in terræ sanctæ subsidium liberaliter promiserunt, saltem ad quadragesimam persolvendam, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Porrò quàm meritorium sit crucis obsequium, quàm laudabile relictis propriis, terræ sanctæ reliquiis subvenire satis patet ex evangelica lectione. Illi enim qui assumpto crucis signaculo in terræ sanctæ subsidium non dubitant transfretare, quod in evangelio legitur videntur ad litteram etiam adimplere: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Qui etiam ut veri discipuli Christi fiant, patrem, matrem, uxorem, filios, fratres & sorores, adhuc autem & animam suam juxta verbum veritatis oderunt. Numquid enim patrem, matrem, uxorem, filios, fratres & sorores non videntur odisse qui postposito carnis affectu, Regi Regum in puritate spiritus desiderant militare? Numquid suam animam non oderunt qui ut injuriam vindicent crucifixi, animas ponere non formidant, caritatis ejus privilegio commendandi de qua veritas in evangelio protestatur: *Majorem caritatem nemo habet quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Tales quærenti Domino si calicem bibere possent quem ipse fuerat bibiturus, *Possumus* securè cum Zebedæi filiis responderent. Tales de Christi gratia confidentes, dicerent securè cum Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Numquid enim qui regna, principatus, comitatus, & prædia reliquerunt larga, non securè uterentur hoc verbo quo Petrus, qui navim tantùm & rete reliquerat, fuit usus. Nos ergo, qui, licèt indigni, locum ejus tenemus in terris cui tales suum devovent famulatum, sanctæ recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, præsentium auctoritate statuimus ut bona eorum & similium, ex quo crucem susceperint, cum familiis suis sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac nostra necnon Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei protectione consistant, & donec de ipsorum reditu vel obitu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta consistant. Quòd si quisquam contrà præsumpserit, singuli vestrum in sua diocesi præsumptionem ipsius per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescant. Volentes prætereà sic super interdicti sententia prolati in terram carissimi in Christo filij nostri Philippi Francorum Regis illustris crucesignatorum

Vide lib. 2. epist. 316. pag. 194. col. 2.

petitioni deferre ut non dissolvatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus ut si qui ex eis officia voluerint audire divina, ea faciatis ipsis, exclusis aliis qui non fuerint crucesignati, non pulsatis campanis, voce celebrari suppressa. Si qui autem eorum excommunicationis forsan sententia innodati postulaverint absolvi, ab eis juratoria cautione recepta, & ipsis beneficio absolutionis impenso, non negamus quin ab eis statutam pecuniam etiam exigatis juxta terræ consuetudinem, & recipiatis exactam. Veruntamen postquàm recepta fuerit, eam ipsis pro terræ sanctæ succursu in peregrinationis subsidium conferatis, ipsum, si grave id forsitan, quod non credimus, vobis fuerit, in quadragesima, quam per vos erogari mandavimus, in eorum stipendia, qui suis non possunt transfretare sumptibus computantes. Præterea prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, ut Clerici crucesignati usque ad triennium redditus suos pignori valeant obligare concedimus, atque volumus & mandamus ut eos super hoc nec impediatis per vos in aliquo nec permittatis per alios impediri. Ex parte quoque nostra districtiùs inhibere curetis dominis signatorum ne ipsos gravent indebitè aut exactionibus præsumant insolitis molestare. Quia verò iis qui divinæ se mancipant obsequiis servitutis & abstinendum ab illicitis & licitis parciùs est utendum, ne licitum fiat illicitum si lascivè vel illicenter agatur, volumus & mandamus ut eos ex parte nostra monere diligentiùs & inducere procuretis ne diebus illis quibus carnibus vesci debent, aut etiam jejuniorum diebus, præter pulmenta pluribus ferculis quàm duobus, & eis etiam moderatis, utantur; nisi forsan Comitibus, Baronibus, & aliis nobilibus tertium ferculum, quod vulgò dicitur intermissum, ultra id quod exhibetur familiæ apponatur; nec de cetero, donec votum peregrinationis adimpleant, herminiis variis seu griseis induantur. Ad quorum utrumque tam Clericos quàm laicos, & mulieres etiam quæ vel transfretare tenentur ex voto, vel secuturæ sunt in peregrinationis itinere viros suos, similiter volumus communeri. Armigeros etiam & alios servitores diligenter & efficaciter, quantum in vobis fuerit, inducatis ut coloratis vestibus non utantur, sed contenti sint aliis convenientibus indumentis. Ceterùm quoniam nobiles viri Boloniæ, Bellimontis Comites, & multi alij, sicut accepimus, ot contra votum suum licentiùs veniant, vel illud differant adimplere, signum crucis, quod suis affixerant humeris, in animarum suarum perniciem abjecerunt, fraternitati vestræ, fratres Archiepiscopi & Episcopi, per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus eos, indulgentia etiam non obstante, si qua forsan apparuerit per subreptionem obtenta, ut signum crucis recipiant, & cum aliis statuto tempore peregrinationis propositum exequantur, monitione præmissa per excommunicationis & in terras interdicti sententias appellatione postposita compellatis, & quocunque tales devenerint, divina prohibeatis eis præsentibus officia celebrari. Quòd si forsan aliqua vobis indulgentia fuerit præsentata quæ dubia vobis vel difficilis videatur, ita quòd judicare de ipsa facilè non possitis, eam ad nostram præsentiam destinetis. Parochianos quoque vestros

1. q. 2. c. 44. *Aliud.* Vide etiam lib. 7. Capitular. c. 61.

ne saltem usque ad quinquennium ad torneamenta convenire præsumant, monere diligentiùs & inducere procureris, in personas eorum qui contrà præsumpserint excommunicationis & in terras interdicti sententias sublato appellationis obstaculo proferentes, & quocunque tales devenerint, divina prohibentes ipsis præsentibus officia celebrari; nec priùs latas in eos relaxetis sententias quàm torneamenta usque ad prædictum terminum solemniter abjurarint. Nos autem de Dei misericordia & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam Deus nobis, licèt indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem hujus itineris in personis propriis subierint & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus cordis & oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Illis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantùm expensis juxta qualitatem & facultatem suam viros idoneos destinaverint illic per annum moraturos ad minus, & illis similiter qui licèt in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impleverint, plenam suorum veniam concedimus peccatorum. Hujus quoque peregrinationis volumus esse participes, juxta quantitatem subsidij & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congruè ministrabunt. Personas insuper ipsorum & bona eorum, ex quo crucem susceperint, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, necnon & sub Archiepiscoporum & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant. Quòd si quisquam contrà præsumpserit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatur. Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento teneantur astricti, vos, fratres Archiepiscopi & Episcopi, per vestras dioceses creditores eorum sublato appellationis obstaculo eadem districtione cogatis ut eos à sacramento penitùs absolventes, ab usurarum ulteriùs exactione desistant. Quòd si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum sublato appellationis obstaculo districtione simili compellatis. Iudæos verò ad remittendum ipsis usuras per secularem compelli præcipimus potestatem, & donec eas remiserint, ab universis Christi fidelibus tam in mercimoniis quàm aliis per excommunicationis sententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut si qui forsan crucesignatorum tanto debitorum onere prægravantur ut fortè soluta non sufficiant ad expensas quas sunt in peregrinatione facturi, creditores eorum quos rei familiaris inopia non excusat, ut usque ad triennium solutionis terminum prorogent monere diligenter & inducere procureris. Horum autem omnium venerabilibus fratribus nostris Parisiensi & Suessionensi Episcopis, & dilectis filiis Vallium Sarnei & sancti Victoris Abbatibus solicitudinem delegamus, ut executores sint super capitulis illis quæ fieri sub ecclesiastica districtione mandamus, & in iis ad quæ aliquos moneri jubemus exsequantur officium monitorum.

LXXXV. Termino igitur constituto crucesignatorum exercitus ad partes Venetiarum accessit tam multus & fortis, devotus & timoratus, ut absque dubio crederetur quòd per eum Dominus antiqua miracula innovaret, nec solummodo recuperaretur Hierosolymitana provincia, verùm etiam regnum Babylonicum caperetur. Nam & Veneti tam magnifica navigia præparaverant ut à longis retro temporibus nedum visus sed nec auditus fuerit tantus navalium apparatus. Misit ergo Dominus Papa Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum ad exercitum Venetiis congregatum, ut proficisceretur cum illo in nomine Redemptoris. Sed Dux & Consiliarij Venetorum, timentes ne ipse impediret eorum propositum, quod malè conceperant, de Iadera expugnanda, dixerunt quòd si vellet ire cum eis, non ut legationis, sed ut prædicationis exerceret officium, ducerent illum, alioquin rediret. Quamvis autem displicuisset hoc Francis, rediit tamen inhonoratus à Venetis, pravam eorum intentionem summo Pontifici expressiùs manifestans. Qui litteras misit universis crucesignatis districtiùs prohibens ne terras Christianorum infestarent, & * nominatim Iaderam, quam Rex * Cod. Reg. specialiter
Vngariæ possidebat, qui similiter erat crucesignatus; alioquin scirent se anathematis vinculo innodatos. Et hanc inhibitionem & excommunicationem fecit eis per Abbatem de Locedio certiùs intimari. Marchio verò Montisferrati, qui fuerat Vide Odor. Raynald. ad an. 1203. §. 6.
super hoc à Domino Papa viva voce prohibitus, se prudenter absentans, non processit cum illis ad Iaderam expugnandam.

LXXXVI. Qualiter autem illi ad Iaderam Lib. 5. epist. 161
destruendam processerint, quantùm super hoc Dominus Papa commotus fuerit, litteræ quas misit ad illos indicant manifestè.

Dolemus non modicùm & movemur quòd iis quibus remissionis impendere gratiam solebamus & æternę polliceri retributionis augmentum, nunc, quod sine mœrore multo non dicimus, nostræ salutationis alloquium & apostolicæ benedictionis præsidium cogimur denegare. Ecce etenim aurum versum est in scoriam, & penè penitùs æruginavit argentum, cùm à puritate vestri propositi recedentes, & in invium declinantes à via, quasi manum retraxistis ab aratro, & retrorsum cum Loth conjuge respexistis. Cùm fugientes Ægyptum festinare debuissetis ad terram melle ac lacte manantem, errantes ad solitudinem divertistis; ubi reducentes ad animum qualiter in Ægypto super ollas carnium sedebatis, non solùm esuristis allia & pepones, sed fraternum sanguinem sitivistis. Sanè rememorans serpens antiquus qualiter inter semen mulieris & eum inimicitias Deus posuerit, post hominis primi lapsum, quia in caput prævalere non potuit, insidiatus calcaneo, seipsum occultavit in via, ut vel equorum ungulas tangeret, & cum equo prosterneret ascensorem, consueta fraudis astutia & solitæ nequitiæ malignitate procurans ut saltem modicum fermenti corrumperet totam massam, & omnium facti rei, cùm offenderetis in uno, totius laboris vestri meritum perderetis. Attendens siquidem ipse hostis antiquus, qui est diabolus & sathanas, qui seducit universum orbem, quòd majorem caritatem nemo habet quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis, ut vos tantæ caritatis affectu & mercede privaret, contra fratres vestros bellum movere vos fecit & signa

vestra primùm contra fideles populos explicare, quatenus sic ei peregrinationis vestræ solveretis primitias, & tam vestrum quàm fratrum vestrórum sanguinem dæmonibus funderetis. Habentes igitur faciem non euntis in Hierusalem, sed descendentis potiùs in Ægyptum, in Hierico ab Hierosolymis descendistis, & incidistis ideo in latrónes, qui & vos virtutum spoliarunt amictu, & peccatorum plagas imposuerunt spoliatis; nec abire tamen voluerunt hactenus nec relinquere semivivos, cùm adhuc apud vos immissiones per angelos malos fiant, ut tamquam pro necessitatibus vestris divertatis ad insulas, & in sumptus vestros Christianorum spolia convertatis, sicut nuper apud Iaderam accepimus vos fecisse. Cùm enim illuc navigio venissetis, signa vestra contra civitatem protinus expandentes, tentoria in obsidione fixistis, vallavistis undique civitatem, & muros ipsius non sine multa effusione sanguinis suffodistis. Cùmque cives subire cum Venetis judicium nostrum vellent, nec in hoc etiam apud vos potuissent misericordiam invenire, circa muros suos crucis imagines suspenderunt. Sed vos in injuriam crucifixi non minùs civitatem impugnastis & cives; sed eos ad deditionem violenta dextera coëgistis. Debuerant autem vos à tam nequissimo proposito vel reverentia crucis assumptæ vel carissimi in Christo filij nostri Henrici Regis Vngarorum illustria & nobilis viri Andreæ Ducis fratria ejus devotio, qui pro terræ sanctæ subsidio crucis signaculum assumpserunt, vel saltem apostolicæ sedis auctoritas, quæ vobis curavit districtiùs inhibere ne terras Christianorum invadere vel lædere tentaretis nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia causa justa vel necessaria forsan occurreret propter quam aliud agere, accedente consilio Legati, possetis. Ne verò præmissa inhibitio segniter audiretur, si qui contra eam venire præsumerent, eos denuntiavimus excommunicationis vinculo innodatos & beneficiis indulgentiæ quam apostolica sedes crucesignatis indulsit immunes. Ceterùm licèt dilectus filius noster Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus prohibitionis nostræ tenorem quibusdam ex vobis exponere curavisset, & tandem litteræ nostræ vobis fuissent publicè præsentatæ, nec Deo nec sedi apostolicæ detulistis, sed ut se redderent coëgistis miseros Iadertinos. Veneti ergo in oculis vestris subverterunt muros civitatis ejusdem, spoliaverunt Ecclesias, ædificia destruxerunt, & vos cum eis Iadertinorum spolia divisistis. Ne igitur addatur peccato peccatum, & in vobis quod legitur impleatur, *Peccator contemnit cùm in profundum venerit vitiorum*, universitatem vestram monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica vobis scripta mandamus & sub interminatione anathematis districtè præcipimus quatenus Iaderam nec destruatis ampliùs quàm hactenus est destructa, nec destrui faciatis, aut quantum in vobis fuerit permittatis, sed nuntiis Regis ejusdem ablata omnia restituere procuretis. Alioquin vos excommunicationis sententiæ subjacere noveritis, & à promissa vobis venia remissionis immunes.

LXXXVII. Principes verò Francorum suum recognoscentes excessum, juraverunt in manibus Episcoporum suorum quòd super eo mandatis Domini Papæ parerent; & fecerunt se ab illis absolvi, mittentes Suessionensem Episcopum ad apostolicam sedem ut commotionem summi Pontificis mitigarent & illum consulerent qualiter essent de cetero processuri. Ipse verò per litteras suas præcepit eisdem quatenus dignè de tanto pœnitentes excessu, & satisfacientes congruè de peccato, redderent universa quæ ad eos de Iadertinorum spoliis pervenerant, & à similibus de cetero penitùs abstinerent. Quia verò sententiam apostolicæ sedis præter auctoritatem ipsius nullus potuit relaxare, quibusdam viris discretis injunxit ut ab eis qui nondum juraverant apostolicis stare mandatis reciperent juramentum, à juratis autem exposcerent ut in eorum præsentia recognoscerent taliter se jurasse, ac deinde juxta formam Ecclesiæ munus absolutionis impenderent universis; injungentes Comitibus & Baronibus sub debito juramenti ut per patentes litteras tam se quàm successores suos sedi apostolicæ obligarent quòd ad mandatum ejus de tanta præsumptione satisfactionem exhibere curabunt; omnibus autem præciperent in communi ut à similibus de cetero abstinerent, salvis aliis mandatis quæ super hoc duceret facienda. Porrò Comites & Barones obligaverunt se sicut fuit illis injunctum, & sic omnes absoluti fuerunt. Veneti verò, tamquam qui gloriantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, nec ad pœnitentiam agendam nec ad indulgentiam implorandam voluerunt aliquatenus inclinari. Ad consultationes autem Francorum Dominus Papa rescripsit hoc modo.

Si verè vos pœnitet de commisso, & plenè proponitis satisfacere de peccato, Dominum vobis credimus, immo novimus jam placatum. Si verò Veneti potuerint ad satisfactionem induci, & absolutionis beneficium meruerint obtinere, securè cum eis navigare poteritis & prælium Domini præliari. Quòd si nec satisfacere fortè voluerint nec absolvi, utpote qui non dolere sed gaudere dicuntur potius de commisso, permittimus vobis ut cum ipsis usque in terram Sarracenorum vel Hierosolymitanam provinciam, juxta quod inter vos & ipsos convenit vel honestè convenerit, navigio transeatis, quanto minùs poteritis, cum dolore tamen & amaritudine cordis, & sub spe veniæ communicantes eisdem. Cùm enim jam à vobis majorem nauli receperint quantitatem, nec ad eam possint restituendam induci aut etiam coarctari, si aliter fieret, videremini vos damnum ex pœnitentia, ipsi autem præmium ex contumacia reportare; cùm ad hoc debitum exsolvendum ipsi vobis maneant obligati, & ab excommunicatis exigi possit & recipi quod debetur. Est autem cautum in jure quòd si quisquam per terram hæreticorum aut quorumlibet excommunicatorum transierit, necessaria emere ac recipere poterit ab eisdem. Præterea si paterfamilias domus excommunicationis sententia fuerit innodatus, à participatione ipsius familia excusatur. Licèt ergo Dux Venetorum dominus navium, tamquam paterfamilias domus, in excommunicatione persistat, vos tamen, tamquam ipsius familia, dum in navibus ejus fueritis, ipsius excommunicatio non continget, & excusabiles eritis apud Deum si in excommunicatorum navibus existentes, cum dolore cordis sub spe pœnitentiæ excommunicatis ipsis

communicaveritis in quibus communionem eorum nequiseritis evitare. Verùm cùm vel in terram Sarracenorum vel Hierosolymitanam provinciam de navibus vos descendere continget, nisi Veneti ad satisfaciendum & recipiendum juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium inducti fuerint vel compulsi, cum eis nullatenus præsumatis prælium Domini præliari; ne si eis habentibus aliquid de anathemate in crucis insurrexeritis inimicos, non prævaleatis in eos, sed terga vertentes fugiatis potiùs & cadatis. Nam in libro Iosue legitur quòd cùm Achan filius Charmi pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum de Hierico anathemate rapuisset, iratus est Dominus Israeli. Vnde cùm adversùs Hai ascendissent tria millia pugnatorum, statim terga vertentes percussi sunt à viris urbis Hai, & corruerunt ex eis triginta & sex homines; persecutique sunt eos adversarij de porta usque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes; nec priùs Dominus urbem Haï in manus tradidit Israel quàm Achan populus lapidavit & omnia quæ illius fuerant igne consumpsit. In Paralipomenon etiam cùm Iosaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Israel, cujus opera pessima fuerant, fœdus iniisset, fecissentque naves quæ irent Tharsis, Eliezer filius Dodau de Maresa ad Iosaphat prophetasse legitur & dixisse: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritaque sunt naves, nec potuerunt ire Tharsis.* In libro autem Machabæorum legitur quòd cùm Iudas contra Gorgiam præpositum Idumææ cum tribus millibus peditum & quadringentis equitibus ascendisset, in congressu contigit paucos ruere. Cùmque postmodum Iudas prostratorum corpora in paternis sepulcris ponere voluisset, invenit de idolorum donariis quæ apud Iampiam fuerant, & à quibus prohibet lex Iudæos, sub tunicis occisorum. Factum est igitur omnibus manifestum ob hanc causam eos qui ruerant corruisse. Ne autem victualia vobis desint, carissimo in Christo filio nostro Imperatori Constantinopolitano scribemus ut juxta quod per litteras suas nobis ipse promisit, victualia vobis faciat exhiberi. Quòd si forsan ea vobis contingeret denegari, cùm tamen vos devoveritis ad commune obsequium crucifixi, cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in ea, posset utique non absurdum videri ad similitudinem Imperatoris terræ, de quo cautum est in jure civili quòd si ejus exercitus indiguerit alimentis, ea possit accipere undecunque, possitis & vos cum timore Domini sub satisfaciendi proposito ad necessitatem tantùm ea sine personarum accipere læsione. In libro namque judicum reperitur quod cùm Gedeon Zebee & Salmana Reges Madian persequeretur instanter, & primò à viris Socoth, ac secundò ab habitatoribus Phanuel panes pro populo qui secum venerat, & jam quasi defecerat, postulasset, quia ei quod postulaverat denegarunt, victor reversus tulit seniores civitatis Socoth & spinas deserti ac tribulos, & contrivit cum eis atque comminuit viros Socoth. Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis. Necessitas enim, maximè cùm insistitur operi necessario, & in multis excusat. Cùm enim Dominus sabbato per sata transiret, & vellerent discipuli ejus spicas, ac manducarent manibus confricantes, & quidam Pharisæorum ad discipulos *Quid facitis quod non licet in sabbatis* proclamarent, Iesus eis legitur respondisse: *Nec hoc legistis quod fecit David, cùm esuriret ipse & qui cum eo erant, quomodo venit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit & manducavit, & dedit his qui cum ipso erant, quos non licebat nisi tantùm sacerdotibus manducare?* Et consequenter adjecit quia filius hominis dominus est etiam sabbati. Sed & hoc negotium filij hominis est, & prælium Domini quod intenditis præliari. Hæc autem exempla de scripturis sanctis induximus, non ut concedamus rapinam, sed ut toleremus quod ex gravi necessitate sine grandi dispendio vitari non posset. Provideatis autem prudenter & cautè, ut si fortè Veneti voluerint occasiones aliquas invenire quòd exercitus dissolvatur, multa pro tempore dissimulare ac tolerare curetis, donec ad locum perveneritis destinatum, ubi opportunitate accepta, eorum, ut expedit, malitiam comprimatis.

LXXXVIII. Præmisit itaque Dominus Papa Soffredum tituli sanctæ Praxedis Presbyterum Vide lib. 1. epist. 316.
Cardinalem in Hierosolymitanam provinciam, ut interim ibi legationis officium exerceret; & fecit ei mille ducentas libras conferri, ut eas tum in necessitates familiæ suæ, tum in utilitatem terræ sanctæ providè distribueret, sicut cognosceret expedire. Petrum verò tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem direxit post illum, ut, si posset, crucesignatis se jungeret, aut si non posset, in Syriam transfretaret, conferens ei totidem libras propter causas easdem. Vterque verò, unus post alium in Hierosolymitanam provinciam transfretavit, per insulam Cypri transitum faciens, & in ea quæ fuerant ordinanda disponens. Soffredus ergo præcedens, Hierosolymitanum Patriarcham invenit in ultimis laborantem; quo post aliquot dies ex hac luce migrante, idem Legatus à clero fuit in Patriarcham electus, & à populo expetitus, cum Regis assensu & suffraganeorum favore. Missique sunt nuntij de communi consilio ad apostolicam sedem, ut obtinerent eum in Patriarcham sibi concedi, & post concessionem sibi palleum destinari. Deliberavit ergo summus Pontifex ut idem Legatus induceretur, si posset, sed non cogeretur si nollet, patriarchatum recipere, mittens palleum alteri Cardinali ut illud ei, si consentiret, conferret. Sed ille noluit aliquatenus consentire. Vnde obtinuit de alterius electione tractari; & convenerunt omnes in Vercellensem Episcopum, virum utique vita & scientia & fama præclarum, cui Papa scripsit hoc modo.

Vt lapsum humani generis repararet unigenitus Vide Raynald. ad
Dei filius Iesus Christus, cùm in forma Dei esset, an. 1205. §. 27.
exinanivit, ut testatur Apostolus, semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, & elegit sibi Hierosolymam passioni, factus obediens Deo patri usque ad mortem crucis, & peccata nostra in corpore suo pertulit super lignum, reputatus cum iniquis, & cum latronibus crucifixus. Nisi ergo de ingratitudinis vitio servus voluerit inutilis condemnari, nec jugum nec jugulum recusabit subire pro Domino, cum Dominus tradidit se pro servo morte turpissima condemnatus.

Sanè

Sanè ut omnem occasionem nobis Dominus tollerct, nec ad excusandas excusationes in peccato negligentiæ locum aliquem reservaret, quicquid servus pati potuisset pro Domino, penè passus est Dominus antè pro servo. Quis ergo terrena omnia non relinquat pro eo quem descendisse noverit à cælestibus ad terrena? Quis animam suam non ponat pro illo qui pro eo spiritum emisit in cruce? Siquidem ut retribuamus ei aliquid pro omnibus quæ retribuit ipse nobis, nec tribulatio, nec angustia, nec mors, nec gladios nos debet aliquatenùs retardare quò minùs, si necessitas exigat & deposcat utilitas, gustemus pro eo calicem passionis. Si enim quemadmodum ambulavit ambulare disponimus & vestigia ejus sequi, nec opprobria exprobrantium, nec hostis familiaris insidias, nec inimici sævientis potentiam debemus aliquatenus formidare quò minùs in viis ambulemus ipsius & pedes nostros in ejus semitis dirigamus, passo compatientes ad tempus, ut in æternum regnanti feliciter conregnemus. Novimus etenim & certum tenemus tam ex prophetica quàm evangelica lectione quòd improperium expectavit cor ejus, cùm lingua ei maledicentium exprobraret quòd filius fabri esset, potator vini, & publicanorum amicus. Novimus quòd qui edebat panes ejus erexit calcaneum contra ipsum. Novimus qualiter sputo conspersus, cæsus colaphis, spinis coronatus, Pilati tyrannidem pertulit patienter, crucifixus ad ultimum, & lancea perforatus. Numquid ergo tuo te factori negabis, ut recuses onus Ecclesiæ Hierosolymitanæ subire, quam ipse suo sanguinè consecravit? Si te sibi dignatus est quodammodo eligere successorem, numquid non adibis hereditatem ipsius, nec suscitabis semen fratri defuncto, qui per te disposuit forsitan in terram peregrinationis & prædicationis suæ semen evangelicum propagare? Absit ut labores, timores, & dolores evites, paupertates, anxietates, & necessitates effugias, ne subeas onus illud ad quod es divina dispositione vocatus. Absit ut pro eo labores evites qui pro te per Prophetam se asserit laborasse, dicens in psalmo, *Laboravi sustinens*, & de quo Evangelista testatur quòd hora quasi sexta sedebat super puteum ex itinere fatigatus. Absit ut pro eo dolores evites quem pro te non dubitas doluisse, juxta quod ipse asserit in Propheta, *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor similis sicut dolor meus*, & qui de seipso in evangelio protestatur: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Absit ut pro illo timores evites qui de se legitur in psalmo dixisse, *Timor & tremor venerunt super me*, & de quo in evangelio legitur quòd cœpit pavere & tædere. Absit ut pro eo fugias paupertatem qui pro te pauper est factus, juxta quod asserit in Propheta: *Pauper & dolens sum ego*, & in evangelio: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Absit ut pro eo anxietates refugias in cujus persona loquens Propheta sic ait: *Anxiatus est in me spiritus meus, & in me turbatum est cor meum.* & qui asserit de seipso: *Baptisma habeo baptizari, & coarctor donec perficiatur.* Absit ut pro eo necessitates effugias qui pro te, ut alia taceamus, se in famis & sitis necessitatem induxit, juxta quod legitur in Propheta: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* & sicut idem Evangelista testatur quod cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit, & cui, cùm clamasset in cruce *Sitio*, acetum sive vinum myrrhatum sive etiam felle mixtum crucifigentium dextera propinavit. Si fortè te moveat quòd ad illius Ecclesiæ præsulatum vocaris cujus ad præsens non poteris possessionem adire, utpote quæ ferè tota nunc ab hostibus detinetur ad tempus, reducas oculos tuæ mentis quomodo Iacobus frater Domini suscepit Hierosolymam gubernandam, non quidem faventem sibi, sed potiùs repugnantem; utpote in qua illi tenebant eo tempore potentatum qui & Dominum crucifixerant extra orbem, & circa templum postmodum ipsum Iacobum occiderunt. Et licèt Iohannes & Thadæus secundùm carnem fuerint fratres Domini, Iacobus tamen specialiter dicitur frater ejus, utpote qui relictam fratris defuncti duxerit uxorem, ut semen ei juxta legem Mosaicam suscitaret. Qui etiam non incongruè dicitur supplantator, cùm quodammodo Apostolos supplantaverit; utpote qui quamvis primus inter alios non fuisset, ceteris tamen quasi primogenituram præripuerit, dum primogenitam suscepit Ecclesiam gubernandam; de qua videlicet Propheta testatur quòd de Sion exivit lex & verbum Domini de Hierusalem. Hæc est civitas Regis magni, de qua multa dicta sunt gloriosa, & illud quasi præcipuum quod subjungitur: *Mater Sion dicet, homo & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus.* Præterea licèt pars ipsius Ecclesiæ, quod dolentes referimus, in excidio terræ sanctæ capta fuerit & ab hostibus trucidata, pars tamen quæ manus evasit hostiles, immo etiam ipsa Ecclesia, quæ per novam est sobolem renovata, in pastorem te sibi expetit & expectat. Non ergo de loco causeris, cùm personas habeas quas gubernes; quia nomen Ecclesiæ ad personas refertur ampliùs quàm ad locum; licèt ad hoc specialiter postuleris, ut de loco solicitus, ad recuperationem ipsius & reintegrationem terræ nativitatis dominicæ totis viribus elabores. Accedentes enim ad præsentiam nostram dilecti filij Prior & Canonici sepulcri dominici tam viva voce quàm per litteras quas tulerunt nobis humiliter intimarunt quòd cùm dilectus filius noster Soffredus tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus non potuisset induci ut electioni factæ de ipso ad Hierosolymitanam Ecclesiam consentiret, convenientes in unum te in Patriarcham unanimiter postularunt; quorum postulationi & carissimus in Christo filius noster A. illustris Rex Hierosolymitanos assensum præstitit, & Archiepiscopi consenserunt, per suas nobis litteras supplicantes ut se non solùm inducere sed etiam cogere dignaremur ut postulationi eorum humiliter consentires. Idem quoque sanctæ Praxedis & dilectus filius noster Petrus tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinales, apostolicæ sedis Legati, per suas nobis litteras intimarunt quòd cùm suffraganei Ecclesiæ Hierosolymitanæ in electione vocem assererent se habere, Prior autem & Canonici sepulcri dominici hoc negarent, factum est tandem ut nominatis duabus personis, vices & voces suas in eas devotè conferrent ut ex illis quam magis idoneam crederent eis eligerent Patriarcham. Similiter & Prælati provinciæ in eos

si quid juris in electione habebant concorditer contulerunt. Ipsi ergo deliberatione præhabita de duabus nominatis personis te potiùs eligentes nominarunt eidem Ecclesiæ in pastorem. Licèt autem valde nobis necessarius sis in partibus Lombardiæ, utpote cui securè in arduis negotiis committimus vices nostras, propter urgentem tamen necessitatem, non solùm Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sed totius orientalis provinciæ, quandam nobis quasi violentiam inferentes, monemus discretionem tuam & exhortamur attentiùs, & in remissionem injungimus peccatorum, obsecrantes per aspersionem sanguinis Iesu Christi quatenus * dictæ nominationi consentiens, & prædictorum omnium desideriis condescendas, & electioni in te recipias de te factam; ne, si aliter egeris, voluntati divinæ resistere videaris, quæ tamen & à volentibus & a nolentibus semper impletur; prudenter attendens, ne si persona minùs idonea vel forsan indigna eidem præficeretur Ecclesiæ juxta desiderium aliquorum, tibi propter contradictionem tuam posset non immeritò imputari. Nec laborem istum refugias, tamquam perficere nequeas quod exoptas; quia Deus non tam profectum remunerat quàm laborem. Propter quod dicit Apostolus: *Vnusquisque propriam mercedem recipiet secundùm suum laborem.* & alia scriptura testatur: *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum.* Vnde cautè dixit Apostolus: *Plus omnibus laboravi.* nec dixit: *Omnibus plus profeci.* Quamquam ex laboribus tuis profectus speremus non modicos proventuros. Taliter igitur pro Deo & propter Deum super hoc mandatum apostolicum exequaris quòd manum districtioris severitatis nos non oporteat exhibere. Nam etsi secundùm statuta canonica nullus invitus crescere compellatur, tamen juxta legitimas etiam sanctiones aliqui ad publica munera * trahuntur inviti. Interest autem tam apostolicæ sedis quàm Ecclesiæ generalis, immo & generaliter omnium & singulariter singulorum fidelium crucifixi ut eidem Ecclesiæ persona præficiatur idonea in pastorem; nec tu tam ad honorem assumeris quàm ad onus, cùm Ecclesia illa hodie plus habeat oneris quàm honoris. Ne torberis in aliquo, vel causeris quòd præfatus Cardinalis sanctæ Praxedis factam de se postulationem canonicam sepulcri dominici non admisit: quia forsan, sicut Sarra Tobiæ, sic & ipsa viro fuit alij divino judicio reservata; vel fortassis hoc eum ad hanc oneris recusationem induxit, ne, tùm in partibus illis præsens existeret, videretur promotionem propriam procurasse, ac ex eo præsertim notam ambitionis incurreret quòd cùm ad remotionem cujusdam perversæ personæ, quæ ad eandem Ecclesiam fuerat improbè nominata, opportunè ac importunè, sicut ad ejus pertinebat officium, institisset, amota illa factam de se postulationem postmodum acceptaret.

* Cod. reg. & Pod. divinæ vocationi

* Cod. Pod. compellantur

LXXXVIIII. Ipse verò Vercellensis Episcopus humiliter acquiescens, ad apostolicam sedem accessit, & in Patriarcham promotus non solùm pallei ornamentum accepit, verùm etiam officium legationis promeruit per quadriennium in sua provincia exercendum; Ianuamque profectus, inde in Syriam navigavit. Philippus autem, sicut convenerat cum Marchione Montisferrati, misit Alexium sororium suum filium videlicet Isachij quondam Constantinopolitani Imperatoris; & eodem Marchione sagaciter mediante tractatum est inter ipsum & exercitum Christianum ut idem exercitus reduceret illum in Græciam & juvaret ad Constantinopolitanum imperium obtinendum, ipseque pecuniam eis promissam solveret, & alia pacta cum eis inita custodiret, postquam imperium obtineret. Verùm cùm hoc ad summi Pontificis notitiam pervenisset, scripsit illis hoc modo.

Cum in manu valida & extento brachio egressi fueritis de Ægypto ut vos ipsos Domino in sacrificium offerretis, doluimus non modicùm & dolemus quòd adhuc Pharao vos persequitur fugientes, vel vos potiùs sequimini Pharaonem, qui vos sub quadam necessitatis specie ac velamine pietatis sub jugo peccati vetustæ suæ nititur subdere servituti. Dolumus autem, sicut præmisimus, & dolemus pro nobis pariter & pro vobis & pro universo populo Christiano. Pro nobis, quia dum quod seminaveramus in lacrymis per Legatos & litteras nostras, vobis & aliis sæpius non absque quadam amaritudine cordis & corporis anxietate non modica verbum Domini proponentes, & exhortantes nominis Christiani cultores ad vindicandam injuriam crucifixi, & credebamus vos in exultatione messuros, ex improviso messi nostræ inimicus homo superseminavit zizania, & sic *seminavit ut in lolium degenerasse triticum videatur. Pro vobis autem; quoniam cùm expurgassetis vetus fermentum, & crederemini jam veterem hominem cum suis actibus exuisse, modicum fermenti, & utinam modicum, corrupit denuo totam massam; & dum vestimenta candida non servastis, quasi veterem reinduistis amictum, manum retrahentes ab aratro, & respicientes cum conjuge Loth retrorsum; ita ut apti non videamini secundùm Apostolum regno Dei. Pro populo autem Christiano dolumus; quoniam inde humiliatur ampliùs unde credebatur potiùs exaltari. Cùm enim multi qui vos præcesserunt in terræ sanctæ succursum, quòd non ascenderetis audito, ad propria sunt reversi, de proximo vestro passagio diffidentes, Saraceni de accessu vestro dubij, & illorum recessu securi, contra Christianos animos assumpserunt; & qualiter peccatis exigentibus prævaluerunt contra eos referre nolumus, cùm sit ferè ubilibet divulgatum. Gaudemus autem quòd receptis litteris nostris * erratum in vobis intelligentes, devotè ac humiliter mandatum ejus apostolicum executi, & juramento præstito vel recognito, absolutionis beneficium percepistis, vos & successores vestros, filij Comites, cum duobus Baronibus Gallicanis ad satisfaciendum juxta mandatum nostrum super eo quòd apud Iaderam excommunicationis sententiam incurristis, per patentes litteras obligantes. Vtinam autem pœnitentia vestra sit vera, ut sic pœniteatis videlicet de commissis quòd à similibus de cetero caveatis: quoniam qui adhuc agit quod pœnitet, non est pœnitens, sed illusor, & cani reverso ad vomitum comparatur pœnitens rediens ad peccatum, Est quoque levius peccatum quod semel committitur quàm quod commissum semel, postmodum iteratur. Nullus itaque vestrum sibi temerè blandiatur quòd terram Græcorum occupare sibi liceat vel prædari tamquam minùs apostolicæ sedi subjectam, & quòd Imperator Constantinopolitanus deposito fratre suo & etiam exco-

Vide Raynald. ad an. 1203. §. 15.

* Cod. reg. vitiavit

* Cod. reg. erraneum.

cato imperium usurpavit. Sanè quantumcunque in hoc vel alius idem Imperator & homines ejus jurisdictioni commissi delinquant, non est tamen vestrum de ipsorum judicare delictis, nec ad hoc crucis signaculum assumpsistis ut hanc vindicaretis injuriam, sed opprobrium potiùs crucifixi, cujus vos obsequio specialiter deputastis. Monemus igitur * universitatem vestram & exhortamur attentiùs, & per apostolica vobis scripta mandamus quod nec decipiatis vos ipsos, nec ab aliis decipi permittatis, ut sub specie pietatis agatis illa, quod absit, quæ redundent in vestrarum perniciem animarum; sed cessantibus potiùs occasionibus frivolis & necessitatibus simulatis, in terræ sanctæ transeatis subsidium, & crucis injuriam vindicetis, accepturi de hostium spoliis quæ vos, si moram feceritis in partibus Romaniæ, oporteret forsitan à fratribus extorquere. Aliter enim * nec possumus nec debemus remissionis vobis gratiam polliceri. Inhibitionis autem nostræ tenorem, qua vobis sub excommunicationis interminatione vetuimus ne terras Christianorum invadere vel lædere tentaretis nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia justa & necessaria causa forsan occurreret propter quam aliud agere interveniente consilio Legati possetis, memoriter retinere vos volumus & monemus, ne contra eam leviter veniatis. Ne autem culpa Ducis & populi Venetorum in pœnam vestram redundet, volumus & mandamus ut litteras nostras, quas ipsis assignandas direximus, & quæ adhuc apud vos esse noscuntur, assignari faciatis eisdem, ne ipsi excusationem in peccatis assumant.

* Cod. reg. nobilitatem

* Cod. reg. & Pod. quia nec possumus nec deb. rem. gra. vo. polliceimur.

X C. Ipsi tamen nihilominus in Græciam navigantes, Constantinopolim pervenerunt; ubi quid actum fuerit ab ipsis, litteræ ipsorum ad Dominum Papam directæ declarant.

Vide Arnold. Lubec. lib. 6. c. 19.

Quanta fecerit nobis Dominus, immo non solùm nobis, sed nomini suo dederit his diebus, quanta possimus brevitate perstrinximus, ipso prænotantes * initio, quia ex quo urbem transgressionis exivimus, (sic enim Iaderam nominamus; cujus excidium vidimus dolentes quidem & necessitate compulsi) nihil inter nos ordinatum esse meminimus quòd communiter ad utilitatem pertineret exercitus quin illud in melius providentia divina mutaverit, sibique in totum vendicans, stultam fecerit sapientiam nostram. Hinc est quòd eorum quæ facta sunt apud nos gloriosè, omnem à nobis gloriam jure repellimus; quippe qui operis adhibuimus parum, consilij nihil. Vnde necesse est ut si quis ex nobis voluerit gloriari, in Domino glorietur, non in se, vel in altero. Fœdere igitur confirmato cum illustri Constantinopolitani quondam Imperatoris Isachij filio Alexio, cùm victualibus omnibus & rebus egentes, terræ sanctæ videremur gravamen potiùs illaturi, sicut & alij ex nobis qui nos præcesserunt, quàm juvamenti aliquid allaturi, nec terræ Sarracenorum in tanta egestate nos crederemus applicare potentes, verisimilibus quidem rumoribus & argumentis inducti quòd dicti Alexij suspiraret adventum, regiæ pars potior civitatis, & pondus imperij, quem electione concordi cum solemnitate debita sublimasset, contra consuetum ordinem temporis aura favente, obedientibus Domino ventis & mari, ad urbem regiam præter omnem spem prosperè applicuimus, & in brevi. Sed nec adventavimus improvisi, qui usque ad sexaginta millia equitum præter pedites in urbe repperimus; & transilientes loca tutissima, pontes, terras, & flumina, sine damno nostrorum, terra & mari obsedimus civitatem & tyrannum pariter, qui commisso in fratrem parricidio fasces imperij diutina incubatione polluerat. Præter igitur omnium opinionem, universorum civium mentes contra nos invenimus obfirmatas, nec aliter contra dominum suum civitatem muris & machinis obseratam quàm si adventasset populus infidelis, qui loca sancta polluere & religionem proponeret inexorabiliter evellere Christianam. Imperij siquidem crudelissimus incubator, domini & fratris sui Imperatoris orbator & proditor, quique eundem carcere perpetuo sine crimine condemnasset, idem filio ejus illustri facturus Alexio si non eundem à manibus ejus felix eripuisset exilium, & præhabita in populo detestabili concione, potentes simul & plebem sermonibus adeo infecerat venenosis ut ad subversionem libertatis antiquæ Latinos assereret adventare, qui Romano Pontifici locum & gentem restituere properarent & Latinorum legibus imperium subjugare. Hæc profectò res sic omnes contra nos animavit pariter & armavit ut contra nos & exulem nostrum viderentur omnes pariter conjurasse. Sæpius ergo per nuntios nostros, immo per ipsum exulem nostrum & Barones nostros à civibus postulantes audiri, nec adventus nostri causam nec petitionis modum potuimus explicare; sed quotiens terra vel mari stantibus in muro sermones obtulimus, totiens retulimus tela pro verbis. Considerantes igitur quòd præter spem nostram cuncta contingerent, in eum statum necessitatis impacti ut statim necesse haberemus aut perire aut vincere, cùm obsidionem ipsam nulla ratione in quindecim dies protelare possemus, quos victualium incredibilis urgeret angustia, non ex desperatione quidem, sed inspirata quadam securitate divinitus suspirare cœpimus ad bella * promptissimi, periculis nos audacter opponere, & incredibiliter in omnibus obtinere. Ad conflictum etiam campestrem sæpius ordinari, inæstimabilem multitudinem fuga in urbe ignominiosa conclusimus. Aptatis igitur terra & mari bellicis instrumentis, die obsidionis octavo violenter civitas introitur, grassatur incendium, disponit contra nos acies Imperator; & paratis nobis excipere venientem, constantiam nostram cum paucitate mirans, ignominiosè * terga reflectit, in urbem retrogressus ardentem. Ipsa nocte fugam cum paucis aggreditur, suámque in urbe relinquit uxorem & parvulam prolem. Eadem re comperta, nescientibus nobis, Græcorum proceres in palatio congregantur, & exulis nostri solemnis celebratur electio, seu potiùs restitutio declaratur, insperatámque lætitiam copiosa in palatio luminaria protestantur. Manè facto prodit in castra * copiosa Græcorum procerum multitudo, suúmque cum gaudio quærit electum. Restitutam civitati asserunt libertatem, & regredienti filio ad fasces imperij cum gaudio inæstimabili sublevatum de carcere caput patris Isachij quondam Imperatoris ostendunt. Præordinatis itaque quæ necessaria videbantur, ad Ecclesiam sanctæ Sophiæ novus Imperator eum solemni processione deduci-

* Reynald. paucissimi

* Cod. reg. & Pod. freta

* Arnold. Inermis

tur, & exuli nostro sine omni contradictione imperiale restituitur diadema cum plenitudine potestatis. His peractis, ad solutionem promissorum prosilit Imperator, & promissa rebus accumulat, victualia pro servitio Domini profutura nobis præbet in annum, ducenta marcharum milia nobis solvere pergit, & Venetis sumptibus suis stolum prolongat in annum, séque juramento astringit quòd * erigere nobis debeat regale vexillum & in passagio Martij nobiscum ad servitium Domini proficisci cum quantis poterit milibus armatorum, & sub eadem promissione concludit quòd eam reverentiam præstare debeat summo Pontifici quam antecessores sui Imperatores catholici prædecessoribus suis Pontificibus pridem impendisse noscuntur, & Ecclesiam orientalem ad hoc idem pro viribus inclinare, ac toto vitæ suæ tempore milites quingentos cum sumptibus suis in terra sancta honorificè provisurum ad servitium Redemptoris.

* Arnold. exire nobiscum debeat

Vide Raynald. ad an. 1203 §. 17. 18.

Tunc demum Dux & Veneti qui erant in Græcia miserunt nuntios ad Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum, absolutionis beneficium implorantes; qui misit ad illos cum litteris suis Thesaurarium Nicosiensem de Cypro, & recepto ab eis secundùm formam Ecclesiæ juramento, fecit illos absolvi, quamvis adhuc in nullo satisfecerint de commisso, malens eos habere claudos quàm mortuos; præsertim ne ipsorum contagium ceteros inquinaret.

XCI. Alexio igitur cum Isachio patre suo ad Constantinopolitanum imperium restituto, eóque fidem non servante Latinis, qualiter Constantinopolitana civitas capta fuerit, & Balduinus Comes Flandriæ ad imperium sublimatus, ipsius litteræ ad Dominum Papam transmissæ describunt.

Sanctissimo, *inquit*, Patri & Domino carissimo Innocentio Dei gratia summo Pontifici Balduinus eadem gratia Constantinopolitanus Imperator & semper Augustus, Flandriæ & Hainoniæ Comes, Miles suus, cum devota obsequij voluntate pedum oscula beatorum. Cùm paternæ solicitudinis zelo, & nostræ congregationis in idipsum amore speciali, quæ circa nos aguntur sanctitas vestra scire desideret, seriatim vobis declarandum esse decernimus quàm mira circa nos usa sit divina clementia novitate; quamquam non nobis, sed nomini suo gloriam dederit omnibus seculis admirandam. Mirabilibus ejus circa nos semper mirabiliora succedunt; ut etiam infidelibus dubium esse non debeat quin manus Domini operetur hæc omnia, cùm nihil speratum aut provisum antè contigerit, sed tunc demum nova nobis Dominus procuraverit auxilia cùm nihil humani videretur superesse consilij. Et quidem, si bene meminimus, per litteras paternitati vestræ transmissas nostri progressus & status narrationem eò usque deduximus ut urbe populosa capta violenter à paucis, tyranno fugato, ac filio Isachij Alexio coronato, mora nostra promissa foret & ordinata per hiemem, ut potentes obtinerent si qui resistere videbantur Alexio. Et nunc breviter narranda suscipimus quæ circa nos postea contigerunt, eo prænotato, quòd sicut non opera hominum fuere, sed Dei, quæ Græcis intulimus, ita non hominum opera fuere, sed dæmonum, quæ cum Imperatore novo Græcóque per omnia Græcia nobis ex perfidia consueta retribuit. Nos siquidem, ne discordiæ inter nos & Græcos fomitem ministraret moribus nostris adversa barbaries, de civitate exeuntes, ex adverso civitatis in interjacente portu ad preces Imperatoris castra posuimus, & ex inspetato, seu innata malitia, vel Græcorum seductus perfidia, animo recessit à nobis cui tanta beneficia contulimus Imperator, & in omnibus cum patre, Patriarcha, & mole nobilium nobis promissis perjurus & mendax, tot incurrit perjuria quot nobis præstitit juramenta. Unde nostro tandem destitutus auxilio, prælia contra nos meditatur incassum, & navigij quod eum adduxerat & sublimaverat ad coronam procurat incendia. Sed voto tam crudeli, Deo nos protegente, fraudatur. Fit pars sua per cuncta deterior; & hominum suorum cædes, incendia, & rapinæ proveniunt. Imminente foris pugna, intus timoribus coarctatur; Imperatorem ei æmulum parantibus Græcis, ea occasione captata, quòd nullum ad auxilium nostrum deberet habere *confugium. Cùmque eidem evadendi spes unica restaret in nobis, juratum sibi quendam Marculfum nomine, sanguine sibi propinquum, de quo pro beneficiis impensis super omnes alios confidebat, mittit ad exercitum nostrum, qui Blachernæ palatium nobis sub Imperatoris & suo juramento promittit in obsidium donec nobis cuncta promissa reddantur. Accedit ad palatium recipiendum nobilis Marchio, illudit Alexius Marchioni; & quos jam nobis dederat spretis obsidibus, consueta perjuria non veretur. Nocte insecuta Marculfus domino suo perjurus & nobis, Græcis reddendi nobis palatij revelat arcana, atque ex hoc in perpetuum eis eripi libertatem, & ad hoc modis omnibus veniendum ipse declarat ut deiciatur Alexius. Cujus proditionis merito tertius in urbe Imperator attollitur. In dominum dormientem & rei nescium sacrilegas mittit manus; eúmque carcere tetro concludens, ac conducens tertium Nicolaum quendam, qui apud sanctam Sophiam imperiales infulas noviter usurparat, traditum sibi Græcorum, qui eum creaverant, proditione rursus incarcerat, mortuóque postmodum Isachio, qui animum filij sui à nobis præ omnibus, ut dicebant, averterat, acclamante clero Græcorum & populo ut de terra tolleretur in brevi, tantùm sanguinem nostrum sitientibus Græcis, prælia contra nos proditor jam dictus instaurat, urbem machinis & propugnaculis munit, quorum similia nemo vidit unquam. Cùmque murus miræ latitudinis lapidibus munitus, cæmentóque tenacitatis & firmitatis antiquæ constructus, in altum valde consurgens, turres haberet amplissimas pedibus circiter quinquagenis paulò plus minusve distantes inter quaslibet duas, à parte maris, quò noster timebatur assultus, turris lignea erigitur super murum stationibus tribus aut quatuor multitudinem continentibus armatorum. Nihilominus etiam inter quaslibet duas turres seu petraria seu mangonellus erigitur. Turribus autem supereriguntur ligneæ turres altissimæ stationum sex; superque supremam stationem adversùm nos porriguntur scalæ, appodiationes ex utraque parte & propugnacula continentes, paulò minùs excelsis scalarum capitibus quàm jacere in altum posset arcus à terra. Murum etiam ipsum murus

* Cod. reg. refugium.

circumcingit inferior, dupléxque fossatum, ne muris ulla applicari possent ingenia; sub quibus possent latitare fossores. Interim terra marique nos tentat perfidus Imperator, nos semper Domino protegente & suos frustrante conatus. Nam præter ordinationem nostram ad prædam victualium procul exeuntibus nostris, usque ad mille animas hominum pugnatorum Imperator occurrit in multitudine gravi, primóque congressu dissipatur omnino, cæsis captisque non paucis sine damno nostrorum; fuga ignominiosa consulens sibi, clypeum abicit, arma deponit, & nostris vexillum imperiale dimittit, nobilemque quam sibi præferri faciebat iconam, quam ordini Cisterciensi nostri dedicavere victores. Iteratò navigium nostrum flammis aggreditur, intempestæque noctis silentio sexdecim suas naves incensas velis in altum expansis & inferiùs colligatis ad proram, flante fortiter austro, nostras mittit in naves; sed Domino faciente, cum molto labore nostrorum custodium indemnes, & ardentibus navibus clavis infixis catenis hærentibus, nostrorum remigio trahuntur in pelagus, & ab imminenti mortis periculo à Domino liberamur. Nos igitur terrestrem eum provocamus ad pugnam, & ponte atque amne transmisso, qui exercitum nostrum separabat à Græcis, cuneis ordinatis ante portam diù stetimus regiæ civitatis & palatij imperialis quod Blacherna nuncupatur, in nomine Domini Israël agmina præcedente cruce vivifica, parati ad prælium Græcos excipere, si eis placuisset exire. Et quidem pro militiæ exercitio exeuntem nobilem quendam nostri pedites trucidarunt. Sic in castra reversi, terra marique sæpius provocamur; sed, dante Domino, semper ac triumphaliter obtinemus. Mittit ad nos pacis fictæ legatos perfidus incubator imperij, postulat & obtinet cum Duce colloquium: Cùmque eidem Dux magnanimus objecisset quòd nulla cum eo pacis posset esse securitas qui dominum suum carcere conclusisset postposita jurisjurandi religione & fidei ac fœderis inter quantumlibet infideles firmiter obtinentis, & ipsi præripuisset imperium; eidemque bona fide consuleret ut dominum suum restitueret & humiliter veniam postularet, novas etiam pro se promitteret preces, & quòd cum eodem domino suo, si vellet, agere misericorditer deberemus ac quicquid contra nos egerat venenosè, si rediret ad animum, imputare vellemus ætatis lapsui, non consilio, ille vana verba subintulit, quia quæ responderet non habebat. Obedientiam autem Romanæ Ecclesiæ & subventionem terræ sanctæ, quam juramento & scripto imperiali firmaverat Alexius, adeo refutavit ut vitam amittere præeligeret Græciámque subverti quàm quòd Latinis Pontificibus orientalis Ecclesia subderetur. Nocte igitur insequenti Dominum suum latenter suffocat in carcere, cum quo ipsa die prandium sumpserat, similis Iudæ; & clava ferrea, quam tenebat in manu, latera morientis & costas inaudita crudelitate confringit, casúque vitam, quam laqueo extorserat, confingit ereptam, ac imperiali sepultura concessa, propalatum omnibus scelus funeris honore dissimulat. Sicque nobis hiems tota perfiritur, donec in navibus nostris scalis aptatis, & instrumentis bellicis præparatis, nos & nostra recipientes in navibus, quinto Idus Aprilis, hoc est, feria sexta ante passionem Domini, unanimiter pro honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ & subventione terræ sanctæ navali prælio invadimus civitatem, & eadem die, sine multo tamen nostrorum sanguine, fuimus tanta perpessi ut inimicis nostris in opprobrium verteremur, quorum ea die pars fuit per cuncta superior, adeo ut tracta in terram Græcis compelleremur bellica nostra machinamenta relinquere, & infecto negotio ad ripam redire cogeremur adversam, ea die, ut videbatur, inutiliter fatigati. Conturbati ergo plurimùm & contertiti, sed demum in Domino roborati, definito consilio rursus instauramur ad pugnam, & quarto die, secundo Idus Aprilis, hoc est, feria secunda post passionem Domini, flante Borea, rursum applicamur ad muros, scalas navium scalis turrium applicantes cum multo labore nostrorum, permultum resistentibus Græcis. Sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum, non diù anceps belli duravit eventus. Duæ siquidem naves pariter colligatæ, quæ nostros Episcopos, Suessionensem videlicet ac Trecensem, deferebant, quarum erant insignia Paradisus & Peregrina, primæ scalis suis scalas turrium attigerunt, & felici auspicio peregrinos pro Paradiso certantes hostibus admoverunt. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrísque cælestium secretorum prima conceditur de cælo victoria. Irruentibus igitur nostris, procedit Domino jubente multitudo infinita pro paucis; & propugnacula relinquentibus Græcis, nostri audacter minibus portas aperiunt: quorum cùm Imperator, qui non procul à muris in tentoriis stabat armatus, conspicaretur ingressum, statim tentoria relinquit & fugit. Nostri cædibus occupantur, civitas capitur populosa, recipiuntur in palatiis imperialibus qui nostrorum enses effugiunt; multáque cæde facta Græcorum, nostri sese recolligunt advesperascente jam die; arma fessi deponunt, de assultu palatiorum in crastinum tractaturi. Suos recolligit Imperator, & crastinam hortatur ad pugnam, asserens quòd nostros in potestate nunc habeat intra murorum septa conclusos. Sed nocte latenter dat terga devictus. Quo comperto Græcorum plebs attonita, de substituendo Imperatore pertractat. Et dum manè facto ad nominationem cujusdam Constantini procedunt, pedites nostri non expectata deliberatione majori ad arma prosiliunt, & terga dantibus Græcis, fortissima & munitissima palatia relinquuntur, totáque in momento civitas obtinetur. Diripitur equorum innumera multitudo. Auri & argenti, sericorum pretiosarúmque vestium, atque gemmarum, & omnium eorum quæ ab hominibus inter divitias computantur tam inæstimabilis abundantia reperitur ut tantum tota non videatur possidere Latinitas. Et quia admodum pauca negaverant, cuncta nobis divino judicio reliquerunt, ut securè dicamus quia majora his mirabilia circa bellorum casus nulla unquam narret historia, ut impleta prophetia manifestè videatur in nobis quæ dicit: *Persequitur unus ex nobis centum alienos*; quoniam si inter singulos victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores quàm centum & obsedit & vicit. Nunc autem non nobis victoriam usurpamus, quia salvavit sibi dextera Domini, & brachium virtutis ejus revelatum est in nobis. A Domino tantùm factum est istud, & super omnia mirabilia mirabile est in oculis nostris. Or-

dinatis igitur diligenter quæ disponenda rerum poscebat eventus, ad electionem Imperatoris unanimiter & devotè procedimus, & ambitione seclusa, cum sex Baronibus Venetorum venerabiles viros Episcopos nostros Suessionensem, Halberstatensem, Trecensem, Dominumque Bethlehemitanum, qui à partibus transmarinis auctoritate apostolica nobis fuerat delegatus, Acconensem electum, Abbatémque Lucedij, Imperatoris nostri sub Domino constituimus electores. Qui oratione præmissa, ut decuit, dominica, misericordia Domini personam nostram, quod à nostris meritis procul erat, unanimiter ac solemniter elegerunt, divinis laudibus clero & populo pariter acclamante. Sequenti Dominica, qua *Iubilate* cantatur, præcipiente Apostolo Petro Regem honorificari eique obediri tanquam præcellenti, & evangelio nuntiante quòd gaudium nostrum nemo tollet à nobis, cum ingenti honore atque tripudio; more etiam suo applaudentibus Græcis, ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subventionem terræ sanctæ, gloriosè coronatum ad imperij fastigia Deo & hominibus amabiles patres memorati Pontifices cum universorum applausu & piis lacrymis sublimarunt. Aderant incolæ terræ sanctæ, ecclesiasticæ militaresque personæ, quorum præ omnibus inæstimabilis erat & gratulabunda lætitia; exhibitumque Deo gratius obsequium asserebant quàm si civitas sancta Christianis cultibus restituta, cùm ad confusionem perpetuam inimicorum crucis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ terræque Hierosolymitanæ sese regia civitas devoverit, quæ tamdiù tam potenter adversaria stetit, & contradixit utrique. Hæc est enim quæ spurcissimo gentium ritu pro * superna societate, sanguinibus alternis ebibitis, cum infidelibus ausa est sæpius amicitias firmare ferales, & eosdem mamilla diù lactavit uberrima, & extulit in superbiam seculorum, arma, naves, & victualia ministrando. Quid è contrario fecerit peregrinis, magis edocere sufficiunt in omni Latinorum gente exempla quàm verba. Hæc est quæ in odium apostolici culminis Apostolorum principis nomen audire vix poterat; nec unam eidem inter Græcos Ecclesiam concedebat qui omnium Ecclesiarum accepit ab ipso Domino principatum. * Hæc est quæ Christum solis didicerat honorare picturis, & inter ritus nefandos, quos sibi spreta scripturarum auctoritate confinxerat, & lavacri salutaris plerunque facere præsumebat iterando jacturam. Hæc est quæ Latinos omnes non hominum nomine dignabatur, sed canum; quorum sanguinem effundere penè inter merita reputabant, nec ulla pœnitentiæ satisfactione pensabant laici monachi, penes quos, sacerdotibus * spretis, tota ligandi atque solvendi consistebat auctoritas. Hæc & ejusmodi deliramenta, quæ epistolaris explicare non valet angustia, impleris iniquitatibus eorum, quæ ipsum Dominum ad nauseam provocabant, divina justitia nostro ministerio digna ultione percussit, & expulsis hominibus Deum odientibus & amantibus sese, terram nobis dedit omnium bonorum copiis affluentem, frumento, vino, & oleo stabiliam, fructibus opulentam, nemoribus, aquis, & pascuis speciosam, spatiosissimam ad manendum, & cui similem non continet orbis, aëre temperatam. Sed nec in his desideria nostra subsistunt,

* Cod. reg. & Arnold. Lubec. fraterna

* Hic quædam alia interferuntur apud Arnold. Lubec.

* Arnold. summotis. Cod. reg. summotis. Pod. per'pretis

nec ab humeris nostris sustinebimus signum regale deponi donec terra ipsa incolatu stabilita nostrorum, partes debeamus invisere transmarinas; & Deo dante propositum peregrinationis explere. Speramus enim in Domino Iesu quod qui cœpit in nobis opus bonum ad laudem & gloriam nominis sui, inimicorum crucis depressionem perpetuam perficiet, confirmabit, solidabitque. Paternitatem igitur vestram propensiùs exoramus & obsecramus in Domino ut gloriæ hujus atque victoriæ & spei præoptatæ, cujus ostium nobis magnum apertum est, principes esse velitis & duces, vestrisque temporibus & operibus adscribatis decus hoc. Quod absque ulla nobis dubitatione continget, si apostolicæ sanctitati devotos nostri præcipuè incolas occidentis, nobiles & ignobiles, cujuslibet conditionis aut sexus, eisdem desideriis accensos, ad veras immensasque divitias capessendas, temporales pariter & æternas, salutaribus monitis accendatis, proposita venientibus omnibus apostolica indulgentia nobis & imperio nostro aut temporaliter aut perpetuò fideliter servituris. Vniversis enim dare sufficimus quos nobis Christianæ religionis zelus adduxerit, universos volumus simul & possumus secundùm status suos varietatemque natalium & augere divitiis & honoribus ampliare. Specialiter autem Deo amabiles ecclesiasticos viros, cujuslibet religionis aut ritus, solicitudo vestra paterna potenter inducat ut ad idem populum prædicationibus publicis & potentibus verbis accendant, & exemplis edoceant, catervatimque & ipsi venire festinent in locis amœnissimis & uberrimis, non tamen in sanguine, sed in multa libertate & pace omnidúmque bonorum affluentia Ecclesiam plantaturi, salva semper, ut decet, suorum canonica licentia Prælatorum. Ad laudem etiam Redemptoris & sanctitatis vestræ perpetuum decus utilitatémque præcipuam generalis Ecclesiæ pertinere credentium nullus ambigeret, si in civitate Constantinopolitana veteribus honorata Conciliis vestra paternitas generale Concilium convocaret, beatissimæ personæ vestræ præsentia confirmandum, novamque Romam veteri counirет sanctionibus sacris ac perpetuò valituris. Iam enim ad Concilium Græciam rebellem vos invitasse didicimus, quasi quæ nunc videtis ipsa præsignando; licèt sive pro rebellione Græcorum, sive pro utilitatibus mundi & variis occupationibus interim videamini distulisse. Ecce nunc tempus acceptabile, Pater sancte, ecce nunc dies salutis. Cogitasse videtur Dominus cogitationes pacis, qui scabellum pedum vestrorum vestros posuit inimicos. Canite, quæsumus, tuba sacerdotali in Sion, amantissime Pater; vocate cœtum, congregate populum, coadunate senes & sugentes ubera; sanctificate diem acceptabilem Domino, diem stabiliendæ unitatis & pacis, & quam ad Dominum custodimus nostræ fortitudinis confirmandæ. Quantumlibet enim sufficientes simus ex nobis, sperare audemus in Domino quòd gaudium Domini sit fortitudo nostra ad evacuandum scandalum crucis & subiciendam in terris omnem adversariam potestatem erigentem se adversùs Dominum & adversùs Christum ejus. Recordamini, Pater sancte, cathedræ vestræ sessorum, quorum in cælo gaudent animæ, & in terris vivit gloriosa memoria, Iohannis, Agapiti, &

Leonis, seu aliorum, qui ex variis causis Constantinopolitanam leguntur Ecclesiam præsentialiter visitasse, sicut in apostolicis continetur archivis; & invenietis manifestè, si nos qui asserunt se legisse non fallunt, quòd pro causis longè minoribus eorum quilibet adventarit. Si quid ex ardenti desiderio ultra quàm decet ingerimus, ex benignitate consueta, reverende Pater, ignoscite, affectúmque nostrum apicémque negotij ulteriùs & potiùs quàm verba spectate. Illud autem silere nulla ratione * valemus, quòd reverendi Pontifices & Abbates nostri & inferioris status venerabilis clerus tam magnificè ac decenter, tam honestè inter nos se habuit ac prudenter, & armis Deo potentibus tam constanter & triumphaliter dimicavit ut coronam * gloriæ de manu Domini meritò debeat expectare, & eorum in perpetuum esse meruerit in benedictione memoria, & ne quid eis in nulla gratia desit, apostolici favoris & gratiæ cumulum pro tam bene meritis evidentiùs reportare. Illustrem virum H. Dandulum Ducem Venetorum, dilectum nobis ac meritò diligendum, cum amicis ac sociis nostris Venetis, quos fideles ac industrios per cuncta reperimus, paternitati vestræ pro suæ probitatis merito plurimùm commendamus.

[* Cod. reg. & Pad. debemus]
[* Cod. reg. & Pad. victoriæ]

XCII. Verùm antequam Franci & Veneti ad capiendam Constantinopolim processissent, tales inierunt ad invicem pactiones.

In nomine Dei æterni. Amen. Nos quidem Bonifacius Montisferrati Marchio, & Balduinus Flandriæ & Hainoviæ, L. Blesensis & Clarmontis, H. sancti Pauli Comites, pro parte nostra vobiscum, vir inclyte Domine H. Dandule, Venetiæ, Dalmatiæ, atque Crovaciæ Dux, & cum parte vestra, ad hoc ut unitas & firma inter nos possit esse concordia, & ad omnem materiam scandali evitandam, ipso cooperante qui est pax nostra & fecit utraque unum, ad ejus laudem & gloriam talem duximus ordinem observandum, utraque parte juramento astricta. In primis omnium armata manu, Christi invocato nomine, civitatem expugnare debemus; & si divina auxiliante potentia civitatem intraverimus, sub eorum regimine debemus manere & ire qui fuerint super exercitum præelecti, & eos sequi secundùm quòd fuerit ordinatum; totumque avere quod in civitate inventum fuerit à quolibet, duci debet & poni in commune, & loco quo fuerit ordinatum; de quo tamen avere nobis & hominibus Venetorum tres partes debent solvi pro illo avere quod Alexius quondam Imperator nobis & vobis solvere tenebatur. Quartam verò partem nobis retinere debemus, donec fuerimus in ipsa solutione coæquales. Si autem aliquid residuum fuerit, debemus per medietatem inter nos & vos dividere donec fueritis apagati. Si verò minus fuerit, ita quòd non possit sufficere ad memoratum debitum persolvendum, undecunque fuerit prius avere acquisitum, ex eo debemus dictum ordinem observare. Salvis tamen victualibus, quæ debent observari & dividi tam vestris quàm nostris æqualiter, ita quòd utraque pars possit inde congruè sustentari. Quod autem residuum fuerit, partiri debet in alio avere juxta ordinem prænominatum. Vos etiam & homines Venetorum liberè & absolutè absque omni controversia per totum imperium habere debetis omnes honorificentias & possessiones quas quondam consuevistis habere tam in spiritualibus quàm in temporalibus, omnésque rationes sive consuetudines quæ sunt in scripto & sine scripto. Debent etiam sex homines eligi pro parte nostra, & sex pro vestra, qui juramento adstricti eam personam eligere debent de exercitu quam credent meliùs scire & meliùs posse tenere & meliùs scire ordinare terram & imperium ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & imperij; & si fuerint in uno concordes, illum debemus Imperatorem habere quem ipsi concorditer elegerint. Si verò sex in una parte, & sex in alia concordaverint, sors mitti debet; & super quem sors ceciderit, debemus pro Imperatore habere. Et si plures consenserint in una parte quàm in alia, illum Imperatorem habebimus in quem major pars consenserit. Si verò plures partes fuerint quàm duæ, super quo major pars ordinaverit sit Imperator. Debet verò iste Imperator habere universam quartam partem acquisiti imperij, & palatium Blachernæ, & Burcam Leonis. Reliquæ verò tres partes per medietatem inter vos & nos dividentur. Sciendum est quòd clerici qui de parte illa fuerint de qua non fuerit Imperator electus, potestatem habebunt Ecclesiam sanctæ Sophiæ ordinandi & Patriarcham eligendi ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & imperij. Clerici verò utriusque partis illas Ecclesias ordinare debent quæ suæ parti contingent. De possessionibus verò Ecclesiarum tot & tantum Clericis & Ecclesiis debent provideri quot honorificè possint vivere & sustentari. Reliquæ verò possessiones Ecclesiarum dividi & partiri debent secundùm ordinem præsignatum. Insuper etiam jurandum est tam ex nostra parte quàm ex vestra quòd ab ultimo die instantis mensis Martij morari debemus usque ad annum expletum ad imperium & Imperatorem manutenendum ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & imperij; inde verò in antea omnes qui in imperio remanserint, ipsi Imperatori stringi debent juramento secundùm bonam & rationabilem consuetudinem; & illi qui tunc in imperio remanserint, ut prædictum est, jurare debent quòd firmas & stabiles pactiones quæ factæ fuerunt habebunt. Est autem sciendum quòd à nostra & vestra parte duodecim homines vel plures pro parte eligi debent, qui juramento adstricti feuda & possessiones & honorificentias inter homines distribuere debent, & servitia assignare quæ ipsi homines Imperatori & imperio facere debent, secundùm quod illis bonum videbitur & conveniens apparebit. Feudum verò quod unicuique assignatum fuerit, liberè & absolutè possidere debent de herede in heredem tam in masculo quàm in femina, & plenam habeant potestatem ad faciendum inde quicquid suæ fuerit voluntatis, salvo tamen jure & servitio Imperatoris & imperij. Imperator verò reliqua servitia facere debet quæ fuerint facienda, præter ea quæ ipsi facient qui feuda & honorificentias possidebunt secundùm ordinem sibi injunctum. Statutum est etiam quòd nemo hominum alicujus gentis quæ communem guerram * nobiscum, & successoribus nostris vel populo Venetorum habuerit, recipiatur in imperio donec guerra illa pacificata fuerit. Teneatur etiam utraque pars ad dandam operam

[* Cod. reg. & Pad. vobisc. & successoribus vestris]

bona fide ot hoc à Domino Papa valeat impetrari, ut si aliquis contra hanc institutionem ire tentaverit, sit excommunicationis vinculo innodatus. Insuper Imperator jurare debet quòd firmas & stabiles partitiones & dationes quæ factæ fuerint irrevocabiles habebit secundùm ordinationem superiùs dictam. Si verò aliquid in istis omnibus erit addendum vel minuendum, in potestate & discretione vestra & vestrorum sex Consiliatorum & Domini Marchionis & ejus sex Consiliatorum consistat. Sciendum est etiam quòd vos, præfate Domine Dux, nec debetis Imperatori qui fuerit electus, vel imperio, ad aliqua servitia facienda juramentum præstare propter aliquod datum vel feudum vel honorificentiam quæ vobis debeat assignari: tantùm illi vel ille quem vel quos loco vestro statueritis super iis quæ vobis fuerint assignata, debeant juramenta præstare ad omne servitium Imperatori & imperio faciendum juxta ordinem superiùs declaratum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quarto, mense Martij, Indictione septima.

XCIII. Attendens ergo Dominus Innocentius quòd in pactionibus illis multa continebantur illicita, præsertim ea quæ contingebant statum Ecclesiarum & Clericorum, & quòd in captione Constantinopolis multa fuerant scelera perpetrata, quòdque crucesignati prohibiti fuerant terras Christianorum offendere nisi forsan eorum nequitia iter impediretur, nec videbatur ad excusationem illorum sufficere quòd propterea licuerit eis Græcos offendere quoniam ipsi ab obedientia sedis apostolicæ sese subtraxerant & noluerant succurrere terræ sanctæ, licèt super utroque fuerint ab eodem Domino Papa commoniti, & Alexius Imperator nequiter incubaret imperio quod iniquè abstulerat fratri suo, cùm super his nullam desuper ulciscendi acceperint potestatem, cœpit vehementissimè dubitare quid in tanto negotio sibi foret agendum. Sed habito diligenti tractatu, non solùm cum Cardinalibus, verùm etiam cum Archiepiscopis & Episcopis & aliis viris prudentibus, quorum tunc de diversis partibus magna erat apud sedem apostolicam multitudo, nobili vero Marchioni Montisferrati super hoc sedem apostolicam consulenti de communi consilio rescripsit hoc modo.

Quòd inter curas & occupationes mundanas, non solùm multiplices, sed ingentes, de salute animæ tuæ solicitus & studiosus existis, prudentiam & devotionem tuam in Domino commendamus. Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? * Insuper non redimet homo, nec dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ. Laborabit in æternum, & vivet in finem. Recepimus namque litteras tuas per dilectum filium Soffredum tituli sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem nostro apostolatui præsentatas, quibus nobis insinuare curasti quòd corde contrito & spiritu * humiliato ad apostolicæ commonitionis mandatum spe indulgentiæ generalis inductus, votum crucis solemniter emisisti, & ad id fideliter prosequendum intendisti semper animo incorrupto. Quòd autem illius adolescentis suscepisti ducatum qui fatebatur Constantinopolitanum imperium sibi de jure deberi, consilium fuit dilecti filij Petri tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis apostolicæ sedis Legati, nec tam humanum consilium quàm necessitas importuna, quòd post Jadertinensis civitatis excidium ad requirenda victualia in Romaniam exercitus declinaret. Verùm tu & alij crucesignati facientes de necessitate virtutem, intendistis in ipsa principaliter procurare ut apostolicæ sedi gratum impenderetis obsequium, & expectatum nihilominus terræ sanctæ succursum, quod ad plenum consummasse putastis, cùm sine sanguinis effusione regia urbe capta, & occupatore imperij effugato, restitutísque in ipsa patre simul ac filio ad fastigium imperatoriæ dignitatis, fecistis ipsos non coactos sacrosanctæ apostolicæ sedi tactis evangeliis obedientiam exhibere, imperiali nobis scripto transmisso ad majorem fidei firmitatem, ut quod ore promiserant, opere adimplerent. Cùmque vos ad navigandum in Syriam totis viribus pararetis, innata Græcorum malitia juramentis & pactis penitùs violatis, igne, dolo, & toxico iter vestrum, non semel tantùm, sed sæpe nequiter impedierunt, & ad occupationem urbis regiæ vos in ipsorum perniciem renitentes & invitos attraxerunt; qua sola Dei virtute mirabiliter triumphata, quicquid ex tunc quocunque modo vel loco fecistis voluntarij vel inviti, communicato Dei nostri consilio semper habuistis in votis ut per vos inobedientiæ filij redirent ad obedientiam matris suæ tam debitam quàm devotam, & orientalis Ecclesia tanquam principale membrum suo capiti uniretur. Quod ut meliùs & pleniùs fieri posset, apostolicæ sedis consilium, sine quo perit penitùs opera & impensa, suspensi hactenus expectastis, & adhuc continuis desideriis expectatis. Quia verò signum crucis, prout asseris, suscepisti ad delendum tuæ maculas juventutis, & quicquid apostaticæ labis à retroactis temporibus fragilitas humana contraxerat * exterminandum, non ut graviùs & licentiùs sub umbra religionis & crucis vexillo peccares, & ad examinationis nostræ calculum singula referens, in omnibus & per omnia te nostris exponere consiliis & mandatis, ita ut si Romaniæ statum & tui moram in ea noverimus apostolicæ sedi & terræ promissionis efficaciter expedire, téque per hoc remissionem accipere peccatorum, non abnuis pericula vel labores; alioquin non habito respectu ad possessiones & honorificentias quas obtines affluenter, illud tibi potiùs injungamus per quod abundantiùs merearis iram supremi judicis declinare. Sanè per ea quæ superiùs sunt descripta tacitis videris objectionibus respondere quæ contra crucesignatos possunt taliter intorqueri. Cùm enim vos devoveritis in obsequium crucifixi ad liberandum terram sanctam de manibus paganorum, & sub excommunicationis interminatione fuerit vobis inhibitum ne terras Christianorum invadere vel lædere tentaretis nisi forsitan iter vestrum ipsi nequiter impedirent, aut alia justa & necessaria causa vobis occurreret propter quam, interveniente Legati nostri consilio, aliud agere valeretis, vos nullam in Græcos jurisdictionem aut potestatem habentes, à puritate voti vestri temerè declinasse videmini, dum non contra Sarracenos, sed contra Christianos arma movistis, non intendentes ad recuperandam Hierusalem, sed Constantinopolim occupandam, terrenas opes cælestibus divitiis præferendo.

Illudque

* Cod. reg. & Ved. Frater non redimet, redimet homo, non

* Vidm. Codd. sincero

* Cod. regi eliminandum

Illodque longè gravius reputatur quòd quidam nec religioni nec ætati nec sexui pepercerunt, sed fornicationes, adulteria, & incestus in oculis omnium exercentes, non solùm maritatas & viduas, sed & matronas & virgines Deóque dicatas exposuerunt spurcitiis garcionum. Nec imperiales suffecit divitias exhaurire ac diripere spolia majorum pariter & minorum, nisi ad Ecclesiarum thesauros & quod gravius est, ad ipsarum possessiones extenderetis manus vestras, tabulas argenteas de altaribus rapientes, & violatis sacrariis, cruces, iconas, & reliquias asportantes, ut Græcorum Ecclesia, quantumcunque persecutionibus affligatur, ad obedientiam apostolicæ sedis redire contemnat, quæ in Latinis nonnisi proditionis exempla & opera tenebrarum aspexit, ut meritò illos abhorreat plusquam canes. (Vide infrà pag. 59. col. 1.) To verò contra jurisdictionem & potestatem indebitam vel potiùs usurpatam, apostolicæ sedis Legati consilium allegasti, tamquam ex eo vobis licuerit cum præfato adolescente ad restituendum sibi Constantinopolitanum imperium proficisci; quamvis & id potueris allegare, quòd cùm vos victualium defectus urgeret, sine quibus non poteratis votum crucis implere, licuerit vobis propter causam adeo necessariam operas vestras illi locare qui justam causaoi prosequi videbatur; præsertim cùm per hoc intenderitis finaliter ad terræ sanctæ succursum & apostolicæ sedis augmentum. Cùmque pollicitam vobis & debitam negaverint illi mercedem, juramentis & pactis penitùs violatis, quin etiam armis, igne, dolo, & toxico vos sæpiùs attentaverint, tamquam in arcto positi, * coacti fuistis ut contra schismaticos & perjuros debita vobis injustè negantes exerceretis debitam ultionem. (* Cod. reg. & Pod. coacti) Divinum enim videtur fuisse judicium ut qui tamdiu misericorditer tolerati, & totiens, non solùm ab aliis, sed etiam à nobis studiosè commoniti, noluerunt redire ad Ecclesiæ unitatem nec ullum terræ sanctæ subsidium impertiri, per eos qui ad utrumque pariter intendebant amitterent locum & gentem; quatenus perditis malè malis, terra bonis agricolis locaretur, qui fructum reddant temporibus opportunis, quemadmodum legitur in Daniele Propheta: *Est Deus in cælo qui revelat mysteria, mutat tempora, & transfert regna. Ipse dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit illud.* Vulgaris verò tenet sententia quòd juta regnorum semper violenta fuerunt. Quia verò judicia Dei nonnunquam adeo sunt occulta ut à Propheta dicantur abyssus multa, ita ut Apostolus clamare cogatur, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* nos de tam profundo judicio nolentes temerè judicare, præsertim antequam de veritate negotij pleniùs instruamur, cùm & illi potuerint justè puniri propter peccatum quod commiserunt in Deum, & vos nihilominus injustè punire propter odium quod exercebatis in proximos, si tamen proximi sunt dicendi qui proximare contemnunt, cùm etiam propter justam illorum pœnam forsitan Dominus justam vobis mercedem dederit, juxta quod dixisse legitur in Propheta, *Quia servisti mihi in Tyro, dabo tibi Ægyptum*; unde Assur virgam furoris sui appellat, illud omissis dubiis tibi pro certo duximus respondendum, in uno pariter & eodem tam terræ sanctæ quàm apostolicæ sedi necnon animæ tuæ salubriter consulentes, ut sub timore Domini & spe veniæ terram divino judicio acquisitam teneas & defendas, & tenendam ac defendendam acquiras, populos tibi subjectos in justitia regens, sub pace conservans, & religioni conformans; ita ut ecclesiastica bona restituas, secundùm propriam facultatem pœnitens & satisfaciens de commissis, cùm hujusmodi res vix geri potuerit sine piaculari reatu; quoniam qui tangit picem, coinquinabitur ab ea; firmúmque geras in voto propositum ut ad terræ sanctæ succursum, cui te specialiter & principaliter devovisti, prudenter & potenter intendas, cùm per hanc terram illa de facili recuperanda speretur. Ad hæc, cùm ad exempla patrum & fratrum tuorum, qui sacrosanctam Romanam Ecclesiam de corde puro & conscientia bona & fide non ficta revereri semper ac venerari per omnia studuerunt, tu nobis & apostolicæ sedi fidelis & devotus existas, de plenitudine gratiæ nostræ te reddimus omnino securum, scituras pro certo quòd ea cupimus operari quotiens se obtulerit opportunitas quæ ad honorem & profectum tuum debeant magnificè redundare. Datum &c.

XCIV. Quia verò per Constantinopolitani imperij detentiooem, quod divino judicio sibi subjugavere Latini, Hierosolymitana provincia sperabatur facilè liberari de manibus paganorum, ex tunc firmato proposito Dominus Papa cœpit ad eorum succursum qui Constantinopoli morabantur intendere diligenter, scribens pro illis Archiepiscopis & Episcopis in hunc modum.

Vir unus de Ramatha duas sibi copulavit uxores, Annam videlicet & Phenennam; sed quæ priùs fuit prolis gloria decorata, quoniam superbivit ubi altera cœpit de fœcunditate sobolis in Domino exultare, meruit infamari, sicut ipsius canticum manifestat. Ea siquidem quæ sub umbra legis historialiter accidisse leguntur, cùm secundùm Apostolum omnia illis contingerent in figuram, spiritualiter eveniunt in populo Dei tempore gratiæ revelari, ut à Moysi facie sublato velamine, per evangelicæ doctrioæ fulgorem tenebrosa aqua in nubibus aëris elucescat, & significans appareat evidenter. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus, unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ, duas convocans ad se gentes, Græcum videlicet populum & Latinum, ipsos sibi conjunxit per fidei sacramenta. Sed alter eorum, videlicet Græcus, qui septeno Ecclesiarum numero gloriatur, de quibus & earum angelis mentionem facit in Apocalypsi Iohannes, ubi Latinorum Ecclesiæ vidit funiculos dilatari, quasi stimulis invidiæ agitatus ab * unitate discessit, noo attendens quòd cùm sponsus præmisisset in canticis, (* Cod. Pod. à veritate) *Sexaginta sunt Reginæ & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*, statim adjunxit: *Vna est columba mea, perfecta mea: una est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, Reginæ & concubinæ laudaverunt eam. Nam multæ filiæ congregaverunt divitias; hæc autem supergressa est universas.* Postquam autem Græcorum populus rupto vinculo pacis ab unitate discessit, elanguit etiam circa fidem, tenuens confiteri quòd spiritus sanctus, qui est unitatis æqualitatísque connexio,

procedat à filio sicut à patre procedit. Quia igitur circa processionem spiritus sancti profiteri renuit veritatem, meritò tenebras mentis incurrit, cùm ipse spiritus omnem doceat veritatem, sicut filius in evangelio protestatur. Spirituali enim intellectu privatur, quia peccavit in spiritum, fermentum non ejecit à domo, ut epularetur in azymis sinceritatis & veritatis; sed veteri fermento retento, corpus Christi, quantum in ipso est, comedit fermentatum. Benedictus autem Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; qui suam volens Ecclesiam consolari, ut Ephraim converteretur ad Iudam, & ad Hierusalem Samaria reverteretur, super eundem populum quasi montem caliginosum signum dignatus est mirabiliter elevare, ac ejus portas sanctificati Deo sunt ingressi, Græcorum imperium à superbis ad humiles, à superstitiosis ad religiosos, à schismaticis ad catholicos, ab inobedientibus transferens ad devotos. Cùm enim Christianus exercitus illuc cum Alexio Isachij advenisset, & capta urbe Constantinopoli idem fuisset Alexius coronatus, ductus exercitus ibidem proposuit hiemare. Sed quid novus Imperator pro beneficiis sibi ab eodem collatis retribuere studuerit, longum esset præsenti pagina enarrare. Verùm ut multa breviùs perstringamus, eorum malitia, quasi Amorrhæorum iniquitate completa, dextera Domini fecit virtutem, & exaltavit exercitum Christianum, illos digna ultione percutiens, ac eorum terram auro vel argento gemmisque refertam, frumento, vino, & oleo stabilitam & bonorum omnium copiis affluentem, exercitui tribuens memorato. Expulsis igitur de Constantinopoli Græcis, & eorum terra pariter subjugata, carissimum in Christo filium nostrum Balduinum Comitem Flandriæ & Hainoviæ ad imperij regimen voluntate communi & unanimi sublimarunt; ut videatur in illo completum quod fuerat de Cyro prædictum: *Subiciam*, inquit, *ante faciem ejus gentes, & dorsa Regum vertam. Aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum.* Hic igitur mirabiliter sublimatus nobis humiliter supplicavit ut apostolicæ sedis devotos clericos simul ac laicos, nobiles & ignobiles, cujuslibet conditionis & sexus, apostolicis dignaremur exhortationibus invitare ut ad ipsius accedant imperium, ab eo secundùm qualitates & merita gratas divitias recepturi. Attendentes igitur quòd mutatio hujus imperij dexteræ mutatio sit excelsi, & ab eo factum sit istud qui tempora mutat & transfert regna, cùm per illud terræ sanctæ possit utiliùs subveniri, quin potiùs cùm per illud ista credatur posse recuperari de levi, fraternitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus tam clericos quàm laicos efficaciter inducatis ut ad capessendas spirituales pariter & temporales divitias ad præfatum Imperatorem accedant, qui, ut ejus verbis utamur, cùm sufficiat universis quos ad eum Christianæ religionis zelus adduxerit, singulos vult & potest secundùm status suos varietatemque natalium & augere divitiis & honoribus ampliare; ut Constantinopolitano imperio roborato, & in devotione apostolicæ sedis ibidem Ecclesia stabilita, idem Imperator ad expugnandas barbaras nationes, quæ terram in qua Deus noster Rex ante secula nostram dignatus est operari salutem, peccatis exigentibus detinent occupatam, manu forti & brachio extento valeat properare; sperantes in Domino Iesu Christo quòd ipse qui per eum jam cœpit mirabiliter operari, opus inceptum ad laudem & gloriam nominis sui mirabiliùs consummabit. Nos igitur his qui accedentes ad ipsum in terræ sanctæ subsidium laboraverint, illam concedimus indulgentiam peccatorum quam aliis crucesignatis apostolica sedes indulsit.

XCV. Præfatus autem Balduinus Comes Flandriæ postquam ad Constantinopolitanum imperium extitit sublimatus, per nuntios & apices suos vocavit ad se præfatum Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum in Hierosolymitana provincia existentem, ut accedens in Græciam de personis & rebus ecclesiasticis auctoritate apostolica ordinaret. Porrò cùm sæpedictus Soffredus tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, similiter apostolicæ sedis Legatus, nollet ibi remanere post illum, ambo pariter recedentes Constantinopolim accesserunt, facta priùs sex annorum treuga cum Sarracenis; & tanta eos secuta est multitudo, non solùm laicorum, sed etiam clericorum, quòd alienigenæ penè omnes & indigenæ multi Hierosolymitanam provinciam deserentes, Constantinopolim adierunt. Sed præfatus Soffredus modicam faciens ibi moram, per Thessalonicam, ubi cum Marchione Montisferrati est aliquandiu commoratus, ad sedem apostolicam est reversus. Qualiter autem Dominus Papa scripserit super his & aliis præfato Petro tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali apud Constantinopolim existenti ejus litteræ manifestant, quarum tenor est talis.

Audito jampridem quòd tu & dilectus filius noster Soffredus tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, relicta in multæ necessitatis * articulo Hierosolymitana provincia, Constantinopolim navigio veneratis, mirati sumus non modicùm & turbati, eidem terræ imminens periculum formidantes. Et ecce quod verebamur accidit, & quod timuimus jam evenit. Nam præter id quod bonæ memoriæ Patriarcha Hierosolymitano tunc temporis viam universæ carnis ingresso, Ecclesia Hierosolymitana vacabat, & ex guerra quæ tunc inter carissimum in Christo filium nostrum Regem Anneniorum illustrem & Tripolitanum Comitem super principatum Antiochenum vertitur, inter Christianos æmulatio quædam erat, postmodum ex inclytæ recordationis A. Regis Hierosolymitanorum & filij ejus obitu improviso regnum Hierosolymitanum penè penitus omni est regimine destitutum. Et quia vos, qui debueratis ibidem majus expectare subsidium & ad succurrendum eidem terræ tam exemplo quàm verbo alios invitare, pro vestræ voluntaris arbitrio exinde in Græciam navigastis, non solùm peregrini, sed indigenæ terræ sanctæ, vestris vestigiis inhærentes, Constantinopolim devenerunt, venerabili fratre nostro Archiepiscopo Tyrensi vos pariter subsecuto. Remansit ergo terra illa, recedentibus vobis, viris & viribus destituta, & facta sunt novissima ejus hominum occasione pe-

* Cod. Vat. periculo

jora prioribus, cùm omnes amici ejus illam vobiscum reliquerint, nec sit qui consoletur eam ex omnibus caris ejus. Vnde facti videntur hostes ejus in capite, si fœdus treugarum voluerint violare, quod etiam à quibusdam dicitur Rege ac filio ejus exspirantibus exspirasse. Turbamur igitur intra nos ipsos non modicùm, & contra vos meritò commovemur, quòd in hoc consilium devenistis ut simul relinqueretis eam quam Dominus sua præsentia consecravit, & in qua nostræ redemptionis mysterium Rex noster ante secula novissimis temporibus est mirabiliter operatus. Quamvis sanè venerabilis frater noster quondam Episcopus Vercellensis in Patriarcham Hierosolymitanum fuerit postulatus, & nos postulationem approbantes ejusdem, jam ei palleum duxerimus concedendum, propter occupationes tamen multiplices non tam citò forsan poterit transfretare. Debueratis ergo causam vestræ legationis attendere ac solicitè cogitare quòd non ad capiendum Constantinopolitanum imperium, sed defendendas reliquias terræ sanctæ, ac perdita, si daret Dominus, restauranda vos duxerimus delegandos, mittentes vos non ad capessendas temporales divitias, sed promerendas æternas, cùm nos & fratres nostri vobis in expensis providerimus competenter. Audito autem nuper & per tuas litteras intellecto quòd universos crucesignatos qui in defensione Constantinopolis à præcedenti Martio usque ad proximum morarentur, à voto peregrinationis & onere crucis absolveras, contra te non potuimus non moveri, cùm nec debueris nec potueris talia nullatenos attentare, quicunque tibi contrà suggererent, & quocunque modo seducerent mentem tuam. Cùm enim illi ad hoc principaliter assumpserint signum crucis & hoc præsertim voverint Domino Deo suo ut in terræ sanctæ subsidium transfretarent, & à via postmodum errantes in invium temporalia commoda usque hodie sint secuti, utrum tibi licuerit immutare taliter immo pervertere potiùs votum tam solemne ac pium, tibi relinquimus discernendum. Ecce etenim, quod cum mœrore ac rubore referimus, unde videbamur hactenus profecisse defecimus, & angustamur unde credebamus potissimùm dilatari. Quomodo enim Græcorum Ecclesia, quantumcunque persecutionibus affligatur, ad unitatem Ecclesiæ & devotionem sedis apostolicæ revertetur, quæ in Latinis nonnisi proditionis exempla & opera tenebrarum aspexit, ut jam meritò illos abhorreat plusquam canes? Illi enim qui non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærere credebantur, gladios, quos exercere debuerant in paganos, Christianorum sanguine cruentantes, nec religioni nec ætati nec sexui pepercerunt, incestus, adulteria, & fornicationes in oculis omnium exercentes, & tam matronas quàm virgines & Deo dicatas exponentes spurcitiis garcionum. Nec suffecit iisdem imperiales divitias exhaurire ac diripere spolia principum & minorum, nisi ad thesauros Ecclesiarum &, quod gravius est, ad ipsarum possessiones extenderent manus suas, tabulas argenteas etiam de altaribus rapientes & inter se confringentes in frusta, violantes sacraria, & cruces & reliquias asportantes. Præterea, cùm latere non possit quod inter tot millia hominum est præsumptum, numquid Sarraceni qui capta Constantinopolitana urbe nimio fuerant timore perculsi, ex quo intellexerint quòd crucesignati post annum sint ad propria redituri, & jam in eos ultio divina desæviat, quæ iniquitates ipsorum jam incipit flagellare, animos non resument, & pauculas oves, quas velut in deserto luporum morsibus reliquistis, nisi sola eis Dei dextera restiterit, non vorabunt? Nos quoque qua fronte de cetero populum occidentis ad terræ sanctæ subsidium & præsidium imperij Constantinopolitani poterimus invitare, quibus, etsi non ob culpam propriam, tamen propter factum tuum aliqui forsitan imputabunt quòd crucesignati relicto peregrinationis proposito absoluti ad propria revertantur, & qui prædictum imperium spoliarant, illo immunito relicto, referti spoliis terga vertant. Non sit ergo in ore tuo verbum Domini alligatum, nec sis tanquam canis mutus latrare non valens; sed hoc loquere, publicè ac coram omnibus protestans, ut tanto te ampliùs pro Deo & propter Deum objurgantem inveniant quanto magis invenerunt te hactenus negligentem. [Super absolutione autem Ducis & populi Venetorum contra formam ecclesiasticam perperam attentata non arguimus te ad præsens, cùm per alias litteras super hoc ad te specialiter destinatas te duxerimus arguendum.]

Vide supra cap. 88.

Vide supra pag. 57. & Raynald. ad an. 1231. §. 11.

Hæc addita sunt ex regesto, ubi extare scribit Raynald. ad an. 1205. §. 13.

XCVI. Qualiter autem fuerit ad electionem Patriarchæ processum, ex litteris Domini Papæ colligitur evidenter in hunc modum Imperatori directis.

Postquam dextera Domini, quæ glorificata est in virtute, Constantinopolitanum imperium à Græcis transtulit in Latinos, volentes ij qui fuerant in exercitu Latinorum imperio ipsi de persona idonea providere, ex Principibus Galliarum Imperatorem concorditer elegerunt. Vt autem Veneti, qui fuerant laboris participes, essent pariter consortes honoris, placuit Latinis in communi ut de clero Venetiarum assumeretur vir idoneus & præferretur Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcha. Cùm ergo quidam clerici Venetorum fuissent Ecclesię sanctę Sophię servitio deputati, ne acephali, id est, sine capite viderentur de præficiendo sibi pastore tractantes convenerunt in unum, & dilectum filium Thomam Subdiaconum nostrum in Patriarcham elegerunt, & confirmationem electionis suæ per nuntios proprios à nobis humiliter postularunt, nobili viro Duce Venetorum per solemnes nuntios suos idem cum instantia requirente. Imperialis quoque sublimitas per suas nobis litteras supplicavit ut conventiones inter eum & peregrinos ex una parte ipsumque Ducem & Venetos ex altera initas ante debellationem regiæ civitatis, suique sigilli impressione munitas, nos ratas dignaremur habere ac eas auctoritatis apostolicæ munimine roborare, scire nos volens, ut ejus verbis utamur, quòd cum memorato Duce ac Venetis bonam societatem habuerat & fidelem, & eos cooperatores probissimos & efficaces ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac imperij Constantinopolitani, sicut eorum opera testabantur, invenerat, & in futuro desiderabat habere, cùm ad imperij regimen & subventionem terræ sanctæ ac unitatem Ecclesiæ conservandam utilis & necessaria esset societas eorundem, nec sine societate ipsorum pariter & amore ad honorem Dei & apostolicæ sedis regi

possset idem imperium competenter. Idem quoque nobis sub verbis eisdem nobiles viri Bonifacius Marchio Montisferrari, L. Blesensis, & H. sancti Pauli Comites per suas litteras intimarunt. Nos ergo scriptum conventionum ipsarum ejusdem Imperatoris & ipsorum Marchionis & Comitum sigillis munitum coram nobis perlegi facientes, contineri perspeximus in eisdem ut clerici partis illius de qua non contingeret Imperatorem assumi liberè sibi eligerent Patriarcham. Cùm ergo hujusmodi nobis fuisset electio præsentata, licèt de persona electa ex mora diutina quam apud sedem apostolicam fecit olim, nos & fratres nostri sufficientem notitiam haberemus, utpote quam noveramus genere nobilem, honestam moribus, prudentia circumspectam, & competenter litteris eruditam, electionem tamen examinavimus juxta morem, & eam invenimus contra formam canonicam attentatam, non tam ex eo quòd à multis extitit contradicta, & ab aliquibus etiam appellatum, etsi postmodum fuerit à contradictione pariter & appellatione recessum, quàm pro eo quod cùm laicis, quantumcunque religiosis, disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, auctoritate alicujus Principis secularis in Constantinopolitana Ecclesia nec poterat nec debuerat eligi Patriarcha. Sed nec clerici Veneti, qui Ecclesiæ sanctæ Sophiæ se Canonicos electos appellant, in eadem Ecclesia jus habebant eligendi, cùm in ea neque per nos neque per Legatos aut delegatos nostros fuerint instituti. Propter quod electionem ipsam de communi fratrum nostrorum consilio curavimus in publico consistorio reprobare. Verùm cùm personarum delictum in damnum Ecclesiarum non debeat redundare, nec idem Subdiaconus in aliquo deliquisset, utpote qui absens fuerat & irrequisitus electus, memores precum jam dicti Imperatoris, quæ non solùm utilitatem, verùm etiam necessitatem innuere videbantur, & eidem Ecclesiæ, cujus ad nos ordinatio specialiter pertinebat, providere volentes, ac sub ea spe Veneris gratiam exhibere, ut ad obsequium crucis Christi fortiùs accingantur, ex collata nobis plenitudine potestatis eundem Subdiaconum nostrum, tamquam membrum apostolicæ sedis elegimus & confirmavimus eidem Ecclesiæ Patriarcham. Monemus igitur imperatoriam dignitatem, consulimus, & exhortamur quatenus Patriarcham ipsum, cùm ad Constantinopolitanam accesserit civitatem, benignè recipias & honores, & tamquam Episcopum & pastorem animæ tuæ humiliter venereris, & in justitiis suis & Ecclesiæ sibi commissæ manuteneas & defendas, taliter in ceteris honoraturus ut ab eo cujus minister existit merearis in cælestibus honorari.

Grat. 17. q. 7. c. 24. & lib. 5 Capitular. c. 403.

XCVII. Quid verò Duci Venetorum responderit petenti pactiones inter Francos & Venetos initas confirmari, ipsius litteræ ad eum directæ demonstrant.

Venientes, *inquit*, ad apostolicam sedem dilectos filios . . & A. nobiles cives Venetorum nuntios tuos benignè recepimus, & quæ coram nobis proponere curaverunt audivimus diligenter. In nostra igitur præsentia constituti conventiones quasdam inter se & Venetos ex una parte & carissimum in Christo filium nostrum Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem illustrem & Francos ex altera concorditer initas asserebant; quas ne quis violare præsumeret, petebant sub pœna excommunicationis per sedem apostolicam inhiberi; ut quicunque videlicet veniret de cetero contra eas, excommunicationis sententiæ subjaceret. Super hac autem prima petitione cum fratribus nostris habito diligenti tractatu, tria invenimus quæ ipsi petitioni penitùs contradicunt. Hoc enim in conventionibus ipsis capitulum est expressum, ut inter Venetos & Francos possessiones ecclesiasticæ dividantur, reservata clericis portione de qua possint honorificè sustentari. Sanè cùm Ecclesiarum thesauros non sine creatoris offensa manu diripuerint violenta, majorem culpam incurrerent si spoliatas thesauris Ecclesias suis possessionibus mutilarent; nec decet apostolicam sedem illos hocmodo defendere qui sic ecclesiasticam offenderent dignitatem. Præterea cùm ad honorem ejusdem Ecclesiæ Romanæ hujusmodi sint initæ pactiones, & ferè sit in singulis hoc expressum, ut ad honorem ejus omnia provenirent, nec debuimus nec potuimus confirmare quod contra juramentum ab utraque parte communiter præstitum honori sedis apostolicæ derogaret. Insuper cùm in te ac in sex de Consiliariis tuis & nobilem virum Marchionem Montisferrati ac sex de Consiliariis suis addendi vel minuendi sit collata facultas, qualiter in laicorum arbitrio nostram sententiam poneremus, ut illi sententiam excommunicationis incurrerent qui nobis ignotas & sacris forsan canonibus inimicas constitutiones laïcas non servarent? Cùmque dilectus filius Thomas Constantinopolitanus electus in proximo Constantinopolim sit venturus, non fuerat de possessionibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ ante adventum ipsius aliquid * disponendum à laicis, vel confirmandum à nobis, quod posset in juris ejus injuriam & Ecclesiæ suæ dispendium redundare.

* Cod. reg. ordinandum

XCVIII. Idem igitur Dominus Innocentius præfatum Constantinopolitanum electum sabbato quatuor temporum quadragesimæ in Diaconum ordinavit, & in sabbato hebdomadæ mediantis in sacerdotem promovit, ac sequenti Dominica Romæ apud sanctum Petrum in Episcopum consecravit, ac postmodum contulit ei pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, de corpore beati Petri Apostoli sumptum, recepto ab eo fidelitatis & obedientiæ juramento sub ea forma jurandi antiqua & approbata secundùm quam Primates & Metropolitani solent in susceptione pallei Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ jurare, privilegium sibi sub hac forma concedens.

Prærogativa dilectionis & gratiæ quam apostolica sedes exhibuit Ecclesiæ Bizantinæ, cùm eam in patriarchalem sedem erexit, ecclesiasticæ plenitudinem potestatis, quam non homo, sed Deus, immo veriùs Deus homo in beato Petro Ecclesiæ Romanæ concessit, evidenter attestatur, & quòd Romanus Pontifex ejus vicarius sit ostendit, qui & primos novissimos facit & novissimos primos. Sanè cùm eadem Ecclesia, quæ tunc Byzantina, nunc autem Constantinopolitana vocatur, nec nomen nec locum inter sedes patriarchales haberet, apostolica sedes fecit ei nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terra, & ipsam quasi de pulvere suscitatam usque adeo sublimavit ut

eam tam Ecclesiæ Alexandrinæ quàm Antiochenæ ac Hierosolymitanæ dignitatis privilegio anteferret, atque post se præ ceteris exaltaret; ita quòd cùm multæ filiæ divitias congregaverint, hæc sola per matris gratiam specialem supergressa fuerit universas. Licèt autem eadem Ecclesia interdum ab obedientia sedis apostolicæ declinaverit, quia tamen ad eam per Dei gratiam humiliter est reversa, tuis precibus annuentes, eandem Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Præterea quascunque possessiones & quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum &c. *usque* adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata consistant. Libertates etiam & immunitates ejusdem Ecclesiæ ac consuetudines rationabiles & antiquas, quæ apostolicæ sedis non obviant institutis, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Palleum quoque, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, fraternitati tuæ apostolicæ sedis liberalitate largimur, quo infra Ecclesias tuæ jurisdictioni subjectas in solemniis Missarum utaris diebus inferiùs denotatis, videlicet in nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica in ramis palmarum, Cœna Domini, sabbato sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus sanctæ Mariæ, natali beati Iohannis Baptistæ, solemnitatibus Apostolorum, commemoratione omnium sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum, Episcoporum consecrationibus, ordinationibus clericorum, principalibus festivitatibus Ecclesiarum tuarum, & anniversario consecrationis tuæ die, & tam imperatoris quàm aliorum magnatum & Principum sepulturis. Ad indicium etiam gratiæ plenioris, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut Archiepiscopis suffraganeis tuis usum pallei præsentis indulgentiæ auctoritate concedas, ab eis pro te quod canonicum fuerit, pro nobis autem & Ecclesia Romana sponsionem obedientiæ recepturus. Porrò crucem, videlicet vexillum dominicum, per quemcunque locum te transire contigerit, excepta urbe Romana & loco in quo fuerit Romanus antistes, ante te deferendi licentiam impartimur, & in processionibus tuis tibi concedimus usum * naci. Præsenti scripto nihilominus statuentes ut universi clerici cujuscunque nationis & gentis in civitate vel diocesi Constantinopolitana Ecclesias vel ecclesiastica beneficia obtinentes tibi & Ecclesiæ Constantinopolitanæ reverentiam exhibeant debitam & devotam. Salva tamen in omnibus apostolicæ sedis auctoritate, reverentia, & honore.

Vide Raynald. ad an. 1118. §. 23.

* Vide Glossar. Dulcetoij in v. Nacum.

Data apud S. P. 3. Kal. April. an. 8.

Has etiam indulgentias eidem Patriarchæ concessit.

Sicut Dominus in Romanam Ecclesiam per beati Petri merita sua dona effudit, sic ejus privilegium ampliavit ut quantumlibet in alios fuerit liberalis, nec detrimentum inde honoris timeat nec dispendium potestatis, utpote quæ nihil sibi subtrahit cùm aliis etiam maxima elargitur, nec aufert quod confert, nec quod donat amittit. Ipsa etenim in eos quos in partem suæ sollicitudinis evocat sic dispensat onera & honores ut non minùs eam omnium Ecclesiarum cura sollicitet & plenitudo ecclesiasticæ potestatis adornet, quam non patitur Petri privilegium minorari. Cùm igitur ad apostolicam sedem personaliter * laboraris, & per impositionem manuum nostrarum diaconatus & presbyteratus susceperis ordines, & * in Episcopum tandem fueris consecratus, specialem gratiam tibi facere volumus, & te personaliter intendimus honorare. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut subditos tuos qui in clericos & alios viros religiosos manus injecerint violentas, auctoritate ac vice nostra secundùm Ecclesiæ formam absolvas; nisi forsan ita enormis fuerit excessus ut meritò credas eos ad sedem apostolicam destinandos. Falsariorum quoque absolutionem tuæ fraternitati committimus, si forsan in sigillo tuo vel subditorum tuorum vitium commiserint falsitatis. Vt autem tamquam sponsus de thalamo matris procedas ad sponsam circumdatus varietatibus & indulgentiarum nostrarum decoratus amictu, tibi personaliter indulgemus ut si qui Reges in Constantinopolitano imperio fuerint inungendi, dum tamen à te inunctio postuletur & assensus imperialis accedat, inungas. Quia igitur gratia datur ex gratia, quòd apud nos fueris gratiosus, effusa super te monstrabit copia gratiarum. Tuis igitur precibus annuentes, fraternitati tuæ personaliter indulgemus ut in diebus dominicis & præcipuis solemnitatibus, cùm necesse fuerit, personas idoneas in Subdiaconos valeas promovere, & cùm in Ecclesia Constantinopolitana vel nulli vel pauci sint canonicè instituti, ad eam sublato appellationis obstaculo idoneos viros assumas, nec carni & sanguini aliter quàm deceat acquiescas, sed merita ponderes & litteratoram attendas; quoniam in omni gente qui facit justitiam acceptus est Domino. Licèt in forma juramenti quod nobis in susceptione pallei secundùm generalem consuetudinem præstitisti hoc specialiter sit expressum ut possessiones ad mensam tui episcopatus spectantes nec vendas, nec dones, nec pignori obliges, nec de novo infeudes, nec aliquo modo inconsulto Romano Pontifice alienes, quia tamen novitatem tuam & Ecclesiæ Constantinopolitanæ necessitatem ac totius terræ turbationem allegans, super hoc nos duxisti humiliter consulendos, ne pro singulis ad nos negotiis recurrere compellaris, ut in talibus, cùm necesse fuerit, de prudentum virorum consilio statuas quod eidem Ecclesiæ ac tibi videris expedire, auctoritate tibi præsentium licentiam impartimur. Auctoritate quoque præsentium inhibemus ne obeunte te nunc Constantinopolitano Patriarcha vel tuorum quolibet successorum, ullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi qui fuerit electus secundùm canonicas sanctiones. Cùm autem secundùm morem ecclesiasticum fuerit consecratus, ad sedem apostolicam nuntios suos mittat, palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, petiturus; in cujus susceptione juramentum nobis & successoribus nostris secundùm apostolicæ sedis consuetudinem, quod & tu ipse nobis suscepto palleo præstitisti, sine contradictione qualibet exhibebit. Ad hæc, tuæ fraternitati concedimus ut liberè à subditis tuis, cum necesse fuerit, ad tuam

* *Cod. reg. accesseris*

* *Idem cod. apud ipsam*

Vide Raynald. ad an. 1222. §. 27.

audientiam appelletur, nisi cùm negotium fuerit ab apostolica sede commissum; ita quòd tu appel- Vide Raynald. ad an. 1118. §. 27. lationibus ad Romanam Ecclesiam interpositis humiliter defetas & devotè. Licèt nulli penitùs injuriam facimus cùm utimur jure nostro, nec depereat quicquam aliquibus cùm collatum nobis ecclesiasticæ potestatis plenitudinem exercemus, Constantinopolitanæ tamen Ecclesiæ providere volumus ad cautelam, & dolosa labia & linguam malignam habentibus materiam subtrahere murmurandi. Quamvis igitur ejusdem Ecclesiæ utilitate ac necessitate cogente, utpote quæ, postquam Constantinopolitanum imperium devolutum fuerat ad Latinos, non fuerat ordinata, cùm non ad alium, sed ad nos tantùm ejus ordinatio pertinebat, te in Constantinopolitanum elegerimus & eligendo confit- Vide Raynald. ad an. 1118. §. 28. maverimus Patriarcham, ac munus tandem consecrationis tibi duxerimus impendendum, quia tamen eidem Ecclesiæ auferre nolumus electionis canonicæ libertatem, in qua ipsam potiùs manutenere proponimus & fovere, nolumus ut ex facto nostro aliquod ei præjudicium generetur quò minùs, cùm eam vacare contigerit, canonicè ordinetur.

XCVIIII. Idem igitur Patriarcha Venetias est reversus, ut inde Constantinopolim navigaret; sed à Venetis est compulsus quasdam eis facere illicitas pactiones; quæ cùm ad summi Pontificis notitiam pervenissent, eas omnino cassavit, sicut per litteras eidem Patriarchæ directas apparet.

Ad hoc Deus apostolicæ sedis antistitem, qui plenitudinem habet ecclesiasticæ potestatis, super gentes & regna constituit ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, dissipet & disperdat quæ in agro dominico suæ culturæ commisso inutilia repererit & nociva, juxta quod alibi sibi præcipitur à Domino per Prophetam: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Nos igitur attendentes juramentum illud, quasi protsùs illicitum, non esse servandum quod à te Venetus constituto fuit à Venetis violenter extortum, sicut tua nobis insinuatio patefecit, ut videlicet neminem sis facturus Canonicum in Ecclesia sanctæ Sophiæ nisi Venetum natione, vel qui continuè per decennium Venetiis habitasset, quòdque bona fide modis omnibus quibus poteris laborabis ut semper in Ecclesia sanctæ Sophiæ sit Venetus Patriarcha, salvo tamen in omnibus apostolicæ sedis jure, auctoritate, reverentia & honore, licèt hæc conditio ita sit à te adjecta ut non sit in scriptis redacta, præsentium tibi auctoritate mandamus & in virtute spiritus sancti districtè præcipimus quatenus juramentum illud nequaquam observes, cùm Vide cap. Ad decorem. De institution. sanctuarium Dei non sit hereditario jure ab aliquibus possidendum, sed in omni gente qui facit justitiam acceptus est Deo, præcavens diligenter ne posthac apostolicæ sedis præceptum in præmissis articulis violes, iterumque delinquas: quoniam si de cetero solos Venetos in Ecclesia sanctæ Sophiæ Canonicos institueris, & ad hoc impenderis operam qualemcunque ut semper in eadem Ecclesia sit Venetus Patriarcha, in ipsa non ponendo Canonicum nisi juret quòd nunquam alium nisi de Venetis eliget aut recipiet Patriarcham, nulla deinceps ratione super his poteris excusari. Sed nec illud observes quod absque juramento diceris promisisse, ut neminem in Archiepiscopum prætet Venetum in tota facias Romania. Ne verò prætextu juratoriæ cautionis aut cujuscunque promissionis obtentu talia de cetero præsumantur, aut si præsumpta sunt, observentur, nos obligationes hujusmodi auctoritate apostolica irritamus, sub interpositione anathematis prohibentes ne quis eas observare præsumat; tibique præcipimus ut id Canonicis sanctæ Sophiæ, non solùm institutis, sed etiam instituendis, cautè denunties, quatenus hoc nefas valeant evitare. Licèt autem plus debueris Deum timere quam homines, ne jurares aliquid propter homines contra Deum, si tamen in illo juramento per vim & metum extorto præscriptam adhibuisti cautelam, ut juraveris salvo in omnibus apostolicæ sedis jure, auctoritate, reverentia, & honore, nos tibi delictum tuum humiliter confitenti de speciali gratia indulgemus ut hujusmodi juramentum nullum tibi possit præjudicium generare, dummodo præceptum quod salubriter tibi fecimus ad salvandum jus, reverentiam, auctoritatem, & honorem apostolicæ sedis, contra cujus statuta ea quæ sunt jurata redundant, fideliter exsequaris. Ceterùm etsi præscripta nobis à tuis nuntiis secretò fuerint intimata, noveris tamen pro certo quòd quædam eorum certa relatione priùs fuerant nostris auribus patefacta. [Data Ferentini x 1. Kal. Iulij, anno nono.]

C. Cùm igitur Patriarcha Constantinopolim pervenisset, antequam civitatem intraret nuntios & litteras destinavit ad clerum & populum universum, ut ei obviam procedentes debito ipsum reciperent cum honore. Clerici verò Francorum noluerunt ipsum recipere vel ei aliquatenus obedire, asserentes promotionem ejus per suppressionem veritatis & expressionem falsitatis ab apostolica sede fuisse subreptam, & ad eam in præsentia Cardinalis unanimiter appellarunt; quorum appellationi Cardinalis censuit deferendum, & ideo noluit illos compellere ad exhibendum obedientiam Patriarchæ. Sed nec ipsi excommunicationis sententiam servaverunt quam in eos idem protulit Patriarcha, & sic in discordia permanserunt donec Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus ad Constantinopolitanam urbem pervenit, qui tandem composuit inter eos. Hunc Dominus Papa constituit generalem Legatum per totum imperium Romaniæ, ipsum à latere suo de novo transmittens; tum quia præfatum Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem in Hierosolymitanam provinciam remittere intendebat, tum quia Legatus à sede apostolica noviter destinatus in majori reverentia & honore debebat haberi, sicut apparuit ex postfacto. Nam qualiter & ipse processerit, & quid egerit in processu, ipsius litteræ ad Dominum Papam directæ demonstrant. *Memini*, inquit, *paternitati vestræ litteris intimasse &c.*

CI. Compositionem igitur factam inter Patriarcham & Francos super possessionibus Ecclesiarum quæ secundùm divisionem factam inter Francos & Venetos pervenerant ad eosdem, ad petitionem utriusque partis Dominus Papa firmiter observari præcepit hoc modo.

Instantia nostra cottidiana, solicitudo videlicet Ecclesiarum omnium, quæ nobis imminet Deo disponente, nos admonet & inducit ut iis quæ deliberatione provida pro Ecclesiarum utilitatibus

ordinantur robur apostolicum apponamus; ne tergiversatione malorum, qui Ecclesiarum profectibus invident & quieti, ea io detrimentum ipsarum valeant revocari. Cùm igitur inter te & clerum tibi commissum ex una parte, & dilectum filium nobilem virum Henricum moderatorem Constantinopolitani imperij, Barones, Milites, & populum ex altera, super recompensatione facienda Ecclesiis de possessionibus earundem amicabilis compositio intercesserit, nos necessitatem temporis attendentes, compositionem ipsam, sicut sine vi & dolo providè facta est & ab utraque parte de certa scientia liberè ac sponte recepta, præcipimus firmiter observari; dummodo circa possessiones & proventus hujusmodi nulli præjudicium generetur. Ad majorem autem notitiam formam compositionis ejusdem, prout continetur io instrumento exinde confecto, de verbo ad verbum huic paginæ duximus inserendam. IN NOMINE Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Anno Domini millesimo ducentesimo sexto, mense Martij, Iodictione nona, Constantinopoli. Hæc est forma concordiæ factæ inter Dominum Benedictum tituli sanctę Susannæ Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum & Dominum Thomam Maurocenum sanctæ Constantinopolitanę Ecclesiæ Patriarcham ex una parte, & Dominum Henricum & Barones & Milites ex altera, in conquisitis & acquirendis intus & extra imperium * Romaniæ; Dominus Henricus de consilio & assensu omnium Principum, Baronum, Militum, & populi dat Ecclesiis & promisit se daturum in earundem recompensationem possessionum, sicut inferiùs denotatur. Extra muros civitatis Constaotinopolitanæ partem quintam decimam omnium possessionum, civitatum, castrorum, * casalium, camporum, vinearum, nemorum, silvarum, pratorum, pomeriorum, hortorum, salinarum, passagiorum, teloneorum terræ & maris, piscariarum in mari & aqua dulci, & omnium possessionum, etsi in præsenti scripto non reperiantur in solidum declaratæ. His exceptis, quòd de terra quam habent juxta muros nominatæ civitatis à porta aurea usque ad portam Blachernæ, inter murum ipsius & mare, dare quintam decimam nullatenus tenebuntur, nec etiam de casalibus monetæ. In quorum recompensationem casalium Dominus Henricus & prædicti secundùm eorundem casalium valorem in prima conquisitione satisfacere de quintadecima Ecclesiis tenebuntur. De * commerdio quod infra Constantinopolim vel extra nomine civitatis receperint quintam decimam non dabunt. Si in ipsa civitate Constantinopolitana nomine alterius civitatis aut loci vel alibi commerdium solverint, quintam decimam dabunt Ecclesiæ. Si verò cum aliqua civitate vel castro, terra vel insola, quam Dominus Henricus sibi & imperio subjugare non poterit, per annuum censum compositum fuerit, quintamdecimam dabunt Ecclesiæ. Sed si feudare vel donare vel alienare voluerit, hoc faciat, salva primò Ecclesiarum quintadecima parte. Divisiones possessionum inter Ecclesiam & prædictos hoc modo fient, quòd boni viri post bullatum præsens instrumentum infra octo dierum spatium ab utraque parte eligentur, qui jurati bona fide de possessione cujuslibet terræ & aquæ quindecim partes facient, & sortes mittent si aliter convenire non possint; & super qua ceciderit sors, Ecclesiæ erit. Hæc autem infra Pentecosten festum proximè venturum bona fide complebuntur. Claustra verò omnia tam infra civitatem quàm extra libera erunt Ecclesiæ, nec in quintadecima computanda. Si de quantitate claustrorum quæstio oriatur, utraque partium eliget unum idoneum post quæstionem motam infra octo dierum spatium; & illi duo per sacramentum suum tertium eligant; & quod illi tres vel major pars eorum astricti sacramento infra viginti dies super hoc bona fide duxerit faciendum, stabile permaneat. Si pro ardua necessitate terræ aliqua castra fuerint incastellanda, incastellentur de assensu Domini Patriarchæ vel diocesani Episcopi. Quod si de incastellationibus concordare nequiverint, sicut suprà dictum est de claustris, quæstio terminetur. Dabunt insuper decimas laborum omnium in perpetuum, videlicet de blado, legumine, & omnibus fructibus terræ & vinearum quas excolent vel propriis sumptibus excoli facient, & de fructibus arborum & hortorum, exceptis fructibus arborũ & hortorum quos paterfamilias in usus comedendi & munusculorum bona fide convertet. De nutrimentis animalium quadrupedium, & de apibus, & lanis decimæ solventur. Et progressu temporis si à Græcis Ecclesia decimas per exhortationem & admonitionem acquirere poterit, per eos nullum impedimentum præstabitur. Præterea clerici & Ecclesiæ universæ, earum possessiones, & manentes in ipsis possessionibus & Ecclesiis, & religiosæ personæ tam Græcorum quàm Latinorum, & morantes cum prædictis, & claustra Ecclesiarum & habitantes in eis, & qui ad Ecclesiam confugerint, liberi erunt ab omni laicali jurisdictione secundùm liberaliorem consuetudinem Franciæ, salva in omnibus auctoritate Ecclesiæ Romanæ, necnon & Constantinopolitanæ honore, & jure Domini Patriarchæ & Imperatoris & imperij, & salvis in omnibus capitulis supradictis. De terris verò quæ Deo volente de cetero conquirentur, primò habebit Ecclesia quintamdecimam partem antequam alicui distribuatur. Hæc autem omnia Dominus Henricus & Barones ipsius bona fide attendent, & curabunt pro posse debito effectui mancipare. Nulli omnino hominum liceat hanc paginam concordiæ vel pactionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Hanc compositionem Dominus Patriarcha pro se & successoribus suis se firmiter observaturum promisit, & Dominus Henricus & Barones & Milites cum populo similiter pro se & successoribus suis, & hæc excepta communi parte Venetorum, se firmiter observaturos promiserunt. Datum Constantinopoli apud sanctam Sophiam sextodecimo Kalendas Aprilis. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ præceptionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Ferentini Nonis Augusti, anno nono.

CII. Post hæc Patriarcha prædictus solemnes nuntios cum gratuitis obsequiis ad apostolicam sedem direxit super diversis articulis, querelas, consultationes, & preces inculcans. Ad quæ omnia Dominus Papa rescripsit hoc modo.

Inter quatuor animalia quæ in medio sedis & in ejus circuitu describuntur, facies aquilæ ab Ezechiele desuper ipsorum quatuor memoratur: quoniam inter quatuor patriarchales Ecclesias; Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Constanti-

* Sed reg. & Pal. Romani

* Sed reg. casitorum, casalinorum,

* f. commercio

uopolitanam, quæ per animalia supradicta significantur, quas apostolica sedes in medio habens quasi filias amplectitur spirituales, cui eædem sunt in circuitu quasi famulæ obsequentes, ipsa Constantinopolitana post apostolicam sedem excellentia præminet dignitatis; ad cujus exaltationem tanto libentiùs aspiramus quanto ipsum honorabilius membrum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ arctiùs amplexantes, ipsius auxilio temporibus istis eandem ampliùs noscimus indigere; ac tuas, qui eidem Domino disponente præesse dinosceris, petitiones libentiùs promovere disponimus, quibus non repugnat honestas, nec aliis præjudicium generatur; cùm à nobis injuriarum actio non debeat exoriri, à quibus jura tamquam à fonte ad ceteros derivantur. Licèt igitur in quantum cum Deo possumus tuo velimus honori deferre ac tuas preces effectui mancipare, petitionem tamen illam nequivimus exaudire qua postulasti à uobis ut donationes Ecclesiarum & beneficiorum à dilecto filio Petro tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legato factas te præsente ac penitùs inconsulto, cùm nimiam multitudinem Ecclesiarum contulerit, easque jure perpetuo absque tuo consensu & Capituli majoris Ecclesiæ tradiderit possidendas, dignaremur auctoritate apostolica irritare: quoniam idem Legatus per suas litteras nobis intimavit quòd quasdam Ecclesias, postquam à oobis litteras legationis accepit in Constantinopolitano imperio exercendæ, quibusdam Ecclesiis & locis Hierosolymitanæ provinciæ contulit, quibus eædem Ecclesiæ ad custodiam fuerant assignatæ, ut vel sic subveniretur utrinque necessitatibus terræ sanctæ, & quasdam quibusdam aliis locis religiosis, quorum nuntij ad vocationem carissimi in Christo filij nostri Balduini Constantinopolitani Imperatoris illustris illuc accesserant, assignavit, quosdam clericos, inspecta utilitate quæ de ipsorum institutione poterat provenire, in quibusdam Ecclesiis procurans ordinare. Vnde quia visum est ei quòd ordinata per ipsum intenderis immutare post recessum ejus, præsentibus dilecto filio Benedicto tituli sanctæ Susannæ Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legato & multis de clero, ac etiam temetipso, omnia quæ per ipsum fuerant ordinata sedis apostolicæ protectioni supponens, ne ipsorum aliquid immutares, ad nostram audientiam appellavit, à tunc instanti passagio usque ad annum suæ terminum appellationi præfigens. Cùm igitur rationabilem terminum dictus Legatus appellationi præfixerit quam emisit, qui eam ex rationabili causa, videlicet obedientiæ bono & obsequio terræ sanctæ, usque ad biennium ipsum potuisset prorogasse, appellatione pendente juxta canonicas & legitimas sanctiones, sicut tua fraternitas non ignorat, in ipsius absentia non debuit eorum aliquid immutari; præsertim cùm præsumi valeant rite facta donec in contrarium probaretur, & id fieri sine illorum præjudicio non valeret quibus dictæ Ecclesiæ seu beneficia auctoritate apostolica sunt collata; cùm nec citati fuerint, nec absentes per contumaciam, seu convicti, sed penitùs indefensi. Si quas verò de ipsis nos duxerimus aliquibus confirmandas, juxta communem formam id noveris faciendum, videlicet *sicut ea justè possident & quietè*. Super eo verò mirari non debes, sicut idem Legatus asserit, quòd ipse te præsente ac inconsulto Ecclesias & beneficia contulit memorata, cùm & tu ipse multò majora, Ecclesiam videlicet sanctæ Sophiæ, quæ caput patriarchatus existit, necnon archiepiscopatus & episcopatus ipso præsente & inrequisito penitùs, qui vices nostras gerebat, ibidem curaveris ordinare. Quamvis ergo tuam propter præmissa petitionem juxta tuum desiderium nequiverimus exaudire, tuo tamen, quantum cum nostra possumus honestate, volentes honori deferre, fraternitati tuæ duximus concedendum ut hi qui Ecclesias illas seu beneficia possident, obedientiam tibi debitam exhibeant & devotam; nisi fortè aliqua illarum Ecclesiarum ante captionem regiæ civitatis à jurisdictione Patriarchæ legitimè fuisset exempta. Subsequentem verò petitionem, qua Ecclesias illas tibi subici postulabas quæ priusquam Constantinopolitana civitas caperetur, Constantinopolitano Patriarchæ minimè respondebant, duplici ratione non duximus admittendam. *Cap. Inter quorum. De major. & obed.* Intis namque ratio postulavit ut in illorum præjudicium quibus eædem Ecclesiæ sunt subjectæ nihil ordinaremus de ipsis, cùm nec citati sint, nec convicti, nec per contumaciam se absentent. Id etiam modò fieri providentia dissuasit, ne Pisani ac Veneti alijque quamplures apud Constantinopolim hujusmodi habentes Ecclesias contra imperium provocarentur hoc tempore, qui sunt alliciendi potiùs blandimentis donec illud soliditate immobili roboretur. Quòd si jus tuum contra illos prosequendum duxeris tempore opportuno, faciemus auctore Domino super ipsis justitiæ tibi plenitudinem exhiberi. Super obedientiam verò quam ut tibi faceremus impendi ab Archiepiscopo & Episcopis regni Cypri similiter postulasti, ferè idem quod in præcedenti petitione tibi duximus respondendum; cùm & ipsi ante tuam extiterint promotionem exempti, cùm videlicet Constantinopolitana Ecclesia erat inobediens & rebellis, & in eorum absentia circa statum ipsorum non debuerimus aliquid immutare. Iustitiam tamen non negabimus tibi cùm eam duxeris postulandam. Præterea ex parte tua fuit propositum coram nobis quòd quidam Episcoporum Romaniæ commoniti tibi obedire contemnunt, qui tamen episcopales reditus percipere non desistunt; quidam verò ex eis ab episcopatibus fugiunt ne valeant commoneri, per sex menses vel ampliùs suam diocesim deserentes. Vnde nos suppliciter exorasti ut super hoc tibi salubriter consulentes, qualiter circa illos & ipsorum dioceses procedere debeas devotioni tuæ scribere dignaremur. Nos igitur attendentes quòd per novitatem mutationis imperij & novitatum eventus sit cum maturitate plurima procedendum, fraternitati tuæ taliter respondemus, ut illos non semel, sed sæpe; videlicet primò, secundò, & tertiò citare procures, & si parere noluerint, sed in sua duxerint contumacia persistendum, nisi fortè se appellationis clypeo duxerint muniendos, quam infra tempus legitimum prosequantur, ipsos per suspensionis & excommunicationis sententias ad tuam obedientiam venire compellas. Quòd si nec sic ipsorum duritia poterit emolliri, eos dilectus filius Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus ab episcopatus administratione removeat, & quibus præsunt

præsunt Ecclesiis de personis idoneis unà tecum faciat provideri; sed in eos degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer fiducialiùs agi possit. In Ecclesiis autem illorum qui se fraudulenter absentant ne ad ipsos citatio valeat pervenire, trinæ citationis edictum facias publicari; & si nec sic curaverint obedire, sed contrà ita ultra sex menses suas deseruerint Ecclesias ut juxta canonicas sanctiones eis meritò debeant spoliari, contra eos quoque sicut præscriptum est procedatur. Cùm verò Legatus ad propria remearit, tibi, quandiu nobis & successoribus nostris placuerit, personaliter duximus concedendum ut contra præfatos rebelles præscripto modo procedas, tamquam à sede apostolica delegatus. Tua insuper fraternitas postulavit ut cùm in partibus illis nimia sit episcopatuum multitudo, illos, cùm nimis sint tenues, ad paucitatem redigere tibi concedere dignaremur. Nos autem ita duximus providendum, ut id, cùm necessitas vel utilitas postulaverit, per præfatum Legatum, quandiu in partibus illis extiterit, tuo tamen accedente consilio, valeat adimpleri, ita videlicet ut episcopatus non uniat, sed illi quem fecerit ad unam Ecclesiam ordinari aliquot tales Ecclesias, si viderit expedire, committat; quatenus si fortè pro temporis necessitate de ipsis fuerit aliter ordinandum, quod factum est faciliùs valeat immutari. Legato verò ad propria redeunte, tu, si necesse fuerit, auctoritate sedis apostolicæ, tamquam delegatus à nobis, facias illud idem. Postulasti postmodum per sedem apostolicam edoceri qualiter episcopatus illos debeas ordinare in quibus Græci tantummodo commorantur, & illos etiam in quibus permisti sunt Græci pariter & Latini, & quos debeas præficere in eisdem. Ad quod fraternitati tuæ breviter respondemus, quòd in illis Ecclesiis in quibus sunt solummodo Græci, Græcos debes Episcopos ordinare, si tales valeas reperire qui nobis & tibi devoti & fideles existant, & à te consecrationem velint recipere humiliter & devotè. In illis verò in quibus cum Latinis Græci sunt mixti, Latinos præficias & præferas ipsis Græcis. Ceterùm nobis humiliter supplicasti ut de nostra tibi permissione liceret constitutos & constituendos in ecclesiasticis dignitatibus baculis, mitris, anulis, & sandaliis insignire, ac dispensare cum illis qui omissis minoribus majores ordines recipere præsumpserunt. Nos ergo volentes personaliter tibi gratiam facere specialem, auctoritate tibi præsentium indulgemus quatenus illis concedas insignia supradicta quibus secundùm morem apostolicæ sedis possunt honestè concedi, ac cum illis super omissione prædictorum minorum ordinum auctoritate nostra dispenses quibus litterarum scientia & morum gravitas suffragantur, injuncta priùs illis pœnitentia competenti. Consuluit nos insuper fraternitas tua utrum clericos ad te sine suorum ordinatorum litteris venientes, & offerentes præstare corporaliter juramentum quòd sint in quovis ecclesiasticorum ordinum constituti, debeas ad superiores ordines promovere. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd nisi de ipsorum ordinatione canonica per idonea tibi constiterit argumenta, eos nec in illis suscipere nec ad majores debes ordines promovere; præsertim antequam eorum conversatio fuerit comprobata. — *Cap. Inter quatuor. De cler. peregr.*

Edoceri quoque de sacrificiorum & aliorum sacramentorum ritu per sedem apostolicam postulasti, utrum debeas Græcos admittere ut ea exerceant more suo, vel compellere ad ritum potiùs Latinorum. Ad quod fraternitati tuæ breviter respondemus, ut eos tamdiu in suo ritu sustineas, si per te revocari non possunt, donec super hoc apostolica sedes maturiori consilio aliud duxerit statuendum. De Clericis autem qui Ecclesias vel præbendas sibi concessas absque justa & necessaria causa, tuo præsertim non accedente consensu, in hac deserunt novitate, hoc tibi duximus rescribendum, quòd postquam congruo tempore fuerint expectati, nisi redierint ad illas, possint eis justè privari, dummodo non sint justo impedimento detenti. — *Cap. Inter quatuor. De cler. non resid.* De monasteriis quoque Græcorum in seculares Canonicos convertendis, fraternitati tuæ breviter respondemus quòd quandiu per regulares viros sive Græcos sive Latinos remanere poterunt ordinata, non sunt ad seculares clericos transferenda. — *Cap. Inter quatuor. De relig. domib.* Sed si regulares defuerint, propter eorum defectum in eis seculares clerici poterunt ordinari. Præterea nobis humiliter supplicasti ut cùm difficile sit tuæ jurisdictioni subjectis pro singulis quæstionibus ad sedem apostolicam laborare, super appellationibus modum imponere dignaremur. Cùm igitur sanctæ recordationis Gregorius Papa prædecessor noster duxerit statuendum ut si fortè super rebus modicis, quæ infra summam decem marcharum subsistunt, in Archiepiscoporum & Episcoporum auditoriis quæstio ventiletur, & alia partium litigantium delusoriè putaverit provocandum, ipsi ejus appellatione contempta infra fines episcopatuum ipsorum eligere judices qui careant suspicione compellant, si tamen ibidem idonei poterunt inveniri, in quorum præsentia jurgium sopiatur, — *Gregorius VIII. ut est in cap. 47. de appellat. in 2. collect. Decretal.* nos attendentes quòd nimis dispendiosum esset & grave propter multa maris & terræ discrimina subditos tuos pro singulis querelis sedem apostolicam adire, fraternitati tuæ per apostolica scripta indulgemus quòd in causis illis quæ in tuo debent auditorio pertractari, si aliqua partium ad sedem apostolicam provocaverit, & res super qua quæstio vertitur summam non excesserit prætaxatam, non obstante appellationis objectu, justitia mediante, procedas, vel partes compellas in aliquos compromittere qui appellatione remota causam audiant & debito fine decidant. Illud idem facturus de levioribus causis, præsertim inter personas minores, quæ cùm sint merè spirituales, civilem non continent quæstionem. Venetos autem habitatores regiæ civitatis ad solvendum decimas personis & Ecclesiis Constantinopoli existentibus quibus de jure debent, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, non obstante consuetudine quam habitatores Venetiarum observant, ut videlicet in morte duntaxat decimentilla quæ acquisiverant in vita, ne hoc prætextu Ecclesia Constantinopolitana suo fraudetur jure si forsan hi qui longo tempore Constantinopolim habitarunt, circa finem vitæ suæ Venetias revertantur. Verùm in his & in aliis cum discretione ac maturitate procedas, impetum & facilitatem evitans: quoniam in ejusmodi satius est de tarditate aliqua quàm de velocitate nimia reprehendi.

CIII. Interim quidam natione Burgundio electus in Archiepiscopum Patracensem super pro-

vinciam Achaïæ universam, ad apostolicam sedem accessit: pro quo nobilis vir Guillelmus Campaniensis Princeps Achaïæ & Canonici sancti Andreæ de Patras humiliter supplicabant ut ipsum eis in Archiepiscopum summus Pontifex concedere dignaretur, remittendo ipsum confirmatum, consecratum, & palleatum. Qui qualiter super hoc facto processerit, ipsius litteræ manifestant Constantinopolitano Pstriarchæ transmissæ.

Inter quatuor, *inquit*, animalia quæ secundùm Apocalypsin Iohannis in medio sedis & in circuitu existere describuntur, licèt aquila ceteris postponatur, ipsa tamen aliis antecellit: quia cùm per hujusmodi sedem Romana Ecclesia designetur, quæ usitato vocabulo sedes apostolica nuncupatur, & per quatuor animalia, videlicet leonem, vitulum, hominem, atque aquilam, intelligantur quatuor patriarchales Ecclesiæ, videlicet Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina, & Constantinopolitana, quæ in medio sedis tamquam filiæ continentur in sinu matris, & in circuitu sedis tamquam famulæ in obsequio dominæ præparantur, licèt Constantinopolitana Ecclesia inter ceteras sit ultima tempore, ipsa tamen inter ceteras est præcipua dignitate; ut sicut Constantinopolitana civitas est nova Roma, sie Constantinopolitana Ecclesia secunda sit à Romana, prælata per matris gratiam ceteris sororibus suis privilegio dignitatis, ut secundùm evangelicam veritatem sint primi novissimi & novissimi primi. Nos igitur, qui per gratiam Redemptoris ipsam Constantinopolitanam Ecclesiam ad apostolicæ sedis obedientiam tamquam ad sinum reduximus matris suæ, privilegium dignitatis ipsius intendimus integrum conservare; ne inde nascantur injuriæ unde jura nascuntur. Et ideo licèt dilectus filius nobilis vir VV. Campaniensis Princeps totius Achaiæ provinciæ & Canonici sancti Andreæ de Patras nobis instanter & humiliter supplicaverint ut dilectum filium A. electum sancti Andreæ de Patras ad sedem apostolicam accedentem, quem iidem Canonici in Archiepiscopum ejusdem Ecclesiæ unanimiter elegerunt, eis concedere dignaremur, & quod circa personam illius factum fuerat approbantes, ad eos cum pleno remitteremus honore, volentes tamen sie eorum petitiones admittere ut aliis jura sua nequaquam subtrahere videamur, de commum fratrum nostrorum consilio quod per eosdem Canonicos factum est, tamquam minùs canonicè procuratum, cùm & ipsi minùs canonicè instituti, non duximus approbandum; sed necessitate pariter ac utilitate pensata, postquam de veritate negotij & statu terræ per juramenta sociorum ipsius electi effecti fuimus certiores, de potestate nobis à Domino in beato Petro concessa ipsum ejusdem Ecclesiæ pastorem constituimus & rectorem, administrationem sibi plenariam tam in spiritualibus quàm in temporalibus concedentes, & indulgentias insuper ad cautelam ut à quocumque catholico Episcopo se faciat, cùm necesse fuerit, in Presbyterum ordinari. Licèt autem de plenitudine potestatis quam habemus à Domino disponendi super Ecclesias universas, ipsum ad Ecclesiam eandem consecrationis munere ac honore pallei potuissemus insignitum remittere, quia sic te vocavimus in partem solicitudinis quòd nobis retinuimus plenitudinem potestatis, nec facimus cuiquam injuriam cùm utimur jure nostro, volentes tamen tibi, cui Ecclesia de Patras noscitur esse subjecta, in tua maximè novitate deferre, ipsum ad te duximus remittendum, ut à te vel alio de mandato tuo in Archiepiscopum consecratus & pallei honore recepto, te post Romanum Pontificem patrem præcipuum recognoscat; dilecto filio Benedicto tituli sanctæ Susannæ Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legato nostris dantes litteris in mandatis ut ea quæ præmisimus circa personam ipsius, appellatione remota faciat adimpleri. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ipsum consecrationis munere ac honore pallei non differas insignire; ne propter tuum, quod absit, defectum ad nos cogatur habere recursum.

[Vide Raynald. ad an. 1212. §. 41.]

CIIII. Defuncto apud Constantinopolim Henrico Dandulo Venetorum Duce, Petrus Cianus apud Venetias est promotus in Ducem. Qui Abbatem sancti Felicis de Venetiis eligi fecit in Archiepiscopum Iadertinum, & auctoritate Patriarchæ Gradensis confirmari & consecrari, mittens solemnes nuncios ad summum Pontificem pro palleo impetrando, quod ei altera vice fuerat denegatum. Memor autem offensæ quam in destructione Iaderæ Veneti commiserunt, taliter eis Dominus Papa rescripsit.

Apostolicæ servitutis officium laudabiliter exercemus si, juxta quod docet Apostolus, arguimus, obsecramus, & increpamus in omni patientia & doctrina. Quia ergo pater filium quem diligit corripit, Deus quos amat arguit & castigat, idcirco dilectos filios nobiles viros Mar. & P. Quia nuntios vestros ad sedem apostolicam accedentes paterno corripuimus affectu, vos in ipsis potiùs increpantes super multis & magnis offensis quas non solùm in Deum & Romanam Ecclesiam, verùm etiam in populum Christianum & nos ac proximos nostros nequiter commisistis, præsertim in Iadertinæ civitatis excidio, ubi & vos deviastis & exercitum Domini deviare fecistis à dextera in sinistram, impugnantes populos Christianos, cùm debuissetis expugnare perfidos Sarracenos, repellendo apostolicæ sedis Legatum, & excommunicationis sententiam contemnendo, violato crucis voto in injuriam crucifixi; ut de multis iniquis operibus taceamus quæ apud Constantinopolim perpetrastis, diripiendo Ecclesiarum thesauros, possessiones ecclesiasticas invadendo, volentes quasi hereditario jure sanctuarium Domini possidere; propter quod compositiones illicitas extorsistis. Dicite nobis quando vos tantum damnum reparare poteritis terræ sanctæ, cùm averteritis populum Christianum tam grandem, tam nobilem, tam potentem, adductum & congregatum tam magno studio & labore, tam magnis sumptibus & expensis, per quem procuídubio sperabatur quòd non solùm Hierosolymitana provincia recuperari deberet, verùm & magna pars regni Babylonici occupari? Si enim sibi potuit Constantinopolim & Græciam subjugare, quanto potiùs potuisset obtinere Alexandriam & Ægyptum, ac per hoc eripere terram sanctam de manibus paganorum? Certè licèt gratum sit nobis quòd Constantinopolis rediit ad obedientiam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris suæ, gratius tamen nobis fuisset si Hierusalem reducta esset in potestatem populi Christiani.

[Vide supra pag. 59. col. 1.]

Neque putetis quòd ideo minimè peccaveritis quòd civitas una vel altera tradita sit vobis & illis magis divino judicio quàm potestatu mundano: quia sæpe placet Deo passio flagellati quando displicet ei flagellans, sicut evidenter ostenditur auctoritatibus tam novi quàm veteris testamenti. Non ergo nostræ duririæ impotetis, sed vestræ ascribatis offensæ quòd preces quas pro palleo destinando Abbati sancti Felicis, quem vos Iadertinum appellatis electum, per præfatos nobis nuntios porrexistis non duximus admittendas: quia cùm ea iis quę per vos acta sunt contra Iaderam nimis contra vos scandalizatus sit populus Christianus, nolumus propter vos aliquid agere circa Iaderam pro quo ampliùs contra nos scandalizari possit Ecclesia generalis. quod utique fieret si ad petitionem vestram ei palleum largiendo, absque omni satisfactione tantam remisisse videremur offensam, cùm juxta sententiam Salomonis, in quo quis peccat, in eo sit puniendus. Quamvis hæc dilatio non tam pœna sit quàm cautela, per quam & nobis & vobis intendimus providere. Licèt enim in hac parte non peccaverint Iadertini, quia tamen metropolitica dignitas propter vestrum honorem specialiter fuit illis ab apostolica sede concessa, ut videlicet Ecclesia vestra non solo nomine sed pleno jure patriarchalem dignitatem haberet cùm ei subjecta foret metropolis Iadertina, magis in hoc vestram culpam quàm illorum pœnam volumus denotare, cùm nec novum sit nec absurdum si quando puniantur subditi pro prælatis, sicut absque propria culpa punitus est populus Israëlis quando David in ipsius enumeratione peccavit. Hoc itaque vobis per nuntios vestros & per nostras litteras respondemus, ut vos ad satisfactionem Deo & nobis offerendam & exhibendam humiliter inclinetis, saltem illorum exemplo qui licèt minùs peccaverint cùm ad hoc facinus perpetrandum per vos tracti fuerint, ad satisfaciendum tamen se nobis firmiter obligarunt; quatenus cùm non excusando, sed accusando vestram offensam, divinam & nostram imploraveritis indulgentiam, ad satisfactionem vos congruam exponentes, nos, qui vestram quoad Deum speramus salutem, & vestrum quoad homines affectamus honorem, & in his & in aliis quæ digniùs duxeritis postulanda vos exaudire curemus. Interim autem correctionem vestram æquanimiter expectantes, censuram illam suspendimus quam universorum penè sententia in vos asserit exercendam; ut cùm Domino inspirante conversi fueritis, non solùm remittamus vindictam, sed & gratiam impendamus. Nec se quisquam excuset quòd his gerendis corpore non interfuit, si forsan his gestis etiam corde consentit; quia facientes & approbantes similis culpa condemnat. Placeant igitur vobis, dilecti filij, verba nostra, licèt in cortice aspera, tamen suavia in medulla: quia, sicut ille novit qui nihil ignorat, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta procedunt, ut sicut meliora sunt amici verbera quàm oscula inimici, sic vos magis delectet patris correctio quàm adulatio peccatoris. Non ergo vos pudeat sub illius humiliari potentia qui solo nutu potest humiliare superbos & humiles exaltare, concessam vobis victoriam non vestræ virtuti sed divinæ potentiæ adscribentes, quæ licèt forsan occulto, justo tamen judicio per vos alios voluerit flagellare, scientes quod utrumque de cordis timore procedit. Nobis quoque cum devotione curetis obedientiam & reverentiam plenariam exhibere propter illius gratiam & honorem cujus, licèt immeriti & indigni, vicem gerimus & locum tenemus; ut ipse vos in præsenti protegat & exaltet, & in futuro glorificet & coronet, qui est Rex Regum & Dominus dominantium, Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. [Datum Ferentini Nonis Augusti anno nono.]

CV. Cùm autem Latini jam pro majori parte Constantinopolitanum obtinuissent etiam imperium, & in omnibus eis prosperè successisset, ita ut terror eorum quasi fulgur de cælo ceciderit, non solùm in Græcos, verùm etiam in paganos, ipsi de prosperitate nimis insolentes effecti, post vanitates suas liberè declinare cœperunt, & Deum ad iracundiam pravis operibus irritare. Vnde quid eis merito peccatorum suorum evenerit ex litteris Henrici fratris Imperatoris summo Pontifici destinatis perpendere licet manifestè.

Sanctissimo Patri ac Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Henricus frater Imperatoris Constantinopolitani, & moderator imperij, cum debita reverentia humili & devota, pedum oscula. Cùm universum exercitus Christiani progressum & laborum peregrinationis nostræ seriem paternitati vestræ per multiplices litteras & nuntios frater meus & Dominus Imperator usque ad Martium elapsum novissimè satis lucidè significaverit, eventus nostros ex tunc prioribus multùm dissimiles, immo peccatis nostris exigentibus nimis miserabiles, vobis tamquam patri & domino dignum duxi propalare. Contigit igitur Græcos, qui ea innata malitia & perfidia consueta post omne genus securitatis & cautionis proditioni semper pronos se exhibent, statim post dimissionem nuntiorum ad vos ultimò directorum proditionem, quam pridem mente conceperant, rebellione contra nos facta detegere manifestè. Quo comperto frater meus & Dominus Imperator opportunè paucioribus comitatus, quippe nobis per munitiones & marchias pro magna parte dispersis, contra caput rebellionis, Andronopolim videlicet, quæ est civitas Græciæ munitissima & montibus tantùm interpositis Blacorum affinis populis, ulciscendi animum intendens, urbem regiam egressus est. Eramus enim tunc temporis sic divisi. Marchio Montisferrati ultra Thessalonicam erat cum multis; ego ex altera parte brachij sancti Georgij eram apud * Androміticum cum non paucis; Paganus de Aurelia & Petrus de Braecel versùs Nicæam ea eadem parte, E. de Trie. apud Philoppopolim cum pluribus, & alij alibi per loca & munitiones dispersi. Porrò audito à Iohanitio Blacorum Domino quòd Latini in tanta virorum paucitate civitatem prædictam obsedissent, quem etiam Græci in auxilium suum, occultè tamen, ut magis læderent, evocarant, irruit subitò Blacus ille Iohannitius in nostros cum multitudine barbarorum, Blacis videlicet, Commanis, & aliis. Quibus etiam nimis improvisè obviam exeuntibus nostris, & remotiùs quàm oporteret instantibus, per inimicorum insidias tandem vallatis undique, proh dolor! Dominus Imperator, Comes Lodovicus, Stephanus de Perteo, & quidam alij Barones & Milites,

* Cod. reg. Mandromiticum

quod non sine sanguinearum lachrymarum effusione referre valeo, tanta obruti multitudine, non sine damno tamen illorum, ab inimicis intercepti sunt. Nescimus revera qui capti fuerunt, qui occisi. Accepimus tamen ab exploratoribus nostris certissimis & fama veridica quòd Dominus meus Imperator sanus teneatur & vivus, qui ab eodem Iohannitio satis, ut asseritur, pro tempore honorabiliter procuratur, cum quibusdam aliis, quos tamen adhuc expresiè nescimus nominare. Sciatis autem quòd ab eo die quo Græcorum fines ingressi fuimus usque ad diem infelicis illius congressus, quantacunque nobis & nostris occurreret multitudo, licèt aliquando nostri paucissimi fuerint, cum triumpho tamen semper & victoria recesserunt. Inæstimabilem verò jacturam quam tunc nobis dolemus & plangimus accidisse, ex inconsulta nostrorum audacia & peccatorum nostrorum meritis credimus contigisse. Illi itaque qui elapsi è prælio manus inimicorum evaserunt, consilio abbreviato cum his qui ad tentoria servanda remanserant, absque alio damno ab obsidione recesserunt: quibus tendentibus in urbem regiam & tam inopinaliter desolatis tantam Dominus subitò dedit consolationem ut quasi in momento omnes simul, quotquot dispersi fuerant, tamquam convocati à Domino, apud civitatem quandam quæ dicitur Rodestoch convenirent. Marchio tamen fideliter & victoriosè in suis marchiis, R. de Tric. in suis partibus per Dei gratiam incolumis morabatur & indemnis. Inspectis igitur ibidem nostrorum viribus, urbes & castella ex tunc munire cœpimus, quæ contra Græcorum rebellionem posse tenere videbantur; & iter agentes, Constantinopolim usque profecti sumus. Licèt itaque in personis amissis infortunium lugubre nobis acciderit, speramus tamen in Domino & audacter confidimus quòd inimicorum nostrorum insidias & assultus diutiùs, volente Domino, sustinere poterimus, & etiam de longinquo subventionem & auxilium expectare. Ecce tamen quod verebamur accidit, & quod fama canebat publica quoque, per litteras ipsius Blaci confœderationem ipsius cum Turchis & ceteris crucis Christi inimicis continentes edocti sumus, quas etiam à nobis cum nuntiis ipsius interceptas apostolatui vestro in utraque lingua transmisimus, licèt graviùs expectato vulnus incurritur & ruina: cujus susceptionem vobis incumbere tamquam patri omnium & nostro patrono & domino nemo est qui ambigat; præsertim cùm ob Ecclesiæ tantùm unitatem reformandam & terræ sanctæ subventionem laboremus, quorum unum hactenus pendet ex altero, sicut communis omnium Christianorum in oriente degentium, & præcipuè venerabilium fratrum militiæ Templi & Hospitalis utriusque, qui nobiscum sunt, clamat assertio; ut non solùm ipsius liberationem hujusmodi operetur redintegratio, verùm etiam omnium paganorum & crucis Christi inimicorum confusionem omnimodam apertissimè procurare videatur; sicut è contrà ejus disturbatio, quod Dominus avertat, non solùm recuperandi partem amissam terræ sanctæ spem auferret, immo & illam quæ presenti Christiano cultui dedita est, proculdubio spem præriperet detinendi. Attendentes igitur, sicut à principio, imperfectum nostrum ad tam ardui propositi celsitudinem minùs sufficere, ad vos tamquam summum & præcipuum, immo unicum spei nostræ refugium & fundamentum, qui solus præ filiis hominum & Principibus & Regibus in quantalibet potestate constitutis nobis potestis succurrere, supplici & devota intentione & mente confugimus, ad pedes paternitatis vestræ prona humilitate prostrati, quanta possumus precum instantia cum lacrymis implorantes quatenus filiis vestris in tam arcto periculo constitutis, & præ cunctis viventibus consilio & auxilio vestro indigentibus, consuetum pietatis impendere non differatis affectum, quod tantò securiùs à paternitatis vestræ dulcedine postulamus quanto præter peregrinationis nostræ votum solemne pro Ecclesia Romana corpora nostra & vitas impendimus. In quo præter communem omnium Christianorum, qua tenemini, solicitudinem nos paternitati vestræ & vos nobis tamquam Militibus vestris & Ecclesiæ Romanæ stipendiariis districtè novimus obligatos.

CVI. Adhuc etiam manus Domini non cessavit flagellare Latinos, ut vexatio eis tribueret intellectum, sicut præfatus Henricus frater Constantinopolitani Imperatoris & moderator imperij Domino Papæ rescripsit.

Statum, *inquit*, nostrum & rumores qualescunque pro nuntiorum opportunitate sanctitati vestræ dignum duximus revelare. Satis, ut credimus, vobis innotuit qualiter peccatis nostris exigentibus Dominus noster Imperator, occisa & capta magna parte suorum, quod sine cordis amaritudine & dolore maximo dicere non possum, à Comannis in bello Andrinopolitano captus fuerit. Postmodum cùm Principes & Barones & Milites exercitus me imperij Baillivum elegerunt, egressus ex urbe regia cum exercitu Christiano, civitates & castella plurima, quæ nobis rebellia fuerant, subjugavimus, & munitis marchiis nostris, circa festum sancti Remigij Constantinopolim reversi fuimus. In munitione verò cujusdam civitatis quæ Rossa dicitur, Th. de Tereramunda, virum utique strenuum & discretum, cum multis militibus & * serjantis reliquimus; & dum morarentur ibidem, circa Purificationem beatæ Mariæ significatum est eis Blacos prope Rossam castrum quoddam occupasse. Qui de Rossa de nocte exeuntes armati, Blacos quos illic invenerunt occiderunt, & castro dejecto cum præda Blacorum & equitatura eorum, versùs civitatem supradictam redire cœperunt. Quibus redeuntibus, ex insidiis prope Rossam occurrit multitudo Blacorum & Comanorum; & congressu facto ex utraque parte, proh dolor! ultione divina nostri ferè omnes occisi sunt vel capti. Illi verò quibus custodia civitatis deputata fuerat, circiter quadraginta milites de nocte recedentes cum * serjantis ad nos sani rediere; & sic Dominus flagellum flagello adiciens, meritis nostris perversis idipsum exigentibus, vultum indignationis suæ nobis ostendit. Veruntamen quia bellorum eventus fuit, est, & erit semper anceps, nec fieri potest quòd semper bene cedat bellantibus, & sæpe tristia lætis miscentur, non est desperandum virtuosis viris. Nam parvo tempore mutatur fortuna, & Dominus respiciet suos, & statim reddet optata gaudia desolatis. In rebus arduis virtus comprobatur, & robustos viros ipsa reddunt pericula cautiores. Nam adversitas quæ bonis viris obicitur, non indicium reprobationis,

* Cod. reg. servientibus

* Cod. reg. servientibus

sed probatio virtutis est. Nos ergo in his angustiis constituti, ad vos patrem omnium, immo ut veriùs loquamur, nostrum in hoc facto turbationis recurrimus, vestrum implorantes auxilium & consilium: quatenus opus nostrum à vobis misericorditer inceptum misericordiùs terminetis, quoslibet bonos modos pro facto operis nostri necessarios adinvenientes.

C VII. Eorum igitur infortuniis Dominus Papa compatiens, pro liberatione Imperatoris nuntium specialem ad præfatum Iohannitium cum his litteris destinavit.

Ex illa gratia speciali qua te glorificavimus inter omnes Principes Christianos usque adeo te diligimus ut ad tuum commodum & honorem efficaciter aspiremus, pro certo sperantes quòd tu in devotione sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ matris tuæ proficere debes incessanter, per cujus merita gloriosum acquisivisti triumphum adversùs eos qui te nitebantur graviter molestare. Cùm igitur regium diadema & militare vexillum à nobis per Legatum apostolicæ sedis acceperis, ut regnum tuum beati Petri sit speciale, providere volumus diligenter ut ab hostium undique liberatus incursibus, tranquilla pace læteris. Noveris ergo, fili carissime, quòd ingens exercitus de occidentalibus partibus est in Græciam profecturus, præter illum qui nuper accessit. Vnde tibi & terræ tuæ debes summopere providere, ut dum potes, pacem ineas cum Latinis; ne si fortè ipsi ex una parte & Vngari ex altera te studuerint impugnare, non facilè possis resistere conatibus utrorumque. Quocirca serenitati tuæ suggerimus & consulimus fide recta quatenus cùm Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem dicaris tenere captivum, ita tibi provideas ut per liberationem ipsius veram & firmam pacem facias cum Latinis, ut ab impugnatione tua & terræ tuæ penitùs conquiescant. Nos enim Henrico fratri ejusdem Imperatoris, qui Constantinopoli præest exercitui Latinorum, per apostolica scripta mandamus ut ad pacem tuam pro liberatione ipsius Imperatoris Latinos inclinet & à tua molestatione cesset omnino. Inspiret itaque tibi Deus ut nostris monitis & consiliis acquiescas; quatenus regnum tuum, quod beato Petro & Ecclesiæ Romanæ devotissimè dedicasti, ab omni perturbatione servetur illæsum, ad quod diligens studium impendere cupimus & operam efficacem.

C VIII. Præfatus verò Iohannitius sive Calojohannes Rex Bulgarorum & Blacorum respondit quòd ipse audita captione regiæ civitatis miserat nuntios & litteras ad Latinos ut cum eis pacem haberet, sed ipsi ei superbissimè responderunt, dicentes quòd pacem non haberent cum illo nisi redderet terram ad Constantinopolitanum imperium pertinentem, quam ipse invaserat violenter; quibus ipse respondit quòd terra illa justiùs possidebatur ab ipso quàm Constantinopolis possideretur ab illis. Nam ipse recuperaverat terram quam progenitores ejus amiserant; sed ipsi Constantinopolim occupaverant, quæ ad eos minimè
Vide supra cap. 8c. pertinebat. Ipse præterea coronam regni legitimè receperat à summo Pontifice; sed ipse qui se appellabat Constantinopolitanum Basileum, coronam imperij temerè usurpaverat à seipso. Quare potiùs ad ipsum quàm ad illum imperium pertinebat. Ideóque sub uno vexillo quod à beato Pe- Vide supra cap. 74
tro receperat ejus clavibus insignito, pugnaret fiducialiter contra illos qui falsas cruces suis humeris præferebant. Provocatus igitur à Latinis, compulsus fuit ut defenderet se ab illis; deditque sibi victoriam insperatam Deus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; ipsámque victoriam beato Petro Apostolorum principi ascribebat. Dictum autem Imperatorem ad consilium suum & mandatum summi Pontificis liberare * Cod. reg. in carcere moraretur
non poterat, quia debitum carnis exsolverat cùm * carcere teneretur.

C IX. Audita fama nominis ejus, Gregorius Vide lib. 2. epist. 251. 255 & lib. 5. epist. 42. & seqq.
Armenorum Catholicus & Levo Rex minoris Armeniæ litteras & nuntios cum muneribus Domino Innocentio transmiserunt, ad devotionem & obedientiam ejus se humiliter exponentes. Quibus Dominus Papa rescripsit hoc modo.

Lib. 2. epist. 218.
Gregorio Armeniorum Catholico. Ex eo te radicatum in fide catholica & Ecclesia catholica non tam nomine quàm merito experimur quòd apostolicæ sedis magisterium recognoscens, eam Ecclesiarum omnium matrem & nos caput universorum fidelium confiteris, sicut ex tuarum nobis innotuit serie litterarum. Nosti enim privilegium beati Petri, quo ei Dominus universas oves suas pascendas vocabulo tertiò reperito commisit, *Pasce*, inquiens, *oves meas*, & super universas ligandi & solvendi contulit potestatem dicens ad eum: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Nosti enim prærogativam apostolicæ sedis, quæ per merita beati Petri, etsi non tempore, auctoritate tamen inter Apostolos primi, non constitutione synodica, sed divina, inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit & primatum, fundata super immobili fundamento de quo Paulus inquit Apostolus, *Fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus*, de quo veritas inquit ad Petrum: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Petrus siquidem post Christum potest intelligi pastor unus, & Ecclesia universalis ovile unum; de quibus Dominus in evangelio protestatur dicens: *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor.* Sanè lapis ille angularis quem reprobaverunt ædificantes, factus postmodum in caput anguli, faciens utraque unum, Iudæorum populos & gentium nationes in unitate fidei catholicæ counivit, Ecclesiam ex utrisque constituens non habentem maculam neque rugam; quæ ne post ascensionem ejus secaretur in partes, & ne unicum in ejus fide divideretur ovile, uni commisit Apostolorum principi gubernandum, quem solum sibi Dominus & in officio vicarium & in magisterio constituit successorem. Hæc autem tua fraternitas diligenter attendens, ac sciens quòd secundùm Apostolum omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, nos quos Dominus, licèt immeritos, vicarios suos esse voluit & Apostolorum principis successores, caput Ecclesiæ confiteris, & te ac fratres & coëpiscopos tuos partem nostri corporis recognoscis, sciens quòd sicut palmes non potest fructum facere à semetipso nisi manserit in vite, sic & mem-

brum & sensu caret & actu, si non in corporis permanserit unitate. Gaudemus ergo non modicùm quod in fide catholica perseverans, circa nos piæ geris devotionis affectum, & si ium te esse apostolicæ sedis innuis, dum eam esse matrem omnium protestaris, recognoscens ex nobis magisterium ecclesiasticæ disciplinæ, quam etsi receptam longo tempore prius, ex parte tamen per venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum & Episcopum Sabinensem, unum ex septem Episcopis qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, suscepisse te gaudes & desideras observare. Fuit autem & est magnum tuæ devotionis indicium, quòd eundem Archiepiscopum magnificè recepisti & curasti non modicùm honorare, sicut & tuæ litteræ continebant & ipsius nobis relatio patefecit. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino ac per apostolica tibi scripta mandamus quatenus in devotione sedis apostolicæ firmiter perseveres, & in lege Domini die mediteris & nocte, quod sanæ doctrinæ congruit prædicans, & quæ prædicaveris quantum Dominus permittit adimplens, ut in te nec opera verbis nec verba operibus contradicant. Esto circa subjectos magister ut doceas, ut corrigas pater, mater ut foveas. Doceas minùs doctos, superbos corrigas, humiles foveas & devotos, justitiam misericordia temperans, & æquitatem in judicio non relinquens. Super subventionem verò Hierosolymitanæ provinciæ nosse te volumus quòd jam per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, in defensionem orientalis provinciæ opportuno tempore transituri. Iam etiam duo ex fratribus nostris de manibus nostris vivificæ crucis assumpserunt vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur & esto robustus, quia citiùs forsan quàm credatur orientalis provincia subsidium sentiet expectatum.

CX. Levoni Armenorum Regi illustri. Is Ecclesiam suam congregat ex gentibus non habentem maculam neque rugam & super gentes & regna constituit, is extendit palmites ejus usque ad mare, & usque ad terminos terræ ipsius propagines dilatavit cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in eo. Ipse etiam Romanam Ecclesiam non solùm universis fidelibus prætulit, sed super ceteras etiam Ecclesias exaltavit, ut ceteræ ab ea non tantùm vivendi normam & morum sumerent disciplinam, sed & fidei etiam catholicæ documenta reciperent, & ejus servarent humiliter instituta. In Petro enim Apostolorum principe, (cui excellentiùs aliis Dominus ligandi & solvendi contulit potestatem dicens ad eum: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*) Ecclesia Romana sedes ipsius & sessores ejus Romani Pontifices, successores Petri & Vicarij Iesu Christi, sibi invicem per successivas varietates temporum singulariter succedentes, super Ecclesiis omnibus & cunctis Ecclesiarum Prælatis immo & fidelibus universis à Domino primatum & magisterium acceperunt, vocatis sic ceteris in partem solicitudinis ut apud eos plenitudo resideat potestatis. Non enim in Petro & cum Petro singulare illud privilegium expiravit quod successoribus ejus futuris usque in finem mundi Dominus in ipso concessit; sed præter vitæ sanctitatem & miraculorum virtutes, par est in omnibus jurisdictio successorum, quos etsi divisis temporibus, eidem tamen sedi & eadem auctoritate Dominus voluit præsidere. Gaudemus autem quòd tu Princeps catholicus, apostolicæ sedis privilegium recognoscens, venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum, & Episcopum Sabinensem, unum ex septem Episcopis qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, benignè ac hilariter recepisti, & non solùm per eum institutis salutaribus es instructus, quibus juxta continentiam litterarum tuarum totum regnum tuum, licèt amplissimum, desideras informari & universos Armenos ad Ecclesiæ Romanæ gremium revocare, sed ad honorem & gloriam apostolicæ sedis, quam constitutam esse novisti super gentes & regna, diadema regni recepisti de manibus ejus, & eum curasti devotè ac humiliter honorare, & nos per ipsum & litteras tuas ad orientalis terræ subsidium invitasti. Ei ergo à quo omne datum est optimum, & omne donum perfectum, qui habet corda Principum in manu sua, quas possumus gratias referentes, qui tibi tantæ humilitatis animum inspiravit, rogamus serenitatem regiam & exhortamur in Domino ac per apostolica tibi scripta mandamus quatenus in timore Domini & apostolicæ sedis devotione persistens, ad expugnandam barbariem paganorum & vindicandam injuriam crucifixi tanto potentiùs & efficaciùs studeas imminere quanto fraudes & versutias hostium vicinùs positus meliùs cognovisti, non in exercitus multitudine aut virture, sed de ipsius miseratione confidens qui docet manus ad prælium & digitos movet ad bellum, qui arcus fortium superat, & robore accingit infirmos. Iam enim per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, opportuno tempore transituri. Iam etiam duo ex fratribus nostris vivificæ crucis assumpserunt vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur, & esto robustus, quia citiùs forsan quàm credatur orientalis provincia subsidium sentiet expectatum.

CXI. Post hæc idem Rex quendam Militem cum litteris suis ad summum Pontificem destinavit, rogans & postulans ut cùm super injuriis quas circa successionem principatus Antiochiæ Comes Tripolitanus cum Hospitalariis cuidam nepoti suo, Rupino nomine, irrogaverat, ad apostolicam sedem appellasset, faceret ei justitiæ plenitudinem exhiberi. Cui Dominus per litteras suas ita respondit.

Ei à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, qui corda Principum habet in manu sua, & à quo est omnis potestas, quas possumus gratiarum referimus actiones quòd te usque adeo in devotione sedis apostolicæ radicavit ut non solùm in spiritualibus, sed in temporalibus etiam ad auxilium Ecclesiæ Romanæ recurras & in tuendis justitiis tuis per appellationem interpositam opem ejus implores. Veniens enim ad apostolicam sedem dilectus filius nobilis vir Robertus de Margato Miles nuntius tuus plenè nobis exposuit tuæ devotionis affectum, & regiæ serenitatis litteras nobis obtulit continentes quòd cùm R. quondam primogenitus filius nobilis viri R. Principis An-

Vide lib. 2. epist. 217.
Lib. 2. epist. 220.
Vide lib. 2. epist. 252.

tiocheni A. neptem tuam duxerit in uxorem, ex ea maſcula prole ſuſcepta, dum ageret in extremis, eidem Principi ſupplicavit ut ſucceſſionem quæ ipſi jure hereditario competebat, R. unico ejus filio conſervaret. Qui poſt mortem filij, non immemor precum ejus, convocatis ligiis hominibus ſuis, quòd dictus Raymundus legitimus fuiſſet heres ipſius, & poſt mortem R. prædicti R. filius ipſius Principis legitimus heres eſſet, publicè recognovit, & ei ab univerſis hominibus ſuis, ſalva fidelitate qua ei tenerentur dum vixerit, ligium fecit homagium exhiberi. Deinde quoque prædictum R. de civitate Antiochia & toto principatu Antiocheno tenendo poſt ejus obitum, ſalva dote I. uxoris ipſius, & omnibus donis quæ fecerat & in poſterum eſt facturus, & dum vixerit, totius principatus dominio ſibi ſalvo, ſaiſivit, & eum Raymundum nomine patris appellavit, ſicut in litteris ad nos à te tranſmiſſis perſpeximus contineri. Ceterùm nobilis vir Comes Tripolitanus filius Principis memorati moleſte ferens ſe patria hereditate privari, cum dilectis filiis Hieroſolymitani Hoſpitalis & militiæ Templi Magiſtris te voluit moleſtare; ſed quòd adversùm te prævalere non poſſes inſpiciens, converſus in Principem, favore Antiochenæ communitatis filius patrem excluſit, & domino ſuo contumelias præſumpſit & injurias irrogare. Interea etiam quidam amici Tripolitani Comitis corrupti pretio & precibus circumventi, Comitem ipſum legitimum heredem Principis aſſerentes, falſis ſuggeſtionibus obtinuerunt à populo memorato ut abjurato quodammodo juramento priori, eidem Comiti * homagium exhiberent. Propter quod ad ſedem apoſtolicam regia ſerenitas appellavit, & Templariis & Hoſpitalariis ad cor redeuntibus, Principem in ſede reſtituit principali. Licèt autem, quantum cum Deo poſſumus, tuæ velimus ſerenitati deferre, quia tamen in dubiis certum non volumus nec debemus proferre judicium, cùm etſi etiam nobis de veritate conſtaret, in abſentia tamen partis alterius nondum cœpto judicio ad ſententiam procedere non poſſemus, cauſam ipſam Legatorum noſtrorum, qui dante Domino in proximo transfretabunt, examini duximus reſervandam, quibus & verbis & ſcriptis dabimus firmiter in mandatis ut ipſam diligenter examinent & ſine perſonarum acceptione prævia ratione decidant, nolentes eam delegare judicibus qui alterutri partium, & tuæ præſertim, eſſe poſſent de ratione ſuſpecti. Rogamus igitur celſitudinem tuam & exhortamur attentiùs, ac per apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatenus communem cauſam privatæ præponens, & propriis commodis negotium præferens crucifixi, quantum in te fuerit pacem ad univerſos Chriſtianos obſervans, ad defendendam hereditatem Domini & expugnandam barbariem Sarracenorum potenter intendas, nec ob hoc adversùs Comitem vel alium bellum moveas, præſertim vivente Principe, qui, ſicut in ejuſdem litteris continetur, ſic nepotem tuum de principatus ſucceſſione ſaiſivit ut ſibi proprietatem & dominium quoad viveret retineret. Cùm autem ad partes illas Legati noſtri pervenerint, cauſam tuam non armis, ſed legibus, non gladio vindictæ, ſed juſtitia judice proſequaris. Nos enim eidem Comiti per apoſtolica ſcripta mandamus ut cauſa ipſa in ſuo ſtatu manente, nihil in præjudicium juris alterius attentare præſumat, ſed Legatorum noſtrorum, quibus cognitionem & diffinitionem ipſius duximus committendam, expectet adventum. Ad hæc dilectum filium nuntium tuum ſerenitati regiæ propenſiùs commendamus, ut de caro eum habeas de cetero cariorem. Præterea ſerenitati tuæ gratiarum referimus actiones quòd nos per eundem nuntium tuum magnificè ac liberaliter viſitaſti.

* Cod. Pod. hominium. Ita etiam in regeſto.

CXII. Per eundem Militem miſit ei Dominus Papa vexillum quod poſtulaverat ab eodem, ſcribens ei hoc modo.

Comitibus, Baronibus, Militibus, & populis univerſis in Armenia conſtitutis. Etſi modernis temporibus apoſtolicæ ſedis receperitis inſtituta, ſecundùm ea Domino in puritate cordis ac corporis ſervientes, is tamen qui matutinos & veſpertinos operarios vineæ ſuæ ſingulorum denariorum remunerat, faciens noviſſimos primos & primos noviſſimos, bravium vobis largietur æternum, ſi catholicam Eccleſiam ſponſam veri Salomonis, ſub cujus capite, ſecundùm quod ipſa proteſtatur in canticis canticorum, læva ejus, & dextera ejus ipſam jugiter amplexatur, fueritis humiliter venerati, & uſque adeo vos zelus domus Domini comederit ut ad vindicandum injuriam crucifixi & templum & hereditatem ejus de paganorum manibus liberandam & res expoſueritis & perſonas, Chriſtum vobis vitam & mortem lucrum cum Apoſtolo reputantes. Gaudemus autem quòd etſi nova ſitis Eccleſiæ Romanæ plantatio, novitas tamen in vobis virtutis operatur augmentum, & uſque adeo vos reddit in fide ferventes ut tanto ferventiores in Chriſtianorum omnium immo Chriſti auxilium aſſurgatis quanto eſtis viciniores hoſtibus, & ex vicinitate meliùs & ſcitis & voltis eorum conatibus obviare. Nos autem de cariſſimi in Chriſto filij noſtri Lievonis Armeniæ Regis illuſtris ſinceritate ac veſtra devotione confiſi, ei ad petitionem dilecti filij nobilis viri R. Militis nuntij ejus in noſtræ dilectionis indicium vexillum beati Petri dirigimus, quo in hoſtes crucis duntaxat utatur, & eorum ſuperbiam ſuffragantibus Apoſtolorũ principis meritis Domino concedente conculces. Monemus igitur univerſitatem veſtram & exhortamur in Domino, & in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus ad liberandum funiculum hereditatis dominicæ de manibus paganorum & eorum refrenandam audaciam & barbariem edomandam, cum eodem Rege veſtro, ſicut bene cœpiſtis, potenter & viriliter intendatis, ut ejus ſitis remiſſionis participes quam de Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus transfretantibus indulgemus.

Lib. 2. epiſt. 254.

CXIII. Iterum idem Rex alium Militem ad ſedem apoſtolicam deſtinavit, per quem talia ſcripta direxit.

Paternitatis veſtræ litteras, quas per dilectum fidelem nuntium noſtrum nobis direxiſtis, ea qua decuit reverentia & devotione ſuſcepimus, & per earum ſignificata pleno collegimus intellectu vos caritatis viſceribus regiam majeſtatem noſtram amplexari. Continebant etiam quòd in devotione & amore apoſtolicæ ſedis perſiſteremus; & in hoc ſemper perſeverare cupimus & optamus, & teſtis eſt rerum effectus, dum de omnibus negotiis

Lib. 5. epiſt. 43? Vide lib. 12. epiſt. 45.

nostris ad sedem apostolicam appellanus. Misistis autem nobis per eundem nuntium nostrum vexillum sancti Petri in memoriam dilectionis sedis apostolicæ, quod semper ante nos poitari contra inimicos crucis ad honotem sanctæ Romanæ Ecclesiæ faciemus. Nuntius verò noster nobis insinuare curavit se benignè & honorificè à beatitudine vestra esse susceptum & tractatum, & quòd omnibus petitionibus nostris aures pietatis vestræ diligenter & efficaciter accommodastis; quod quidem mellifluis litteris vestris perspicuè intelleximus. Super his omnibus prædictis sanctæ paternitati vestræ gratiarum exsolvimus actiones assiduas. Precati autem & exhortari nos voluistis ut contra conatus & violentias paganorum nos murum opponeremus ascendentibus ex adverso. quod quidem qualites hactenus fecerimus, vestræ, prout credimus, non extat incognitum paternitati, atque de cetero pro lege nostra & defensione fidei Christianæ, muniti vestra gratia, fortitudinis nostræ clypeum in manu forti & brachio extento contra barbaricas nationes opponemus, quousque desideratum nobis subsidium mittatis. Mandastis sæpe & sæpius quòd teneremus pacem Antiochiæ & Comiti Tripolitano. quod amoris vestri gratia nunc usque bene observavimus. Verùm nulli veniat in dubium quòd per Dei gsatiam bene non habeamus posse Antiochenorum repugnantiam & audaciam sefrenare. Quomodo autem & qualiter nuper adversùm nos se habuerint, sanctam paternitatem vestram latere nolumus. Miserunt nuntios suos Comes Tripolitanus & Antiocheni ad * Rocomodin crucis inimicum & adversarium nostrum, & contra nos se ei alligaverunt, & machinati sunt ad invicem quòd Rocomodin crudelissimus ex una parte, Comes Tripolitanus & Antiocheni ex altera, nos infestare non cessarent donec à regni solio nos eliminarent. Quod cùm audivimus, nostros misimus exploratores: qui tamdiu insidiati sunt quoad usque ceperunt prædictos nuntios. Quibus ante pedes potentiæ nostræ adductis trementibus & verentibus, rei veritatem aperta nobis voce exposuerunt. Deinde ad fines Antiochiæ accessimus, ibique per tres menses cum multo labore & sudore inviti plurima sustinuimus. Post hæc quicquid voluerunt Antiocheni, non timore ipsorum, sed precibus vestris, molestè ferentes supplevimus. Eapropter in regno nostro non modica damna incurrimus, & à servitio Dei & Christianitatis nos declinare invitos oportuit. Venientibus autem desideratis Legatis vestris prævia divina potentia, in præsentia ipsorum rei certitudinem per eosdem nuntios, si vita eis communis fuerit, explicari faciemus. Ad hæc, sanctitati vestræ supplicamus ut diù expectatum & desideratum succursum festinanter transmittatis. Magna etenim discordia inter barbaricas nationes est emersa, & deseviunt crudeliter adinvicem; & si antequam inter eos discordia fuerit reformata subsidium miseritis, Christianitas exaltabitur; & si, quod absit, antequam venias subsidium inter eos concordia fueris reformata, non etis qui eorum violentiam valeat cohibere, & reliqua Christianitas vix aut nunquam poterit eis resistere. Super hoc quod nobis scripsistis de negotio Rupini dilecti nepotis nostri, quòd absente alia parte super re incerta nec vultis nec debetis proferre judicium, hoc decet sanctitatem vestram, hoc exigit universale jus. Verùm propulsati sumus non modica lætitia eò quòd causam nostram in manibus Legatorum vestrorum commisistis & litteris & firmis mandatis, non in manibus personarum nobis suspectarum. Super quo sanctitati vestræ gratiarum exsolvimus actiones assiduas, & omnium conditori laudes referimus copiosas. Ad hæc, piissimam paternitatem vestram exposcimus & flexis genibus flagitamus quatenus cum Legatis vestris, de quibus non modicùm confidimus, venerabilem Archiepiscopum Maguntinum ad succursum terræ sanctæ, futurum in eadem causa nostra judicem constituere dignemini, quia nihil est de quo nos magis lætificare possitis. Scripsistis etiam nobis quòd per litteras vestras misistis Comiti Tripolitano ut de alieno jure se subtraheret. quod gratum duximus & acceptum; & vobis immensas gratiarum exsolvimus actiones. Sed sciatis nihil nobis profuisse, quia insidiatur ut lupus in abscondisis, & non cessat die noctéque sibi quos potest Antiochenos & pretio & precibus attrahere. Igitur sanctitatem vestram latere nolumus quòd mense Iulij exercitum nostrum coadunavimus contra barbaricas nationes, quas duriùs cum Dei auxilio lædere speramus propter discordiam inter eas emersam. In quo negotio misimus pro Templariis morantibus in regno nostro de possessionibus valentibus viginti milia byzantiorum ut venirent in auxilium nostrum ad honorem & defensionem Christianitatis. Qui Antiochiam usque venerunt, & nos in propria persona cum gaudio & exultatione usque ad fines Antiochiæ obviam eis exivimus. Ad hæc, destinavit nobis litteras Magister Templi ex parte vestra directas; quas cùm vidissemus, eo quo decuit honore suscepimus. Quibus perlectis, per earum tenorem intelleximus vos nos precari ut eis redderemus *Gaston. Et nos in momento pro Magistro ac quibusdam fratribus suis misimus secundùm preces vestras causa loquendi cum eis. Qui ad nos venientes, communicaverunt nobis colloquia. Post multas verò verborum nebulas rogavimus Magistrum Templi, ad supplendas preces vestras, ut ipse & Dominus Patriarcha Antiochenus & nos mitteremus nuntios nostros simul ad sedem apostolicam, quia per manus vestras ipsum Gaston, sopita omni occasione, Templariis reddere volebamus, & Rupinum dilectum nepotem nostrum ad nutriendum & custodiendum bona fide & sine malo ingenio in ipso castello eis tradere cupiebamus, & ut deberent semper esse auxiliantes prædicti pueri ad acquirenda jura sua, in quantum dignitas ordinis sui permitteret, & ut quodlibet damnum in regno nostro per ipsum castellum non contigisset; & donec nuntij nostri irent & redirent, precum vestrarum obtentu, quantum valebant redditus pertinentiarum ipsius castelli in corpore terræ nostræ Templariis restituere volebamus. Nos itaque & puer dilectus nepos noster hac conditione fieri confratres eorum quærebamus, & ad acquirendum aliud castellum nomine Trepesach, eis pertinens, cum omni gente nostra & viribus nostris eis similiter auxiliari volebamus. Videntes autem ipsi Templarij me tanto negotio circumventum, in humilitate nostra contritum, nos exaudire contempserunt; immo conventum quem ad partes regni nostri direxerant, redire mandaverunt.

* Cod. Pod. Nocomodium, in regist. Rocomod.

Vide lib. 2. epist. 239. & lib. 12. epist. 43. & Odor. Raynald. ad an. 1205. n. 58.

mandaverunt. Et nulli veniat in dubium quòd precibus cujuslibet, exceptis vestris, ad hanc formam pacis de ipso castello pervenire nequissent. Misimus iterum eis, rogando ut pro Dei amore in regnum nostrum venirent, & ex quo non placebat eis nobiscum contra paganos exire, saltem Dei pietate regnum nostrum usque ad reditum nostrum recommendatum haberent. Qui in obstinatione sua perseverantes, neque hoc neque illud facere voluerunt; immo nobis exeuntibus contra crucis inimicos, regnum nostrorum luporum morsibus austeritate sua reliquerunt. Tamen cum Dei auxilio salvi & sani redeuntes, invenimus terram nostram vestris precibus illæsam & intactam. Ex hoc conquerimur Deo & vobis. Nam quid inde factum sit, vestræ non extat incognitum sanctitati. Præterea nos obedientiæ vinculis de cetero apostolicæ sedi esse alligatos non dubiteris. Ea propter, si placet sanctitati vestræ, cuilibet alteri Ecclesiæ Latinæ nec volumus nec debemus alligari. Hinc est quòd sanctitatem vestram humiliter flagitamus quatenus nobis litteras apertas mittere dignemini ut non teneamur, neque Latini de terra nostra, de qualibet conditione, excepta sancta Romana Ecclesia, cuilibet Ecclesiæ Latinæ, & quòd non habeat potestatem nos seu Latinos de terra nostra excommunicandi vel sententiam in regno nostro proferendi super Latinos quælibet Ecclesia, excepta, ut dictum est, sede apostolica. Præsentium quoque latorem dilectum & fidelem nostrum Militem nomine Garnerum Teuto ad pedes sanctitatis vestræ dirigimus; cui super his quæ ex parte nostra vobis dixerit, tamquam nobis ipsis credere ne dubitetis.

CXIV. Ad petitionem verò Regis Dominus Papa tale sibi scriptum indulsit.

Lib. 5. epist. 45. Regiæ serenitatis devotio promeretur & sinceritas tuæ caritatis exposcit ut non solùm tibi, sed toti etiam regno tuo spiritualem gratiam faciamus, & ob tuæ devotionis meritum totam Armenicam Ecclesiam honoremus. Bene enim præ ceteris prædecessoribus tuis, quorum extat memoria specialis, in nostra & Ecclesiæ Romanæ devotione persistis, & apostolicæ sedis primatum & magisterium recognoscens, ad eam velut ad matrem tuam humiliter & devotè recurris, propter quod ab ea debes rationabiliter honorari. Accepimus autem ex litteris quas regia nobis serenitas destinavit quòd cùm regnum Armeniæ alligatum sedi apostolicæ obedientiæ vinculis recognoscas, illud, sicut non debebas, ita etiam non volebas obligari cuilibet alteri Ecclesiæ Latinorum. Vnde petebas tibi per litteras apostolicas indulgeri ut præter Romanum Pontificem nullus Latinus in te vel regnum tuum vel homines regni tui, sive Latinos, sive alios, cujuscunque conditionis, excommunicationis aut interdicti possit sententiam promulgare. Volentes igitur, quantum cum Deo possumus, tuæ serenitati deferre & cum honestate nostra petitiones regias exaudire, tuis precibus inclinati, auctoritate præsentium inhibemus ne quis in te vel regnum tuum aut homines regni tui, cujuscunque conditionis existant, qui mediantibus * tamen ejusdem regni Prælatis sedi apostolicæ sunt subjecti, præter Romanum Pontificem & ejus Legatum, vel de ipsius speciali mandato, districtionem ecclesiasticam audeat exercere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere &c.

* Cod. Fod. tantùm

CXV. Rescripsit etiam Armenorum Catholico in hunc modum.

Quòd die ac nocte in lege Domini mediteris, ex litterarum tuarum tenore cognoscimus, quas variis auctoritatum floribus decorasti, de thesauro cordis tui nova & vetera proferens, & hæc illis & illa istis doctiùs intermiscens, ut uberiùs juncti simul flosculi redolerent. Lib. 5. epist. 45. Sanè licèt didiceris ex verbis Apostoli quòd omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, & quòd cunctos quos sacri baptismatis unda regenerat fratres facit, quoniam unus est pater noster qui est in cœlis, prout in evangelio veritas protestatur, in nobis tamen, qui beato Petro successimos, Christianæ fidei magisterium recognoscis. Vnde secus fontem scientiæ fidei nostræ ac præceptorum legis & Ecclesiæ quiescere desideras & nutriri, ut sugas mamillas nostras quotidie & inebrieris lacte doctrinæ ab apostolica sede emanantis. Et licèt loco quidem à nobis remotus existas, fide tamen nobis gaudes tam te quàm Armenicam Ecclesiam counitum, cùm ex illo sitis ovili de quo Dominus in evangelio protestatur, *Alias*, inquiens, *oves habeo quæ non sunt de hoc ovili, & illas oportet me adducere; & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor.* Oves enim hujus ovilis uni Dominus pastori commisit, Petro videlicet, cùm inquit, *Pasce oves meas*, innuens per verbum tertiò repetitum quòd quicunque fidem habuerint trinitatis, in quacunque orbis partium regione, ac trino fidelium ordine, cum Noë, Iob, & Daniele, sive in lecto, sive in agro, sive in mola consistant, Petri magisterio sunt commissi. Gavisus es igitur quòd mater Ecclesiarum omnium, quæ totum orbem sua irradiat claritate, catholicam Armenorum Ecclesiam bono corde respiciens voluit consolari, in hoc illud impletum intelligens quod inquit Petro Dominus Iesus Christus: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Asseris quoque quòd ab Ecclesia Romana fidem ab initio Armenica suscepit Ecclesia, quam tu & coëpiscopi tui & grex tibi & ipsis commissus non minuistis in aliquo nec auxistis, sed sicut accepistis, sic usque hodie inviolabiliter observatis, ejus tenentes consuetudines secundùm sanctorum patrum præcedentium instituta. Nos igitur, qui vos diligere debemus ut nos ipsos, de tuæ fidei puritate gaudemus in Christo, & te velut venerabilem fratrem nostrum & magnum Ecclesiæ Dei membrum gerimus in visceribus caritatis, ac carissimum in Christo filium nostrum L. Armenorum Regem illustrem honorare disponimus & universum Armenorum Ecclesiam, utpote filiam sedis apostolicæ, specialiter confovere. Ne autem heres sit filius ancillæ cum filio liberæ, immo ne ancillæ filius heredis liberæ sibi ampliùs hereditatem usurpet, sed ancilla potiùs & ejus filius expellatur, posuimus signum Tau in frontibus gementium & dolentium; ita quòd per Dei gratiam crucesignatorum exercitus Venetias jam applicavit pro parte majori, unde in proximo naves ascendent in terræ sanctæ subsidium transituræ. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus in divini nominis

timore persistens, & in apostolicæ sedis reverentia perseverans, prædictum Regem & universam Armenorum Ecclesiam in lege Domini & in nostra devotione confirmes, & eis, sicut per alias litteras nostras mandavimus, formam apostolicæ remissionis exponas, & exhorteris ipsos attentiùs ut se murum pro domo Domini opponant ascendentibus ex adverso, nec dubitent, si opus fuerit, pro illo fundere sanguinem qui pro eis non dubitavit crucis subire tormentum, cùm sic possint sibi regnum acquirere sempiternum & terrena in cœlestia laudabili commercio commutare. Expectent autem efficax de cœlo auxilium & festinum de terra succursum, & spem suam ponant in eo qui est in se sperantium fortitudo, qui facit in tentatione proventum, & post lacrymationem & fletum exultationem inducit.

CXVI. Qualiter autem Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus de Antiochia processerit in Armeniam, & quàm honorificè ac devotè receptus fuerit tam à Rege quàm à Catholico necnon & personis ecclesiasticis ac mundanis, quòdque omnes ad obedientiam sedis apostolicæ se astrinxerint, litteræ Regis Armenorum ad Dominum Papam directæ declarant; in quibus tamen idem Rex de præfato Legato Domino Papæ conqueritur, & tam de facto Antiocheno quam de negotio Templariorum multa narrantur quæ pleniùs & planiùs ex ipsarum lectione patebunt. Rex quippe scribit hoc modo.

Reverendissimo in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici & universali Papæ Leo per eandem & Romani *imperij gratiam Rex Armenorum, sanctitatis suæ devotus & obediens, cum salute grata servitia & pedum oscula. Cùm constet vos, celeberrime Pater & Domine, totius sanctæ Ecclesiæ & religionis Christianæ curam & prælationem dante Domino gerere, constat utique nos ad vestri refugium tamquam ad tutissimum receptaculum debere recurrere, in quo tota spes nostra & fiducia post Deum dependet, & a beatitudine vestra in nostris necessitatibus præsidium postulare. Proinde, clementissime Pater & Domine, ad pedes sanctitatis vestræ flexis genibus & cum omni supplicatione recurrentes, conquerimur & conqueri non cessamus de Domino Petro tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali Legato vestro, nostris in causis suspecto, immo aperto adversario. Cùm enim ad partes regni nostri ex injuncta sibi legatione, tum pro reformatione pacis inter nepotem nostrum & Comitem Tripolitanum, qui contra justitiam & appellationem nostram ad apostolicam audientiam factam Antiochiæ principatum usurpaverat, ut creditur, accessisset, Dominus Iohannes Catholicus venerabilis in Christo pater noster cum quibusdam suffraganeis suis & clero, nos cum Baronibus & fidelibus nostris & pluribus nobilibus peregrinis astantibus, quanta potuimus honorificentia & veneratione ob vestri reverentiam illum suscepimus. Sequentibus diebus de obedientia Armeniæ Ecclesiæ ad sanctam Romanam Ecclesiam, ad quam jamdiu laboravimus, divina auxiliante gratia deliberavimus; & ad hoc cum multo labore induximus Ecclesiam Armeniæ tempore pontificatus vestri, meritorum vestrorum exigentia, ad quod progenitores nostri multis transactis temporibus inducere nequiverunt, ut ipse Petrus Cardinalis & rerum est testis effectus. Dominus Catholicus cum solemnitate celebri & obedientiam & reverentiam per manus ipsius Legati secundùm litterarum vestrarum formam & mandatum sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vobis exhibens, palleum à beatitudine vestra destinatum coram prædictis personis astantibus cum devotione omni & humilitate suscepit, promittens io ordine suo singulis quinque annis per nuntios suos secundùm capitularia apostolica sanctam Romanam Ecclesiam visitare tamquam matrem & magistram omnium Ecclesiarum, & in cismarinis Conciliis seu in persona propria seu per nuntios suos interesse; & quòd non deberent celebrari Concilia ecclesiastica in cismarinis partibus absente eo vel nuntio suo, ab otraque parte statutum est. Quibus peractis, de reformatione pacis inter nepotem nostrum & Comitem Tripolitanum tractarunt; in quo tractatu apostolica scripta de commissione, *ut causam de qua agebatur fine debito terminarent, quæ Dominis Soffredo tituli sanctæ Praxedis & Petro tituli sancti Marcelli Presbyteris Cardinalibus & Legatis delegastis, eidem Petro Cardinali repræsentavimus, confidentes secundùm mandatum vestrum causam ipsam fine optato terminari. In quibus Dominus Soffredus Cardinalis absens pro negotio Christianitatis Accon erat, quem in tota causa æquitatis & justitiæ invenimus amatorem. Repræsentatis apostolicis scriptis, ut dictum est, causam nepotis nostri ei vices vestras gerenti commisimus, & ab initio causæ semper apostolicam appellavimus audientiam, & in judicio ipsius causam ipsam commisimus, testibus Domino Patriarcha Antiocheno, Hospitalariis, Templariis, & aliis viris religiosis* Nigromontanis. Ipse verò Petrus Cardinalis & Legatus, in quo nullam & verè nullam sperabamus habere suspicionem, Comiti Tripolitano, Templariis, & Antiochenis confœderationem privatam faciens, parti nostræ fraudulenter detrahebat, & parti adversæ in nostri perniciem & jacturam assistebat, manum eis consilij & auxilij porrigens. Ex mandato itaque ipsius Legati, sub cujus* specie decepti eramus, ad partes Antiochiæ secundò ac tertiò accessimus pro pace reformanda. Comes Tripolitanus diverticula quærens, ad diem statutum in causa nunquam accedebat. Cognita verò & intellecta fraude confœderationis initæ, ipsum Petrum Legatum suspectum, immo apertum adversarium habentes, ad apostolicam appellavimus audientiam, & causam nepotis nostri judicio vestro commisimus, personam nostram, regnum & gentes nostras sub protectione Dei & vestra committentes. quod per privilegium à beatitudine vestra delegatum obtinere credebamus. Contigit igitur nocte quadam ante adventum ipsius Petri Cardinalis cum omni exercitu nostro, vendicantes hereditatem nepotis nostri, partes Antiochenorum defectu justitiæ infestantes, sicut Domino placuit, infra muros Antiochiæ io manu forti intravimus; & si ad effusionem Christiani sanguinis & incendium ipsius civitatis manus potentiæ nostræ extendere voluissemus, orbs Antiochena capta foret, sed pietate & Dei timore moti, & Christianitati miserando compatientes, Dominum Patriarcham Antiochenum ad nos accersitum inter nos & Antiochenos rogavimus

* Idest, Rom. Ecclesiæ, ut patet ex cap. 100. horum gestorum. In Armenico haud dubiè erat Romanæ auctoritatis gratiam, aut quid simile: pro quo interpres malè vertit imperij.

* Raynaldus hîc putat addi debere, lecta sunt, sed inutiliter.

De abbatiis Nigromontanis vide Odor Raynald. ad 1201. §. 38.

* Cod. reg. spe

optatæ pacis esse mediatorem. Et dum de pace tractaretur, ecce Templarij, quos precibus & mandatis vestris honorabamus, & quibus in tota guerra deferebamus, salvatis possessionibus & tenementia illorum, quos amicos, non adversarios, tamquam viros religiosos, habere sperabamus, sine diffidentia facta contra nos dentes acuerunt, turres munierunt, arma excusserunt, exercitum nostrum intra & extra muros civitatis Antiochenæ sagittaverunt, vexillum * baldanum contra nos paraverunt, & quod gravius est, Christianum sanguinem effuderunt, postposito religionis ordine. Hi cum Comite Tripolitano & Antiocheno unanimes, perfido Soldano Alappiæ sunt confœderati; suis sic machinationibus ab acquisita hereditate sua nepotem nostrum pupillum, orphanum, sub protectione Dei & vestra deputatum, alienaverunt, & sic non expectato vulnus ab hoste tulimus. Quod molestè ferentes, possessiones & tenimenta quæ in regno nostro Templarij possidebant saisivimus, & à terra nostra illos eliminavimus. His ita peractis, Dominus Petrus Cardinalis Templariis confœderatus, inter nos & Templarios pacem reformare quærens, nos ad restaurationem rerum Templariis nuper ablatarum primùm viva voce, postea secundò ac tertiò & scriptis & nuntiis instanter compellebat. Ad quod respondebamus dicentes: Parati sumus ad honorem sedis apostolicæ Templariis restituere nuper ablata, si in ordine suo promiserint se de cetero neque infra muros neque extra muros Antiochiæ justitiæ & recturæ nepotis nostri adversari, sed sint sicut viri religiosi salvi & securi in domibus & possessionibus suis. Contra quæ Templarii arrogantiæ stimulo suffulti, opponebant se muros Antiochiæ contra justitiam & directutam nepotis nostri semper defendere ordine postposito. Cùm verò de concordia inter nos & Templarios nihil profici posset, Dominus Petrus Cardinalis, absente Domino Catholico patre nostro & venerabili Antiocheno Patriarcha, super eadem causa Concilium celebravit, & post appellationem nostram iteratam ad apostolicam audientiam, sententiam excommunicationis in terram nostram promulgavit, salvis confessionibus infirmorum, baptisterio, & sepelitione mortuorum. Super eadem litteras suas cum sententia ad Dominum Catholicum Armenorum destinavit, ut ex abrupto per totum catholicatum sententiosa interdictio promulgaretur. [Convenientibus itaque Catholico & principalibus suffraganeis catholicatus in unum, communicato diù consilio mirati sunt de tanta & tam subita exasperatione absente Catholico in Armenicam Ecclesiam facta; & reducentes ad memoriam hoc quod statutum fuerat inter Dominum Petrum Cardinalem & Iohannem Catholicon Armeniæ, quia de Concilio absens fuit ipse Catholicos, & sine consensu suo data est in * diocesi sua à Cardinale interdictionis sententia, censuere patres nostri illam non tenere nec observari sententiam, dicentes: Qui de mamillis matris nostræ primò lac dulce & suave sugere sperabamus, nunc autem fel amarum & acetum potamus. Sperabamus imbre salutifero irrigari, non à grandinosis procellis tempestari. Qui verò nimiùm emungit, ut bene scitis, elicit sanguinem.] Quæ cùm ad notitiam Domini Soffredi Cardinalis & Legati devenissent, molestè tulit, & habito consilio cum Domino Petro collegato suo ad se accedente, quia instantissimè ad audientiam vestram appellabamus, procellam in auram consilio Domini Petri Cardinalis convertere studuerunt. Sicque factum est ut ex mandato Dominorum Cardinalium, illustris Regis Hierusalem & Cypri, omniúmque nobilium peregrinorum, mense Septembris ad partes Accon pro reformatione pacis inter nos & Antiochenos & Templarios nuntium nostrum nobilem Constantinum de Camardesio dilectum consanguineum nostrum delegaverimus, & mediante sapientia & discretione Domini Soffredi Cardinalis juris & æquitatis amatoris pax reformata est inter nos & Templarios, sicut per litteras ipsius intelligere poteritis. Nos verò nunquam à mandatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ recessimus, nec vita comite recedemus; quamquam Dominus Petrus Cardinalis ab ea nos eliminare laboret. Nos igitur, qui Dei & vestri gratia tempore pontificatus vestri nova sumus planta vestra facti, cupientes ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fructus odoriferos & suaves producere, ad pedes sanctitatis vestræ recurrimus, flexis genibus rogantes & deprecantes ut in judicio Domini Petri Cardinalis & Legati, quem suspectum immo apertum adversarium habemus, causam nepotis nostri non committatis, & quòd nullam super nos & terram nostram habitantes, cujuscunque conditionis existant, ex injuncta sibi legatione potestatem de cetero habeat, & ut Templariis per apostolica scripta mandando præcipiatis ne de facto Antiocheno justitiæ ac directuræ nepotis nostri sint adversarij, sicuti non sunt Hospitalarij nec alij viri religiosi, & causam nepotis nostri, de qua sæpius dominationi vestræ scripsimus, non suspectis judicibus, sed talibus personis committatis qui à recto tramite non declinent, sed æqua lance, auditis utrinque partibus, sine personarum acceptione justum judicium faciant quatenus exinde sanctam Romanam Ecclesiam ad ædificationem, non extirpationem novellæ plantæ vestræ sentiamus pervenisse, & per auxilij vestri gratiam delectabiles exitus manè & vesperi gaudeat se planta vestra recepisse.

CXVII. Catholicus verò tales litteras destinavit.

Reverendissimo in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici & universali Papæ, Iohannes per eandem humilis Armenorum Catholicus, sanctitati vestræ devotus & obediens, cum debita obedientia & reverentia plena salutis gaudia. Ex ineffabili providentia Domini nostri, à quo bonum omne procedit, Armenica Ecclesia primatum & magisterium sanctæ Romanæ Ecclesiæ à Deo sibi concessum recognoscens, filia ejus facta est devotissima, & nos, licèt indigni, ministri ipsius, accedente Domino Petro tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali Legato vestro, ex injuncta sibi legatione ad partes catholicatus nostri, ubi illi ob reverentiam cum clero & grege à Deo nobis commisso obviantes, quanta potuimus honorificentia illum suscepimus, & mutuis communicantes amplexibus & alloquiis, per manus ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vobis secundùm litterarum vestrarum tenorem obedientiam & reverentiam exhibuimus, atque palleum à vestra beatitudine delegatum solemnitate

* Cod. reg. balsanum. Pod. & Fux. balzanum.

Quæ uncis inclusa sunt, addita sunt ex annalibus Odorici Raynaldi.

* Leg. diocesim suam

celebri ac cum omni humilitate suscipientes, promisimus in ordine nostro singulis quinque annis per nuntios nostros sanctam Romanam Ecclesiam tamquam matrem & magistram omnium Ecclesiarum visitare & in Conciliis cismatinis adesse; & quòd in eisdem Concilia celebrari oobis absentibus vel nuntio nostro non deberent, ab utraque parte statutum est. Institutiones sanctæ Romanæ Ecclesiæ in parte suscepimus, & in parte propter absentiam suffraganeorum nostrorum longè latéque diffusam induciantes; & quia non sine magna personarum deliberatione hoc fieri poterit, convenientibus Prælatis nostris vel majori parte ipsorum in uno tempore constituto, ipsorum ab assensu, ne in Ecclesia scandalum oriretur, constitutiones vestras, in quibus concordaremus, suscipere proposuimus. Ad omnia igitur mandata vestra promovenda nos fideles & devotos invenietis executores.

CXVIII. Legati verò super his Domino Papæ rescripserunt hoc modo.

Reverentissimo Patri & Domino plurimùm metuendo Innocentio Dei gratia sanctæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Soffredus permissione divina tituli sanctæ Praxedis & Petrus divina providentia tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinales, licèt indigni, debitam & paratam in omnibus obedientiam. Dum eo tempore quo veni Accon ego Soffredus, treuga esset cum Sarracenis & guerra gravis inter Regem Armeniæ & Comitem Tripolitanum & Antiochenos pro eo quòd, sicut dicebatur, idem Comes Antiochiam injustè occupaverat, & ejecerat, assistentibus sibi ex majori parte civibus, ex magna parte nobiles civitatis, pro eo quia sibi jurare nolebant contra juramentum fidelitatis quod præstiterant filio primogenito cujusdam Principis, requisitus ab utraque parte sæpius & instanter, habito consilio non semel sed sæpius cum Magistris Templi & Hospitalis, iter arripui versùs Antiochiam, ut ibi laborarem ad pacem & sedandam, sicut possem, discordiam. Scripseram etiam præfato Comiti & communi Antiochię secundùm consilium prædictorum Magistrorum ut venirent vel mitterent honorabiles & prudentes viros, ot cum eis deliberare possem qualiter mihi esset procedendum usque in Antiochiam. Cùm igitur in festo beati Martini intrassem civitatem Tripolitanam, ad quem diem & locum eos vocaveram, nec mihi occurrerunt, sed nec etiam per nudas litteras respondere aliquid voluerunt. Laborans autem ultra, misi ad utramque partem viros venerabilès Anteradensem & Bethlehemitanum Episcopos. Nam hiems invaluerat, & dicebatur mihi quia jam non erat tutum intrare mare. Sed nec sic responsum aliquod habere potui usque ad festum Purificationis. Tunc verò venit Princeps Tripolitanus, non propter me, sed ad negotia sua promovenda, prout ipsius opportunitas requirebat; cum quo colloquium in propria persona habere non potui, prò eo quia denuntiatus erat excommunicatus per Hierosolymitanum & Antiochenum Patriarchas atque circumadjacentes Episcopos, sed, sicut ipse asserebat, injustè, ideòque non gerebat se pro excommunicato. Per internuntium quoque mihi loqui nolebat. Laboratum est autem ad concordiam inter ipsum & Hospitalarios super facto pro quo notatus erat excommunicatus; & post multam tergiversationem ventum est ad concordiam, in qua non est passus haberi mentionem nominis mei; quo mediante totum negotium firmatum fuerat, & sine cujus assensu Hospitalarij non poterant cum eo concordare. Sicque ibidem jacui usque ad Dominicam Passionis. Cùmque sic fatigatus & delusus rediissem Accon, (Expectabam enim venturum stolium, nec volebam in ipsius adventu abesse) accesserunt autem multi nobiles viri de Francia, & tam ipsi quàm Rex Hierusalem, Magister Templi, & alij nonnulli institerunt mihi de pedibus non modicùm laboranti ut navigarem cum ipsis Antiochiam. Nam si ego irem cum eis, ipsi parati essent mecum venire pro concordia in Antiochia ponenda. Acquievi eis continuò, licèt æger pedibus; sicque navigavimus ego & Magister Templi, Generalis Præceptor Hospitalis, Stephanus de Pertico, Comes * Moncia de Ungaria, & nuntius Marchionis Montisferrati, qui venerat in terram. Applicuimus proinde auctore Domino ad portum Antiochenum. Rex autem Armeniæ applicuerat circa pertinentias Antiochiæ. Secunda die intravimus terram Antiochiæ. Quo audito, festinanter misimus ad eum nuntium & litteras ut pro reverentia Romanæ sedis & nostra differret lædere terram usque dum loqueremur ei. Expectavit triduo. Venimus ad eum tertia die, & iterum obtinuimus dilationes ab eo per novem dies quibus expectamus Hierusalem Regem venturum. Laboravimus interim adinvenire viam pacis ante omnia. Rex Armeniæ offert se ad justitiam; & instanter per me, immo per vos, eam nepoti suo orphano & matri ejus viduæ instanter & humiliter postulat exhiberi. Requiritur ipse ut acquiesCar judicio Baronum qui venturi erant; ecce proponit ipse quia ab Ecclesia Romana requisierat justitiam, quam vos in adventu nostro per me & collegam promiseritis exhibendam, & nostrum esset quorumcunque vellemus uti consilis. Nam ipse non committebat se nisi in judicio nostro principaliter, immo in nobis vestro. Accessit autem spiritus iniquitatis, & eorum corda subvertit & avertit ab unitate nostra, qui pro concordia credebatur accessisse. Cœperunt quippe dicere constanter quòd hoc judicium ad nos non pertinebat, sed neque ad Ecclesiam Romanam. Quorum consiliis innixus qui dicebatur Princeps secundùm ipsum constanter proponebat. Sicque facti sunt cor unum & anima una in itinere quòd dictus Princeps vix aliquid vel agebat vel respondebat nisi illorum consilio informatus; excepto uno ex his qui mecum venerant, qui fideliter & prudenter mihi astitit in toto negotio. Obtulerat insuper Rex Armeniæ viginti millia armatorum ad servitium Christianitatis, si pro nepote suo orphano & matre ejus vidua justitiam posset obtinere. Videbatur mihi petitio ejusdem Regis justa & admittenda, oblatio quoque utilis multùm & fructuosa Christianitati. Sed cùm haberem contradictores illos quos coadjutores esse sperabam, videns me quasi solum, recessi cum illo unico qui mihi assistebat; & veni Margatum, ubi laboravi sicut Deus voluit usque ad mortem, usque dum venit Dominus Cardinalis in Cyprum, & tandem Accon; ubi occurri sibi, multis litteris requisitus ab ipso, licèt adhuc essem multimoda debilitate infirmitatis op-

* Cod. reg. Mocia

preſſus. Dominus autem Cardinalis, expeditis aliquibus negotiis apud Accon, ivit in Antiochiam, & uſque in Armeniam; ubi quid fecerit, & qualiter malitia in partibus illis diabolo inſtigante creverit, ipſe vobis prudentiùs enarrabit. Ego verò Petrus tituli ſancti Marcelli Preſbyter Cardinalis inſinuo paternitati veſtræ quòd in ſuperiori ſerie narravit ſanctitati veſtræ dilectus in Chriſto Pater Dominus Soffredus tituli ſanctæ Praxedis venerabilis Cardinalis apoſtolicæ ſedis Legatus ea quæ circa hoc negotium ipſe inſpexit, & qualiter ipſe proceſſit in eo poſtquam ipſe rediit à partibus Antiochiæ. Et ego cùm nuper veniſſem ad partes Acconenſes vocatus pluries tam ab illuſtri Rege Armenorum quàm à Comite Tripolitano ſeu Principe Antiochiæ & civibus Antiochenis pro diſcordia dicta ſedanda, ſi datum eſſet deſuper, ad partes Antiochiæ acceſſi, & circa negotium iſtud triplicem viam tentavi. Primò ſi ex conſenſu partium aliqua poſſet provenire concordia; circa quam cùm diutiùs laboraſſem, nihil profeci. Secundò, ut partes permitterent ſe Domino Cardinali & mihi, quatenus ſecundùm juſtitiam & æquitatem concordaremus vel judicaremus: & cùm ſuper hoc cum utriſque diutiùs laboraſſem, nihil profeci etiam per tres menſes. Tandem tertiò, quia non videbatur neceſſe ut quæreremus à partibus quatenus ſe nobis committerent, ſed tantùm ex officio noſtro offerremus utrique partium, ſi quid vellent proponere, nos eſſe paratos juſtitiam exhibere, ad exonerationem veſtram, Romanæ Eccleſiæ, Domini Cardinalis, & meam obtuli Domino Regi veſtras litteras, quibus Domino Soffredo & mihi mandabatis ut negotium illud terminaremus juſtitia mediante, quòd parati eramus Dominus Cardinalis & ego ad juſtitiam faciendam & exhibendam ſecundùm mandatum, neque per nos aliquem ſuſtineret defectum pro nepotis juſtitia conſequenda. Ipſe autem Rex tunc ait quòd referebat grates de eo quòd ſibi ſatis offerebam, & vobis & Eccleſiæ Romanæ & nobis duobus; ſed addidit quòd Antiocheni inferebant ei violentiam: ideo petebat ut priùs amoveremus dictum Comitem ſeu Principem à poſſeſſione civitatis & principatus Antiochiæ, & poſtmodum deberemus ei juſtitiam exhibere. Cui cùm reſpondiſſem quòd hoc ſecundùm juſtitiam facere non poſſemus antequam in judicio conſtitutus proponeret pro parte ſua hoc ipſum & alias rationes quas vellet, aiebat ipſe Rex: Vos eſtis Vicarii Apoſtolici, ego Rex Armeniæ. Pono in vobis, Domini S. & P. Cardinales, negotium nepotis mei & * ſororis meæ; & petimus a vobis & habere volumus talem juſtitiam & conſequi qualem Dominus Papa nobis faceret ſi eſſemus in præſentia ejus pro vidua & orphano ſub protectione apoſtolica conſtitutis. Videtis vim, violentiam & injuſtitiam quam Comes affert nepoti noſtro orphano & ſorori noſtræ ejus matri viduæ. Sitis ſecuti de Antiochia, & plenam ejus ſuſcipientes poteſtatem habeatis, ut cuicunque partium adjudicaveritis, firmum permaneat & illibatum. Cui cùm reſpondiſſem quòd ad noſtrum pertineret officium ſuper hoc providere, ſed procederet, ſi placeret, in cauſa, & nos parati eſſemus etiam compellere partem alteram ad ſiſtendum judicio, ſuper facto ipſo non proceſſit, cùm tamen ego expoſuerim & continuò exponerem nos paratos ad juſtitiam exhibendam. Hoc etiam obtuli Antiochenis, ſi aliquam vellent proponere querelam. Et tandem habitis cum utriſque infinitis contentionibus & verbis, quæ longum eſſet enarrare, de conſilio Patriarchæ, Archiepiſcopi * Borſenſis, Epiſcoporum, Capituli, & Abbatum Antiochenæ Eccleſiæ, necnon Domini Cremonenſis, & aliorum qui mecum aderant, utrique parti ex parte Dei omnipotentis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & totius Chriſtianitatis & noſtra, ſcilicet Legatorum qui eramus in terra, firmiter inhibui ne aliquo modo aliqua partium contra aliam guerram moveret ex quo defectum juſtitiæ non inveniebant, & nos parati eramus ad utriſque juſtitiam exhibendam, & guerra ipſa in totius Chriſtianitatis & maximè orientalis terræ diſpendium proveniret. Dum verò reverſus eſſet Accon Dominus Cardinalis, inſtitit nobis Comitiſſa Flandriæ, quæ advenerat, & alii peregrini, ut iterum non ceſſaremus laborare pro jam dicta pace. Deliberatum eſt poſtmodum per nos, Hieroſolymitanum Regem, Templarios, Hoſpitalarios, & nobiles qui aderant peregrinos, ut per nuntios & litteras noſtras tam ipſi quàm nos convenire deberemus atque citare ſupradictos omnes ut abſque ulla conditione ſe committerent judicio noſtro, poſtulaſſent ſecuritates, obſides & tenimenta præſtare in manus noſtras pro recipiendo & obſervando judicio noſtro, & quæcunque partium hoc non faceret, nos eam perſequeremur tanquam inimicam Chriſtianitatis & ſpiritualiter & temporaliter. Miſimus proinde cum litteris noſtris, nos, Rex Hieruſalem, atque Barones peregrini venerabilem Cremonenſem Epiſcopum, qui partes præſentatis litteris noſtris moveret ad ea quæ ſcripſimus facienda, & quicunque hæc non faceret, ipſe ſententiam excommunicationis ex parte noſtra promulgaret in eum. Acceſſit itaque ad eos, & ſingulis requiſitis, ut prædixi, Rex Armeniæ obtulit pro reverentia veſtra * & noſtra treugas quadraginta dierum, quæ ab altera parte non fuerunt receptæ: immo cùm nuntius qui ad nos venturus erat ex parte ipſius Regis pro faciendo mandato noſtro, poſtulaſſet ſecuritatem, quia per partes inimicorum oportebat eum tranſire, denegatum ſibi fuit omnino. Ipſe tamen, ſicut Dominus voluit, illæſus ad nos uſque pervenit cum plenitudine mandati quod acceperat à domino ſuo. Continebatur quippe in litteris Regis quòd quicquid nuntius ipſe faceret, Rex firmum haberet, & tanquam à ſe factum firmiter obſervaret. Sicque de facto Templariorum, pro quo Rex excommunicatus fuerat & terra ejus interdicto ſubjecta, juravit ſtare mandato noſtro, ſicut moris eſt, ſuper animam ſuam & Regis, & mandatum quod nos juſtè fecimus ipſe humiliter ſuſcepit. Tandem de facto Antiochiæ obtulit ſe facturum idem nuntius tantum pro Rege quod nos reputaremus ſatis eſſe. Et quia Comes Tripolitanus neque venit neque miſit, ſed nec etiam ſcripſerat aliquid quod pondus, ut dicebatur, haberet, poſtulavit à nobis excommunicari Comitem, inhiberi ſibi Chriſtianorum & maximè Templariorum & peregrinorum auxilium, qui hactenus auxilium præſtiterant & favorem longè aliter quàm deceret & quàm contineret ſtatum veſtrum cum multa deliberatione factum. quod utique non eſſet provocare Regem

* Cod. reg. & Pod. nepti. Sic etiam paulò poſt.

* Cod. reg. Therſenſis. Forte, Tharſenſis.

Vide Raynal. ad an. 1205. §. 34.

* Heic deſinit codex regius.

ad obedientiam Romanæ sedis, sed procul repellere ultro se offerentem. Ad convincendam quoque duritiam & contumaciam Comitis allegabat idem nuntius quòd cùm venisset Episcopus Tripolitanus, & ex majori parte Canonici tepidi nimiùm & remissi, & Notarius ejusdem Comitis ad præsentiam nostram, nulla ratione excusationem haberet, sed neque excusationis colorem super eo quòd mandatis nostris non paruerat. Nos autem respondebamus quòd difficultas hæc non proveniebat nisi ex quodam casu inopinato, scilicet quia eramus in procinctu recedendi de terra & eundi Constantinopolim pro consilio & auxilio peregrinis qui ibi pro Christianitatis servitio laborant. Cui excusationi dum ego pro honestate Romanæ Ecclesiæ incumbo in publico, tandem ego Soffredus advocatis seorsum Domino Cardinali, Cæsariensi Archiepiscopo, Episcopo Cremonensi, & Acconensi electo, firmiter proposui eis quòd ego coram Deo & eis de hoc facto excusatus esse volebam, & videbatur mihi pro certo quòd instantia prædicti nuntij justa esset & admittenda, & ego paratus eram, si placeret Domino Cardinali, quod petebatur efficere, pro eo quòd sic fuerat communi deliberatione nostra, Hierusalem Regis, Templariorum, Hospitalariorum, Baronum, peregrinorum qui Accone aderant, irrevocabiliter statutum atque firmatum, nec decebat taliter & sic solenniter statutum pro utilitate Christianitatis inefficax esse & illusorium.

CXIX. Quia verò Legati de partibus illis recesserunt Constantinopolim accedentes, Dominus Papa causam commisit de Lucedio, de monte Thabor Abbatibus, & nobilibus viris Comiti Bercoboc & G. de Furnivale, hoc modo.

Etsi semper inter eos odium sit mortale qui tenentur amare proximos ut seipsos & inimicos etiam diligere propter Deum, hoc tamen tempore discordia inter nominis Christiani cultores, constitutos præsertim in partibus transmarinis, non solùm ipsis, sed Ecclesiæ generali tanto ampliùs est damnosa quanto per eam negotium terræ sanctæ potiùs impeditur. Vsque adeo enim inimici nominis Christiani, qui nunc peccatis exigentibus detinent & coinquinant templum Dei, urbes & castra quæ se de Christianorum manibus extorsisse in gladio gloriantur, viris & viribus munierunt quòd sufficeret dispersionis nostræ reliquiis, etiamsi conjugatis manibus, uno animo & pari desiderio ferrentur in hostes, si possent crucis injuriam aliquatenus vindicare ac hereditatem Christi liberare de manibus paganorum. Verùm ipsi hoc minùs quàm deceat attendentes, quasi neglecta prorsùs injuria crucifixi, proprias injurias persequuntur, & voluntati communi voluntates privatas in totius Christianitatis dispendium anteponunt; sicque se odio prosequuntur iniquo, & sic ab invicem sunt divisi, ut propter eorum discordias terræ sanctæ verbum sit evangelicum non modicùm formidandum, quo dicitur: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Ecce enim occasione discordiæ quæ inter carissimum in Christo filium nostrum Leonem Regem Armenorum illustrem nomine sororis suæ viduæ & nepotis orphani ex una parte ac nobilem virum Comitem Tripolitanum ex altera super principatu Antiochiæ vertitur, impeditur quasi penitùs terræ sanctæ profectus, cùm ipsi pugnantes adinvicem hostes crucis nequeant impugnare, aliisque facientibus sibi cum partibus portionem, & quæstionem illorum reputantibus causam suam, reliqui laborant incassum, ut inter discordes, concordiam reformare. Nos autem jampridem his malis obviare volentes, causam hanc dilectis filiis Soffredo tituli sanctæ Praxedis & Petro tituli sancti Marcelli Presbyteris Cardinalibus apostolicæ sedis Legatis commisimus terminandam. Sed ipsi, licèt nec labores propter hoc vitaverint nec expensas, immo utræque personæ & ambo diutiùs laborassent, in nullo tamen apud partes, quia non datum fuerat desuper, profecerunt. Nuper ergo idem Rex per suas nobis * litteras intimavit quòd per Legatos nostros non potuerat justitiam obtinere, licèt eam sæpius postularit & semper paratus fuerit stare juri. Vnde cùm ipse mandatis Legatorum ipsorum, qui eum pro multo minori negotio excommunicaverant & interdixerant terram ejus, tandem humiliter paruisset, postulabat ne repelleremus ipsum pulsantem ad apostolicæ sedis januam & justitiam postulantem, cùm simus omnibus in justitia debitores. Nos igitur attendentes quòd apud nos esse non debeat acceptio personarum, & quòd inter virum & virum facere justitiam teneamur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus partem convenientes utramque, diligenter commonere curetis ut vel inter se super eodem principatu conveniant, vel in arbitros compromittant, qui usque ad tres menses post commonitionem vestram debeant arbitrari. Alioquin vos ex tunc, partibus convocatis, audiatis utrinque proposita, & causam ipsam sublato appellationis obstaculo, si partes consenserint, terminetis. Alioquin remittatis nobis causam sufficienter instructam, partibus terminum præfigentes quo per responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent sententiam recepturæ. Verùm ne judicio simul experiantur & bello, partes ad treugas interim conservandas auctoritate apostolica compellatis. Quòd si alterutra partium se exhibuerit contumacem, in eam spiritualiter & temporaliter per vos & omnes Christianos qui in partibus illis existunt quanto districtiùs poteritis procedentes, inhibeatis tam carissimo in Christo filio nostro Regi Hierosolymorum illustri quàm Hospitalariis & omnibus communiter Christianis ne parti contumaci auxilium vel favorem impendant, sed subtrahant potiùs, & parti quæ parata fuerit stare juri viriliter & potenter assistant. Quòd si non omnes &c. tres vel duo saltem, quorum unus sit laicus, alter clericus, mandatum apostolicum exequantur. Veruntamen volumus & mandamus ut si quis interim in patriarchatu Hierosolymitano fuerit institutus, his vobiscum exequendis intersit.

* Extant supra cap. 116.

CXX. Anno septimo pontificatus Domini Innocentij Papæ III. mense Novembri Petrus Rex Aragonum ad apostolicam sedem accessit ut ab eodem Domino Papa militare cingulum & regium acciperet diadema. Venit autem per mare cum quinque galeis, & applicuit apud insulam inter Portum & Hostiam, adducens secum Arelatensem Archiepiscopum, Præpositum Magalonensem, cum quibus interfuit electus Montis majoris, & alij quidam Clerici nobiles & prudentes. Proceres

Vide Raynald. ad an. 1204. §. 71. 1245 §. 56. 1283. §. 10.

quoque secum adduxit Sancium patruum suum, Hugonem de Bancio, Rocelinum de Marsilia, Arnaldum de Fotiano, & alios multos nobiles & potentes. Missis autem ad illum equitaturis & sommariis penè ducentis, fecit eum apud sanctum Petrum ad præsentiam suam idem Dominus Papa venire, mittens in occursum ipsius quosdam Cardinales, Senatorem urbis, & alios multos nobiles & magnates; fecitque illum apud sanctum Petrum in domo Canonicorum honorabiliter hospitari. Tertio verò die, in festo videlicet sancti Martini, præfatus Dominus Papa cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, Primicerio & Cantoribus, Senatore, Iustitiariis, Iudicibus, Advocatis, & Scriniariis, multisque nobilibus ac populo copioso, ad monasterium sancti Pancratij martyris prope Trans Tyberim est profectus; ibique præfatum Regem per manus Petri Portuensis Episcopi fecit inungi, quem postmodum ipse manu propria coronavit, largiens ei regalia insignia universa, mantum videlicet, & colobium, sceptrum & pomum, coronam & mitram, corporale ab eo recipiens juramentum, cujus tenor est talis.

Ego Petrus Rex Aragonum profiteor & polliceor quòd semper ero fidelis & obediens Domino meo Papæ Innocentio ejúsque catholicis successoribus & Ecclesiæ Romanæ, regnúmque meum in ipsius obedientia fideliter conservabo, defendens fidem catholicam, & persequens hæreticam pravitatem. Libertatem & immunitatem Ecclesiarum custodiam, & earum jura defendam. In omni terra mea potestati subjecta pacem & justitiam servare studebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia.

CXXI. Deinde præfatus Rex cum multo laudis præconio & favoris applausu coronatus rediit juxta Dominum Papam ad basilicam sancti Petri; super cujus altare sceptrum & diadema deposuit, & de manu ejusdem Domini Papæ militarem ensem accepit, regnúmque suum beato Petro Apostolorum principi obtulit, illúdque sibi constituit censuale per privilegij paginam quam eidem Papæ tradidit super ipsum altare, cujus tenor est talis.

*Cum corde credam & ore confitear quòd Romanus Pontifex, qui est beati Petri successor, Vicarius sit illius per quem Reges regnant & Principes principantur, qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit, ego Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barcinonæ, & Dominus Montispessulani, cupiens principali post Deum beati Petri & apostolicæ sedis protectione muniri, tibi, Reverendissime Pater & Domine summe Pontifex Innocenti, & per te sacrosanctæ * Romanæ Ecclesiæ offero regnum meum, illúdque tibi & successoribus tuis in perpetuum divini amoris intuitu & pro remedio animæ meæ & progenitorum nostrorum constituo censuale, ut annuatim de camera Regis ducenta quinquaginta * massemutinæ apostolicæ sedi reddantur, & ego ac successores mei specialiter ei fideles & obnoxij teneamur. Hoc autem lege perpetua servandum fore decerno, quia spero firmiter & confido quòd tu & successores tui me ac successores meos & regnum prædictum auctoritate apostolica defendetis; præsertim cùm ex multo devotionis affectu me ad sedem apostolicam accedentem tuis quasi beati Petri manibus in Regem duxeris solemniter coronandum. Vt autem hæc regalis concessio inviolabilem obtineat firmitatem, de consilio procerum curiæ meæ, præsente venerabili patre meo Arelatensi Archiepiscopo, & Sancio patruo meo, & Hugone de Bancio, & Arnaldo de Fotiano Baronibus meis, sigilli mei feci munimine roborari. Actum Romæ apud sanctum Petrum anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo quarto, tertio Idus Novembris, anno regni mei octavo.*

* Apud Raynald. apostolicæ sedi os.

* Cod. Ped. & apud Raynald. massemutinas

CXXII. His omnibus rite peractis, fecit eum Dominus Papa per urbem ad Ecclesiam sancti Pauli deduci; ubi galeas inveniens præparatas intravit, & apostolica benedictione munitus ad propria meruit cum prosperitate redire. Super coronationem verò Regum & Reginarum Aragoniæ in posterum faciendam tale sibi privilegium Dominus Papa concessit.

Cum quanta gloria & honore, tripudio & applausu regium regni Romæ de manu nostra in monasterio beati Pancratij susceperis diadema, postquam per venerabilem fratrem nostrum Petrum Portuensem Episcopum in Regem fecimus reinungi, tua sublimitas non ignorat. Vt autem dilectionis nostræ affectum, quem ad tuam habemus personam, per exhibitionem operis evidentiùs monstraremus, regalia insignia universa, mantum videlicet & colobium, sceptrum & pomum, coronam & mitram ad opus tuum, non minùs pretiosa quàm speciosa, fecimus præparari, & ea liberaliter tibi donavimus in signum gratiæ specialis. Tu verò, tamquam devotus Princeps & catholicus Rex, super altare beati Petri Apostolorum principis regnum tuum nobis & per nos apostolicæ sedi cum multo devotionis affectu per privilegij paginam obtulisti, illud ei constituens in perpetuum censuale, firmiter promittendo quòd juramentum fidelitatis & obedientiæ in coronatione tua nobis exhibitum inviolabiliter observabis, & ad illud exhibendum & observandum successores tuos obligari volebas. Nos igitur gratiam tibi à nobis exhibitam ad successores tuos derivari volentes, præsentium auctoritate concedimus ut cùm ipsi decreverint coronari, coronam à sede apostolica requirentes, de speciali mandato per Tarraconensem Archiepiscopum apud Cæsaraugustam solemniter coronentur, præstita super prædictis idonea cautione. Et quoniam jure civili statutum est ut mulieres maritorum honoribus decorentur, præsentium auctoritate concedimus ut per manus ejusdem Archiepiscopi eas liceat coronari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. [Datum Ferentini xv. Kal. Iulij, anno nono.]

Apud Raynald. ad an. 1204 § 14.

CXXIII. Anno decimo, celebrato festo Ascensionis, Dominus Papa Vrbem exivit, & venit Viterbium, receptus à Viterbiensibus cum ingenti gaudio, gloria, & honore. Statim autem cœpit videre ad eliminandam Patarenorum spurcitiam, qua Viterbiensis civitas erat vehementer infecta; ne Ecclesiæ Romanæ * exprobraretur quòd in oculis suis & in patrimonio quoque suo sustineret hæreticam pravitatem, nec liberam frontem habebat super hoc alios arguendi dicentes: *Medice cura teipsum. Eice primum trabem de oculo tuo, & tunc eicies festucam de oculo fratris tui.* Patareni verò, cognito ejus adventu, omnes omnino fugerunt. Sed ipse convocatis Episcopo & clero civitatis ejusdem, fecit diligenter inquiri ac studiosè

* Cod. Ped. improperaretur

describi omnes receptatores, fautores, defensores, & credentes eorum; ac demum per Potestatem & Consules fecit universos astringi, præstita juratoria, fidejussoria, & pignoratoria cautione quòd suis per omnia jussionibus obedirent. In primis ergo fecit domos in quibus Patareni fuerant recepti funditus demoliri; ac deinde clero & populo generaliter congregato statutum hujusmodi solemniter promulgavit.

Lib. 10. epist. 130.

Ad eliminandam omnino de patrimonio beati Petri hæreticorum spurcitiam, servanda in perpetuum lege sancimus ut quicunque hæreticus, & maximè Patarenus, in eo fuerit inventus, protinus capiatur, & tradatur seculari curiæ puniendus secundùm legitimas sanctiones. Bona verò ipsius omnia publicentur; ita ut de ipsis unam partem percipiat qui ceperit illum, alteram curia quæ ipsum punierit, tertia verò deputetur ad constructionem murorum illius terræ ubi fuerit interceptus. Domus autem in qua hæreticus fuerit receptatus, funditus destruatur, nec quisquam eam reædificare præsumat; sed fiat sordidum receptaculum, quæ fuit latibulum perfidorum. Credentes præterea & defensores ac fautores eorum quarta bonorum suorum parte multentur, quæ ad usum reipublicæ deputetur. Quòd si vel hoc modo puniti in similem fuerint culpam prolapsi, de locis suis penitùs expellantur; nec unquam revertantur ad illa nisi de mandato summi Pontificis, digna satisfactione præmissa. Proclamationes autem aut appellationes hujusmodi personarum minimè audiantur, nec quisquam eis in qualibet causa respondere cogatur, sed ipsi cogantur aliis respondere. Iudices autem, Advocati, & Notarij, nulli eorum suum impendant officium. Alioquin eodem officio perpetuo sint privati. Clerici verò non exhibeant hujusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec eleemosynas nec oblationes eorum accipiant. Similiter Hospitalarij ac Templarij & quilibet regulares. Alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur absque * consensu sedis apostolicæ speciali. Quicunque præterea tales, videlicet credentes, fautores, receptatores, & defensores hæreticorum, præsumpserint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam anathematis gladio feriantur. Nullus talium admittatur ad testimonium, vel ad aliquod publicum officium vel commune consilium assumatur; & qui * taliter egerit, tamquam hæreticorum fautor prædicta pœna multetur. Statutum istud in capitulari scribatur, ad quod annuatim jurent Potestates, Consules, seu Rectores, nec unquam removeatur ex illo; jurent ipsum statutum se firmiter servaturos. Et quicunque contempserit aut neglexerit illud servare, depositus à regimine centum librarum pœnam incurrat, solvendam cuicunque summus Pontifex jusserit assignari. Nulli ergo &c. Datum Viterbij nono Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno decimo.

* In regesto, indulto

* In regesto, talem eligerit

CXXIIII. Tunc etiam ad suam præsentiam convocavit Episcopos & Abbates, Comites & Barones, Potestates & Consules civitatum de Tuscia, Ducato, & Marchia usque Romam ad jurisdictionem sedis apostolicæ pertinentes; & solenni curia congregata, primo die jura Ecclesiæ Romanæ proposuit, & omnino ab universis laicis juramenta recipiens quòd ejus dominationi parerent, secundo die querelas & petitiones universorum audivit. Tertio die pro justitia & pace servanda statuta hujusmodi promulgavit, quæ servari præcepit sub debito præstiti juramenti.

Lib. 10. epist. 131.

Cùm ex officij nostri debito teneamur tam Clericis quàm laicis paterna sollicitudine providere, ne contingat istos aut illos injuriam perpeti vel injuriam perpetrare, constitutiones iniquas, præsertim contra leges & canones, à laicis promulgatas aut etiam promulgandas adversùs Ecclesiam seu viros ecclesiasticos, non solùm spirituali sed etiam temporali auctoritate damnamus penitùs & cassamus, sub debito fidelitatis & interminatione anathematis inhibentes ne constitutiones hujusmodi nequiter observare præsumant. Nos enim quicquid earum occasione contra Ecclesias vel personas ecclesiasticas fuerit attentatum, decernimus irritum & inane; non obstante aliquo juramento quod super earum observatione præstitum esse dicatur, cùm illud tamquam illicitum non debeat observari. Iudicibus autem & Tabellionibus inhibemus ne secundùm hujusmodi constitutiones damnatas suum præsumant officium exercere, si officij sui cupiunt periculum evitare. Datum Viterbij nono Kalendas Octobris, anno decimo.

Lib. 10. epist. 132.

CXXV. Cùm juratum sit à Comitibus & Baronibus, Potestatibus & Consulibus, pacem & justitiam & securitatem strictè ad mandatum nostrum servare, universitati vestræ mandamus quatenus veram pacem servantes, nequaquam vos invicem offendatis, neque communitas communitatem, neque persona personam, neque persona communitatem, neque communitas offendat personam; exceptis raptoribus & prædonibus, & exceptis bannitis & diffidatis; ad quos puniendos Rectori apostolici patrimonij, quotiens requisiti fueritis, impendatis auxilium opportunum. Si verò quisquam offenderit, non statim reoffendatur; sed moneatur priùs ut emendet offensam. Et si super emendatione orta fuerit contradictio, nisi per alium sedari potuerit, ad arbitrium Rectoris apostolici patrimonij referatur. Alioquin diffidatus ab eo tamquam hostis publicus impugnetur. Cùm autem orta fuerit inter aliquos controversia, per concordiam vel judicium terminetur; fiatque judicium penes eum cui competit jurisdictio. salvis semper appellationibus ad nos vel Rectores apostolici patrimonij legitimè factis aut etiam faciendis. Si verò quisquam infra beati Petri patrimonium constitutus modum istum servare contempserit, ab omnibus secundùm mandatum Rectoris apostolici patrimonij arceatur. Si quis autem auctoritate sua prædam acceperit, vel accipere fecerit, seu aliquis furatus fuerit, vel furari fecerit, prædam & furtum tam ipse quam ille qui scienter emerit cum pœna duplici restituat. Qui verò furtum vel hujusmodi prædam emerit ignoranter, ea restituat absolutè, nulla recompensatione sibi præstita vel præstanda, sed emptor adversùs venditorem suam habebat actionem. Hæc omnia injungimus sub debito præstiti juramenti Comitibus & Baronibus, Potestatibus & Consulibus observanda; ut & ipsi ea fideliter servent, & per districtus suos faciant ab aliis observari. Salvo semper in omnibus apostolicæ sedis mandato. Datum ut supra.

CXXVI. Cùm autem monasterium sancti

Vide lib. 10. epist. 143. 162. 205.

Martini

Mattini de Monte ad exterminationem devenisset extremã, ita ut vix in eo tres monachi remansissent, possessionibus ejus omnino distractis, vel sub gravi fœnore pignoratis, idem Pontifex ad reformationem ipsius clementer intendens, pro redimendis possessionibus mille libras exsolvit; scripsitque Abbati & conventui Pontiniacensis cœnobij, quod est unum de quatuor primis præcipuis Cister. iensis ordinis monasteriis, ut ipsam Ecclesiam sancti Mattini reciperent in filiam specialem, & ad ipsam dirigerent Abbatem & conventum de monachis & conversis. quod ipsi libenti animo perfecerunt. Cùm ergo venissent, Dominus Papa benedixit Abbatem, & ut in eodem loco religio pullularet, concessit & donavit eidem Ecclesiam sancti Salvatoris quæ sita est juxta Orele cum omnibus rationibus & possessionibus suis, longè quidem majoribus ac etiam melioribus quàm ceteræ possessiones illius, adjuvans fratres in necessariis ad excolenda prædia & ædificia construenda, magnificè privilegians locum ipsum.

CXXVII. Interea venit ad ipsum relatio ex parte Lundensis Archiepiscopi, quem Legatum direxerat ad convertendos paganos, quòd tota Livonia erat ad fidem Christi conversa, nullúsque in ipsa remanserat qui non recepisset sacramentum baptismatis, vicinis gentibus ad hoc ipsum ex magna parte paratis.

Cùm autem inter cives Tudertinos, majores videlicet & minores, orta fuisset magna dissensio, ita quòd nobiliores civitatem egressi populum impugnabant, ex qua dissensione multa pericula jam provenerant, videlicet incendia, homicidia, prædæ, rapinæ, cædes hominum, mutilationes membrorum, vastationes segetum, destructiones domorum, & multis sæpius mediantibus nunquam pervenire potuissent ad pacem, Dominus Papa utrisque vocatis, & receptis ab eis corporaliter juramentis quòd suo starent mandato, veram pacem inter illos composuit & firmavit; cujus formam per publicam manum redegit in scriptis, & servandam in posterum perpetua lege sancivit.

Lib. 10. epist. 30. 116. Eodem tempore discussit & diffinivit causam quæ vertebatur inter Archiepiscopum Ravennatem & Commune Faventiæ super castro Luci

Ibid. epist. 115. Arcoli & sancti Potiti, adjudicans restitutionem eorum Ecclesiæ Ravennati. Porro idem Archiepiscopus tanta penuria laborabat quòd etiam indumenta pontificalia non habebat: cujus Dominus Papa misertus, contulit ei planetam, tunicam, & dalmaticam de optimo examito rubeo, aurifrigiis & granatibus decenter ornatas, amictum, albam, cingulum, atque stolas.

Volens autem idem Pontifex patrimonium apostolicæ sedis in illis partibus constitutum corporali præsentia visitare, accessit ad Montem Flasconem, ubi per duodecim dies moram fecit continuam, recipiens ibi ad ligiam fidelitatem Alde-

Vide Raynald. ad an. 1207. § 4. brandinum Comitem Palatinum. Postea ivit Tuscanam, & per octo dies in ipsa civitate moratus accessit Cornetum; ubi apud sanctum Nicolaum novum sibi fecerat ædificari palatium, requirens pariter & recipiens jura quæ fuerant à quibusdam invasa. Inde per Rovertellum profectus est Sutrium; ubi tribus diebus moratus, cathedralem Ecclesiam solemniter dedicavit; & sic ad urbem finaliter est reversus.

CXXVIII. Hic per Gregorium sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinalem, quem Legatum in Vngaria destinavit, reformavit pacem inter Ainricum Regem & Andream fratrem ejus Ducem, quorum guerra totum penè regnum Vngariæ devastabat.

Hic per Martinum Camaldulensem Priorem, virum providum & honestum, inter Mediolanenses & Papienses pacis fœdera reformavit, per sex menses ad hoc studiosissimè laborans: quorum antiqua discordia inter civitates Lombardiæ, quæ hinc inde diviserant se in partes, dissensionis seminarium pariebat, ex qua multotiens magna provenerant & dispendia & pericola personarum.

CXXIX. Hic ad reformandam pacem vel Vide Raynald. ad ann. 1201. § 14. & 1204. § 67.
componendum treugam inter Philippum Regem Francorum & Iohannem Regem Anglorum Abbatem Casemarij destinavit: qui cùm ad hoc per annum integrum laborasset de Francia ad Angliam & de Anglia ad Franciam discurrendo, videns tandem se non posse proficere, convocavit Archiepiscoporum & Episcoporum & Abbatum Concilium apud civitatem Meldensem, in quo præfatus Rex Franciæ per eosdem Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates fecit ab eo ad sedem apostolicam appellari. Quorũ appellationi noluit ipse deferre nisi jurassent quòd in termino quem eis præfigeret appellationẽ ipsam in propriis prosequerentur personis. Sed summus Pontifex ab hujusmodi juramento illos absolvit, indulgens eis de speciali gratia ut aliquot ex parte omnium ad prosequendum appellationem venirent. Venerunt igitur in termino constituto Senonensis & Bituricensis Archiepiscopi, Parisiensis, Meldensis, Cathalaunensis, & Nivernensis Episcopi, & multi honorabiles Clerici procuratores omnium aliorum. Quibus diutiùs expectantibus, prænominatus Rex Angliæ pro se neminem destinavit, negligens prosequi causam suam. Ex qua negligentia quantum ei damnum provenerit satis patet, cùm in brevi tempore totam Normanniam & Andegaviam & Aquitaniam ipsam perdiderit penè totam. Prædicti verò Archiepiscopi & Episcopi post expectationem diutinam in publico consistorio sub verbo veritatis tamquam Pontifices sunt professi quòd ipsi non appellaverant ad mandatum apostolicum eludendum, sed quia sua interesse credebant, maximè cùm crederent in hac parte suum Regem justam causam habere; sed si nec istud sufficeret, & in aliquo essent Domino Papæ suspecti, purgationem canonicam offerebant; quam eis Dominus Papa remisit.

CXXX. Hic ad reformationem & correctionem excessuum vigilanter intendens, visitatores prudentes per diversas provincias delegabat, per quos faciebat diligenter inquiri de statu & conversatione, non solùm Ecclesiarum, sed etiam Prælatorum; & quos inveniebat culpabiles, à suis prælationibus protinus removebat, nolens crimina relinquere impunita. Quot enim Prælatos à suis dignitatibus deposuerit enarrare quis posset? Ipse namque, ut de multis aliquos exprimamus, deposuit in Theutonia Coloniensem Archiepiscopum, Episcopum Vvormaciensem, Archiepiscopum Maguntinum intrusum, Hildesemensem & Herbipolensem Episcopum imperialis aulæ Cancellarium, Guircensem Episcopum * Vicarium Salseburgensis Archiepiscopi, & Episcopum Nurem- * Vide lib. 11. epist. 99.

bergensem. In Lombardia induxit vel coëgit ad cessionem Mediolanensem Archiepiscopum, Astensem & Iporiensem Episcopos, & multos Abbates. In Provincia verò dejecit *Tolosanum, Biterrensem, Vinciensem, & Vivariensem Episcopos, & alios multos Præsules & Abbates. In regno Franciæ destituit Lingonensem Episcopum, & Abbates de Viziliaco, de Burgolio, de Coltura, & de *Carasca. In regno Siciliæ Trojanum Episcopum & Archiepiscopum Panormitanum assumptum.

* Vide cap. Per inquisitionem. De electione.

* Cod. Pod. Tarasca.

CXXXI. Licèt beatus Thomas Archiepiscopus animam suam pro ecclesiastica posuerit libertate, nulla tamen utilitas quoad hoc in sanguine ejus erat, quoniam Anglicana Ecclesia per Principum insolentiam in profundo servitutis ancillata jacebat, ita ut apostolicum quoque mandatum in Anglia jam quasi precarium haberetur, & electiones Prælatorum nusquam liberè fierent, ut de ceteris abusionibus taceatur. Contigit autem ut defuncto Huberto Cantuariensi Archiepiscopo controversia oriretur de jure ac potestate eligendi Archiepiscopum inter suffraganeos & monachos Cantuariensis metropolis, illis asserentibus quòd consueverant & debebant interesse cum monachis ad eligendum Archiepiscopum, istis è contrario affirmantibus quòd Metropolitani electio ad suffraganeos minimè pertinebat. Rex verò favebat suffraganeis contra monachos, suum nihilominus fovere nitens abusum. Cùmque propter timorem ipsius monachi non auderent liberam electionem publicè celebrare, Subpriorem suum sub simulatione quadam occultè in Capitulo elegerunt, & ad ipsius Regis instantiam, cui resistere non audebant, in publico elegerunt Episcopum Norvicensem; quem & ob Regis gratiam suffraganei elegerunt. Vtraque igitur quæstione ad apostolicæ sedis examen ab utroque perlata, & ea quæ de jure eligendi Archiepiscopum inter suffraganeos & monachos vertebatur, & illa quæ super electione Subprioris ex parte una & electione Norvicensis Episcopi agebatur ex altera, in quo monachorum conventus videbatur esse divisus, quibusdam adhærentibus Subpriori, aliis autem Episcopo Norvicensi, cui etiam Rex & suffraganei omnino favebant, postquam productis testibus & exhibitis instrumentis sufficienter actum est de utraque, Dominus Papa via regia prudenter incedens, non declinando ad dexteram vel sinistram, jus & potestatem eligendi Archiepiscopum adjudicavit conventui monachorum, perpetuum imponens silentium suffraganeis in hac causa. Vtramque autem electionem justitia exigente cassavit, munera omnino detestans, de quibus dicebatur quòd plusquam undecim millia marcharum propter hanc causam parati fuerant elargiri. Ne verò si monachi ad celebrandum electionem remitterentur in Angliam, novissimus error fieret pejor priore, præcavens summus Pontifex huic malo, mandaverat conventui Monachorum ut potestatem eligendi Archiepiscopum committerent quindecim ex fratribus suis ad apostolicam sedem destinandis, si fortè contingeret utramque illarum electionum de jure cassari, hoc idem insinuans ipsi Regi. Cùm igitur monachi paruissent apostolicæ jussioni, Dominus Papa post cassationem prædictarum electionum injunxit quindecim monachis ut in præsentia sua electionem canonicam de persona celebrarent, & examinatis voluntatibus singulorum, inventi sunt plures in magistrum Stephanum de Languetone Presbyterum Cardinalem tituli sancti Grisogoni convenire, virum utique vita, scientia, & fama præclarum, de Anglia oriundum, quem Dominus Papa eodem anno de cathedra magistrali, quam regebat Parisius, assumpserat in Presbyterum Cardinalem; in quem tandem omnes monachi pariter consenserunt, nuntiis Regis hoc molestè ferentibus & multis modis laborantibus impedire. Quod cùm per eos ad Regis notitiam pervenisset, Rex in tantam indignationem exarsit, licèt ei Dominus Papa scribens postulasset exhortans ut suum impenderet huic facto favorem, ut nuntiis ad ipsum remissis non dubitaverit ei mandare per litteras quòd id nullatenus pareretur. Porrò Dominus Papa, sicut erat fortis & constans, præfatum electum propriis manibus consecravit; & palleo sibi dato, transmisit illum ad gerendam sollicitudinem pastoralem, districtè præcipiens suffraganeis universis ut nisi Rex diligenter commonitus acquiesceret, totum regnum Angliæ subjicerent interdicto ecclesiastico. Quod sicut mandavit demique factum est, Deo mirabiliter operante ut per totum regnum Angliæ simul ac semel curreret interdictum; quod tam districtè servabatur * ubique ut præter pœnitentiam morientium & baptisma parvulorum nusquam celebraretur divinum officium aut exhiberetur ecclesiasticum sacramentum; ita quòd non solùm Clericorum & monachorum aut quorumlibet regularium, sed etiam Episcoporum cadavera servarentur extra cimiterium inhumata. Quod demum Rex propter generalem clamorem sustinere non prævalens, satisfactionem obtulit per nuntios & litteras suas; quam Archiepiscopo in Flandria expectanti denuntiavit hoc modo.

Vide Math. Paris. ad an. 1207. & 1206.

Vide lib. 10. epist. 113. 159. 160. 161. lib. 11. epist. 89. 90. 91. 102. 141. 210. 211. 214. 219. 220. lib 15. epist. 131. & seqq. lib. 16. epist. 76. & seq.

Vide lib. 10 epist. 219.

* Cod. Pod. inibi

CXXXII. Carissimus in Christo filius noster Iohannes Rex Anglorum illustris nuper nobis per dilectum filium Abbatem Belliloci litteras hujusmodi destinavit, ut quæ nobis ex parte sua proponeret crederemus. Ipse verò proposuit quòd licèt se in negotio Cantuariensis Ecclesiæ reputaret multùm aggravatum, ob devotionem tamen & reverentiam quam erga Romanam Ecclesiam nostramque personam asserit se habere, paratus est sicut Cantuariensem Archiepiscopum te recipere ac tractare, præstita securitate tam tibi quàm tuis quæ ad hoc visa fuerit opportuna, restitutionem plenariam ablatorum promittens personis pariter & Ecclesiis faciendam; monachos quoque Cantuarienses permittet ad Ecclesiam suam redire ac manere securos: quamquam hoc sibi grave periculum videatur, ex eo quòd in ipso negotio contra se credit eosdem proditionem machinatos. Regalia verò in manu nostra posuit per eundem Abbatem, ut nos ea pro nostro beneplacito conferamus. Interrogatus autem cùr non idem ipsa conferret, sed potiùs nobis traderet conferenda, respondit quòd nondum animus ejus poterat inclinari ut familiarem tibi gratiam exhiberet. Nos igitur his auditis, de consilio fratrum nostrorum hoc modo circa præfata regalia duximus procedendum, ut & reciperemus ea sine præjudicio juris tam ecclesiastici quàm regalis, & tibi etiam tribui mandaremus, ita quòd tu pro eis quemadmodum tui prædecessores suis progenitoribus teneatis. Vnde venerabilibus fratribus nostris Londoniensi, Eliensi, &

Lib. 11. epist. 90.

Vvigotniensi Episcopis per nostras damus litteras in mandatis ut proviso prudenter ne quid deceptionis contra libertatem ecclesiasticam interveniat, prælibata regalia præscripto modo recipiant, tibique conferant vice nostra, si forsan idem Rex, cui super hoc affectuosissimè scribimus, induci nequiverit ut ipse ea conferat tibi, & his quæ superiùs sunt expressa rite peractis, sententiam interdicti relaxent, faciendo te, sicut expedit, ad Cantuariensem Ecclesiam proficisci. Monemus ergo fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus tuam ponens principaliter spem in Domino, circa præfatum Regem talem te satagas exhibere quòd ad profectum Ecclesiæ tibi commissæ meliùs promovendum familiaritatis regiæ possis tibi comparare favorem. Speramus enim in eo in cujus manu cor Regis existit, & quò voluerit vertet illud, quòd sicut in hoc negotio consilium ejus in parte dirigere jam incepit, ita ipsum finali quoque prosequetur effectu, ut ad curam suscepti regiminis efficaciter exequendam tibi non solùm impedimentum non inferat; sed adjumentum impendat. Datum &c.

CXXXIII. Quia verò virtutis aurum in persecutionis fornace probatur, volens Deus præfati Præsulis patientiam inter adversa probari, eum quasi signum exposuit ad sagittas, permittens ipsum à suis civibus multis tentationibus exerceri; sed, sicut in psalmo legitur, sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & pro nihilo habentur contra eum linguæ ipsorum. Cùm enim Romanum populum ad vassallagium recepisset, quidam qui ex discordia quam seminare solebant inter summum Pontificem & Romanum populum suos quæstus augebant, intelligentes quòd non poterant in aqua clara piscari, cœperunt aquam turbare, ut in ea meliùs piscarentur. Inter quos principales & præcipui extiterunt Iohannes Petri Leonis Rainerij & Iohannes Capotius, qui ex facundia sua multum obtinuerat in plebem favorem. Hi ergo hanc primam turbandi materiam invenerunt, dicentes in populo quòd Dominus Papa spoliaverat urbem omnibus tenimentis, sicut auceps deplumat avem omnibus pennis, pro eo quòd ipse Sabinam & maritimam ad manum Ecclesiæ revocaverat & recuperaverat urbis senatum. Sed cùm hoc modo minimè profecissent, occasionem aliquam confinxerunt, asserentes quòd ipse senatum non faciebat communem, sed eum in Senatorem eligi faciebat qui suis propitius & aliis esset infestus. Quamvis autem multifariè multisque modis populum subvertere niterentur, & sæpe scandala suscitassent, non tamen eum adhuc plerè seducere potuerunt, ad hoc præcipuè intendentes ut, sicut soliti fuerant, à summo Pontifice pecuniam extorquerent. Verùm ipse cupiens hanc pessimam consuetudinem abolere, noluit se ab illis redimere ut à sua persecutione cessarent. Vnde ipsi contempti cœperunt ad persecutionem ipsius ampliùs inflammari. Et quia videbant se solos non posse sufficere, multos sibi attrahere studuerunt, insimul conjurantes. Sic ergo longam restem fecerunt, dum quosdam simplicitate seductos, alios tractos invidia, nonnullos cupiditate illectos ad suum inclinavere consensum. Accidit interim ut Viterbienses in tantum opprimerent Viterclanum, nolentes homines ipsius castri alio modo recipere nisi salvis personis & rebus castrum ipsum eis traderent destruendum quòd ipsi summa necessitate compulsi mittentes nuntios ad Romanos, se simul cum castro eorum dominationi subiciendos offerrent, ut imminens possent periculum evitare. Tunc præfati schismatiarchæ arbitrati sunt se turbationis invenisse materiam, per quam possent Romanum populum contra summum Pontificem commovere, dicentes: Faciamus Viterclanum recipi à Romanis contra Viterbienses tuendum; & si Papa noluerit Romanis auxilium impertiri, tunc Romanus populus commovebitur contra ipsum; si verò auxilia illia impenderit, Viterbienses cum fautoribus suis ab ejus fidelitate recedent; & sic suscitabitur guerra, per quam meliùs poterimus in aqua turbata piscari. Licèt igitur sanis & sapientibus hujusmodi consilium displiceret, prævaluit tamen consilium istud in plebe, quæ Viterbienses habet exosos, & receptum est Viterclanum ab urbe contra Viterbienses defendendum. Cùm autem Viterbienses nollent ad mandatum Romanorum ab impugnatione Viterclani cessare, diffidati sunt à Romanis. Et cùm isti congregarent exercitum contra illos, illi convocatis Rectoribus societatis Tusciæ in auxilium contra istos, cœperunt ad resistendum se viriliter præparare. Rectoribus ergo Tusciæ societatis cum valida manu in auxilium Viterbiensium accedentibus, Romani dubitantes procedere, murmurare cœperunt adversùs eos qui consilium dederant ut acciperent Viterclanum; & sic præfati schismatiarchæ visi sunt incidere in foveam quam nisi sunt aliis præparare. Quid ergo facerent ignorantes, recurrerunt tandem ad summum Pontificem, ipsius auxilium humiliter implorantes. Ipse verò, non tam propter illorum instantiam quàm propter Viterbiensium insolentiam, qui super negotio Viterclani sæpius requisiti nunquam voluerunt ipsius acquiescere monitis & mandatis, immo etiam contra ipsum Narniensibus in rebellione sua præstiterunt auxilium & favorem, mandavit eisdem ut à molestatione Viterclani desisterent, vel in curia sua justitiam exhiberent, promittens eis in veniendo, morando, & redeundo plenariam securitatem præstare. Quod cùm ipsi facere noluissent, eos pro contumacia sua diffidavit & interdicto subjecit, injungens Rectoribus societatis Tusciæ, qui jam in eorum auxilium usque Vrbevetum pervenerant, ut eis contra Romanos auxilium non præstarent. Qui respondentes dixerunt quòd cùm eos ratione societatis tenerentur juvare, non poterant eis sine perjurij reatu deesse. Quibus per honorabiles nuntios Dominus Papa rescripsit quòd cùm ipsi societatem ad honorem Ecclesiæ Romanæ jurassent, ipsius honorem proculdubio non servarent, si Viterbiensibus contemnentibus ad mandatum ejus facere rationem, & ob hoc justo judicio diffidatis & interdictis, auxilium exhiberent. Vnde ipsi Rectores cum exercitu suo ad propria redierunt, & Romani cum fidelibus Domini Papæ ad mandatum ipsius undique congregatis, adierunt fiducialiter Viterclanum, illúdque victualibus & aliis necessariis munientes usque Viterbium processerunt, & castra metantes ex opposito civitatis, circa vesperam periclitari certamine pugnaverunt cum illis, & in eo congressu sunt superiores effecti; sed

summo diluculo non expectantes ad propria redierunt, usque adeo in laudem summi Pontificis conclamantes ut quidam qui consueverant in contradictionem Domini Papæ ora laxare, publicè dicerent quòd ita jam erant ipsorum linguæ quòd nunquam de cetero contra summum Pontificem loquerentur.

CXXXIV. Hoc autem parvissimo tempore servaverunt. Nam cùm nobiles viri Landus Coll. de Medio & fratres ejus deposuissent Domino Papæ querelam de * Bartholomæo & Ionatha dominis Varniæ & Gabriani quòd partem terræ spectantem ad ipsos per violentiam detinerent, & peterent sibi justitiam exhiberi, qui sæpe citati justitiam sub ejus examine facere noluerunt, fecit illos per peremptorium edictum per Marescallum suum in possessionem rerum petitarum induci: quam illi temerè perturbantes, accesserunt ad præfatos Iohannem Leonis Rainerij & Iohannem Capotium, & eis simulato contractu terram suam titulo pignoris obligarunt, eam se ab ipsis tenere simulantes. Illi verò apud Dominum Papam instare cœperunt ut eis terram illam in pace dimitteret. Quorum fraudem Dominus Papa cognoscens, præfatos nobiles coartari nihilominus faciebat per vastationem segetum, incisionem arborum, fractionem molendinorum, & abductionem prædarum: quamquam præfati schismatici clamarent contra Dominum Papam in populo quòd ipse libertates & consuetudines & rationes Romanorum infringeret & auferret, satagentes contra eum scandalum populi suscitare; quod ipse tandem congregato populo, exposita veritate, sedavit; & adhuc eis minantibus & renitentibus coëgit nobiles antedictos ut pignoris contractu rescisso, mandatis ipsius se per omnia parituros juramentis & fidejussionibus promiserint. & sic demum inter istos & illos controversia finem per transactionem accepit. Viterbienses verò impugnantes Viterclanum, & illud nimiùm coartantes, Viterclanenses Romanorum auxilium implorarunt, asserentes quòd nisi quantocyus illis succurrerent, tanta laborabant penuria victualium quòd non poterant ulteriùs se tenere. Senator igitur urbem egressus, in prato sancti Petri fixit tentorium, mandans Romanis ut post ipsum exirent, & vicinos amicos urbis in expeditione convocans universos. Romani verò pauci & cum tædio exeuntes, vix tandem Senator usque ad civitatem Castellanam processit. Viterbienses autem adjuncto Comite Ildebrandino, quem sibi Potestatem præfecerant, & tam per ipsum quàm per alios amicos suos magno exercitu congregato, multis nihilominus militibus & arcariis mercede conductis, se contra Romanos viriliter præpararunt. Romani ergo cùm essent pauci, audito illorum multiplici apparatu, quid agerent dubitare cœperunt; quia eis ignominiosum redire, & periculosum procedere videbatur. Sed hoc consilium inierunt, ut Senator à potentioribus urbis pecuniam mutuò postularet, ex qua conduceret milites & arcarios opportunos. Qui cùm nullam vel modicam ab aliis potuisset habere, Richardus Domini Papæ germanus eis in tanto necessitatis articulo mutuavit; ex qua conductis militibus & arcariis processerunt ut inferrent victualia Viterclano. Sed Viterbienses eis obviam venientes, cœperunt dimicare cum ipsis ipso die Epiphaniæ, cùm Dominus Papa Missarum solemnia celebrans in Ecclesia sancti Petri exhortaretur populum ut pro fratribus in exercitu commorantibus supplicarent, ut Deus eos cum prosperitate reduceret & honore. Ipsóque die Viterbienses terga vertentes fugati sunt à Romanis, multis in bello vulneratis, occisis, & captis. Sicque Romanis cum gloria revertentibus, Senator cum sæpefato Iohanne Petri Leonis Rainerij & multis aliis ad summum Pontificem accedentes, prostraverunt se ad pedes ipsius, & eos humiliter osculantes, innumeras ei gratias retulerunt. Senator autem universos captivos misit in Canapariam multis miseriis macerandos: inter quos duo erant majores, videlicet Neopolion Vicecomes Campiliæ, & Burgundio Protonotarius Viterbij: quibus Dominus Papa compatiens, fecit illos educi de Canaparia & in palatio suo aliquandiu detineri, ac demum apud Latianum honorificè custodiri; ceterorúmque misertus, inter Romanos & Viterbienses cœpit de pace tractare.

* Cod. Ped. Ptolomeo

CXXXV. Præfato verò Neopolione per fugam elapso, sæpefati schismatici cœperunt contra Dominum Papam ora laxare, obloquentes & blasphemantes ut contra eum populum concitarent. Et quidem malignis eorum suggestionibus populus nimis est concitatus. Quorum furorem Dominus Papa blandè deliniens, usque adeo in pacis tractatu processit quòd inter eos salva in omnibus fidelitate Romani Pontificis & Ecclesiæ Romanæ composuit, & sic omnes captivi sunt liberati; præcipiens Viterbiensibus ut portas æreas, quas de basilica sancti Petri, & pateres æreos, quos de cantharo ante basilicam dicebantur extulisse vel confregisse tempore Frederici Imperatoris, facerent restaurari. Licèt hanc pacem de voluntate fecerit Romanorum, nihilominus tamen aliqui oblatrabant dicentes quòd eam ob commodum fecerit speciale. Ad has malignitates & nequitias exercendas incentores & auctores fuerunt filij Vrsi, quondam Celestini Papæ nepotes, de bonis Ecclesiæ Romanæ ditati, hac occasione duntaxat quòd inter domum Petri Bobonis, ex qua ipsi per patrem descenderant, & domum Romani de Scorta, ex qua Dominus Papa per matrem descendit, veteres æmulationes fuerunt. Vnde timebant ne ipse vellet eos opprimere, præsertim super terram quam nomine pignoris ab Ecclesia Romana tenebant, videlicet, Viconario, Burdella, & Cantalupo; quamvis nihil tale facto verbo, vel signo percipere potuissent. Nitebantur igitur sub nomine communitatis populi sibi captare favorem & inter ipsum & Ecclesiam scandalum suscitare; ut Dominus papa molestatus à populo, eos molestare non posset, & si vellet, se contra ipsum favore populi tuerentur. In tantum igitur eorum processit malitia ut absentia Domini Papæ captata, cùm apud Velletrum æstivo tempore moraretur, ipsi paratis insidiis ex improviso in Romanum de Scorta & filios Iohannis Odolinæ consanguineos ipsius Domini Papæ violenter irruerint, & eos ac uxores eorum de domibus suis ejecerint. Quod cùm ad audientiam summi Pontificis pervenisset, indoluit vehementer, non tam propter illam injuriam quàm propter futurum periculum quod timebat. & ideo ad reditum festinavit. Ad cujus præsentiam præfati malefactores, videlicet filij Vrsi, cum

consanguineis & amicis suis protinus accesserunt, ipsius se mandatis per omnia exponentes; & recepto ab eis corporaliter juramento quòd universis mandatis ejus absque reservatione cum timore parerent, ab aliis quoque simile juramentum recepit; & fidejussoribus insuper utrinque receptis, pacem inter eos componere intendebat.

CXXXVI. Porrò Pandulphus de Subura Senator urbis, qui per omnia Domino Papæ favebat, his non contentus, utrosque sua mandata jurare coëgit, & fidejussoribus ab utrisque receptis, eorúmque turres accepit, compellens eos urbem exire; illósque apud sanctum Petrum, istósque apud sanctum Paulum manere præcepit, ut eis absentibus vindictam liberiùs exerceret. Cepítque quandam turrim filiorum Ursi propter injuriam perpetratam.

* Cod. Pod. Tebaldus

CXXXVII. Interim autem * Theobaldus Benedicti Odonis, consobrinus filiorum Ursi, ad sanctum Paulum frequenter accedens, cum præfato Romano de Scorta genero suo securiùs loquebatur. Quod cùm filij Iohannis Odolinæ perpenderent, & scirent eum totius mali fuisse principalem auctorem, præsumentes quòd contra eos tractaret irruerunt in ipsum malignæ spiritu concitati, & in via inter sanctum Paulum & urbem eum nequiter occiderunt. Quód cùm ad filiorum Ursi notitiam pervenisset, subitò revertentes in urbem, favore plebis propter sceleris immanitatem adjuti, utrasque turres quas tenebat Senator nihil tale suspicans occuparunt, & tam turres quàm domos illorum funditus destruxerunt, reportantes ad domum cadaver occisi, & cogitantes illud non solùm ante domum Richardi germani Domini Papæ, verùm etiam ante palatium summi Pontificis cum funebri luctu deponere, ut contra eos furorem populi concitarent; sed impediti, quod cogitaverunt perficere nequiverunt. Ex tunc conspirationibus & conjurationibus ardentiùs intendentes, quæcunque poterant excogitabant iniqua, machinantes qualiter possent Dominum Papam offendere, saltem in suis consanguineis & amiris, & ex eo materiam assumpserunt quòd Odo de Polo vivente adhuc Gregorio patre suo, ac post ejus decessum, de conjugali copula contrahenda inter filium suum & neptem Domini Papæ, filiam videlicet præfati Richardi, cœpit habere tractatum, & multis pactis intercedentibus, tandem mediante Octaviano Hostiensi Episcopo patruo suo adinvicem convenerunt. Cúmque præscriptam terram quam ipse Odo ac progenitores ipsius multis debitis obligaverant prædictus Richardus à debitorum onere liberasset, ipse Odo ac fratres ejus, qui cùm terra subjaceret debitis obligata, vix poterant ex ea tenuem ducere vitam, cœperunt ad eam anxiùs aspirare. Verùm cùm super hoc contra præfatum Richardum querelam proponerent coram summo Pontifice, respondit sæpissime idem Richardus quòd paratus erat sub examine Domini Papæ vel fratrum suorum aut judicum vel etiam ad arbitrium bonorum hominum seu communium personarum plenariam eis justitiam exhibere, idem Dominus Papa præfato O. & fratribus necessarios sumptus in litem promisit misericorditer elargiri. Sed ipsi pravo ducti consilio, cœperunt non solùm contra Richardum, verùm etiam contra Dominum Papam multa confingere falsa, ut quasi sub specie pietatis clamorem populi concitarent, ita quòd nudari per urbem frequenter cum crucibus ad arculas discurrebant. Et licèt prohibiti fuissent à Domino Papa ne contra ipsum tale quid attentarent, ab incepto tamen desistere noluerunt; sed pejora prioribus attentantes, secunda feria post Pascha tumultum & seditionem populi concitarunt, ita quòd blasphemis clamoribus incessanter emissis, in ipsa beati Petri basilica divinum officium perturbarunt. Et cùm de more ipse summus Pontifex coronatus reverteretur per urbem incederet, insidias & injurias multas sustinuit atque magnas. Ipse verò placido vultu procedebat intrepidus, nullum pavoris aut commotionis signum ostendens; quia conscientiam habebat liberam & securam. Porrò * ne his conceptis fieret error novissimus pejor priore, cùm Romanus populus esset coram Senatore in * Capitolio congregatus, sæpedictam terram ad proprietatem sedis apostolicæ pertinentem verbo, quia facto non poterant, & scripto, quia jure nequibant, Senatui populóque Romano, quantum in eis erat, concedere præsumpserunt. Sed ipse Dominus Papa incontinenti jus suum, convocato populo, per quosdam fratrum suorum fecit publicè protestari. Et ne jus Ecclesiæ deperiret, præcepit sæpedicto Richardo ut terram ipsam per Romanam Ecclesiam recognoscens, eam defenderet & muniret. Adhuc in tantum processit eorum audacia quòd præfatum Senatorem nolentem suis perversitatibus consentire infra palatium Capitolij obsederunt, eum illic expugnare putantes. Quod cùm facere nequivissent, falsis * commentis contra præfatum Senatorem Romanum populum seducentes, ipsum adversùs eum adeo commoverunt ut armis ad conflictum assumptis, turrem ipsius igne apposito acriter expugnarent, ita quòd eam, ipso vix tandem per fugam liberato, ceperunt, multis tam illi quàm adjutoribus suis damnis & injuriis irrogatis. Videns ergo Dominus Papa quòd furor erat in cursu, cessit currenti furori; & urbem egressus, in Campaniam declinavit. Cúmque apud Ferentinum per totam æstatem demoratus fuisset, ubi fieri fecit optimum & pulcherrimum fontem, circa finem Septembris venit Anagniam; ubi eum tam gravis ægritudo pervasit ut de ipsius liberatione penè nulla spes esset, ita ut per ipsam civitatem sæpius insonuerit quòd diem clausisset extremum.

* Edit. Tolos. nec his contenti, sed & cr.

* Cod. Pod. Capitulo

* Cod. Pod. convitiis

CXXXVIII. Tempus interim imminebat quo renovari debebat in urbe senatus. Fecerunt nuntios destinari, qui ad eligendum peterent medianos. Suggesserant enim populo ut non unicum, sed quinquaginta sex Senatores vellent habere; quatenus inter multos, aliquos ipsi fautores haberent. Et quia pars eorum nimiùm invaluerat, cùm ab his qui ægrotante summo Pontifice negotia Ecclesiæ procurabant duodecim mediani fuissent populo assignati, penè omnes capi fecerunt & in trullo Iohannis de * Stacio violenter includi, cogentes eos jurare ut singuli saltem duos de fautoribus suis eligerent Senatores. Quo facto, præfatus Senator assignavit & tradidit Capitolium illis duntaxat qui Domino Papæ favebant. Et cùm ipsi juramentum regiminis secundùm antiquam & continetam formam intrassent, hoc audito quòd de terra quæ fuerat Gregorij de Polo nihil contra

* Cod. Pod. Statio

urbis justitiam ordinatent, alij juratunt quòd de terta illa nullum facerent omnino conteactum, nisi urbs priùs haberet tenutam; & ad hoc populum suis machinationibus induxerunt ut penè omnes clamarent quod ipsius terræ priùs urbi traderetur possessio, & tunc demum inter Ecclesiam & Richardum & urbem cognosceretur de jure. Quod quàm absurdum esset & iniquum penè nullus ignorat. Cùm ergo Senatores illi non possent in voto concordare cum aliis, nec in uno loco potuerunt remanere cum illis, sed descenderunt apud monasterium Dominæ Rosæ juxta domum Iohannis de Staeio, qui eis omnino favebat. Et sic diviso senatu, paa & justitia nunquam inveniebantur in urbe. Cœpit ergo paulatim populus murmutare propter maleficia quæ committebantur impune, multis dolentibus, quibus erat mens sana, de his quæ propeer invidiam nequiter agebantur. Et licèt multotiens solemnes nuntij missi fuissent ad Dominum Papam ut rediret ad urbem, & ipse tedire noluisset, quia nondum ees eaigere videbatur, missi sunt tamen ad ultimum majores & plures, qui eum jam plenè restitutum pee salvationis gratiam sanitati ex parte populi ad reditum invitarunt. Rediit igitur, ne populum contemnere videretur, & cum ingenti fuit honore susceptus.

CXXXIX. Licèt autem multorum commotio quiescere jam cœpisset, nondum tamen ita restinait indignatio perversorum ut quantumcunque Dominus Papa benignè ac placidè loqueretur, justitiam sibi fieri postulando, cùm ipse paratus esset justitiam exhibere, verbum ejus acceptaretur ab illis. Consultum est ergo summo Pontifici ut convocato populo, assignari eis faceret medianum, qui unum eligeret Senatorem. Ipse verò ne contra personam mediani quicquam obici posset, fecit eis assignari pro mediano nobilem virum Iohannem Petri Leonis, qui ab universo populo approbatus, juramento secundùm morem exhibito, Gregorium Petri Leonis Rainerij Senatorem elegit; cujus electio satis visa est populo complacere. Sed præfati schismatici convenientes post Nonam cum fautoribus suis apud monasterium Dominæ Rosæ, tenorem pacis quæ inter Ecclesiam & urbem per privilegium confirmata fuerat temerè violantes, suos non Senatores sed seductores eligere præsumpserunt viros infames & criminosos, quia bonos & honestos habere nequibant. Et sic factus est error novissimus pejor priore. hoc ad excusationem solummodo prætendentes, quòd Dominus Papa privilegium metuerat amittere, quia permissa sibi abusus fuerat potestate. Præfatus autem Gregorius Petri Leonis Raynerij, qui legitimè fuerat electus Senator, vir erat fidelis, benignus, & mitis, sed non ita virtuosus, strenuus & astutus sicut temporis malitia requirebat. Omnibus ergo confusis, licebat unicuique quod libebat. Vnde Iohannes Capotius opportunitatem temporis se invenisse cognoscens quòd suum posset desiderium adimplere, juxta domum suam turrim cœpit ædificare de novo. Quod cùm præfato Pandulpho & aliis ejus æmulis displiceret, cogitare cœperunt quomodo possent ejus propositum impedire; miserúntque nuntios ad eundem ut à turris ædificatione cessaret. Qui prohibitionem eorum contemnens, cœpit ædificationi fortiùs imminere: quamquam multi sibi consulerent ne causam quasi communem faceret specialem, quia proculdubio favorem communitatis amitteret, & si Dominus Papa vellet illis favere, resistere non valeret. Sed ipse, sicut erat arrogans, talibus consiliis nullatenus acquievit, præsentia tantùm considerans, non futura. Cœperunt igitur utrinque se ad bella præparare, ita quòd ipsa die Paschæ Iohannes Capotius per urbem discurrens, populum ad auxilium convocabat, affirmans quòd eo die plenam sumeret de universis inimicis victoriam. Æstimabat enim quòd non possent ante faciem ejus subsistere, quin eos in momento deleret. Præfatus verò Pandulphus se in montem supra domum suam qui Ballea Neapolis dicitur receptavit, ne locus ipse præoccuparetur ab illis. Ad quem cùm Iohannes Capotius armatus cum suis fautoribus accessisset, Pandulphus cum paucis illos aggressus convertit in fugam, & usque ad sanctum Quiricum eos insecutus est, crebris percussionibus affligendo. Cùmque diversis locis ea die pugnatum fuisset hinc inde, parti Pandulphi meliùs cessit, multis laudantibus Deum quòd humiliasset superbum, qui nec diei sancto dedit honorem. Ex tunc pars illa deficere cœpit, & Pandulphus roborari. Nam Richardus germanus Domini Papæ subveniebat ei magnificè in expensis; fecerúntque utrinque turres ligneas, ubi lapideas non habebant, aggeres & fossata, munientes thermas, & incastellantes Ecclesias, die noctúque pugnantes, non solùm milites & pedites super terram, verùm etiam custodes & servientes per turres de alto lapides & sagittas emittentes. Erexerant enim petrarias, & mangonellos, conduxerant balistarios & arcarios; & tam acriter dimicabant ut præter cædes & strages, & domos destruerent, & incendia perpetrarent. Verùm cùm Iohannes Capotius nec sic à turris ædificatione cessaret, Pandulphus cœpit ædificare fagiolum super quoddam monumentum antiquum quod illius domui adeo erat vicinum ut à fundibulariis de hac in illam lapides jacerentur. Indoluit vehementer Iohannes Capotius; quia cùm fagiolum perfecisset in altum, ex jactu lapidum homines ante domum non poterant remanere. Sed & filij Petri Alexij, fautores Pandulphi, supra prædictum montem turrim ædificarunt excelsam, & Gilido Carbonis similiter adjumento ipsius tres turres suas erexit in altum. Sed Petrus Anibaldi sororius Domini Papæ * pontes omnes juxta Colosæum, turrem ex opposito cœpit construere, prohibentibus Iacobo Frajapane ac relicta Naionis Frajapanis, & impedientibus prout poterant, per Colusæum & turrem Naionis lapidibus & sagittis emissis. Sed ipse per dictas oppositiones ab ædificio non cessabat.

* Cod. Pol. portus

CXL. Iohannes verò Capotius anxius cogitabat quomodo posset fagiolum occupare; tantúmque satagit quòd illud multo studio ac labore in festo sancti Laurentij occupavit; & post occupationem ejus tantum invaluit mox quod Lateranum accedens, domos Pandulphi quæ ibi erant universas evertit, & formam quam ibi habebat accepit. Sed & turricellam quam prope Colosæum juxta sanctorum quadraginta martyrum Ecclesiam munierat violenter invasit; tantúsque terror irruit in Pandulphum & fautores ipsius quòd jam

penè desperabaot. Modum autem in prosperitate non servans, contra Petrum Anibaldum sororium Domini Papæ processit; cœpitque adversùs illum pugnate, putans & ipsum omnino delere. Sed multi qui sequebantur eundem, ab illo sunt ad istum conversi, quia eum plurimùm diligebant; & sic illi fortiter resistentes, eum viriliter propulerunt. Extùne Petrus Anibaldi negotium fecit facere suum, & per hoc pars ista viribus innovata usque adeo cœpit invalescere contra illam quòd infra modicum tempus violenter ceperunt tortem mūnitamquæ vulgariter Gallina alba vocatur, & turrem Gregorij* Serraverij, sed & sanctum Quiricum, quem illi totis viribus defendebant, succendentes & diroent:s domos advetsariotum undique per circuitum. Turris qnoque quam ædificaverat Baroncellus, præcipuus fautor Iohannis Capotij, funditus corruit per se ipsam; adeóque virtus eorum invaluir contra illos ut jam vires illorum qnasi deficerent enervatæ. Nam adjutores eorum, longo tempore gravati laboribus & expensis, eis deesse cœperunt, & ipsi sibi sufficere non valebant. Populus qnoque adversùs illos jam ex majori parte clamabat, ipsis ut suum palliarent defectum direntibus quòd contra eos pecunia Domini Papæ pugnabat,

* Cod. Ped Raverij

CXLI. Licèt autem plerique consulerent Domino Papæ ut permitteret eos usque ad extremam exinanitionem quassari, nolens tamen eis respondere pro meritis, quibusdam ad se benignè vocatis talem formam pacis proposuit. *Eligantur quatuor boni viri super discordia & divisione qua vertitur inter ipsos & illos qui se nominant bonos homines de communi & Richardum germanum meum, qui jurent nec amore, nec odio, nec prece, nec pretio, nec timore, sed bona fide ac sine fraude cognoscere & dicere super his infra sex menses quod intelligent esse justum; nisi forsan interim possent voluntariam concordiam reformare. Sed electi jurati ante omnia dicant de facto senatus; salvo tenore finis inter Ecclesiam Romanam & urbem, sicut apparet per privilegium. Et nos pro bono pacis ex gratia procedemus hoc anno in facto senatus secundum eorum consilium: ita ut hoc non possit nobis in posterum impedimentum aut prejudicium generare.* Placuit quidem illis hæc forma, tam… qui nimis ex guerra gravati eam subterfugere non ferebant. Veruntamen ut suum scelestum propositum occultarent, Iohannes Capotius convocato populo, & exposita forma pacis, inter cetera ita dixit: *Non consuevit urbs in aliqua contentione succumbere quam contra Ecclesiam assumpsisset, neque justitia, sed potentia vincere consuevit. sed ecce nunc omnino succumbit: quia & senatum terra contra populi decretum & juramentum Senatorum illi dimittit, & senatum illi confirmat. Et si nos, qui tot sumus & tanti, deficimus, quis ei de cetero se opponet? Nunquam tam turpem pacem audivi factam pro urbe, nec ego tam turpi paci volo prebere consensum.* Audiens autem Iohannes Petri Leonis Rainerij quòd is qui pacem illam præ ceteris affectabat, eam propter favorem populi penitùs reptobasset, & ipse assumpta parabola cœpit eam modis omnibus improbare; sicque tractatus pacis ea die non potuit habere processum. Sed cùm guerrarum aculeis pungerentor, jam verò non rogati, sed rogantes, faciebant pacem hujusmodi postulari. Et de communi omnium voluntate quatuor sunt electi qui secundùm præscriptam formam jurarunt; statimque dixerunt quòd ad summum Pontificem pertinebat creare senatum. Sed quoniam unus inveniri non poterat qui esset utrique parti communis, consulebant Domino Papæ ut concederet populo quinquaginta sex Senatores. Qui prædicens illis quòd per tot Senatores urbs commodè regi non poterat, quoniam adinvicem discordarent, pro instanti tamen necessitate annuit postulatis. Electi sunt igitur Senatores, qui omnes juraverunt Domino Papæ fidelitatem aut finem, & inter prædictos discordantes qualem qualem pacem fecerunt; cœpitque urbs à bellorum strepitu paululum respirare, ac prædicti schismatici contra Dominum Papam & Romanam Ecclesiam obloqui cessaverunt. Multùm ergo virtus & constantia Domini Papæ profecit, qui statum Ecclesiæ quasi de servitute ad libertatem reduxit, ut non oporteret eam semper à persecutoribus se redimere torquentibus taurùm ut extorqueretur. Nam & omnium una vox erat & eadem sententia, quòd iste Pontifex flecti non poterat injuriis vel offensis, sed obsequio & honore. Interea dum guerra ferveret, duo fratres habitatores Laterani contempta prohibitione summi Pontificis ædificaverunt turrim munitam ante Lateranum palatium super formam antiquam, quam postea requisiti Domino Papæ humiliter tradiderunt, ipsius se jussionibus per omnia submittentes. Qui cùm eam fecisset aliquandiu custodiri, tandem eam demoliri præcepit, ne quis de cetero simile attentaret; & sic penitùs fuit destructa.

CXLII. Præfatus verò Iohannes Petri Leonis Rainerij quandam partem invaserat de territorio Tusculani; quam cùm Dominus Papa repeteret, asserebat eam à Celestino Papa sibi fuisse concessam. Sed cùm id non ostenderet, Dominus Papa post monitiones multiplices comminatus est ei quòd ipsum excommunicationis laqueo innodaret. Ipse autem hos audiens, indignatus est vehementer; & sicut erat arrogans & superbus, intonuit quòd non auderet in eum quod nullus prædecessorum suorum ausus fuerat attentare. Nam & tale sibi propter hoc impedimentum opponeret de quo non posset leviter expediri. Et hoc fuit causa præcipua quare ipse memoratum scandalum contra summum Pontificem suscitavit. Sed idem magnanimus Pontifex, ne videretur esse canis mutus non valens latrare, in declinatione basilicæ beati Petri coram innomera multitudine solemniter ipsum excommunicavit. Porrò quamvis murmuraret, juravit tamen stare mandatis ipsius; & sic extitit absolutus. Cùmque postmodum infirmaretur ad mortem, quia nondum fuerat satisfactum, denuntiavit heredibus suis quòd nisi & ipsi mandatis ejus obedire jurarent, sepulturam illi, cùm moreretur, interdiceret Christianam. Quibus jurantibus & fidejussores præbentibus, permisit ecclesiastico more sepelire defunctum. Senatores autem, sicut Dominus Papa prædixerat, tam malè in officio regiminis se gesserunt ut à quolibet tam intra urbem quàm extra maleficia committerentur impune, pace ac justitia penitùs relegatis. Vnde populus cœpit adeo execrari ut oportuerit Dominum Papam ad communem populi petitionem unum eis Senatorem concedere; quantumcunque præfatis schismaticis displiceret, qui turbationis tempore jactitabant

quód nunquam de cetero Dominus Papa posset in urbe unicum constituere Senatorem. Senator ergo per summum Pontificem substitutus pacem & justitiam protinus reduxit in urbem, comprimens rebelles & præsumptores; nullúsque contra illum audebat mutire, potentiam summi Pontificis reformidans.

CXLIII. Interea Dominus Innocentius suum jactans in Domino cogitatum, operibus pietatis pleniùs insistebat. Nam valida cùm famis invaluisset inedia, ita ut * rublum frumenti à viginti usque ad triginta solidos venderetur, & tunc ipse moraretur Anagniæ, protinus remeavit ad urbem, & cœpit necessarias eleemosynas indigenti populo liberaliter erogare. Sic autem fecit illas distribui ut qui verecundabantur publicè mendicare, pecuniam occultè reciperent, de qua sustentarentur per singulas septimanas; illi verò qui publicè mendicabant, singulis diebus panem acciperent ad sufficientiam universi; (quorum tanta erat * piæ miseria multitudo ut excederet numerum octo millium personarum) alij autem in eleemosynaria domo reciperent alimenta. Et sic famelicum populum ab imminenti periculo liberavit, exhortans divites & potentes verbis pariter & exemplis ad eleemosynas largiendas. Quantam verò pecuniam in hoc opus expenderit, novit ille qui nihil ignorat. Ab initio quippe promotionis suæ ad eleemosynas deputavit universos proventus ad se pertinentes de oblationibus basilicæ sancti Petri. Præterea de cunctis proventibus suis faciebat integram decimam in opus eleemosynæ separari, & de residuo, licèt occultas, sæpissime tamen largas eleemosynas impendebat. Vniversales oblationes provenientes ad pedes ipsius secundùm antiquam consuetudinem accipiebat Eleemosynarius erogandas. Faciebat ergo famelicos refici, nudos vestiri, virgines pauperculas maritari, parvulos expositos nutriri. Subveniebat frequenter monachis & monialibus indigentibus, & reclusis, & heremitis. Domos etiam religiosas visitabat multotiens, & à debitis liberabat. Circuibat & investigabat diligenter Eleemosynarius ejus pauperes ac debiles, maximè nobiles; dabátque illis sigilla ut per eos qui ipsa referrent singulis hebdomadibus pecuniam acciperent ad victum; & sæpissime talibus quindecim libras per hebdomadam impendebat; exceptis illis qui cottidie recipiebant aut cibos aut nummos aut vestes. Permittebat etiam idem benignissimus Pontifex pauperculos parvos ante mensam suam post finem refectionis venire, ipsisque de his quæ coram eo remanserant victualia exhiberi. Sabbatis quoque faciebat mandatum, lavans ac tergens & osculans pedes duodecim pauperum, & singulis duodecim nummos impendens, faciens refectionem omnibus ministrari.

* Edit. Tolos. tubilum

* Cod. Pod. promiscua

CXLIV. Fecit & propriis sumptibus ad opus infirmorum & pauperum hospitale sancti Spiritus apud sanctam Mariam in Saxia in strata publica juxta Tyberim ante basilicam sancti Petri; quod quantum ditaverit & dotaverit beneficiis, possessionibus, redditibus, thesauris, ornamentis, libris, & privilegiis, per se satis apparet, & ut religiosus cultus & hospitalitatis gratia, quæ nunc vigent ibidem, semper abundent. Instituit autem apud hospitale prædictum stationem solemnem Dominica post octavas Epiphaniæ, in qua populus illic confluit Christianus ad videndum & venerandum sudarium Salvatoris, quod cum hymnis & canticis, psalmis & faculis à basilica sancti Petri ad locum illum processionaliter deportant & ad audiendum & intelligendum sermonem exhortatorium quem ibi facere debet Romanus Pontifex de operibus pietatis, & ad promerendam & obtinendam indulgentiam peccatorum quam exercentibus se ad opera misericordiæ pollicetur: ad quæ ut alios non solùm verbis provocet, sed exemplis, egenis omnibus ad illas spirituales nuptias concurrentibus panes, carnes, & denarios constituit elargiri: quorum omnium rationem idem prudentissimus Præsul exposuit in homilia quam super illius diei evangelium exaravit. Quantum verò munificus & studiosus extiterit circa cultum & ornamentum Ecclesiarum, * frequentia dona manifestant. Basilicæ ergo Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, contulit in territorio Tusculano Ecclesiam de Fracata cum tenimentis suis, sicut infra distinctos terminos continetur, & pretiosam vestem de exameto rubeo deauratam, undique cooperientem altare, habentem ab anteriori parte imaginem Salvatoris & imagines beatæ virginis, Iohannis Baptistæ, principis Apostolorum & Imperatoris mirabiliter insignitas, & dalmaticam deauratam nobilem, monasterium sancti Andreæ in Silice cum omnibus pertinentiis suis; hospitali ejus possessiones in territorio Tusculano. Item eidem basilicæ optimam crucem auratam nobiliter operatam cum lapidibus pretiosis, & pedem pro eadem cruce argenteum deauratum septem marcarum, & unum calicem aureum decem & septem unciarum & dimidiæ, & unum cochlear aureum duarum unciarum & unius tareni.

Vide lib. 1. epist. 55. 97. lib. 10. epist. 179. lib. 11. epist. 204.

* Cod. Pod frequentia manif. stant.

Ex veteri catalogo Pontificum Romanorum qui desinit in Innocentio III.

Ex codice 1437. bibliothecæ reg.

INnocentius natus Campanus, mensis Ianuarij die VIII. electus est apud Septisolium; sicut dicunt illi versus, quos idem fecit.

Qui Petre pridem cathedram, tibi terminus idem,
Prabens illud idem quod Petrus sumpsit ibidem.
Sorte magistratus ubi quando fuit cathedratus,
Accipiens apicem quem petit atque vicem.

Hic enim quantum sit in omnibus gloriosus, opera ejus testimonium perhibent veritati. Fulgent enim splendida facta ejus in urbe pariter & in orbe. Fecit enim, inter cetera, hospitale sancti Spiritus, & renovavit Ecclesiam sancti Sixti. Composuit Decretales, sermones, librum de Missa, & miseria hominis, & alia gloriosa. Anno verò XVIII. pontificij hujus, mense Novembri, in Ecclesia Salvatoris celebratur Concilium generale, ubi penè corpus totius Ecclesiæ universalis convenitur. Vixit autem annis XVIII. m. V. d. VI.



EPISTOLARUM SIVE REGESTORUM INNOCENTII III. ROMANI PONTIFICIS LIBER PRIMUS.

DE LEGITIMA SUI ELECTIONE: quæ ut fausta reipublicæque salutaris existat, omnes Deum orare jubet.

Epist. I.



INEFFABILIS sapientia conditoris.sic omnia quæ alto consilio simul ab æterno providit, per labentium temporum vices mirabili quadam dispositione dispensat, ut nec error in ordine, nec in opere sit defectus; cùm divina scriptura testante cuncta fecerit in numero, pondere, & mensura. Licèt ergo nihil in terra sine certa causa propriáque ratione disponat, imperfectum tamen conditionis humanæ non solùm in causis operum deficit perscrutandis, verùm etiam in ipsis causarum operibus vix sufficit admirari. Quod utique considerans Apostolus exclamabat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Quamvis enim universæ viæ Domini misericordia & veritas,& omnia opera ejus judicia sunt, testante Propheta; usque adeo tamen successus hominum humiliationem & exaltationem eorum dextera Domini, licèt justa, occulta tamen ratione procurat, ut causa nobis non modici stuporis existat, quòd in regimine potestatis juniores quandoque senioribus anteponit; ut juxta Prophetam, filij nascantur pro patribus, qui super omnem terram principes constituti, dominici nominis recordentur; sicut de nobis ipsis à Domino factum est, & est mirabile in oculis nostris. Sanè felicis memoriæ Celestino patre ac prædecessore nostro VI. Id. Ian. viam universæ carnis ingresso, & in Lateran. basilica (sicut moris est) honorificè tumulato, fratres nostri, videlicet Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales, & nos ipsi cum eis, simul in unum secessimus, ut tanto licentiùs & tutiùs de substitutione Pontificis tractaremus, quanto tractatus ipse majorem deliberandi copiam & amplioris circumspectionis consilium requirebat. Cùm

que Miſſarum ſolemnibus in honorem ſancti Spiritus celebratis requiſitæ fuiſſent omnium voluntates, ad inſufficientiam noſtram oculos extenderunt (humano forſan æſtimantes arbitrio, in ſacculo Benjamin ſcyphum argenteum invenire); licèt plures ex ipſis ætatis, ordinis, & meriti ratione potuiſſent ad tantæ dignitatis apicem digniùs evocati. Cujus ſiquidem dignitatis onus cùm inſufficientia noſtra penitùs recuſaret, utpote noſtris debilibus humeris importabile, ſub illius tamen confidentia & exemplo qui infirmitatem beati Petri trina priùs negatione probatam, poſt trinæ confeſſionis vocem in gubernatione ſuarum ovium confirmavit, quod perſonæ noſtræ multiplex imperfectio denegabat, in ipſius contulimus voluntatem, fratrum noſtrorum acquieſcentes inſtantiæ; ne reluctatio diuturna diſſidij pareret detrimentum, aut diſpoſitioni divinæ videretur aliquatenus obviare; ſperantes quòd ille qui dat omnibus affluenter & non improperat, qui noviſſimum fratrem, virum utique ſecundùm cor ſuum, in Regem de poſtfœtantes aſſumpſit, de lapidibus ſuſcitabit filium Abrahæ, vocans ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt; ut infirma eligens, fortia quæque confundat. Nos igitur eccleſiaſticæ proviſionis ſolicitudinem aſſumentes, & non modicum confidentes de vobis, quos nobis Dominus ad tantæ difficultatis onus leviùs perferendum ſolicitudinis noſtræ volnie eſſe participes, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus inſufficientiam noſtram veſtris orationibus apud Dominum adjuvetis; & circa commiſſam nobis & vobis dominici gregis cuſtodiam diligenter & utiliter vigilantes, defectum noſtrum humiliter ſupplere velitis, & injunctam nobis eccleſiaſtici oneris gravitatem vigilanti ſtudio comportare. Nos enim vos tanquam principalia membra Eccleſiæ honorare intendimus, & in neceſſitatibus veſtris, quantum Dominus permiſerit, adjuvare. Datum Laterani quinto Id. Januarij.

Epiſt. 2. Vt in religione catholica & Romanæ Eccleſiæ obſervantia permaneat.

IN *eundem modum* ILLVSTRI FRANCORVM REGI, *uſque ad verbum illud*, aſſumentes, ac conſiderantes quantum regnum Franciæ in Eccleſiæ ſemper permanſerit unitate, tibi tanquam ſpeciali Eccleſiæ Rom. filio literarum noſtrarum primitias duximus deſtinandas; ſerenitatem regiam rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, & in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ſanctam Rom. Eccleſiam matrem tuam taliter revereri & honorare procures, ut inclytæ recordationis L. patris tui veſtigia in ipſius devotione ſequaris, & nobis ad apoſtolicæ ſedis gubernationem Domino diſponente aſſumptis humiliter & devotè, ſicut decet Principem Chriſtianum, aſſiſtas. Nos enim in his quæ ad honorem tuum ſpectant, quantum cum Domino poſſumus, libenter intendimus, & circa perſonam regiam paternæ gerimus caritatis affectum.

Epiſt. 3. Vt pro recens electo Pontifice Deum orent.

IN *eundem modum* ABBATIBVS, Prioribus, & aliis Religioſis in regno Franciæ conſtitutis, *uſque ad verbum illud* ac conſiderantes nos ex propria infirmitate deficere, niſi ſuffragiis veſtris & piis precibus apud Dominum adjuvemur, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus apud eum, à quo ſperamus dirigi greſſus noſtros, aſſiduis orationibus veſtris inſtetis, ut nos ad laudem nominis ſui, & Eccleſiæ incrementum, commiſſam nobis ſolicitudinem taliter implere concedat ut & nos retributionis æternæ præmium mereamur, & populus noſtræ gubernationi commiſſus in lege mandatorum ejus per nos verbo proficiat & exemplo. Nos enim vos tanquam ſpeciales Eccleſiæ filios, per quos nomen Domini digniùs & excellentiùs prædicatur, tanto ampliùs intendimus in veſtris neceſſitatibus adjuvare, quanto in majorem Eccleſiæ redundaret injuriam, ſi jura veſtra quotumlibet * patere mur occupari.

* temeritate

PARISIENSI EPISCOPO.

Epiſt. 4. Vt Illuſtrem Francorum Regem moneat & inducat ad recipiendam Reginam uxorem ſuam, quam ejecerat.

CVm omnia orta occidant, & aucta ſeneſcant, ne operum Domini primitiæ penitùs deperirent, poſuit Deus ſementem juxta ſpecies ſuas in aliquibus creatorum; ut quæ ſecundùm curſum temporis deficerent, in ſeipſis in ſua ſemente proficerent, & in reparatione ſui generis uberiùs proſilirent. Sic etiam, ne homo ad imaginem Dei factus, & tam volucribus cœli, quàm piſ-

cibus maris, & universis animantibus quæ moventur super terram, munere divino prælatus, in sterilem cinerem sterilis ipse rediret, formata muliere in auxilium ejus de latere dormientis, audivit: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Cùm ergo ex tunc Adæ posteritas sibi invicem jungi consueverit fœdere nuptiali, usque adeo in hoc ipsi cooperata est & post lapsum parentis dextera conditoris, ut juxta illud evangelicum, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, non humanæ adinventioni sed divinæ auctoritati potiùs ascribatur martimonij sacramentum. Per quod, licèt inter homines contrahatur, significatur tamen in Christo conjunctio Ecclesiæ ac animæ fidelis ad ipsum juxta illud Apostoli: *Hoc autem dico magnum sacramentum in Christo, & in Ecclesia.* Unde, quantum in nobis est, Ecclesiæ filiis debemus summo studio præcavere, ne si quis impiè agens in seipsum partem sui corporis, quia scindere omnino non potest, à se forsan avellere attentarit, animam suam à divinæ bonitatis amplexibus efficiat alienam, & propter hoc totam Ecclesiam tanto ampliùs sibi reddat offensam, quanto minùs providè figuram desponsationis ejus ad Christum, quantum in ipso fuerat, maculavit. Hæc autem non ad instructionem tuam, quem divinæ legis notitiam pleniùs novimus obtinere, sed ut intentionis nostræ vehementiam exprimamus, præsentibus literis duximus explicanda. Qui quantò carissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum Regem Illustrem potiùs diligimus, & speciali quodam privilegio intendimus ampliùs honorare, tantò infra nos ipsos fortiùs contristamur, quòd carissimam in Christo filiam nostram Francorum Reginam illustrem, quantum in eo fuit, à se minùs licitè nixus est amovere. Ad cumulum præterea nostri doloris accedit, quòd cùm universi progenitores ejus veri fuerint religionis Christianæ cultores, (inter quos illustris memoriæ L. quondam Rex Franciæ pater ejus præ ceteris sui temporis præcipuus divinæ fuit legis amator) regia serenitas, quam ipsi vellemus non minùs in observantia mandatorum Domini quàm regni hereditate succedere, contra salutem & famam suam dictam Reginam à consortio thori remotam in remotis partibus regni Francorum, licèt inter religiosas privatas tamen personas, vitæ suæ cursum implere compellit. Licèt autem felicis recordationis Celestinus Papa prædecessor noster apud eum non potuerit obtinere ut Reginam ipsam in gratiam & benevolentiam suam receptam ad regni consortium revocaret; Nos tamen non de meritis nostris sed divina potiùs miseratione sperantes, & de puritatis tuæ solicitudine confidentes; quem literaturæ, honestatis, & consanguinitatis intuitu esse credimus in ejusdem Regis oculis gratiosum, precum nostrarum primitias, per te ipsi ex parte nostra porrectas, ab ipso confidimus tanto libentiùs admittendas, quanto ampliùs de ipsius sumus salute soliciti, & per hujus apostolicæ petitionis effectum non tam nostris commodis quàm integritati sui nominis consuletur. Rogamus igitur fraternitatem tuam, monemus, & exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus eundem Regem ex parte nostra diligentiùs moneas & inducas, & in remissionem ei peccatorum injungas, ut prædictam Reginam in plenitudinem gratiæ regalis admissam, maritali studeat affectione tractare; ut ad mentem reversus, in laudem Domini cum Petro decantet: *Nunc scio verè quia misit Dominus angelum suum, & tulit me de manu Herodis*, illius scilicet qui, sicut olim animam pueri, ejus hactenus sanguinem sitiebat. Verendum siquidem ei credimus, ne præter offensam divinam, & humanam infamiam, irreparabilem etiam jacturam incurrat. Cùm enim ex ea quam contra interdictum Ecclesiæ superduxit, legitimam nequeat sobolem procreare, si forte (quod absit) unicus ejus filius rebus eximeretur humanis, regnum ejus ad extraneos deveniret. Qui quoniam eidem Reginæ sui negavit corporis potestatem, ipsius promerentibus culpis, multis angustiis irruentibus nunquam optata potuit felicitate gaudere, sed præter alias afflictiones tota Gallicana provincia famis fuit sterilitate percussa, & nisi quantocius resipiscat, flagellum Dei contra se potest graviùs formidare. Quòd si forsan (quod absit) salubribus monitis tuis, quæ sæpius iterari volumus apud ipsum, acquiescere non curarit, quantumcunque nobis molestum existat eum in aliquo molestare, id

non poterimus, sicut nec debemus, sub dissimulatione transire. Huic autem studio tanto diligentiùs debes insistere, & intentione omnimoda imminere, quanto creatori ampliùs tua in hac parte solicitudo placebit; & gloriosius etiam tibi erit, si per tuam instantiam fuerit Domino faciente completum quod non potuit per aliquorum prudentiam seu diligentiam hactenus adimpleri. Datum Laterani.

STRIGONIEN. ARCHIEPISC.

Epist. 5. De dilatione voti sui pro negocio regni Vngariæ.

NOn est dicendus voti transgressor, qui, quod vovit, de auctoritate sedis apost. justa tamen ex causa distulerit adimplere. Sanè significavit nobis cariss. in Christo filius noster Henricus Vngariæ Rex illustris, quòd cùm in regni turbatione consilium & auxilium tuum sibi senserit hactenus profuisse, utilitati ejus non modicùm derogaret, si Hierosolymam (sicut ex voto teneris) regno pergeres impacato. Cùm igitur nobis immineat de honore ipsius Regis & statu regni Vngariæ solicitè cogitare, fraternitati tuæ per apost. scripta mandamus, quatenus non priùs iter arripias Hierusalem adeundi, quàm regnum ipsum fuerit tranquillitati pristinæ faciente Domino restitutum, vel super hoc receperis ab apost. sede mandatum. Datum Laterani.

EIDEM.

Epist. 6. De reformatione monasterij de Telequi.

CIrca reformationem monasteriorum & augmentum eorum tanto potiùs tenemur esse soliciti, & ipsorum gravaminibus præcavere, quanto ad nos specialiùs pertinet & plantare religionem in Dei Ecclesiis, & fovere plantatam. Verùm ad audientiam nostram noveris pervenisse quòd monasterium de Telequi ad tantam dissolutionem ordinis & temporalium rerum exinanitionem per Prælatorum est incuriam devolutum, ut nec statutus in eo regularis ordo servetur, nec fratres ibidem ad Dei servitium deputati, congruè possint de ipsius redditibus sustentari. Volentes igitur ut idem monasterium in statum pristinum tuo studio reformetur, illud solicitudini tuæ, quandiu nobis & successoribus placuerit, duximus committendum; per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus taliter ipsius reparationi studeas imminere, ut divini nominis cultus in eo de die in diem potiùs augeatur, & fratrum necessitatibus vitæ necessaria congruè ministrentur. Datum Laterani.

ABBATI SANCTI MARTINI.

Epist. 7. De conspiratione facta cōtra Henricum Regem Vngariæ.

EX literis quas carissimus in Christo filius noster Henricus Vngariæ Rex illustris ad sedem apostolicam destinavit, nobis innotuit quòd contra serenitatem regiam cum nobili viro A. Duce fratre ipsius temerè conspirasti, cui etiam adhuc diceris inhærere. Cùm igitur felicis memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster sub pœna excommunicationis universis in Vngaria constitutis curaverit inhibere, ne dicto Duci contra salutem regiam consilium darent aliquod, vel juvamen; nos tibi, quem publica fama contra ipsius prædecessoris nostri prohibitionem (sicut dicitur) venisse demonstrat, salutationis alloquium denegantes, ad nostram duximus præsentiam evocandum; per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus usque ad festum exaltationis sanctæ crucis proximè venturum nostro te conspectui repræsentes, ad objecta sufficienter & rationabiliter responsurus. Datum Laterani.

FERRARIENSI EPISCOPO.

Epist. 8. De observatione constitutionum factarum ab ipso in monasterio de Nonantula.

CVm Ecclesiæ per orbem ubique quaque diffusæ ab apostolica sede tanquam à suo capite magisterium recipiant & doctrinam, & stabilitatis debitæ munimine roborentur, expedit nobis, qui ad ipsius regimen sumus, licèt insufficientes, Domino disponente vocati, ut sic ad universas Ecclesias nostræ considerationis aciem extendamus, earúmque commodis & profectibus imminere curemus, quòd, illo auxiliante qui est omnium bonorum largitor, debitus illarum status per aliquorum insolentiam perturbari non possit, nec contrariis casibus subjacere; sed tam temporalibus quàm spiritualibus semper proficiant institutis. Audientes sanè, sicut tuarum nobis tenor aperuit literarum, studium & diligentiam, quam circa relevationem Nonantulanensis monasterij, quod multorum asseritur debitorum onere præ-

gravatum, & tam in temporalibus quàm in spiritualibus non modicùm imminutum, impendere procurasti, multa fuimus exultatione repleti; sollicitudinem tuam magnis in Domino laudibus commendantes, quam & ipsius Abbatis nuncius in præsentia dilectorum filiorum P. tituli sanctæ Cæciliæ Presbyteri & G. sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconi Cardinalium, quos ei concessimus auditores, laudabiliter commendabat; asserens tamen quòd idem Abbas contra ordinationem tuam in nullo venerat, aut venire volebat. Nos igitur ratum habentes & firmum quod circa quasi desperatam curationem supradicti monasterij à te laudabiliter statutum esse dignoscitur, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus constitutionem in eodem monasterio per tuam prudentiam factam irrefragabiliter facias observari, contradictores, sicut expedire videris, ecclesiastica censura compescens. Verùm quia præfatum monasterium de negligentia & gravi culpa præsidentis Abbatis ad horribilem diminutionem & inopiam asseritur devolutum; ut omnis occasio scandalorum tollatur de medio, & locus ille recepto peroptato reformationis solatio valeat aliquando respirare, volumus atque mandamus ut si prædictus Abbas, sicut tuis literis intimasti, ordinationem tuam impedivit aliquatenus, vel turbavit, præsertim cùm manifestè sit de dilapidatione suspectus ac etiam infamatus, eum usque ad persolutionem debiti à monasterio ipso localiter & ab ipsius administratione amoveas, & in cella quæ est Paduæ, facias in necessitatibus provideri. Quod utique si ipse adimplere fortè contempserit, eum ad id omni contradictione, appellatione, & excusatione cessante, per censuram ecclesiasticam auctoritate nostra compellas. Dextrarios autem, & aliis equis, quos idem Abbas habere dignoscitur, in manibus tuis receptis, & venalitati suppositis, ut de illorum precio pars debiti, prout expedit, persolvatur. Præterea noveris ad nostram audientiam pervenisse quòd postquam N. monachus præsentium lator ad Romanam Ecclesiam iter arripuit veniendi, prætaxatus Abbas in contemptum apostolicæ sedis & nostrum, eum officio beneficióque pro sua voluntate suspendit, & administratione, quam habebat in cella quæ est apud Ferrariam, eundem sua temeritate privavit. Quod utique grave admodum & molestum ferentes, fraternitati tuæ per præsentia scripta mandamus, quatenus, si verum est quod asseritur, officium, & beneficium, necnon & administrationem, quam idem monachus priùs noscitur habuisse, illi auctoritate nostra restituas, & facias pacifica possessione gaudere. In expensis etiam moderatis, quas veniendo ad Romanam Ecclesiam fecisse perpenditur, de bonis monasterij eidem facias provideri. Datum Laterani iij. Nonas Februarij.

ILLVSTRI REGI VNGARIÆ.

Epist. 9. De transferendo monasterio quod B. quondam Comes de Bichor ædificare incepit, ad loca tutiora.

Eam de serenitate regia fiduciam obtinemus, ut quæ à nobis postulat, justè posse credamus & honestè complere. Eapropter carissime in Christo fili tuis precibus annuentes, monasterium illud, quod B. quondam Comes de Bichor ædificare incepit; & morte præventus consummare non potuit, in locum tutiorem & magis idoneum transferendi, si de assensu diocesani Episcopi fieri poterit, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Nulli &c.

NOBILI VIRO A. DVCI.

Epist. 10. De prosecutione voti Regis Vngariæ patris sui defuncti.

Licèt universis liberum sit arbitrium in vovendo, nec necessitas in votis locum habeat, sed voluntas; usqueadeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine propriæ salutis dispendio alicui resilire non liceat ab his quæ sponte ac solenniter repromisit. Accepimus siquidem quòd cùm inclitæ recordationis B. quondam Rex Vngariæ pater tuus ageret in extremis, & de sua penitùs convalescentia desperaret, votum quo voverat Domino Hierosolymitan. provinciam in forti manu & brachio extento, corde tamen humili, & humiliato spiritu, visitare, sub interminatione maledictionis paternæ commisit tuæ fidei exequendum; & tu intellecta pia voluntate parentis, assumpto crucis signaculo, te id impleturum sine dilatione qualibet promisisti. Verùm eodem patre tuo sublato de medio, eùm Hierosolymitanum inter te accipere simulasses, assumptæ peregrinationis oblitus, quam contra inimicos crucis dirigere debueras, in fratrem tuum & regnum

Vngariæ convertisti aciem bellatorum, & multa contra serenitatem regiam malignorum usus consilio commisisti. Nos autem, quos diebus istis ad pontificatus officium, licèt immeritos, Dominus evocavit, tam paci regni Vngariæ quàm tuæ volentes saluti consulere, nobilitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus, quatenus postpositis ceteris solicitudinibus, usque ad festum exaltationis sanctæ crucis proximè venturum, debitum acceptæ crucis exolvens, propositum iter arripias, & humiliter prosequaris; ne si onus tibi à patre injunctum, & à te sponte susceptum, occasione qualibet detrectaris, paterna te reddas successione indignum, & hereditatis emolumento priveris, cujus recusaveris onera supportare. Sciturus ex tunc anathematis te vinculo subjacere, & jure quod tibi, si dictus Rex sine prole decederet, in regno Vngariæ competebat ordine geniturae, privandum, & regnum ipsum ad minorem fratrem tuum appellatione postposita devoluendum. Datum Laterani iv. Kal. Februarij.

HIEROSOLYMITANO PATRIARCHÆ & suffraganeis ejus.

Epist. 11. De promotione Domini nostri Papæ, & negocio terræ sanctæ.

REx Regum, & Dominus dominantium, qui prodigia facit in cœlo sursum, & in terra deorsum, omnipotentiæ suæ jugiter operatur indicia, Ecclesiam suam per varias substitutiones Pontificum mirabiliter innovans, & nova semper prole fœcundans; & sic senium ejus sua virtute consumens, ut his qui fideliter in ipsius regimine militaverant, ad æternæ felicitatis bravium evocatis, filios suscitet in patentes, & in novam infantiam rubiginem transferat vetustatis. Inter cetera siquidem incomprehensibilia divinæ dispositionis judicia & investigabiles vias ejus, magnæ miserationis esse credimus argumentum, quòd sic à tædio solicitudinum & curarum momentaneæ mortis compendio prædecessores pro meritis repensurus absolvit, ut egenum de pulvere suscitatum & pauperem erectum de stercore sedere faciat cum principibus, & solium Petri, quo nihil est inter homines gloriosus, obtinere; ut post vesperti-nos fletus lætitia matutina succedat, & Ecclesia super parentis obitu de substitutione filij consoletur; sicut diebus istis de nobis à Domino factum est, & est mirabile in oculis nostris. Sanè felicis memoriæ Celestino patre ac prædecessore nostro VI. Idus Ianuarij viam universæ carnis ingresso, & in Lateran. basilica honorificè tumulato, tanta fuit inter fratres nostros super Pontificis substitutione concordia, ut eo cœlitus ipsorum desideriis aspirante qui facit utraque unum & concurrentes parietes in se angulari lapide copulavit, omnes universaliter unum saperent, & idem singulariter postularent, nos in Summum Pontificem ipso die depositionis ejusdem prædecessoris nostri unanimiter assumentes. Nos autem in eo ponentes spem nostram qui beatum Petrum in gubernatione suarum ovium confirmavit, & apostolis repromisit, dicens, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, ecclesiasticæ solicitudinis onus, licèt insufficientes, assumpsimus, non de nostris meritis, sed divina potiùs miseratione sperantes, quæ vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, & perficit laudem ex ore infantium & lactentium. Attendentes igitur quàm alto divinitatis consilio Deus Rex noster ante secula salutem in medio terræ dignatus est operari, solvens in ea septem libri signacula, quem nemo potuit aperire, nisi Leo de tribu Iuda, vos, qui terram ipsam suscepistis ab eo spiritualiter gubernandam, specialiter per literarum nostrarum primitias duximus visitandos; monentes attentiùs & exhortantes in Domino, ut flagellum, quo vos & in vobis totam Ecclesiam Dominus visitavit, patienter & humiliter supportantes, id nostris & vestris meritis imputetis, qui peccatorum nostrorum clamoribus indignationem ejus nunquam destitimus provocare. Certos enim nos prophetica reddit auctoritas, quòd si ambulassemus in lege Domini, & veram spei nostræ fiduciam posuissemus in eo, qui respicit terram, & facit eam tremere, tangit montes & fumigant, unus nostrum mille & duodena millia hostium effugasset. Vt igitur dolor noster & vester in lætitiam & tristitia in gaudium convertatur, immolemus Domino super aram cordis intentionem, & super altare corporis opera nostra; quæ sua sunt, non quæ nostra, quærentes. Nisi

enim piis orationibus, & nostris & vestris actibus indignatio fuerit divina placata, nec residuum terræ nativitatis ejus tueri poterimus, nec insultus hostium sustinere; quinimmo residuum locustæ brucus assumet, & fient novissima deteriora prioribus. In jejunio igitur, & fletu, & planctu, in operibus pietatis, in caritate non ficta, in corde contrito, & humiliato spiritu; revertamur ad Dominum Deum nostrum; qui pius est, & misericors, & præstabilis super malitia; commissos nobis populos verbo pariter & exemplo ad pœnitentiam invitantes; ut nostris operibus & intentione placatus, non det hereditatem suam in opprobrium & in dominium nationum; ne fortè consentiant adversarij nostri, & dicant: *Manus nostra excelsa, & non Deus, fecit hæc omnia.* Nos enim propositum gerimus & habemus in votis, quantum ille permiserit à quo speramus dirigi gressus nostros, ad subventionem vestram efficaciùs laborare, & liberationi Hierosolymitanæ provinciæ, si datum fuerit desuper, soliciiùs imminere. Datum Laterani.

Epist. 12. IN *eundem ferè modum* MAGUNTIN. ARCHIEPISCOPO, & Episcopis de regno Alemanniæ in ultramarinis partibus constitutis, *usque in finem.* Rogamus insuper, & fraternitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, ac per apostolica scripta mandamus, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus scutum fidei & salutis galeam assumentes, prælium Domini studeatis viriliter & efficaciter præliari, de cœlo auxilium & nostrum etiam subsidium expectantes. Credimus etenim, & pro certo tenemus, quòd si corda vestra pœnitentiæ fuerint medicina purgata, & non in multitudine ac fortitudine vestra spem posueritis, sed in Deo, Philistæos Israëlitæ fugabunt, & in loricatum Goliam David inermis in funda & lapide prævalebit. Datum Laterani.

DUCI LAVANNIÆ, LANTGRAVIO Duringiæ, & aliis de regno Alemanniæ in ultramarinis partibus constitutis.

Epist. 13. Ut sint ferventes in servitio Iesu Christi. QUanta sit circa genus humanum benignitas conditoris, primæ creationis opera, & recreationis miracula, quæ in fine seculorum dextera Domini voluit operari, immo etiam universa quæ in cœlo sunt & in terra, testantur; cùm hominem ad imaginem suam creatum, divinitatis suæ voluerit esse participem, omnia subjiciens sub pedibus ejus, oves, & boves universas, insuper & pecora campi; & tandem, ut ruinam nostram repararet, post lapsum proprio filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum in crucis altario immolandum, & cum iniquis eum permiserit reputari. Unigenitus siquidem Dei filius, ut hominem perditum ad regna cœlestia revocaret, à dextra patris in inferiores partes terræ descendens, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, & se usque ad mortem humilians, pro nobis crucis non dubitavit subire tormentum. Quid igitur retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? Sanè nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, aut gladius, ab ipsius nos debebit aut poterit caritate divellere, si exuberantiam beneficiorum ejus circa nos misericorditer habitam internæ considerationis oculis attendamus. Quinimmo secundùm Prophetam calicem salutaris servus accipiet, & nomen Domini invocabit. Hoc vos diligentiùs attendentes, ut illud evangelicum impleretis, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, assumpto crucis signaculo ad vindicandam injuriam Iesu Christi Hierosolymam petivistis ad nationes illas inhumanas & barbaras in digito Dei fortiùs edomandas, quæ illorum etiam sævitiam (quod peccatis nostris ascribimus) sunt in nos sæviendo transgressæ quibus Propheta imprecando declamat: *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam &c.* usque *sepeliret.* Rogamus igitur discretionem vestram, monemus attentiùs, & hortamur in Domino, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus assumpti laboris gravitatem studeatis taliter adimplere, prælium Domini præliantes, ut vestris exigentibus meritis, de cœlo vobis auxilium ministretur. Cùm enim abnegatis desideriis carnis, Domino proposueritis in puritate cordis & corporis militare, cavendum vobis existit, ne contra votum à vobis in terra vestræ nativitatis emissum, in terra peregrinationis vestræ, ubi steterunt pedes Domini, per immissionem malorum angelorum con-

ſenſu pravi operis veniatis, & per hoc modicum fermenti totam maſſam corrumpens, eum vobis reddat offenſum ſine quo nec reſiduum terræ nativitatis Domini tueri poteritis, nec incurſus hoſtium ſuſtinere. In eo igitur & non in veſtra multitudine confidentes qui docet manus veſtras ad prælium & digitos veſtros ad bellum, qui conterit bella, qui currum & exercitum Pharaonis projecit in mare, ſtate in fide, viriliter agite, Philiſtinorum aciem expugnantes. Nos enim &c. ut ſuprà. Datum Laterani.

ELECTO ET DECAN. ET MAG. NICOLAO de Levennes Can. Cameracen.

Epiſt. 14. Super cognitione cauſæ quæ inter Præmonſtratenſem & Prumienſem Eccleſias vertitur ſuper poſſeſſionibus de Hanapia. *Vide infrà epiſt. 62. hujus libri.*

IN noſtra præſentia conſtituti dilecti filij magiſtri Iac. & N. Atrebaten. procuratores Prumienſis Eccleſiæ, ex parte Abbatis & conventus de rato literas exhibentes, contra Præmonſtratenſem Eccleſiam propoſuere querelam, aſſerentes quòd cùm cauſa quæ inter ipſas Eccleſias ſuper poſſeſſionibus de Hanapia vertebatur, dilectis filiis G. Præpoſito S. Gereonis, R. & S. magiſtris Colonienſ. ab apoſtolica ſede commiſſa fuiſſet, ipſi in poſſeſſionem rerum, de quibus vertebatur quæſtio, Prumienſem Eccleſiam induxerunt. Præmonſtraten. verò appellatione interpoſita recedentes, ipſam non fuerunt infra bienium proſecuti. Propter quod Prumienſes circa finem biennij confirmationem poſſeſſionis ſuæ à ſede apoſtolica impetrarunt. Elapſo verò biennio, ad I. quondam Cameracenſem Epiſcopum & dilectum filium Abbatem ſancti Bartholomæi, pro Præmonſtratenſi Eccleſia fuit commiſſio impetrata. Sed memorato Epiſcopo viam univerſæ carnis ingreſſo, per ipſos non fuit quæſtio terminata. Prædicti autem Prumienſes ſubſequenter à felicis recordationis Celeſtino prædeceſſore noſtro ad dilectum filium Abbatem ſancti Victoris & bonæ memoriæ P. Cantorem Pariſien. literas impetrarunt, in quibus continebatur expreſſum, quòd ipſi factum Colonienſium judicum facerent obſervari. Sed quia prædictus Cantor tunc temporis ſedem apoſtolicam perſonaliter viſitabat, in illius mandati non fuit executione proceſſum. Tandem verò Præmonſtratenſes cauſam eandem venerabili fratri noſtro Epiſcopo & dilectis filiis Cantori Atrebaten. & Abbati ſancti Bartholomæi Noviomen. obtinuere committi: qui poſt inhibitionem prædictorum Abbatis ſancti Victoris & Cantoris Pariſienſis, & poſt appellationem à procuratore Prumien. Eccleſiæ legitimè interpoſitam, dictos Præmonſtraten. cauſa rei ſervandæ in poſſeſſionem rerum, de quibus erat controverſia, induxerunt. Cæterùm dilecti filij Abbas Calmoltenſis, Gervaſius & Robertus Canonici, & nuncij Præmonſtratenſis Eccleſiæ, ex parte Abbatis & Conventus Præmonſtratenſis, literis de ratihabitione exhibitis, è contra pro ſua Eccleſia proponere curaverunt, quòd antequam ſupradicti judices Colonien. ſententiam pro Eccleſia Prumien. proferrent, eò quòd propter quaſdam minas in præſentia judicum factas, & eorum officio non repreſſas, advocatum coram ipſis habere non poterant, & quia ad extraprovinciales judices trahebantur, ad ſedem apoſtolicam appellarunt. Cujus appellationis ſuffragio illam dictam dicunt ſententiam non tenere: tum quia jidem judices, lite nondum conteſtata coram eis, abſente parte adverſa, de proprietate dederunt ſententiam: tum quia Præmonſtraten. ad proſecutionem appellationis infra biennium ſpecialem nuncium direxerunt. Præterea præfati Cameracenſis Epiſcopus & Abbas ſancti Bartholomæi, quibus cauſa fuerat delegata, partibus legitimè citatis, præſentibúſque earum procuratoribus legaliter ordinatis, ab eiſdem Præmonſtraten. teſtes ad infirmandam dictam ſententiam receperunt. Quorum atteſtationem Epiſcopus & Cantor Atrebaten. & Abbas ſancti Bartholomæi Noviomen. auctoritate ſuffulti, de mandato apoſtolico ſententiam Colonien. judicum revocantes, judicaverunt Præmonſtratenſes poſſeſſionem rerum, de quibus fuerat litigatum, debere, ſicut ante litem poſſederant, quietè & pacificè poſſidere. Nolentes igitur ut ejuſdem cauſæ deciſio ulterius prorogetur, prædictorum omnium inquiſitionem & deciſionem canonicam veſtræ duximus experientiæ committendam, per apoſtolica vobis ſcripta diſtrictè præcipiendo mandantes, quatenus partibus ad veſtram præſentiam convocatis, & inquiſita ſuper præmiſſis & aliis omnibus quæ inter ſe ſuper eodem negocio duxe-

duxerint proponenda diligentiùs veritate, tam principalem quàm incidentes quæstiones, sublato appellationis obstaculo, fine canonico terminetis, facientes quod exinde duxeritis statuendum per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Si qua verò partium legitimè citata præsentiam vestram adire, vel judicio parere contempserit, vos nihilominus, quantum de jure poteritis, & probationes præsentis partis recipere & in causæ cognitione ac decisione procedere non tardetis. Nullis literis obstantibus, si quæ apparuerint præter assensum partium à sede apost. impetratæ. Quòd si omnes &c. Datum Lateran. ij. Nonas Feb.

P. BASILICÆ XII. APOSTOLORVM & B. Tituli sancti Petri ad vincula Presbyteris Card. ap. sedis Legatis.

Epist. 15. Super colligationibus factis tum Episcopis & Consulibus civitatum Thusciæ. *Vide infrà epist. 34. & 35. hujus libri.*

CVm apostolica sedes quasi lucerna super candelabrum sit disposita, nec civitas possit abscondi, quæ supra montem est constituta; nos, qui ei, licèt immeriti, præsidemus, diligenti debemus cura satagere, quatenus luceat lux nostra coram hominibus, ut videntes opera nostra bona, glorificent patrem luminum, à quo bona cuncta procedunt. Nos enim debemus esse sal terræ. Quòd si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut foras emissum, ab hominibus conculcetur. Absit igitur à sedis apostolicæ puritate, ut, cùm Deus virgam peccatoris non dereliquerit super sortem justorum, ad colligationes illicitas cum operantibus iniquitatem declinet: quin potiùs dissolvat colligationes impietatis, solvat fasciculos deprimentes. Sanè cùm dilectus filius Prior sancti Fridiani nobis & fratribus nostris tractatum illum, quem cum Episcopis & Consulibus civitatum Thusciæ habuistis, & verbis exposuisset, & ostendisset in scriptis, non modica sumus admiratione commoti; cùm forma colligationis hujusmodi in plerisque capitibus nec utilitatem contineat, nec sapiat honestatem. Immo cùm Ducatus Thusciæ ad jus & dominium Ecclesiæ Rom. pertineat, sicut in privilegiis Ecclesiæ Rom. oculata fide perspeximus contineri, nullam inter se sub nomine societatis colligationem facere debuissent, nisi salvo per omnia jure pariter & auctoritate sacrosanctæ Rom. sedis, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est & magistra. Cùm & illud debuissent attendere, quòd infirmum erit penitùs ædificium quod super hoc fundamentum non fuerit stabilitum. Quocirca discretionem vestram rogamus attentiùs, & exhortamur in Domino, quatenus, sicut viri prudentes & providi, ad profectum & honorem tam Ecclesiæ Rom. quàm Thusciæ sollicitiùs intendatis. Et ut vobis nostræ voluntatis propositum elucescat, dilecto filio N. latori præsentium super his quæ vobis ex parte nostra duxerit proponenda, indubitata fide credatis. Nos enim firmum gerimus in voto propositum, à quo nec mors nec vita nos poterit separare, fideles & devotos Ecclesiæ de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta diligere, & contra malignas opprimentium insolentias apostolicæ protectionis clypeo defensare. Datum Lateran.

CAPITVLO S. ANASTASIÆ.

Epist. 16. Vt electus per potentiam laicalem intrusus cassetur, & alius de licentia apostolica deligatur.

EX illo singularis excellentiæ privilegio quod unigenitus Dei filius IESVS Christus Apostolorum principi Petro concessit, sanctorum patrum postmodum instituta manarunt, ut majores causæ ad sedem apostolicam perferrentur; quatenus quid super eis deberet statui, circumspecta ipsius responsio declararet. Cùm igitur in Ecclesia vestra, quæ sub obedientia sedis apostolicæ perseverans, Græcorum hactenus & ritum servavit & linguam, per laicalem potentiam præter nostram auctoritatem & electionem vestram non tam Latinus quàm barbarus sit intrusus; Nos de fratrum nostrorum consilio intrusionem ipsam irritam decernentes, ne diutiùs pastoris solatio vestra careret Ecclesia, vobis humiliter postulantibus secundùm statuta Canonum & antiquam ejusdem Ecclesiæ consuetudinem liberam concedimus licentiam eligendi; per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus talem vobis in pastorem electione canonica præferatis, qui non minùs prodesse desideret & noverit, quàm præesse. Datum Lateran. viij. Id. Februarij.

CAPVANO, REGINENSI, & Panormitano Archiepiscopis.

Epist. 17.

HIs scriptum est in eundem ferè modum ut suprà, usque ad verbum il-

lud eligendi. Vnde fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad hoc diligenti solicitudine laboretis, ut dictus intrusus à memorata removeatur Ecclesia, & ab ipsius Capitulo electio possit in ea canonica liberè celebrari. Datum Laterani V. Id. Februarij.

ILLVSTRI ROMANORVM Imperatrici semper Augustæ.

Epist. 18. Vt in ipsa electione impedimentum non præstet.

SI creditas tibi regendorum populorum habenas laudabiliter moderari desideras, & concessam tibi à Domino terrenæ jurisdictionis potentiam benigniùs exercere, ei necesse habes ut servias, cui servire regnare est, & per quem gressus tui semper in melius dirigentur. Verùm si eum tota intentione dilexeris, eam te oportet solicitè venerari & conservare in statum debitæ libertatis, sub cujus capite læva ejus, & quam dextera ejus (sicut in Canticis legitur) amplexatur; cujus zelus comedit eum, & injuria non modicùm provocat ad vindictam. Cùm autem ex illo singularis excellentiæ privilegio &c. *ferè in eundem modum ut suprà usque ad verbum* eligendi. Ideóque serenitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, ac in remissionem tibi injungimus peccatorum, quatenus nullius impedimenti obstaculum interponas, quò minùs electionem possint canonicam celebrare, cùm ad eum solùm haberi debeat in electione respectus, cujus ministerio qui assumitur, alligatur. Datum Laterani V. Idus Februarij.

PARISIEN. EPISCOPO.

Epist. 19. Vt liceat Presbytero Michaëli in sacerdotij officio ministrare, non obstan. quòd ad evitandum lepræ periculum, virilia sibi fecit abscindi.

C Ex parte. *De corpore vitiatis.*

EX parte dilecti filij Michaëlis Presbyteri fuit in audientia nostra propositum, quòd cùm sibi sentiret lepræ periculum imminere, de consilio medici virilia sibi fecit abscindi, ut posset à tam gravis infirmitatis vitio liberari; & ut provideremus ei super executione sui officij, à nobis humiliter postulavit. Quoniam igitur canones sanctorum patrum hujusmodi à sacri altaris administratione non prohibent, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si rei veritas ita se habet, & memoratus Michaël aliàs idoneus est, ut sui officij ministerium exequatur, nullius contradictione vel appellatione obstante, auctoritate fretus apostolica liberam ei tribuas facultatem. Datum Laterani iv. Idus Februarij.

EPISCOPO ET ABBATI S. Lupi Trecensis.

Epist. 20. Vt recepta à G. Presbyt. canonica purgatione de crimine homicidij sibi objecto, ipsum absolvat, si legitimus accusator non comparuerit, & crimen notorium non existit.

ACcedens ad præsentiam nostram G. Presbyter lator præsentium tam relatione sua, quàm literis quorundam Abbatum, nostro apostolatui demonstravit, quòd cùm inter ipsum & quendam alium Clericum quæstio verteretur, & idem Clericus adversarius suus ad diem assignatam sibi ad præsentiam judicum properaret, & fuisset in itinere interemptus, venerabilis frater noster Senonen. Archiepiscopus habens eundem Presbyterum suspectum super occisione Clerici memorati, licèt contra illum nullus apparuerit legitimus accusator, & ipse paratus esset canonicè suam innocentiam demonstrare, in eumtamen suspensionis officij sententiam promulgavit. Quoniam igitur, sicut justum non est ut culpabiles absolvantur, sic esset à juris tramite alienum, si puniret judicij severitas innocentes, discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus si contra prædictum Presbyterum super homicidio legitimus non comparuerit accusator, & crimen notorium non existit, vos ab eo canonica purgatione recepta, latam in eum suspensionis sententiam de auctoritate sedis apostolicæ relaxetis, nec permittatis eum super prædicto homicidio ulteriùs indebitè molestari. Si verò de homicidio confessus fuerit legitimè vel convictus, vos ei, sublato contradictionis & appellationis obstaculo, pœnam canonicam infligatis. Quòd si ambo, tu frater Episcope &c. Datum Laterani iv. Non. Februarij.

ARCHIEPISCOPO & Archid. Tranensi.

Epist. 21. Super transactione habita inter Episcopum & Canonicos Vestanenses, de quadam episcopali capella, & rebus aliis.

SIgnificantibus dilectis filiis Vestanen. Canonicis, nostris est auribus intimatum quòd cùm Vestanen. Episcopus fuisset olim ab ipsis in præsentia Cælestini bonæ memoriæ prædecessoris nostri super ecclesiastica dilapidatione conventus, & de causa ipsa extitisset plurimùm disceptatum, ad transactionem de utriusque partis assensu postmodum venientes, promisit dictus Episcopus thesaurum Ecclesiæ, videlicet capellam episcopalem quinquaginta uncias

auri & ampliùs valentem, & pannos sericos octo, cum privilegio ecclesiasticę libertatis restituere, & quædam alia adimplere; sicut in authentico scripto in præsentia prædicti prædecessoris nostri exinde confecto, & auctoritate sedis apostolicæ confirmato, pleniùs continetur. Quam transactionem non curavit prædictus Episcopus postmodum observare, nec præfatum thesaurum, sicut promiserat, restituere; immo deteriora prioribus agens, duas Ecclesias sancti Iohannis & sancti Iacobi, quas dilectus filius Petrus Vestanensis Archidiaconus diù in pace possederat, contra tenorem prædictæ transactionis monasterio Trimitan. dicitur concessisse, & Clericos suos officiis & beneficiis, prætermisso juris ordine, spoliasse, manibus in eos sæpe violenter injectis. Cùmque hæc & alia à prædicto Archidiacono coram dilecto filio P. sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinale, tunc apostolicæ sedis Legato, proposita fuissent contra Episcopum memoratum, & in ejus præsentia utraque parte præsente causa diutiùs agitata, ad hanc transactionem voluntariè devenernnt, ut Vestan. Episcopus ante omnia primam transactionem apud sedem apostolicam factam studeret modis omnibus observare, & thesaurum memoratum Ecclesiæ suæ restituere non differret, prædictasque Ecclesias Trimitanensibus injustè concessas vel ipse revocaret, vel Archidiacono prædicto ad eas daret consilium & auxilium revocandas. Res etiam sancti Nicolai idem Episcopus B. Primicerio & L. sacerdoti dimitteret de cetero procurare, & quartam decimationum fabricis Ecclesiæ deputatam suis usibus de cetero minimè applicaret. Quæ si non faceret, foret dictus Episcopus divino officio alienus; prout in instrumento coram eodem Cardinale confecto apertiùs continetur. Cùm autem nec primam nec secundam transactionem minimè præfatum Episcopum observare memorato prædecessori nostro ipsi Canonici intimassent, addentes etiam quòd in cœna Domini Ecclesia Vestanen. dimissa ad Sipontinensem Ecclesiam se ad conficiendum chrisma transtulerat, & ibidem illud existente secum in altari Lavellen. Episcopo tunc excommunicato confecerat; cum antedictus prædecessor noster pontificali officio & ecclesiastica administratione suspendit; dans ei firmiter in mandatis, ut in festo sancti Lucæ præteriti anni se suspensum suo conspectui præsentaret, super prædictis criminibus plenariè responsurum. Quod si non faceret, sciret in se perpetuæ depositionis sententiam proculdubio proferendam. Episcopus siquidem mandatum apostolicum vilipendens, nec venit, nec pro se curavit mittere responsalem, suspensionem apostolicam & prædicti Cardinalis interdictum contemnens penitùs observare. Proponitur insuper Episcopus memoratus de Clericis in curia imperiali deposuisse querelas, & contra sæpedictum Archidiaconum falsas literas confinxisse, occasione quarum ipsum archidiaconatus beneficio & loco nequiter multo tempore spoliavit. Quoniam igitur hæc non sunt à nobis clausis oculis transeunda, prædictorum inquisitionem vestræ discretionis examini duximus committendam; per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus vocatis ad præsentiam vestram qui fuerint evocandi, inquiratis de præmissis diligentiùs veritatem, & omnia in scriptis fideliter redigentes, nobis eadem vestris signata sigillis mittere non tardetis. Datum Laterani.

MEDIOL. ARCHIEPISC.

Epist. 12. Vt liceat ei illos in Ecclesia sua ad diaconatum & sacerdotium promovere, qui à Summo Pontifice ordinem susceperunt.

PAstoralis officij debitum nos invitat, & ipse rationis ordo deposcit, ut ea solicitudine utilitatibus Ecclesiarum intendere debeamus, quòd ipsis Ecclesiis ordo debitus conservetur, & Clerici earum ministerio deputati, sicut ab eis stipendia, militiæ clericalis accipiunt, ità eis obsequia militiæ clericalis impendant. Inde est quòd, sicut ex tenore tuarum literarum accepimus, Mediolanensis Ecclesia tam in capite quàm in membris, occasione Clericorum illorum qui ab ipso Romano Pontifice ordinem receperunt, adeò est ministrorum solatio destituta, ut paucos Clericos in eadem Ecclesia valeas invenire, quos ad diaconatus & presbyteratus possis officium promovere. Verùm quia fraternitas tua suppliciter à nobis expetiit ut ipsius Ecclesiæ necessitatem solicitudine paterna pensantes, tibi deberemus licentiam indulgere manus posse illis ordinationis imponere; super hoc tuæ fraternitati taliter duximus respondendum, quòd ipsius Ecclesię

necessitate pensata, si aliqui fuerint de supradictis Clericis, qui ad hoc videantur idonei, & spontanea voluntate per tuum ministerium voluerint ad sacros ordines promoveri, eos auctoritate nostra tibi liceat ordinare. Alioquin illos quos ad officium illud magis idoneos ac necessarios fore cognoveris, nobis per tuas literas significare curabis. Nos enim deliberato consilio respondebimus quid tibi super hoc fuerit faciendum. Datum Laterani XII. Kal. Martij.

IVRAMENTVM FIDELITATIS exhibitum Domino Innocentio, successoribus ejus, & Romanæ Ecclesiæ, à Petro præfecto urbis, Oddone de Palumbaria, Oddone de Monticillo.

Epist. 23. Vide infra epist. 372. hujus lib.

ALtera die post consecrationem Domini Innocentij Papæ III. Petrus Vrbis præfectus in consistorio Lateranensis palatij publicè juravit ei & successoribus suis atque Romanæ Ecclesiæ fidelitatem contra omnem hominem, & recepit ab eo investituram præfecturæ per mantum, ac deinde fecit ei ligium hominium inter manus ipsius, qui donavit ei cuppam argenteam in signum gratiæ. Consecratus est autem idem Dominus Innocentius Papa III. eadem die solenniter in apostolica sede, qua beatus Petrus Apostolus in episcopali fuit cathedra collocatus. Eadem die fecerunt ei fidelitatem Oddo de Palumbaria, & Oddo de Monticillo.

SPIREN. ARGENTIN. ET Vvormacien. Episcopis.

Epist. 24. Pro liberatione Salernitani Archiepiscopi.

QVantæ præsumptionis & temeritatis existat in rectores Ecclesiæ manus injicere violentas, in Evangelio Dominus protestatur, qui se in ministris suis affligi asseruit, & in Apostolorum principe alibi se perhibuit iterum crucifigi. Hoc etiam pœnæ qualitas manifestè declarat, cùm excommunicationis sententia in ipso actu feriat delinquentes, si non solùm in fratres & coepiscopos nostros, sed etiam in minoris ordinis Clericos violentiam præsumpserint operari. Ne autem solos violentiæ hujus auctores aliquorum præsumptio crederet esse punitos, facientes & consentientes pari pœna plectendos canonica censura condemnat; eos etiam delinquentibus favere interpretans, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obviare. Quod bonæ memoriæ C. Papa prædecessur noster hactenus diligenter attendens, auctores & fautores captionis & detentionis venerabilis fratris nostri Salernitani Archiepiscopi excommunicationis nunciasset vinculo innodatos, nisi per imperiales nuncios sæpe fuisset ei ac firmiter repromissum quòd idem Archiepiscopus sine dilatione qualibet libertati pristinæ redderetur. Ne autem detentio ejus nobis de cetero imputetur, si circa liberationem ejus inventi fuerimus negligentes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus nobilem virum Vuicel. de Berc. ex parte nostra diligentiùs moneatis, ut eundem Archiepiscopum à detentionis suæ carcere absolutum ad nos cum honore remittat; nobilitatem ejus gratiarum actionibus prosequentes, quòd circa eum spiritum compassionis exhibuit, & quantum licuit, solatium ei humanitatis impendit. Quòd si (quod non credimus) ad monitionem vestram, & venerabilis fratris nostri Sutrini Episcopi, & dilecti filij Abbatis sancti Anastasij, quos ad hoc specialiter destinamus, eum dimittere fortè noluerit, excommunicatum ipsum publicè nuncietis; & si qua forsan ab aliquibus Ecclesiis beneficia possidet, ea ipsi per censuram ecclesiasticam auferri mandantes; totam terram ejus, immo totam diocesim, in qua idem Archiepiscopus detinetur, vel ad quam translatus fuerit detinendus, supponatis sententiæ interdicti. Nos enim dilectis filiis Capitulo Maguntin. dedimus in mandatis, ut sententiam vestram faciant inviolabiliter observari. Volumus autem nihilominus, & mandamus, ut universis Alemanniæ principibus in remissionem suorum criminum injungatis, ut solicitudinis suæ studium efficaciter interponant, quòd eis mediantibus Archiepiscopus ipse liberè ad nos quantocius revertatur; significantes eis quòd si id (quod absit) impletum non fuerit, in totam Alemanniam interdicti cogemur sententiam promulgare. Quòd si omnes &c.

SVTRINEN. EPISCOPO ET Abbati S. Anastasij.

CVm ei simus divina providentia in Ecclesiæ Romanæ regimine substituti, qui à Domino, ut delinquenti- Epist. 25. Pro reconciliatione Philippi Ducis Sueviæ.

& liberatione Archiepiscopi Salernitani.

bus non solùm septies, sed & septuagies septies indulgeret, audivit, & majus gaudium esse noverimus angelis Dei super conversione peccatoris unius, quàm supra nonaginta novem justos, qui non indigent pœnitentiâ, Evangelio protestante; eos qui à se anathematis jugum excutere cupiunt, ut ad ecclesiasticam redeant unitatem, ex pastoralis officij, ad quod vocati sumus, debito recipere benignè tenemur, & receptos misericordiæ gremio confovere. Intelleximus siquidem tam per te frater Episcope, quàm per alios, quorum relationibus fidem non modicam adhibemus, quòd nobilis vir Philippus Dux Sueviæ, qui propter invasionem ac detentionem patrimonij beati Petri & nostri excommunicationis fuerat vinculo innodatus, Ecclesiæ reconciliari desiderat & restitui ad ecclesiastica sacramenta, ac super his, pro quibus notatus fuerat, satisfactionem omnimodam exhibere. Licèt autem superioris sententiam minor relaxare non possit, & propter hoc Dux ipse ad sedem esset apostolicam destinandus, ut ab eâ quæ ipsum vinculis excommunicationis involvit absolutionis beneficium obtineret; sperantes tamen quòd per ipsius studium venerabilis frater noster Salernitan. Archiepiscopus de longævæ detentionis ergastulo liberetur, laborem itineris ipsi sub ea conditione duximus remittendum, si nostram super hoc, sicut bonæ memoriæ Celestino Papæ prædecessori nostro per te frater Episcope obtulit, impleverit voluntatem. Ideóque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eodem Archiepiscopo libertati pristinæ restituto, & recepto à Duce juxta formam Ecclesiæ juramento quòd super omnibus, pro quibus ab Ecclesiæ fuit communione amotus, mandatis apostolicis, omni dolo & excusatione postpositis, debeat obedire; munus absolutionis ipsi auctoritate freti apostolica impendatis. Quòd si forsitan eundem Archiepiscopum vel non potuerit vel noluerit absolvere, seu etiam fortè distulerit, ad Ecclesiam Romanam accedat, à nobis juxta Ecclesiæ consuetudinem absolvendus.

EISDEM.

Epist. 26. Pro liberatione nobilis mulie-

INter cetera quæ Dominus in nobis mirabiliter & misericorditer operatur, magnæ reputandum est miserationis indicium, cùm eis pœnam accelerat temporalem, quibus ultio debebatur æterna, sicut in regno Siciliæ diebus nostris intelligimus accidisse. Cùm enim Siciliæ populus & ceteri de eodem regno effeminati; ocio & pace nimia dissoluti, de suis divitiis gloriantes, sese in voluptatibus corporis lasciviùs exercerent, ascendit in altum fœtor eorum, & traditi sunt ob multitudinem peccatorum suorum in manibus persequentium. Usque adeo autem in eos, quod dolentes dicimus, furor exarsit hostilis, ut quidam eorum turpi morte damnati, in tribulatione cordis & corporis animas exhalarent, quidam membrorum mutilatione deformes fierent abjectio plebis, & ludibrium populorum; majores verò ipsorum compedibus, & nobiles manicis ferreis alligati, captivi & exules in Teutonia macerentur; reliquis hereditates suas in extraneis transferri videntibus, & domos suas subjici alienis. Verùm ne compassionis nostræ solatium, qui patientibus ex susceptæ administrationis debito compati volumus & tenemur, penitùs subtrahatur, quibus ipse Dominus jam videtur ex parte placatus, venerabilibus fratribus nostris universis Archiepiscopis, & dilectis filiis Nobilibus viris Marchionibus, Ducibus, Baronibus, & aliis Alemanniæ principibus dedimus in mandatis ut dilectam in Christo filiam nostram nobilem mulierem Sibiliam, filium ac filias ejus, & ceteros de regno Siciliæ, qui in Teutonia detinentur, à detentionis suæ vinculis absolutos, ad nos liberos, excusatione & dilatione cessante, remittant. Inde est quòd discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus si mandatum nostrum fortè non fuerit adimpletum, vos in detentores eorum excommunicationis sententiam proferatis, & terras eorum, immo totam diocesim, in qua nobiles ipsi tenentur, vel ad quam fuerint fortè translati, interdicto subdatis; neutram relaxaturi sententiam, donec ipsi libertati fuerint pristinæ restituti. Dilectis etiam filiis Capitulo Magunt. per apostolica scripta præcipiendo mandamus, ut sententiam, quam vos propter hoc contigerit promulgare, ratam habeant, & faciant inviolabiliter observari.

ris Sibiliæ, filij & filiarũ ejus, & aliorum captivorum regni Siciliæ detentorum in Teutonia.

RAVENNAT. ARCHIEPISC. & suffraganeis ejus.

Epist. 17. Ut Carsendino Subdiacono Domini Papæ Legato in Exarchatu Raven. & comitatu Brittinorij diligenter assistant.

NUsquam meliùs ecclesiasticæ consulitur libertati, quàm ubi Ecclesia Rom. tam in temporalibus quàm spiritualibus plenam obtinet potestatem. Cùm enim apostolica sedes mater sit Ecclesiarum omnium & magistra, tanto fortiùs subjectos suæ temporali jurisdictioni populos ab Ecclesiarum & ecclesiasticorum injuriis cohibet, quanto ampliùs in ejus injuriam & Ecclesiarum omnium præjudicium redundaret, si Ecclesias in ejus patrimonio constitutas non servaret in statu debitæ libertatis. Cùm igitur inter cetera quæ nos & fratres nostros inducunt ut Exarchatum Ravennæ, Marchiam, & Thusciam ad dominium nostrum, ad quod pertinent, revocemus, securitatem exinde immunitatem Ecclesiarum vestrarum non modicùm attendamus; vos negocium ipsum tanquam speciale ac honori vestro plurimùm profuturum debeatis assumere, & ad implendum nostræ beneplacitum voluntatis efficaciter laborare. Cùm ergo dilecto filio Carsendino Subdiac. nostro in Exarchatu Ravennæ & Comitatu Brittinorij hujusmodi specialiter injunxerimus legationis officium, sperantes quòd ad illud utiliter adimplendum vestro non modicùm studio adjuvetur, fraternitati vestræ per apost. scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ei taliter in his, quæ vobis ex parte nostra proposuerit, adesse curetis, ut honori apost. sedis & nostro deferre, & Ecclesiarum vestrarum libertatem videamini utiliter procurare; scituri quòd sicut gratum habebimus & acceptum, si studium & diligentiam vestram operis experientia in instanti articulo commendarit, sic molestè feremus, si sollicitudo vestra in hac necessitate reperta fuerit defecisse.

REMEN. SANCTÆ SABINÆ Cardin. & Senonen. Archiepiscopis, & Episcopo Meldensi.

Epist. 18. Super consolatione Comitissæ Campaniæ de morte filij sui.

COmpati patientibus, & dolentibus pium est condolere; ut qui ex diversis rerum eventibus solam habent dolendi materiam, in fraterna compassione remedium consolationis inveniant, & saltem ex humanitatis solatio valeant recreari, dum in eorum restauratione, quæ doloris fomitem subministrant, spes nulla videtur eis penitùs superesse. Illis verò præcipuè compassionis oportet spiritum adhiberi, quæ pro sexus muliebris fragilitate in adversis faciliùs emergentur, & difficiles ad consolationem præ spiritus infirmitate resurgere, majori videntur in his & aliis auxilio & consilio indigere. Cùm igitur dilecta in Christo filia nobilis mulier M. Comitissa Campaniæ in morte filij sui bonæ memoriæ Comitis Henrici dolorem, nec immeritò, cum interna spiritus commotione conceperit, & vehementiùs affligatur, nos mentis afflictione non ficta compatientes eidem, cùm mortis hujus dispendium non solùm in ejus damnum converti debeat & dolorem, verùm etiam in multiplex totius Christianitatis incommodum ex præsenti periculo imminente redundet, fraternitati vestræ per ap. scripta mandamus, quatenus dolorem ipsius piæ consolationis verbis & commonitionibus lenientes, ipsam & possessiones ejus, tanquam dati ei tutores à nobis, ab incursu molestantium auctoritate apostolica defendatis, nullatenus permittentes ut in his quæ ad dotem ejus noveritis pertinere, injuria seu violentia ei ab aliquo inferatur, sed possessionem ejusdem dotis ipsi contra quoslibet temerarios præsumptores pacificam conservetis. Si qui verò jamdictæ Comitissæ aliquam super his injuriam inferre præsumpserint vel gravamen, vos eos, si necesse fuerit, ut à sua præsumptione desistant, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quòd si omnes &c. Datum Lateran. V. Kal. Martij, pontif. nostri anno I.

FERENTINATI EPISCOPO.

Epist. 19. Consultatio super causa matrimonij inter L. virum & P. mulierem, quā primò juraverat, & aliam postmodum desponsavit. Cap. Sicut: De sponsal. & matrimoniis.

SIcut ex literis tuæ fraternitatis accepimus, cùm L. parochianus tuus P. mulierem se ducturum in conjugem in manu patris ejusdem P. jurantis quòd eam ipsi traderet in uxorem, proprio juramento firmarit, nec per virum steterit, sed per mulierem potiùs, quò minùs matrimonialis inter eos solennitas sit secuta, quatuor postmodum vel quinque annis elapsis idem L. G. mulierem per verba de præsenti, ut ejus consanguinei asserunt, desponsavit; propter quòd frater prædictæ P. suam deposuit in tua præsentia quæstionem. Quia verò

quid super his agendum sit nostro postulas responso edoceri, fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd si tibi constiterit quòd idem L. P. mulierem per verba de futuro, G. verò per verba desponsaverit de præsenti, imposita ei pœnitentia competenti, quia primam fidem irritam fecit, nisi forsan in juramento suo certum terminum, infra quem dictam P. duceret in uxorem, præfixerit, nec per eum steterit quin ad statutum terminum matrimonium consummarit, secundum contractum legitimum judices, & ad illud servandum cum, si opus fuerit, ecclesiastica districtione compellas; nisi forsan aliud quid obstiterit, quod ipsum debeat impedire. Quòd si fortè per verba sponsalitia de futuro cum utraque contraxit, juramentum primum, sicut licitè factum est, ipsum servare compellas, de secundo ei pœnitentiam injunctu-rus. Quòd si de his tibi non constat ad plenum, tamdiu adhuc cognoscas de causa, donec super his sufficientiùs instruaris. Quod enim in attestationibus, quas ad sedem apostolicam destinasti, de compaternitate habetur, non facit ad causam, cùm neuter contrahentium sit illa persona, qua mediante inter parentes eorum compaternitas est contracta. Datum Lateran. V. Kal. Martij, pontificatus nostri anno primo.

CANONICIS ARGENTINEN.

Epist. 10. Super quæstione cujusdam præbendæ, quæ inter Arnoldum & F. sancti Thomæ Præpositum vertitur.

CVm partes inter se super mota quæstione conveniunt, vel altera renunciat quæstioni, ad hoc solum exigitur officium judicis, ut, quod à partibus fit, faciat inviolabiliter observari, ne cui contra compositionem aut cessionem per se factam liceat ulteriùs prosilire. Sanè cùm dilecti filij Arnoldus nuntius & concannnicus vester, & F. Præpositus sancti Thomæ, ad nostram præsentiam accessissent, super præbenda, de qua per dilectum filium P. tt. sanctæ Cæciliæ Presbyterum Car. tunc apostolicæ sedis Legatum idem Præpositus fuerat investitus, in nostra & fratrum nostrorũ audientia disceptarunt. Cùmque nos auditis quæ hinc inde proposita fuerant, de communi consilio fratrum nostrorum sententiam formare ac ferre vellemus, dictus Præpositus ad nos humiliter & devotè accessit, & jus, si quod sibi competeret in eadem præbenda, in manibus nostris spontaneus resignavit. Nos igitur Ecclesiæ vestræ volentes in posterum paci & tranquillitati consulere, recepta resignatione ipsius, ei super eadem præbenda perpetuum silentium imposuimus, & vos & Ecclesiam vestram ab impetitione ipsius super eam præsentium auctoritate reddimus absolutos. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis infringere &c. Datum Laterani V I. Nonas Martij, pontificatus nostri anno primo.

TERRACONEN. ARCHIEP. & Sacristæ Vicensi.

Epist. 11. De confirmatione R. electi sancti Benedicti de Bages, & irritatione intrusi per potentiam laicalem.

AD universalis Ecclesiæ solicitudinem, licèt insufficientes, Domino disponente vocati, de grege nobis commisso solicitam curam debemus gerere, & tanquam pastores seduli, faciente Domino providere ne ovis morbo infecta incurabili, oves ceteras suo cogat contagio morbo simili laborare. Nostris siquidem auribus ex multorum relatione ac plurium literis innotuit Prælatorum, quòd bonæ memoriæ.. quondam Abbate sancti Benedicti de Bages de carnis ergastulo, sicut Domino placuit, ad meliora vocato, Conventus ejusdem monasterij pars major & sanior vota in dilectum filium R. nunc Abbatem ejusdem monasterij transtulerunt. Verùm suadente illo cujus est proprium pacem turbare, duo ejusdem loci monachi à ceterorum fratrum voluntate unanimi secedentes, accersitis sibi secularibus viris, B. ipsius monasterij monachum in Abbatem non sunt veriti nominare: qui laicali & ipsorum potentia fretus, prædictum R. ad audientiam dilecti filij G. sancti Angeli Diaconi Cardinalis, qui tunc in partibus illis legationis fungebatur officio, appellavit. Et cùm idem Cardinalis, quæ utraque pars coram ipso proposuit, diligentiùs audivisset, & super eisdem inquisisset diligentiùs veritatem, prædictam electionem sæpenominati R. ratam habuit, & eam auctoritate, qua fungebatur, apostolica confirmavit. Idem quoque Cardinalis tranquillitati ejusdem monasterij desiderans providere, ac inter fratres materiam extinguere jurgiorum, pro pacis bono Præposituram ejusdem monasterij supradicto intruso contulit, & eam ab eodem Abbate ipsi, quoad viveret, concedi præcepit, & juramentum fecit impendi ne ipsum ab

eadem Præpositura ullo tempore sine causa rationabili amoveret. Dictus autem Præpositus unde humiliari debuerat, in elationem erectus, obedientiam, quam Abbati ex præcepto Cardinalis debebat impendere, ipsi exhibere contempsit; immo domos, homines, & cetera bona ejusdem monasterij occupans, ea in usus proprios & illicitos transfundere non veretur, à monastica etiam professione ac fratrum consortio se reddens penitùs alienum; nullis quoque beati Benedicti obtemperans institutis, non se tantùm, verùm etiam totum monasterium dissolutione ac enormitate suæ vitæ gravi compellit infamia laborare. Quia igitur timendum est ne pars corrupta synceram contaminet, nisi falce fuerit apostolica resecata; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si prædicta veritate nituntur, prædictum Præpositum ab administratione Præposituræ remotum, ut Abbati suo existat obediens, sicut debet, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Nullis literis obstantibus harum mentione non habita à sede apostolica impetratis. Datum Laterani VI. Nonas Martij.

COLOCEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 32. Confirmatio super quibusdã Ecclesiis Præpositurae Colocen. Ecclesiæ de Capituli consensu collatis.

IUstis petentium &c. *usque ad verbum illud* assensu. Ecclesias sanctæ Mariæ de Ioth, sancti Mauritij de Both, & Ecclesiam de Vnta, quas Præpositurae Colocen. Ecclesiæ de consilio & assensu tui Capituli contulisti, sicut providè factum est, & Præpositus Colocen. easdem justè possidet & quietè, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani.

HVG. COMITI ET MARSVCTO Pisanis Canonicis.

Epist. 33. Super quæstione cujusdam pignoris, quæ inter R. & Gallicianum Pisanos vertitur.

SIgnificante dilecto filio Rubeo cive Pisano, ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quòd cùm domum suam cum horto Galliciano Pisano civi pro ducentis quinquaginta duabus libris pignori obligasset, & promisisset, cautione præstita juramenti, quòd nisi domum ipsam statuto inter eos termino recolligeret, eundem creditorem ulteriùs super ea minimè molestaret, infra statutum tempus per certum & fidelem nuncium, prout ei videbatur, creditori mutuatam pecuniam remisit: quam idem nuncius, infideliter agens, sicut ei injunctum fuerat, non persolvit. Cùmque postmodum prædictus R. ab Imperatore captus pariter & detentus, multa pericula sustinuerit & labores, nec dicto G. satisfacere potuerit, ut debebat, nunc per Dei gratiam libertati pristinæ restitutus, paratus est pecuniam reddere creditori; licèt ipse prorsùs eam recusaret recipere, quia ei non fuit statuto termino persoluta. Cùm igitur pactum legis commissoriæ sit in pignoribus improbatum, &, quantum in eo fuit, prædictus Rubeus juramenti debitum adimpleverit, cùm per eum quem certum & fidelem nuncium sperabat, pecuniam remiserit termino constituto, & dum in imperiali fuit captione detentus, satisfacere non potuerit creditori; devotioni vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, prædictum creditorem, ut forte sua contentus existat, pensionibus præfati pignoris computatis in sortem, & domum ipsam & hortum præfato Rubeo omni postposita dilatione resignet, per censuram ecclesiasticam pacto vel tali juramento nequaquam obstante, admonitione præmissa, sublato contradictionis & appellationis obstaculo, compellatis. Datum Laterani.

POTESTATI ET CONSILIARIIS Viterbiensibus.

Epist. 34. Quòd in tractatu habito inter ipsos, Perusinos, & Rectores Thusciæ sine mandato apostolico non procedant. *Vide suprà epist. 15. itémque epistolam sequentem.*

DIlectis filiis Consulibus Perusin. qui nos super tractatu illo consuluerant quem ipsi vobiscum cum rectoribus Thusciæ habuerunt, literis nostris dedimus in responsis, ut quia tractatus ille, quem rectores inter se inierant, minùs debitè ad honorem, utilitatem, & profectum Ecclesiæ pertinebat, & nos dilectis filiis B. Basilicæ duodecim Apostolorum & P. tituli sancti Petri ad vincula Presbyteris Cardinalibus, qui tractatum illum nobis pleniùs expresserunt, nostrum & fratrum nostrorum significaveramus beneplacitum voluntatis, tamdiu ipsi Consules Perusini supersederent his quæ disposita fuerant consummandis, donec literas nostras reciperent mandatum super hoc apostolicum pleniùs continentes. Ideóque sicut Perusinis ipsis per literas significavimus, ita nunc discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus

quatenus super tractatu illo nullatenus procedatis priùs quàm super hoc literas receperitis speciales nostræ intentionis & propositi expressivas; cùm & vos nostrum super hoc debuissetis consulere beneplacitum voluntatis. Datum Laterani.

P. BASILICÆ XII. APOSTOL. & B. Sancti Petri ad vincula. Presbyteris Cardinalibus, apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 35. Super eodem.

SUper negocio societatis Thusciæ per dilectum filium Priorem sancti Fridiani nostram & fratrum nostrorum vobis aperuimus voluntatem, ad cujus executionem negocij vos date credimus operam efficacem. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si rectores Thusciæ ad id exequendum, quod per dictum Priorem vobis significavimus, induxistis, ut Pisani id ipsum pariter recipiant & observent moneatis attentiùs; & nisi vobis paruerint, interdictum minimè relaxetis. Si verò prædicti rectores adhuc non sint voluntatem nostram, quam per sæpefatum Priorem significavimus, executi; quia satis videretur austerum, si Pisana civitas occasione societatis illius, quam nos, sicut nostis, conduximus totaliter approbandam, tamdiu interdicto ecclesiastico subjaceret; volumus & mandamus ut ab ejusdem civitatis civibus cautione recepta quòd quæ pro honore & exaltatione Ecclesiæ & libertate eorum ordinaverimus suscipiant & observent, interdictum sine dilatione qualibet relaxetis. Si autem super his debitam habere non poteritis cautionem, quia civitas ipsa, sicut dicitur, nunc temporis quasi videtur rectore carere, qui plenam in ea exercere valeat potestatem, spe bonæ promissionis quam nobis ejusdem civitatis nuncij fecerunt quòd nostro Pisani cives debeant parere mandato, honesta sicut videritis occasione concepta, in eadem civitate divina officia appellatione remota detis licentiam celebrandi. Ita tamen quòd si postmodum rectores Thusciæ mandatum nostrum susceperint & servaverint, civitas ipsa interdicto subjaceat nisi & ipsa celeriter suscipere curaverit & servare. Datum Laterani.

EPISCOPO ET Capitulo Tragurien.

Epist. 36. Quòd B. Presbyter non tenebatur ad observantiam habitus monachalis, ex eo quòd cùm gravi ægritudine laboraret, à quodam monacho indutus est habitu monachali. Cap. Sicut tenor. De regularibus.

SIcut tenor vestrarum literarum nobis aperuit, cùm P. lator præsentium in sacerdotali esset officio constitutus, & tanta rerum temporalium indigentia laboraret, quòd nec sibi nec suis progenitoribus seu fratribus in necessitatibus propriis posset aliquatenus providere, proprij corporis laboribus & maris periculis multis se non dubitavit exponere, ut de suo labore & acquisitione honesta suam & suorum posset indigentiam relevare. Contigit autem postea quòd ipse longè à vestra civitate consistens, tam gravi cœpit ægritudine laborare, quòd extra se positus desperaret de vita præsenti; & dum in tali esset articulo constitutus, à quodam simplici monacho indutus fuit habitu monachali, & ad monasterium deportatus. Deinde paucis diebus elapsis, cùm jam esset in principio suæ convalescentiæ, deposuit habitum, & de licentia ejusdem loci Abbatis monasterium dereliquit; & cupiens progenitorum suorum indigentiis subvenire, à vobis suppliciter postulavit, ut posset, sicut priùs, in sacerdotali officio ministrare, & vobiscum pariter conversari. Quid autem super his vobis fuerit faciendum, sacro apostolicæ sedis oraculo humiliter petitis edoceri. Nos igitur vestræ consultationi taliter duximus respondendum, quòd licet ista duo inter se repugnantia videantur, ut scilicet quisquam sit extra se positus, & de præsenti vita desperet, si tamen eo tempore quo positus extra mentem affectus, indutus fuit habitu monachali, cùm alienatus non sentiat, ac per hoc non valeat consentire, præfatum Presbyterum denuncietis ab observatione monastici ordinis absolutum, nisi postquam mentis suæ factus est compos, voluntate spontanea professionem fecerit monachalem. Datum Laterani.

MEDIOLAN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 37. Super quæstione quæ vertit inter ipsum & monasterium sancti Donati de Scotula. Cap. Ad hoc. De sequestr. possess.

AD hoc unxit nos Deus oleo lætitiæ præ consortibus nostris, ut diligamus justitiam, & odiamus iniquitatem, quod tunc laudabiliter adimplemus, cùm via regia incedentes, non declinamus ad dexteram, neque ad sinistram aliquatenus deviamus, sed justè quod justum est persequentes, nec pau-

peris personam attendimus, nec honoramus vultum potentis quia non est personarum acceptio apud Dominum; dum etiam merita subtili examinatione discutimus, & precum attendimus qualitatem, ut cuilibet reddamus jus suum, & preces, quæ rationi non consonant, rationabiliter repellamus. Veniens siquidem ad apostolicam sedem dilectus filius Abbas de * Scozula nobis & fratribus nostris exposuit, quòd cùm M. quondam Mediolanensis Archiepiscopus prędecessor tuus super causa quæ inter ipsum & monasterium sancti Donati de Scozula diutiùs fuerat agitata, post multas commissiones tandem obtinuisset venerabili fratri nostro * Veronensi Episcopo Romanæ Ecclesiæ Card. literas destinari, & ipse judex delegatus partibus in sua præsentia constitutis super judicio possessorio, partim pro monasterio, partim pro Archiepiscopo sententiam protulisset, procuratore ipsius monasterij quæstionem de proprietate postmodum intentare volente, pars Archiepiscopi dilationes & inducias sæpius postulavit. Cùmque sæpenumero idem Archiepiscopus præfato Veron. per literas direxisset quòd ipsius judicium nullatenus declinaret, utraque parte apud Novariam coram nuncio ipsius Episcopi, quia ad hoc missus fuerat, existente, Archiepiscopus jurisdictionem delegati judicis opposuit expirasse; asserens causam possessionis tantùm & non proprietatis fuisse commissam; & quia super possessione pronunciaverat, semel functus suo officio, super quæstione proprietatis deinceps cognoscere non valebat. Et his allegatis, prædictus Archiepiscopus appellavit. Ad hæc pars monasterij contra proposuit quòd causa quæ inter Archiepiscopum & monasterium vertebatur, fuerat memorato Episcopo absolutè & indistinctè commissa, & sic continentiam causæ dividi non debere dicebat. Adjecit etiam, quòd cùm Archiepiscopus toties postulaverit dilationem & locum à judice, in quo ante illum super illa proprietatis quæstione respondere deberet, eum postea recusare nequivit, vel aliquatenus appellare, præsertim quia absente parte adversa, sicut est prælibatum, ipsemet eundem judicem postulaverat, & in rescripto apostolico fecerat appellationis remedium adhiberi. Has nimirum rationes cùm judex pleniùs advertisset, actorem legitima citatione præmissa in possessionem, quæ fuerat per ipsum Episcopum eidem Archiepiscopo adjudicata, usus consilio virorum prudentum, mitti decrevit; à qua tamen Archiepiscopus monasterium postmodum violenter ejecit. Cùmque dilectus filius G. tunc Prior, nunc verò Abbas ejusdem monasterij, & G. nuncius adversæ partis, super hoc ad sedem apostolicam accessissent, bonæ memoriæ C. Papa prædecessor noster supradictis omnibus per dilectos filios nostros Hug. tt. sancti Martini Presbyterum & G. sanctæ Mariæ in Aquiro Diacon. Cardinales, quos eis auditores concesserat, pleniùs intellectis, per bonæ memoriæ Al. Albanen. Episcop. sic suum interpretatus fuit rescriptum, quòd tam causa possessionis quàm proprietatis fuerat judici delegato commissa, & quòd idem judex ob dictas rationes ab Archiepiscopo non potuisset etiam per appellationis obstaculum recusari. Volens igitur idem prædecessor Archiepiscopo & Abbati sine justitiæ læsione deferre, prælibatam possessionem apud venerabilem fratrem nostrum Vercellen. & bonæ memoriæ Novarien. Episcopos pro suæ voluntatis arbitrio sequestrari præcepit; venerabili fratri nostro Regin. & felicis recordationis tunc Mutinen. Episcopis per apostolica scripta præcipiens ut partes ad suam præsentiam convocarent, & nullius contradictione vel appellatione tam super principali quàm super incidenti obstante, de causa proprietatis infra duos menses pleniùs cognoscentes, eam debito fine deciderent, & possessionem ei parti postmodum resignarent quæ obtineret de proprietate triumphum. Cùmque literæ ipsæ ad dictos Mutinen. & Regin. Episcopos pervenissent, partibus in ipsorum præsentia constitutis, procurator Archiepiscopi cautionem obtulit, ut contumaciam, si qua præcesserat, expurgaret: quam procurator monasterij recipere noluit, nisi possessionis sequestratione præmissa, & salvo jure quod ei ex commissione hujusmodi competebat, ut à se tanquam à possessore peteret in judicio. Cùmque procurator Archiepiscopi è contrario responderet quòd ab eo peti, velut à possessore, deberet; disceptatione protracta in longum terminus expiravit, infra quem Episcopi memorati de proprietate cognoscere debuissent.

* Scozula. In Tertia Compil. tit. ...

* Vercellensi. In Tertia Compil. & in decretal. Gregorij IX.

Ceterùm nuncius monasterij iterum ad Ecclesiam Romanam accedens, per Archiepiscopum stetisse asseruit quòd nec possessio sequestrata fuerat, nec super proprietate processum in causa. Propter quod dictus prædecessor noster venerabili fratri nostro Bobien. Episcopo per apostolica scripta mandavit, ut possessione cum fructibus perceptis ex ipsa monasterio restituta, audirent postmodum si quid haberent partes inter se invicem quæstionis. Qui cùm Abbatem juxta tenorem mandati apostolici in possessionem, quam Veronen. adjudicaverat, per suum nuncium mandasset induci, Hugo de Camerario ipsum Abbatem ex ea violenter ejecit: qui cum suis complicibus ram nuncium Episcopi, quàm Abbatem, & monachos armata manu fugavit, & navi, cujus vehiculo illuc accesserant, igne combusta, cellas monasterij deprædatus, Conversis pluribus verberatis, domos extra claustri ambitum constitutas cum quibusdam animalibus & quodam homine non erubuit concremare. Quod postquam ad ejusdem prædecessoris nostri audiētiam nuncio ipsius Abbatis referente pervenit, venerabili fratri nostro Ferrarien. Episcopo districtè præcipiendo mandavit, quatenus partibus convocatis, & possessione cum fructibus à tempore sententię per dictum Veronen. prolatæ perceptis ex ipsa monasterio restituta, de proprietate cognoscerent, & eo in adjudicata sibi possessione indemni servato, quod justum esset statueret, & faceret auctoritate apostolica, sublato appellationis obstaculo, firmiter observari. Eos autem qui se apostolicis mandatis opponerent, vel monasterium super possessione alterius molestarent, per sententiam excommunicationis appellatione remota compescerent, & dictum Hugonem & ejus complices, donec monasterio de ablatis omnibus & illatis injuriis satisfacerent competenter, & cum literis ejus apostolico se conspectui præsentarent, nunciaret excommunicatos, & faceret ab omnibus evitari; nisi tu frater Archiepiscope hanc in ipsos districtionem, prout tibi mandatum fuerat, exerceres. Dictus verò Ferrarien. receptis super hoc literis apostolicæ sedis, sicut ex literis ejus accepimus, admonitione præmissa, in Hugonem de Camerario & complices ejus, te infra statutum terminum eum excommunicare nolente, excommunicationis sententiam promulgavit; & cùm tu legitimè citatus ab ipso, nec accederes, nec sufficientem mitteres responsalem, sed absentiam tuam verbis & literis excusares, salva quæstione proprietatis, possessionem monasterio restituendam pronunciavit; & cùm Abbatem in eam per nuncium suum fecisset induci, idem Abbas ab ea dejectus fuit te frater Archiepiscope, Hugo de Camerario, & dilectis filiis Consulibus Mediolanen. mandantibus per violentiam armatorum. Propter quod idem Abbas postulabat à nobis, ut sententiam restitutionis toties latam pro eo deberemus auctoritate apostolica confirmare, & possessione sibi cum fructibus restituta, faceremus eum absque molestatione gaudere. Verùm dilectus filius Passaguerra procurator tuus & socij ejus petitionem Abbatis non esse admittendam ea præsertim ratione dicebant, quòd Abbas ipse in literis, quas ad Bobien. & Ferrarien. Episcopos à sede apostolica impetravit, veritatem suppresserat, & expresserat falsitatem. Suggesserat enim Veronensem Episcopum salva quæstione proprietatis super possessione promulgasse sententiam, cùm non nisi causa rei servandæ Abbatem decrevisset in possessionem induci. Tacuit etiam veritatem, cùm de satisdatione coram dictis Reginen. & Mutinen. Episcopis oblata per Archiepiscopum nullam fecit apud sedem apostolicam mentionem. Nos igitur super his & aliis quæcunque fuerunt hinc inde proposita, cum fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis apud sedem apostolicam constitutis consilio maturo, intelligentes quòd dictus Veronen. Abbatem in possessionem causa rei servandæ solummodo decrevisset induci, sicut erat consentaneum rationi, utpote coram quo super proprietate lis non fuerat contestata, & quòd per eundem M. quondam Archiepiscopum non stetisset quin satisdationem infra annum oblatam præstiterit, & contumaciam, si qua præcesserat, expurgarit, attendentes etiam Abbatem ipsum per suppressionem veritatis & falsitatis expressionem literas ad Bobien. & Ferrarien. Episcopos impetrasse; non sententiantes, quia lis coram nobis contestata non fuit, sed respondentes Abbati, petitionem ejus juxta formam præscriptam non esse admittendam respondi-

mus, & ipsum scriptis carere mandavimus quæ per mendacium impetravit; in eum statum causæ continentiam reducentes, in quo fuerat, cùm dictus prædecessor noster causam proprietatis Mutinen. & Regin. commisit; mandato sequestrationis penitùs revocato. Sententiam tamen excommunicationis in Hugonem de Camerario & complices ejus prolatam volumus & mandamus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; non tam quia fuit à delegato prolata, quàm quòd per delegatum extitit postmodum confirmata. Ne autem monasterio in suo videamur jure deesse, moderatas expensas, ex quo Veronen. ipsum in possessionem induci decrevit usque ad tempus satisfactionis oblatæ propter hoc factas, ipsi restituendas esse censemus, & à te sufficientem præberi standi judicio cautionem. Sententiam autem à dicto Veronen. ex majori parte pro Mediolanen. Ecclesia, partim pro monasterio promulgatam, quæ rationabiliter lata est, & ab utraque parte recepta, ratam habemus; & si quid ex his quæ monasterio adjudicata fuerunt, ipsi non sunt hactenus resignata, ipsi restitui cum perceptorum fructuum integritate mandamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hujus nostræ diffinitionis paginam infringere &c. Datum Laterani vj. Nonas Martij.

VNIVERSIS EPISCOPIS per Marchiam constitutis.

Epist. 38. De confirmatione sententiæ latæ per Legatos Ro. Curiæ contra Marcoualdum.

ET zizania non avellere ante messem evangelica doctrina præcipitur, & malos usque ad sententiam tolerare canonica institutione monemur. Verùm & zizania in manipulos colligata comburere debemus post messem, & iniquos post sententiam evitare. Hoc siquidem attendentes, licèt Marcoualdus multa contra libertatem ecclesiasticam & Ecclesiæ patrimonium præsumpsisset, eum tamen excommunicare distulimus; ne si admonitio non præcederet, ad proferendam sententiam non zelo rectitudinis, sed ex odio moveri potiùs videremur. Ceterùm cùm dilecti filij nostri C. tituli sancti Laurentij in Lucina & I. tituli sanctæ Priscę Presbyteri Card. apost. sedis Legati de mandato nostro Marchiam fuissent ingressi, & dictum Marcoualdum per suas literas attentiùs monuissent ut ab Ecclesiarum incendio, villarum & castrorum devastatione, quæ in eorum oculis perpetrabat, desisteret, & exercitum dimitteret, cujus occasione tota ferè Marchia vastabatur, nec ipse eorundem Legatorum monitis paruisset, in eum propter contumaciam excommunicationis sententiam protulerunt. Nos igitur, quod ab eisdem Card. factum est, ratum habentes, ac volentes inviolabiliter observari, præsertim cùm plura subsint quare fuerit excommunicationis sententia feriendus, utpote qui fidem Ecclesiæ multoties præstitam violavit, qui patrimonium Ecclesiæ invadere ac detinere præsumpsit, & illud sæpe commonitus restituere non curavit, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus tam eum quàm complices ejus excommunicatos publicè nuncietis, & faciatis per vestras dioceses nunciari. Nos enim prædecessorum nostrorum statuta sequentes, ac attendentes quòd magis oporteat Deo servire quàm hominibus, omnes qui eidem Marcovaldo fidelitate sunt vel sacramento astricti, apostolica auctoritate à sacramento absolvimus; & ne ipsi fidelitatem observent, modis omnibus prohibemus; cum fidelitatem, quam alijqui Christiano Principi juraverunt Deo ejúsque sanctis adversanti & eorum præcepta calcanti, nulla mandentur auctoritate servare. Omnes autem qui ei post denunciationem ipsam divina præsumpserint officia celebrare, úsque ad mandatum nostrum suspensionis præcipimus sententiæ subjacere. Ideóque præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus omnes qui ei juramenti vel fidei tenebantur religione astricti, denuncietis & denunciari faciatis per sedem apostolicam absolutos.

LAVDEN. EPISCOPO.

Epist. 39. Super quæstione cujusdam Præbendæ quæ inter Novarienfe Capitulū & Iacobum clericum versitur. Cap. Cùm ecclesiasticæ. De exceptionib.

CVm ecclesiasticæ provisionis officium, ad quod sumus, licèt immeriti, Domino disponente vocati, nos juxta verbum Apostoli sapientibus & insipientibus constituerit debitores, sic nos convenit perlatas ad apostolatus nostri notitiam quæstiones subtili indagatione discutere, & eas judicio vel rationabili mediante concordia terminare, & quas per nos non possumus, aliis de auctoritate nostra committere diffiniendas, quòd nullus in conspectu sedis apostolicæ sui juris se conqueri valeat fu-

ſtinuiſſe defectum, & nos, ficut ex cura tenemur ſolicitudinis paſtoralis, juſta judicare & juſtitiam diligere videamur. Pro quæſtione ſiquidem quæ inter dilectos filios Novarien. Capitulum & Iacobum Clericum ſuper præbenda Novarienſis Eccleſiæ vertebarur, tam nuncij Capituli quàm idem Iacobus ad ſedem apoſtolicam acceſſerunt: & dum in noſtra & fratrum præſentia foret utraque partium conſtituta, pro ipſo Iac. taliter fuit in noſtro auditorio allegatum, quòd cùm olim de mandato bonæ memoriæ F. tt. ſancti Marcelli Preſbyteri Card. tunc apoſtolicæ ſedis Legati de primò tunc vacatura in Novarienſi Eccleſia præbenda fuerit inveſtitus, eidem ſtallo chori & loco Capituli aſſignatis, & ad eandem poſtmodum filius dilecti filij Saxonis Vulgamini nobilis civis Romani de auctoritate apoſtolicæ ſedis admiſſus, qui ſuper poſſeſſione & fructibus præbendæ ipſius à conſanguineis prædicti Iacobi moleſtias ſuſtinuit & preſſuras, de quibus fructibus inter ipſum Iac. & præfatum nobilem amicabilis tandem compoſitio intervenit, quia ſuper præbenda ipſa eidem Iac. ſilentium fuerat impoſitum, ut de ea movere non poſſet ulterius quæſtionem, placuit tandem bonæ memoriæ C. prædeceſſori noſtro, præfati Iacobi conſideratis laboribus & expenſis, præbendam Novarienſis Eccleſiæ, quæ fuerat magiſtri B. de Suno, ad preces quorundam Cardinalium eidem conferre, & ipſum de eadem manu propria per annulum inveſtire; Novarien. Capitulo diſtrictè præcipiendo, quatenus ipſum Iac. electione, quam de pluribus perſonis in Novarienſi Eccleſia in Canonicos aſſumendis, & conſtitutione, quam de fructibus fecerant præbendarum, quæ omnia idem prædeceſſor noſter de fratrum conſilio irritaverat, alienatione etiam, obligatione, vel aſſignatione ejuſdem prębendę nequaquam obſtantibus, in fratrem & Canonicum nomine dictæ præbendæ ſine qualibet difficultate poſtpoſita appellatione reciperent, & eundem in ipſius præbendæ poſſeſſionem inducerent corporalem; ſtallum ei in choro & locum in Capitulo aſſignantes. alioquin ſcirent dilecto Præpoſito ſancti Gaudentij Novarienſis ſubdiacon. noſtro & R. Canonico de Gorgozula ab ipſo prædeceſſore noſtro datum firmiter in mandatis, ut ipſi ea exequi per diſtrictionem canonicam appellatione poſtpoſita non tardarent. Quæ omnia in ejuſdem prædeceſſoris noſtri literis manifeſtè perſpeximus contineri. Cùmque dicti Canonici mandata apoſtolica & pręcepta ſurdis auribus pertranſirent, præfati executores auditis quæcunque ex parte Canonicorum fuere propoſita, & in ſcriptis redacta, receptis, poſt multas admonitiones & dilationes poſtulatas ab eis, habito prudentium virorum conſilio, exceptiones Canonicorum non eſſe admittendas decernentes, juxta tenorem mandati apoſtolici ſtallum ipſi Iac. in choro & locum in Capitulo aſſignarunt; & unus executorum, R. ſcilicet de Gorgozula, de mandato & voluntate alterius eum in corporalem præbendæ poſſeſſionem induxit, & ſupradictos Canonicos poſt admonitiones plurimas, niſi mandato apoſtolico infra dies quindecim obedirent, vinculo excommunicationis aſtrinxit; ſicut in inſtrumentis, quæ nobis exhibuit, continetur. E contrario verò Novarien. Canonici reſpondentes, exceptiones quamplurimas allegabant, quibus ipſum Iac. à perceptione præbendæ repellere omnimodis intendebant, dicentes quòd per literas, quas à prædicto Cardinali F. impetraverat ipſe Iac. de præbenda poſt appellationem legitimè interpoſitam fuerat inveſtitus; & præfatus prædeceſſor noſter, quod de eo per Cardin. factum fuerat irritavit, & quòd poſt caſſationem factam contra prohibitionem apoſtolicam fructus præbendæ auctoritate propria invadere non expavit. Inſuper etiam inveſtituram præbendæ & executionis literas à prędeceſſore noſtro per falſam ſuggeſtionem obtinuit, quia ſe beneficiatum in alia Eccleſia non expoſuit, nec dixit quòd ad illas duas præbendas, quæ in Novarien. vacabant Eccleſia, quarum una fuerat magiſtri R. & alia magiſtri P. nunc Novarienſis Epiſcopi; tunc Canonici, unus ſacerdos, & alius qui proximò deberet in preſbyterum ordinari, conceſſo duobus arbitrio ante generalem illam ordinationem factam, in Novarienſi Eccleſia electi fuerant concorditer, & admiſſi. Vtrinque præterea multa alia fuere propoſita, quæ literis pręſentibus non juſſimus admiſceri. Volentes igitur cuique ſuam juſtitiam conſervare illæſam, quia de præmiſſis nobis certitudo dari non poterat,

ut decebat, factum ipsum fraternitati tuæ de fratrum nostrorum consilio duximus committendum; per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus partibus ad tuam præsentiam convocatis, nisi infra duos menses legitimè tibi constiterit prædictos sacerdotem & alium qui proximò debebat in Presbyterum ordinari, ante ordinationem illam generalem de sedis apostolicæ auctoritate cassatam, ad illas duas præbendas electos canonicè & admissos, auctoritate nostra, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, ceteris exceptionibus non obstantibus, ipsum Iac. faciatis præbendæ illius, de qua per præfatum prædecessorem nostrum noscitur investitus, pacifica possessione gaudere; præsertim cùm exceptionem illam, quòd præfatus Iac. in alia Ecclesia beneficium possideret, ei non possent opponere, qui varia beneficia in diversis Ecclesiis obtinebāt. Illos autem censura ecclesiastica appellatione postposita compescatis qui mandatis nostris in hac parte se duxerint temeritate qualibet opponendos. Quòd si legitimè vobis constiterit præbendam illam, de qua proponitur investitus, alij priùs, sicut dictum est, canonicè collatam fuisse, vos ei super eadem præbenda omni contradictione & appellatione cessante perpetuum silentium imponatis; attentiùs provisuri quòd taliter hac vice mandatum apostolicum exequamini, quòd ad nos ulteriùs querela eadem non feratur. Testes autem qui nominati fuerint, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, quò minùs testimonium perhibeant veritati, tum ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Nullis literis obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Datum Laterani V. Non. Martij.

LAVDEN. EPISCOPO.

Epist. 40. De quæstione cujusdam præbendæ quæ inter Novariense Capitulum & Albertum Siccum vertitur.

CVm illius vicem, licèt non suffragantibus meritis, geramus in terris de cujus vultu prodit judicium, & vident oculi æquitatem, si delatas ad nos controversias judicio justo dirimimus, vel mediante concordia terminamus, officij nostri debitam prosequimur actionem, & gratum Deo exhibere dignoscimur famulatum. In præsentia siquidem nostra tam dilecti filij nuncij Novarien. Capituli, quàm Iacobus Siccus pro fratre suo Alberto Sicco, super controversia quæ inter ipsos vertebatur de præbenda Novariensis Ecclesiæ, constituti, suas in nostro & fratrum nostrorum proposuerunt auditorio quæstiones. Et primò fuit pro ipso Alberto Sicco taliter allegatum, quòd cùm olim præfatus Iacobus pro fratre suo ad Romanam Ecclesiam accessisset, felicis recordationis Celestino Papæ prædecessori nostro humiliter supplicavit ut bonæ memoriæ tunc Novarien. Episcopo daret suis literis in mandatis, ut si majorem partem Canonicorum in Albertum fratrem suum cognosceret consentire, ipsum in fratrem & Canonicum ab eis omni contradictione vel appellatione postposita recipi faceret & haberi, & præbendam ei, cùm se offerferret opportunitas, assignaret. Cujus petitioni præfatus prædecessor noster annuit, & Episcopo, juxta quod postulaverat, suas literas destinavit: qui visis literis, & convocato Capitulo, cognoscens majorem partem Canonicorum in prænominatum Albertum unanimiter consentire, eidem Alb. stallum in choro & locum in Capitulo assignavit: qui Alb. in eadem Ecclesia stetit, cantavit, & legit, & cum aliis divina officia celebravit. Super electione & institutione cujus taliter facta dilectus filius Obizo de Castello subdiaconus noster Novarien. Canonicus ad curiam Romanam accedens, ab eodem prædecessore nostro confirmationem obtinuit; sicut in literis ejus manifestè perspeximus contineri. Cùmque magister Hugo de Racaneto ejusdem Ecclesiæ tunc Canonicus, in Calabria factus fuisset Episcopus tempore procedenti, ipso Iac. & fratre suo promotionem suam penitùs ignorantibus, dilectus filius Io. Torniellus subdiaconus noster fuit de præbenda præfati Hugonis per prædictum prædecessorem nostrum ad preces imperiales & quorundam Cardinalium investitus. Postmodum verò Novariensi Episcopo viam universæ carnis ingresso, cùm venerabilis frater noster P. Novariensis Episcopus, tunc Canonicus, in eiusdem Ecclesiæ Pontificem fuisset assumptus, possessionem præbendæ ipsius præfatus Iacobus credens fratri suo de jure competere, de voluntate & assensu ipsius Episcopi & quorundam Canonicorum cum quibusdam aliis intravit, & anseres & pullos de proventibus ipsius præbendæ

acceptos deportavit ad propria, & cum amicis suis sine cujuslibet contradictione comedit. Cùm autem præfatus Iohannes Torniellus reversus ad propria, super investitura sibi facta præbendæ jam dictæ à sede apostolica literas reportasset, idem Iacobus pro fratre suo, quia præbenda ipsa primò vacaverat, cum ipso Iohan. litigare incepit; & sic ambo pro facto ipso ad sedem apostolicam accesserunt. Cùmque postmodum hæc omnia præfato prædecessori nostro per quosdam Cardinales intimata fuissent, ipse deliberato consilio ipsum Iacobum nomine fratris sui de præbenda, quæ fuerat magistri P. nunc Novarien. Episcopi, tunc Canonici, ad majorem ejus quod factum fuerat firmitatem per annulum investivit, & literas super hoc concessit eidem, præsentibus quibusdam Novarien. qui factum ejus conabantur ommimodis impedire; Novariensi Capitulo districtè præcipiens, ut quod ipse fecerat non præsumerent ratione qualibet immutare. Præterea dilectis filiis Ricardo Hyporien. & magistro Marescotto canonicæ Gualteri præpositis Romanæ Ecclesiæ subdiacon. dedit ipse prædecessor noster firmiter in mandatis, ut Novarien. Canonicos ad executionem mandati nostri per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellerent. Qui partibus convocatis, & rationibus hinc inde auditis, ut investitura ejusdem prædecessoris nostri rata haberetur & firma, & inviolabiliter servaretur, sententialiter præceperunt; licèt præfati Canonici illi sententiæ obedire noluerint, & parere. E contra verò nuncij Novarien. Ecclesiæ allegationes prædictas suis allegationibus modis quibus poterant repellebant, dicentes ipsum Alb. post appellationem interpositam ab ipso Episcopo institutum, & literas apostolicas veritate tacita impetratas, & quòd ad suggestionem falsi investituram & executionem ab ipso prædecessore nostro præbendæ obtinuerat memoratæ: quia se habere aliud beneficium in honorabili Ecclesia non exposuit, nec quòd esset alius ad eandem præbendam admissus canonicè, intimavit. Dicebant enim ipsi nuncij, quòd cùm in Novarien. Ecclesia duo tantùm essent Presbyteri, & duæ tantùm præbendæ vacarent, quarum una fuerat magistri B. de Suno, & altera magistri P. nunc Novarien. Episcopi, tunc Canonici, unus sacerdos, & alius qui proximò deberet in Presbyterum ordinari, concesso duobus arbitrio in Novarien. Canonicos electi sunt ad illas duas præbendas concorditer & admissi. Allegationes etiam aliæ fuerunt ab utraque partium recitatæ, quas literis præsentibus non duximus inserendas. Volentes igitur, prout tenemur, cuique suam justitiam conservare, discretioni tuæ de fratrum nostrorum consilio factum ipsum duximus committendum, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus convocatis ad præsentiam tuam partibus, si infra duos menses legitimè præfatus Alb. in vestra poterit præsentia comprobare se possessionem nominatæ præbendæ, de qua fratrem suum Iac. nomine suo prædecessor noster per annulum postmodum investivit, de assensu prædicti Episcopi & quorundam Canonicorum ante institutionem præfatorum Presbyteri & alterius qui proximò debebat in Presbyterum ordinari accepisse, vel hoc etiam non probato nisi prælibati Canonici legitimè demonstraverint institutionem duorum illorum, sacerdotis videlicet, & alterius, in præfatis præbendis canonicè factam ante generalem illam ordinationem, quam prædictus prædecessor irritam censuit & inanem, tu ipsum Alb. aliis exceptionibus non obstantibus facias præbendam eandem sublato contradictionis & appellationis obstaculo pacificè possidere; præsertim cùm exceptionem illam, quòd dictus Alb. beneficium in alia honorabili Ecclesia possideret, ei non possent opponere qui varia beneficia in diversis Ecclesiis obtinebant. Illos autem censura ecclesiastica sublato appellationis impedimento compescas qui se mandato nostro in hac parte duxerint temeritate qualibet opponendos. Si verò præfatus Alb. legitimè non probaverit se possessionem illius præbendæ, qualem præscripsimus, accepisse, & memorati Canonici electionem sacerdotis & alterius ad illas præbendas generalem ordinationem canonicè probaverint præcessisse, tu ei super eadem præbenda perpetuum silentium contradictione & appellatione cessante imponas; attentiùs provisurus quòd taliter hac vice mandatum apostolicum exequaris, quòd ulterius ad nos querela eadem non feratur. Testes autem qui nominati fuerint, si se

gratia, odio, vel timore subtraxerint, quò minùs testimonium perhibeant veritati, ad id per districtionem ecclesiasticam appellatione remota compellas. Datum Laterani III. Nonas Martij.

G. LVNEN. EPISCOPO *ejúsque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.*

Epist. 41. Super concessione & confirmatione Abolen. monasterij, ad Romanam Ecclesiam pertinentis.

AMpla divino munere manus apostolicę sedis hos humiliat, hos exaltat; his superflua subtrahit, aliis necessaria subministrat. Ipsa etenim, tanquam mater omnium generalis, cùm personarum merita, & temporis & loci qualitatem attendat, hos onerat, hos honorat; immo sæpius honorem oneribus & onus honore compensans, & onerat honoratos, & oneratos honorat. Hac siquidem ratione inducti, specialem gratiam, quam ad personam tuam tuis exigentibus meritis & Lunen. Ecclesiam propter te gerimus, attendentes, ac volentes ipsius Ecclesiæ utilitati consulere, de communi fratrum nostrorum consilio monasterium Abolense, quod ad jurisdictionem sedis apostolicæ pertinebat, cùm pertinentiis suis tibi & per te ipsi Ecclesiæ concedimus, confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus, tam te ipsi prodesse quàm præesse volentes; ut honorem quem super hoc tibi exhibemus attendens, onus & provisionem ipsius monasterij taliter exequaris, quòd in temporalibus & spiritualibus per tuum studium, actore Domino, reformetur; nec tu aut successores tui privilegium amittere debeatis, si concessa vobis abusi fueritis potestate. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicę auctoritate. Si qua igitur in futurum &c. Datum per manum Rainaldi Domini PP. Notarij, Cancellarij vicem agentis, XVII. Kalend. Aprilis, Indict. prima, incarnationis Dominicæ anno M. C. XCVIII. pont. verò Domini Innocentij PP. iij. anno I.

ABBATI ET CONVENTVI *Monasterij Abolen.*

Epist. 42. Vt Episcopo Lunen. debeant obedientiam & reverentiam exhibere.

AMpla divino munere manus &c. *ut supra ferè in eundem modum usque ad verbum* reformetur. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ipsi tanquam Episcopo vestro reverentiam & obedientiam de cetero exhibentes, salubria monita & præcepta ipsius irrefragabiliter ac sine qualibet contradictione servetis. Datum Laterani.

KNESNEN. ARCHIEPISCOPO *& suffraganeis ejus.*

Epist. 43. Vt impugnatores B. Ducis Poloniæ, nisi ab ipsius molestatione destiterint, ecclesiastica censura percellant.

APostolicæ sedis benignitas, sicut ex debito pastoralis officij ad omnes fideles generaliter affectum caritatis extendit, sic eos, quos circa servitium suum & Christianitatis honorem devotiores invenerit, speciali tenetur patrocinio confovere. Vnde fidem & devotionem dilecti filij nobilis viri Bolezlai Ducis Poloniæ sancta Romana Ecclesia, cujus sumus regimini, sicut Domino placuit, deputati, manifestis jamdudum experta indiciis, meritò ipsum brachiis specialis dilectionis amplectitur, & in justis petitionibus ejus inveniri gaudet facilis & benigna. Sanè cùm pluries, sicut accepimus, apostolicum receperit fraternitas vestra mandatum, ut memoratum Ducem, quem sicut catholicum Principem & Ecclesiæ Romanæ filium specialem quadam dilectionis prærogativa complectimur, ab impugnatoribus suis auctoritate curaretis apostolica defensare, sibique contra hostium suorum violentos insultus ecclesiasticæ defensionis clypeum indulgere, nondum tamen, sicut nobis intimatum est, commodum aliquod de literis apostolicis reportavit, nec prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum jussiones, quæ super hoc sæpius emanasse noscuntur, effectus est debitus subsecutus. Quare meritò de inobedientia potestis & negligentia reprehendi. Quia igitur in eo loco nos clementia divina constituit, ut suam cuilibet debeamus justitiam conservare; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus universis Poloniæ Ducibus ex parte nostra curetis districtiùs inhibere, ne præfatum Ducem in persona vel rebus offendere præsumant quomodolibet, vel turbare, aut ei super his quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis poterit, Deo propitio, adipisci, molestiam inferre audeant indebitè, vel gravamen. Quòd si commonitionibus vestris acquiescere fortè noluerint, vos eos ad hoc per excommunicationis sententiam auctoritate nostra sine appellationis obstaculo compellatis. Nos enim senten-

sententiam, quam in ipsos propter hoc ratione prævia tuleritis, ratam habebimus, ipsamque faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem congruam firmiter observari. Provideatis autem, ut quilibet vestrum tamdiu faciat eandem sententiam per suam diocesim observari, donec mandatum nostrum celeri fuerit executione completum. Datum Laterani VIII. Idus Martij.

VVORMACIEN. EPISCOPO.

Epist. 44. Vt festum conversionis beati Pauli celebret, & faciat per suam diocesim solenniter celebrari.

CVm post evangelicam veritatem Ecclesia Dei apostolica præcipuè doctrina resplendeat, & beatus Paulus ad instructionem gentium & fidem catholicam propagandam præ ceteris apostolis laborarit, miramur non modicum, & movemur, quòd, sicut nostris est auribus intimatum, festum conversionis ejus in dioceli tua non colitur, licèt passionis anniversarium ibi solenniter recolatur; cùm non minùs conversio ejus, quàm passio, sit christicolis omnibus veneranda. In conversione siquidem Saulum ab impugnatione fidelium revocavit dispensatio IESV Christi, in passione verò Paulum ob prædicationis officium Neronis crudelitas interfecit. Ibi dextera Domini fecit virtutem, hîc tyranni gladius intulit passionem. Ibi Dominus animam persecutoris salvavit & corpus, hîc servus nequam apostoli prędicantis corpus sine animæ læsione peremit. Præterea non paucioribus ejus conversio contulit, quàm passio profuisset; cùm plures sint, ad quos prædicationis ejus sonus exiverit, quàm qui ejus exemplo subierint passionem. Nobis enim vivendo profuit, sibi contulit patiendo. Nobis etiam jam conversus, ut similes ejus essemus, exceptis vinculis, cupiebat. Sibi autem dissolvi, & esse cum Christo, affectabat ardentiùs moriturus. Nec ipsius fuisset passio gloriosa, nisi sancta conversio præcessisset. Cùm igitur ob ipsius merita ex antiqua Ecclesiæ institutione festum conversionis ejus à fidelibus recolatur, & turpis sit omnis pars suo toti non congruens, nec deceat à capite membra discedere; fraternitatem tuam monemus & exhortamur in Domino, ac per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus juxta consuetudinem apostolicæ sedis, cujus magisterium imitari teneris, festum conversionis ejusdem apostoli & tu ipse observes in posterum, & facias per totam Wormaciensem diocesim solenniter celebrari, in honorem ipsius apostoli divinis laudibus diligentiùs & solicitiùs vacaturus. Datum Laterani Nonis Martij.

VNIVERSIS PRESBYTERIS per decanatum de Sparnon in Carnoten. dioceſi constitutis.

Epist. 45. De confirmatione privilegij eisdem concessi ab Episcopo Carnoten.

CVm prelati Ecclesiarum ad id quod pium & canonicum est, discreta consideratione trahuntur, cùm frequenter detur usus proclivior in pejora, & libenter audimus, & eis in his favorem apostolicum indulgemus. Quoniam igitur ex publico instrumento venerabilis fratris nostri Reginaldi Carnoten. Episcopi nobis manifestè innotuit quòd ab omnibus violentiis, talleis, & exactionibus vos perpetuò absolvisset, & super hoc suum vobis privilegium indulsisset, ne contra juris ordinem in aliquem vestrum aliquando suspensionis sententiam promulgaret, nec res alicujus vestrum occuparet aliqua ratione, nisi fortè decederet intestatus, & hoc idem sit per venerabilem fratrem nostrum Senonen. Archiepiscopum & dilectos filios Capitulum Carnoten. Ecclesiæ confirmatum, prout in instrumentis eorum noscitur plenius contineri; ad postulationem vestram, ut ab indebito cesset gravamine, robur confirmationis apostolicæ duximus apponendum, & ad majorem rei evidentiam ipsius authenticum confirmationi nostræ de verbo ad verbum mandavimus inserendum. *Raginaldus Dei gratia Carnoten. Episcopus omnibus ad quos literæ istæ pervenerint, perpetuam in Domino salutem. Cùm hucusque nostris & prædecessorum nostrorum Episcoporum Carnoten. temporibus presbyteri episcopatus Carnoten. talleis & exactionibus oppressi fuerint indebitè & gravati, hoc etiam in oculis omnium videatur omni bono dissonum, & saluti animæ contrarium, proborum hominum sano consilio utentes, & saluti animæ nostræ providentes, universos presbyteros in decanatu de Sparnone constitutos ab omni vi, violentia, talleis, & exactionibus perpetuò absolvimus. Ita etiam quòd nullus presbyterorum decanatus de Sparnone, nisi ordine judiciario, suspendi poterit, nec res alicujus saisientur, nisi ipsum intestatum (quod absit) viam universæ carnis ingredi contigerit. Si quis autem huic nostræ constitutioni obviare seu contraire*

præsumpserit, subjaceat excommunicationi. Quod ut ratum firmùmque permaneat, præsentem paginam in testimonium fecimus annotari, & sigilli nostri auctoritate in testimonium roborari. Datum Carnoti anno gratiæ M. C. LXXXXV. X. Kalend. Novembris. Hanc ergo constitutionem, & indulgentiam ejus, sicut superiùs annotata est, ne debeatis ulteriùs indebitè aggravari, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c.

In eundem modum universis presbyteris decanatus Brajolen. universis presbyteris Archidiaconatus Pissiacen. universis presbyteris decanatus de Rupeforti, universis presbyteris decanatus de Corbavilla, universis presbyteris decanatus de Alneolo, universis presbyteris Dunen. Archidiaconatus, universis presbyteris decanatus Particen. universis presbyteris decanatus Drocen. & universis presbyteris decan. Bruerolen.

ARCHIPRESBYTERO ET Canonicis Perusinis.

Epist. 46. De confirmatione constitutionis inter se mutuo, assensu factæ.

AD tollendas lites illas, quas fraternum plerunque odium comitatur, per quas etiam quies profectúsque claustralium impeditur, speciali solicitudine intendere nos oportet; quanquam generaliter omnium fidelium amplecti pacem & quærere ex injuncto nobis pastoralis curæ officio teneamur. Ea siquidem consideratione diligenter inducti, cùm ad notitiam nostram super observatione ordinis in Ecclesia vestra vobis divisis adinvicem, & propter hoc ad sedem apostolicam laborantibus, quæstio pervenisset, dilectum filium G., sancti Adriani Diaconum Cardin. vobis designavimus auditorem. Mediante itaque ipsius vigilantia studiosa inter vos super discordia illa per Dei gratiam amicabiliter convenistis, & certam inde constitutionem mutuo consensu formastis, quę futuris temporibus à vobis & successoribus vestris perpetuò debeat conservari. Eam autem nobis fecimus recitari, & auditam auctoritate curavimus apostolica confirmare, rationabilem ipsam & sine pravitatis vitio cognoscentes. Unde ad majus indicium firmitatis constitutionem eandem præsenti scripto duximus inserendam. Est ergo in ipsius vestræ compositionis principio constitutum, ut in Ecclesia vestra sint octo regulares Canonici & professi, duo alij clerici, qui in subdiaconatus vel acolytatus officio tam interiùs, quàm exteriùs, sufficiant deservire: in quorum servitio nullus omnino laicus admittatur. Prædictorum autem octo major Archipresbyter erit, alius Ordinarius, sequens Camerarius fiet; ita quòd Archipresbyter inter omnes prælationis officium obtinebit, utpote cùm sit penes eum omnis circa domum ipsam auctoritas, & ipso præsente cuncta cessent officia, & per eum, cum assensu tamen omnium fratrum, vel majoris partis, cùm necesse fuerit, disponatur. Ordinarius verò claustrum debet ex officio custodire, signare diligenter, & auscultare à singulis lectiones; quia nullus debet legere, nisi lectio, quæ legenda est, priùs ab eo fuerit auscultata. Divina officia in Ecclesia temperabit, & qua voce utendum sit, servato moderamine providebit. Religionem faciet observari, vices Archipresbyteri in ipsius absentia suppleturus. Excessus quoque, si qui essent, (quod absit) in Capitulo referet; & cum consilio fratrum, absente Archipresbytero, pœnitentiam super his imponet. Libros debet nihilominus custodire. Hæc omnia quæ præmisimus, si utrumque istorum abesse contigerit, per tertium debet sine recusatione suppleri. Camerarius siquidem omnia debet recipere, & etiam ei convenit resignari quicquid ad manus devenerit aliorum. Ipse verò, quod cuique opus erit, juxta facultates domus providè dispensabit. Mancias, & alia quæ fuerint necessariò danda, intus & foris, cum consilio Archipresbyteri sine murmure tribuet. quo absente, recipiet hospites, & eis hilariter ministrabit. Cùm autem fuerit Archipresbyter eligendus, eligentur priùs à Capitulo tres de ipsis fratribus bonæ opinionis & vitæ; quorum unus sit presbyter, alius diaconus, tertius subdiaconus: qui exquisita seorsum, & per scripturam, fratrum omnium voluntate, illum eligent, & in sede constituent, in quem majoris & sanioris partis vota concurrent. Quo facto, eidem habenti regulam beati Augustini præ manibus, tribuent omnes obedientiæ manum. Erit autem talis electus, qui vel sit sacerdos, vel possit ad sacerdotium promoveri. Ipse verò Archipresbyter Ordinarium & Camerarium, priùs tamen assensu fratrum omnium vel sanioris partis requi-

sito, separatim instituet; & ipse Camerarius per unamquamque hebdomadam super datis & receptis reddet coram Archipresbytero & fratribus in Capitulo rationem. Novitios quidem ad regularis ordinis observantias aspirantes Archipresbyter cum consilio fratrum vel sanioris partis recipiet. Sublato verò illo quod de professione dicitur, ad mandatum nostrum, cùm subintelligatur non positum, & expressum soleat vitium generare. Ceterùm novitij claustrum ingressi, in ultimo chori debent per manum Archipresbyteri institui, ibique debent per octo dierum numerum residere. Postmodum, si sacerdos fuerit, in ultimo sacerdotum stallo; si verò diaconus, in ultimo sui ordinis ponendus erit; & ita de ceteris statuetur. Præterea circa necessitates fratrum ita fuit de consensu mutuo dispositum & statutum, ut videlicet quisque Canonicorum duas habeat interiùs breves camisias, & duas bracas, sine quibus nunquam jaceat, & unam exteriorem camisiam cum pellicia: quæ duo usque ad talos pertingant. Cotibaldum insuper, subatos quoque in hyeme, sotulares habeant in æstate, caligas tam lineas, quàm laneas, & scafones simillter habeant duplicatos, capas nigras singuli de mantellario habeant, vel nadivo, pelles agninas albas. Duobus linteolis in lecto, & uno coopertorio sint contenti. Non tamen contra ordinem erit, si Archipresbyter, sicut aliis plus laborat, & plus oneris sustinet, plus consequatur honoris. Camerarius verò, qui nova dat vestimenta Canonicis, vetera recipiat in traditione novorum. Sanè mensura panis & vini reservanda est Archipresbytero, & Capitulo distinguenda. Scilicet Archipresbyter pro duobus Canonicis portionem habebit: qui etiam à Camerario eleemosynam dandam recipiet, habens cum Camerario ipse donandi usque ad viginti solidos facultatem. Sine assensu verò communi, vel majoris partis, prædictam ei summam excedere non licebit. Præterea nulli Clericorum licitum erit stare in refectorio vel choro præsente conventu, nisi capa vel toga regulariter induatur: in quibus duobus locis continuum convenit silentium conservari: ad quæ loca ipsis præsentibus nulli patebit laicorum ingressus. Sine licentia quidem Archipresbyteri, vel ordinarij, si præsentes fuerint, claustrum exire alicui Canonico non licebit: quibus absentibus, sufficit tantùm ut ab eo, qui major erit, licentia requiratur. Nunquam autem licebit alicui Canonico scholas adire. Nec in hoc excusabit eum licentia expetita, immo sequetur excommunicatio præsumentem, nec pòst ad locum suum vel officium admittetur. salva tamen apostolicę sedis auctoritate. Ceterùm cùm Archipresbyterum vel quemlibet de fratribus ad aliquem locum traxerint negocia certa domus, de manu Camerarij expensas recipient: quarum ei residuum (si forte aliquid superfuerit) resignabunt. Archipresbyter, cùm ad aliquem locum ire voluerit, fratris, quem elegerit, societatem habebit. De exitu fratrum à claustro, quod regula præcipit, observetur; ut videlicet ille eat, cui Archipresbyter duxerit injungendum. Dictum etiam fuit, quòd quisque fratrum & etiam Camerarius faceret hebdomadam suam, nisi necessitas justa impediat; & tunc officium suum per aliquem de fratribus exequatur. Ad hæc, servientes laicos, qui sunt vel pro tempore necessarij erunt, removere, vel recipere, ad officium Camerarij pertinebit: quibus etiam mercedem, præmissa in omnibus auctoritate & consilio Archipresbyteri, pro recepto vel recipiendo servitio solvet; & illi devotè fratribus servient, qui devotiùs & cum majori reverentia studebunt, tanquam majori & digniori, Archipresbytero famulari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis & confirmationis infringere &c. *usque ad verbum* contraire. salva in omnibus sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur &c. Datum Laterani Nonis Martij.

LITERÆ CONSVLUM & populi Montisbelli.

SAnctissimo patri ac Domino I. Dei gratia Summo Pontifici, Petricius, Azius, Sandonus, & Henrigerus Consules Montisbelli, cum omni populo ipsius Castri, debitam fidelitatem cum omnimoda reverentia. Ea nos vestræ paternitatis beatitudo ex temporum mutatione noverit collegisse quæ profectò vobis gaudium portant cum honore, dummodo ad ipsa clementer oculum elevare dignemini. In archivio igitur sanctæ Romanæ Ecclesiæ credimus ex majo- *Epist. 47. De fidelitate Romanæ Ecclesiæ facienda.*

rum memoria fore jam antiquatum, qualiter ad ejus dominationem Castrum nostrum pervenerit, & ideo non est opus insinuare quod luce clarius constat, nec unquam ab aliquo negari poterit, quòd non fuerit de Comitatu Comitissæ Matildis. Sed prævalente adversùs Ecclesiam Dei publica olim potestate, dominationem suam in ipso Castro Ecclesia non valuit exercere. Nunc verò, quia omnipotens Deus sic disposuit ut tempore vestro filiorum dispersiones ad sinum catholicæ matris redeant, patris imperium per omnia servaturi; hinc est quòd unanimes uno voto omnes quærimus & diligenter petimus dominium vestrum, vestræque sanctitati tanto devotiùs fidelitatem facere cupimus, quanto indubitanter vos credimus spiritum Dei habere, atque ideo accepisse potestatem ut omnia in statum rectitudinis vestra sapientia reducatis; facta in præsumptoribus vindicta, & ligatis in compedibus qui contra catholicam Romanam Ecclesiam ausi sunt minùs justo pugnare. Commendamus itaque misericordię vestrę Castrum, Ecclesias ipsius, clerum, & omnem populum; rogantes enim omni humilitate, quatenus ad ista, quæ postulamus, mora sublata respondere dignemini. Quòd si placet de latere vestro mittere cui vestra debeamus vice intendere, illius concordiæ sumus & esse volumus ut facta fidelitate vobis dominationem Castri juxta vestrum mandatum assignemus; ea videlicet ratione, ut cum omni integritate tam nova quàm vetera nostra jura serventur illæsa, nec aliquando imminui nobis debeant, vel in pejus aliquatenus commutari. Illud attendat sanctitas vestra, quòd pro fortitudine loci multi nobiscum confœderari cupiunt; sed nulli dare responsum volumus, donec à misericordia vestra nuncium recipiamus.

MARSICANEN. EPISCOPO.

Epist. 48. Super causa matrimonij inter B. virum & O. mulierem, quam priùs desponsavit, & aliã duxit postmodũ in uxorem. *Cap. 2. De spons. & matrim. in Tertia Compilat.*

SIgnificasti nobis per literas tuas quòd cùm B. vir O. mulierem priùs carnaliter cognitã desponsasset, eã postmodum non cognovit, immo ipsa ad partes alias transeunte, sibi aliam copulavit, ex qua filios & filias jam suscepit. Verùm quia eadem O. ad te reversa, vel virum ipsum sibi restitui postulat, vel alij dari licentiam cõtrahendi, & tu, quid super his fieri debeat, nostris quæris literis edoceri, fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd si dictus vir eam desponsavit per verba de præsenti, ad ipsam cogendus est de jure redire. Quòd si forsan in desponsatione ipsius verbis usus est de futuro, imposita utrique pœnitentia de fide mentita, mulieri eidem nubendi cui voluerit in Domino liberam tribuas facultatem. Datum Laterani VIII. Kalend. Martij.

ABBATI ET FRATRIBUS S. Prosperi Reginen.

Epist. 49. Vt omnes alienationes, seu obligationes, quas Guido quondam ipsius monasterij Abbas fecerat, irritæ sint & inanes.

OFficio nostro plurimùm expedire dignoscitur conservationi Ecclesiarum, & maximè earum quæ juris beati Petri existunt, solicita meditatione intendere; & ne jura earum diminui valeant, vel per occupationem illicitam deperire, vigilem nos convenit curam & solicitudinem adhibere. Hac itaque ratione inducti, & officio nostro, quo specialiùs monasterio vestro, quod beati Petri juris existit; in suo jure adesse tenemur attentiùs, provocati, omnes alienationes, seu obligationes, quas Guido quondam Abbas monasterij vestri post primum juramentum, quod de non alienando in electione sua præstitit, & etiam in schismate de possessionibus prælibati monasterij quocunque titulo fecit in præjudicium ipsius Ecclesiæ, ad exemplar felicis recordationis Alexandri, Lucij, & Cel. prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum irritas & frivolas esse decernimus, & auctoritate apostolica viribus penitùs carere censemus. Datum Laterani XV. Kalend. Aprilis.

Super hoc etiam scriptum est Consulibus Reginen. ut possessionum prædictarum detentores ad restitutionem earum tradita sibi potestate compellant.

ANTIOCHEN. PATRIARCHÆ.

Epist. 50. Quia Apamien. electum in Tripolitan. Ecclesiam sine licentia Domini PP. transtulit, ipse à confirmatione Episcoporum à Domino PP. suspẽditur quousque ab eo aliud statuatur. *Extat in Tertia Collect. lib. 1. Tit. V.*

CVm ex illo generali privilegio, quod beato Petro & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulsit, canonica postmodum manaverint instituta continentia majores Ecclesiæ causas esse ad sedem apostolicam perferendas; ac per hoc translationes Episcoporum, sicut depositiones eorum, & sedium mutationes, ad summum apostolicæ sedis antistitem de jure pertineant, nec super his præter ejus assensum ali-

quid debeat attentari, miramur non modicùm & movemur quòd tu, prædecessoris tui exempla secutus, qui motu propriæ voluntatis Mamistan. in Tharsen. dicitur transtulisse, La. quondam Apamien. electum in Tripolitan. Ecclesiam transtulisti. nec tibi sufficit dicti prædecessoris tui præsumptionem solummodo imitari, immo etiam in injuriam nostram, ipsius transgressus excessum, novo quodam mutationis genere parvificasti majorem, & magnum quodammodo minorasti, episcopare Archiepiscopum immo potiùs dearchiepiscopare præsumens, cùm dictus prædecessor tuus dictum Archiepiscopum de Tharsen. Ecclesia in Ecclesiam transtulerit similis dignitatis. Licèt enim dictus L. nondum fuisset in Archiepiscopum consecratus, confirmationis tamen munus receperat, & archiepiscopalia, quantum ei licuerat, ministrarat; sicut ipsius nobis relatione innotuit, qui se Valenien. Episcopum, cùm in nostra esset præsentia constitutus, asseruit confirmasse. Ne igitur perpetrandi similia ceteris audacia præbeatur, si tantus excessus relictus fuerit impunitus, te ab Episcoporum confirmatione duximus suspendendum, quousque super hoc aliud statuamus, scituri quòd hoc nos ab exauditione petitionis, quam pro venerabili fratre nostro Archiepiscopo Mamistan. porrexeras, revocavit. In ceteris autem, quantum cum honestate potuimus, te curavimus exaudire. Datum Laterani XVI. Kalend. Aprilis.

DICTO TRIPOLITAN. *Episcopo.*

Epist. 51. Quia in Apamien. Ecclesia in Archiepiscopum electus in Tripolitan. se fecit transferri, à pontificalis officij executione suspenditur.

CVm ex illo &c. *ut suprà, usque ad verbum illud* movemur quòd cum in Apamien. Ecclesia in Archiepiscopum fuisses electus, & confirmatione suscepta, quantum tibi licuerat, archiepiscopalia ministrasses, sicut ex tua nobis relatione innotuit, qui olim apud sedem apostolicam constitutus, venerabilem fratrem nostrum Valenien. Episcopum te confessus es confirmasse, in Tripolitanam te transferri fecisti, novo quodam promotionis genere non promotus, sed potiùs minoratus. Ne igitur perpetrandi similia ceteris audacia præbeatur, si tantus excessus relictus fuerit impunitus, te ab executione pontificalis officij duximus suspendendum, donec super hoc aliud statuamus. Datum Laterani.

SVESSION. EPISCOPO.

Epist. 52. De concessa sibi licentia recipiendi jus patronatus cujusdam capellæ à P. Præposito Compendiensi.

IVstis petentium &c. *usque ad verbum illud* assensu. Recipiendi appellatione remota jus patronatus à dilecto filio P. Præposito Compendien. in capella quam in Castro de novo construxit, sicut illud ipse tibi potest justè conferre, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Nulli ergo &c. Datum Laterani XIII. Kalend. Aprilis.

EIDEM.

Epist. 53. Vt capellam sibi à Præposito Compendien. collatam dedicare valeat, & de parochia disponere cum licentia Episcopi Atrebaten.

PRopositum est nobis quòd cùm in Castro Compendien. una tantum parochia fuerit ab antiquo, ea jam in tantum excrevit, quòd in tres valet dividi competenter, ex quarum qualibet plures etiam possunt vivere sacerdotes. Propositum est insuper nobis, quòd dilectus filius P. Præpositus Compendien. capellam quandam apud idem Castrum construxit propriis redditibus, & ditavit, quam per te tanquam per dioecesanum Episcopum petit solenniter dedicari. Vnde fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus, ut liceat tibi sub appellationis obstaculo secùndùm Deum & canonica instituta tam de parochia illa disponere, quàm dedicare capellam, si à venerabili fratre nostro Atrebaten. Episcopo, cui super hoc scribimus, licentia fuerit tibi collata. Datum Laterani VIII. Kalend. Aprilis.

ATREBATEN. EPISCOPO.

Epist. 54. Vt si ei constiterit quòd parochia Castri Compendien. ad Episcopum Suessionen pertineat, disponendi de ipsa liberam ei tribuat facultatem.

EX parte venerabilis fratris nostri Suessionen. Episcopi apostolicis est auribus intimatum, quòd cùm in Castro Compendien. &c. *ut suprà usque ad verbum illud* sacerdotes. Verùm cùm in eadem parochia una sola sit constructa Ecclesia, & in ea unus solus Presbyter institutus, & ad eam non modica conveniat populi multitudo, contingit aliquando quòd propter penuriam sacerdotum plerunque parochiani defectum in spiritualibus non modicum patiuntur. Volentes igitur parochianis ipsis in hoc sollicitudine paterna consulere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si parochiam ipsam ad dictum Episcopum constiterit pertinere, disponendi de ipsa secundùm Deum & canonica instituta liberam ei tribuas au-

auctoritate apoſtolica, remoto appellationis & contradictionis obſtaculo, facultatem. Datum Laterani VIII. Kalend. Aprilis.

BVRDEGALEN. ARCHIEPISC.

Epiſt. 55. De ſententia lata pro Canonicis Lemovicen. per Dominum Celeſtinũ, & de ipſius revocatione veritate cognita per eundem, & quod Dominus Innocen. præcipit executioni mandari quod factum eſt per Dominum Celeſtinum.

CVm felicis recordationis Celeſtinus Papa prædeceſſor noſter bonæ memoriæ R. Petragoricen. Epiſcopo dederit in mandatis, ut ſi S. quondam Epiſcopus & Canonici Lemovicen. dilectum filium noſtrum Guid. Marñoli Presbyterum infra viginti dies poſt ſuſceptionem literarum ſuarum in Canonicum & fratrem nollent recipere, ipſe ſublato appellationis obſtaculo id exequi non tardaret; eiſdem Canonicis præceptum illius & commonitionem ipſius Epiſcopi contemnentibus, termino viginti dierum elapſo, cùm dictus Epiſcopus ad Eccleſiam Lemovicen. mandatum præfati prædeceſſoris noſtri executurus accederet, quidam Canonici Lemovicen. cum quibuſdam Clericis, & aliorum canonicorum ſervientibus, & laicorum multitudine juxta portas civitatis ſuæ, in illum & ejus ſocios irruentes, in quodam cœmiterio præfatum G. Preſbyterum & quoſdam alios in facie ipſius Epiſcopi nimis turpiter & inhoneſtè tractarunt, & duris verberibus affecerunt, & ablatis eis equitaturis, donec longè à civitate expulerant, ingenti clamore fuerunt ipſos cum lapidibus inſecuti, & P. ſubd. uſque ad effuſionem ſanguinis in capite percuſſerunt. Epiſcopus verò reverſus ad propria, prædictum G. Preſbyterum de Lemovicen. canonica juxta mandatum apoſtolicum ſolenniter inveſtivit; & idem prædeceſſor noſter inveſtituram ipſam ratam & firmam habens, auctoritate curavit apoſtolica confirmare. Verùm cùm idem Preſbyter cum literis ab eodem prædeceſſore noſtro ſuper inveſtitura conceſſis ad propria remeaſſet, Aldovin. Bruſchate ipſius Eccleſię Canonicus contra ipſum à Capitulo deſtinatus, adversùs eum multa proponens, à præfato anteceſſore noſtro Eccleſiam ipſam per indulgentiam ſedis apoſtolicæ ab ipſius impetitione obtinuit prorsùs abſolvi. Ceterùm quoniam idem prædeceſſor noſter poſtmodum multorum relatione cognovit quòd ea quæ contra præfatum Preſbyterum fuerant allegata, à veritate penitùs diſcreparant, venerabili fratri noſtro Bituricen. Archiepiſcopo ſub omni diſtrictione præcepit ut non obſtante indulgentia illa, vel alia, ſi quam in ipſius Preſbyteri præjudicium impetratam eſſe conſtaret, univerſos Canonicos Lemovicen. Eccleſiæ publicè ſingulis feſtivis diebus nunciaret, omni dilatione, excuſatione, contradictione, occaſione, & appellatione poſtpoſitis, tamdiu excommunicationis, & eorum Eccleſiam interdicti ſententiæ ſubjacere, donec præfatum Presbyterum ad canonicam Eccleſiæ ſuæ, de qua eſt auctoritate apoſtolica per ſupradictum Epiſcopum inveſtitus, admitterent, & permitterent illum eam in pace tenere: alioquin illos tam excommunicatos, quàm ab officiis beneficiiſque ſuſpenſos, pœnam de contemptu debitam recepturos, ad ſedem apoſtolicam nullius contradictione vel appellatione obſtante tranſmittere non tardaret. Illos verò, qui in ſæpedictum Preſbyterum & prædicti Epiſcopi ſocios manus temerarias injecerunt, tamdiu anathemati ſubjacere, & omniũ officiorum ac beneficiorum, ſublato appellationis diffugio, auctoritate ſuffultus apoſtolica, extorres decerneret, donec eidem Epiſcopo, & eorum ſociis, ab illis foret de illatis injuriis plenariè ſatisfactum, & cum literis ipſius Archiepiſcopi veritatem rei plenariè continentibus venirent ad ſedem apoſtolicam abſolvendi. Prædictus autem Archiepiſcopus eos officio beneficióque ſuſpendit, & Eccleſiam Lemovicen. ſuppoſuit interdicto. quam ſententiam ipſi Canonici ſervare penitùs contempſerunt. Nos igitur quod ſuper hoc factum eſt, ratum habentes & firmum, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, & diſtrictè præcipimus, quatenus juxta præſcriptam formam ultimam tranſmiſſam Archiepiſcopo memorato, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo, in prædicto negocio procedere non omittas; procuratori præfati Preſbyteri ejus nomine ſine cujuſlibet interpoſitione perſonæ ſtallum in choro, & in Capitulo locum aſſignans. Nullis literis obſtantibus dicto G. præſente, & reſpondere parato, in harum præjudicium à ſede apoſtolica impetratis. Datum Laterani XVII. Kalend. Aprilis.

HVBALDO PISANO Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 56. De confirmatione Turritanen. Calaritan. & Arboren. provinciarum primatus.

SI sua cuique jura illibata servamus, & eos qui in Ecclesia Dei pro injuncto sibi officio & devotione syncera plus aliis elaborant, dignæ retributionis vicissitudine diligentiùs ac specialiùs honoramus, quod nostrum est juxta commune debitum, sicut debemus, exequimur, & apostolicæ sedis honorem integrè custodimus. Proinde cùm felicis memoriæ prædecessor noster Innocentius Papa de discordia & guerra, quæ inter Pisan. & Ianuen. civitates extitit, multas hominum clades & Christianorum captivitates innumeras provenisse considerans, utriusque partis saluti tam spiritualiter quàm temporaliter paterna sollicitudine studuerit providere, atque pro bono pacis; & recompensatione episcopatuum, quos utique à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiæ Pisanę concessos in insula Corsicæ à prædecessore tuo bonæ memoriæ Archiepiscopo Vberto accepit, in Gaiuren. judicatu duos episcopatus, Galtelin. videlicet & Civitaten. & Populonien. episcopatus, sibi ejusque successoribus, & per eos Ecclesiæ Pisan. concesserit, & metropolitico jure subjecerit, Nos, qui in sedis apostolicæ administratione, licèt indigni, disponente Domino sibi successimus, eandem concessionem, antecessorum nostrorum bonæ memoriæ Adriani, Alexandri, Clementis, & Celestini Papæ vestigiis inhærentes, auctoritate apostolica confirmamus, & ratam manere censemus. Prædecessorum quoque nostrorum vestigiis inhærentes, vobis primatus honorem Turritan. provinciæ confirmamus. Ad majorem etiam honoris cumulum Pisan. civitatis, ut Pisan. Ecclesia cum universo ejusdem civitatis populo in fidelitate atque devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ jugiter perseveret, & in ipsa quotidie augmentetur, pro devotione quoque & honestate tua frater Vbalde Pisane Archiepiscope, personam tuam & per te Pisan. Ecclesiam ampliori munere volumus decorari. Tibi ergo tuisque successoribus primatum super Calaritan. & * Arbonen. provincias datum concedimus; & auctoritate sedis apostolicæ confirmamus; ita quidem ut eos ad Concilium

Vide Acta Innocentij II apud Baron. ad an. 1132. §. 6.

*Apud Vghell. Albarealem.

vocandi, excessus eorum corrigendi, & in doctrina apostolica confirmandi, atque cetera omnia, quæ ad jus primatus pertinent, in eos exercendi habeatis liberam facultatem. Veruntamen supradictarum duarum provinciarum Archiepiscopos ad Concilium non vocabitis Pisas, sine conscientia Rom. Pontificis. Super Turritan. verò provinciam, dignitatem primatus, sicut à prædecessoribus nostris Ecclesiæ Pisan. concessum est, habeatis. Legationem quoque Sardiniæ à prædecessore nostro Papa Vrbano prædecessoribus tuis concessam, & felicis memoriæ Innocentij, & sanctæ recordationis Eugenij, atque Anastasij, & Celestini Romanorum Pontificum privilegiis in perpetuum roboratam, tibi tuisque successoribus præsentis scripti pagina confirmamus, & confirmationem ipsam ratam & inconvulsam perpetuis temporibus decernimus permanere. Denique ut Pisan. civitas, quæ favore cœlestis numinis de inimicis Christiani nominis victoriam frequenter obtinuit, & eorum urbes plurimas subjugavit, ampliùs honoretur, equo albo cum * nacho albo in processionibus utendi, & crucem, vexillum scilicet dominicum, per subjectas vobis provincias portandi, & per spacium illud Wlteran. episcopatus, quo de Pisan. episcopatu ad Populonien. transitur, tibi tuisque successoribus licentiam damus. Pallij quoque usum fraternitati tuæ concedimus, ut videlicet eo secundùm consuetudinem Pisan. Ecclesiæ perfruaris, & in consecrationibus trium Episcoporum in Corsica, Alerien. videlicet, Adiacen. & Sagonen. ac prædictorum duorum in Sardinia, & Populonien Episcopi, quorum Metropolitanus existis. Si qua igitur in futurum &c. Datum Laterani.

D. tollitur Vrbanus II.

*Vghell. naro.

VICENTIN. EPISCOPO.

Epist. 57. Vt feuda, & beneficia interfectoribus Vicentin Episcopi per sententiam sublata non restituantur, eisdem, nec alia conferantur. Cap. Ad aures, de pœnis.

AD aures apostolatus nostri pervenit quòd cùm quidam parochiani tui ausu diabolico bonæ memoriæ I. quondam Vicentin. Episcopum prædecessorem tuum nequiter peremissent, feuda & beneficia, quæ à Vicentin. Ecclesia obtinebant, ipsis per sententiam fuerunt cum multa deliberatione sublata. Quia igitur majori etiam sunt animadversione plectendi, nos bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes; tam tibi quàm successoribus tuis * inhibemus, ne alicui

*In quarta Collectione & apud

Gregorius IX. legitur, auctoritate apostolica prohibemus.

ex prædictis malefactoribus, aut eorum heredibus, prædicta beneficia restituantur ulteriùs, sen de novo eis alia qualibet conferantur. Si quis autem (quod non credimus) contra hoc aliquid attentaverit, ipsum auctoritate apostolica decernimus officij beneficiique sui dignitate carere. Quòd si aliquæ literæ aliquando super hoc apparuerint impetratæ, quæ totius facti non contineant veritatem, illas penitùs vacuamus. Volumus etiam ut præsens pagina sub Sacristæ Ecclesiæ Vicentin. custodia deponatur, & Episcopo Vincentin. qui pro tempore fuerit, annis singulis ostendatur. Nulli ergo &c. Datum Laterani XII. Kalend. Aprilis.

ZAMOREN. EPISCOPO.

Epist. 58. De relaxione sententiæ quam Legatus Ecclesiæ Rom. in ipsum & Ecclesiam tulerat Zamoren.

PRæter debitum officij pastoralis, quod nos omnibus constituit debitores, personam tuam tanto ampliùs diligimus, & synceriùs amplexamur, quanto ampliùs es præditus scientia literarum, & tam in canonico quàm civili jure peritus. Hoc siquidem attendentes, cùm ad sedem apostolicam, dum adhuc bonæ memoriæ Cel. Papa prædecessor noster viveret, accessisses, ab excommunicationis sententia, quam dilectus filius noster G. sancti Angeli diacon. Card. in te, dum in partibus Hispaniæ legationis fungeretur officio, tulerat, te & Ecclesiam Zamoren. absolvimus, & pœnam, si quam ex eo quòd celebraveras post interdicti & excommunicationis sententiam, quam in te post appellationem interpositam eundem Cardinalem tulisse dicebas, merueras, tibi & Ecclesiæ tuæ de sedis apostolicæ benignitate remisimus, & cum plenitudine gratiæ nostræ te ad propria duximus remittendum. Datum Laterani VII. Kalend. Aprilis.

SANCTÆ MARIÆ & sancti Petri Decanis, & VV. Cancellario Laudunensi.

Epist. 59. De causæ cognitione, quæ inter Archidiac. Laudunen & magistrum R. Balbum super donatione Ecclesiæ de Ascheri.

CVm accessissent ad apostolicæ sedis præsentiam dilecti filij E. presbyter, & T. clericus, pro quæstione quæ vertebatur inter dilectos filios H. archidiaconum Laudunen. & magistrum R. Balbum super donatione Ecclesiæ de Ascheri, eis dilectum filium nostrum I. tituli sancti Stephani in Cælio Monte Presbyterum Cardin. concessimus auditorem: in cujus fuit præsentia ex parte præfati magistri R. & sacerdotis ab eo præsentati taliter allegatum, quòd cùm Ecclesia prædicta vacaret, cujus donatio dictis R. Canonico & H. Archidiacono Laudun. pertinebat, Archidiaconus eam cuidam puero, nondum vigesimum annum attingenti, contulit, memorato magistro penitùs reclamante. Cùmque idem magister Archidiaconum memoratum rogasset ut in personam idoneam convenirent, ipse archidiaconus propositum mutare nolens, Ecclesiam eandem prælibato E. presbytero contulit, qui in ea posset personaliter deservire; & ne super hoc in præjudicium suum aliquid fieret, ad sedem apostolicam appellavit. E contra pro parte adversa nuncius respondebat, quòd præfatus Archidiaconus præfatam Ecclesiam, in suo Archidiaconatu positam, tanquam ipsius loci Archidiaconus, & patronus, cuidam subdiacono literatura & moribus commendando concessit. Et ferè super Ecclesia ipsa, quantum est in narratione negocij, una erat partis allegatio utriusque. Cùm igitur juxta sacrorum canonum instituta illi sint in domo Domini præferendi, qui majoribus studiis & meritis adjuvantur, nec infra ætatem legitimam constitutus animarum cura tribui debeat vel committi; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si legitimè vobis constiterit jus patronatus ejusdem Ecclesiæ ad illos duos communiter pertinere, ac præfatum Archidiaconum reclamante jam dicto magistro R. Ecclesiam memoratam illi, qui nondum ætatis suæ annum vigesimum attigisse proponitur, contulisse, vos ejus penitùs ordinatione cassata, sæpenominatam Ecclesiam, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, memorato E. sacerdoti, (de quo nobis à multis laudabile testimonium perhibetur) si idoneus est, auctoritate apostolica assignetis, & faciatis ipsum eandem pacificè possidere, ducentes in statum pristinum quicquid post appellationem ad sedem apostolicam legitimè interpositam, temerè noveritis attentatum; nullis obstantibus literis, si quæ apparuerint à sede apostolica præter assensum partium impetratæ. Datum Laterani ix. Kal. Aprilis.

Leo. in epist. ad Anastasium Thessalon.

LVCEN.

LVCEN. EPISCOPO, Abbati de Melon. & Petro Iohanni Archidiac. Astoricen.

Epist. 60. Super causæ cognitione quæ inter Aurien. Episcopum & Abbatem Cellæ novæ vertitur, quem dicebat sibi lege diocesana subjectum.

CVm dilecti filij F. Aurien. Decanus nuncius venerabilis fratris nostri Aurien. Episcopi, & magister Robertus monachus Cellæ novæ & Abbatis sui nuncius, ad sedem apostolicam accessissent, nos eis dilectum filium P. sanctæ Mariæ in via lata diacon. Card. concessimus auditorem: coram quo fuit ex Episcopi parte propositum, quòd cùm idem Episcopus Abbatem sibi lege diocesana subjectum vocasset ad synodum, ipse non solùm non accessit ad ipsum, immo etiam sancti Petri & sanctæ Columbæ Prioribus & Archipresbytero Cauci in Aurien. dioecesi constitutis prohibuit, ne ad ipsius Episcopi synodum accedere attentarent, licèt etiam vocarentur. Cùmque dictus Episcopus, ut saltem humiliter Abbatem ad bonum obedientiæ revocaret, & vinceret in bono malum, ipsi mandasset ut eum ad statutum terminum in monasterio expectaret, licèt Episcopus illuc, juxta quod promiserat, accessisset, Abbatem non reperit, & portas monasterij clausas invenit, nec ad monachos ei aditus est concessus. propter quod Abbatem suspendit, & monasterium interdixit. Verùm cùm nec propter hoc Abbas ipse à suo contumaciæ proposito resiliret, nec latas in se ac monasterium sententias observaret, in eum excommunicationis sententiam promulgavit, quam dictus Episcopi nuncius à nobis petiit confirmari. Ceterùm nuncius partis adversæ petitionem ejus non esse admittendam proposuit: quia licèt monasterium ipsum infra metas Aurien. diocesis sit constructum, liberum tamen semper extitit, & ab omni jurisdictione ac jugo Aurien. Ecclesiæ à tempore suæ fundationis exemptum. Præterea si Episcopus aliquam in eo (quod verum non erat) jurisdictionem haberet, quia tamen Abbas ab omni gravamine priùs ad sedem apostolicam appellarat, sententiam in eum & monasterium postmodum latam, nullam idem nuncius obtinere asseruit firmitatem. Conquestus est etiam idem nuncius ex parte Capituli Cellæ novæ, quòd dictus Episcopus Abbatem eorum adeo circumvenit, quòd contra immunitatem ipsius Ecclesiæ ipsis nescientibus ei obedientiam repromisit. Nos igitur super prædictis per memoratum Cardinalem instructi, quia causa ipsa in nostra non poterat præsentia terminari, utpote cùm nuntius monasterij super procuratione vel ratihabitione literas non haberet, eam vestro duximus examini committendam; discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes, quatenus si vobis constiterit Abbatem ipsum ad sedem apostolicam super hoc antè quàm Episcopus in eum suspensionis vel excommunicationis & in monasterium interdicti sententias tulerit, legitimè appellasse, vel monasterium esse à jurisdictione ipsius Aurien. exemptum, eo non obobstante quòd Abbas ab Episcopo (sicut dicitur) circumventus, præter fratrum suorum assensum ei obedientiam repromisit, cùm fraus & dolus ei patrocinari non debeant, sententias illas judicetis appellatione remota penitùs non tenere: alioquin faciatis eas per censuram ecclesiasticam inviolabiliter usque ad satisfactionem congruam observari. Quòd si forsan Abbas ipse in exemptionis probatione defecerit, nec legitima se poterit præscriptione tueri; licèt probet se ante prædictas sententias appellasse, nihilominus tamen monasterium ipsum Aurien. judicetis Ecclesiæ subjacere, in cujus dioecesi est fundatum. Similiter eo in appellationis probatione deficiente, si vobis de exemptione vel legitima præscriptione constiterit, tam Abbatem quàm monasterium ab ejusdem Episcopi & Ecclesiæ ipsius super hoc impetitione penitùs absolvatis, & faciatis quod decreveritis per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, in mandato apostolico subl. appellationis obstaculo procedentes. Quòd si omnes &c. Datum Lateran. vij. Kalend. Aprilis.

SENONEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 61. De irritatione cujusdam indulgētiæ, quam Episcopus Carnoten. à Domino Celestino in ipsius Archiepiscopi præjudicium impetrarat. Vide infrà lib. 2. epist. 60. & Tertiam Collect. lib. 1. Tit. IV. cap. 1.

QVanto excellentiùs personam tuam speciali prærogativa meritorum & sacrarum scripturarum intelligentia divina bonitas illustravit, tanto efficaciùs in his quæ honestatem seu æquitatem continent, tibi favorem apostolicum volumus impertiri, & te in justis petitionibus exaudire. Ex continentia siquidem literarum tuarum, quas audita promotione nostra per nuntium tuum nobis dirigere festinasti, aposto-

latui nostro patenter innotuit quòd venerabilis frater noster Carnoten. Episcopus quadam indulgentia quasi à sede apostolica impetrata, quam de conscientia bonæ memoriæ C. prædecessoris nostri vix credimus emanasse, contra te uti præsumit: per quam tibi subtrahitur jurisdictio absolvendi eos qui ab ipso sunt excommunicationis vinculo innodati, nisi priùs sub examine dilectorum filiorum Columbensis & sancti Germani de pratis Abbatum discussum fuerit utrum ipsi excommunicati de jure sint absolvendi. propter quod honori tuo & dignitati Ecclesiæ tuæ non modicum præjudicium generatur. Volentes igitur tuis & Ecclesiæ tuæ gravaminibus, prout convenit, obviare, præfatam indulgentiam penitùs irritantes, nullas vires habere decrevimus, quominus in hoc jus metropoliticum valeas exercere; dantes prædictis Abbatibus firmiter in mandatis, ut auctoritate illius indulgentiæ vel aliquarum literarum super hoc directarum ad eos, procedere de cetero non præsumant. Datum Lateran. nono Kalend. Aprilis.

ELECTO, DECAN. ET magistro Nicolao de Levennes Canon. Cameracen.

Epist. 62. Vt in literis transmissis eisdem de causæ cognitione quæ inter Præmonstraten. & Prumien. Ecclesias vertitur super possessionibus de Hanapia, subsequens clausula præcedenti clausulæ præponatur. *Cap. Causam quæ de Rescriptis.*

CAusam quæ inter Præmonstraten. & Prumien. Ecclesias super possessionibus de Hanapia vertitur, discretioni vestræ commisisse meminimus fine canonico terminandam. Sed quia in literis illis animadvertimus fuisse insertum quòd si alterutra partium legitimè citata præsentiam vestram adire vel judicio parere contemneret, vos nihilominus præsentis partis probationes recipere, & quantum de jure possetis, in causæ cognitione ac decisione procedere minimè tardaretis; Nos volentes ut clausula illa *quantum de jure poteritis*, quæ antequam de probationum receptione mentio fieret, fuerat inserenda, clausulam illam de probatione receptionum præcedat, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsam intelligentes ibidem, in eadem causa juxta tenorem literarum illarum procedere non tardetis; attentè proviso, ut si literarum auctoritate priorum in eodem negocio legitimè est processum, firmum & stabile perseveret. Alioquin, si occasione clausulæ memoratæ aliquid constitetit in alterutrius partis præjudicium attentatum, id viribus decernimus caritturum. Volentes nihilominus, & mandantes, ut in decisione ipsius negocij (sicut præmissum est) tam super principali quàm super incidentibus quæstionibus appellatione remota canonicè procedatis. Nullis obstantibus literis præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quòd si omnes &c. Datum Lateran. xiij. Kalend. Aprilis.

ARMACHANO ARCHIEPISC.

Epist. 63. Quòd mulieri post partum acturæ gratias non est Ecclesiæ aditus denegandus. *Cap. 1. De purificatione post partum.*

VOlens fraternitas tua per responsionem apostolicam edoceri, humiliter à nobis expetiit, utrum mulieres statim post partum debeant Ecclesias ingredi, vel ab earum ingressu per dies aliquot abstinere. Licèt autem secundùm legem Mosaïcam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum à templi cessarent ingressu: quia tamen lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est; nos sanctorum patrum vestigiis inhærentes, taliter tibi duximus respondendum, quòd postquam umbra legis evanuit, & illuxit veritas evangelij, si mulieres post prolem enixam acturæ gratias Ecclesiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum aditus est eis aliquatenus denegandus, ne pœnam illis in culpam convertere videamur Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam. Datum Laterani.

AVERSAN. EPISCOPO.

Epist. 64. Vt quicquid in Ecclesia vel dioceси Aversan. in promissionibus vel concessionibus præbendarum & beneficiorum factum est per potentiam laïcalem, cassetur.

FRatribus & Coëpiscopis nostris in his quæ rationabiliter & honestè requirunt, apostolicum libenter impertimur assensum, & commissarum eis Ecclesiarum necessitatibus utiliter providemus. Eapropter venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, ac sequentes Canonum instituta, quicquid in Ecclesia vel diocesi Aversan. in promissionibus vel concessionibus præbendarum & beneficiorum per laïcalem impressionem factum fuit, præsentium auctoritate cassamus, & nullam obtinere decernimus firmitatem. Nulli ergo &c.

ABBATI LUCÆ, Magistro Gerardo, G. Archipresb. sancti Severini procuratoribus Ecclesiæ Salernitan. Abbati Barch. Caputaquen. Ecclesiæ præceptori.

Epist. 65. Ut quicquid in Ecclesia vel dioces. Salern. Archiepiscopo ibi vinculis detento in concessionibus præbendarum, beneficiorum, Ecclesiarum attentatum est per potentiam laicalem, cassetur.

INcumbit nobis ex officij debito pastoralis ut quæ in ecclesiasticæ libertatis præjudicium attentantur, infringere debeamus, & in statum debitum revocare. Ea propter venerabilis fratris nostri Salernitani Archiepiscopi consulentes honori, quicquid in Ecclesia vel dioceſi Salernitana in concessionibus præbendarum, beneficiorum, Ecclesiarum, & aliis ecclesiasticis per Iohannem principem & magistrum Gerardum, qui memorato Archiepiscopo detento in vinculis locum ejus invadere per laicalem potentiam attentarunt, occasione intrusionis factum est vel statutum, præsentium auctoritate cassamus, & carere decernimus robore firmitatis. Datum Laterani.

ABBATI ET MONACHIS de Galdo.

Epist. 66. Ut liceat eis monasterium & habitationē circumpositam ad tutiora loca transferre.

QVæ pro religiosorum locorum necessitate petuntur à nobis, animo gratanti concedimus, & honesta petentium desideriis favorem apostolicum gratiùs impertimur. Quia igitur in medio pravæ ac perversæ nationis positi, graves à vicinis vestris molestias & gravamina non modica sustinetis; ac volentes eorum nequitiam fugiendo vitare, licentiam postulastis à nobis ad loca tutiora monasterium & habitationem circumpositam transferendi; vestris precibus inclinati, liberam vobis super hoc concedimus auctoritate apostolica facultatem, ut in majori quiete monasticæ professionis officium exequi valeatis. Nulli ergo &c. Datum Laterani.

PICTAVEN. EPISCOPO.

Epist. 67. Super correctione monasterij, tam in capite, quàm in membris.

LIcèt Ecclesiarum omnium cura nobis immineat generaliter, ad illos tamen specialiùs nos convenit aciem nostræ considerationis extendere, in quibus ab antiquo disciplina constituta dignoscitur ordinis regularis, & per aliquorum insufficientiam à religionis observantia proponuntur, quod non convenit, declinasse. Dilectus siquidem filius magister B. Prior de Azaico pro se & quibusdam aliis monachis sancti Maxentij in audientia nostra proposuit, quòd cùm olim in eodem monasterio multa inordinata existerent, per bonæ memoriæ W. Pictaven. Episcopum & dilectum filium N. tunc Eleemosynarium Cellen. nunc Abbatem. Aureæ Vall. judices à sede apostolica delegatos fuerunt quædam pro reformatione ipsius monasterij constituta, quæ se dilectus filius Abbas ipsius monasterij observaturum præstita fide promisit, sed postmodum non sicut promiserat observavit; immo (quod deterius est) quosdam monachorum juramento, quosdam etiam fide sibi astrinxit, ut in nulla causa adversantes eidem, suæ in omnibus pareant voluntati. Præterea Prioratus & Obedientias, quibus præesse monachi consueverant, sibi retinet & appropriat, redditus eorum in usus proprios expendendo, & cùm in iis & multis aliis (prout dicitur) modum religionis excedat; religiosum statum ipsius monasterij minuit & immutat. Adjecit etiam quòd idem Abbas pluries monachis de seculari potestate minas incutiens & terrores, proposuit coram eis quòd Prioratibus monasterij faceret per secularem potentiam violentiam irrogari. Postmodum verò Prioratus de Azaico, qui Conventui in pane quotidiano deservit, fuit à laicis occupatus. quod prædicti monachi ex Abbatis voluntate asserunt contigisse. Verùm dilectus filius magister W. de Mercato scriptor noster, procurator ejusdem Abbatis, non esse vera quæ de jamdicto Abbate dicebantur, omnimodis asserebat, ac prædictum magistrum B. Priorem de Azaico absque Abbatis licentia ad sedem apost. accessisse. Quia verò super præmissis non potuimus elicere veritatem, causam ipsam de utriusque partis assensu vestro duximus examini committendam; per apost. vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus ad monasterium ipsum pariter accedentes, inquiratis ab universis & singulis monachis & aliis etiam quos videritis expedire, de præmissis diligentiùs veritatem, & solum Deum habentes præ oculis, quæ tam in capite quàm in membris inveneritis corrigenda, auctoritate apost. appellatione postposita corrigatis, & statum ipsius monasterij in me-

De Obedientiis monasteriorum vide Sirmondū ad Goffrid. lib. 4. epist. 7.

lius auctore Domino reformetis, ut & ſolicitudo veſtra appareat commendanda, & idem monaſterium regularibus proficiat inſtitutis; præfato Abbati diſtrictiùs inhibentes, ne per laicalem potentiam monachos ſuos vel Prioratus monaſterij lædere qualibet temeritate præſumat, vel eis per ſe, quominus monaſterij iuſtitiam proſequantur, moleſtias irrogare. Volumus enim firmiter, & mandamus, ut quæ in eodem monaſterio ſecundùm Deum corrigenda vel ſtatuenda duxeritis; faciatis auctoritate noſtra, ſublato contradictionis vel appellationis obſtaculo, per cenſuram eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari. Ad hæc, volentes indemnitati prædicti magiſtri B. qui negociis monaſterij ſui accepta licentia à Cap. ad ſedem noſcitur apoſt. laboraſſe, ſicut convenit, præcaveri, præſentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ſi quid ſuper Prioratu ſuo de Azaico, poſtquam iter arripuit, inveneritis immutatum, auctoritate noſtra ceſſante appellatione in ſtatum debitum reducatis. Si verò vobis de illicita iuramentorum præſtatione conſtiterit, ea denuncietis auctoritate apoſt. non tenere. Teſtes autem &c. *uſque ad verbum* cogatis. Nullis literis obſtan. præter aſſenſum partium &c. Quòd ſi omnes, tu frater Epiſcope &c. Datum Laterani pridie Nonas Aprilis.

LAVDEN. EPISCOPO.

Epiſt. 68. Vt literas caſſationis ſuper electione canon. in Eccleſia Novarien. in judicio non recipiat.

CVm Iacobus judex Novarien. apud ſedem apoſt. conſtitutus id obtinuiſſet à nobis quod à bonæ memoriæ C. Papa prædeceſſore noſtro nunquam meruerat obtinere, ſcilicet quòd cauſa ipſius ſub certa forma tuo committeretur examini, ſine debito terminanda, receptis literis ſuper cauſa ipſa ad dilectum filium Iohannem notarium & ſubdiaconum noſtrum acceſſit, & literas caſſationis ſuper electione canonicorum in Eccl. Novarien. facta ſibi petiit tranſcribendas concedi. Poſtmodum verò ipſis literis eidem notario noſtro contra promiſſionem ſuam minimè reſtitutis, ſine licentia noſtra, qui ei nec fuimus in aliquo nec eſſe volumus oneroſi, & dicti notarij conſcientia minùs honeſtè receſſit. Ne igitur dicto notario noſtro, immo nobis in ipſo impune ſe gaudeat illuſiſſe, fraternitati tuæ per apoſtol. ſcripta mandamus, quatenus prædictæ caſſationis literas nec recipias in judicio, nec in aliquo ſine ſpeciali mandato noſtro ipſarum auctoritate procedas. Datum Laterani.

TRECEN. EPISCOPO.

Epiſt. 69. Quòd liceat ei votum redimere per alium religiosum. Cap. Magnæ de voto & voti redemptione.

MAgnæ devotionis indicium & ſynceræ in Chriſto tuæ fidei eſſe credimus argumentum, quòd, ut noviſſima tua Domino conſecrares, nec ſeneceutis jam imminentis incommoda, nec diſcrimina viæ, nec dubia fides & conſtans inconſtantia pelagi terruerunt, quin pro ſalute animæ tuæ ac libertate Trecen. Eccl. & devotione terræ Nativitatis Domini, Hieroſolymitanam provinciam diſponeres viſitare. Cùm enim Trecen. Eccleſia, ſicut ex tua relatione didicimus, contra eccleſiaſticam libertatem indebitis gravaretur anguſtiis & preſſuris, nec per alium quàm per H. quondam Campaniæ Comitem, tum in ultramarinis partibus conſtitutum, afflictionibus ejuſdem Eccleſiæ poſſe crederes de facili ſubveniri, confiſus de liberalitate ipſius, quem, ſi ad eum accederes, tibi ſuper neceſſitatibus Eccle. tuæ credebas humiliter proviſurum, præter conſilium carorum tuorum ad ipſum propoſuiſti accedere, ac in ſignum peregrinationis & devotionis terræ orientalis crucem Dominicam aſſumpſiſti. Licèt autem ut non vacuus in conſpectu Domini appareres, ſed aliquos tecum manipulos in aream Domini cum exultatione deferres, ſermonem ad populum feceris, ut aliqui tecum aſſumpto crucis ſignaculo ſubirent itineris gravitatem, vix unus inter omnes apparuit qui verbum tuum reciperet & impleret. Tu verò ut laudabile propoſitum ſine clauderes meliori, viam aggreſſus, cùm Placentiam perveniſſes, ſuper morte ipſius Comitis triſtes recepiſti rumores. Propter familiam tamen diſſimulato mœrore progreſſus in Thuſciam, quoſdam familiares tuos obvios habuiſti, qui te volebant invitum etiam ab itinere revocare, aſſerentes iter tuum nec tibi nec ultramarinis partibus expedire, cùm Gallicanis omnibus exinde redeuntibus, terra illa defenſanda in Teutonicorum manibus remanſiſſet. Quamvis autem * ſuper morte ipſius Comitis immenſam triſtitiam conce- *in Tertia Collect. audita.

pisses, & præcipuam intentionem tuam esse conspiceres jam frustratam, noluisti tamen sine consilio apostolicæ sedis, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est & magistra, ad propria remeare. Ingressus igitur postmodum Vrbem, & in nostra præsentia constitutus, intentionis tuæ propositum ac statum Trecen. Ecclesiæ nobis humiliter expressisti, nostrum & fratrum nostrorum consilium cum devotione requirens. Venerabilis etiam frater noster Senonen. Archiepiscopus Metropolitanus tuus statum Trecen. Ecclesiæ, ac dispendium quod ex absentia tua incurrere poterat, semel & iterum nobis per suas literas intimavit. Propter quod disposuimus deliberare cum fratribus nostris an cum eadem Trecen. Ecclesia misericordiam faceremus, te ad gerendam ipsius solicitudinem remittentes, an, sicut tenebaris ex voto, te iter arreptum perficere pateremur, & utrum horum tam saluti tuæ quàm terræ orientali potiùs expediret. Et quidem tria præcipuè duximus in hoc negocio attendenda; quid liceat, quid deceat, quid expediat: quid liceat secundùm æquitatem, quid deceat secundùm honestatem, quid expediat secundùm utilitatem. Sanè non videbatur licitum ut contra votum & tam laudabile propositum venires, cùm vox clamet prophetica: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*; ut primum ad consilium, secundum verò ad imperium referatur. & in evangelio: *Reddito quæ sunt Dei, Deo.* Votum enim istud non est dubium esse Dei, cui te obligaveras in vovendo. Sed nec decere quomodolibet videbatur, cùm sit scriptum in evangelio: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* & in Genesi uxor Loth, quæ retro respexit, in salis statuam legatur fuisse conversa. & in Actibus Apostolorum Anania & Saphira, qui abierunt retrorsum, sancto Spiritui mentientes, à conspectu Apostolorum principis mortui scribantur successivè delati. Præterea non videbatur aliquatenus expedire, cùm ex absolutione tua, si fieret, scandalum posset laicorum mentibus generari, dicentium: Vbi est Deus Clericorum? & hoc exemplo credentium se ad voti observantiam non teneri; quod viderent per Ecclesiarum rectores apostol. sedis auctoritate deponi. per quod grave dispendium terræ orientali contingeret provenire. Quod enim agitur à prælatis, facilè trahitur à subditis ad exemplum, juxta quod Dominus inquit ad Moysem in Levitico: *Si sacerdos, qui est unctus, peccaverit, facit delinquere populos.* Verùm ætatis jam in te senescentis defectus, & canicies, quæ vix labores & dolores suos tolerare poterit etiam in quiete, in contrarium allegabantur. Ecclesiæ Trecen. suspiria, cui vinculo pastoralis solicitudinis es alligatus, sine * ipsius assensu votum peregrinationis emittere forsitan non debueras, & dicti Metropolitani tui, qui nos, ut Trecen. Ecclesiæ misereremur, solicitè invitabat, instantia, nos in partem contrariam non modicum inducebant. Ipsum etiam votum, quod ex sui forma sanctum & honestum erat, ex persona voventis minùs licitum videbatur: quæ licèt pennas habeat, quibus satagat advolare, ita tamen astrictæ sunt nexibus præsidentis, ut liberum non habeant absque ipsius permissione volatum. Cùm enim juxta sacrorum canonum instituta Clericus absque Episcopi sui licentia peregrinari non debeat, & Episcopus non minùs immo potiùs sedi apostolicæ sit astrictus, videri poterat quòd absque ejus generali vel speciali licentia votum peregrinationis, qua te tamdiu absentares, emittere non deberes. Minùs etiam votum ipsum terræ orientali videbatur expediens, quæ plus pugnatorum subsidium quàm clericorum, quos & officium & assuetudo reddit imbelles, ministerium in instantis articuli necessitate requirit. Quamvis enim orationibus tuis & aliorum terra illa vehementer indigeat; quia tamen jam impletum est verbum Dei dicentis, *Veniet hora, & nunc est, quando neque in monte hoc neque in Hierosolymis adorabitis patrem.* & infrà: *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* videri poterat quòd non minùs in Ecclesia tua quàm in terra orientali proficeres piis orationibus apud Deum in his quæ pro liberatione ipsius justè ac humiliter postulares. Et utinam cum Moyse posses in montem ascendere, ut te manibus extensis orante, Iosue pugnans in solitudine Ama-

* f. cujus.

lechitas in ore gladij superaret. Credebatur etiam quòd terræ orientali magis accederet, si quod in tuis & tuorum clericorum procurationibus fueras impensurus, secundùm alicujus religiosi arbitrium transferretur in subsidium bellatorum. Cùm igitur in lege veteri, in qua non minùs præceptum Domini obligabat quàm votum hodie obligat in Ecclesia, primogenita, quæ Domino mandabantur offerri, quædam redderentur Domino, ut primogenita Levitarum, quædam redimerentur, ut aliarum tribuum, quædam commutarentur in aliud, sicut primogenitum asini, quod ove commutabatur; ex hoc attendentes quòd votum etiam commutari possit in opus aliud pietatis, præsertim cùm bonæ memoriæ Alexand. Papa prædecessor noster votum peregrinationis etiam redimi posse vel in aliud commutari responderit requisitus; non curantes quid os iniqua loquentium loquatur, dum tamen non recedamus à tramite veritatis, cùm secundùm Apostolum gloria nostra sit testimonium conscientiæ nostræ, & scandalum non curantes, præsertim quia non in tenebris sed in luce procedimus; de illius auctoritate securi qui cùm audisset à discipulis, *Nonne scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* respondit: *Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum.* & juxta Apostolum: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* tibi pro te & sex famulis tuis de communi fratrum nostrorum & tam Archiepiscoporum quàm Episcoporum & aliorum prudentium consilio, quos per Dei misericordiam multos nobiscum præsentes habuimus, licentiam concedimus votum peregrinationis taliter commutare, ut omnes expensas, quas fueras in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui religioso committas in necessarios usus terræ illius sine diminutione qualibet transferendas. Sic enim & orientali provinciæ, quæ plus tuis quàm te in articulo necessitatis instantis indiget, tua subventione proficies, & Trecen. Ecclesiæ tua præsentia & regimine utiliùs providebis; ac per hoc animæ tuæ salubriùs consuletur. Laborem etiam laboribus recompenses, solicitiùs instando vigiliis, devotiùs vacans orationibus, & jejuniis fortiùs te exercens, ac super grege tuo vigilans solicitudine pastorali. Ad hanc autem indulgentiam tibi de benignitate sedis apostolicæ faciendam id etiam specialiter nos induxit, quòd iter tuum jam non videbatur ultramarinæ provinciæ fructuosum, à qua ferè omnes Gallici remearant. Et cùm pro salute animæ tuæ ac libertate Trecen. Ecclesiæ per dictum Comitem assequenda præcipuè votum peregrinationis emiseris, eo sublato de medio, quia cessaverunt causæ, faciliùs cessare potuit & effectus. Nulli ergo &c. Datum Laterani Idibus Martij.

Cap. 1. de voto & voti redempt.

*LEODIENSI EPISCOPO, Abbati * de Bron. & Præposito Trajectensi.*

* f. S. Trudon.

Epist. 70. Vt inquirant contra Archiepiscopum Treverensem, super objectis criminibus: & si culpabilis erit, suspendant.

CVm irreprehensibilem deceat esse Pontificem, & is, cui animarum cura committitur, tanquam lucerna super candelabrum, doctrina & exemplo omnibus debeat elucere; quoties ad apostolatus nostri notitiam de fratribus coëpiscopis nostris aliqua perferuntur quæ modestiam non sapiant pastoralem, & famam boni nominis labefaciant quomodolibet vel denigrent, dolemus admodum, & turbamur, & ad ea diligentiùs indaganda, & animadversione debita corrigenda, apostolicæ solicitudinis intendimus apponere medicinam. Sanè cùm de venerabili fratre nostro Treveren. Archiepiscopo dilectus filius major Treveren. Decanus ad apostolicam accedens præsentiam, multa quæ à maturitate noscuntur pontificalis officij aliena felicis recordationis Celestino Papæ prædecessori nostro & aliis fratribus suggessisset, licèt per eundem prædecessorem nostrum ipse Archiepiscopus vocatus fuerit & citatus, ut ad Romanam Ecclesiam de objectis accederet responsurus, venire tamen distulit & neglexit, nec sufficientes curavit dirigere responsales; cùm etiam ipse Archiepiscopus prædictum Decanum ad Romanam Ecclesiam appellaverit, & ab eo fuerit appellatus, & ab utroque appellationis prosequendæ terminus constitutus. Quia verò sæpedictus Decanus in expectando apud nos moram fecisse dignoscitur longiorem, & pro sua & Ecclesiæ Treveren. consequenda diutiùs justitia laborasse, ne videremur clausis oculis præterire, & sic

de noſtri poſſemns execntione officij reprehendi, ſi ſuper his quæ contra prædictum Archiepiſcopum opponebantur, non faceremus inquirere ſolicitiùs veritatem, & cum de contemptu, quem apud ſedem apoſtolicam habere dignoſcitur, non curaremus animadverſione debita caſtigare, inquiſitionem ipſius negocij veſtræ duximus experientiæ committendam; diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus convocatis ad præſentiam veſtram partibus, & auditis quæ contra prædictum Archiepiſcopum præfatus Decanus proponere voluerit & probare, utrinſque partis probationes & allegationes veſtro ſigillo ſignatas noſtro apoſtolatui transmittatis; præfigentes utrique parti terminum competentem, quo omni dilatione & excuſatione poſtpoſita, noſtro ſe curent conſpectui præſentare. Si verò ſupramemoratus Archiepiſcopus in termino ei à vobis præfixo ad præſentiam noſtram perſonaliter accedere non curaverit, vos eum ex tunc auctoritate noſtra denuncietis publicè, ſublato appellationis obſtaculo, officio beneficióque ſuſpenſum, & faciatis latam in eum ſuſpenſionis ſententiam per cenſuram eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari. Si autem inter cetera quæ jam dictus Decanus contra Archiepiſcopum propoſuerit memoratum, legitimè probaverit quòd ipſum & E. ſocium, poſtquam iter arripuerunt ad ſedem apoſtolicam veniendi, jamdictus Archiepiſcopus expoliaverit, vel fecerit ſpoliari, vos taliter ablata ipſi Decano & ſocio ſuo omni poſtpoſita faciatis dilatione reſtitui, & ipſum Archiepiſcopum ab officio pontificali ſuſpenſum ad noſtram præſentiam dirigatis. Nullis literis obſtantibus harum mentione non habita &c. Quòd ſi omnes, tu frater Epiſcope &c.

ZAMOREN. EPISCOPO, Abbati Saltus Noval. & Priori ſancti Marci.

Epiſt. 71. Vt reſtituta Legionenſi Eccleſiæ archidiaconatus poſſeſſione, cauſam jure finiant.

CVm, ſicut audivimus, inter Legionen. & Lucen. Eccleſias olim ſuper archidiaconatu de Tria Caſtella in præſentia felicis recordationis Lucij Papæ III. prædeceſſoris noſtri præſentibus nunciis utriuſque partis cauſa diutiùs agitata fuiſſet, tandem Legionen. Eccleſiæ fuit adjudicata poſſeſſio, datis executoribus qui eam in poſſeſſionem illam corporaliter inducere non differrent. Cùmque in poſſeſſionem prædicta Eccleſia fuiſſet inducta, venerabilis frater noſter Lucenſis Epiſcopus partem poſſeſſionis illius fructúſque perceptos ſibi retinere præſumpſit, licèt ſententiæ fuiſſet inſertum quòd facta reſtitutione plenaria, de cauſa proprietatis Legionen. Eccleſia reſponderet. Nuper verò idem Lucen. Epiſcopus ad dilectum filium G. ſancti Angeli diac. Card. tunc apoſtolicæ ſedis Legatum accedens, ad quóſdam ignotos & remotos ab Eccleſia Legionen. judices literas impetravit: ad quorum citationem cùm Legionen. nuncij acceſſiſſent, latam per Eccleſiam ſententiam allegarunt, & nolentes, niſi facta reſtitutione plenaria, reſpondere, ſedem apoſtolicam appellarunt, ne contra præfatam ſententiam poſſet aliquid attentari. Duo verò ex ipſis judicibus nihilominus procedentes in cauſa, poſſeſſionem archidiaconatus adjudicare Lucen. Eccleſiæ temerè præſumpſerunt. Eccleſia vèrò Lucen. expulſis miniſtris Legionen. Eccleſiæ, ſuos miniſtros & quoſdam milites in poſſeſſionem induxit, qui recipientes Eccleſias, & pro ſua voluntate bona diripientes earum, fructus ex illis injuſtè percipiunt, Canonicos Legionen. ad poſſeſſionem nullatenus accedere permittentes. Quia igitur quod per ſedem eſt apoſtolicam diffinitum, nullius volumus temeritate quaſſari, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit præfatam Legionen. Eccleſiam auctoritate apoſtolica fuiſſe in poſſeſſionem inductam, vos amotis detentoribus ejus ipſam Eccleſiam Legionen. non obſtante temeritate judicum prædictorum ab ipſo Card. delegatorum, per cenſuram eccleſiaſticam in poſſeſſionem dicti archidiaconatus plenariam, ſicut in authentico inſtrumento dicti prædeceſſoris noſtri inſertum eſſe vobis conſtiterit, auctoritate apoſtolica ſublato appellationis obſtaculo corporaliter reducentes, cauſam poſtmodum audiatis, & appellatione remota fine debito terminetis. Provideatis quoque ſolicitè, ne * à prædicto prædeceſſore noſtro ſententiam quilibet temerè violare præſumat. Nullis literis obſtantibus harum mentione non habita &c. Quòd ſi omnes &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum xv. Kal. Maij.

* latam

ALIFANO EPISCOPO.

Epiſt. 72. Quod Clericos præſumentes ipſum ad tribunal ſeculare trahere, poſſit per excommunicationis ſententiam coërcere.

IVſtis petentium *&c. uſque ad verbum illud* aſſenſu. Vt clericos tuos, qui contumaces aut inobedientes extiterint, qui etiam in eccleſiaſticis cauſis & beneficiis conferendis te per appellationem præſumpſerint ad judicium trahere ſeculare, niſi ad monitionem tuam ab his præſumptionibus duxerint deſiſtendum, tibi eos liceat per excommunicationis ſententiam cohercere, auctoritate tibi præſentium indulgemus. Præterea, ſi quid vacante ſede uſque ad tempus conſecrationis tuæ in præjudicium tuum fuit in Alifana Eccleſia temerè attentatum, liberum tibi ſit legitimè revocare. Datum Romæ.

MAGISTRO ET FRATRIBVS Hoſpitalis Hieroſolymitani.

Epiſt. 73. Vt Eccleſiæ Tripolitanæ Eccleſiam de Nephin unà cum decimis, juxta decretum Pontificis reſignent.

EA quibus apoſtolica ſedes manum diffinitionis apponit, illius volumus firmitatis ſtabilitate fulciri, ut nulli liceat in ſcrupulum quæſtionis deducere quod tantæ ſedis eſt auctoritate ſtatutum. Sanè venientibus ad præſentiam noſtram dilectis filiis noſtris S. Priore ſancti Michaëlis & Aimerico canonico Tripolitan. nunciis ipſius Eccleſiæ Tripolitanæ, & ſuper Eccleſia de Nephin. & decimis ſuis, ac tribus caſalibus, quæ occaſione literarum bonæ memoriæ C. Papæ prædeceſſoris noſtri vos occupaſſe temerè aſſerebant, contra vos proponentibus quæſtionem, tam ipſis quàm nunciis veſtris eis ſe opponentibus venerabilem fratrem noſtrum P. Portuen. Epiſcopum & dilectos filios Guid. tt. ſanctæ Mariæ tranſtyberim presbyterum & G. ſancti Angeli diaconum Card. conceſſimus auditores: in quorum præſentia cùm ab utraque parte fuiſſet diutiùs allegatum, & ex fideli relatione nobis ſuper cauſæ meritis nuda veritas appareret, poſt deliberationem habitam inter fratres noſtros ſuper his diligentem, de conſilio eorundem decrevimus Eccleſiam Tripolitan. in eum ſtatum poſſeſſionum integrè reducendam, quam habuit antequam per venerabilem fratrem noſtrum Nazarenum Archiepiſcopum & dilectum filium Abbatem Montis Oliveti deſtinatum à venerabili fratre noſtro Patriarcha Hieroſolymitan. occaſione mandati prædeceſſoris noſtri, prædictarum rerum poſſeſſio vobis adjudicata fuiſſet. Ideóque vobis per apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus juxta qnod eſt ſententiatum à nobis, poſſeſſionem tam Eccleſiæ de Nephinis, quàm aliorum quæ ſuperiùs ſunt expreſſa, cum integritate fructuum ex eis ab illo tempore perceptorum, memoratæ Tripolitan. Eccleſiæ, contradictione, occaſione, & appellatione ceſſantibus, pacificè reſignantes, nullam ei ſuper eadem poſſeſſione violentiam præſumatis aut injuriam irrogare, ne in cauſa proprietatis propter rebellionem veſtram jacturam poſſitis incurrere graviorem. Noveritis autem nos venerabilibus fratribus noſtris Tyrenſi Archiepiſcopo & Epiſcopo Sidonien. mandaſſe, ut ſi ultra menſem poſſeſſionem illam (quod non credimus) contra ſententiam noſtram præſumpſeritis detinere, ipſi vel alter eorum (ſi ambo nequiverint intereſſe) auctoritate noſtra ſuffulti prædictam Eccleſiam de Nephinis, cum prædictis omnibus, non obſtante contradictione vel appellatione cujuſlibet, Eccleſiæ Tripolitan. aſſignent, & eam in corporalem poſſeſſionem omnium prædictorum inducant, quoſlibet contradictores, ant noſtræ ſententiæ obviantes, per ſeveritatem eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Nullis literis obſtantibus, præter aſſenſum partium à ſede apoſt. impetratis. Datum Lateran.

ANAGNINO EPISCOPO.

Epiſt. 74. Quòd liceat ei pro emptione Caſtri, Eccleſiæ bona cum voluntate Capituli, pignori ſupponere.

AD univerſalis Eccleſiæ regimen Domino diſponente vocati, ſic Eccleſiarum commodis & profectibus volumus (prout debemus) efficaciter providere, quòd tam in temporalibus quàm ſpiritualibus proficere valeant, & ſtatum ſemper debeant recipere meliorem. Inde eſt qnòd cùm in deſiderio habeas & propoſito Anagnin. Eccleſiam juxta officij tui debitum in poſſeſſionibus ampliare, & juſtis modis ejus utilitatibus imminere, gratum nobis & acceptum exiſtit, & votis tuis ſuper hoc volumus patrocinium apoſtolicum impertiri. Quia igitur Caſtrum Acuti pro Eccleſiæ tibi commiſſæ utilitatibus comparare laboras, & tam tuæ quàm ipſius Eccleſiæ facultates non ſufficiunt ad pretium exolvendum, ut in præſenti articulo cum toto tuo Capitulo, vel majori

jori & saniori parte de possessionibus ipsius Ecclesiæ valeas pignori obligare, auctoritate præsentium liberam tibi concedimus facultatem. Nulli ergo &c. Datum Lateran.

ADEM. PICTAVEN. EPISCOPO.

Epist. 75. De confirmatione electionis suæ in Episcopum Pictavensem.

CVm justus Dominus justitiam diligat, & vultus ejus videat æquitatem, nos, quos ipse gratuito cœlestis gratiæ dono vicarios suos esse voluit & Apostolorum principis successores, sicut ipse ambulavit, ambulare oportet, diligentes justitiam, & injustitiam persequentes: ne si in contrarium, quod absit, fortè fecerimus, illud nobis valeat coaptari: *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Cùm enim justitia & judicium sit correctio sedis hujus, quam licet insufficientibus meritis obtinemus, si judicium non fecerimus inter virum & virum, aut si attenderimus in judicio vultum potentis ad injustitiam declinantes, pronuntiabunt labia nostra iniquitatem: quoniam secundùm Prophetam *pronuntiabunt & loquentur iniquitatem omnes qui injustitiam operantur.* & infructuosæ poterimus ficulneæ comparari, quam evangelicus paterfamilias succidi mandavit, & terram conquestus est inutiliter occupare. Hoc nos & fratres nostri volentes cautiùs evitari, cùm I. Dolen. monachus, carissimi in Christo filij nostri R. illustris Regis Angliæ & G. Pictaven. Decani ac fautorum ejus procurator, assistentibus sibi Subdecano & magistro Vu. de Talebore Canonico Pictaven. ex una parte, & dilecti filij Vv. Succentor, magister Rainaldus, Ioannes Aëris, I. Arnaldi, I. Emen. Ioannes Butember. Lucas Montis Maurilij, Guid. Haimo, Henr. & Ric. Canonici Pictaven. ex altera, super electione tua ad sedem apostolicam accessissent, audientiam eis in consistorio publico duximus concedendam; ut tanto pluribus judicij veritas innotesceret, quanto causæ meritum ad plurium notitiam deveniret. Propositum fuit autem pro electione in præsentia nostra, quòd bonæ memoriæ Vv. prædecessore tuo viam vniversæ carnis ingresso, tam Personæ quàm universi Canonici Pictaven. cùm de Pontificis substitutione tractarent, vota sua in sex de Canonicis unanimiter contulerunt, juramento à singulis corporaliter præstito quòd eum, in quem illi pariter convenirent, in electum reciperent, & obedientiam ei ac reverentiam exhiberent. Cumque infra sex mensium spatium dicti electores inter se convenire minimè potuissent, venerabili fratri nostro Burdegalen. Archiepiscopo ad Capitulum evocato, & compromissione in ejus præsentia innovata, dictum Archiepiscopum omnes humiliter rogaverunt, ut quem illi sex eligerent pro Capitulo, reciperet, & electionem ejus sine dilatione qualibet approbaret. Electores igitur singuli sub debito olim præstiti juramenti, fide interposita in manu dicti Archiepiscopi firmiter promittentes quòd secundùm Deum, quem de gremio Ecclesiæ pastorali regimini magis idoneum existimarent, eligerent, secedentes in unum, in te concorditer convenerunt; & cum concordiam suam dicto Archiepiscopo nunciassent, ipse quod factum fuerat approbavit. E contra verò pars adversa proposuit quòd revera in sex Canonicos fuerat ab omnibus compromissum: ita tamen quòd meliorem clericum de gremio Pictaven. Ecclesiæ cum pace ipsius Ecclesiæ ac Principis infra certum diem eligerent, ac tamdiu electionem, quam facerent, occultarent, donec habita pace Principis Decanus electum in Capitulo nominaret. Sed cùm electores ipsi inter se minimè convenirent, à compromisso singulos absolverunt. Et licèt prima compromissio in dicti Metropolitani fuerit postmodum præsentia innovata; quia tamen in die compromissionis, sicut eis injunctum fuerat, nullatenus elegerunt, eorum auctoritas expiraverat. propter quod ulteriùs eos nec potuisse nec debuisse procedere asserebat. Fuit etiam ex eadem parte subjunctum quòd cùm die compromissionis, ut dictum est, non fuisset in electione processum, electores ipsi ad celebrandam electionem diem alterum statuerunt: in quo, quoniam ad Capitulum non venerunt, dictus Decanus apostolicæ sedis audientiam appellavit. Sed ipsi appellationi minimè deferentes, extra civitatem in loco secreto, non vocatis Decano & aliis, elegerunt. propter quod Decan. & fautores ejus in venerabilem fratrem nostrum Nannetensem Episcopum convenerunt. Ceterùm pars Ecclesiæ, quòd sicut superiùs est expressum,

in electiooe processerit, voluit in continenti probare; decretum producens in medium quorundam etiam ex eis qui videbantur parti alteri consentire, manibus roboratum; & quorundam Abbatum proferens literas, quæ quo Decan. Cantor, Subdecan. & magister Vv. de Talebore in electiooe ipsa post publicationem ejus se coosentire confessi fuerant, contioebant. Adjecit etiam quòd cùm electores ipsi die inoovatæ compromissionis in re unaoimiter cooveniseot, & electio ipsa fuisset per eundem Archiepiscopum approbata, Archiepiscopus ad Capitulum veniens, quod factum fuerat, tacito tameo nomine tuo, Canooicis intimavit, qui se id gratum habere unaoimiter responderuot, & ut electio non publicaretur eadem die, ab Archiepiscopo postularuot, danres ei osculum pacis quòd ab electione ipsa nullatenus resilirent, immo eam omnes & singuli defensarent. Quia verò postmodum propter contradictionem Comitis infra civitatem Pictaven. te oon audebant publicè nominare, io locum tutum & idoneum convenerunt, quod in civitate fecerant publicantes. Vnde cùm in die inoovatæ compromissionis electores convenerint, & nisi per Decanum & partem suam stetisset, quod fecerant parati fuerant publicare, ac cùm ex literis eorundem Abbatum constiterit quòd Decan. Cantor, Subdecan. & magister Vv. de Talebore electioni se post publicationem etiam confessi fueriot consentire, exceptiooes ad adversa parte propositas sibi asseruit oullum præjudicium geoerare. Præterea Subdecan. & magister Vv. in ipsa quæstionis examinatione ad fratrum concordiam sunt reversi. Verùm Vv. de Helemosina dilecti filij O. Pictaven. Comitis procurator præfato I. monacho assistenti proposuit quòd quia electio ipsa post appellationem nec io statuto termioo oec assignato loco fuerat celebrata, & quoniam assensus Principis ooo fuerat postularus io ipsa, & persooa tua Priocipi erat ex certa ratione suspecta, erat penitùs irritaoda. Ad quod fuit ex altera parte responsum quòd oon per eam steterat quò minùs certo loco & tempore electio publicata fuisset, quæ ante appellationem fuerat celebrara, & quòd assensus Principis non erar de consuetudine Pictaven. Ecclesiæ aliquateous postulandus; qui te & fratres tuos, non ut hostes, sed ut devotos suos in Pictavia tolerarat. Nos igirur auditis quæ hinc inde proposita fuerant, electiooem fuisse canonicam cognoscentes, & de persooa idooea celebratam, eam de commuoi fratrum nostrorum consilio per seoteotiam confirmavimus, & te sequeote die ministerio proprio in Episcopum curavimus consecrare. Ne igitur super his aliqua in posterum dubietas oriatur, seorentiam ipsam auctoritate apost. coofirmamus, & præsenris scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Lateraoi viij. Idus Aprilis.

Vide veteres schedas monasterij Coronæ apud Beslyum in Hist. Episcopor. Pictav. num. 67.

ZAMOREN. EPISCOPO.

Epist. 76. Vt sine titulo ordinato clerico provideatur. *Cap. Cum secundùm Apostolum, de prabendis & dignitat.*

CVm secundùm Apostolum, qui altario servit, de altari vivere debeat, & qui ad onus eligitur, repelli noo debeat à mercede; patet à simili ut clerici vivere debeanr de patrimonio IESO CHRISTI, cujus obsequio deputantur, ut ipsa oominis ratio persuadet. Cùm enim à cleros, quod est sors, vel hereditas, Clerici appellentur, quia in sui ordinatione vel assumuntur in hereditatem Domini, vel assequuntur hereditatem in ipso, ut verè possint psallere cum Propheta, *Dominus pars hereditatis meæ*, dignum est ut Ecclesiæ stipendiis susteotentur, in qua & per quam diviois obsequiis ascribuotur. Licèt autem prædecessores nostri ordinationes eorum qui sine certo titulo promoventur, in iojuriam ordinantium irritas esse voluerint & inanes; nos rameo benigniùs agere cupieotes, tamdiu per ordinatores vel successores ipsorum provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia conseqoaotur; ne fortè clamores Clericorum pauperum, quos io aures Domioi Sabaoth credimus introire, indurata facie negligere videamur. Iode est quòd cùm dilectus filius * Bernardus lator præsentium, à G. bonæ memoriæ prædecessore tuo, sicut asserit, in officium fuerit subdiaconatus oullo præsentaore promotus, nec ullum sit ecclesiasticum beneficium assecutus; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quateous si eum *cum dilectis filiis I. Decano, N. magistro scbolarum, & Helia Canooicis Zamoren. quibus examinationem ipsius duximus committendam, idoneum esse repereris, & ecclesiastico beneficio non

** In tertia Collectione & apud Gregorium IX. legitur, dil. f. G. Later.*

** In tertia Collectione & apud Gregorium hæc habentur: mandamus qua. si cum dil. f. quibus ex. ip. de*

committendā, te ettato legitimè ut per te ipsum vel idoneum responsalem intersis, & tam super idoneitate personæ, quàm etiam super quantitate ac qualitate Beneficij proponere tibi liceat quicquid rationabiliter duxeris proponendum, idoneum esse repertor, & eccles. &c.

indignum, tamdiu ei vitæ necessaria congruè subministres, donec per te in Zamoren. Ecclesia vel in alia fuerit competens beneficium ecclesiasticum assecutus; sciturus pro certo quòd si per examinationem illorum fuerit repertus idoneus, & tu ei juxta mandatum nostrum neglexeris providere, cùm hoc nobis per eorum literas innotuerit, ad id exequendum te per districtionem ecclesiasticam compellemus. quia sicut nolumus injusta præcipere, sic cùm justa præcipimus, volumus efficaciter exaudiri. Datum Laterani III. Nonas Aprilis.

DECANO ASTORICENSI.

Epist. 77. Vt sit decessorum suorum jure atque privilegiis contentus, nec gravet suum Capitulum.

Dilecti filij Capitulum Astoricen. nobis intimare curarunt quòd cùm tu olim ad apostolicam sedem accedens, assereres dignitatem Decanatus de novo fuisse in Astoricen. Ecclesia institutam, & ideo in ambiguo remanebat quid ad tuum officium pertineret, rescriptum ab eadem sede super hoc reportasti quòd in hac ambiguitate Astoricen. Ecclesia consuetudinem suæ Metropol. sequeretur, ubi ex speciali consuetudine Decanus multis se gaudet privilegiis decoratum. Vnde quia eadem Astoricen. Ecclesia dignitatem Decanatus à longis retro temporibus noscitur habuisse, licèt qui eo fungebatur honore promoveretur aliquando & destitueretur pro Episcopi & Capituli voluntate, nec Decani sed Prioris nomine vocaretur, secundùm consuetudinem ferè omnium Ecclesiarum Hispaniæ, quæ tunc temporis ibi vigebat; cùm etiam alius Decanus ibidem fuerit institutus, Decanus re ac nomine appellatus, literas illas per falsi suggestionem & suppressionem veri afferunt impetratas; nec te debere per illas aliquod commodum reportare, sed carere potiùs taliter impetratis. Eapropter per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si vera sunt quæ dicuntur, eo jure illáque potestate, quibus antecessores tuos usos fuisse constiterit, maneas omnino contentus; nec amplius de cetero in præjudicium Episcopi vel Capituli præsumas exigere; immo si quid fortè amplius recepisti, penitùs id in pace dimittas. Quòd si fortè nostro mandato acquiescere nolueris, noveris nos ven. fratri nostro Episcopo & dilectis filiis Abbati de Carrazedo & Decano Zamoren. injunxisse ut te ad prædicta moneant & inducant, & si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, justitia mediante compellant. Datum Laterani vj. Kalend. Aprilis.

Illis scriptum est super hoc.

MAGDEBVRGEN. ARCHIEPISC.

Epist. 78. Vt à laicis intrusum amoveat, aliúmque Pragensem Episcopum canonicè eligi curet.

Ex parte Pragen. Ecclesiæ in audientia nostra fuit propositum quòd cùm H. quondam Pragen. Episcopus fuisset viam universæ carnis ingressus, D. Clericus in eorum Ecclesia præter electionem Capituli per laicalem potentiam se intrusit, licèt nec mores nec vita ei ad obtinendum tantum officium suffragentur. Volentes igitur eidem Ecclesiæ paterna solicitudine providere, fraternitati tuæ per apost. scripta mandamus quatenus ad locum idoneum evocatis qui propter hoc fuerint evocandi, si tibi constiterit de prædictis, memoratum Clericum ab eadem Ecclesia omni contradictione & appellatione postposita prorsùs amoveas, & ab officio beneficióque suspensum, ad nostram non differas præsentiam destinare. Canonicis etiam Pragen. eligendi sibi Pastorem idoneum juxta formam canonicam concedas auctoritate nostra liberam facultatem. Sciturus nos dilecto filio nobili viro Duci Boëmiæ per apost. scripta mandasse ut tibi super his viriliter & potenter assistat, & prædictam Ecclesiam non patiatur ab eodem Clerico teneri diutiùs occupatam. Datum Laterani vj. Idus Aprilis.

Canonicis etiam ipsius Eccl. scriptum est ut illo amoto per Archiepiscopum, ad canonicam electionem procedant.

AVXITAN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 79. Vt Clerici qui se à laicis intrudi curant, puniantur.

Qvanto modernis temporibus, inimico humani generis suggerente, malitia hominum solito plus excrevit, tanto solicitiori diligentia nos providere oportet ut ea quæ in Ecclesia Dei minùs ordinatè & contra normam ecclesiasticam attentantur, deliberatione provida corrigantur. Ad audientiam siquidem apostolatus nostri pervenit quòd Clerici tuæ provinciæ nimiæ aviditatis fervore succensi, in Ecclesiis, quas propter insufficientiam suam, cùm sint minùs idonei, per Prælatos obtinere non possunt, per seculares potestates quasi vio-

lenter faciunt se intrudi. unde fit ut Ecclesiæ ipsæ, quæ ad ordinationem Prælatorum liberè pertinere solebant, laicali servituti subdantur, & irreparabile detrimentum incurrant. Nos igitur, prout officij nostri debitum exigit, volentes ipsarum Ecclesiarum gravaminibus providere, talia de cetero fieri auctoritate apost. inhibemus; fraternitati tuæ præsenti pagina indulgentes ut illos qui hactenus attentarunt talia, vel deinceps attentaverint, possis appellationis sublato diffugio, si Prælati eorum post tuam commonitionem id exequi negligenter omiserint, canonica censura punire, & amovere ab ipsis Ecclesiis, si quos inveneris Ecclesias obtentas taliter obtinere. Datum Laterani xv. Kalend. Aprilis.

AUXITAN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 80. Vt vagi monachi ad cœnobium revocentur. Cap. Quanto. De officio ordinary.

Quanto devotio religiosorum virorum studiosiùs mandatis divinis muæret, & creatori suo placere per opera sanctæ conversationis intendit, tanto humani generis inimicus ad seductionem eorum suæ fraudis malignitate laborat, & variis modis eis præstat materiam excedendi, & animas eorum inextricabili laqueo nititur irretire. Ad audientiam siquidem nostram noveris pervenisse quòd monachi, Canonici, & alij regulares in tua provincia constituti, cùm deberent potiùs in claustro juxta regularia constituta divinis obsequiis vigilare, de Obedientiis & redditibus, quorum curam gesserunt, pecunia congregata, claustrum abhorrentes, per curias Principum & potentum discurrere non verentur, & muneribus suis illorum sibi gratiam & favorem acquirunt, ac de eorum familiaritate confisi, in Conventu suo graves dissensiones commovent, & ceterorum humilitatem in spiritu arrogantiæ contemnentes, mandatis Prælatorum suorum inobedientes & contumaces existunt, & contra illorum prohibitionem secularium negotiorum sollicitudinibus se immergunt. Quoniam igitur propter hoc ordo religionis non modicùm enervatur, fraternitati t. per apost. scripta mandamus quatenus quoscunque tales inveneris, nisi ad commonitionem tuam resipuerint, ut proprium suum in manibus Prælatorum suorum sine difficultate resignent, convertendum in utilitatem domus secundùm Abbatis consilium, & regularem vitam observent, si

In editione Colon. legitur, secundum arbitrium.

Prælati eorum post tuam commonitionem id exequi negligenter omiserint, per suspensionem officij & beneficij appellatione remota compellas. Datum Laterani xiv. Kalend. Aprilis.

trij sui consilium. Verùm præferre maluimus lectionem Tertiæ Collectionis.

AUXITAN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 81. Vt hæreticis obsistat, & gladio coërceat.

Inter cetera quæ naviculam beati Petri fluctuantem in mari concutiunt diversarum turbine procellarum, illud animum nostrum graviùs affligit, quòd licentiùs & perniciosiùs solito contra orthodoxæ fidei disciplinam ministri diabolicæ prævaricationis insurgunt, juxta quod beatiss. Apostolus Paulus doctor gentium exprimit in eulogio epistolæ suæ. Simplicium animas miserabiliter illaqueant, & post se trahunt in damnationis interitum; ac superstitiosis & fictitiis adinventionibus sacrarum scripturarum intelligentiam pervertentes, Ecclesiæ Catholicæ unitatem rescindere moliuntur. Quoniam autem pestis hujusmodi erroris (sicut ex tua & plurium assertione cognovimus) in partibus Vasconiæ ac circumpositis terris fortiùs invalescit; per tuam & aliorum coëpiscoporum tuorum industriam huic morbo tanto efficaciùs volumus obviari, quanto magis est timendum quòd pars syncera trahatur, & tali contagione, quæ paulatim, velut cancer, irrepit, mentes fidelium inquinentur corruptelæ vitio generalis. Ideóque fraternitati tuæ præsenti pagina indulgemus, per apo. scripta firmiter injungentes, quatenus ad extirpandas hæreses universas, & eos qui sunt hac fæce polluti de provinciæ tuæ finibus excludendos, modis quibus poteris, operam tribuas efficacem; in ipsos, & omnes illos, qui cum eis aliquando commercium aut manifestæ suspicionis familiaritatem contraxerint, sublato appellationis obstaculo eccl. districtionis exercendo rigorem, & etiam (si necesse fuerit) per Principes & populum eosdem facias virtute materialis gladij coërceri. Datum Laterani Kalend. Aprilis.

AUXITAN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 82. Vt habentes plures dignitates, retenta una, reliquas resignare cogatur.

Dignitates & cetera beneficia ecclesiastica pia fidelium devotione constituta fuerunt, certis assignanda personis, ut per ipsas personas in Ecclesiis devotum servitium jugiter impendatur. Verùm quidam, qui rectam & piam ordinationem Ecclesiæ prævaricare mini-

mè pertimescunt, in diversis Ecclesiis plures sibi archidiaconatus vel alias dignitates usurpant. propter quod Ecclesiæ debitis defraudantur obsequiis, & ex hoc in eis non leve scandalum generatur. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tibi auctoritate præsentium indulgemus, quatenus illos, quos plures archidiaconatus, dignitates, vel personatus in eadem Ecclesia per totam Auxitan. provinciam habere constiterit, si Prælati eorum post tuam commonitionem id exequi negligenter omiserint, data illis optione quem maluerint retinendi, reliquis possis appellatione remota privare, ipsósque, si super hoc contumaces apparuerint, per censuram ecclesiasticam coërcere. Datum Laterani Kalend. Aprilis.

Scriptum est autem eidem Archiepiscopo in eundem modum contra eos qui plures abbatias habent.

VNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint.

Epist. 83.

NE promotionis nostræ primitias Domino negaremus, cui universa opera nostra consecrare tenemur, statim post electionem nostram tam pauperum quàm aliorum apud sedem apostolicam existentium petitionibus intendere cœpimus, & eorum negotia promovere; ne si otio tanto tempore vacaremus, corpus & animus ex otiositate torperent. Verùm quoniam insolitum fuit hactenus ut sub dimidia Bulla ad tot & tam remotas provincias literæ apostolicæ mitterentur, & ex hoc literæ ipsæ diutiùs quàm vellemus possent ex alicujus dubitatione suspendi; ut quorum interest parcamus laboribus & expensis, universas literas, quæ ab electionis nostræ die usque ad solennitatem consecrationis sub Bulla dimidia emanarunt, parem cum illis firmitatem obtinere decernimus quæ in Bulla integra diriguntur. Nulli ergo &c. Datum Laterani iij. Nonas Aprilis.

ARCHIEPISCOPO, PRÆPOSITO S. Andreæ, & Scholastico S. Petri Colonien.

Epist. 84. Vt fraudulenta privatáque beneficiorum permutatio rescindatur. Cap. Cùm universorum. De rerum permutatione.

CVm universorum fidelium ab ipso Domino Iesu Christo pastoralis nobis sit cura commissa, solicitudini nostræ dignoscitur expedire, ut sic debeamus quoslibet in suis rationibus confovere, quòd aliorum jura in conspectu Ecclesiæ dispendium non sustineant, sed firma & illibata debeant permanere. Intelleximus siquidem dilecto filio Gislerberto Canonico S. Iohannis in Leodio referente quòd cùm ipse & Lambertus Clericus, ducti quadam animi levitate, de permutatione præbendarum suarum inter se tractare cœpissent, quia utilitatem utriusque imminere credebant, * tamen idem L. Clericus occasione dictæ permutationis, præbenda ejusdem G. quam in Ecclesia sanctæ Mariæ Namurcen. habebat, cuidam suo consanguineo assignata, præbendam S. Bartholomæi, quam sæpedicto G. repromiserat, nequaquam voluit resignare; & sic idem G. (ut asserit) sua spe remansit omnino frustratus. Cùmque super hoc in præsentia venerabilis fratris nostri Leodien. Episcopi fuisset diutiùs litigatum, tandem idem L. sedem apostolicam appellavit; & cùm dictus G. ad nostram præsentiam non sine magno periculo & labore accessisset, idem L. nec venit, nec pro se curavit sufficientem mittere responsalem. Cùm igitur deceptis & non decipientibus jura subveniant, fraus etiam & dolus nemini debeant patrocinium impertiri; licèt ipsi per se de jure non possent ecclesiastica beneficia permutare; ut tamen simplicitati venia tribuatur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si vobis constiterit prætaxatum G. taliter fuisse deceptum, ab ipsa Namurcen. præbenda, quam diù dicitur possedisse, amoto consanguineo ipsius L. vel quolibet alio illicito detentore, eandem sublato appellationis obstaculo G. faciatis restitui memorato, & eundem ipsius pacifica possessione gaudere. Nullis literis &c. Quòd si omnes, tu frater Archiepiscope cum eorum altero &c.

* In tertia Collect. & apud Gregor. eandē.

MEDIOLANEN. ARCHIEPISC.

Epist. 85. De citatione Passaguerræ causidici ad dicendam causam Romæ.

BEnevolentiam, quam circa Mediolanen. Ecclesiam & civitatem gerimus, in minori quondam officio constituti in opere demonstravimus, & nostræ intentionis affectum ostendimus in effectu. Nuper etiam divino munere ad summi pontificatus officium evocati, inter ipsa nostræ promotionis exordia volentes Ecclesiæ Mediolanen. deferre, negocium ejus, quod ex majori parte fuerat immutatum, in debitum statum reduximus: in quo usque adeo visi fuimus ejusdem Ecclesiæ justitiæ providere, ut

Passaguerra causidicus tuus ad pedes nostros procidens, publicè in consistorio acclamaret: *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* Ceterùm cùm postmodum juxta tenorem pronunciationis nostræ, dilecto filio Abbati de Scozula expensas restitui faceremus, licèt frequentes oblocutiones & detractiones ejusdem P. frequenter dissimulassemus, tandem coram fratribus nostris proponere detrahendo præsumpsit quòd eum in pronunciatione nostra injustè gravaremus, ac postmodum iniquitatem iniquitati ac præsumptionem præsumptioni apponens, à nobis illicentiatus, immo post interdictum nostrum abscessit. Licèt autem & peccatores simus, & nati de peccatoribus; illius tamen & vices agimus & locum tenemus qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui habet in vestimento & in femore suo scriptum *Rex Regum, & Dominus dominantium*, qui dixit Apostolis: *Qui vos spernit, me spernit: & qui me spernit, spernit eum qui me misit.* Cùm ergo juxta canonicas sanctiones quædam sint culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam; ne quis hujus temeritatis exemplo præsumat ponere os in cœlum, cùm ejus lingua transeat super terram; nos utique non nostram persequentes injuriam, sed zelum exercentes ecclesiasticæ disciplinæ, universa quæ idem P. pro se ac suis à sede apostolica impetravit, præsentium auctoritate cassamus; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, & sub obtentu gratiæ nostræ districtè præcipientes, quatenus ea cassata denuncies & carere prorsùs robore firmitatis. Ad hæc, districtè tibi præcipiendo mandamus, ut nisi dictus P. infra quindecim dies pòst susceptionem præsentium satisfaciendi nobis de tanto excessu in manu tua juratoriam præstiterit cautionem, vel infra quindecim alios dies iter arripuerit ad sedem apostolicam veniendi de tanto nobis satisfacturus excessu, ex tunc eum singulis diebus Dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, facias tam per civitatem Mediolanen. quàm per totam diocesim excommunicatum publicè nunciari; taliter super hoc mandatum apostolicum impleturus, ne culpa ipsius in te possit meritò retorqueri. Datum Romæ apud S. Petrum Idibus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

ARCHIEPISCOPO SENONEN.

APostolicæ sedis requirit auctoritas ut quæ confirmationis ipsius munimine fulciuntur, firma debeant & illibata persistere, nec possint alicujus temeritate cassari. Vnde cùm venerabilis frater noster Episcopus Carnoten. Presbyteros in sua diocesi per Carnoten. Pissiacen. & Drocen. archidiaconatus constitutos ab omnibus violentiis, talleis, & exactionibus duxerit absolvendos, eisdem concedens quòd in aliquem ipsorum nullam præter juris ordinem suspensionis sententiam promulgaret, nec res alicujus occasione aliqua occuparet, nisi fortè decederet intestatus, sicut tam in suo quàm tuo authentico perspeximus contineri, & nos, ut ab indebito illorum gravamine conquiescat, duximus confirmandum; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus idem factum, sicut ratione prævia est statutum, tam nostra quàm tua facias auctoritate servari; eundem Episcopum, sive alios, si qui fortè contra confirmationem nostram temerè duxerint veniendum, per censuram ecclesiasticam monitione præmissa, cessante appellatione, compescens. Datum Romæ apud sanctum Petrum xviij. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno primo.

Epist. 86. Vt decretum, privilegij & exemptionis Cleri à talleis & exactionibus observetur.

Vide suprà epist. 45.

ARCHIEPISCOPO SENONEN.

AVdivimus quòd venerabilis frater noster Episcopus Carnoten. ita quandoque sequatur motum propriæ voluntatis, quòd cùm ad vacantes Ecclesias in sua diocesi personæ idoneæ præsententur, ipse, licèt eis nihil de jure possit objicere, eas tamen instituere contradicit. Cùm ergo per te, qui ejus Metropolitanus existis, ipsius velimus suppleri defectum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si idem Episcopus personas idoneas à dilecto filio Pissiacen. Archidiacono canonicè præsentatas admittere post trinam commonitionem tuam factam diligenter eidem, malitiosè fortè distulerit, tu nostra fretus auctoritate, sublato appellationis obstaculo, eas instituere non omittas; ita tamen quòd nullum ex hoc Episcopo in posterum præjudicium generetur. Datum Romæ apud sanctum Petrum xviij. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno primo.

Epist. 87. Vt ipse illos instituat quos Carnotensis instituere recusabat.

RECTORIBUS THUSCIÆ.

Epist. 55. Quòd arcē Assisij aliásque terras nolint ab Ecclesia alienare.

MIrari cogimur & moveri quòd ea de nobis profana quadam facilitate sentitis quæ filij de patre, Christiani de Apostolico sentire non debent: qui licèt peccatores simus, & nati de peccatoribus, illius tamen vices exercemus in terris qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui cùm sit dominus omnium, habens in vestimento & in femore suo scriptum *Rex Regum & Dominus dominantium*, in nobis honoratur, cùm honoramur; & contemnitur, cum contemnimur; ipso testante, qui ait: *Qui vos spernit, me spernit: & qui me spernit, spernit eum qui misit me.* Vos enim non solùm sentire sed etiam dicere jam præsumitis quòd nos in fraude procedentes & dolo, cum C. quondam Duce Spoleti convenimus, sub quodam simulationis velamine satagentes arcem Assisij & aliam terram ad nos fallaciter revocare, ut eam ipsi C. restituere valeamus. per quod non modicum murmur & scandalum contra Romanam Ecclesiam inter societatem Thusciæ suscitastis, sicut ex literis dilectorum filiorum P. Basilicæ xij. Apostolorum & B. tt. sancti Petri ad vincula Presbyterorum Card. Legatorum nostrorum accepimus, qui manifestè fatentur quòd ex hoc nota nobis infidelitatis & levitatis ascribitur. Sanè si puritatem intentionis & solicitudinis diligentiam, quam in hoc facto gessimus, rectiùs velitis advertere, liquidò videbitis (cùm non in tenebris sed in lumine ambulemus) quòd patrimonium Ecclesiæ non ad opus alterius, sed ad ejus dominium & profectum Italiæ intendimus perpetuò revocare. Si nobis non creditis, vel operibus credite, quæ manifesta sunt indicia veritatis. Cùm enim excommunicationis sententiam latam in præfatum C. confirmaverimus & fecerimus inviolabiliter observari; licèt idem C. pro satisfactione nuncios & literas ad nos frequentiùs destinarit, vix tandem concessimus ut non nobis sed fratribus nostris ejus nuncij loquerentur: in quorum præsentia juravere quòd dictus C. illis mandaverat, nec mandatum postea revocaverat, ut in animam ejus jurarent quòd tam de persona quàm de terra mandatis nostris omnimodis obediret. Remissum est tandem ad illum, ut adhuc certiùs noscere-tur, si quod nuntij sui fecerant, ratum haberet, & vellet efficaciter adimplere. Quo firmiùs promittente, venerabilem fratrem nostrum O. Ostien. Episcopum & dilectum filium G. sancti Adriani Diac. Card. Narniam destinavimus; qui publicè coram multis Episcopis, & Consulibus civitatum, assistente populo Narniensi, juramentum ejus super evangelium, crucem, & reliquias corporaliter præstitum receperunt. nec sic eum voluerunt absolvere, nisi priùs universam terram, quam ipse tenebat, plenariè restitueret, & universos, qui ei tenebantur, à debito fidelitatis absolveret. quod ipse fideliter adimplevit, restituens civitatem Fulginatem, & Interamnem, & aliam terram, quam ipse tenebat; universos à juramento suæ fidelitatis absolvens, & faciens eos nobis hominium exhibere. Cùmque nuncios suos cum Senescalco nostro dirigeret, ut nobis arcem Assisij restitueret, contradicentibus Assisinatibus, & Perusinis etiam impedimentum præstantibus, quod intendebat non potuit adimplere. Ecce culpam aliorum in Rom. Ecclesiam retorquetis; & nobis detrahitis, ut eos aliquatenus possitis excusare. Novit ille qui nihil ignorat quòd ita se veritas habet, & ad hoc intendimus ut quos à jugo duræ conditionis eripuimus, sub apostolicæ protectionis dextera teneamus; quæ verè de se dicere potest: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Manifestum est hujus veritatis indicium quod contra Marcualdum pro multis incendiis, deprædationibus, vastationibus Ecclesiarum statuimus, & jugiter procuramus, sicut vos credimus non latere. Vobis igitur in his quæ salutem continent & honorem, consulere cupientes, mandamus atque præcipimus quatenus omni scrupulo dubitationis & suspicionis seposito, de nobis quæ sinistra sunt non credatis; qui (novit Deus) in puritate procedimus, volentes Ecclesiæ patrimonium ad honorem ipsius & profectum Italiæ non alienis tradere, sed nobis ipsis perpetuò conservare. Quòd autem tractatum illum, quem præfati Cardinales vobiscum habuerant, nos & fratres nostri non duximus totaliter approbandum, ex eo tantùm noveritis processisse, quòd in ipso quædam intelleximus contineri quæ non sapiunt ecclesiasticam honestatem; & sicut jura nostra nobis servari volumus

Vide Notas ad Agobardum pag. 119. & seq.

illibata, ſic aliorum jura volumus illibata ſervare. Si verò factum veſtrum cupitis apoſt. protectionis munimine roborari, ſine quo validum eſſe non poteſt, ne ſi fortè ventus tempeſtatis inſurgat, diruat ædificium quod ſuper arenam invenerit fabricatum, cùm eiſdem Cardinalibus tractatum ipſum ad honorem & profectum Eccleſiæ, commodum & defenſionem veſtram, taliter moderemini, ut eum honeſtè poſſimus & rationabiliter acceptare; ne ſi fortè ſecus egeritis, cùm tempus tentationis advenerit, ſine ſedis apoſtolicæ patrocinio ſubſiſtere non poſſitis, & contingat noviſſima veſtra fieri deteriora prioribus; ut gladius vos devoret, quem timetis. Sciturı quòd interdictum poſitum in civitate Piſana duximus relaxandum; ita tamen quòd cùm tractatus ipſe juxta conſilium noſtrum à vobis fuerit moderatus, niſi Piſani pariter in hoc vobiſcum convenerint, in eos interdicti ſententia revocetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum xvj. Kalend. Maij, pontificatus noſtri anno primo.

In eundem ferè modum Conſulibus & populo Peruſinis. In eundem modum Conſulibus & populo Aſſiſuatibus. In eundem ferè modum P. Baſilicæ XII. Apoſtolorum & B. tt. ſancti Petri ad vincula Presbyteris Cardinalibus.

PETRO CANONICO ſancti Hilarij Pictaven. nepoti quondam magiſtri Aimerici de Partiniaco.

Epiſt. 89. Præbenda ſui avunculi in Eccleſia S. Hilarij Pictavienſis donatur.

PLenitudinem poteſtatis, quam ab eo qui eſt pater miſericordiarum accepimus, cum eis debemus potiùs diſpenſare cum quibus miſericorditer eſt agendum: qui ſi fortè (quod abſit) miſericordes, ſicut & pater noſter miſericors eſt, in hujus diſpenſationis officio non eſſemus, meritò nos tangeret inter alios diſpenſatores Apoſtolus, de quibus illam quæſtionem inducit: *Iam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Vnde tanto cautiùs agere nos oportet, quanto ea quæ ſub hujus conſiderationis intuitu ſtatuuntur à nobis, ſtabilitate volumus perſiſtere firmiori. Defuncto ſiquidem nuper in Vrbe bonæ memoriæ magiſtro Aimerico de Partiniaco avunculo tuo, miſericordia moti fuimus erga te, quem vidimus omni conſilio & auxilio deſtitutum, & audivimus in Cancellaria noſtra fuiſſe fideliter converſatum. Vnde nos propter hoc ad proviſionem tuam vehementius excitati, ad deſolationis tuæ remedium præbendam, quam idem avunculus tuus in eccleſia S. Hilarij Pictaven. olim habuerat, ſicut de plenitudine poteſtatis nobis conceſſa licebat, tibi miſericorditer duximus concedendam, te per annulum propriis manibus ſolenniter inveſtientes de ipſa. Vt igitur quod ſuper præbenda ipſa de te factum eſt, robur in poſterum obtineat firmitatis, & ne temeritate cujuſlibet valeat immutari, inveſtituram ipſam auctoritate tibi apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Decernimus ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum xv. Kalend. Maij, pontificatus noſtri anno primo.

G. ARCHIDIACONO, Cantori, & Cancellario Tornacen.

Epiſt. 90. De collatione cujuſdam præbendæ in Eccleſia Antuerpiana.

SIcut ex literis dilectorum filiorum Præpoſiti & Capituli Antuerpien. nobis innotuit, cùm bonæ memoriæ C. Papa prædeceſſor noſter eis dederit in mandatis ut L. clericum in Canonicum Eccleſiæ ſuæ reciperent & in fratrem, ſtipendium ei eccleſiaſticum aſſignantes, ipſi attendentes quòd literæ illæ fuerant veritate tacita impetratæ, utpote quia idem L. plura habebat eccleſiaſtica beneficia, de quibus honeſtè poterat ſuſtentari, quorum in ejuſdem prædeceſſoris noſtri literis mentio non fiebat, præbendam vacantem Gulielmo Clerico nullum habenti eccleſiaſticum beneficium contulere. Verùm dictus Lambertus accedens ad eorum Eccleſiam, in ea nomine dictæ præbendæ per quoſdam Abbates, quos ſecum duxerat, petiit inſtallari. quod quia obtinere non potuit, tam ipſos Præpoſitum & Canonicos quàm dictum G. ad ſedem apoſt. appellavit, & eos poſtmodum coram officialibus venerabilis fratris noſtri Remenſis Archiepiſcopi vocari fecit ad cauſam. ſed coram eis ſtatuto termino noluit comparere. Cùmque poſt hæc ad dilectos filios ſancti Remigij & ſancti Nicaſij Abbates & Decanum Remenſem idem L. literas ſuper hoc apoſtolicas impetraſſet, & ipſi vices ſuas dilecto filio noſtro magiſtro Sigerio Cameracen. Archidiacono commiſiſſent; quia ipſe nec de cauſa cognoſcere nec exceptiones admittere voluit, dictus

dictus G. ad apostolicæ sedis audientiam appellavit. Cùm autem G. procurator ejus ad nostram præsentiam accessisset, B. Clericus ex parte præfati L. se ei adversarium esse proposuit. Vnde eis dilectum filium nostrum G. S. Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinal. concessimus auditorem: ex cujus post modum relatione cognovimus quòd cùm idem B. pluries vocatus ad caussam fuisset, multoties à præsentia dicti Cardinal. discessit contumax, & tandem à præsentia nostra se penitùs absentavit. Ne igitur causa ipsa remaneat diutiùs indecisa, discretioni vestræ per apostol. scripta mandamus quatenus si vobis constiterit de præmissis, quicquid in ejusdem G. & Capituli post appellationem ad nos legitimè interpositam præjudicium fuerit forsitan attentatum, in irritum revocantes, quod de ipso G. canonicè factum est, appellatione remota ratum haberi faciatis & firmum, & mandetis irrevocabiliter observari, & dictum L. à molestatione ipsius monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes, faciatis eundem G. ipsius præbendæ (sicut justum fuerit) pacifica possessione gaudere. Nullis literis obstantibus harum mentione non habita &c. Quòd si omnes, duo vestrum &cet. Datum Romæ apud sanctum Petrum Idibus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

EPISCOPO ALIFANO.

Epist. 91. Quod pro re(p)li reparatione aliquid locare queat.

IVstis petentium &c. *usque ad verbum illud* complere. Sanè quia, sicut nobis exponi fecisti, pro reparatione Ecclesiæ tuæ multorum teneris onere debitorum oppressus, nos tuis gravaminibus providere volentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut tenimentum quod Petrus Iudicis Gulielmi nunc mortuus olim habuisse proponitur, si absque præjudicio juris alieni fieri potest, sub locatione debita secundùm approbatam Ecclesiæ tuæ consuetudinem tibi liceat retinere. Nulli ergo omnino &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum XVII. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno primo.

DILECTO FILIO *fratri Rainerio.*

Epist. 92. De revocandis incestis nuptiis, & servando fœdere pacis.

AVctor novi & veteris testamenti Dominus DEUS noster, ut confunderet fortia, humilia frequenter elegit in veteri synagoga, in Patriarchas & Reges de post fœtantes assumens, & in nova Ecclesia gentium in Apostolos eligens piscatores. Qui cùm Ecclesiam sponsam suam prole multiplici fœcundarit, ponens filios ejus sicut novellas olivarum in circuitu mensæ suæ, nos, quos ipse, licèt immeritos, erexit de stercore, & de pulvere suscitavit, & Petri voluit solium obtinere, quamvis majoris auctoritatis viros, utpote cui tanquam capiti universa membra Ecclesiæ obsequuntur, in partes Hispaniarum ad pacem inter Principes reformandam & dissolvendas colligationes iniquitatis destinare possemus, tibi tamen exemplo ejus qui elegit humilia, hoc onus solicitudinis duximus injungendum; ut humiles humiliter foveas, & punias fortiùs contumaces. Sanè ad audientiam nostram pervenit quòd cariss. in Christo filius noster Rex Castellæ illustris Regi Legionensi, qui eum secundo gradu consanguinitatis contingit, filiam suam, neptim illius, ne copulare dicamus, supponere incestuosè præsumpsit, ponens carnem brachium suum, ac credens per ipsum persecutionem effugere imminentem; non attendens quòd maledictus homo qui spem suam ponit in homine, & quòd non est consilium contra Deum. Vnde nos eorum utrique dedimus in mandatis ut tam turpem contractum, abominabilem in conspectu Domini, & judicio fidelium detestandum, omni dilatione & excusatione postpositis revocent, & universas colligationes impietatis dissolvant, quas inter se sub hujus incestus specie inierunt. Accepimus etiam quòd Rex Navarrorum treugas cum dicto Rege Castellæ initas fregit, & castella fidelitatis per violentiam occupavit. propter quod à dilecto filio nostro G. S. Angeli Diacono Cardin. tunc apostol. sedis Legato excommunicationis in personam ejus & in terram interdicti promulgata fuit sententia. Ideóque discretioni tuæ per apostol. scripta mandamus quatenus dictos Castellæ & Legionen. Reges ad revocandum contractum tam illicitum juxta

formam mandati nostri moneas diligentiùs & inducas; & si super hoc (quod non credimus) fuerint contumaces, in personas eorum excommunicationis & in terram interdicti sententias non differas promulgare; facturus eas usque ad satisfactionem congruam inviolabiliter observari. Super eo autem quod de Rege Navarræ dictum est, inquiras diligentiùs veritatem; & si sic inveneris, ut superiùs est expressum, latam in eum & terram ejus sententiam per totam Hispaniam publicari facias, nec eam, nisi sufficienti satisfactione recepta, relaxes. Quòd si forsan in eum vel regnum ejus dicta non fuit sententia promulgata; nihilominus tamen, si cum Sarracenis contra Christianos & præcipuè contra dictum Regem Castellæ, sicut dicitur, conjuravit, anathematis eum severitate percellas, & terram ejus usque ad dignam satisfactionem subjicias interdicto. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut si dicti Castellæ & Legionen. Reges ad mandatum nostrum & commonitionem tuam dictum contractum illicitum retractarint, eos, ut aliter inter se & cum Rege Portugaliæ honestè conveniant, & ceteros Reges, ut inter se pacis studeant fœdera reformare, (super quo te præcipuè volumus esse solicitum) per excommunicationis & interdicti sententiam, appellatione remota, cogere non omittas. Sciturus nos universis Archiepiscopis & Episcopis Hispaniarum dedisse firmiter in mandatis ut quicquid super prædictis, quicquid etiam contra Sarracenos duxeris statuendum, recipiant humiliter & observent. Nos enim sententiam quam propter hoc in contumaces duxeris proferendam, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Verùm quoniam sæpedictus Cardin. in dictum Legionen. Regem & Astoricen. Salamantin. Legionen. & Zamoren. Episcopos excommunicationis sententiam promulgavit, & terram ipsius Regis supposuit interdicto; volumus nihilominus & mandamus ut tam à dicto Rege quàm Episcopis ipsis standi mandatis apostolicis sufficienti cautione recepta, latam in eos excommunicationis & interdicti regni Legionen. sententiam, appellatione postposita, nostra fretus auctoritate relaxes, si cognoveris quòd super illicita copula nostris velit obedire mandatis. Quamvis enim dictos Episcopos punire graviter de rigore possemus, de mansuetudine tamen eos duximus tolerandos. Venerabilem autem fratrem nostrum Zamoren. Episcopum volumus pro absoluto haberi, utpote cui apud sedem apost. constituto munus fecimus absolutionis impendi. Datum Romæ apud S. Petrum XVI. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno primo.

Vide suprà epist. 18.

FRATRI RAINERIO.

Epist. 93. De eodem ferè argumento.

Per alias literas tibi mandasse meminimus ut ab illustri Rege Legion. sufficienti cautione recepta quòd apostol. mandatis obediat, si cognoveris quòd super incestuosa copula nostro debeat parere mandato, munus ei absolutionis impendas, & interdictum promulgatum in terram ipsius apost. fretus auctoritate relaxes. Nos autem id ad majorem cautelam discretioni tuæ duximus committendum, ut tam in absolutione ipsius, quàm in relaxatione interdicti, sicut videris expedire procedas. Datum Romæ apud S. Petrum XI. Kalend. Maij, pont. nostri anno primo.

AQUEN. ARCHIEPISCOPO, & Suffraganeis ejus.

Epist. 94. Ut contra hæreticos Commissariis apostolicis auxilio fit.

Cum unus Dominus IESUS CHRISTUS unam sibi sponsam, Ecclesiam videlicet ex gentibus congregatam, elegerit, non habentem maculam, neque rugam, quæ ipsi tanquam capiti suo in unitate fidei deserviret, miramur plurimùm atque dolemus quòd quidam tunicam inconsutilem scindere molientes, diversas sibi Ecclesias, immo potiùs Sathanæ synagogas, confingunt, doctrinam evangelicam, apostolicam, & propheticam depravantes, & ad defensionem sui erroris in suæ salutis perniciem pervertentes: qui iniquitatem suam justitiæ specie palliantes, ut salutentur in foro, & vocentur ab hominibus Rabbi, & soli recta sapere ac justè vivere videantur, magisterium Ecclesiæ Romanæ refugiunt, & novis adinventionibus auditorum corda seducunt, trahentes post se simplices & indoctos, ut cœci cœcis ducatū præbentes, tam duces quàm ducti, immo seductores potiùs & seducti, in perditionis foveam dilabuntur. Ipsi etenim, ut occultiùs virus suę iniquitatis transfundāt in plures, fel draconum in aureo calice Babylonis

propinant, justitiæ vultum prætendunt, & studentes simulatis operibus caritatis, eos amplius circumveniunt quos ad religionis propositum viderint ardentiùs aspirare; illum sui erroris imitantes magistrum, qui sub umbra dormit in secreto calami & locis humentibus, qui fluvium absorbet, & non miratur. habet enim fiduciam quòd Iordanis influat in os ejus. Hi sunt sanè caupones qui secundùm Prophetam aquam vino commiscent, qui tetenderunt arcum, & paraverunt sagittas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde, destruere molientes quæ Spiritus sanctus in scriptura perfecit. Quos Apostolus ad Timotheum prophetico spiritu describens, *Novissimis*, inquit, *temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium; & cauteriatam habentium conscientiam; habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. & hos devita.* & infrà: *Erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent. ad fabulas autem convertentur.* Inter quos in provincia vestra quosdam, qui Valdenses, Catari, & Paterini dicuntur, & alios quoslibet quibuscunque nominibus appellatos, in tantum jam accepimus pullulasse, ut innumeros populos sui erroris laqueis irretierint, & fermento corruperint falsitatis. Cùm igitur ad capiendas hujusmodi vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, species quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipsum, ut virga Moysi maleficorum phantasmata devoret, dilectum filium fratrem Rainerium, virum probatæ vitæ & conversationis honestæ, potentem divino munere in opere & sermone, ac cum eo dilectum filium fratrem Guidonem, virum Deum timentem, & studentem operibus caritatis, ad partes ipsas duxerimus destinandos; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus eos benigno recipientes & tractantes affectu, taliter eis contra hæreticos assistatis, ut per ipsos ab errore viæ suæ revocentur ad Dominum, & si qui fortè converti non poterunt, ne pars syncera trahatur, de vestris finibus excludantur, ut terra vestra hujusmodi ministris sathanæ penitùs effugatis, verbum prædicationis vestræ gratanter recipiat, & ferat fructum temporibus suis. Ad hæc, sub eadem vobis districtione præcipimus ut omnia quæ idem frater Rainerius contra hæreticos, fautores, & defensores eorum duxerit statuenda, recipiatis humiliter, & inviolabiliter observetis. Nos enim tam ea quæ statuerit contra eos, quàm sententiam quam in contumaces tulerit, faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Ad hæc, nobilibus viris Principibus, Comitibus, & universis Baronibus & Magnatibus in vestra provincia constitutis præcipiendo mandamus, & in remissionem injungimus peccatorum, ut ipsos benignè recipientes pariter & devotè, eis contra hæreticos tam viriliter & potenter assistant, ut ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, potestatem sibi traditam probentur laudabiliter, exercere, & si qui hæreticorum ab errore suo commoniti noluerint resipiscere, postquam per prædictum fratrem Rainerium fuerint excommunicationis sententia innodati, eorum bona confiscent, & de terra sua proscribant. & si post interdictum ejus in terra ipsorum præsumpserint commorari, graviùs animadvertant in eos, sicut decet Principes Christianos, ut arca fœderis præcedente cum tubis, ac Iosue sequente cum populis, utrisque pariter conclamantibus, muri corruant Iericho, fiatque perpetuum anathema; ita quòd si quis de illo vel regulam auream furari præsumpserit, cum Achan filio Carmi lapidibus obruatur. Dedimus autem dicto fratri R. liberam facultatem ut eos ad id per excommunicationis sententiam & interdictum terræ appellatione remota compellat. nec volumus ipsos ægrè ferre aliquatenus vel molestè si eos ad id exequendum tam districtè compelli præcipimus, cùm ad nil amplius intendamus uti severitatis judicio, quàm ad extirpandos hæreticos, qui non nobis substantiam temporalem sed spiritualem vitam surripere moliuntur. Nam qui fidem adimit, vitam furatur. Iustus enim ex fide vivit. Scribimus etiam universo populo vestræ provinciæ, ut cùm ab eisdem fratribus R. & G. fuerint requisiti, sicut ipsi mandaverint, contra hæreticos accingantur; illis qui pro conservatione fidei Christianæ in tanto dis-

crimine, quod Ecclesiæ imminet, ipsis astiterint fideliter & devotè, illam peccatorum suorum indulgentiam concedentes, quam beati Petri vel Iacobi limina visitantibus indulgemus. Dedimus etiam eidem fratri R. firmiter in mandatis ut omnes qui hæreticis, postquam ab eo excommunicati fuerint, receptaculum præstare & in mercimoniis vel cohabitatione participare præsumpserint, vel eos in sua perversitate fovere, excommunicationis sententiam solenniter non differat promulgare, & pari eos cum hæreticis pœnę subjacere decernat. Nos autem auctore Domino sententiam ipsam usque ad satisfactionem congruam servari sine refragatione qualibet faciemus. Datum Romæ apud sanctum Petrum XI. Kalend. Maij, Pont. nostri anno I.

In eundem modum Narbonen. Archiepiscopo & Suffraganeis ejus. Scriptum etiam super hoc Auxitano Archiepiscopo & Suffraganeis ejus. Viennen. & Suffraganeis. Arelaten. & Suffraganeis. Ebredunen. & Suffraganeis ejus. Terracenen. & Suffraganeis ejus. Lugdunen. & Suffraganeis ejus. & omnibus Principibus, Baronibus, Comitibus, & universis populis in ipsorum diœcesum provinciis constitutis.

VNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS & Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis.

Epist. 95. Vt religiosos nec ipsi perturbent, nec perturbantes ferant. Vide infra epist. 97. & lib. 11 epist. 104.

HIs præcipuè Prælati Ecclesiarum favorem suum debent efficaciter exhibere qui spiritu Dei ducuntur, & vacant assiduè operibus caritatis, ne si forsan eorum non fulciantur auxilio, vel in religione tepescant, vel affectum eorum effectus debitus non sequatur. Sanè, sicut multorum veridica relatione didicimus, Hospitale S. Spiritus, quod apud Montem Pessulanum dilecti filij fratris Guidonis solicitudo fundavit, inter cetera novæ plantationis Hospitalia & religione fulget & majoris hospitalitatem caritatis exercet; sicut hi qui eorum eleemosynas sunt experti, pleniùs didicere. Ibi enim reficiuntur famelici, pauperes vestiuntur, necessaria ministrantur infirmis, & magis indigentibus major consolatio exhibetur; ita ut magister & fratres ipsius domus non tam receptores dici debeant quàm ministri indigentium, & illi soli egeant inter pauperes, qui pauperibus necessaria caritativè ministrant. Cum igitur dictis fratribus de benignitate sedis apost. duxerimus indulgendum ut in locis, quæ ipsis à fidelibus offerentur, de consensu vestro eis sine præjudicio vicinarum Ecclesiarum cœmeteria ad opus fratrum & familiæ suæ tantùm & oratoria fabricent, universitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, ac per apost. vobis scripta mandamus, quatenus si qui fidelium in parochiis vestris domos aliquas vel possessiones eis obtulerint devotionis obtentu, eos non impediatis quò minùs sine præjudicio vicinarum Ecclesiarum & vestro in eis Ecclesias erigant, & ad opus fratrum & familiæ suæ tantùm cœmeteria construant, immo potiùs construendi utraque ipsis licentiam concedatis, cùm constructa fuerint dedicationem Ecclesiis & cœmeteriis benedictionem sine difficultate qualibet collaturi, & in oratoriis ipsis ad præsentationem eorum sine vestro & vicinarum Ecclesiarum præjudicio sacerdotes idoneos instituere nullatenus differatis, qui correctioni vestræ subjaceant, & per vos amoveantur, si ratione suorum excessuum fuerint amovendi. Mandamus præterea vobis, ut cùm ab eis fueritis requisiti, singuli vestrum de malefactoribus eorum in sua provincia constitutis eis exhiberi faciant justitiæ complementum; malefactores ipsos ad hoc per censuram ecclesiasticam, monitione præmissa, si necesse fuerit, compellentes. Datum Romæ apud S. Petrum X. Kalend. Maij, Pont. nostri anno I.

ARCHIEPISCOPO TRANEN. Iuvenat. & Bitontino Episcopis.

Epist. 96. Vt ablata Ecclesiæ bona restitui curent.

SIcut ex literis tuis, frater Archiepiscope, & venerabilis fratris nostri Hydrontini Archiepiscopi, necnon & conquestione lachrymabili dilectorum filiorum Abbatis & fratrum S. Mariæ de Ponte Brundosij nuper accepimus, Nicolaus Diaconus, Gaufred. & Vnfredus Cattepani fratres ejus, Rogerius filius Gaufridi, Rogerius Pirunteus Index, & Isaac. & filij ejus, Conversan. Nicolaus Veteranus, Vrsus, Iacobus, Salvadeu, Andreas Presbyteri, Iaconus Riccardi sanctorum, Iaconus, Rogerius de Hydrunto, cum suis complicibus tam Clericis quàm laicis, eos à monasterio suo

per violentiam expulere, res ipsorum & aliorum etiam sibi commissas exinde asportantes. Cùm igitur id monasterium nostri specialiter juris existat, nos ejus oppressioni pateroo compatientes affectu fraternitati vestræ per apost. scripta maodamus quatenus prænominatos Diaconum & alios tamdiu auctoritate nostra excommunicatos publicè nuncietis, donec ablata conquerentibus restituant universa, & super tantis excessibus satisfacturi, ad plenum nostro se conspectui præsentariot. Volumus etiam ut dooec iidem fuerint restituti, in viciois monasteriis eisdem faciatis in necessariis provideri. Datum Romæ apud S. Petrum XIV. Kalend. Maij.

GVIDONI FVNDATORI Hospitalis sancti Spiritus, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 97. De confirmatione & privilegiis ejusdem. Vide suprà epist. 95.

Religiosam vitam eligentibus &c. *usque ad verbum: illud* annuimus, & præfatum Hospitale S. Spiritus apud Montem Pessulanum constructum, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut fratres inibi commorantes secundùm rationabiles institutiones tuas perpetuò Domioo debeant famulari. Præterea quascunque possessiones &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum Hospitale situm est, cum omnibus pertineotiis suis, domos, vineas, terras, hortos, & omnia quæ in territorio Montis Pessulani & in locis circum adjacentibus possidetis. Domum quam habetis in Massilia, cum omnibus suis pertinentiis. Domum quam habetis in villa quæ dicitur Amillau, cum omnibus pertinentiis suis. Domum quam habetis in loco qui dicitur Clap de mala veçula, cum omnibus pertinentiis suis. Domum quam habetis in villa quæ dicitur Mesols, cum omnibus pertioentiis suis. Domum quam habetis in burgo sancti Iuliani de Bridi, cum omnibus pertinentiis suis. Domum quam habetis in villa quæ dicitur Bragaac, cum omoibus pertinentiis suis. Domum quam habetis in argenteria de Chacers, cum omnibus pertinentiis suis. Domum quam habetis in civitate Trecen. cum omoibus pertinentiis suis. & domum quam habetis in urbe Roma juxta S. Mariam Transtyberim, cum domo quæ est in loco qui dicitur S. Agatha in introitu urbis Romæ, cum omnibus pertinentiis suis. Statuentes ut omoes domos, quas in præsentiarum justè habetis, vel in posterum rationabiliter poteritis adipisci, prædicto Hospitali S. Spiritus Montis Pessulani, & procuratores earum tibi fili G. & successoribus tuis perpetuò subjacere debeant & humiliter obedire, & correctionem tuam & successorum tuorum recipere humiliter & servare. Liceat insuper vobis in domibus vestris, sine præjudicio vicinarum Ecclesiarum, cum consensu diocesani Episcopi construere cœmeteria ad opus fratrum vestrorum & familiæ tantùm, & oratoria fabricare: in quibus ad præsentationem vestram instituantur per diocesanum Episcopum capellani, & amoveantur per eum cùm deliquerint, vel aliter etiam corrigantur. Liceat quoque vobis liberas & absolutas personas è seculo fugientes &c. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in loco vestro professionem, fas sit absque procuratoris sui licentia &c. Chrisma verò & oleum sanctum &c. per diocesanum Episcopum sioe pravitate & exactione aliqua vobis præcipimus exhiberi. Obeunte verò te ouoc ejusdem loci magistro &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate, & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica &c. Cunctis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum per manum Raioaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, IX. Kalend. Maij, indictione prima, incarnationis Dominicæ anno M. C. XCVIII. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno I.

**CLVGIEN EPISCOPO.*

*In tertia Collectione Fiugien.

Epist. 98. Vt ultra antiquum numerū receptis Canonicis Ferrariensibus faciat provideri de excrescentibus fructibus. Cap. Cùm M. Ferrarien. De Constitutionibus.

Cvm M. Ferrarien. Caooolcus, F. W. B. & G. Canonicorum Ferrarien. & magister G. Ferrarien. Capituli procuratores ad sedem apostolicam accessissent super quæstione quam de præbendis & redditibus habebant ad invicem, dilectum filium nostrum S. Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardin. eis concessimus auditorem: coram quo dictus M. pro se & quatuor sociis suis proposuit quòd Ferrarien. Canonici, ut eo ampliùs suos redditus augmentarent,

quo proventus Ferrarien. Ecclesiæ, qui dividi consueverant inter plures, in usus cederent pauciorum, quatuordecim præbendas tantùm, præter id quod mensæ communiter deputarunt, in eadem Ecclesia contra antiquam consuetudinem statuere. postmodum verò contra constitutionem ipsam voluntariè venientes, dictos quinque in Canonicos recepere, nullis præbendis assignatis eisdem. & licèt eorum redditus non modicùm fuerint augmentati, non dum tamen eis voluere ex superexcrescentibus redditibus providere. Verùm dictus magister * G. procurator partis adversæ asseruit quòd olim de communi tam Canonicorum quàm tunc Ferrarien. Episcopi voluntate quatuordecim præbendarum numerus in Ferrarien. Ecclesia provida fuerat deliberatione statutus, & apostolicæ protectionis præsidio roboratus. Tandem verò cùm una in eadem Ecclesia præbenda vacasset, ad multam quorundam instantiam duos ad eam, ac postmodum ad preces venerabilis fratris nostri V. Ferrarien. Episcopi dictum M. & quendam alium sine præjudicio dictæ constitutionis in Canonicos recepere; ita quòd ipsi de canonica nihil perciperent, donec primi duo præbendas essent integrè assecuti. Cùmque per Canonicorum industriam procuratum fuerit ut ex possessionibus, quas eadem Ecclesia tempore longo possedit, plures eis redditus solverentur, superexcrescentes redditus communi mensæ, quæ minùs sufficiens fuerat, communiter deputare. quod dicti quinque postmodum petiere contra Capituli constitutionem in beneficium assignari. Quia verò super his plena nobis, sicut idem Cardin. asseruit, exhiberi non poterat certitudo, causam ipsam tuo duximus examini committendam; mandantes quatenus cùm in constitutione prædicta & confirmatione sedis apost. vel fuerit vel esse debuerit (sicut consuevit) expressum, *nisi in tantum excrescerent Ecclesiæ facultates quòd pluribus possint sufficere competenter*; & cùm iidem Canonici in derogationem suæ constitutionis ad vacaturas præbendas quatuor receperint ultra numerum constitutum ab antiquis Canonicis præbendas cum integritate percipientibus consuetas, superexcrescentes redditus prædictis Canonicis appellatione remota facias assignari; ita tamen quòd si ex eis pares cum aliis potuerint sortiri præbendas, quod superfuerit in communes Canonicorum usus, sive ut priùs statuerant, sive aliter, prout meliùs videbitur, convertatur. revocatis in irritum omnibus quæcunque ab alterutra partium in præjudicium alterius post motam quæstionem coram Episcopo Ferrarien. circa præbendas vel possessiones fuerint innovata. Nullis literis obstantibus præter assensum partium &c. Datum Romæ apud S. Petrum XII. Kalend. Maij.

* *In tertia Collect. legitur: Verùm dictus magister G. ex adverso proposuit quòd,*

ILLVSTRI REGI Portugaliæ.

Epist. 99. Vt centum Bizantios & quatuor uncias auri Romanæ Ecclesiæ debitas persolvat. Vide i. infra lib. 14. epist. 59. lib. 15. epist. 24. & Baronium ad an. 1179. §. 24.

SErenitatem regiam volumus non latere. nos in regestis bonæ memoriæ Lucij II. Rom. Pontificis reperisse, quòd recolendæ mem. Alphonsus pater tuus quatuor auri uncias annuarim Romanæ Ecclesiæ constituie censuales, ad quarum solutionem se & heredes suos in posterum obligavit. Ceterùm cùm idem pater tuus usque ad tempora felicis memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri Ducis esset nomine appellatus, ab eodem meruit obtinere ut tam ipse quàm ejus heredes regio nomine vocarentur. Vt autem idem pater tuus sacrosanctam Rom. Ecclesiam matrem suam honore debito præveniret, & ut devotionem, quam circa ipsam habebat, ostenderet in effectu, centum Bizantios annuatim Romanæ Ecclesiæ constituit censuales: quos post susceptionem regij nominis nec ipse solvie, nec tu postmodum solvere curavisti. Cùmque id felicis recordationis Celestino Papæ prædecessori nostro relatum fuisset, magistro Michaëli tunc Ecclesiæ Rom. Notario, quem ad partes Hispaniæ destinaverat, per suas dedit literas in mandatis, ut te ad exolvendum censum annuum monere diligentiùs & inducere procuraret, & si opus esset, auctoritate fretus apostolica compellere non differret. Tu autem eidem, prout tibi placuit, respondisti quòd dictus pater tuus præfato Alexandro antecessori nostro pro annuali censu decem annorum mille aureos miserat; & cùm nondum illi decem anni essent expleti, ipsos centum aureos iterum solvere minimè tenebaris, licèt illos eidem prædecessori nostro non pro censu, sed ex devotione, quam ad eum habebat, liberaliter donavisset. Rogamus igitur regiam serenitatem, mone-

mus, consulimus, & hortamur, per apostolica scripta mandantes, quatenus prædictum censum dilecto filio fratri Rainerio persolvere non postponas. Alioquin noveris nos eidem dedisse firmiter in mandatis ut te ad solutionem illius diligenter moneat & inducat, & sicut expedire viderit, appellatione remota compellat. Datum Romæ apud S. Petrum VIII. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno I.

CAPELLANIS S. IOANNIS de Persiceto.

Epist. 100. Vt Episcopo & Archipresbytero non negetur visitationis procuratio.

SIgnificavit nobis dilectus filius Archipresbyter sancti Iohannis de Persiceto quòd quia in sententia à bo. memoriæ Celest. Papa prædecessore nostro prolata, qua statutum est ut venerabili fratri nostro Bononien. Episcopo parochiam suam causa confirmationis puerorum, prædicationis, & correctionis annis singulis visitanti procurationem exhibeat, de vobis non fit mentio specialis, ei non vultis in exhibitione procurationis ipsius subsidium aliquod exhibere, licèt in aliis quæ dicto Episcopo exhibet, & in his quæ apostolicæ sedis Legatis impendit, certam ei portionem de consuetudine impendatis. Cùm igitur eidem Episcopo ob communem profectum diocesim visitanti communis procuratio debeatur; discretioni vestræ per apostol. scripta mandamus atque præcipimus quatenus dicto Archipresbyt. eam portionem in expensis, quas in procuratione ipsius fecerit, impendatis, quam ei consuevistis in aliis etiam exhibere, & de subtractis hactenus ei, ut tenemini, satisfacere non tardetis. Alioquin noveritis nos venerabili fratri nostro Ferrarien. Episcopo dedisse firmiter in mandatis ut vos ad id monitione præmissa, si iustum fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Datum Romæ apud sanctum Petrum X. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno I.

Illi scriptum est super hoc.

ARCHIEPISCOPO, ET Abbati S. Petri foris portam, & magistro Borno subdiacon. nostro Archidiacono Viennensi.

Epist. 101. Vt si Abbas Casæ Dei jus eligendi Abbatem

CVm dilectus filius Abbas Casæ Dei, sicut ex ejus insinuatione didicimus, H. quondam Faverniacen. Abbate viam universæ carnis ingresso, prout ad eum de jure spectabat, vellet ipsi monasterio consulere in Abbatem, dilectum filium M. monachum Casæ Dei Priorem Vallistransversæ præfecit eidem cœnobio in pastorem. Cui cùm ad mandatum ipsius Abbatis pars monachorum ipsius monasterij, sicut proponitur, debitam impenderet obedientiam & honorem, reliqui tamen, qui Gillebertum nomine, tunc in laicali habitu positum, sibi à prædicto Abbate Casæ Dei in Abbatem præfici postulavere, institutioni prædictæ, cùm obtinere non possent ullatenus quod volebant, nixi sunt contraire, asserentes jus electionis ad Faverniacen. Capitulum pertinere, dum tamen in personam quæ esset de Casæ Dei Capitulo convenirent. Super quo cùm ab eisdem fuisset ad sedem apostol. appellatum, præfatus G. per laicalem potentiam de administratione abbatiæ post appellationem interpositam fuit investitus; & taliter institutus, monasterium ipsum detinet occupatum. Cùmque memoratus M. ab Abbate Casæ Dei institutus, & L. Faverniacen. professus prosecuturi appellationem emissam pro parte Casæ Dei ad sedem apost. accessissent, & inter eos & Hugonem, qui procuratorem Favern. Capituli se gerebat, tempore felicis record. Celest. Papæ prædecessoris nostri quæstio fuisset diutiùs agitata, post promotionem nostram volentes causam ipsam fine debito terminari, eis ven. fratrem nostrum Iohannem tt. S. Clementis Viterbien. & Tuscanen. Episcopum & dilectum filium G. S. Georgij ad velum aureum Diacon. Cardin. concessimus auditores. In quorum præsentia cùm multa fuissent proposita, & pro parte Casæ Dei super dubiis probationes oblatæ, quia dictus Hugo, ut legitimè posset stare in judicio, mandatum sufficiens inventus est non habere, causa ipsa remansit hactenus indecisa. Ideòque ejusdem causæ cognitionem & decisionem de fratrum nostrorum consilio vestræ discretionis examini plenariè committentes, per apostol. vobis scripta mandamus quatenus partibus ad vestram præsentiam convocatis, si vobis constiterit electionem Faverniacen. Abbatis ad Abbatem Casæ Dei legitimè pertinere, quod per eum super electione jamdicti rationabiliter factum esse noveritis, sublato

Faverniacensem habet, per ipsum electus confirmetur.

contradictionis & appellationis obstaculo, auctoritate apostolica confirmetis, & prædicto G. vel alio quolibet illicito detentore amoto, faciatis ipsum abbatiam prædictam per censuram eccle. appellatione remota pacificè possidere. Nihilominus quoque volumus & mandamus ut monachis Faverniacensibus, tam illis qui Abbati Casæ Dei obediunt in hac parte, quàm aliis, de bonis monasterij, donec causa finem debitum sortiatur, faciatis sicut expedit provideri. Si qui verò se temerè duxerint opponendos quò minùs mandarum apostolicum impleatur, à temeritate sua per censuram eccle. appellatione postposita compescatis. Alioquin causam audiatis, & eam appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram eccle. à partibus firmiter observari. Testes autem &c. eadem districtione appellatione remota cogatis. Nullis literis obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quòd si omnes &c. tu frater Archiepiscope cum eorum altero &c. Datum Laterani.

CAPITULO SPOLETANO.

Epist. 102. Utrum meretricem ducere possit post mortem uxoris, cui vivente uxore adhæsit. Cap. Significastis, De eo qui duxit in matr. quam poll. per adult.

SIgnificastis nobis per literas vestras quòd cum P. civis Spoletanus quandam mulierem duxisset legitimè in uxorem, ea relicta cuidam meretrici adhæsit; & cùm ab ejus contubernio ad torum non posset legitimum revocari, vos in eum excommunicationis sententiam protulistis. Verùm cùm medio tempore uxor ipsius viam fuisset universæ carnis ingressa, meretricem, cui adhæserat, desponsavit. Propter quod à nobis requiritis, quid sit vobis in hoc articulo faciendum. Nos igitur inquisitioni vestræ secundùm formam canonicam respondentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi alter eorum in mortem defunctæ uxoris fuerit machinatus, vel ea vivente fidem sibi dederint de matrimonio contrahendo, matrimonium illud legitimum judicetis, excommunicato munus absolutionis, si petierit, juxta formam Ecclesiæ impensuri. Datum Romæ apud S. Petrum viij. Kalend. Maij.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

Epist. 105. Ut compellat

INter cetera quibus ad universalis Ecclesiæ gubernationem instruimur, ille cujus gratia non meritum nostrum ad ejusdem regimen nos provexit, mirum & mirabile nobis suæ benignitatis reliquit exemplum; in eo videlicet quòd sicut de beato Petro, cujus sumus, licèt immeriti, successores, à Domino factum esse videmus, infirma mundi elegit, ut fortia quæque confunderet, misericorditer prævidens quòd qui secularium pondus ante suam vocationem sustinuerat passionum, fragilitatem humanæ conditionis expertus, fratribus suis melius compati sciret & commodiùs misereri, dum sibi conscius, de se haberet evidens in similibus argumentum. Hæc verò ante nostros oculos proponentes, postquam dilectus filius noster magister P. de Cassaneto seriem negocij sui nobis exposuit, paterna super eum moti fuimus pietate: cujus factum, cùm ex certitudine rei, quam nos, dum olim minori fungeremur officio, tractaveramus, in parte plenioris fidei testimonium adjuvaret, ad succurrendum ei, & labores ipsius inutiles relevandos, animi studium solicitioris assumpsimus, ne miseranda ipsius afflictio, quæ jam ei perplexitatem dubiam minabatur, sedem apostolicam expertem esse solitæ misericordiæ ac remedij debiti causaretur. Tibi siquidem satis credimus esse notum qualiter facta resignatione à dilecto filio Vv. de Bochar in quodam Canonico Laudunen. de præbenda ejusdem Ecclesiæ, quæ per commutationem præbendarum dilecto filio H. tunc Siclinien. Canonico à bonæ memoriæ Decano Remen. auctoritate apostolica assignari debebat, prædictus magister per venerabilem fratrem nostrum Laudunen. Episcopum de præbenda fuit investitus eadem, & tam in choro quàm in Capitulo per dilectos filios Decanum & Canonicos Laudunen. adhibitis solennitatibus debitis juxta Laudunen. Ecclesiæ consuetudinem institutus. Super quo cùm inter ipsum & dictum H. controversia suborta fuisset, & appellatio ad sedem apostolicam interjecta, licèt idem magister cum magnis laboribus & expensis ad eandem sedem accedens, post diutinam expectationem, quæ sub intemperie periculosi temporis imminente ipsum tædio multo & diversarum persecutionibus incommoditatum affectum ferè usque ad extrema deduxit, suum negocium contra memoratum H. pro suo desiderio complevisset, eo tamen post-

Decanum & Capitulum Laudunense M. Petrum in Canonicum recipere.

postmodum causa infirmitatis absente, ad instantiam sæpefati H. tunc apud apostolicam sedem præsentis per bonæ memoriæ C. Papam prædecessorem nostrum de fratrum consilio omnia retractata fuere. Sicque ipse magister sua spe frustratus omnino, post destitutionem suam sedem apostolicam fuit iterum adire coactus, nullum sibi videns remedium superesse, nisi ejus desolationi multiplici sedes apostolica duceret misericorditer providendum. Propter hæc igitur, & alia multa, quæ causam ejus favorabilem reddiderunt, nos circa ipsum paternum gerentes affectum, prædictis Decano & Canonicis Laudunen. mandando districtè præcipimus, ut eundem magistrum, qui per dictum Episcopum in eorum Ecclesia institutus fuisse dinoscitur, & per ipsos in fratrem admissus, salvo eo quod de Præfato H. sedes apostolica sententialiter diffinivit, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, Canonicum habeant tam in choro quàm in Capitulo, & in aliis, quæ ad Canonicum pertinent, fraterna eum caritate tractantes. Præterea ipsis firmiùs inhibemus, ne aliquem in Canonicum recipere aliquo modo præsumant, donec antedictus magister præbendæ beneficium in præfata Ecclesia plenariè sit adeptus. Vnde fraternitati tuæ per apost. scripta præcipiendo mandamus, quatenus si memorati Decanus & Canonici mandatum nostrum neglexerint adimplere, tu eos ad receptionem ejus, prout dictum est, faciendam, sub appellationis obstaculo, per districtionem ecclesiasticam, monitione tamen diligenti præmissa, compellere non omittas; quoslibet qui mandato apostolico se duxerint opponendos, eadem censura compescens. Noveris autem quòd quia nolumus ut idem Episcopus occasione alicujus promissionis seu cujuslibet auctoritate rescripti à sede apostolica impetrati, ad eludendum mandatum nostrum se valeat excusare, ipsi districtè præcipimus, ut donec idem magister in eadem Ecclesia fuerit præbendæ beneficium assecutus, nulli alij præbendam modo quolibet assignare præsumat. Quod si fortè præsumpserit, id irritum decernimus penitùs & inane. Decet enim ut quia præbendam ei, quam de jure non potuit, assignavit, eam, quam de jure potest, assignet, ne præbendam illi fraudulenter visus sit assignasse. Datum Romæ apud sanctum Petrum x. Kalend. Maij Pontificatus nostri anno primo.

In eundem ferè modum Episcopo Laudunensi. In eundem ferè modum Decano, & Capitulo Laudunen.

ABBATI, ET CONVENTVI S. Benedicti in Edera.

ACcedens ad præsentiam nostram dilectus filius Iohannes monachus vester, humiliter nobis exposuit quòd cùm olim in minori constitutus ætate se ad vestrum ordinem transtulisset, postmodum infirmitate coactus egrediens, ad aliam religionem de consilio se transtulit saniori, in qua omnes ordines se asserit assumpsisse. Verùm quia utrum in illis ordinibus officium suum exequi debeat, vos audivimus dubitare; per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus nisi aliud canonicum impedimentum obsistat, eundem monachum in suo permittatis officio liberè ministrare. Datum Romæ apud sanctum Petrum x. Kalend. Maij, Pont. nostri an. primo.

Epist. 104. Vt in alio ordine monachorum legitimè ad sacros ordines promotus, ministrare non prohibeatur.

ARCHIEP. MONTIS REGALIS.

QVæ in monasteriorum & religiosorum locorum præjudicium attentantur, in statum convenit debitum revocari; nec firmitatem debent aliquam obtinere, quæ in enorme damnum ipsorum minùs licitè præsumuntur. Ea propter, venerabilis in Christo frater, Ecclesiæ tuæ volentes utilitati consulere, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut quæ in Ecclesia tua & in omnibus pertinentiis ejus illicitè alienata inveneris, tibi liceat legitimè revocare. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum x 1. Kalend. Maij &c.

Epist. 105. Vt omnia de bonis Ecclesiæ illicitè alienata, revocentur.

EIDEM.

POssessiones ad mensam tuam vel Capituli pertinentes alienare non debes, aut Ecclesias, in quibus consueverunt monachi ministrare, Clericis vel laicis assignare personis. ideóque fraternitati tuæ auctoritate præsentium districtiùs inhibemus, ne possessiones, casalia, vel Ecclesias, quæ non consueverunt in beneficium assignari, alicui petenti concedas, immo potiùs Ecclesiam sancti Clementis de Messana, quam Gerardo Teutonico, & sancti Sepulchri Ecclesiæ

Epist. 106. Ne res & bona Ecclesiæ alienentur, præsertim quæ sunt de mensa Episcopi. Cap. Possessiones. De rebus ecclesiæ alienandis, vel non.

siam similiter de Messana, quam Falconi Canonico, & beneficium quod Thomæ filio I. Ferrarij in grave præjudicium Ecclesiæ tuæ diceris contulisse, ad priores usus non differas, appellatione postposita, revocare. Datum Romæ, ut supra.

VVALTERO ROTHOMAGENSI Archiepiscopo.

Epist. 107. Vt Clerici ad residentiam personalem apud suas Ecclesias compellantur.

CVm scriptum sit, *Qui non laborat, non manducet*, incongruum credimus & indignum ut Clerici Ecclesiis illis non serviant, quarum amplis redditibus sustentantur. Significasti siquidem nobis, quòd quidam Canonicorum Rothomagen. Ecclesiæ, qui redditus ex ea percipiunt & præbendas, in ipsa residentiam non faciunt quam deberent. propter quod eadem Ecclesia debito fraudatur obsequio servitorum. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, ad faciendam eos residentiam, sicut jus & Ecclesiæ consuetudo deposcit, per censuram ecclesiasticam compellendi liberam tibi concedimus auctoritate apost facultatem. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum x. Kalend. Maij, Pont. nostri anno primo.

EIDEM.

Epist. 108. De permutationis cujusdam cum Anglorum Rege initæ confirmatione.

CVm emergentium litigia quæstionum vix possint sine alterutrius litigantium læsione judicialiter diffiniri; si quando partes inter se super mota quæstione honestè conveniunt, tanto libentiùs compositioni eorum præsidium apostolicum impartimur, quanto per hoc neutrum lædimus, & amplius utrumque juvamus. Intelleximus siquidem tam ex literis tuis, quàm carissimi in Christo filij nostri Ricardi Angliæ Regis illustris, & plurium aliorum, quòd super discordia quæ inter te & eundem Regem super villam Andeliaci cum Rupe ac Insula mota fuerat, regia serenitas evangelicum illud attendens, *Qui se humiliat, exaltabitur*, & *Quanto major es, humilia te in omnibus*, humiliavit magnificentiam suam, & severitatem regiam passus est emolliri, ut ad honorem ejus cui servire regnare est, amicabilem tecum compositionem iniret, & in utilitatem Rothomagen. Ecclesiæ molendina quæ habuit apud Rothomagum, cum villis de Diepa, & Boteilles, & manerio de Lovers, cum omnibus pertinentiis & libertatibus suis, & ministerio de Lovers, & foresta de Alihermont, sicut in authentico ejusdem Regis confecto exindè pleniùs continetur, tecum perpetuò commutaret. Nos igitur permutationem ipsam, sicut amicabiliter facta est, & ab utraque parte recepta, & authentico ipsius Regis exprimitur, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem hujus nostræ confirmationis evidentiam, authenticum ipsum de verbo ad verbum nostris duximus literis exprimendum. quod tale est. Ricardus Dei gratia Rex Angliæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Iustitiariis, Senescalcis, Vicecomitibus, Præpositis, Ministris, Ballivis, & omnibus fidelibus suis, salutem. Cùm sacrosancta Ecclesia sponsa sit Regis Regum, & unica dilecta illius per quem Reges regnant & Principes gubernacula possident, tanto ampliorem ei volumus devotionem & reverentiam exhibere, quanto certiùs non regiam tantùm, sed omnem à Domino Deo esse credimus potestatem. Vnde, sicut venerabilis Rothomagen. Ecclesia, quæ inter universas terrarum nostrarum plurima celebritate dinoscitur enitere, pro rerum necessitate vel temporum nostris ducit utilitatibus opportuna diligentia consulendum, sic nos ejusdem matris nostræ commodis & augmentis digna compensatione dignum ducimus respondere. Sanè villa Andeliaci, & quibusdam aliis adjacentibus locis, quæ erant Rothomagen. Ecclesiæ, minùs sufficienter firmatis, inimicis nostris in terram nostram Normanniæ per eadem loca patebat ingressus, per quæ incendiis & rapinis necnon & aliis hostilitatis sævitiis in eandem terram nonnunquam licentiùs grassabantur. Quocirca venerabili patre Vvaltero Archiepiscopo & Capitulo Rothomagen. debitum habentibus ad nostra & prædictæ terræ nostræ damna respectum, facta est hæc permutatio inter Eccle. Rothomag. & Archiepiscopum Rotho. Vvalterum ex una parte, & nos ex altera parte, de manerio de Andeli in hac forma. Scilicet, quòd idem Archiepiscopus de conscientia & voluntate Domini Papæ Celestini III. & de assensu Capituli Rothomagen.

Ecclesiæ & coëpiscoporum suorum & cleri ejusdem archiepiscopatus, concessit & in perpetuum quietum clamavit nobis & heredibus nostris prædictum manerium de Andeli, cum novo castello de Rupe, & cum foresta, & cum aliis omnibus pertinentiis & libertatibus suis, exceptis Ecclesiis & præbendis & feodis Militum, & excepto manerio de Fraxinis, cum pertinentiis suis. Quæ omnia idem Archiepiscopus Ecclesiæ Rothomagen. & sibi & successoribus suis retinuit, cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus suis & cum omni integritate sua in perpetuum, ita quòd tam Milites, quàm Clerici, & omnes homines, tam de feodis Militum, quàm de præbendis, sequentur molendina de Andeli, sicut consueverunt & debent; & moltura erit nostra. Archiepiscopus autem & homines sui de Fraxinis molent ubi idem Archiepiscopus volet; & si voluerint molere apud Andeli, dabunt molturas suas, sicut alij ibidem molentes. In escambium autem prædicti manerij de Andeli cum pertinentiis concessimus & in perpetuum quieta clamavimus Ecclesiæ Rothomagen. & prædicto Archiepiscopo & successoribus suis omnia molendina quæ nos habuimus Rothomagi, quando hæc permutatio facta fuit, integrè cum omni sequela & moltura sua, sine aliquo retenimento eorum quæ ad molendina pertinent, vel ad molturam, & cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus quas solent & debent habere. Nec alicui alij licebit molendinum facere ibidem ad detrimentum prædictorum molendinorum. & debet Archiepiscopus solvere eleemosynas antiquitus statutas de eisdem molendinis. Concessimus etiam eis villam de Diepa, & villam de Boteilles, cum omnibus pertinentiis & libertatibus & liberis consuetudinibus suis, exceptis eleemosynis constitutis in manerio de Diepa à nobis & antecessoribus nostris; quarum summa est trecentæ & septuaginta duæ libræ, quæ debent solvi per manum prædicti Archiepiscopi & successorum suorum, his quibus assignatæ sunt. Concessimus etiam eisdem manerium de Loviers, cum omnibus pertinentiis & libertatibus & liberis consuetudinibus suis, cum ministerio de Loviers; salvis ad opus nostrum venatione nostra, & destructione forestæ: ita tamen quòd non sit in *reguardo. Concessimus etiam eis totam forestam de Aliermont, cum feris, & omnibus aliis pertinentiis & libertatibus suis, sicut eam habuimus. Hæc autem omnia in escambium prædicti manerij de Andeli cum prædictis pertinentiis data habebunt Ecclesia Rothomagen. & prædictus Archiepiscopus & successores sui in perpetuum, cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus suis, sicut prædictum est. Homines autem prædicti Archiepiscopi de prædicto escambio habebunt omnes libertates & liberas consuetudines quas habuerunt homines de Andeli dum manerium ipsum esset in manu ipsius Archiepiscopi. Hæc etiam omnia, quæ idem Archiepiscopus in hoc escambio recepit, vvarantizabimus nos & heredes nostri Ecclesiæ Rothomagen. & prædicto Archiepiscopo & successoribus suis in perpetuum contra omnes homines; ita quòd si aliquis escambium aliquod est recepturus pro aliquo prædictorum quæ memoratus Archiepiscopus hic recepit, nos vel heredes nostri faciemus illud escambium, & Ecclesia Rothomagen. hæc omnia prædicta in perpetuum pacificè possidebit. Nos autem, quantum Rex potest, excommunicamus & concedimus quòd incurrat indignationem omnipotentis Dei quicunque contra hoc factum venerit. Testibus his, Huberto Cantuariensi Archiepiscopo, Iohanne Vvigorniensi, Hugone Coventrensi, Savarico Bathoniensi, Henrico Bajocensi, Garino Ebroicensi, Lisiardo Sagiensi, Vvillielmo Lexoviensi, Vvillielmo Constantiensi Episcopis, Vvillielmo Abrincensi Electo; R. sanctæ Trinitatis de Monte Rothomagensis, Regino sancti Vvandregisili, Victore S. Georgij, Arturo Vlterioris Portus, Osberto de Pratellis, Hugone de Augo, Guillelmo de Cornavilla Abbatibus; Iohanne Comite Moretonij, Othone Comite Pictavensi, Balduino Comite de Albemarle, Radulfo Comite Augi, Vvillielmo Marescallo Comite de Strigoill, Vvillielmo filio Radulfi Senescalli Normanniæ, Roberto de Torneham Senescallo Andegavensi, Vvillielmo de Humeto Constabulario Normanniæ, Giliberto filio Renfredi, Hugone Bruno, Gaufrido de Leziniaco, Vvillielmo de Rupibus, Radulfo Camerario de Tancarvilla, Vvillielmo Marcello, Radulfo *Teissim, Gaufredo de Say, Roberto de Ha-

* Apud Radulfum Diceto revvardo.

* Apud Duchesnium Teson.

» recourt, & moltis aliis. Datum per manum Euſtachij electi Helien. tunc agentis vices Cancellarij, apud Rothomagum, anno ab incarnatiooe Domini M. C. XCVII. XVI. die Octobris regni noſtri anno VIII.] Nulli ergo omnioo hominum &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum per manum Raioaldi Domioi Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, VI. Kalend. Maij, Indictiooe I. Incarnationis Dominicæ M. C. XCVIII. Pootificatus verò Domini Innoceotij Papæ III. anno primo.

ATREBATEN. TORNACEN. & Morinen. Epiſcopis, & electo Camerac.

Epiſt. 109. De electionis negotio ſuper electione Præpoſiti Siclinien. terminando. Cap. Cùm illius. De ſent. & re judicata. in Tertia Collect.

CVm illius vicem, licèt immeriti, geramus in terris, cujus virga regni virga eſſe dignoſcitur æquitatis, delatas ad apoſtolatus noſtri notitiam quæſtiones ſic nos convenit examinatis diligentiùs cauſarum meritis juſto judicio diffinire, quòd in noſtri non appareamus executione officij negligentes, & cuique, prout tenemur, ſuam videamur juſtitiam conſervare. Sanè licèt tempore felicis record. C. Papæ prædeceſſoris noſtri quæſtio iuter dilectam in Chriſto filiam nobilem mulierem uxorem quondam Philippi Comitis Flandriæ & Capitulum Siclinien. Eccleſiæ ſuper electione Præpoſiti fuerit diutiùs agitata, & ſuper cauſa ipſa reſcripta ſæpe apoſt. emanaſſent; noviſſimè tamen utriuſque partis nuocij ad ſedem apoſtolicam accedentes, poſt ejuſdem prædeceſſoris noſtri obitum, ſuas propoſuere in noſtro auditorio quæſtiones. Et primò quidem dilectus filius magiſter Egidius, præfatæ Comitiſſæ procurator & nuncius, pro ea taliter allegavit: Quòd cùm obeuntè G. quondam Siclio. Præpoſito Siclinien. Præpoſitura vacaret, ipſa, ad quam terra illa jure dotalitij ex dono prædicti Com. fuerat devoluta, ſicut idem Comes à loogis retroactis temporibus, cùm Siclinien. Præpoſitura vacavit, in eadem Eccleſia Præpoſitum dignoſcitur elegiſſe, uti ſuo jure cupiens, virum idoneum, literatum, & honeſtum, qui non habebat aliam perſonatum, magiſtrum * C. in Præpoſitum Siclinien. elegit, & ad Siclinieo. Eccleſiam deſtinavit; rogans & poſtulans à Canonicis Eccle. memoratæ, ut ei jus ſuum conſervaotes illæſum, illum, quem ad eos deſtinaverat, recipere in Præpoſitum non different. Quem cùm in Eccleſia Canonici reſidentes admittere penitùs recuſaſſent, ipſa Comitiſſa jus ſuum & electionem, quam fecerat, ſub apoſtolica protectione conſtituit, & ad Romanam Eccleſiam appellavit. Poſtea verò cùm de communi aſſenſu Capituli Eccleſiæ memoratæ fuerit interpoſita appellatione prohibitum, ne quis ab eis nominaretur in Præpoſitum, niſi communi deliberato conſilio, (ſicut in literis quorumdam Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ manifeſtè conſpicitur contineri) quinque tantùm Canonicorum dilectum filium Iohannem de Bitunia, qui ſeptem alias habere dicitur prælaturas, aliorum aſſenſu minimè requiſito, qui erant abſentes, & qui reſidentes io eadem Eccleſia erant apud Sielinium non vocatis, nulliſque aſſenſum ipſi electiooi præbentibus, in Præpoſitum elegere & inſtallavere: contra cujus inſtallationem ex parte Comitiſſæ iterato fuit ad ſedem apoſtolicam appellatum. Verùm cùm cauſa eadem tibi frater Atrebaten. Epiſcope & tuis conjudicibus fuiſſet ab apoſtolica ſede commiſſa, & ab examine veſtro neutra partium appellaſſet, prædictus Iohannes de Bitunia ignorante parte altera nuncium ſuum latenter ad ſedem apoſtolicam deſtinavit, & ſe ſimplicem Clericum, Iohannem ſcilicet de Bitunia, doloſè faciens appellari, & falsò ſignificans violentiam per Comitiſſam Siclini. Canonicis irrogatam, & de interpoſitis appellationibus ab eadem Comitiſſa mentione non habita, ſe aſſerens electum canonicè in Præpoſitum, à præfato prædeceſſore noſtro ad venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum & dilectos filios Decanum & Præpoſitum Sueſſioneo. literas impetravit: quibus datum eſt in mandatis, ut eandem Comitiſſam denunciarent excommunicationis vinculo detineri, & tamdiu ab omnibus evitandam, donec Eccleſię Siclinien. & paſſis injuriam de ablatis omnibus & irrogatis injuriis ſatisfaceret competenter, & de ſpeciali eſſet mandato ſedis ap. abſoluta. Qui etiam ſolicitè providerent, ut ſi electionem Prępoſiti ad dictos Canonicos ex legitimis eorum aſſertionibus cognoſcerent pertinere, ſæpenominatæ nobili & cuilibet laicæ perſonæ perpetuum ſilentium imponerent, & facerent Præpoſitum ipſum collatæ ſibi canonicè dignitatis, appellatione remota, pacifica poſſeſſione gaudere. Iudices autem ipſi nulla cauſæ

Vide cap. Cùm jamdudum. De præb. & dign. Clericor.

*In edit. Colon. hoc loco ponitur E. ſed infrà, & in Tertia Collect. C.

cognitione præhabita, vel etiam citatione præmissa, tenorem mandati apostolici præfatæ Comitissæ cum suis literis direxerunt; eidem districtè mandantes, quatenus Præposito, Ecclesiæ, & Canonicis Siclinien. de illatis injuriis cum plenaria damnorũ restitutione satisfaceret competenter; scitura quòd donec quod mandaverat adimpleret, & de speciali esset mandato apostolico absoluta, ipsam & officiales suos & alios bonorum Siclin. Eccl. invasores pro excommunicatis haberent: Et vobis fratres Tornacen. & Morinen. Episcopi, ut hoc denunciaretis omnibus, auctoritate dederunt apostolica in mandatis. Post hæc verò cùm præfata Comitissa ab eisdem citata judicibus procuratorem suum ad præfixum sibi locum & terminum destinasset, licèt se excommunicatione crederet non teneri, sufficientem tamen obtulit cautionem quòd Ecclesiæ pareret judicio vel mandato, ut absolutionis beneficium mereretur. Quod cùm ab ipsis judicibus non posset aliquatenus obtinere, & usque ad productiones testium fuisset in causa ipsa processum, & judices testes ex parte Comitissæ productos admittere noluissent, mandato prædecessoris nostri minùs rationabiliter inhærentes, (in quo continebatur expressum, ut si electionem Præpositi ad jamdictos Canonicos ex legitimis eorum assertionibus cognoscerent pertinere, prænominatæ nobili & cuilibet laicæ personæ perpetuum silentium imponerent, & facerent Præpositum ipsum collatæ sibi canonicè dignitatis, appellatione remota, pacifica possessione gaudere) procurator ejusdem Comitissæ ab eorum manifestis gravaminibus sedem apostolicam appellavit. Ipsi verò judices nihilominus contra Comitissam sententiam protulere: à quorum sententia, sicut & priùs, ad Romanam fuit Ecclesiam appellatum. Tandem verò dilectis filiis sancti Quintini & Roien. Decanis & Cantori Peronen. fuit causa eadem à Se. apost. delegata. Quorum judicium, quia sicut & primi judices prædictam Comitissam satisdare volentem absolvere & testes suos admittere recusarunt, quia unus ipsorum judicum advocati adversæ partis patruus vel avunculus dicebatur, & alter, cùm causa ipsa sub eorum examine tractaretur, à prædicto Iohanne de Bitunia Duacen. præbendæ donationem recepit, procurator sæpefatæ Comitissæ penitùs recusavit, & ab eis tanquam à suspectis antè, post sententiam sedem apostolicam appellavit. Et quoniam priores & posteriores judices in causa ipsa tam inordinatè processerant, postulabat eadem Comitissa ut quicquid factum esset per eosdem judices, & in ejus foret præjudicium post appellationem legitimè interpositam attentatum, irritum fieret & inane; præsertim cùm commissio illa ad Suessionen. judices veritate nosceretur tacita impetrata. Econtra verò dilectus filius magister Robertus adversæ partis procurator & nuncius respondebat quòd cùm defuncto G. Siclinien. Præposito fratres ejusdem Ecclesiæ de successoris electione tractarent, & primo die non potuissent in personam idoneam convenire, tandem prædictum I. de Bitunia in Siclinien. Præpositum unanimiter elegerunt, & installarunt; ne quid in præjudicium electionis eorum fieret, sedem apostolicam appellantes. Clericus etiam Comitissæ, qui præsens aderat, nihilominus Romanam Ecclesiam appellavit. Ipse autem Iohannes de Bitunia electus taliter in Præpositum, omnium hominum ad Præposituram pertinentium in pace recepit homagia, & eodem die fructus Præposituræ quietè habuit, & sine contradictione percepit. Præfata verò Comitissa Flandriæ cùm sæpius suas literas ad Siclinien. Capitulum direxisset, ut magistrum C. Clericum suum eligerent in Præpositum, & non posset ab eis quod postulaverat obtinere, per se & ministros suos ad res Canonicorum & illius quem elegerant & ad personas eorum manus extendit, personas malè tractavit; & bona diripuit violenter. Cùm autem ad venerabilem fratrem nostrum Remen. Archiepiscopum sanctæ Sabinæ Cardin. tanti excessus quæstio devenisset, & eam & fautores ejus excommunicationis sententia innodasset; quia tandem in manu ejusdem Archiepiscopi de illatis injuriis & ablatis rebus promisit satisfacere competenter, ab excommunicatione extitit absoluta. Verùm quia postmodum non servaverat quod promisit, ab eodem Archiepiscopo fuit eadem sententia innodata, de excommunicatione ipsius circumpositis Episcopis literis destinatis. Cùmque super his omnibus ad prædictum prædecessorem nostrum quæstio delata fuis-

set, ipse prædictis Suessionen. judicibus causam ipsam (ut prædictum est) terminandam commisit: qui secundùm quod in mandatis receperant procedentes, utriusque partis receptis testibus, cognoscentes jus electionis ad Siclinien. Capitulum pertinere, dictam electionem auctoritate apostolica confirmavere, & præfatam Comitissam denunciavere excommunicationis sententiæ subjacere. Cùm verò præfata Comitissa nuncium ad sedem apostolicam direxisset, & de utriusque partis assensu prædictis sancti Quintini & Roien. Decanis & G. Cantori Peronen. causa eadem fuisset cognoscenda commissa; ipsi, auditis diligenter quæ hinc inde fuere proposita, de prudentium virorum consilio prædictorum judicum sententiam approbavere, eam auctoritate apostolica confirmantes. Propter quod idem magister Robertus cum instantia supplicabat, ut quod erat per priores judices sententiatum & approbatum, nihilominus à secundis nostra quoque confirmaretur auctoritate, & res Canonicorum & dicti electi, quas prædicta Comitissa per se & fautores suos occupaverat, faceremus eum integritate restitui, & de injuriis satisfieri competenter. Nos igitur, quibus ex susceptæ incumbit administrationis officio diligere justitiam, & odire iniquitatem, cum fratribus nostris utriusque partis allegationes & rescripta diligentiùs intuentes, cognovimus evidenter commissionem ad Suessionen. judices per precum mendacia impetratam, cùm ipsius Iohannis suppressum fuerit nomen cujuslibet dignitatis, & interpositæ appellationis à Comitissa vel ab alio nulla in eis mentio habeatur, & mendax precator carere debeat impetratis. Præterea non est aliqua ratione credendum quòd idem prædecessor noster sine causæ cognitione præfatam Comitissam voluerit excommunicatione notari, vel ei super jure suo perpetuum imponi silentium, cùm merita causarum, partium assertione pendantur. Item ipsi judices Suessionen. videntur in rescriptis quæ perspeximus discordare, cùm in literis, quas posterioribus judicibus direxêre, se asserant utriusque partis receptis testibus ad sententiam processisse, & in rescripto prolatæ sententiæ se non utrinque, sed ex parte Canonicorum recepisse testimonia fateantur. Ex præmissis itaque & aliis rationibus tam priorum quàm posteriorum judicum inordinatas sententias cognoscentes, quicquid super causa ipsa occasione prædictarum commissionum ordinatum dignoscitur vel statutum, de fratrum nostrorum consilio decernimus non tenere; ad illum statum idem negocium reducentes, quem ante commissionem primam dignoscitur habuisse. Vt autem utrique parti sua debeat justitia respondere, causam ipsam duximus secundùm formam canonicam committendam. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum.

REMEN. ARCHIEPISCOPO, Cardinali S. Sabinæ.

Epist. 110. De eodem argumento.

SIcut officij nostri debitum & sollicitudo requirit justè prolatas sententias apostolico munimine roborare, sic ejusdem officij ratione compellimur eas super quibus inordinatè processum esse dignoscitur, ad viam rectitudinis revocare, & irritare penitùs quæ videntur contra sanctiones canonicas attentata. Sanè cùm inter dilectam in Christo filiam nobilem mulierem quondam uxorem Philippi Comitis Flandren. & Siclinienſe Capitulum super electione Siclinien. Præpositi olim quæstio suborta fuisset, & super causa ipsa quamplures commissiones à sede apostolica emanassent, novissimè utriusque partis nunciis in nostra & fratrum nostrorum præsentia constitutis, & utriusque partis rescriptis & allegationibus diligenter inspectis, de fratrum nostrorum consilio quicquid super causa ipsa occasione prædictarum commissionum à sede apostolica obtentarum ordinatum dignoscitur vel statutum, decrevimus non tenere, ad illum statum idem negocium reducentes, quem ante commissionum literas dignoscitur habuisse. Volentes igitur utrique parti, prout tenemur, in sua justitia providere, causam ipsam de nunciorum utriusque partis assensu tuæ duximus experientiæ committendam; per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ad tuam præsentiam partibus convocatis, solum Deum habens præ oculis, qui justitiam diligit & affectat, omni personarum acceptione seposita, audias quæ hinc inde proposita fuerint diligenter, & causam eandem appellatione remota decidas, faciens quod decreveris

per censuram ecclesiasticam à partibus firmiter observari. Testes cogantur appellatione remota. Nullis literis obstantibus præter assensum partium &c. Datum Romæ apud S. Petrum III. Kalend. Maij.

CANTVARIEN. ARCHIEPISC.

Epist. 112. Ne in læsionem aliarum Ecclesiarum novam capellam ædificare pergat. *Vide infrà epist. 432. 580. & seqq.*

QVanto personam tuam sinceriori caritate diligimus, tanto majori dolore turbamur, quotiens ea de tuis audimus operibus, quæ pontificali derogant honestati. Cùm enim Cantuarien. Ecclesia, cui præesse dignosceris, inter Anglicanas Ecclesias celebris habeatur, & inter alias consueverit religione florere; nos & fratres nostri grave gerimus & molestum quòd, sicut dilecti filij nostri Prior & Conventus ejusdem Ecclesiæ humili nobis conquestione monstrarunt, tu ad ipsius desolationem Ecclesiæ satagis multipliciter & laboras in constructione novæ capellæ de Lamhee, contra prohibitiones felicis recordationis Vrbani & Clementis Romanorum Pontificum bonæ memoriæ B. prædecessori tuo factas, post appellationes multiplices ad sedem apostolicam interpositas in magnum Cantuarien. Ecclesiæ præjudicium propria temeritate procedens, & de bonis ejusdem Ecclesiæ Canonicos instituens in eadem. A cujus siquidem constructione capellæ, si eam quam debes Romæ Ecclesiæ reverentiam & obedientiam exhiberes, & commissæ tibi Ecclesiæ provisionem & solicitudinem gereres quã teneris, tibi & honori tuo meliùs consulens, penitùs destitisses, nec super eo procedere studuisses quod prædecessori tuo sic districtè cognosceres à sede apost. interdictum. Cùm igitur diminutionem Cantuariensis Ecclesiæ, sicut nec debemus, nolimus aliquatenus sustinere, prædictorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, de fratrum nostrorum consilio fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus omni mora & excusatione postpositis, etiamsi ab Ecclesia tua absens fueris, aliquatenus nonobstante, quicquid post appellationes tam tempore prædecessoris tui quàm tuo ad sedem apostolicam interpositas, vel inhibitiones antecessorum nostrorum, in opere actum capellæ dignoscitur memoratæ, infra triginta dies post susceptionem præsentium tuis expensis non differas demoliri; in irritum prorsùs revocans & deducens quicquid de instituendis Canonicis vel aliis circa capellam * ipsam factum est, vel enormiter innovarum. Clericos prætercea qui in capella ipsa post inhibitiones apostolicas divina officia celebrarunt, tamdiu ab officio & beneficio teneas pro suspensis, donec super hoc satisfecerint competenter universis operibus demolitis quæ apud eandem capellam facere præsumpsere, & universa quæ post appellationem in prædictorum fratrum sunt attentata gravamen, de exeniorum videlicet, Ecclesiarum, & aliorum invasione, quæ ante appellationem habuerant, in statum pristinum appellatione remota reductas; sententias excommunicationis & interdicti, quas in quosdam ipsorum fratrum temerè diceris promulgasse, publicè nuncians non tenere; ac de cetero circa statum ipsius monasterij contra prohibitionem nostram hujus occasione negotij non præsumas aliquid innovare; illicitos invasores villarum, possessionum, & redditunm prædictorum fratrum usque ad satisfactionem idoneam vinculo excommunicationis astringens. Si verò (quod non credimus) mandatum nostrum infra statutum terminum neglexetis vel distuletis adimplere, quia justum est ut ei obedientia subtrahatur qui sedi apostolicæ negligit obedire, venerabilibus fratribus nostris suffraganeis tuis per scripta nostra mandamus ut tibi reverentiam seu obedientiam non impendant. Quod si fortè ab eis vel eorum aliquo contra prohibitionem nostram tibi feceris aliquam obedientiam & revereotiam exhiberi, scias te ex tunc ab episcopali dignitate suspensum, & tamdiu ipsi sententiæ subjacere, donec satisfacturus de contemptu, nostro te conspectui repræsentes. Non autem distinguimus utrum in loco à nostris prædecessoribus interdicto vel alio in prædictæ capellæ constructione & Canonicorum institutione processeris in Ecclesiæ Cantuarien. præjudicium & gravamen eadem contradictionis causa durante; nisi quòd ex hoc magis credimus eidem Ecclesiæ derogari, quòd in remotiori loco prior fabrica est translata. Datum Romæ apud sanctum Petrum VIIJ. * Kalend. Maij, pontificatus nostri anno primo.

Epistola Vrbani III. & Clementis III. pro hac causa, editæ sunt in Chronico Gervasij monachi Cantuar. pag. 1507. 1528. 1530. 1537. 1542.

* *Apud Gervasium* perperam. *Apud Hoved.* prædictam.

Vide Roger. de Hoveden ad an. 1198.

* *Apud Roger.* Idus.

Scriptum eſt ſuper hoc in eundem ferè modum univerſis ſuffraganeis Cantuarien. Eccleſiæ.

VNIVERSIS CHRISTI fidelibus ad quos literæ iſtæ pervenerint.

Epiſt. 112. Meretrices ducere in uxorem, pium & meritorium eſt. In ſecunda Collectione & apud Gregor. Conſtitutio iſta tribuitur Clementi III.

INter opera caritatis quæ imitanda nobis auctoritate ſacræ paginæ proponuntur, ſicut evangelica teſtatur auctoritas, non minimum eſt errantem ab erroris ſui ſemita revocare, ac præſertim mulieres voluptuosè viventes, & admittentes indifferenter quoſlibet ad commercium carnis, ut caſtè vivant, ad legitimi thori conſortium invitare. Hoc igitur attendentes, præſentium auctoritate ſtatuimus ut omnibus qui publicas mulieres de lupanari extraxerint, & duxerint in uxores, quod agunt, in remiſſionem proficiat peccatorum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum tertio Kalend. Maij, pontificatus noſtri anno primo.

ABBATI CLVNIACEN.

Epiſt. 113. Omnes alienationes Balmenſium monachorum revocãtur, & ipſi Abbati Cluniacenſi ſubjiciuntur.

CVm à nobis petitur &c. *uſque ad verbum illud* aſſenſu. Venditiones & alienationes quæ factæ ſunt ab excommunicatis & rebellibus monachis Balmen. Eccleſiæ Cluniacen. apoſtolica auctoritate ſubjectis, irritas penitùs nunciamus; diſtrictiùs inhibentes ne quis eis ſub prætextu cujuſlibet obligationis aliquid credere, vel in aliquo obedire præſumat. Præterea feudatos, qui Balmen. Eccleſiæ fidelitatis juramento tenentur, ab illa fidelitate, quantum ad hoc ut monachos illos contra juriſdictionem Cluniacen. monaſterij tueantur, decernimus abſolutos. Volumus autem, atque præcipimus, ut tibi vel nunciis tuis fidelitas ab eiſdem feudatis & obedientia debita nomine Balmen. monaſterij impendatur. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum.

ARCHIEPISCOPO BISVNTIN. & ſuffraganeis ejus.

Epiſt. 114. Vt Cluniacenſibus ad corrigendos Balmenſes & ſubjiciendos auxilio ſint.

CVm Balmen. monaſterium cum omnibus pertinentiis ſuis ex culpa & delicto monachorum ejuſdem cœnobij Cluniacen Eccleſiæ apoſtolica ſit auctoritate ſubjectum, quia ejuſdem monaſterij monachi præceptis apoſtolicis inobedientes & Eccleſiæ Cluniacen. rebelles exiſtunt, dilectis filiis Comitibus & Baronibus per Biſuntin. provinciam conſtitutis dedimus noſtris literis in mandatis, ut monachis ipſis rebellibus & excommunicatis excluſis, qui in terris eorum domos habent monaſterio Balmen. ſubjectas, ipſas cum appenditiis ſuis à Cluniacen. Eccleſia faciant poteſtate ſibi conceſſa pacificè poſſideri. Et ſuper hoc venerabili fratri noſtro Matiſconen. Epiſcopo per ſcripta noſtra mandavimus, ut Comites & Barones ipſos (ſi mandatum noſtrum neglexerint adimplere) ad hoc per excommunicationis ſententiam in perſonas, & interdicti in terras eorum de noſtra fretus auctoritate, ceſſante appellatione, compellat. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſententiam, quam dictus Matiſconen. Epiſcopus in Comites & Barones memoratos & terras eorundem tulerit, obſervetis, & faciatis appellatione remota per veſtras dioceſes inviolabiliter obſervari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum.

EPISCOPO ET PRIORI S. Petri Matiſconenſis.

Epiſt. 115. Ejuſdem argumenti.

INauditam ſævitiam Balmen. monachorum, quam olim in magiſtrum O. Eccleſiæ Rom. nuncium præſumpſerunt iidem monachi nequiter exercere, diſcretioni veſtræ fore credimus non ignotam, cùm ex ipſorum nequitia & pœna, quam exinde ſuſtinuiſſe noſcuntur, id jam perveniſſe credamus ad exteras regiones. Sanè ſacroſancta Romana Eccleſia, quæ Eccleſiarum omnium caput eſt & magiſtra, licèt ſemper conſueverit juxta Prophetam miſericordiam & non judicium exercere, tamen quia ex offenſa illorum honor prædictæ Eccleſiæ lædebatur, maximè cùm factum fuerit in aperto, ne aliis præberetur materia ſimilia perpetrandi, & ipſi de impunitate poſſent quomodolibet gratulari, in ipſos juxta exceſſum eorum ſententiam promulgavit. Cùm enim Balmen. monaſterium per fratres inibi congregatos odore bonæ opinionis & religionis decore florere debuerit; quia veterem hominem cum ſuis actibus ſequebantur, in peccatis eorum diabolo ſuadente contabuit. unde tam in ſpiritualibus quàm temporalibus miſerabiliter fuerat imminutum. Ceterùm cùm placuit altiſſimo ut tantis malis finem imponeret, & locum

cum ipsum ad suum servitium misericorditer revocaret, facies eorundem fratrum implere ignominia voluit, ut per hoc suum nomen inquirerent, & ad viam rectitudinis inviti etiã * remanerent. Inde est quòd felicis recordationis Eugenius Papa prædecessor nôster prædictum Balmen. monasterium cum omnibus pertinentiis suis Cluniacen. Eccle. subdidit, & ab ea in perpetuum statuit possidendum. quod tam ipse quàm felicis recordationis Vrbanus & Celestinus prædecessores nostri privilegiorum suorum munimine confirmarunt. Verùm quia ejusdem monasterij monachi venerabilis fratris nostri Bisuntin. Archiepiscopi, sicut dicitur, favore subnixi, præceptis apostolicis inobedientes & Ecclesię Cluniacen. rebelles existunt, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus prædictos monachos, si ad commonitionem vestram Cluniacen. Ecclesiæ obedire noluerint, auctoritate nostra nuncietis excommunicationis sententiæ subjacere, & faciatis tanquam excommunicatos ab omnibus arctiùs evitari. Vbertum insuper, & Leobaudum, & alios, si qui fortè munus absolutionis obtinuere ab apostolica sede, atque Hay. dictum Priorem Iusanen. monasterij, quandiu Cluniacen. Ecclesiæ inobedientes extiterint, sublato appellationis obstaculo, ejusdem excommunicationis vinculo astringatis. Volumus præterea, si quid per eos contra dictorum privilegiorum tenorem in præjudicium Cluniacen. Eccle. à sede apostolica fuerit impetratum quomodolibet, nullius penitùs existere firmitatis. Quòd si ambo &c. tu frater Episcope &c. Datum Romæ apud S. Petrum.

* remearent.

PRÆPOSITO ET FRATRIBVS S. Iuvenci de Papia.

Epist. 116. Vt Carnelum Clericum recipiant in Canonicum.

PLerunque contingit ut intentionem suam adinventionibus & suggestionibus falsis ita pallient petitores, quòd auditor benevolus ad impendendum quod postulant seductus, fraudulentis persuasionibus inclinatur. Verumtamen apostolicæ sedis auctoritas, si quando taliter comperit se delusam, in auctorum pœnam fraudis & malitiæ suæ commenta retorquet, & illi paterno affectu providet in cujus gravamen credebantur & injuriam introduci. Hoc autem ea ratione inducimus, quia vos receptis literis & precibus felicis memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri pro receptione dilecti filij Carneli Clerici, nuntium proprium ad ipsius præsentiam direxistis, falsò ei per ipsum (ut apparet ex sequentibus) suggerentes quòd Ecclesia vestra, tam onere paupertatis quàm Clericorum numero prægravata, non sufficeret illum admittere, nec posset ei ullatenus providere. Cùmque per dilectum filium nostrum Hug. tt. sancti Martini Presbyrum Cardinalem, quem super hoc dederat auditorem, auditis gravaminibus, quibus vos premi falsò idem nuncius asserebat, effectis ad tempus à jamdicti petitione Clerici benigniùs absoluti, vos in elusionem mandati sui sex in vestrum consortium admisistis; nec gravavit vos senarius numerus, quos ad interventum apost. sedis unius receptio irrationabiliter molestabat. Quia igitur ex hoc facto satis manifestè apparet quòd contra preces apost. sedis doli & astutiæ clypeo vos armatis, nolumus quòd absolutio memorata prædicti Clerici receptionem impediat, quam fraudulenta falsáque suggestio procuravit; cùm omnino fuerit suggestioni vestræ contrarium quod per vos postmodum in sex Canonicorum receptione fecistis. Ideóque discretioni vestræ per apostol. scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus jamdictum C. Clericum non obstante absolutione per surreptionem obtenta, ob reverentiam beati Petri & nostram, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, in fratrem vestrum & Canonicum liberaliter assumatis; stallum in choro, locum in Capitulo, & beneficium sicut uni ex aliis Canonicis ei sine difficultate qualibet assignantes. Alioquin noveritis nos dilectis filiis magistris M. Præposito Canonicæ, Gualtero subdiacono nostro, Martino & Opizo Canonicis S. Michaëlis majoris Papien. nostris literis districtiùs injunxisse ut inquirant super præmissis diligentiùs veritatem, & si rem noverint ita esse, vos ad receptionem ejus & ad assignationem beneficij sublato appellationis obstaculo ecclesiastica districtione compellant; quoslibet, qui mandato apostol. se duxerint opponendos, eadem districtione compescentes. Non enim est verisimile quòd tunc unius tantùm receptio

vestram gravasset Ecclesiam, quæ gravata in ampliori numero non apparet. Datum Romæ apud sanctum Petrum XIII. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno primo.

Scriptum est illis super hoc.

BITVRICEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 117. Quòd Episcopos ad aliam Ecclesiam trãsferre absque licentia Papæ non liceat.

NE si universis universa licerent, par videretur in singulis jurisdictio singulorum, & ex hoc Petri navicula sine remige fluctuaret, Dominus noster eam ad humani corporis similitudinem figuravit, ponens Romanam Ecclesiam caput ejus, & ad suum & ipsius obsequium ceteras secundùm varia officia dignitatum ei pro membris adaptans, non ut omnia membra eundem actum haberent, sed dum permanerent in unius corporis unitate, sic ad implendam legem Christi alter alterius onera supportaret ut capiti suo, in quo est plenitudo sensuum, suis vicibus deservirent, nec ejus sibi officium alicujus præsumptionis audacia usurparent. Hujus autem Domini & magistri omnium magistrorum sancti patres diligentiùs attendentes, majores Eccl. causas, utpote cessiones Episcoporum, & sedium translationes, sine apost. sedis licentia fieri vetuere, ut ea quæ sola obtinet plenitudinem potestatis, de his disponeret, nec liceret alicui de episcopatu ad episcopatum sine ipsius auctoritate transire. Quod venerabilis frater noster Turonen. Archiepiscopus minùs quàm honori suo expediret attendens, posuit quodammodo sedem suam ad aquilonem, & pacis thalamum violavit, magistrum V. de Chymeleio, qui in Abrincen. Ecclesia electus fuerat, & per Metropol. suum postmodum confirmatus, in ea diutiùs ministraverat, in Andegaven. Ecclesiam transferre præsumens, & in ipsa Episcopum præter auctoritatem sedis apostolicæ consecrare; cùm dubium esse non debeat quòd post electionem & confirmationem episcopatui Abrincen. sacramentali conjugio fuerit alligatus, ac propter hoc, secundùm Apostoli verbum, quærere solutionem non debuit, nisi tantùm ab eo quem illius constat esse Vicarium qui dicit in evangelio: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Vnde idem quoque magister de Chymeleio hujus non est credendus præsumptionis immunis, qui sponte passus est taliter se transferri. Ne igitur tanta præsumptio remaneat impunita, & ex hoc accrescat aliis audacia delinquendi; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, licèt hoc factum videatur esse notorium, quod etiam ipsius Archiepiscopi nuncij non præsumpsere in nostra præsentia diffiteri, ad abundantiorem tamen cautelam inquisita diligentiùs veritate, si verum est quod asseritur, dictum Archiepiscopum à confirmatione & consecratione Episcoporum, memoratum vero V. à pontificalis officij executione, donec super hoc aliud statuamus, omni contradictione & appellatione cessante, auctoritate nostra suspendas. Inquiras præterea solicitiùs veritatem, si venerabilis frater noster Rhomagen. Archiepiscopus dictum V. ut sic transiret, absolvit; quamvis hoc ipsum non videatur aliqua posse tergiversatione celari, cùm ipsius nobis literæ fuerint præsentatæ, per quas eum liberum & absolutum ad regimen Andegaven. Ecclesiæ transmittebat. Et si præmissis veritas suffragatur, eundem Archiepiscopum pari pœna cum alio percellere non omittas; ne sit immunis à pœna, qui non est alienus à culpa. Sicut enim aliorum jura volumus illibata servare, sic jura nostra nolumus violari; cum caritas exigat ordinata, ut post Deum primò nos ipsos, ac deinde proximos diligamus. Illud autem in defensionem erroris & excusationem excessus nemo debet inducere quod sanctæ memoriæ Pelagius Papa constituit, inquiens inter cetera: Si consecrandi Episcopi negligentia provenerit ut ultra tres menses Ecclesia viduata consistat, communione privetur, quousque aut loco cedat, aut consecrandus se offerre non differat. Quòd si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, nec ibi nec alibi consecrationis donum percipiat; immo Metropolitani sui judicio cedat. cùm rectè intelligenti dubium esse non debeat quin in alio casu loquatur; ne fortè quod est statutum ad pœnam, trahatur ad gratiam, si per hoc Metropolitano liceret eum quem electum in Episcopum confirmaverat, ut ad majorem episcopatum transferre, absolvere. Sed & hujusmodi cessio, quæ potiùs est dicenda dejectio, non fit sine Romani Pontificis concessa licentia, cujus fines nemini licet excedere: qui per illam

Vide Marcam lib. 7. De Concordia c. 26. §. 8.

constitutionem Metropolitanis indulsit ut eos qui consecrari contempserint, post præfinitum tempus ex illius constitutionis licentia possint dejicere, ut nusquam de cetero valeant consecrari. Nec dicitur Eccle. viduata, quasi sponsum non habeat; sed quia cùm sponsus ejus nondum sit consecratus, adhuc quoad quædam quasi viri manet solatio destituta. Ne verò novum aliquid super hoc statuere videamur, quod contra venerabilem fratrem nostrum Patriarcham Antiochenum & L. Tripolitanum dictum Episcopum in simili casu fedes statuit apostolica, præsentibus literis fideliter duximus exprimendum. ANTIOCHENO Patriarchæ &c. Cùm ex illo &c. *Extat suprà numero L I.*] L. dicto Tripolitano Episcopo. Cùm ex illo &c. *Extat suprà numero LII.*] Datum Romæ apud S. Petrum V. Kalend. Maij.

EPISCOPO, CANTORI, & magistro P. de Corbolio Parisiensi Canonico.

Epist. 119. Vt Bernardus de Insula in Canonicatu Tornacensi per illos defendatur.

CONfirmationis nostræ manum in his quæ per prædecessores nostros non sine maturitate consilij novimus instituta, necnon & ex eorum auctoritate pariter & mandato fortita sunt effectus debiti complementum, non tantùm libenter apponimus, verùm etiam in eos qui ad institutiones hujusmodi eludendas in contradictionis & rebellionis aculeum eriguntur, graviter, sicut tenemur, insurgimus ad vindictam; ut sic rebellium & superborum contumacitas elidatur, & Ecclesiæ Romanæ institutio, submoto cujuslibet temeritatis obstaculo, sua gaudeat libertate. Tenor siquidem literarum dilecti filij H. Decani Parisiensis, quas felicis recordationis Celestino Papæ prædecessori nostro tanquam nobis directas accepimus, nos instruxit, quòd mortuo in Vrbe bonæ memoriæ magistro Henrico de Sognies Canonico Tornacen. Ecclesiæ, præbendam ejus dilecto filio Bernardo Clerico de Insula de sedis apost. benignitate concessit, eúmque de ipsa per annulum propria manu investiens, præbendam ipsi confirmavit eandem. super quo tam venerabili fratri nostro Tornacen. Episcopo quàm dilectis filiis Decano & Capitulo Tornacen. districtè præcipiendo mandavit ut factum suum in hac parte irrefragabiliter observantes, præfatum Bernardum in suum Canonicum admitterent & in fratrem; inhibens etiam illis ne ad præbendam illam aliquem alium in fratrem assumerent. Scripsit tam præfato Decano quàm bonæ memoriæ P. Cantori Parisiensi cum districtione præcepti, ut eis in hujus mandati executione cessantibus, ipsi auctoritate apostolica suffulti, nonobstante contradictione vel appellatione cujuslibet, quæ præmissa sunt exequi non tardarent, atque ipsum in possessionem præbendæ illius corporaliter inducentes, facerent eum nihilominus possessione quieta & integra fructuum perceptione gaudere. Eos insuper qui institutioni ejus ac investituræ tam solemniter factæ se ducerent opponendos, per districtionem ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescentes, si quid fortè interim in ipsius Clerici præjudicium de illa fuisset præbenda statutum, penitus irritarent. Verum memoratus Decanus, sicut ei de ipsius rescripti auctoritate licebat, solus executioni horum diligenter insistens, non semel sed sæpius suis literis destinatis eo ordine, quo decebat, Episcopum & Capitulum attentè commonuit, ut præceptum apostolicum quantocius adimplentes, dictum B. qui de præbenda Tornacen. vacante per manum apostolicam, sicut dictum est, investituram acceperat, in choro & in Capitulo tam liberaliter quàm libenter admitterent, & præbendæ fructus ex integro absque omni difficultate conferrent. Episcopus verò, licèt sæpe tam literis quàm viva voce commonitus ab eo, ut decuit, semper exhibuit se rebellem, nullatenus volens institutioni apostolicæ consentire. Sed tamen Parisius veniens, cùm prædictus B. vehementer instaret, præsente te frater Episcope, necnon & dilecto filio Abbate sanctæ Genovefæ procuratore ipsius Episcopi Tornacensis, cum multis aliis religiosis & honestis personis, post multas altercationes & rationes hinc inde propositas, de communi consilio magistrorum prudentium & jurisperitorum, qui vocati ad litem convenerant decidendam, cùm allegationes prædicti Episcopi nullam vim aut vigorem haberent, sæpefatum B. auctoritate apostolica sententialiter in corporalem præbendæ illius possessionem induxit; eo modo laborans quòd Decanus ipse totúmque Capitulum Torna-

cen. eundem Clericum in fratrem & Canonicum suum communiter receperunt, & adhibitis solennitatibus quæ debent in admittendis Canonicis adhiberi, stallum in choro & locum in Capitulo ei libenter assignarunt: ita quòd statim & deinceps, sicut & reliqui, juxta consuetudinem Ecclesiæ, plena & integra perceptione fructuum est gavisus. Et ut mandatum apostolicum ex ordine compleretur, idem executor quicquid circa Hulvinum ipsius B. adversarium vel alium ab Episcopo vel quolibet alio fortè fuisset in ejus præjudicium attentatum, cum ipso Capitulo Tornacen. penitùs irritavit; solo Episcopo in sua rebellione contumaciter perdurante. Nos igitur quod ab eodem Decano auctoritate apostolica providè super his omnibus est statutum, debitum volentes effectum sortiri, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus si idem Episcopus vel Hulvin. sive alius prænominatum B. Canonicum Tornacen. super illa præbenda, quam ipse tam solenniter est adeptus, post monitionem vestram duxerint impetendum, aut possessionem præbendæ qualibet occasione turbandam, eos per severitatem districtionis ecclesiasticæ omni contradictione & appellatione cessante compescere nullatenus omittatis; nihilominus facientes ut prænominatus Episcopus suum in hoc velit adhibere consensum. Nolumus enim, sicut nec fieri convenit, ut apost. sedis institutio tam solemniter celebrata, & tot tantorúmque virorum approbationibus & sententia unanimi roborata, temeritate seu contradictione quorumlibet infirmetur, aut factum, quod de tanti consilij maturitate ac provida consideratione processit, in recidivæ quæstionis scrupulum relabatur. Nullis literis obstantibus harum mentione non habita &c. Quòd si omnes &c. tu frater Episcope cum eorum altero &c. Datum Romæ apud S. Petrum III. Kalend. Maij, pontificatus nostri anno primo.

LAMECEN. EPISCOPO, & G. monacho quondam Episc. Lamecen. & Priori de Ecclesiola.

Epist. 119. Vt causam inter Bracarēsem Archiepiscopū

CVm venisset olim ad apostolicam sedem N. Canonicus S. Martini de Castro, nobis exposuit quòd bonæ memoriæ quondam Bracaren. Archiepiscopus de consilio fratrum & Canonicorum suorum assensu, Illustris quoque Portugal. Regis A. & uxoris ejus M. Reginæ precibus inclinatus, Ecclesiæ sancti Martini de Castro privilegium exemptionis indulsit, & eam ab omni jure episcopali prorsùs absolvit. & Canonicum S. Martini de Castro, de exēptione instituta, definiant. Propter quod possessionem quandam in villa de Molas, & duo casalia in terra de Regaldos, ex quibus tantundem vel eo ampliùs percipiebat Ecclesia, dictus Archiepiscopus in recompensationem accepit; sicut in privilegio continetur, quod per sedem apostolicam fuit postmodum confirmatum; ita quòd eadem Ecclesia Ecclesiæ Romanæ certum censum annis singulis exhiberet. Verùm è contra venerabilis frater noster Archiepiscopus Bracaren. asseruit quòd eadem Ecclesia; cùm adhuc parochialis existeret, & postmodum cùm per I. quondam Bracaren. Archiepiscopum facta esset canonica regularis, jura episcopalia Bracaren. Ecclesiæ persolvebat. Tandem verò Canonici ejusdem Ecclesiæ dicto Archiepiscopo duo casalia conferentes, relaxationem juris episcopalis pro parte quadam impetrarunt ab eo. Sed dissensione postmodum super hoc exorta, iidem Canonici casalibus prædictis receptis, jura episcopalia memorato Archiepisc. & successori ejus diutiùs persolverunt. Adjecit etiam idem Archiepiscopus quòd ipse ab eadem Ecclesia, sicut ab aliis monasteriis Bracaren. diocesis, jura parochialia & procurationes annuas aliquandiu recepisset: quæ cùm sibi præsumpsissent postmodum denegare, post primam, secundam, & tertiam commonitionem, suspensionis in Priorem & in monasterium interdicti sententiam promulgavit, ac postmodum tam Priorem quàm Conventum, quia sententiam ipsam servare nolebant, excommunicationi subjecit. Cùmque postmodum coram dilecto filio G. sancti Angeli Diac. Cardinale, qui tunc in partibus illis legationis officio fungebatur, quæstio super hoc fuisset aliquandiu agitata, & tandem * venerabili fratri nostro Priori sanctæ Crucis ex ipsius delegatione commissa, pars adversa lite pendente ad apostolicam sedem accedens, veritate tacita confirmationem prædicti privilegij impetravit. Allegabat etiam idem Archiepiscopus ex privilegio taliter im-

*Legend. [dilecto] filio nostro

petrato nullum debere sibi præjudicium generari, & se ante omnia debere restitui, cùm eum jure consueto Prior & Canonici auctoritate propria spoliassent. Quia verò nobis ad plenum non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apost. scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis hinc inde proposita, &. quod justum fuerit inter eos appellatione postposita statuatis, & faciatis quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

ARCHIEPISCOPO MEDIOLAN.

Epist. 120. Vt Cancellariã dignitatem in Ecclesia Mediolanensi vacantem, subdiacono Pontificis conferat.

IN his quæ non solùm ad spiritualia, verùm etiam ad secularia pertinent, te credimus adeo eruditum, ut satis inter bonum & malum discernere debeas, & agnoscas quibus inter devotos & fideles tuos ad majoris renumerationis stipendia tenearis. Vnde (quod absit) tanto majori appareres reprehensione notandus, si merita tuorum bene viventium absque remuneratione debita sub dissimulationis oculo pertransires, quanto minorem in his excusationem tuæ providentia circumspectionis admittit. Sanè, si velles etiam, diffiteri non posses quantum dilectus filius Henricus Subdiaconus noster pro te tam apud sedem apostolicam quàm aliàs fideliter laboraverit & devotè: pro quo tanto confidentiùs preces nostras pro ipso tibi duximus porrigendas, quando justiori causa, quæ ad id efficaciter nos invitat, ipsas credimus adjuvari; cùm eas, quas tanquam primitias tibi dirigimus, apud te mereri speremus audientiam cum effectu, & si etiam secus eligeres faciendum, nulla rationabilis tibi excusatio superesset, ad provisionem dicti subdiaconi cõgrua oportunitate se temporis ingerente. Inde est quòd cùm, sicut audivimus, Cancellariæ dignitas per annum & ultra jam in Ecclesia Mediolanen. vacaverit, licèt jurisdictio conferendi eam ad nos juxta Lateranen. statuta Concilij pleno jure sit devoluta, cum nec per te infra sex menses, nec per Mediolanen. Capitulum infra sex alios fuerit ordinata; nos tamen tibi tanquam fratri carissimo deferre volentes, devotionem tuam rogamus affectuosiùs, & monemus, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, quatenus eidem subdiacono, qui tam per se quàm per consanguineos suos tibi & Ecclesiæ tuæ plurimùm esse poterit fructuosus, & ad ipsius executionem officij probatur idoneus, quem nos etiam quadam prærogativa speciali diligimus, dictam Cancellariam sine cujuslibet difficultatis obstaculo, tam nostrarum precum intuitu, quàm ipsius meritorum & probitatis obtentu, non differas assignare; ita ut ipse in hoc bonitatis tuæ dulcedinem valeat experiri, nósque in nostrarum exauditione precum tuæ probare possimus devotionis affectum. Quòd si postquam literas nostras receperis, ad eludendum mandatum nostrum in præjudicium juris canonici, quod nobis competit ex Lateran. statuto Concilij, de ipsa Cancellaria (quod non credimus) aliquid duxeris statuendum, nos id irritum decernimus penitùs & inane; sicque auctore Domino faciemus idem mandatum efficaciter adimpleri, quòd ad consummationem præsentis negotij, quæ de ipso non fictè incepimus, finis congruus subsequatur. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

EPISCOPO ET CLERO Placentin.

Epist. 121. Vt Palavicinũ compellat ad restituendum ablata Cardinali S. Mariæ. Vide epist. seq.

QVi monitis acquiescere nolunt, & mandatis apostolicis obedire, nec ad obediendum minis etiam inducuntur, canonicæ severitatis in se debent experiri rigorem, ut effectus ab eis obtineat quod interminatio non potuerat obtinere. Sanè cùm olim Consulibus & populo Placentinis dederimus in mandatis ut V. Palavicini filium, & socios ac fautores iniquitatis ipsius, commorantes in vestro districtu, ad restitutionem eorum quæ dilecto filio nostro P. Sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, cùm de provincia legationis suæ rediret, violenter abstulerant, tradita sibi potestate compellerent; alioquin Ecclesiam Placentinam subjiceremus Ecclesiæ Ravennati; ac si nec sic mandatis apostolicis obedirent, episcopali dignitate tam Placentin. quàm Parmen. Ecclesiam privaremus: quia quod mandabatur adimplere hactenus distulerunt, ne mendacij arguamur, recedere non possumus à tramite veritatis, aut non concludere in effectu quæ prædiximus comminando. Eapropter eorum contumaciam attendentes, præsentium auctoritate

Vide infrà epist. 140.

de consilio fratrum nostrorum statuimus, ut nisi infra quindecim dies post receptionem præsentium, mandatum quod per alias eis literas fecimus curaverint adimplere, Ecclesia Placentina Ecclesiæ Ravennati subjaceat, & vos venerabili fratri nostro Archiepiscopo Ravennati respondeatis, & ipsius non præsumatis mandatis & admonitionibus contraire, donec nobis & eidem Cardinali plenariè fuerit satisfactum; tam Placentin. quàm Parmen. Ecclesiam episcopali dignitate (dante Domino) privaturi, si nec sic nobis fuerit plenariè satisfactum. Ideóque per apostolica vobis scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus eidem Archiepiscopo respondere curetis. Alioquin noveritis vos officio beneficióque suspensos. Mandavimus autem eidem Archiepiscopo, ut vos ad obediendum sibi per censuram ecclesiasticam, & aliter, si opus fuerit, appellatione remora compellat. Nos enim sententiam quam in vos, si contumaces fueritis, tulerit, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Carissimæ quoque in Christo filiæ nostræ G. Imperatrici, & tam Francorum quàm Anglorum Regi, & nobilibus viris T. Comiti & Baronibus Campaniæ, Duci Burgundiæ, ac Comiti Maurianen. firmiter præciendo mandamus, ut bona mercatorum Placentinorum & Parmensium quæ deinceps fuerint in terra eorum inventa, tamdio apud se sub custodia fideli detineant, vel faciant in tuto deponi, donec nobis & eidem Cardinali fuerit plenariè satisfactum, & ipsi quid de his facere debeant, mandatum à nobis receperint speciale. Consules etiam Placentinos, nisi nobis juxta mandatum dilecti filij G. sanctæ Mariæ in porticu Diaconi Card. apostolicæ sedis Legati curaverint satisfacere infra terminum quem ipse eis ad satisfaciendum præfixerit, se noverint excommunicationis vinculo innodatos. Mandamus autem rectoribus Lombardiæ ut Consules ipsos & Potestatem Parmen. ad sua consilia non admittant, immo eos sicut excommunicatos arctiùs studeant evitare. Scribimus quoque universis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis in Lombardia constitutis, ut si Consules Placentini vel Potestas Parmen. in civitates vel quascunque terras Lombardiæ fortè devenerint, eis præsentibus in civitatibus vel terris ipsis divina prohibeant officia celebrari. Omnes autem literas, quæ pro eorum contumacia edomanda de mandato nostro super hoc negocio sunt confectæ, eidem Card. transmittimus, eis, ad quos diriguntur, nisi infra quindecim dies post susceptionem præsentium nobis juxta formam literarum quas idem Cardinalis ad vos primò detulit, ad plenum satisfactum fuerit, assignandas: ei dantes firmiter in mandatis, ut te frater Episcope & Clericos Placen. ad obediendum memorato Archiepiscopo, cui vos ex tunc decernimus usque ad dignam satisfactionem esse subjectos, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Quòd si fortè Cardinalis memoratus in terra non fuerit, venerabilibus fratribus nostris Mediolan. Archiepiscopo & Episcopo Cuman. executionem hujus apostolici mandati committimus; ut ambo, vel alter eorum, si his exequendis* nequiverint interesse, sicut præmissum est, in ipsius executione apostolica fretus auctoritate procedat. Illud etiam relinqui nolumus incorrectum, quòd interdictum in civitate & diocesi positum non plenè (sicut dicitur) observatur, cùm auctoritate nostra prolatum fuerit, & à nobis postmodum confirmatum. Vnde vobis in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut vos illud inviolabiliter observetis, & faciatis per vestram diocesim inconcussè servari; eos qui contravenire præsumpserint, officio beneficióque suspensos, ad sedem apostolicam tu frater Episcope transmissurus. Datum Romæ apud sanctum Petrum XI. Kalend. Maij, Pontificatus nostri anno primo.

* ambo

Scriptum est prædictis omnibus super hoc, juxta quod in eisdem literis continetur.

EPISC. ET CAPITVLO PARMEN.

Epist. 112. De eadem re.

QVi monitis &c. *ut suprà in eundem ferè modum usque ad verbum illud* compellerent. Alioquin Burgum sancti Domnini eximeretur à jurisdictione Parmensis Ecclesiæ, quia ipsi quod mandatur &c. *usque ad verbum illud* de consilio fratrum nostrorum Burgum S. Domnini ab Eccle. Parmen. usq; ad satisfactionem congruam eximimus potestate, tam vestram quàm Placen. Ecclesiã &c. *ut suprà usque ad verbum illud* satisfactum. Scribi-

mus autem cariſſimæ in Chriſto filiæ C. Imperatrici &c. *uſque ad verbum illud* ſpeciale. Omnes autem literas quæ pro eorum contumacia &c. *uſque ad verbum illud* firmiter in mandatis ut Clericos in Burgo ſancti Domnini conſtitutos à jugo Eccleſiæ Parmen. abſolvat, & publicè tantùm Eccleſię Romanę teneri. Quòd ſi fortè Card. memoratus in terra non &c. *uſque ad verbum illud* procedat. Ideóque per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, & diſtrictè præcipimus, quatenus cùm idem Burgum ſancti Domnini à veſtra fuerit juriſdictione exemptum, nullam in Eccleſias vel Clericos ejus exercere præſumatis de cetero poteſtatem, ſub pœna excommunicationis vobis nihilominus inhibentes ne Huberto Palavicini filio aliquid de proventibus Parmen. Eccleſiæ impendatis, nec eum, vel ſuos, vel aliquos pro eo patiamini de ipſis aliquam uſurpare vel qualemcunque accipere portionem, contra quod hactenus egiſſe dicimini fraudulenter. Illud etiam impunitum relinquere nec poſſumus, nec debemus, quòd interdictum in civitate veſtra & dioceſi poſitum non plenè, ſicut dicitur, obſervatur, præſertim cùm auctoritate noſtra prolatum fuerit &c. *ut ſup. uſque in finem.* Datum ut ſuprà.

RAVENNATI ARCHIEPISCOP.

Epiſt. 123. De eadem re.

CVm apud ſedem apoſtolicam poteſtatis reſideat plenitudo, non eſt admiratione ducendum, ſi penſatis ſubditorum meritis, nunc exaltat humiles, nunc deprimit contumaces. Sanè cùm ipſa mater ſit omnium generalis, ut in ſublimatione humilium ad obediendum provocet contumaces; & in contumacium depreſſione tam ſuperbis quàm humilibus audaciam ſubtrahat contemnendi, & manſuetos extollit, & deponit ſupercilium ſuperborum. Ideóque Placentinorum contumaciam attendentes, præſentium auctoritate ſtatuimus de fratrum noſtrorum conſilio & voluntate communi, ut Eccleſia Placentina Eccleſiæ Ravennati ſubjaceat, & venerabilis frater noſter Epiſcopus & Clerus Placentin. tibi obedientiam & honorem exhibeant, donec nobis & dilecto filio P. ſanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali juxta tenorem literarum, quas eis direximus Placentiam, ſatisfactionem curaverint plenariam exhibere; auctoritate tibi apoſtolica indulgentes, ut eos ad obediendum tibi & reſpondendum (ſicut ſuperiùs eſt expreſſum) compellendi liberam habeas facultatem. Nos enim ſententiam, quam in eos propter hoc tuleris, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter obſervari. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum.

OVETEN. EPISCOPO.

Epiſt. 124. Vt ex Collegio Canonicorum iterum fiat monaſterium.

CVm à nobis petitur &c. *uſque ad verbum illud* effectum. Significaſti ſiquidem nobis, quòd cùm in Eccleſia ſancti Servandi inſtitutio Abbatis & monachorum ad te de jure pertineat, monaſterium ipſum converſum eſt in canonicam ſecularem, & cuidam Clerico in beneficium aſſignatum, quod tu, quantum in te fuerat, emendare intendens, monaſterium ipſum in priorem religionis ſtatum deſideras revocare. Eapropter, venerabilis in Chriſto frater, tuis precibus annuentes, ut Eccleſiam ipſam ad debitum religionis ſtatum reducas, inſtituendi ibidem Abbatem & monachos, ſicut ad te pertinet, liberam tibi concedimus auctoritate apoſtolica facultatem. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum VI. Non. Maij.

FRATRI RAINERIO.

Epiſt. 125. Vt enter Ovetenſem Epiſcopum à Rege Legionen. ejectum reſtituat.

CVm venerabilis frater noſter Oveten. Epiſcopus interdictum, quod in regnum Legionen. apoſtolicæ ſedis auctoritate prolatum fuerat, & ipſe ſervaverit, & in ſua dioceſi fecerit obſervari, & propter hoc de regno Legionen. exilium coactus fuerit ſuſtinere, juſtum non eſſet aliquatenus vel honeſtum, ſi de receptione ipſius in abſolutione Regis & regni à te vel nullatenus vel nimis tepidè tractaretur. Ideóque diſcretioni tuæ per apoſt. ſcripta mandamus quatenus ſi juxta formam, quam tibi dedimus, Regem Legionen. duxeris abſolvendum, ex debito præſtitæ cautionis illi præcipias, antequam interdictum regni relaxes, ut non impediat quominus dictus Epiſcopus ſuæ reſtituatur dioceſi, & tam de damnis illatis, quàm de fructibus inde perceptis, recompenſationem ei exhibeat competentem, & ei faciat ablata cum integritate reſtitui. Noveris autem nos eidem Epiſcopo de ſpeciali gratia conceſſiſſe, ut cùm regni Legionen. relaxaveris interdictum, latam in ſuam dioceſim interdicti ſententiam & hacte-

nus obſervatam, per ſe vel nuncium ſuum auctoritate noſtra cùm tuo conſilio valeat relaxare. Vnde nihilominus volumus & mandamus ut prædictum Epiſcopum non impedias quominus ſecundùm prædictam formam per ſe vel nuncium ſuum diocesim Ovetenſem abſolvat. Datum ut ſuprà.

TERRACONEN. ARCHIEPISC.

Epiſt. 116. Ne intra ſeptennium proximè vacatura beneficia conferantur, ſed redditus convertantur in uſus creditorum.

IMminet nobis ex ſuſceptæ adminiſtrationis officio ut Eccleſiarum profectibus taliter intendere debeamus, quòd ipſi in ſtatu debito perſiſtentes, ſalubribus proficere valeant inſtitutis. Sanè ad noſtram noveris audientiam perveniſſe, quòd Eccleſia tibi commiſſa propter beneficia tam manſionariis quàm non manſionariis aſſignata, cùm ipſius redditus ad hoc ſufficere non valeant, jam ferè ad nihilum eſt redacta. Volentes igitur ejuſdem Eccleſiæ profectibus paterna ſolicitudine providere, fraternitati tuæ per apoſt. ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus, ſi vera ſunt quæ dicuntur, de poſſeſſionibus ad menſam tuam pertinentibus infra ſeptennium nulli beneficium de novo aſſignes, niſi neceſſitas vel Eccleſiæ utilitas poſtulaverit, ut per hoc ſaltem reſpirare valeat ab onere debitorum. Datum Romæ apud S. Petrum v. Kalend. Maij.

PRÆPOSITO, DECAN. & Cap. Cameracen.

Epiſt. 117. Vt à deceſſore ſuo & à ſe inſtitutum recipiant in Canonicum. Cap Propoſuit. De conceſſione prabendæ.

PRopoſuit nobis dilectus filius Thebaldus Presbyter, quòd cùm bonæ mem. Celeſtinus Papa prædeceſſor noſter poſt preces, quas vobis pro receptione ipſius in fratrem & aſſignatione præbendæ ad donationem veſtram ſpectantis in Eccleſia veſtra proximò vacaturæ eidem facienda porrexerat, mandatum vobis apoſtolicum deſtinaſſet, & bonæ mem. Decanum Remen. executorem conceſſiſſet eidem, Decanus ipſe vos in executione mandati apoſtolici contumaces inveniens & rebelles, ipſum de præbenda primò vacatura in Eccleſia veſtra, quæ ad donationem Capituli pertineret, auctoritate apoſtolica inveſtivit, vobis præcipiens ut eum in Canonicum recipientes & fratrem, ipſi ſtallum in choro & locum in Capitulo conferretis, Eccleſiarum vobis introitu interdicto, ſi quod mandabat differretis infra triduum adimplere. Vos autem nec mandatum ejus exequi voluiſtis, nec ab Eccleſiarum ceſſaſtis ingreſſu, immo potiùs in eluſionem mandati apoſtolici, cauſa diffugij ad eundem Decanum appellaſtis; & cùm ipſe Decanus morte præventus in negocio ipſo ulteriùs non potuiſſet procedere, & præbenda, quæ ad donationem veſtram ſpectabat, in Eccleſia Cameracen. vacaſſet, eam alij aſſignaſtis, in eumdem Presbyterum excommunicationis ſententiam promulgantes, quia literas ejuſdem Decani ſibi in teſtimonium reſervavit. Cùm autem propter hoc idem Presbyter ad ejuſdem prædeceſſoris noſtri præſentiam acceſſiſſet, ſicut ex literis ejus nobis innotuit, ipſe quod ab eodem Decano factum fuerat, ratum volens haberi, collationem præbendæ factam à vobis penitùs irritavit, & eundem Presbyterum ab excommunicationis vinculo abſolutum de ipſa manu propria per annulum inveſtivit. Licèt autem intentionis noſtræ non ſit inveſtituras de vacaturis factas, contra canonum inſtituta ratas habere, qui ſecundùm plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus * ſupra jus diſpenſare, attendentes tamen quòd idem Presbyter non de vacatura, ſed de vacante per prædeceſſorem noſtrum fuerat inveſtitus, utpote quæ poſt caſſationem conceſſionis à vobis factæ intelligebatur vacare; diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus quatenus amoto ab eadem præbenda quolibet detentore, eam ipſi T. omni dilatione, excuſatione, & app. poſtpoſitis conferatis, & permittatis ab ipſo pacificè poſſideri, ei ſtallum in choro & locum in Capitulo cum plenitudine honoris canonici aſſignantes. Alioquin noveritis nos venerabili fratri noſtro Cathalanenſi Epiſcopo dediſſe firmiter in mandatis ut ipſe id auctoritate apoſt. exequatur; contradictores eccle. cenſura ceſſante appellatione percellens, ſi vos ſuper executione mandati noſtri deſides fueritis, vel remiſſi. Nos enim ſicut nolumus injuſta præcipere, ſic in juſtis præceptis nolumus pati repulſam, qui prompti ſumus omnem inobedientiam ſecundùm apoſt. verbum ulciſci. Nullis literis &c. harum tenore tacito &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum.

* In Tertia Collect. legitur, ſuper his.

In eundem ferè modum Cathalanenſi Epiſcopo.

MA-

MATTHÆO ABBATI, & Conventui S. Spiritus de Arenulis.

Epist. 128. SAcrosancta Rom. Eccle. &c. *usque ad verbum illud* suscipimus. Ad indicium autem hujus nostræ protectionis paginæ nobis nostrísque successoribus unum Bizantium annis singulis exolvetis. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum VI. Nonas Maij.

OXOMENSI, OSCENSI, & Dertusen. Episcopis.

Epist. 129. Vt causam Archiepiscopi & Capituli Terraconensis contra monasterium Rivipollense determinent. VEniens olim ad apostolicam sedem Vvillielmus monachus Rivipollensis, causam quæ inter venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum & dilectos filios Canonicos Terraconen. ex una parte, & monasterium Rivipollen. ex alia, super villa & honore de Centumcellis vertebatur, ad quosdam obtinuit judices delegati. Verùm quoniam ipse in falsitate Bullæ nostræ fuit publicè deprehensus, & suspectus habetur ne præter literas quas à nobis obtinuit, aliquas alias sub falsa Bulla in Hispaniam destinarit; fraternitati vestræ per apost. scripta mandamus, quatenus nullis literis super hoc impetratis obstantibus, & revocato quicquid earum auctoritate est attentatum, audiatis causam, & eam fine debito terminetis, facientes quod statueritis per censuram eccle. inviolabiliter observari; audituri nihilominus causam quæ inter Terraconen. Eccle. & monasterium Rivipoll. super castro de Analech vertitur, & fine canonico decisuri. Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Nonas Maij.

PHILIPPO ILLVSTRI Regi Franciæ.

Epist. 130. De confirmatione fœderis inter ipsum Regem & Comitem Flandriæ. LIcèt ex injuncto nobis apostolatus officio cunctorum teneamur providere quieti & pacem inter singulos exoptare, quietem tuam & regni tui tantò specialiùs conservare volumus & debemus, & inter magnificentiam regiam & homines suos firmæ pacis existere fœdera studiosiùs affectamus, quanto personam tuam specialiori diligimus in Domino caritate, & pacem tuam & regni tui ad Ecclesiæ commodum cognoscimus efficaciùs redundare. Eapropter, cariss. in Christo fili, tuis justis precibus inclinati, & petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, gratum impertientes assensum, felicis mem. Celestini Papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, compositionem factam inter serenitatem tuam & dilectum filium nostrum Balduinum Comitem Flandriæ pro pace perpetuò servanda, sicut rationabiliter facta est coram viris religiosis & prudentibus & scripto authentico roborata, & firmata pluribus juramentis, & ab utraque parte recepta, auctoritate apost. confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem ipsius facti notitiam, authenticum prædicti Comitis de verbo ad verbum præsentibus literis apponi fecimus, & transcribi: cujus tenor talis est. " EGO " BALDVINVS Comes Fland. & Hainen. " notum facio universis præsentibus pari- " ter & futuris quòd ego concessi & juravi " Domino meo ligio Philippo illustri Re- " gi Franciæ, quòd omnibus diebus vitæ " meæ bona fide & sine fictione ipsum ju- " vabo contra omnes homines qui possunt " vivere & mori, præterquam de terra " Hainen. contra Dominum meum Epi- " scopum Leodicensem, si ipse vellet in- " quietare Regem Franciæ, vel Rex Fran- " ciæ eum, sive contra Dominum Impera- " torem de eadem terra; neque Regi Fran- " ciæ de hujusmodi auxilio faciendo un- " quam deero, quamdiu idem Dominus " meus Rex Franciæ rectitudinem mihi fa- " cere voluerit in curia sua, & me facere " judicari per eos qui me judicare debent " in curia Regis Franciæ. Et hoc faciam Do- " mino meo Regi Franciæ assecurari per " juramenta viginti hominum meorum de " Hainen. quos elegerit Rex Franciæ in " hunc modum. Ipsi jurabunt, & literas " suas patentes Regi Franciæ inde dabunt, " quòd mihi consulent, & volent, & effi- " cient ad posse suum bona fide, ut hanc " conventionem teneam Domino Regi " Franciæ integrè, & quòd si ab hoc resi- " liero, in captionem Domini Regis Fran- " ciæ ibunt Parisius infra quadraginta dies " postquàm id sciverint vel per se vel per " submonitionem Regis Franciæ, nisi in- " fra eosdem quadraginta dies Regi Fran- " ciæ emendatum fuerit; nec de captione " Regis Franciæ exibunt, donec illud sit " emendatum. & quotiescunque me con- " tinget ab hac conventione resilire, toties " Parisius in captione Regis Franciæ ire " & captionem ei tenere tenebuntur ad " eundem modum qui prædictus est. Eandem securitatem faciam fieri Domino "

Acta hæc apud Compendium anno 1196. ut patet ex Rigordo.

K

Regi Franciæ contra omnes homines à quadraginta homin. de terra mea Fland. quam modo teneo, quos ipse Rex Franciæ elegerit. Et quàm cito ad me venerit per jus meum terra quam Comitissa uxor quondam avunculi mei Comitis Fland. Philippi tenet nomine dotalitij, à quadraginta hominum meorum illius terræ, quos Rex Franciæ elegerit, eandem securitatem fieri & præstari faciam Domino meo Regi Franciæ. Et quicunque morientur ex his qui hanc fecerint Regi Franciæ securitatem, heredes eorum eandem securitatem præstare Regi Franciæ faciam. Quicunque hominum meorum de utraque terra prædicta hujusmodi securitatem Domino Regi Franciæ facere noluerint, terras suas eis auferam, nec reddam, donec Regi Franciæ dictam fecerint securitatem. Et interim alios ad electionem Regis Franciæ faciam Regi facere illam securitatem. Ceterùm Dominum Remen. Archiepiscopum, & Atrebaten. & Cameracen. & Tornacen. & Morinen. Episcopos rogabo, & bona fide requiram, quòd quotiescunque me à prædictis conventionibus resilire contigerit, toties me excommunicent, & terram meam totam interdicto supponant, non obstante aliqua appellatione, donec id emendatum sit Regi Franciæ. Et literas meas patentes tam Archiepiscopo quàm dictis Episcopis dabo continentes me his concessisse quòd hanc justitiam possint in me exercere, non obstante appellatione, si à dictis conventionibus resiliero: & efficiam ad posse meum, quòd ipsi literas suas patentes super hoc dabunt Regi Franciæ. Ita etiam quòd quicunque successerint Remen. Archiepiscopo & memoratis Episcopis, ad idem faciendum super me & super terram meam Domino Regi Franciæ tenebuntur. Dominum Papam etiam & alios Summos Pontifices Domini Papæ successores rogabo per literas meas patentes, quas tradam Regi Franciæ, quatenus Domino Regi Franciæ suas super hoc confirmationis dent literas, & justitiæ in me & terram meam exercendæ, si ab his resiliero. Sciendum præterea quòd Domino meo Philippo Regi Franciæ & heredi suo quito feudum Bolen. & feudum Gumar. & feudum Osiaci, si quid in illis feudis habeo. Quæ omnia juravi, & sigillo meo rata firmavi.] Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum.

Scriptum est autem super hoc Vvillielmo Remen. Archiepiscopo & Suffraganeis ejus, ut apost. freti auctoritate dictam compositionem faciant, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, per excommunicationis in personas & interdicti sententiam in terras, inviolabiliter observari.

CISTERCIEN. ET CLAREVALL. Abbatibus.

Epist. 131. Vt per Archiepiscopum Rothomagensem, post interpositam à Philippo Gallorum Rege appellationem, attentata revocent.

DEferendum Regi quasi præcellenti cùm in generali testetur Apostolus, illi deferre specialiter volumus & deferri desideramus ab aliis quem certis novimus argumentis & fidei catholicæ integritate præcellere, & inter ceteros Reges in devotione Rom. Ecclesiæ proposito persistere firmiori. Hinc est quòd nos attendentes fidem & devotionem quam carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris, non solùm circa Rom. Ecclesiam, verùm etiam circa Ecclesias universas, quasi ex liberalitate innata creditur exhibere, de venerabilis fratris nostri Rothomagen. Archiepiscopi discretione miramur; quia (sicut audivimus) cùm idem Rex super facto Andeliaci ab ipso Archiepiscopo tanquam à suspecto judice appellarit, ne aliquid posset in ejus præjudicium generari, nihilominus idem Archiepiscopus ipsum infestat, ejúsque terram in sua provincia constitutam ecclesiastico minatur supponere interdicto. Vnde nos Canonum statuta sequentes, si quid post appellationem illam rationabiliter interpositam in ejus præjudicium fuerit attentatum, irritum decernentes penitùs & inane, præfato Archiepiscopo mandavimus, districtiùs inhibentes, ne prædictum Regem de cetero propter hoc molestare aut in terram ejus sententiam promulgare præsumat, quamdiu coram vobis, qui neutri partium meritò debetis esse suspecti, parere voluerit æquitati. (*Vide suprà epist. 128.*) Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si sæpedictus Archiepiscopus post appellationem illam, eodem Rege taliter juri stare parato, in prædictam terram aliquam in gravamen ipsius duxerit sententiam promulgare, vos nostra freti auctoritate illam denuncietis sublato appellationis obstaculo non tenere. Ne verò propter

loci distantiam ei[dem] Archiepiscopo grave sit ad vestram præsentiam pro consequenda justitia laborare, præsentium vobis auctoritate mandamus, ut quoties necesse fuerit, ad locum congruum accedatis, & sine personarum acceptione, justitia mediante, procedere non tardetis. Nulli literis obstantibus, si quæ apparuerint veritate tacita &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

ODONI TERDON. EPISCOPO.

Epist. 132. Quòd omnes religiosos sibi subjectos liceat ad observationē interdicti compellere, salvis privilegiis Romanorum Pontificum.

OFficij nostri debitum & solicitudo requirit ut fratres & coëpiscopos nostros in justis debeamus petitionibus specialiùs exaudire, nec eorum sententias, quas in contumaces & rebelles duxerint rationabiliter promulgandas, permittamus temeritate qualibet violari. Cùm igitur, sicut tua nobis insinuatio patefecit, multi religiosi tuæ diocesis contra generale interdictum à te positum divina non metuant officia celebrare, fraternitati tuæ auctoritate præsentium duximus indulgendum, ut liceat tibi omnes tuæ diocesis, salvis privilegiis & indulgentiis Rom. Pontificum, ad observantiam interdicti à te positi appellatione remota canonica districtione compellere. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

GRADENSI PATRIARCHÆ.

Epist. 133. Vt decimas à sibi subjectis parochianis recipiat, etsi hactenus sub aliis Episcopis habitarunt.

SI quando à fratribus & coëpiscopis nostris à nobis requiritur quod à tramite rationis non deviet, eorum postulationi facilem nos convenit præbere consensum, ut eò fortiùs circa injunctum sibi officium intendere valeant, & in nostra devotione persistere, quò se à nobis benigniùs ac celeriùs senserint exauditos. Inde est quòd cùm Ecclesiam sancti Achindani apud Constantinopolim te habere proponas, quidam suffraganeorum tuorum decimas à parochianis ejusdem Ecclesiæ, qui de tuis partibus ad eandem parochiam sæpe domicilia transferunt, ea occasione instanter requirunt, quia patres eorum, avi, sive proavi, decimas ipsis aliquando persolverunt, & ad ipsas decimas extorquendas nonnunquam suos vicarios transmittere non formidant; non attendentes quòd licèt ipsi parochiani eorum aliquando fuerint, ex quo se ad alienam parochiam transtulerunt, manum non licet cuiquam in messem mittere alienam. Ideòque nos indemnitati tuæ solicitè providere volentes, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus ut liceat tibi à parochianis præscriptæ Ecclesiæ tuæ beati Achindani, non obstante quòd eorum antecessores prædictis suffraganeis tuis, dum in ipsorum parochia permanebant, decimas persolverunt, liberè decimas percipere & tenere, nihilominus etiam jus conuentuale, quod in capellis Ecclesiæ prænominatæ tibi de jure competit, sine contradictione cujuslibet de auctoritate nostra valeas exercere. Nulli ergò &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Non. Maij, Pontificatus nostri anno primo.

ABBATI ET CONVENTVI Bellæ-Villæ.

Epist. 134. Quòd liceat ipsis cum consensu Episcopi, & sine detrimento alterius, oratoria extruere.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum illud* effectum. Vt igitur apostolici favoris obtentu religio vestra, Deo dante, grata in spiritualibus & temporalibus recipiat incrementa, statuimus ut vobis de concessione nostra sit licitum in locis in quibus competens fratrum numerus à vobis fuerit institutus, cum assensu diocesani Episcopi, sine detrimento juris alterius, oratoria sine cujuslibet contradictione construere, ubi fratribus morantibus cum familiis suis secundùm statuta ordinis vestri divina valeant officia ministrari. Datum Romæ apud sanctum Petrum Non. Maij, Pont. nostri anno primo.

EISDEM.

Epist. 135. De procuratione exhibenda fratribus S. Irenæi. Cap. Quanto. De censib.

QVanto creatori vestro sub religionis habitu astricti estis devotiùs famulari, tanto soliciitiùs nos convenit providere ne per immoderati oneris gravitatem aliquatenus possit in vobis monastici profectus ordinis impediri. Accepimus autem vobis significantibus quòd ab ipso domus vestræ fundationis primordio de fundatoris voluntate processit ut fratribus S. Irenæi procurationem unam annis singulis liberaliter exhiberet, cùm terras vel redditus non teneatis ab eis, propter quos hujusmodi procuratio ipsis debeat exhiberi. Verùm tunc temporis propter frattum & servientium paucitatem domum vestram exhibita procuratio non gravabat, cùm fines levium non excederet expensarum. Sed nunc tantum ibi excrevit numerus servitorum & fratrum quòd ad facien-

dam procurationem vix modò quatuor marchæ sufficerent, quæ pro una sufficienter fieri consuevit. Ut igitur per apostolicæ solicitudinis curam vestris possit in parte ista gravaminibus provideri, auctoritate præsentium vobis indulgemus, ne ultra primam mensuram in procuratione ipsa sitis ulteriùs prædictis fratribus obligati; sed expensis illis quæ sufficere consueverant sint contenti; nisi fortè facultates Ecclesiæ vestræ in tantum excreverint, quòd sine gravamine, ampliato fratrum numero, ad solvendum debitum procurandi extendi possit quantitas expensarum. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Vedasti.

Epist. 136. Statuta & laudabiles cœnobij istius consuetudines Pontifex confirmat & approbat.

CVm à nobis petitur &c. *usque* vestris postulationibus inclinati, rationabiles consuetudines Ecclesiæ vestræ à bonæ memoriæ P. sancti Grisogoni Presbytero Cardin. tunc Legato sedis apostolicæ approbatas, & per M. quondam Abbatem sancti Vedasti de consilio majoris & sanioris partis Capituli redactas in scriptis, & tam sigilli ipsius quàm Card. ejusdem munimine roboratas, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus; inhibentes ne vel tu, fili Abbas, vel tuorum quilibet successorum contra eas temerè veniat, nec vos, filij monachi, contravenienti aliquatenus pareatis. Adjicimus etiam ut, sicut in instrumento earundem consuetudinum continetur, curias & domos Obedientiarum, in quibus monachi consueverunt hactenus ministrare, nunquam ulli laico sub quocunque censu temerè concedere præsumatis, sed tam res Ecclesiæ vestræ quàm Obedientiarum ipsius per fratres vestros & monachos custodiantur, & fideliter pertractentur. Ad hæc, auctoritate vobis apostolica districtiùs interdicimus, ne obventiones caritatum, annuos etiam redditus refectioni fratrum & pauperum in anniversariis deputatos, in alios usus, nisi evidens Ecclesiæ necessitas vel utilitas exigat, præter communem assensum vel majoris partis consilij sanioris aliquatenus convertatis; sed tam dictæ obventiones, quàm & redditus ipsi, per Priorem & monachos, quos Capitulum ad hoc deputaverit, fideliter reserventur. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Nonas Maij.

GERARDO ABBATI & Conventui Virziliacensi.

Epist. 137. Veteres consuetudines laudabiles approbat, & nova eis privilegia confert.

QVamvis universa loca religiosa fovere ac diligere teneamur, illis tamen propensiorem curam impendere nos oportet quæ specialiter beati Petri juris existunt, & ad nostram nullo mediante provisionem pertinent & tutelam. Inde est quòd nos jura monasterij vestri volentes integra conservari, & contra molestationes indebitas vos & idem monasterium speciali communire privilegio libertatis, ad exemplar felicis memoriæ Vrbani, Clementis, & Celestini prædecessorum nostrorum, auctoritate apostolica prohibemus, ne ullus omnino Archiepiscopus, Episcopus, aut alius Ecclesiarum Prælatus, nisi de speciali mandato Romani Pontificis vel Legati ab ipsius latere destinati, in monasterium ipsum, Abbatem, vel aliquem fratrum vestrorum interdicti, suspensionis, vel excommunicationis sententiam promulgare præsumat. quod si fecerit, eam decernimus non tenere. Libertates præterea & immunitates & rationabiles ejusdem monasterij consuetudines hactenus observatas, tam in animarum cura Presbyteris Ecclesiarum Virziliaci, Asconij, sancti Petri, Castri insulæ, & Monterione committenda, & contrahendis matrimoniis, & legitimè dirimendis, & excommunicandis, vel absolvendis, suspendendis, destituendis, & restituendis Presbyteris, Clericis, & parochianis Ecclesiarum illarum, quàm in aliis negociis & sacramentis ecclesiasticis, ratas esse decernimus, & eas auctoritate apostolica vobis vestrisque successoribus confirmamus; districtiùs prohibentes, ne quis possessiones, jura, vel bona prædicti monasterij præter conscientiam sedis apostolicæ, cui specialiter est subjectum, quomodolibet alienare, vel antiquas & rationabiles ejusdem monasterij consuetudines, & hactenus observatas, violare præsumat. quod si à quoquam fuerit attentatum, omnino statuimus irritandum. Adjicimus etiam, ut si Ecclesiarum Prælati à vobis canonicè tertiò requisiti, manifestos malefactores vestros interdicere & excommunicare neglexerint, licitum sit vobis & successoribus vestris, ut eos candelis

accensis vice nostra excommunicetis, & interdicatis, nuncietisque excommunicationis & interdicti vinculo innodatos: quos tamdiu volumus sicut excommunicatos & interdictos ab omnibus evitari, donec de perpetratis excessibus satisfaciant competenter, & si delicti qualitas hoc exegerit, ad sedem apostolicam cum testimonio literarum Abbatis vel Capituli veniant absolvendi. Liceat insuper vobis, sicut à benignitate sedis apost. instantiùs postulastis, ut in solennitate, quam in translatione beatæ Mariæ Magdalenæ infra Quadragesimam annis singulis celebratis, ad gloriam Dei & laudem, ob solemnitatis ipsius reverentiam, *Gloria in excelsis Deo* ad Missas de festivitate ipsius in monasteriis vestris solemniter decantetis. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

EISDEM.

Epist. 138. De privilegio in fraudem aliorum, & quo privilegiati abutuntur, impetrato, revocando.

AD audientiam apostolatus nostri pervenit quòd Canonici Castri Centurij à sede apostolica indulgentiam impetrarunt ne pro injuriis à dominis ejusdem Castri vicinis Ecclesiis irrogatis, Castrum ipsum subjici valeat interdicto: cujus libertatis occasione prædicti domini malignandi materiam assumentes, vobis & Ecclesiis vestris damna plurima & injurias intulerunt, de quibus nullam potuistis consequi rationem. Ideóque præsentibus vobis literis indulgemus, ut præscripta indulgentia in præjudicium justitiæ & iuris monasterij vestri nullas vires obtineat in posterum vel effectum. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

GERARDO ABBATI Virziliacensi.

Epist. 159.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum illud* assensu. Devotioni tuæ præsenti pagina indulgemus ut liceat tibi & successoribus tuis homines tuæ subditos potestati, civili judicio experiri coram te volentes, lite mota, juris ordine observato, ad judicium convocare, & cogere appellatione remota ad judicium quod justè tuleris observandum. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum X. Kalend. Maij.

ABBATI ET CONVENTVI Virziliacensi.

Epist. 140. Ne Prælati visitantes, multitudine ministrorum Ecclesias gravent. Cap Cùm ad quorundam. De excess. Prælat.

CVm ad quorundam malitiam coërcendam in Concilio fuerit Lateranensi multa deliberatione statutum ut Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri etiam, & Decani, certum evectionis numerum & personarum in Ecclesiarum visitationibus non excedant; quia, sicut audivimus, quidam ex prædictis personis id in Ecclesiis vestris nequaquam observant, super eo commoditati vestræ salubriter duximus providendum. Ideóque discretioni vestræ præsentium auctoritate concedimus ut si prænominatæ personæ numerum evectionis & personarum in Concilio constitutum, cùm Ecclesias visitant, excedere fortè præsumpserint, & pro illis procurationem exegerint, liberum sit vobis auctoritate apostolica denegare. Et si propter hoc in Ecclesias vestras vel Clericos vestros aliquam sententiam promulgaverint, ipsam auctoritate apostolica decernimus non tenere. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

EISDEM.

Epist. 141. Concordiam super procuratione cum Comite Nivernen. approbat. *De controversia qua erat inter Comitem Nivern. & monachos Vezeliac. vide To. III. Spicilegy Dacheriani pag. 529. & seqq. 583. & seqq.*

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum illud* justis precibus inclinati, conventionem inter vos ex una parte & dilectos filios nostros nobilem virum Petrum Comitem Nivernen. & Agnetem uxorem ipsius ex altera, per solicitudinem venerabilis fratris nostri O. Hostien. Episcopi tunc apost. sedis Legati, mediante carissimo in Christo filio nostro Philippo Rege Francorum illustri unanimiter factam, super obligatione procurationum, quas ipse Comes in Pascha & festivitate sanctæ Mariæ Magdalenæ ab Ecclesia vestra accipere dicebatur, pro mille quingentis marchis argenti facta, sicut in eorundem Regis, Episcopi, Comitis, & Comitissæ, & bonæ memoriæ Archiepiscopi Senonen. & venerabilium fratrum nostrorum Eduen. Lingonen. Antisiodoren. & Nivernen. Episcoporum scriptis authenticis & testimoniis pro bono pacis & concordiæ continetur, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti pagina communimus. Præterea vobis districtiùs sub excommunicationis pœna vetamus, ne de pecunia ista liceat vobis vel succes-

foribus vestris aliquid relaxare. Decernimus ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

SENONEN. ARCHIEPISCOPO, Eduensi, Lingonensi, Antisiodorensi, & Nivernen. Episcopis.

Epist. 142. Vt cõcordiam, de qua epistola præcedenti, Comitis heredes atque successores observare cogant.

VEstra novit universitas quæ conventio intervenerit inter dilectos filios nostros Girardum Abbatem & fratres Virziliacen. & nobilem virum P. Comitem Nivernen. atque Agnetem uxorem ipsius super obligatione procurationum quas ipse Comes à cœnobio Virziliacen. in Pascha & festivitate beatæ Mariæ Magdalenæ recipere dicebatur. Cùm igitur compositionem illam ad exemplar felicis memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri, qui ejus processum plenè cognovit, auctoritate apostolica duxerimus confirmandam, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, firmiterque præcipimus, quatenus si prædicti Comes & Comitissa vel heredes eorum ab illa compositione resilierint, & non observaverint eam, quemadmodum in authenticis scriptis venerabilis fratris nostri Octaviani Hostien. Episcopi, tunc apostolicæ sedis Legati, & carissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris, & eorumdem Comitis & Comitissæ & vestris evidentissimè continetur, vos eos auctoritate nostra suffulti ad observationem ejusdem conventionis & singillatim & communiter per excommunicationis & interdicti sententiam, sublato appellationis impedimento, cogatis. Volumus autem ut sicut vos ad hoc tenemini, ita & vestri successores ad idem in posterum teneantur. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

ARCHIPRESBYTERO S. Andreæ de Pallian.

Epist. 143. Vt uxorem, quã maritus ob pravam suspicionẽ abjecerat, recipere cogat, & Clericum de suo crimine gloriantem suspendat. *Cap.* Quàm sit grave *De excessibus prælatorũ.*

QVàm sit grave crimen in Clericis gloriari cùm malefecerint, & in rebus pessimis exultare, nullus sanæ mentis ignorat. Accepimus sanè (quod non sine dolore referimus) quòd cùm Riccius de Gerrone R. filiam suam cuidam Iohanni nomine tradiderit in uxorem, Petrus Diaconus Ecclesiæ sancti Petri, filius A. sacerdotis, non erubuit publicè profiteri se prædictam feminam carnaliter cognovisse. Vnde factum est quòd prædictus vir ad propria eam remittere, cui fuerat matrimonialiter copulata. Quapropter per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus si tibi constiterit de præmissis, omni contradictione & appell. cessante præfatum Clericum ab officio & beneficio suspendere non postponas, compellens virum ut uxorem suam recipiat, eique, sicut justum est, officium exhibeat maritale. Datum ut suprà IV. Idus Maij, pontificatus nostri anno primo.

BRIXINEN. ELECTO.

Epist. 144.

SI gratis factam tibi à sede apost. gratiam recepisses, nec ejus benignitate fuisses abusus, privilegium forsan non mereretis amittere, dum non abutereris concessa tibi à sede apost. potestate. Cùm enim, sicut accepimus, bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster tibi misericorditer indulsisset ut aliquandiu morareris in scholis, ut paginæ divinæ vacares, beneficij hujus ingratus, & indulgentiam ipsam indecenter interpretans, secularibus legibus adhæsisti, non attendens quòd secundùm Apostolum nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Quia igitur abusionem tuam non possumus æquanimiter sustinere, discretioni tuæ per apostol. scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus omni mora & excusatione cessante, ad gerendam solicitudinem Ecclesiæ tibi creditæ revertaris, aliquem bene instructum in divina pagina, per quem proficere possis, tecum, si volueris, deducturus; ne fortè, sicut in annis, ita pariter & in actibus juvenem te ostendas. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

DECANO, CANTORI, & I. Morelli Canonico Xantonen.

Epist. 145. Vt Vvilhelmũ scriptorem Papæ cutent in canonicatu Pictaviensi pacificè tueri.

NObis, nec immeritò, ad cumulum indignationis accedit, quòd multi apostolicæ sedis reverentiam minimè attendentes, in tantæ rebellionis aculeum eriguntur, quòd ad receptionem eorum etiam quos nostris servitiis insistere nobisque familiariter adhærere non dubitant, difficiles se ostendunt, graviterque repugnant, ut mandata apostolica eludantur. quod tanto nobis cedit ad dedecus, tantòque acriùs nos commovet contra eos, quanto ignominiosius videretur, si propter remissionem ac repiditatem nostram eorum infecta nego.

tia remanerent, quibus non solùm ad simplices preces nostras, verùm etiam nobis tacentibus deberet liberaliter provideri. Sanè (sicut ex literis venerabilis fratris nostri Episcopi & dilecti filij Archidiaconi Engolismen. accepimus) cùm ipsi à bonæ memoriæ Celestino Papa prædecessore nostro mandatum apostolicum recepissent ut dilectum filium magistrum Willielmum de Matcheio scriptorem nostrum Canonicum instituerent in Ecclesia Pictavensi, contradictores excommunicationis sententia percellentes, iidem mandatum illud fuerunt, prout decuit, executi. Nos autem quod ab eis rationabiliter factum est approbantes, venerabili fratri nostro Pictaven. Episcopo, tunc apud sedem apostolicam existenti, viva voce injunximus ut ipsum scriptorem illius canonicæ plena & pacifica faceret possessione gaudere. Ipse verò (quod grave gerimus plurimùm & molestum) propter contradictionem quorundam Canonicorum suorum, cùm nullum velit in suæ novitatis exordio molestare, id exequi prætermittit; licèt de ipsius scriptoris, ut asseruit, promotione lætetur. Nolentes igitur ut pro quorumlibet contradictione quod apostolica fuit auctoritate statutum, citra perfectionis terminos relinquatur, sed potiùs celeri compleatur effectu, per apost. vobis scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus prædictum scriptorem nostrum Canonicum ipsam, quam auctoritate apostolica est adeptus, faciatis auctoritate nostra sublato contradictionis, occasionis, & appellationis obstaculo, plenè & pacificè possidere, quoscunque contradictores vel rebelles inveneritis, per districtionem eccle. appell. postposita compescentes. Insuper quia prædicti Canonici Pictaven. quandam proposuere ordinationem de Canonicis, ut dicitur, se facturos, prænominato Williel. prorsùs excluso; nos si quid in elusionem mandati apost. eo non admisso priùs fuerit attentatum penitùs irritantes, volumus nihilominus & mandamus ut ipsis auctoritate nostra curetis districtiùs inhibere ne in illa procedere ordinatione præsumant, donec mandatum nostrum de præfato Williel. mo, secundùm formam præscriptam fuerit adimpletum: scituri quòd sicut gratum nobis plurimùm & acceptum existet, si mandatum nostrum per vos diligenti fuerit executioni mandatum, ita dolebimus, nec poterimus in patientia sustinere, si in executione illius negligentes inventi fueritis & remissi. Nullis literis obstantibus, si quæ apparuerint harum tenore tacito &c. Quòd si omnes, duo vestrum &c. Datum Romæ ut suprà II. Non. Maij.

A. PICTAVEN. ET R. Petragoricen. Episcopis, & Arnaldo Archidiacono Petragor. Ecclesiæ.

INsinuatio dilecti filij Ay. Abbatis Cadunien. nobis exposita patefecit, quòd cum ab antiquo abbatia Cadunien. non solùm pastorem, sed etiam habitum & regularem observantiam de Cistercien. ordine suscepisset, tam in temporalibus quàm in spiritualibus cœlestium donorum proficiens incrementis, tandem per quosdam indisciplinatos filios voluntatis propriæ sectatores, qui cervices suas indomitas ab illo jugo suavi & salutari minùs licenter excutere præsumpsere, ad tantæ desolationis miseriam peccatis exigentibus jam devenit, ut à malitia inhabitantium in ea (sicut testimonio plurimorum didicimus) defectum minetur pariter & ruinam. Volentes igitur tantæ dissolutionis materiam per vestram solicitudinem amputari, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ad locum pariter accedentes, quicquid corrigendum inveneritis, tam in capite, quàm in membris, auctoritate freti apostolica, solum Deum habentes præ oculis, corrigatis, & monitione diligenti præmissa, ut ad ordinem Cistercien. redeant, à quo formam religionis sumpserunt, ad emendationem ipsius loci, tam in capite, quàm in membris, prout expedire videritis, procedatis; quod statueritis facientes per censuram ecclesiasticam nullius contradictione vel appellatione obstante firmiter observari; solicitè satagentes ut conspirationes & vitium proprietatis radicitus extirpentur. In quo si quis monachorum moriens fuerit vel fratrum inventus, Christiana careat sepultura. Nullis obstantibus literis &c. veritate tacita impetratę. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut suprà VI. Idus Maij.

Epist. 146. Vt Caduniense deformatum monasterium instauret. *Vide lib. 2. epist. 144.*



EPISCOPO, ARCHIDIACONO Petragoricensi, & R. Archipresbytero de Marmantes in Petragoricen. dioecesi constitutis.

Epist. 147. Vt latam contra Abbates intrusos sententiam teneant atque defendat.

DE commisso nobis statu Ecclesiæ nos oportet esse solicitos, ut si forsan in ejus corpore sit infectum quicquam morbi contagio, quod simplicitatem corporis valeat offuscare, illud vel debitæ correctionis capiat medicinam, vel ne corruptione ipsius pars syncera trahatur, ab unitate corporis penitùs amputetur. Sanè dilectus filius A. Abbas Cadunien. in nostra præsentia constitutus nobis exposuit diligenter quòd cùm Cadunien. cœnobij commissum sibi regimen assumpsisset, ne aliqua de commissis ovibus antiqui hostis versutia ab ovili suo posset surripere, juxta vocem dominicam ad fratres suos conversus sæpius horrabatur ut Domino in sanctitate conscientiæ & justitia coram ipso servire studentes, sectatores essent bonorum operum, & propria, quæ juxta formam sui ordinis eis habere aliquatenus non licebat, ad communem utilitatem Ecclesiæ resignarent, & ad Cistercien. ordinem, de quo primum patrem acceperunt, voluntate unanimi se transferrent. Ceterùm quidam ex ipsis patris sui monita contemnentes, & ea quæ salutem propriam continebant, ægroanimo sustinentes, in ipsum insurgere præsumpserunt, & diabolica instigatione seducti, & patrem & pastorem pariter conspiratione nefaria ab administratione abbatiæ nixi sunt amovere. Tandem verò cùm idem Abbas ex iniquitate filiorum domui suæ timeret imminere periculum, in quosdam Abbates monasterij sui subditos & subjectos simul cum parte altera, cautione juratoria interposita, super querelis suis voluntariè compromisit, tali tamen conditione adjecta, ut cum discretorum virorum consilio & aliorum Abbatum filiorum & fratrum Ecclesiæ Cadunien. querelas ipsas judicio vel concordia terminarent. Verùm cùm ad statutum arbitrij diem alterutra partium convenisset, dicto Abbate proponente contra monachos & probare parato quòd conspirationem fecerant contra ipsum, & ipsis in jure confessis proprium se habere, supradicti arbitri exclusis viris honestis ex consensu partium juxta formam compromissi ad arbitrandum receptis, & non vocatis Abbatibus fratribus & filiis ad diem assignatum, sententiam promulgarunt, & ipsos monachos nullam conspirationem fecisse penitùs asserentes, de propriis Abbati reddendis nihil pronunciavere. Vnde cùm idem Abbas se multipliciter gravari cognosceret, tum quia probationem suam de conspiratione nolebant admittere, & bonos viros & honestas personas excluserant, tum quia de restituendis propriis nullam prorsùs fecerant mentionem, & Abbates fratres & filios ad arbitrandum non convocaverant, tam se quàm abbatiam suam apostolicæ protectioni supposuit, & à tam manifesto gravamine sedem apostolicam appellavit. Vnde proprio nuncio ad sedem apostolicam destinato, bonæ memoriæ Celestino prædecessori nostro facti seriem pleniùs explicavit: qui provida deliberatione Ademaro bonæ memoriæ Petragoricen. Episcopo dedit firmiter in mandatis ut personaliter ad cœnobium Cadunien. accedens, quod ibi statuendum seu corrigendum cognosceret, auctoritate apostolica nullius contradictione seu etiam compromissione prorsùs obstante, tam in capite quàm in membris corrigeret, & extirpatis vitiis, virtutes ibidem inserere laboraret; & si quid post appellationem ad sedem apostolicam interpositam inveniret circa statum ipsius Abbatis temeritate qualibet attentatum, illud in irritum revocaret. Cùm igitur memoratus Episcopus mandatum apostolicum recepisset, & juxta formam ipsius ad monasterium Cadunien. accedere festinaret, Abbatem de Faësia, quem ejecto pastore proprio præscripti monachi cum Abbate de Gundunio in eadem Ecclesia post appellationem ad sedem apostolicam factam præsumptuosè intruserant, cassavit penitùs, & amovit tam ipsum quàm Abbatem de Gundunio, qui eum intruserat, & fautores & electores ipsius excommunicationis vinculo innodavit. Quam sententiam dicti Abbates & monachi observare penitùs contempsere. Vnde jamdictus A. Cadunien. Abbas compulsus est ad sedem apostolicam laborare. Nos igitur latam à memorato Episcopo sententiam in prædictos Faisen. & Gundunien. Abbates, & alios eorum fautores, sicut rationabiliter lata est, ratam habentes & firmam, præsentium vobis auctoritate mandamus

mandamus quatenus ipsam tamdiu faciatis auctoritate nostra, nullius contradictione vel appellatione obstante, inviolabiliter observari, donec pastorem suum A. unanimi voluntate recipiant, & debitam sibi obedientiam & reverentiam impendentes, de perpetratis excessibus juxta disciplinam sui ordinis satisfecerint competenter; in irritum revocantes quicquid in prædicti Abbatis prejudicium post appellationem ad apostolicam sedem objectam constiterit immutatum; ipsos monachos auctoritate apostol. compellentes eidem Abbati satisfacere in expensis mutuatis, dum ad sedem apostolicam per suos nuncios & etiam in propria persona coactus est laborare. Nullis obstantibus literis harum tenore &c. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ ut suprà VIII. Idus Maij, pont. nostri anno I.

VENERABILIBVS FRATRIBVS Archiepiscopis & Episcopis ad quos literæ istæ pervenerint.

Epist. 148. CVm in Ecclesiis dilectorum filiorum nostrorum Abbatis & fratrum Virziliacen. per eos capellani constituantur, qui debeant ipsis de temporalibus respondere, dignum est & consonum rationi, ut sicut ex consuetudine observatur, super his controversia mota ad judicium ab eisdem fratribus compellantur. Ideóque fraternitati vestræ præsentibus literis inhibemus ne capellanos ipsos, vel eosdem fratres, contra tenorem privilegiorum suorum in audientia vestra pro temporalibus subire judicium compellatis, vel si spontanei accesserint, in præjudicium memoratorum fratrum nullatenus admittatis. Sed si quid super his quæstionis emergat, coram eis secundùm ordinem juris experientes suam justitiam consequantur. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum.

ARCHIEPISCOPIS, ET Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ pervenerint.

Epist. 149. De immunitate & privilegiis monasterij Ecclesiæ Mariæ Virziliacensis.

LIcèt universa loca religiosa fovere ac diligere teneamur, illis tamen propensiorem curam impendere nos oportet, quæ specialiter beati Petri juris existunt, & ad nostram nullo mediante provisionem pertinent & tutelam. Inde est quòd nos jura monasterij beatæ Mariæ Magdalenæ Virziliacen. volentes integra conservari, & contra molestationes indebitas fratres & idem monasterium speciali communire privilegio libertatis, ad exemplar fe. record. Vrbani, Clementis, Celestini prædecessorum nostrorum auctoritate apostol. prohibemus, ne quis vestrum in monasterium ipsum, Abbatem, aut aliquem de fratribus ejusdem monasterij interdicti, suspensionis, vel excommunicationis sententiam promulgare præsumat. quod si fecerit, eam decernimus non tenere. Libertates præterea & immunitates & rationabiles ejusdem monasterij consuetudines hactenus observatas, tam in animarum cura Presbyteris Ecclesiarum Virziliacensis, Asconij, S. Petri, Castri insulæ, & Montcrione committenda, & contrahendis matrimoniis, & legitimè dirimendis, & excommunicandis, vel absolvendis, suspendendis, destituendis, & restituendis Presbyteris, Clericis, & parochianis Ecclesiarum illarum, quàm in aliis negociis & sacramentis ecclesiasticis, rata esse decernimus, & eas à vobis præcipimus inviolabiliter observari. Nihilominus etiam vobis præsentium auctoritate mandamus, quatenus subditos vestros, de quibus ad vos prædictorum fratrum fuerit perlata querela, ad necessitatem satisfactionis debitæ, contradictione & appellatione cessante, per excommunicationis & interdicti sententiam compellatis. Alioquin eis auctoritate apostolica indulsimus ut eos candelis accensis vice nostra excommunicent, & nuncient excommunicationis & interdicti vinculo innodatos: quos tamdiu volumus sicut excommunicatos & interdictos ab omnibus evitari, donec de perpetratis excessibus satisfaciant competenter. Præterea quoniam (ut audivimus) parochiani præfati monasterij, qui pro manifestis excessibus à memoratis fratribus quandoque sententiam ecclesiasticæ districtionis incurrunt, interdum ad alia loca se tranferunt, ut sic sententiam & justitiam fratrum eludant; districtè mandamus atque præcipimus ut eos qui taliter duxerint correctionem ecclesiasticam contemnendam, pariter & alios malefactores eorundem fratrum, qui vel à vobis vel ab ipsis aut ab aliis fuerint excommunicationis & interdicti vinculo innodati, cùm requisiti fueritis, per parochias vestras tamdiu sicut ex-

communicatos & interdictos faciatis ab omnibus evitari, donec iidem malefactores* satisfacere compellantur, & si delicti qualitas hoc exegerit, ad sedem apostolicam cum testimonio literarum Abbatis vel Capituli veniant absolvendi. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

* f. satisfecerint competenter.

GERARDO ABBATI monasterij beatæ Mariæ Magdalenæ Virziliacen. ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 150. De eodem argumento.

RElígiosis votis annuere & ea operis exhibitione complere, officium nos invitat suscepti regiminis, & ordo exigit rationis. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium S. Mariæ Magdalenæ Virziliacensis, in quo divino mancipati estis obsequio, ab illustris memoriæ Gerardo Comite ipsius loci fundatore & uxore ejus Bertha beato Petro Apostolorum principi propria devotione oblatum, apostolicæ sedis patrocinio communimus, & ad exemplar prædecessorum nostrorum piæ recordationis Leonis, Gregorij, Vrbani, Eugenij, Alexandri, Lucij, Vrbani, Gregorij, Clementis, & Celestini Romanorum Pontificum statuimus vt idem monasterium in nullo teneatur alicui nisi tantùm Rom. Ecclesiæ respondere, & illum vobis in Abbatem dari volumus & præponi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundùm Dei timorem & beati Benedicti institutionem elegerint, & Romanus Pontifex providerit ordinandum, aut suggestione monachorum ejusdem loci consenserit ordinatum. Sanè consecrationem monasterij vestri & Ecclesiarum quæ sunt in circumadjacenti villa Castri insulæ, & Monterione, chrisma, oleum sanctum, benedictionem Abbatis, ordinationes monachorum & Clericorum, & cetera ecclesiastica sacramenta, vobis à quo malueritis catholico Episcopo suscipienda concedimus; qui apostolica fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Ecclesiæ verò ejusdem monasterij per diversas provincias constitutæ, & earum Altaria ab Episcopis, in quorum diocesi sunt, consecrentur, cœmeteria benedicantur, sacerdotes & Clerici ordinentur, chrisma & oleum suscipiatur; siquidem gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerint, & ea gratis ac sine pravitate voluerint exhibere. Alioquin pro eorum susceptione catholicà quem malueritis Episcopum adeatis; qui similiter apostol. fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Porrò diocesano Episcopo in monasterio vestro, nisi fortè ab Abbate fuerit invitatus, nec stationes agere nec Missas liceat publicas celebrare, neque ullam in eodem cœnobio & circumadjacenti villa & in Ecclesiis Asconij, sancti Petri, quæ sunt in radice montis ipsius sitæ, & in Ecclesiis Castri insulæ & Monterione, dominationem exercendi vel interdicendi habeat potestatem. Mansuro in perpetuum præterea decreto penitùs prohibemus ne Abbatem vel monachos persona qualibet secularis ad curiam suam judicandos vel in causam ducendos vocet; nec Abbas, vel monachi, aut eorum homines ab Ecclesia, cui serviunt, judicandi coacti pro susceptione judicij curias Principum adeant aliquorum, neque per alicujus Principis potestatem Abbas cum hominibus Ecclesiæ Virziliacensis, si qua inter eos querela emerserit, in causam intret; nec aliquis eos adversùs Abbatem defendere audeat, vel tueri; nec burgenses vel homines Ecclesiæ Virziliacensis, præter Abbatem & monachos, quisquam Principum ad suam curiam judicandos, & distringendos, puniendósve ire compellat. Ad hæc, sæpedicto monasterio auctoritate apostolica confirmamus quæcunque prædictorum fundatorum seu quorumcunque fidelium legitima collatione aut aliis justis modis noscitur possidere, & quæcunque justè in futurum & canonicè largiente Domino poterit adipisci. Præterea quieti vestræ providentes, auctoritate apostol. interdicimus, & sub excommunicationis vinculo prohibemus, ut infra pertinentias monasterij vestri crucibus determinatas nullus hominum capere, invadere, seu bona sua auferre, sive assultum vel quamlibet offensionem facere, neque per alicujus Ducis vel Comitis auctoritatem quisquam sine licentia vestra in eodem monasterio Missas celebrare, & oblationes detinere præsumat. Nihilominus quoque prædecessorum nostrorum fe. mem. Vrbani, Eugenij, Alexandri, Lucij, Vrbani, Gregorij, Clementis & Celestini Roman.

Vide Notas ad Lupum Ferrar. pag. 367. 412. 449. & seq. & in Appendice pag. 10.

Pontificum vestigiis inhærentes, statuimus ut in Ecclesiis & capellis vestris per diversas provincias constitutis Presbyteri à vobis vel fratribus vestris eligantur; ut Episcopis, in quorum diocesi sunt, præsententur: à quibus, si idonei fuerint, curam animarum accipiant; ita quidem quòd de plebis cura teneantur Episcopis respondere; de oblationibus verò, decimis, aliisque redditibus, sicut à prædecessoribus nostris vobis concessum fuisse dignoscitur, in curia vestra suam justitiam exequantur. quod si facere fortè noluerint, subtrahendi eis temporalia ipsa liberam habeatis auctoritate apostol. facultatem. Sententiam insuper super causa quæ inter vos & bonæ memoriæ Stephanum quondam Eduen. Episcopum vertebatur, à Domino Vrbano prædecessore nostro de communi consilio & assensu fratrum prolatam, & à felicis record. Clemente prædecessore nostro postmodum confirmatam, auctoritate apostol. concedimus & præsentis scripti pagina communimus. Quæ quidem sententia talis est. CONTROVERSIÆ quæ sub examine sedis apostol. terminantur, literarum debent memoriæ commendari, ne tractu temporis in recidivæ quæstionis scrupulum deducantur. Meminimus autem piæ memoriæ prædecessorem nostrum Lucium Papam venerabilibus fratribus nostris T. Portuen. & N. Albanen. Episcopis & nobis adhuc in minori officio constitutis injunxisse ut in causa inter venerabilem fratrem nostrum Eduen. Episcopum & monasterium vestrum diutiùs agitata, testes ipsius Episcopi audiremus, eo, sicut recolimus, patenter expresso, ut super his articulis, in quibus jus episcopale monasterij privilegia excludebant, nulla per testes inquisitio haberetur, sed super aliis, de quibus ab Episcopo quæstio contra monasterium movebatur. Testibus itaque præfato tenore receptis, & depositionibus eorum redactis in scriptis, fuit indulta commissio pro aliis testibus producendis, diffinitiva sententia apostol. sedis examini reservata. Proinde postea quæ acta sunt sub judicibus delegatis, tam Episcopi quàm monasterij procuratoribus statuto termino in nostra præsentia constitutis, post multa hinc inde proposita ab Episcopi procuratore quæsivimus ut quicquid peteret, scripturæ serie declararet. qui licèt antea per advocatum subjectionem monasterij cum aliis petiisset, tandem libello porrecto confessus est quòd nihil in corpore monasterij vendicaret, sed in Ecclesiis in villa circumadjacenti monasterio constitutis, clero & populo earundem & quibusdam aliis jus episcopale Domino suo restitui postulabat: quorum possessionem Eduen. Ecclesiam habuisse, & præter juris ordinem amisisse, sufficienter probatum esse testibus asserebat. & ideo attestationes aperiri cum instantia requirebat. E contra verò Virziliacenses nec litem fuisse super his quæ exempta sunt per privilegia contestatam, & se liberè usos suis privilegiis affirmabant. Nos verò privilegiis monasterij diligenter inspectis, villæ circumadjacentis Ecclesias, scilicet sancti Petri, sancti Christophori, sancti Stephani, sanctæ Marthæ, sanctæ Crucis, & sancti Iacobi, plena & pari cum monasterio gaudere reperimus libertate. Quia ergo, sicut dictum est, nostri non fuit prædecessoris intentio ut super his quæ in privilegiis eximuntur, vel haberetur quæstio, vel testimonium redderetur, attestationes omnes super his, si quæ sunt exhibitæ, duximus irritandas. Sanè libertatem monasterij ex ipsa procuratoris Episcopi confessione tenentes, & privilegiorum claram seriem in aliis, quæ licèt exempta in quæstionem deducebantur, attentiùs intuentes, procuratori Episcopi de consilio fratrum nostrorum super subjectione monasterij & omnibus quæ in privilegiis eximuntor, per diffinitivam sententiam silentium perpetuum ita duximus imponendum, ut in Ecclesiis supradictis, clero & populo earundem, & villa circumadjacenti nihil juris, nihil consuetudinis, nihil omnino quisquam, præter Romanam Ecclesiam, secundùm quod privilegia continent, quæ diligenter inspeximus, habeat potestatis. Veruntamen principalem super ipsis privilegiis quæstionem, si ea Episcopus non in parte sed totaliter tentaverit improbare, ipsi liberam reservamus. Decernimus ergo &c. *usque ad verbum illud* fatigare, aut de propriis animalibus, quæ in cellis ejus sunt, decimas exigere, sed omnia &c. salva in omnibus sedis apostolicæ auctoritate, & in illis Ecclesiis quæ exemptæ non sunt diocesanorum Episcoporum cano-

nica justitia. Ad indicium autem tam jurisdictionis Romanæ Ecclesiæ, quàm libertatis vestræ, libram unam argenti nobis nostrisque successoribus annis singulis exsolvetis. Si qua igitur &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, vicem agentis Cancellarij, III. Non. Maij, Indictione prima, incarnationis Dominicæ M C XCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo.

VVILLIELMO REMEN. Archiepiscopo, sanctæ Sabinæ Cardinali.

Epist. 151. Vt electo Cameracēsi liceat resignare juri, & ut eligatur alius idoneus à Capitulo, intra mensem, vel instituatur auctoritate apostolica.

CVm illos qui ad prælationis officium evocantur esse deceat solicitos & attentos ut tanquam boni pastores vigilias noctis custodiant super grege sibi commisso, ne lupus rapiat vel dispergat, qui propter impedimentum cordis aut corporis aliquando ad hujus officij onus electi suam insufficientiam recognoscunt, & malunt prælationis officium resignare quàm velint sub eorum regimine gregem dominicum deperire, gratum exhibent Domino, sicut credimus, famulatum, & petitionibus eorum favor est apostolicus impendendus: quia tutius est in Eclesia non præesse, quàm non prodesse, qui præsunt. Licèt autem occulta cordium ille solus intelligat qui renum est scrutator & cordium; quia tamen à nobis tam ex parte tua quàm dilecti filij Cameracen. electi extitit postulatum, ut si idem electus cujuspiam infirmitatis conscius, propter quam ad regimen ipsius Ecclesiæ insufficiens dignoscitur, vellet sine pravitate aliqua resignare, liceret tibi candem recipere cessionem; volentes, quantum cum Deo possumus, Cameracen. Ecclesiæ providere, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut si electus ipse propter prædictam causam sine pravitate renunciare voluerit, resignationem ipsius apostolica auctoritate recipias, & ascitis tibi venerabilibus fratribus nostris Atrebaten. & Ambianen. Episcopis Canonicos prædictæ Ecclesiæ studiosiùs moneas & inducas ut infra mensem post admonitionem vestram, personam idoneam sibi communiter juxta sanctionem canonicam eligant in pastorem. Si verò in electione facienda omnes, vel major & sanior pars, non potuerint convenire; ut ab eadem Ecclesia dissensionis in electione amoveatur materia, per quam jamdudum plurima sustinuisse dignoscitur detrimenta, ex tunc tu pariter cum prædictis Episcopis, vel eorum altero, si amboshabere non poteris, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, præficiendi ipsi Ecclesiæ personam idoneam in pastorem liberam habeas auctoritate apostolica facultatem. Nulli ergo &c. Datum Romæ ut suprà V. Idus Maij, pontificatus nostri anno primo.

EIDEM.

Epist. 152. Quòd novam Cathedram ipsi erigere liceat. Cœnobia tamē in illos usūs nō convertantur, sed cœnobia permaneant.

CVm ad ecclesiastici honoris augmentum tuam solicitam cognoscimus voluntatem, tanto tibi propensiùs in Domino congaudemus, quanto personam tuam synceris caritatis brachiis amplexamur, & te tanquam præcipuum Ecclesiæ membrum in domo Domini desideramus evidentiùs elucere. Pervenit siquidem ad audientiam nostram, quòd cùm ad ampliationem divini cultus & honorem Ecclesiæ Gallicanæ in Castro tuo, quod Mosomum dicitur, in abbatia ejusdem Castri disposuisses novum episcopatum erigere, à felicis recordationis Celestino Papa prædecessore nostro super hoc licentiam postulasti: qui fratrum deliberato consilio, sicut in ejus literis continetur, tibi per scripta sua concessit, ut de assensu carissimi in Christo filij nostri Illustris Regis Francorum, de consilio etiam venerabilium fratrum nostrorum Atrebaten. & Ambianen. Episcoporum, illud apostolica auctoritate suffultus, nullius contradictione vel appellatione obstante, in hujusmodi negotio agere procurares quod ad honorem Dei & Ecclesiæ cognosceres pertinere; illos ecclesiastica districtione percellens qui tibi super hoc ducerent temeritate qualibet resistendum. Nos igitur ejusdem prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, de fratrum nostrorum consilio, ut in prædicta abbatia juxta præscriptam tibi formam à prædecessore nostro episcopatum erigere valeas, vel si malueris in eodem Castro Cathedralem Ecclesiam, cui præficiatur Episcopus, fabricare, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem: ita tamen quòd ab eodem monasterio

monachi nullatenus excludantur; ne forte venire contra sanctiones canonicas videremus, quibus provida fuit deliberatione statutum, ut quæ semel Deo dedicata sunt monasteria, semper maneant monasteria; cùm & hodie generaliter statuatur ut ordo monasticus, qui in aliquo monasterio secundùm Deum & beati Benedicti regulam dignoscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Si verò prædictorum Episcoporum copiam habere non poteris, tu cum eorum altero juxta præscriptam formam in ipso negotio procedendi habeas potestatem. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

EIDEM.

Epist. 153. Quod ipsi in novo suo episcopatu dignum aliquem virum præficere liceat.

CVm in ecclesia Dei ex dispositione divina locum obtineas digniorem, petitionibus tuis tanto libentiùs favorem apostolicum impertimur, quanto eas credimus ex maturiori deliberatione procedere, & personam tuam cognoscimus ad augmentationem ecclesiasticæ dignitatis solicitiùs aspirare. Cùm igitur tibi tam à felicis recordationis Celestino Papa prædecessore nostro quàm à nobis de fratrum nostrorum consilio sit indultum ut infra Castrum tuum, quod Mosomum dicitur, in abbatia ejusdem castri valeas episcopatum erigere, vel si malueris in eodem Castro aliam Cathedralem Ecclesiam, cui præficiatur Episcopus, fabricare; ut laudabile tuæ voluntatis propositum melior sequatur effectus, & ad exaltationem novi episcopatus studeas affectuosiùs & intendas, personæ tuæ, quam prærogativa dignitatis honorare volumus speciali, auctoritate præsentium indulgemus ut liceat tibi, quoad vixeris, personaliter in eodem episcopatu, eorum requisito assensu quibus Episcopus præficiendus extiterit, nullius contradictione vel appellatione obstante, personam idoneam instituere in Pontificem, qui populo sibi commisso præesse valeat & prodesse. Nulli ergo &c. Datum &c. ut suprà, VII. Idus Maij.

MAGISTRO GVISELIN. Subdiacono nostro, Cancellario Tornacen.

Epist. 154. Sententia Cardinalis Remēsis à Papa confirmatur.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum illud* effectum. Ad audientiam nostram siquidem te referente pervenit, quòd cùm felicis rec. Celestinus Papa prædecessor noster causam quæ vertebatur inter te & Laurentium Clericum de Brugis, super præbenda spectante ad magisterium scholarum sanctæ Mariæ in Brugis, venerabili fratri nostro VVillielmo Remen. Archiepiscopo sanctæ Sabinæ Cardinali commisisset fine debito terminandam, ipse allegationibus utriusque partis auditis & cognitis, de prudentum virorum consilio te ab ipsius impetitione absolvit, super hoc perpetuum silentium imponens eidem. Nos igitur quod per eundem Archiepiscopum factum est volentes debitam firmitatem habere, præbendam ipsam, sicut justè possides & quietè, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Non. Maij.

TORNACEN. EPISCOPO.

Epist. 155. Ut à decessoribus alienata revocet.

CVm Ecclesiarum omnium cura nobis immineat pastoralis, sic nos convenit circa utilitatem ipsarum attentiùs vigilare, ut quæ malè ordinata sunt in eis, in statum revocentur auctore Domino meliorem. Intelleximus siquidem per petitionem ex tua nobis parte porrectam, quòd redditus duodecim Altarium, qui ad mensam episcopalem specialiter fuerant deputati, quidam prædecessorum tuorum retroacto tempore minùs rationabiliter distraxere. Volentes igitur tibi & Ecclesiæ tuæ paterna solicitudine providere, ut redditus illos, qui in præjudicium tuum à mensa episcopali irrationabiliter sunt subtracti, tibi liceat appellatione remota legitimè revocare, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum &c. ut suprà, VI. Non. Maij.

CANONICIS ECCLESIÆ beatæ Mariæ Tornacen.

Epist. 156. Ut fructus Altarium Vicariis æqualiter dividantur.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu; ut redditus, qui à diversis donatoribus ad usum Vicariorum Ecclesiæ vestræ, qui non sunt majoris altaris servitio deputati, per temporum vices proveniunt, colligantur in unum, & per ministros vestros inter eosdem Vicarios æqualiter dividantur, qui communi assensu Capituli, secundùm antiquam & rationabilem Ecclesiæ vestræ consuetudinem institui valeant, & similiter amoveri, liberam vobis auctori-

tate præſentium concedimus facultatem. Decernimus ergo &c. Datum &c. ut ſuprà, VIII. Idus Maij.

CANONICIS ET CLERICIS Tornacen. Eccleſiæ.

Epiſt. 157. CVm à nobis petitur &c. *uſque ad verbum* poſtulationibus inclinati, ne coram alio judice trahamini, niſi per appellationem, in cauſam, quamdiu ſub examine venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Tornacen. vel dilectorum filiorum Decani & Capituli veſtri ſtare juri volueritis, præterquàm de noſtro vel Legati noſtri mandato, auctoritate vobis præſentium indulgemus. Liceat quoque vobis, cùm generale interdictum terræ fuerit, excluſis interdictis & excommunicatis, clauſis januis, non pulſatis campanis, & ſuppreſſa voce, divina officia celebrare. Nulli ergo &c. Datum &c. ut ſuprà, IV. Idus Maij.

CANONICIS ECCLESIÆ beatæ Mariæ Tornacen.

Epiſt. 158. Quòd fructus majoris altaris poſſint dividere. CVm à nobis petitur &c. *uſque ad verbum illud* aſſenſu, ut redditus, qui per temporum vices à diverſis perſonis ad uſum vicariorum majoris altaris Eccleſiæ veſtræ proveniunt, colligantur in unum, & per miniſtros veſtros inter vicarios æqualiter dividantur, qui communi aſſenſu Capituli, ſecundùm antiquam & rationabilem Eccleſiæ veſtræ conſuetudinem inſtitui valeant, & ſimiliter amoveri, liberam vobis auctoritate præſentium concedimus facultatem. Decernimus ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum.

CANONICIS ECCLESIÆ beatæ Mariæ Tornacen.

Epiſt. 159. Confirmatio conſtitutionis cujuſdam, ſuper fructibus beneficij Ivonis. CVm à nobis petitur &c. *uſque ad verbum illud* veſtris poſtulationibus gratùm convenientiam impendentes, inſtitutionémque quam ſuper fructibus beneficij, quod fuit olim Hyvonis de vinea, cujus etiam donatio ad vos nullo medio pertinebat, de voluntate & conſilio venerabilis fratris noſtri Stephani Epiſcopi veſtri in Eccleſia veſtra feciſtis, videlicet ut fructus illi ad agenda communia negocia Capituli perpetuò debeant applicari, ſicut ipſa inſtitutio rationabiliter facta eſt, & hactenus obſervata, & in authentico exinde confecto pleniùs continetur, auctoritate apoſtolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum &c. ut ſuprà, II. Kalend. Maij, Pontificatus noſtri anno primo.

ELECTO CAMERACENSI, ſancti Auberti & ſancti Gilleni Abbatibus.

CVm in eccleſia Dei omnia fieri debeant ordinatè, non eſt à Prælatis Eccleſiarum ex impetu vel pro quæſtu ad ſententiam procedendum: ſed ad hoc eò majori debent maturitate procedere, quò turpius & abſonum magis exiſtit de prolata temerè ſententia quàm de ferenda minùs rationabiliter reprehendi: quorum alteri, primo videlicet, pœna ex præſumptione debetur, ſecundo verò venia pro ignorantia vel diligentia minori donatur. Sanè ſignificantibus dilectis filiis Abbate & Conventu S. Vedaſti Atrebaten. didicimus quòd ſi quando inter eos & venerabiles fratres noſtros Epiſcopos, & dilectos filios Archidiaconos, in quorum parochiis aliqua eorum Obedientia vel capella conſiſtit, ſuper aliquo controverſia vertitur, vel alicui ipſorum non ſatisfaciunt juxta deſiderium poſtulantis, ipſi Eccleſias eorum in ſuis parochiis conſtitutas interdicto ſubjiciunt, & interdictum ipſum, niſi placati muneribus, non relaxant. Volentes autem Eccleſiæ ſancti Vedaſti paterna ſollicitudine providere, eiſdem Epiſcopis & Archidiaconis per ſcripta noſtra præcipiendo mandavimus, ne ejus Eccleſias ſine manifeſta & rationabili cauſa interdicto ſupponant, nec occaſione ſecularium negotiorum aut quæſtionum emergentium, ſeu cauſa lucri captandi, Capellanos in ejus Eccleſiis commorantes impediant quominus in Eccleſiis ſuis divina valeant officia celebrare. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus, ſi præfati Epiſcopi vel Archidiaconi forſan in Eccleſias eorundem Abbatis & Conventus ſententiam interdicti minùs rationabiliter duxerint promulgandam, vos de ſententia ipſa, appellatione poſtpoſita, cognoſcatis, & eam poſt cognitionem, ſi talem ipſam inveneritis, auctoritate freti apoſtolica relaxetis. Nullis literis &c. harum tenore tacito. Datum Romæ apud ſanctum Petrum II. Kalend. Maij, Pontificatus noſtri anno primo. Epiſt. 160. Vt injuſtam interdicti ſententiam revocent.

ATREBATEN. EPISCOPO & Cameracen. electo.

Epist. 161. Vt concordia inita, & bona fide interposita transactio observetur.

VIris religiosis, & his præcipuè qui beati Benedicti regulam sunt professi, non credimus expedire, ut ocio claustrali postposito, contra instituta sui ordinis discurrant per curias seculares, aut secularibus negociis involvantur. Inde est quòd nos dilectorum filiorum Abbatis & Conventus sancti Vedasti Atrebaten. religioni & honestati consulere cupientes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si nobiles viri Comes Aionien. & Betunen. Advocatus à compositionibus quas idem Comes cum eisdem fratribus super possessionibus de Haspra. & pater præfati Advocati super possessionibus de Saillis & earum appendiciis voluntate propria inierunt, temerè resilire voluerint, eos ad observationem compositionum ipsarum, sicut sine pravitate factæ sunt & ab utraque parte receptæ, à nobis etiam confirmatæ, monitione præmissa per districtionem ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Nullis literis &c. ut suprà. Datum ut suprà.

REMEN. ARCHIEPISCOPO sanctæ Sabinæ Cardinali, & Abbati sancti Remigij, & Decano Remen.

Epist. 162. Vt Noviomensem Episcopum tertia decimarum parte contentum esse & vexatione monasterij S. Vedasti abstinere jubeant.

SIgnificantibus nobis dilectis filiis Abbate & Conventu sancti Vedasti nostro est apostolatui reseratum, quòd Martinus quondam ejusdem monasterij Abbas tertiam partem decimationis de Moilaivis & de Ernaldmensnil ab R. quondam Noviomen. Episcopo recepit ad censum, & ei tantam se reddituturum promisit annis singulis pensionem, quòd reliquæ duæ tertiæ cum illa tertia vix sufficiunt ad solutionem ipsius, unde Ecclesia beati Vedasti jacturam enormem dicitur incurrisse. Propter quod venerabili fratri nostro Noviomen. Episcopo dedimus in mandatis ut illa tertia parte decimationis prædictæ (sicut justum est) de cetero sit contentus; & Ecclesiam ipsam super exactione præmissæ pensionis amodo non molestet. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si supradictus Episcopus mandato nostro parere noluerit, & præmissis veritas suffragatur, vos auctoritate nostra suffulti memoratum Episcopum sua tertia manere contentum, & ab Ecclesiæ supradictæ super exactione pensionis illius molestatione cessare, sicut justum est, monitione præmissa per districtionem ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Si qua verò partium legitimè citata &c. Scientes quod decreveritis &c. Nullis lireris &c. ut suprà. Quòd si omnes &c. tu frater Archiepiscope cum eorum altero &c. Datum ut suprà.

ELECTO CAMERACENSI, sancti Auberti & sancti Gilleni Abbatibus in Cameracen. dioecesi constitutis.

Epist. 163. Vt Episcopos per censuras compellant monasterium S. Vedasti contra suos adversarios jure tueri.

VT loca religiosa & fratres in eis divinis obsequiis deputati violentiæ non subjaceant laicali, sed instituta sui ordinis colant potiùs in quiete, specialis est eis gratia facienda; ne pro sui juris defectu secularibus immisceri negociis compellantur, & ad curias discurrere seculares. Hac igitur consideratione inducti, dilectis filiis Abbati & Conventui sancti Vedasti Atrebaten. providere volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quarenus si de malefactoribus suis per dioecesanos Episcopos justitiam non potuerint obtinere, vos post trinam admonitionem eisdem Episcopis factam, malefactores eorundem fratrum ad exhibitionem justitiæ per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis, facientes quod decreveritis per districtionem ecclesiasticam inviolabiliter observari; nec sententiam in eos latam à vobis, nisi damna & injurias passis priùs fuerit satisfactum, aliquis audeat relaxare. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut cùm ab eodem Abbate & fratribus fueritis requisiti, ad eorum monasterium accedentes, quæ corrigenda fuerint in capite vel in membris, auctoritate freti apostolica corrigatis. Nullis literis &c. ut suprà. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

GRADEN. PATRIARCHÆ.

Epist. 164. Vt causam Archidiaconi Tarvisini contra Clericos de Quinto jure definiat.

COnstituti in præsentia nostra dilecti filij Iacobus & Olivierius nuncij Clericorum plebanatus de Quinto, & dilectus filius Archidiaconus Tarvisinus, pro causa quæ inter ipsos ex una parte & Archidiaconum memoratum ex alia super jure ipsius archidiaconatus fuerat agitata, & tandem ad nos per

appellationem delata, diffinitioni ejus contrariis affectibus intendebant, & cùm vellent adinvicem litigare, dilect. filium G. SS. Cosmæ & Damiani Diaconum Card. ipsis concessimus auditorem. Cùmque partes in ejus essent præsentia constitutæ, prædicti nuncij pro ipsis & parte sua firmiter asserebant quòd causa eadem post tractatum diutinum amicabili tandem fuerat compositione sopita: quam quidem Archidiaconus juramento, Episcopus verò sub pœna mille librarum se promiserat firmiter servaturum. Ex adverso autem prædictus Archidiaconus proponebat quòd cùm videret partem adversam sibi super observatione compositionis factæ molestiam irrogare, bonæ mem. Clementi Papæ prædecessori nostro suam curavit proponere quæstionem: qui tandem ipsum à præstito juramento post causæ cognitionem absolvit, & licentiam ei dedit ut archidiaconatus sui jura, non obstante compositione illa, prosequi non cessaret; præsertim cùm eam præfatus Episcopus non servasset, & tam ipse quàm plebani socij ejus super hoc contra mandati apostolici formam eum plurimùm molestassent. E contra præmissi nuncij affirmabant quòd Episcopus suus contra compositionem non venerat, immo ipsi Archidiacono querenti responderat quòd paratus erat facere quod deberet, sicut per instrumentum publicum ostendebatur, & quòd Archidiaconus contra juramentum licitum ac sponte interpositum nulla debuisset ratione venire. Et si fortè sibi esset aliquo modo (quod non credebant) indultum, priùs quæ contra compositionis formam præsumpserat, emendare penitùs tenebatur, quàm staretur aliquid super negotio principali. Ceterùm cùm in præsentia Card. prædicti diutiùs litigassent, tandem auditis per eum quæ duxerant proponenda, fratrum nostrorum consilio habito diligenti, causam ipsum sub certa forma tuæ fraternitati duximus committendam, per apost. tibi scripta mandantes, quatenus utramque partem ad observationem compositionis prædictæ (quam licitam esse comperimus, & ideo juramentum pro ipsius observatione interpositum censuimus fore servandum) non obstante absolutione prædicta, quam credimus per subreptionem obtentam, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compellere non omittas; in irritum apost. auctoritate reducens si quid contra compositionem prædictam per prædictum Archidiaconum cujuslibet auctoritate rescripti noveris immutatum. Si quid verò postmodum inter eos fuerit quæstionis, partibus ad tuam præsentiam convocatis audias, & illud appellatione remota debito fine decidas. Volumus præterea nihilominus & mandamus, quatenus Clericos & laïcos, qui occasione quæstionis prædictæ, quam cum Archidiacono habuerunt, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sunt vinculo innodati, secundùm Ecclesiæ formam absolvas; illos qui ipsis bona sua per violentiam abstulerunt, ad restitutionem eorum, sicut justum fuerit, ecclesiastica censura remota appell. compellens, & non permittas quòd ipsis super beneficiis suis gravamen vel aliqua molestia ab aliquo indebitè inferatur. Illos verò quos Ecclesias violasse & manus in Clericos temerarias injecisse constiterit, tamdiu facias sicut excommunicatos ab omnibus arctiùs evitari, donec passis injuriam &c & cum testimonio literarum &c. Datum ut suprà &c. IV. Idus Maij.

ARCHIEPISCOPIS ET ALIIS Ecclesiarum Prælatis, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & aliis nobilibus viris, & universis Christi fidelibus ad quos literæ istæ pervenerint.

Epist. 165. Vt commissariis apostolicis contra hæreticos auxilio fiat.

CVm ad capiendas vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, species quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum, & hæreticos ab fidelium consortio excludendos, dilectum filium fratrem Rainerium, potentem divino munere in opere & sermone, & cum eo dilectum filium fratrem Guidonem, virum Deum timentem & vacantem operibus caritatis, ad partes vestras duximus destinandos, universitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus eos benignè recipientes pariter & devotè, contra hæreticos ipsis potenter & viriliter assistatis, eis consilium & auxilium impendentes. Verùm quia frater Rainerius pro arduis Ecclesiæ negociis in Hispaniam de mandato processit

cessit apostolico, volumus nihilominus & mandamus, ut vos fratres Archiepiscopi & Episcopi, cùm à dicto fratre Guidone fueritis requisiti, in hæreticos, quos ipse vobis nominaverit, spiritualem gladium exeratis; laici verò bona eorum confiscent, & eos ejiciant de terra sua, & eorum paleas separent à frumento. Omnibus autem qui pro conservatione fidei Christianæ in tanto discrimine quod Ecclesiæ imminet, ipsi astiterint fideliter & devotè, illam peccatorum suorum concedimus indulgentiam, quam beati Petri vel Iacobi limina visitantibus indulgemus. Datum Romæ &c. ut suprà, III. Idus Maij.

ABBATI SANCTI VEDASTI.

Epist. 166. Approbat ejus voluntatem, quòd ex collegio seculari factum olim cœnobium, ad collegium revocare laboret.

PIæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri; ne refrigescat caritas postulantis ex longioris moræ fastidio, vel ex brevi etiam dilatione tepescat. Significasti siquidem nobis quòd cùm Ecclesia sancti Petri de Castro sita juxta monasterium tuum libera sit, & sicut ipsum monasterium ab episcopali jurisdictione penitùs sit exempta, & in ea olim esse consueverint Canonici seculares, prædecessores tui, ut possessiones ipsius in suos usus converterent, ut in ipsa facerent per monachos ministrari indulgentiam à sede apostulica impetrarunt. Verùm quoniam in ea minùs solemniter Domino deservitur, ad ampliandum ibidem cultum divini nominis Canonicos seculares, prout ibi quondam fuerant, in ea ordinare desideras, & eis certos redditus assignare. Eapropter, dilecte in Domino fili, intentionem tuam laudabilem attendentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut de consilio fratrum tuorum, vel majoris & sanioris partis, in ea Canonicos seculares instituas, & tam de bonis monasterij tui, quàm de his quæ ibi à fidelibus offerentur, redditus eis competentes assignes: ita tamen ut in nullo libertas illa depereat, quam ei prædecessores nostri Romani Pontifices contulere. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. Idibus Maij, Pontificatus nostri anno primo.

B. MAGISTRO SCHOLARVM & Valberto Canonico Tarvisinis.

Epist. 167. Episcopi trucidatores à solo Papa absolvendi, excepto articulo mortis.

SVper eo de quo nos vestra discretio requisivit, videlicet quid faciendum sit de his qui captioni bonæ memoriæ V. Bellunen. Episcopi, ex qua dignoscitur à quibusdam aliis crudelissimè interemptus, se diabolico instinctu interfuisse fatentur, si ad Ecclesiam redire voluerint, in qua sint forma recipiendi ab ea, vobis taliter respondemus, quòd cùm tam enorme flagitium debita velimus severitate punire, ne facilitas veniæ incentivum præbeat delinquendi, si communiuni fidelium reconciliari desiderant, ad sedem apostolicam veniant absolvendi, nisi fortè articulus mortis immineat, vel hostilitas impediat capitalis; quibus in utroque casu, recepta secundùm formam Ecclesiæ sufficientissima cautione quòd nostris debeant obedire mandatis, absolutionis beneficium nostra auctoritate potestis impendere: ita tamen quòd opportunitate recepta, susceptiri mandatum, ad sedem apostolicam accedere non postponant. Provideatis autem attentiùs ne quid contra præscriptam formam quomodolibet *attentetis. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

* attentetur.

ARCHIEPISCOPO & Capitulo Turonen.

Epist. 168. Citantur ad audiendum sententiam proferre in causa ipsorum contra Ecclesiam Dolensem. *Vide lib. 2. epist. 82. & seqq.*

LIcèt in Ezechiele legatur *Animalia ibant, & non revertebantur*, tamen sequitur in eodem, *Animalia ibant, & revertebantur.* Quamvis autem hæc vocum dissonantia secundùm sanum consonet intellectum, & varias expositiones habeat mysticas & morales, possunt tamen per animalia munda, quæ ruminant & ungulam findunt, rectores Ecclesiæ non incongruè designari: qui discernendo findunt ungulam, & ruminant meditando: qui dum aliqua statuunt quæ postmodum non retractant, eunt, & non revertuntur; cùm verò aliquid statuunt quod postmodum revocant consilio saniori, eunt, & (sicut de animalibus legitur) revertuntur. Vtinam autem prædecessores nostri Romani Pontifices in diffinitione illius veteris, & nondum inveteratæ, sed præ vetustate notissimæ quæstionis, quæ inter Turonen. & Dolen. Ecclesias fuit diutiùs agitata, & adhuc sub judice lis est,

M

animalibos quæ ibaot, & noo revertebantur, posseot secundùm formam expositiooís suprapositæ comparari; ut quod super ea statuerunt, taliter receptum fuisset à partibus & servatom, quòd oec causa ipsa in recidivæ contentionis scrupulum denuo devenisset, nec nos oporteret super ea cum partibus laborare. Sanè quamvis causa ipsa frequenter fuerit per sedem apostolicam diffinita, peccatis tameo exigentibus rediit malesana cicatrix in vulnus aotiquum; hodiéque manent vestigia veteris quæstionis, & evidenter apparent ex damnis quæ utraque partium ejus occasione vehemeoter iocurrit, sicut ipsi novistis, oec nos etiam ignoramus. Quòd si verum iospicimus, & atteodimus causas cootroversiæ diuturnæ, per vos interdum stetisse videtur quò minùs legitimum finem acceperit quæstio toties suscitata. Nam (ut noo longè petamus exemplum) cùm bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor oester partes ad judiciũ citavisset, terminum eis certum præfigeos, & eum postmodum de voluntate partium prorogasset, licèt dilectus filius I. Dolen. electus ad sedem apostolicam propter hoc in persona propria oon sine multo gravamine accessisset, tu tamen frater Archiepiscope oec veoisti, oec misisti ad nos idoneum responsalem, sed nuncios solummodo minùs sufficienter instructos pro sola dilatione petenda. Nolentes autem dictas Ecclesias hujus occasione discordiæ ooo sine magno utriusque dispendio diutiùs laborare, festum dedicationis beati Michaëlis proximò futurum pro peremptorio termino vobis & parti adversæ duximus præfigendum. Ideóque discretioni vestræ per apostolica scripta maodamus, & districtè præcipimus, quatenus ad prædictum terminum, quicquid de te frater Archiepiscope quoconque modo contingat, per vos vel procuratores idoneos ad sedem apostolicam accedatis, nostræ dispositionis formam vel justæ diffioitionis seoteotiam recepturi. Cùm eoim iostantia oostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum solicitudo continua, de plenitudine potestatis, quam super omnes Ecclesias ab ipso Iesu Christo suscepimus, ea cupimus consilio saniori disponere, sicut viderimus expedire, quæ ad pacem & utilitatem proveoiant Ecclesiæ otriusque. Alioquin ex tunc in diffinitiooe ipsius causæ vel dispositione dante Domino procedemus. Datum Romæ apud S. Petrum Id. Maij, Pont. nostri anno primo.

In eundem ferè modum Bituricen. Archiepiscopo. Licèt io Ezechiele &c. *usque ad verbum illud* procedemus. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus ut supramemoratis Archiepiscopo & Capitulo Turonen. ex parte nostra districtè præcipias ut in termino sibi peremptorio constituto nostro se conspectui repræsenteot, & literas nostræ citationis per tuos ouocios ipsis facias præsentari. Datum Romæ &c. ut suprà, XVII. Kalend. Iuoij &c. *Epist. 169.*

ARCHIEPISC. TARENTASIEN. & Episc. Augusten. & Abbati Bonimontis.

Licèt injunctæ nobis administrationis officium profectibus nos admoneat intendere singulorum, & tanquam de commisso nobis grege rationem Domino redditori cunctos ea facere exoptemus quæ ad vitam proficiant sempiternam, fratres tamen & coëpiscopos nostros, qui io partem sunt solicitudinis evocati, sic vellemus commissi eis officij executiooem diligenter peragere, quòd non lucerna sub modio sed supra candelabrum posita videretur. Verùm cùm de ipsis ea nostris auribus referuntur quæ in infamiam pontificalis dignitatis redundant, dolemus admodum & turbamur: qnia juxta divinæ legis sententiam, *si sacerdos, qui est unctus, peccaverit, facit delinquere populum.* Olim siquidem cùm venerabilis frater oester Lausannen. Episcopus felicis recordationis C. Papæ prædecessori nostro à Capitulo suo delatus fuisset in multis, idem prædecessor noster venerabili fratri nostro Maurianen. Episcopo & dilectis filiis Bellævallis & de Caritate Abbatibus apostolica actoritate præcepit ut ad Ecclesiam Lausannen. personaliter accedentes, quæ in eadem tam io capite quàm in membris digna correctione cognoscerent, studerent diligenti solicitudine emendare. Qui cùm die statuta Lausannam accessissent, & fecissent in præfati Episcopi & Capituli præsentia commissionis literas recitari, sicut in eorum literis perspeximus contineri, ipsum Episcopum & Capitulum ad compositionem amicabilem faciendam inducere studuerunt. Tunc Capitulum duo instrumenta exhibuit; quorum

Epist. 170. Committitur eis causa Episcopi & Capituli Lausannensis. *Vide infrà epist. 134.*

unum erat sigillatum septem sigillis arbitrorum, in quos tam Canonici quàm Episcopus compromiserant memorati; alterum verò erat sigillo jamdicti Episcopi consignatum, in quo se fatebatur reatum perjurij incurrere, si à facta compositione à jamdictis arbitris ratione qualibet ab arbitrio resiliret. Episcopus autem in præsentia delegatorum judicum, quòd compositionem illam non tenuerat, nec teneret, proposuit; asserens quòd Canonici antea à compositione resilierant, & emendationem, quam super quibusdam articulis præfati arbitri ei facere compromiserant, nondum potuerat obtinere; & ideo se non incurrisse reatum perjurij fatebatur, quia Canonici prius compositionem infregerant, & compositionis chartam arbitri non curaverant emendare. E contra verò Canonici respondebant quòd nec ipsi à compositione resilierant, nec aliquid arbitri in compositione promiserant emendare. Licèt autem è contra Episcopus se probare promitteret quod dicebat, in præsentia tamen ipsorum judicum non probavit. Cùmque præfati Canonici super monetæ diminutione & exactione novi pedagij memoratum Episcopum convenirent, & peterent quod ab arbitris præceptum fuerat observari; respondit Episcopus memoratus, quòd moneta erat proculdubio diminuta, nec licuit arbitris super hoc aliquid arbitrari, cùm tanquam domino monetæ licitum ei sit eam pro suo beneplacito minuere & augere. & iste fuit unus de articulis in quibus emendationem arbitrij postulavit. Pedagium autem à quadraginta annis acceptum fuisse asseruit, & in gravamen inimicorum suorum se illud proposuit statuisse. Cùmque adjicerent Canonici antedicti, quòd præter illa quæ in * compositionis instrumento continebantur, alia vellent contra eundem Episcopum proponere & probare; respondit Episcopus quòd eos aliquatenus non audiret, quia non tenebatur coram ipsis judicibus respondere, cùm literæ commissionis non ex parte Capituli (sicut continebatur in eis) sed per falsam suggestionem fuerint impetratæ: quia P. de * Exchandens, qui eas impetravit, mandatum non habuit ut talia postularet. Ad quod P. ipse respondit quòd licèt cùm ad Romanam Ecclesiam accessit, non omnibus suum propositum revelaverit, sed quibusdam, postquam tamen rediit, commissionis literas omnibus qui aderant in Capitulo legit & exhibuit, & universis ipsæ literæ placuerunt. Et ideo asserebant Episcopum debere coram eisdem judicibus respondere; quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. Et quoniam eorum judicium noluit sæpefatus Episcopus subintrare, licèt ipsi judices in eadem Ecclesia multa digna correctione cognoscerent, & eam à statu pristino miserabiliter corruisse, & bona tã Episcopi quàm Capituli viderent plurimùm imminuta, in executione tamen mandati apostolici ultrà procedere noluere, negotium ipsum ad Romanam * Ecclesiam remittentes. Ad hæc, tam literis Capituli Lansannen. quàm religiosorum Abbatum, Comitum, & Baronum ejusdem diocesis, & aliorum multorum nostro apostolatui est suggestum, quòd idem Episcopus bona ipsius episcopatus dilapidando consumpsit, matrimonia non *jungenda conjungit, & divortia celebrat indiscretè; & cùm incontinentiæ laboret infamia, familiaritatem amplectitur iniquorum, justitiam denegat postulantibus, & quibuslibet contumeliosè respondet, in se non ostendens mansuetudinem pastoralem. Præterea contra eundem multa alia proferuntur, quæ longum esset literis præsentibus enarrare. Super quibus siquidem omnibus tanto dolemus vehementiùs & movemur, quanto eundem Episcopum, tanquam in Romana Ecclesia enutritum, & ab ea in pontificalis officij dignitatem assumptum, quantum cum Deo possumus synceriori caritate diligimus, & specialiùs amplexamur. Quoniam igitur quæ de præmisso Episcopo referuntur, sub dissimulatione transire non possumus, nec debemus, inquisitionem ipsius negotij de fratrum nostrorum consilio vestræ duximus experientiæ committendam; per apostolica vobis scripta districtè præcipientes, quatenus ad locum competentem pariter accedentes, & partibus convocatis, solum Deum habentes præ oculis, appellatione postposita, audiatis hinc inde proposita; & attestationes & allegationes utriusque partis discussas & examinatas canonicè, sub sigillis vestris nobis dirigere procuretis, præfigentes utrique parti terminum competentem, quo sufficienter instructæ, ad recipiendam sententiam nostro se conspectui repræsen-

* In epist. 334. pro compositionis legitur arbitrij

* Ischandens

* Curiam

* conjungenda

tent. Si verò præfati Canonici ab accuſatiooe deſtiterint, & probare noluerint quod propoount; vos, ſi præfatus Epiſcopus ſuper his fuerit infamiæ nota reſperſus, purgationem ipſi caoonicam indicatis, ut cum tribus Epiſcopis ſuam, ſi valet, innocentiam purgare noo differat, & eam, ſi præſtiterit, auctoritate apoſtolica admittentes, eum ab impetitione Canooicorum penitùs abſolvatis, & ab objectis criminibus deonocietis inſontem. Verùm ſi ſe non poterit juxta ſaoctiones canooicas expiare, vos eum ſuſpeuſum ad noſtram præſeotiam ſublato appellationis obſtaculo tranſmittatis, ut io negocio ipſo ſicut expedire viderimus auctore Domino procedamus. attentiùs proviſuri nt mandatum apoſtolicum ita prudenter ac diligenter exequi ſtudeatis, ut nos devotionem & ſolicitudinem veſtram poſſimus meritò commendare. Volumus autem nihilominus & mandamus ut eidem Epiſcopo diſtrictiùs injungatis, ne bona Lauſanoen. Eccleſiæ hujus occaſione oegotij quomodolibet alienare præſumat, in quorum diſtractione dicitur hacteous ſatis enormiter exceſſiſſe. Si qua verò partium legitimè citata veſtram præſentiam adire contempſerit &c. Nullis literis obſtantibus harum tenore tacito &c. Quòd ſi omnes &c. tu frater Archiepiſcope cum eorum altero &c. Datum &c. ut ſuprà, Id. Maij.

PHILIPPO ILLVSTRI Francorum Regi.

Epiſt. 171. Vt repudiata pellice, legitimam uxorem recipiat.

LIcèt dextera Domini ſuam fecerit io noſtra promotione virtutem, de terra ſuſcitans inopem, & de ſtercore erigens pauperem, & illud oos voluerit dignitatis ſolium obtinere, ut ooo ſolùm cum Principibus, ſed de Principibus etiam judicemus; cùm tamen conditiooem humilitatis noſtræ conſpicimus, & de quo ad quid ſimus vocati penſamus, præter geoerale debitum paſtoralis officij quod ſingulis nos conſtituit debitores, tibi & regoo tuo ſpecialiter nos fatemur teneri, io quo nos recolimus io ſtudiis literarum ætatem tranſegiſſe minorem, ac divino munere quanrecunque ſcientiæ donum adeptos, beneficiorum impenſam multiplicem ſuſcepiſſe. Ad cumulum autem hujus præcipuæ dilectionis accedit progenitorum tuorum grata memoria; quos, ſicut Chriſtianiſſimos Principes, nec ventus turbinis, nec impetus tempeſtatis ab Eccleſia Romana potuit aliquando ſeparare, quin potiùs tanto ampliùs in ipſius devotione ferverent, quanto fortiùs io naviculam noſtri piſcatoris fluctus inſurgerent, & mare tumultuoſiùs veotorum incurſibus fluctuaret. Vnde cùm in minori quondam officio conſtituti ſerenitatem regiam & regnum Fraociæ ſpeciali amplexati fuerimus dilectionis affectu, nunc ad apicem Summi Pontificatus, licèt inſufficientes, aſſumpti, privatis affectibus, communibus ſupervenientibus cauſis, tam ardeotiùs in regiæ ſerenitatis dilectione flagramus, nt occaſionem nobis precemur à Domino indulgeri, per quam affectus interior prodeat in effectum, & prærogativa ſynceritatis, quam ad te gerimus, in opère pateat univerſis. Verùm quanto ampliùs celſitudinem tuam honorare cupimus, & ad profectum tuum ardentiùs aſpiramus, tanto magis de tua ſumus ſalute ſoliciti, & graviùs ferimus, ſi ooſtræ caritatis affectus circa ſerenitatem tuam, te præſertim dante materiam, videretur (quod abſit) refrigeſcere, vel tepere. Sanè quantum ſcandalum ſit exortum ex ſuperinductione illius quam poſt multiplices inbibitiones Eccleſiæ (quarum unam factam per bonę memoriæ M. ſanctor. Iohannis & Pauli Preſbyterum Cardioalem, tunc apoſtolicæ ſedis Legatum, & dilectum filium G. Subdiaconum & Notarium noſtrum, cùm felicis record. Celeſtioi Papæ prædeceſſoris ooſtri literas in tua fecere præſeotia recitari, quę inhibitiooem apertiùs continebant, ad te novimus perveoiſſe, & poſt datas & receptas epiſtolas venerabilibus fratribus noſtris Sueſſiooen. & Noviom. Epiſcopis, nonciis tuis propter hoc apud ſedem apoſtolicam conſtitutis) ſuperioducere voluiſti, tibi credimus ex parte liquere. in quo ad diſcretionem veritatis non debet viocere ſenſualitas rationem. Noſti enim quòd morbus iſte jam vicina corrumpit, & ad excuſandas excuſationes in peccatis factus es ceteris excuſatio; & in oos & Romanam Eccleſiam detractionem non modicam ſuſcitaſti. Quantum autem ex hoc te ipſum læſeris, ex eo manifeſtè perpenditur, quòd omnia tibi cootraria ſucceſſerunt, quæ priùs proſpera ſuccedebant, oec datum eſt tibi frui etiam pace diuturna, quin, etſi non corpus, meotem ſaltem ſolicitudo

Vide Maſſonum in Annalibus.

Vide ſuprà epiſt. 4.

gravis urgeret. quod tibi esse debet evidens argumentum quòd propter hoc divinam indignationem incurreris; præsertim cùm superinducta consanguinitas opponatur, carissimæ autem in Christo filiæ nostræ I. Reginæ Franciæ non nisi impedimentum fuisset affinitatis objectum. Vt igitur saluti tuæ consulas & honori, ut nos & Romanam Ecclesiam à labiis iniquis & lingua liberes detractrice, ut Dominum tibi reddas propitium, quem iratum tibi hactenus reddidisti; rogamus serenitatem regiam, monemus, & exhortamur in Domino, & in remissionem injongimus peccatorum, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus in teipsum aciem tuæ considerationis reflectens, sic tuos actus dijudices, ut ab aliis non debeas judicari. Memor esto conditionis tuæ, & novissima juxta verbum sapientis attendens, quod scandalum in Ecclesia parit, quod nobis detractionem generat, quod in perniciem tuæ salutis vertitur, & in dispendium totius regni redundat, alios fideli corrumpens exemplo, corrigas per teipsum, superinductam de finibus regni Francorum removeas, & eam reducas in regnum & Reginam appelles ac facias appellari, mandans ei ab omnibus tanquam Reginæ deferri, quam à te minùs rationabiliter abjecisti. Quòd si postmodum usque adeo serenitatem tuam oriens ex alto respexerit, & cor tuum lux illa dignata fuerit illustrare quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut prædictam Reginam (quam ex testimonio plurium, quibus est religionis & dignitatis ratione credendum, miræ sanctitatis & honestatis audivimus esse) retineas in gratia conjugali, (præsertim cùm vix nobiliorem ducere possis, & id tibi plurimùm expedire noscatur) in his faciliùs & ad votum tuum celeriùs exequendis quæ serenitati tuæ diebus istis incumbunt, gaudebimus plurimùm, & in agendis tibi gratiarum actionibus assurgemus. Quod si forsan (quod absit) desuper datum non fuerit; sicut de jure tenemur, juris tibi licentiam non negamus, quò minùs facta priùs restitutione audiamus & exaudiamus quod rationabiliter duxeris proponendum. Si autem (quod non credimus) nec famæ tuæ nec honori consuleres, nec mandatis nostris nec monitis obedires; quantumcunque nobis molestum existeret te in aliquo molestare, contra te tanto ampliùs moveremur & manum curaremus apostolicam aggravare, quãto serenitatem tuam syncerius diligimus, & quos amamus, severiùs arguere intendimus & duriùs castigare; cùm inspirante Domino immutabilem animum & inflexibile propositum habeamus nec prece nec pretio nec amore nec odio declinandiã semita rectitudinis; sed via regia incedentes, nec ad dexteram declinabimus, nec deviabimus ad sinistram; sine personarum acceptione facientes judicium, quia non est personarum acceptio apud Deum. Non ergo posses, quantumcunque confidas de tua potentia, subsistere ante faciem, non dicimus nostram, sed Dei, cujus, licèt immeriti, vices exercemus in terris, cùm auctore justitiæ, qui est Veritas, pro justitia & veritate pugnante, inimici tui in te ac regnum Franciæ prævalerent, nec valeret temporalis tuus & exiguus potentatus divinæ ac æternæ repugnare omnipotentiæ majestatis. Facias, fili carissime, de necessitate virtutem, & nobis in hoc, immo creatori tuo, per quem vivis & regnas, humiliter satisfacias; quatenus & ipsum tibi reddas propitium, & nos tibi constituas ampliùs debitores: sciturus pro certo, quòd nisi mandatum nostrum hac vice curaveris adimplere, non differemus ulteriùs quin officij nostri debitum exequamur. Datum &c. ut suprà XVI. Kalend. Iunij.

VVILLIEMO REMEN. Archiepiscopo, sanctæ Sabinæ Cardinali.

Epist. 172. Vt existat conservator privilegiorum Ecclesiæ S. Germani de pratis Parisiis.

Pia patrum prædecessorúmque nostrorum solicitudo se circa statum Ecclesiæ in sua integritate servandum mirabiliter exhibuit circumspectam, ut videlicet ipsas, quæ secularium turbationum fluctibus concutiuntur assiduis, protectione sedis apost. specialiter præmuniret, & cùm ipsa præsens omnibus adesse non possit, per convenientia instrumẽta eisdem indulta suæ potentiam auctoritatis extendens, perversorum malitiam coërceret. Sed cùm malitia hominum excreverit in immensum, nec modum sibi perversitas eorum effrænata imponat; nos, quos eidem sedi gratia divina præfecit, qui prædecessorum nostrorum mandata seu institutiones solvere non venimus, sed implere, juxta ma-

litiam temporis in his esse rigidiores oportet. Inde siquidem est quòd cùm Ecclesia sancti Germani de pratis Parisiensis, quæ Romanæ sedis filia devota & specialis existit, privilegiorum, indulgentiarum, confirmationum, & libertatum plura obtinuerit à Romanis Pontificibus instrumenta, quibus Prælati Ecclesiarum & quamplures alij minimè deferentes, ea infringere ipsisque temerè obviare non dubitant, sicque libertatibus sibi concessis uti plenè non valeat, & in pluribus sustineat detrimentum, te conservatorem eorum quæ ad ipsius Ecclesiæ tranquillitatem à sede apostolica sunt indulta specialiter duximus concedendum. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si quos Indulgentiis, confirmationibus, privilegiis, seu quibuslibet aliis instrumentis apostolicæ sedis, seu aliis immunitatibus à quibuscunque monasterio sancti Germani de pratis prævia ratione concessis, per quæ libertas debet ecclesiastica integra conservari, temerè inveneris obviantes, eos per censuram ecclesiasticam, monitione præmissa, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, quemadmodum videris expedire, à sua temeritate compescere non moreris, ipsiúsque jura monasterij sancti Germani studeas illibata servare. Nulls literis &c. harum mentione non habita &c. Datum &c. ut suprà V. Idus Maij.

ROBERTO ABBATI S. GERM. Parisien. ejúsque fratribus, tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Epist. 173. Quòd eos recipiat sub protectione apostolica, veteráque privilegia, non paucis additis, confirmet.

IN eminenti apostolicæ sedis specula ad hoc sumus licèt immeriti disponente Domino constituti, ut justas petitiones debeamus libenter admittere, & eis studeamus effectum utilem indulgere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus annuentes, monasterium beati Germani de pratis, in quo divino mancipati estis obsequio, quod propriè beati Petri juris existit, ad exemplar felicis memoriæ Paschalis, Innocentij, Lucij, Eugenij, Anastasij, Alexandri, Lucij, Vrbani, Clementis, & Celestini, prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. in primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio noscitur institutus &c. *usque ad verbum illud* observetur. Præterea quascunque possessiones &c. *usque ad illud* illibata permaneant. Per præsentis itaque privilegij paginam vobis vestrísque successoribus in perpetuum confirmamus ut quæcunque libertas, quæcunque dignitas, privilegio beati Germani, scriptis Childeberti, Clotharij, atque aliorum Regum Francorum vestro monasterio collata est, eidem permaneat illibata. Ad hæc, volentes te, dilecte fili Roberte Abbas, & monasterium tuum honoris & gratiæ privilegio decorare, ad instar dictorum prædecessorum nostrorum Alexandri & Celestini usum mitræ, & annuli, atque sandaliorum tibi & per te successoribus tuis de consueta sedis apostolicæ benignitate duximus indulgendum. Præcipimus autem ut chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, ordinationes, & quæcunque vobis ex pontificali sunt ministerio necessaria, à nullo catholico Episcopo vobis vestrisque successoribus denegentur. Sanè Missas, ordinationes, stationes, ab omni Episcopo vel clero Parisien. Ecclesiæ in eodem monasterio præter voluntatem Abbatis vel congregationis fieri prohibemus; nec habeant potestatem aliquid ibi imperandi; sed nec divina officia ipsis interdicere, nec excommunicare, nec ad synodum vocare, aut Abbatem aut monachos, Presbyteros, aut Clericos Ecclesiarum ipsius loci, tribuimus facultatem. Adicimus etiam ut in parochialibus Ecclesiis, quas extra Burgum beati Germani tenetis, Presbyteri per vos eligantur, & Episcopo præsententur, quibus, si idonei fuerint, Episcopus animarum curam committat, ut ei de plebis cura, de rebus verò temporalibus ad monasterium pertinentibus, vobis respondeant. quod si facere fortè noluerint, subtrahendi eis temporalia, quæ à vobis tenent, liberam habeatis auctoritate apostolica facultatem. Auctoritate etiã apostolica statuimus, & vobis de consueta clementia & benignitate sedis apostolicæ indulgemus, ut nullius legationi, nisi à latere Romani Pontificis specialiter fuerit delegatus, subjacere vel subesse amodo debeatis; nec alicui liceat obtentu legationis ab apostolica sibi sede

Vide can. IV. Cõcily Clarom. in Additione ad lib. 6. De Concordia Sacerd. & Imp. cap. 31.

indultæ vos vel successores vestros, seu monasterium vestrum, vel Ecclesias quæ infra Burgum beati Germani sunt, ulla interdicti vel excommunicationis sententia prægravare, vel super vos aut super dictas Ecclesias jurisdictionem aliquam exercere, nisi specialiter hoc fuerit à Romano Pontifice illi mandatum. Præterea compositionem quæ inter monasterium vestrum & bonæ memoriæ Guidonem quondam Senonen. Archiepiscopum super procurationibus quas à vobis in quibusdam villis petebat, rationabiliter intercessit, sicut providè ac sine pravitate facta est, & recepta, & hactenus observata, atque in instrumento exinde confecto plenariè continetur, ratam habentes, auctoritate apostolica duximus confirmandam. Ad majorem autem evidentiam compositionis ipsius rescriptum illud de verbo ad verbum huic privilegio duximus inserendum: cujus tenor talis est: IN NOMINE sanctæ & individuæ trinitatis. Guido Dei gratia Senonen. Archiepiscopus omnibus ad quos præsentes literæ pervenerint, in Domino salutem. Notum fieri volumus universis præsentibus pariter & futuris quòd discordia quæ erat inter nos & Fulconem Abbatem sancti Germani de Pratis & ipsam Ecclesiam, de procurationibus quas ab eis petebamus in Emãt, & Balneolo, & sancto Germano juxta Musteriolum, in præsentia Domini Philippi Francorum Regis ita terminata est. In hoc siquidem quitavimus Fulconi Abbati & Ecclesiæ sancti Germani in perpetuum procurationes quas in prædictis locis petebamus ab eis, tali modo quòd Abbas & successores sui nobis & successoribus nostris vel nostris certis nunciis pro procurationibus illis reddent singulis annis octo libras Parisien. apud Emant in octavis Paschæ. Et si nos vel successores nostri venerimus semel in anno ad Emant, vel Balneolum, vel ad villam quæ dicitur sanctus Germanus, Abbas & successores sui, aut ille qui domum tenebit, recipient nos & successores nostros, & vivemus ibi nos & successores nostri nocte una sumptibus nostris propriis: infra quod ille qui domum tenebit, non tenebitur aliquid dare nobis vel successoribus nostris, præter hospitium, nisi hoc de gratia facere voluerit. Et si nos vel successores nostri semel recepti fuerimus in uno prædictorum locorum, non tenebuntur monachi recipere nos sive successores nostros in aliquo illorum trium eodem anno. Nos autem fecimus quitari jamdictæ Ecclesiæ & Abbati medietatem decimæ lanæ à Presbyteris qui sunt in Ecclesiis sancti Germani per archiepiscopatum Senonen. constitutis, scilicet Emant, Balneolo, villa quæ dicitur sanctus Germanus juxta Musteriolum, Matriolis; & Presbyteri dictarum Ecclesiarum aliam medietatem ejusdem decimæ habebunt. Nuncij autem Abbatis sancti Germani facient fidelitatem Presbyteris qui in dictis Ecclesiis erunt, & Presbyteri per nuncios suos nunciis Abbatis, de dicta decima communiter & fideliter quærenda & inter se divideoda. Quod ne valeat alicujus oblivione deleri, vel malitiosè perverti, sigillo nostro fecimus id confirmari; astantibus Ecclesiæ nostræ Personis, Salomone Decano, Manasse Archidiacono, Wilielmo Thesaurario, Gaufrido Præcentore. Testes hujus rei sunt Stephanus Abbas sanctæ Genovefæ, & Canonici illius Hugo, Almaricus, Milo; Abbas sancti Remigij Senonensis, Magister Ansellus de Cancellaria, Ogerius de Avons. Actum apud Fontem Blaudi anno ab incarnatione Domini M C XCI.] Deinde prohibemus ut monasterij vestri monachos, ubicunque de mandato Abbatis habitaverint, nullus præter Rom. Pontificem vel Legatum ab ejus latere missum absque speciali mandato apostol. sedis, vel præter Abbatem, ad quem cura & custodia eorum pertinet, excommunicet, aut interdicat. Obeunte verò &c. *usque ad verbum illud* eligendum. Electus autem vel à Romano Pontifice vel à quo maluerit catholico Episcopo munus benedictionis accipiat. Sanè novalium &c. Apostolica insuper auctoritate vobis duximus indulgendum, ut infra parochias Ecclesiarum ad jamdictum monasterium pertinentium nullus oratorium, capellam, vel Ecclesiam ædificare, aut cœmeterium facere, sine diocesani Episcopi & vestro consensu audeat; nisi fortè Templarij vel Hospitalarij fuerint, quibus hoc apostolicæ sedis privilegiis indultum fuisse noscitur. Paci quoque & tranquillitati vestræ pontificali volentes provisione prospicere, præsenti privilegio duximus statuendum, ut si quis terras ad vos de jure spectantes, in quibus portionem habetis vel campos, donatio-

ne, aut venditione, seu quolibet alio alienationis titulo in aliam Ecclesiam vel religiosa loca transtulerit, Ecclesiis illis vel locis religiosis ultra annum & diem eas sine assensu vestro non liceat retinere; sed juxta consuetudinem Gallicanarum Ecclesiarum talibus personis precio seu dono concedant, quæ vobis & monasterio vestro jura vestra cum integritate persolvant. Decernimus ergo &c. salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, II. Idus Maij, Indictione prima, incarnationis Dominicæ Anno M C XCVIII. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno primo.

HUGONI ABBATI sancti Dionysij, ejúsque fratribus tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 174. Quòd eorum jura privilegiáque confirmet.

EFfectum justa postulantibus indulgere & vigor æquitatis & ordo postulat rationis; præsertim quando petentium voluntates & pietas adjuvat, & veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sancti Dionysij, quod specialiter beati Petri juris existit, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Zachariæ, Stephani, Leonis, Alexandri, Paschalis, Calixti, Innocentij, Eugenij, & Lucij, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam &c. *usque ad verbum* observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona &c. *usque ad verbum* permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, donationem præbendarum in Ecclesia sancti Pauli. In episcopatu Parisien. Ecclesiam sancti Leodegarij, Ecclesiam sancti Martini in strata, cellam beatæ Mariæ prope Corbolium, super fluvium Essonæ sitam, cum appendiciis suis, Eccle. de Trembleiaco, monasterium beatæ Mariæ de Argentolio, quod situm est super fluvium Sequanam, cum pertinentiis suis. In archiepiscopatu Rothomagen. Ecclesiam S. Petri de Calvomonte cum tribus capellis sibi adjacentibus, scilicet S. Mariæ, sancti Iohannis, & capella de Calloël. Ecclesias de Cergiaco, quæ nec synodum nec circatam persolvunt. Ecclesiam de Busiaco, Ecclesiam de Sagiaco, Ecclesiam de Cormellis, Ecclesiam de Caiz, Ecclesiam de Monte Gerulfi, Ecclesiam de Ablegiis, Ecclesiam de sancto Clato, Ecclesiam de Monte Genvoldi. In Normania verò Ecclesiam de Mo. Renniaco, Ecclesiam de Liliaco, Ecclesiam de Floriaco, Ecclesiam de Bernevalle, Ecclesiam de sancto Mattino, Ecclesiam de Fregellis. In episcopatu Carnoten. Ecclesiam de Trapis. Concessionem etiam patronatus Ecclesiæ beatæ Mariæ de Medonta cum omnibus possessionibus & appendiciis suis à carissimo in Christo filio nostro Philippo illustri Rege Francorum vobis providè factam, ita quòd decedentibus Canonicis ejusdem Ecclesiæ, loco eorum vestri monachi ordinentur, per quos gratiùs in eadem Ecclesia Deo servitium assiduè impendatur. In episcopatu Aurelianen. Ecclesiam de Toriaco, Campum manerij, villare Vendrous, villam Mevi, Fiens, Luins. Ad hæc, compositionem illam quam bonæ memoriæ Henr. quondam Sylvanecten. Episcopus super diversis querelis quæ inter vos & nobilem virum Wiliel. de Melloto, tam in tallus, quàm in corveis, & terris censualibus, & quibusdam aliis vertebantur, statuit observandam. Concessionem vobis & per vos monasterio vestro factam à bonæ memoriæ Guidone quondam Senonen. Archiepiscopo & ejus antecessoribus de Ecclesiis de Bella, de sancto Lupo, de Iosanvilla, de Ver, de Firiaco, de Grandipute, de sancto Audnëno. Præsentationem etiam Presbyterorum in eisdem Ecclesiis. Concessionem similiter vobis factam à bonæ memoriæ Rog. quondam Cameracen. Episcopo & ejus antecessoribus Gualchero, Odone, Nicolao, de Ecclesia de Furest, Altari de Solemio, Altari de Vernuilo, cum decimis & omnibus appendiciis eorum. Portionem cujusdam decimæ de Rw. Item compositionem quam jamdictus Sylvanecten. Episcopus super controversia quæ inter vos & Albertum de Monte-Omorio de quadam

viatura

viatura & quibusdam pravis consuetudinibus vertebatur, statuit observandam. Concessionem quoque cœnobio vestro factam à venerabili fratre nostro Philippo Belvacen. Episcopo, tam de personatu, quam de præsentatione in Ecclesiis sacerdotum, videlicet Ecclesiam sancti Martini de Colle, Ecclesiam de Asneriis, Ecclesiam de Villiaco, Ecclesiam de Ciris, Ecclesiam de Croi, Ecclesiam de Morentiaco, Ecclesiam de Masliers, Ecclesiam de Nosaico, Ecclesiam de Murno, & Ecclesiam de Buxorta In pago Meten. cellam novam cum omnibus appendiciis suis, videlicet Hulspere, Asminge, Emesingas, Ecclesiam de Fuscrepa, salinas, ac patellas salinarum apud Massaltien. In episcopatu Laudunen. Altare de Cadursa, Altare de sancto Gaberto, Altare de Pirolis, Altare de Seiriaco, cum capella sancti Dionysij quæ est apud Ribomontem. In Iusavalle, Altare de Sorbeis, Altare de Altrepia, Altare de Rosbes, Altare de Rocbeoiis, Altare de Serenis fontibus. Ex dono illustris memoriæ Ludovici quondam Regis Francorum, quicquid in villa de Trapis habebat, præter annualem hospitationem, quando ibidem jacuerit, & talliam, quam apud Gergiacum in Wlcasin. & apud Cormelias vobis donavit. Ex dono bonæ memoriæ Gaufredi Carnoten. Episcopi, Altaria de Monarvilla & de Tubrido. Ex dono Alvisij bonæ memoriæ quondam Atrebaten. Episcopi, Altare de Anechin. Ex dono illustris memoriæ Eduardi scilicet & Will. quondam Regum Angliæ, Deherstiam super fluvium Sabrinæ sitam, Tantoniam, Molam, cum appendiciis suis. Ad hæc, Comitatum Wlcassini, qui juris beati Dionysij est, quem illustris memoriæ Ludovicus quondam Rex Francorum per Sugerium quondam Abbatem sancti Dionysij in beneficium & feudum suscepisse cognoscitur, quoniam is possidet cujus nomine possidetur, tibi tuisque successoribus confirmamus. Vicariam quoque & omnimodam justitiam ac plenariam libertatem juxta villam sancti Dionysij, sicut subscriptis terminis destinguitur, à fluvio videlicet Sequanæ, à molendino quod vulgò appellatur Bajart, usque ad supremum caput villæ quæ vocatur Albervillare, quam præfatus Rex juris esse beati Dionysij recognoscens, eidem monasterio restituit, vobis nihilominus confirmamus.

Præterea omnimodam potestatem, omnémque justitiam, & universas consuetudines nundinarum jamdicti ipsius Regis liberalitate vobis concessas, ut perpetuis eas quietè obtineatis temporibus, confirmationis nostræ munimine roboramus. Ad hæc, refutationem pravæ consuetudinis quam Burcardus de Monte-Morentiaco in vineis vestri monasterij in Diogilo villa sitis habebat, & rotagici terræ suæ. Similiter compositionem initam inter monasterium vestrum & Ecclesiam sancti Exuperij Corbolien. in præsentia bonæ memoriæ Iohannis quondam Carnoten. Episcopi super integritate præbendæ ejusdem Ecclesiæ. Ad exemplar insuper felicis memoriæ Innocentij & Anastasij Roman. Pontificum prædecessorum nostrorum, compositionem super controversia, quæ quondam inter monasterium vestrum & monasterium sancti Michaëlis vertebatur, sicut in eorundem Romanorum Pontificum * plenariè continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Has siquidem compositiones omnes, seu refutationes, sicut absque pravitate factæ sunt, receptæ, & in scriptis autheoticis continentur, & etiam hactenus sunt servatæ, apostolico munimine roboramus. Sanè novalium vestrorum &c. Liceat quoque vobis Clericos &c. Prohibemus insuper &c. Discedentem verò &c. Auctoritate quoque apostolica prohibemus, ne aliquis Abbas monasterij ipsius terras, reditus ad ipsum spectantes, parentibus suis aut aliis, domos, vel etiam ea quæ de caducis proveniunt, aut ministeria domus; nisi illa tantùm quæ sunt servientium Clericorum, dare præsumat, nec pecuniam ultra centum libras sine assensu totius Capituli vel majoris & sanioris partis mutuò suscipere audeat. Nulli quoque monachorum quicquam sine consensu Abbatis ab aliquo mutuò recipere liceat. Is autem qui ministerium domus habuerit, ultra centum solidos mutuò non accipiat, præter Abbatis consensum. Statuimus etiam ut Abbas sigillum proprium habeat, sicut est de consuetudine hactenus observatum. In parochialibus autem Ecclesiis quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, & diocesano Episcopo præsentare; quibus, si idonei fuerint, Episcopus animarum curam committat; ut ei de spiritualibus, vobis autem de tempora-

* f. privilegiis

N

libus debeant reſpondere. Iuſtitias etiam aut officia laicorum, quæ bonæ memoriæ W. quondam Abbas ejuſdem monaſterij ad manus ſuas ab omnibus in burgo ſancti Dionyſij commorantibus legitimè revocavit, de cetero aliis aſſignari, regulares etiam conſuetudines à prædeceſſoribus veſtris & à vobis hactenus obſervatas aliqua levitate mutari, niſi de tua ſive tuorum fuerit providentia ſucceſſorum cum conſenſu Capituli vel majoris & ſanioris partis, auctoritate apoſtolica prohibemus. Novas præterea & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis, ſeu Decanis, vel aliis Eccleſiarum Prælatis omnino vobis fieri prohibemus. Chriſma verò, oleum ſanctum, conſecrationes Altarium, ſeu Baſilicarum, ordinationes Clericorum, ſeu monachorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, à quocunque malueritis ſuſcipiatis Epiſcopo; ſiquidem catholicus fuerit, & gratiam apoſtolicæ ſedis habuerit, & ea vobis gratis & abſque aliqua pravitate voluerit exhibere. Inhibemus inſuper ut infra fines parochialium Eccleſiarum veſtrarum nullus ſine dioceſani Epiſcopi & veſtro aſſenſu capellam vel oratorium ædificare præſumat. ſalvis privilegiis Romanæ Eccleſiæ. Miſſas ſanè publicas celebrari, aut ſtationes in eodem monaſterio, præter Abbatis voluntatem, fieri prohibemus. Sed nec interdicere, nec excommunicare, nec ad ſynodum vocare vel Abbatem, vel ipſius loci monachos, Epiſcopis aut Epiſcoporum miniſtris permittimus facultatem. Apoſtolica etiam auctoritate vobis duximus indulgendum, ut non niſi Legato à latere Romani Pontificis deſtinato, legationis obtentu teneamini reſpondere. Porrò tam tibi quàm tuis ſucceſſoribus licentiam indulgemus, in gravioribus negotiis ſedem apoſtolicam appellare, nec appellantes ante negotij finem læſio ulla contingat, quatenus auctore Deo in ſanctæ religionis ſtudiis quieti ac ſeduli permanere poſſitis. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit &c. Sepulturam verò &c. Libertates inſuper, dignitates &cet. Obeunte verò &c. *uſque ad verbum* eligendum. Electus autem, vel à Romano Pontifice, vel à quo maluerit catholico Epiſcopo munus benedictionis accipiat. Decernimus ergo &c. ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate, & in prædictis Eccleſiis dioceſanorum Epiſcoporum canonica juſtitia. Si qua igitur &c. Datum ut ſuprà &c. II. Idus Maij.

ABBATI ET CONVENTVI S. Dionyſij.

Epiſt. 175. Ne Beneficia nōdum vacantia, vel petātur, vel etiam conferantur.

EX parte veſtra fuit in audientia noſtra propoſitum quòd quidam Clerici, quorum vita & converſatio ignoratur, Eccleſias, præbendas, & beneficia nondum vacantia ſibi contra decretum Lateranen. Concilij conferri volentes, veſtrum monaſterium intendunt multipliciter aggravare. Nos igitur volentes eidem cœnobio veſtro ſuper his paterna in poſterum ſolicitudine providere, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut ſalva ſedis apoſtolicæ auctoritate, à talium impetitione maneatis penitus abſoluti. Nulli ergo &c. Datum ut ſuprà.

ABBATI ET CONVENTVI Ciſtercien.

Epiſt. 176. Vt pro le graviſſimis omnium Eccleſiarum negotiis occupato Deū orent.

DVm non ſolùm quid in Summo Pontifice, verùm etiam in quolibet Epiſcopo requiratur, advertimus, & gravitatem officij paſtoralis & præteriti temporis attendimus libertatem, & ferè prorsùs in inſufficientia noſtra deficimus, & in eo ſolo, cujus vices in terris gerimus, confidentes, de noſtris meritis non ſperamus. Quamvis enim variis ſimus negotiis occupati, utpote quibus omnium Eccleſiarum ſolicitudo ſemper incumbit, aliquando tamen in nos ipſos noſtræ conſiderationis aciem reflectentes, dum priorem ſtatum præſenti conferimus, & utrumque ad alterum rationis lance penſamus, ſervos ſervorum (prout in compendio ſalutationis literarum noſtrarum apponitur) nos eſſe agnoſcimus, qui non ſolùm de nobis, ſed de omnibus omnino fidelibus tenemur Deo reddere rationem. Cùmque ſuſcepti regiminis onus, quod eſt debilibus noſtris humeris importabile, cogitamus, illud propheticum poſſe nobis credimus coaptari: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Et utinā illud nobis coaptari non valeat: *Exaltatus autē humiliatus ſum, & confuſus:* ne fortè ſimus ex illis, de quibus inquit ſcriptura: *Deiecisti eos dum allevarentur.* Quem enim ſanæ mentis & intelligentiæ plenæ non terreat verbum illud Apoſtoli ad Timoth. in ſua loquentis

epiſtola: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſuæ domui bene præpoſitum.* Nam (ut difficultatem capitulorum ſequentium taceamus) quis ſe poterit irreprehenſibilem exhibere, cùm ſecundùm Iohannem Apoſtolum, *ſi dixerimus quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; cùm & de illo qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, dictum fuerit: *Ecce homo vorax, potator vini, publicanorum & peccatorum amicus*; & alibi ſeductor & habens dæmonium appellatus fuerit, & cum impiis deputatus; cùm etiamſi actus noſtros in obſervatione mandatorum ſuorum ille dirigeret, nec nos permitteret declinare ad dexteram vel ſiniſtram, à quo bona cuncta procedunt, refrænare tamen non poſſemus os iniqua loquentium, vel cavere nobis à labiis iniquis & lingua doloſa. Quia igitur non de noſtra virtute confidimus, ſed de univerſalis Eccleſiæ prece ſperamus; univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur attentiùs, quatenus præter communem orationem, quæ pro nobis fieri conſuevit, inſufficientiam noſtram veſtris orationibus ſpecialiùs adjuvetis, puras manus ſine diſceptatione levantes ad Deum de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, petentes ut quia non ſunt in homine viæ ejus, ipſe qui pro nobis factus eſt homo, dirigat greſſus noſtros in ſemitis ſuis, ut veſtigia noſtra nullatenus moveantur; ſed ipſe qui dat omnibus affluenter & non improperat, gratiam ſuam in nobis multiplicet, motus interiores deponens, & actus exteriores modificans; quatenus ea ſemper & meditemur interiùs, & exteriùs operemur, quæ ad laudem nominis ejus, ad ſalutem animæ noſtræ, nec non & profectum totius Eccleſiæ debeant provenire; nec nobis ſed ſibi det gloriam, qui eſt glorioſus in ſanctis; concedens nobis per ſuam miſericordiam ineffabilem, quòd ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus immo potiùs conſequamur æterna. Datum &c. XII. Kal. Iunij, Pont. noſtri anno primo.

Scriptum eſt autem ſuper hoc Abbati & Conventui Claræ vallenſi, Abbati & Conventui S. Victoris Pariſienſis, Abbati & Conventui Præmoſtratenſi.

ARDMACHAN. ARCHIEPISC.

Epiſt. 177. Vt poſt acceptã Epiſcopi Rathobotenſis reſignationem, electionem alterius cõfirmet.

**Leg. Ratphpoten ut patet ex Hoved. ad an. 1171.*

PEr alias literas tuæ fraternitati mandaſſe meminimus, ut venerabilem fratrem noſtrum * Rathoboten. Epiſcopum ad recipiendam curam ſuæ diœceſis, quam aliter quàm debuerat reſignarat, compelleres; & ſi forſan eam poſtmodum in tuis manibus auctoritate ſedis apoſtolicæ reſignaret, Eccleſiæ ipſi in perſonam faceres electione canonica provideri. Verùm ne perſonam dilecti filij fratris G. reprobaſſe forſitan videamur, ſi idem Epiſcopus reſumptam curam paſtoralis officij ſpontaneus voluerit in tuis manibus reſignare, & Clerici ejuſdem Eccleſiæ ipſum in Epiſcopum canonicè duxerint eligendum, confirmandi electionem ipſius & eum in Epiſcopum conſecrandi tibi licentiam non negamus. Datum Romæ &c. XV. Kal. Iunij.

P. PRESBYTERO CANONICO S. Michaelis majoris Papien.

Epiſt. 175. Quòd confirmetur ſententia lata per Cardinalem S. Mariæ in cauſa P. & Iacobi clerici Papiẽſis.

CVm tam tu quàm dilectus filius Iacobus Clericus Papien. pro controverſia Eccleſiæ ſancti Michaëlis præbendæ, quæ inter te & ipſum vertebatur, in noſtra eſſetis præſentia conſtituti, vobis dilectum filium P. ſanctæ Mariæ in via lata Diaconum Card conceſſimus auditorem: ante cujus præſentiam taliter fuit ex parte ipſius I. allegatum, quòd olim Streuva quondam Præpoſitus & Canonici dictæ Eccleſiæ de communi conſenſu & voluntate unanimi ſeptem Clericos in Canonicos elegerunt, inter quos ipſe in ſexto loco fuit ab eis nominatus canonicè & electus. Cùmque procedente tempore duo ex ipſis electis obiiſſent, & de Canonicis ipſius Eccleſiæ unus in Præpoſitum fuiſſet aſſumptus, & duo viam univerſæ carnis intraſſent, & primò vacatura præbenda deberet ipſi aſſignari, & ipſe Præpoſitus ad jam vacantem præbendam eum recipere recuſaret, ipſe cognoſcens quòd præbendam ipſam tibi conferre volebat, ne tua electio & receptio fieret, ſedem apoſtolicam appellavit, & curavit quantum potuit fortiùs inhibere, & ad Romanam accedens Eccleſiam, ad dilectos filios B. majoris Eccleſiæ & magiſtrum I. ſancti Romani Præpoſitos Papien. literas impetravit: qui cognito per teſtes idoneos & quoſdam Canonicos Eccleſiæ memoratæ de-

electione ipsius, stallum ei in choro & locum in Capitulo & refectorio assignarunt. Sed quia in literis apostolicis de præbenda, quæ jam tibi collata fuerat, mentio non fiebat, iterum ad apostolicam sedem accessit, & ad dilectum filium Abbatem sancti Petri in cœlo aureo & prædictum Præpositum sancti Romani literas reportavit, ut ipsi causam audirent, & eam appell. rem. fine canonico terminarent. Qui utriusque partis rationibus auditis, ac testibus quos ipse I. produxerat receptis, & attestationibus publicatis, pro eo sententiam promulgarunt; quam postulabat auctoritate apostolica confirmari. E contra verò tu taliter respondebas, quòd cùm felicis memoriæ Vrbanus Papa prædecessor noster duos vellet Clericos in præfata Ecclesia ordinare, ipsi ad mandatum apostolicum declinandum sex de nobilibus civitatis Papien. ad vacaturas præbendas, quæ non essent sacerdotales, in Clericos nominarunt. Postmodum verò quidam de fratribus ejusdem Ecclesiæ, consanguineus I. antedicti, Præpositum qui tunc erat & quosdam de fratribus rogavit attentè ut eum post dictos sex electos in Clericum nominarent: qui, pluribus de fratribus irrequisitis qui præsentes erant, *Fiat*, sicut dicitur, responderunt. pro quo dicebas ejus electionem aliquam non fuisse; quia quamplurium fratrum præsentium non fuit requisitus assensus, cùm electio consensum vel saltem requisitionem fratrum exigat singulorum. Dicebat etiam dilectus filius Præpositus tuus, in ejusdem Cardinalis præsentia constitutus, quòd à felicis recordationis Celestino Papa prædecessore nostro idem I. per falsam insinuationem & tacitam veritatem ad prædictos Præpositos Papien.* obtinuit, per quam se non esse cogendum præfato I. respondere in præsentia ipsorum judicum allegavit; quia pro eodem negocio specialem nuncium ante citationem ad sedem apostol. destinarat, & quoniam ipsi judices tam ipsam exceptionem, quàm alias, quas proponebat, admittere noluerunt, ipse sedem apostolicam appellavit: qui appellatione contempta ante litis contestationem pro ipso I. sententiam protulerunt: quam ideo non tenendam dicebat, quia post appellationes legitimè interpositas, & non servato fuit juris ordine promulgata. Post modicum autem temporis sæpedictus I. contra te, qui tam per Præpositum quàm Canonicos prædictæ Ecclesiæ vacantem præbendam canonicè fueras assecutus, literas ad prædictos Abbatem & Præpositum impetravit: quorum tu nolens judicium subintrare, quia unus eorum consanguineus erat I. antedicti, & alter super eadem causa tertiò judex fuerat delegatus, sedem apostolicam appellasti: qui, licèt morte prædecessoris nostri eorum jurisdictio expirasset, sententiam tamen contra te protulerunt; quam, sicut post appellationem à suspectis judicibus & mandato expirato irrationabiliter latam, auctoritate postulabas apostolica infirmari. Prædictus itaque Cardinalis, auditis hinc inde propositis & diligenter inspectis de mandato nostro, habito prudentum virorum consilio, cognoscens præfatam electionem contra Lateranen. Concilium celebratam, canonicam non fuisse, cùm in ea fratrum præsentium assensus non fuerit requisitus, & ideo si quid ex ea vel ob eam factum fuit aliquo modo vel secutum, nullius debebat existere firmitatis, eundem I. nihil juris in præbenda quam postulabat habere sententiando decrevit, & te & Ecclesiam prædictam ab impetitione ipsius occasione electionis prędictæ penitùs liberavit. Nos verò ejusdem Cardinalis sententiam approbantes, eam auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. ut suprà XV. Kalend. Iunij.

*commissionē.

ABBATI S. DIONYSII.

Epist. 179. De electionis fact. in Abbatem confirmatione apostolica.

Laudabilis vita in tuo degentium monasterio, quam ille à quo cuncta bona procedunt per morum consonantiam mirabiliter ordinavit, se nobis exhibet plurimùm in Domino commendandam; & ex eo quòd in ordinationibus Ecclesiæ tuæ cum maturitatis multæ consilio in voluntate unanimi fit processus, quem in factis suis exulans tanquam peregrina dissensio cordium non perturbat, vehementer inducimur ut eorum concordiæ noster concurrat assensus, & quæ rite aguntur favore apostolico prosequentes, apponendo manum nostræ confirmationis, eadem approbemus. Sanè per literas dilectorum filiorum Conventus ejusdem monasterij sancti Dionysij nobis innotuit

manifestè quòd in electione tua tanta concordia fuerit animorum, ut ab eo qui fidelium mentes unius efficit voluntatis, omnium vota in unum directa fuisse credantur. Vnde nos paci & tranquillitati Ecclesiæ tuæ plurimùm congaudentes in Domino, eorúmque petitioni clementiùs annuentes, ipsam electionem de te canonicè celebratam, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum &c. ut suprà, XII. Kalend. Iunij, Pont. nostri anno primo.

AGRIGENTIN. EPISCOPO.

Epist. 180. Quod ipsi liceat monasteria transferre ad loca tutiora.

IN his quæ pro religiosorum locorum reparatione requiris à nobis, & quæ postulas pro statu ecclesiastico conservando, tanto libentiùs assensum tibi apostolicum impertimur, quanto ad id ampliùs pastoralis officij debitum nos inducit. Significasti siquidem nobis quòd quædam monasteria in tua diocesi constituta, tempore seditionis inter Sarracenos & Christianos exortæ, depauperata, quædam negligentia Abbatum deserta, quædam verò omnino destructa fuerunt, quæ ad tutiora desideras loca transferre. Insuper in reditu tuo possessiones quasdam & decimas ad mensam Clericorum Agrigentinen. Ecclesiæ pertinentes invenisti alienatas ab ipsa, quas intendis ad usum ipsius de auctoritate sedis apost. revocare. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, fraternitati tuæ auctoritate apost. indulgemus ut monasteria ipsa cum dignitatibus suis ad loca tutiora cum consilio Metropolitani tui transferre, possessiones & decimas & alia tam mobilia quàm immobilia illicitè alienata à mensa Ecclesiæ, ad eam tibi liceat legitimè revocare. Nulli ergo &c. Datum &c. ut suprà, IV. Idus Maij.

ABBATI ET CONVENTVI Sancti Germani Antisiodoren.

Epist. 181. Indulgetur iis quòd sacrum chrisma & oleum atque consecrationes ab alio catholico Episcopo accipere liceat, si Antisiodorensis gratis impartiri nolit.

EX multiplicitate querelarum vestrarum, quas adversùs fratrem nostrum Antisiodor. Episcopum proposuistis à vobis audivimus, ipsum monasterio vestro usque adeo arbitramini infestum, ut per eum (sicut dicitis) sine difficultate non possitis pontificalia percipere sacramenta. Nos autem, quibus imminet universorum necessitati prospicere, volentes vobis ex ministerio suscepti regiminis providere, ne pro duritia ipsius Episcopi defectum in talibus incurratis, præsenti vobis scripto duximus indulgendum ut si memoratus Episcopus à vobis humiliter requisitus, chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, benedictionem Abbatis, & ordinationes monachorum qui fuerint ad ordines promovendi, gratis & sine pravitate vobis indulgere noluerit, vel malitiosè distulerit, liceat vobis alium, quem malueritis, catholicum adire Pontificem: qui auctoritate nostra fretus, vobis, quod postulatur, indulgeat. Indulgemus etiam vobis, ut si quando homines monasterij vestri vinculo tenentur excommunicationis astricti, pro eorum absolutione præfatus Episcopus vel quilibet alius potestatem non habeat pecuniam extorquendi. Et si in eos, quia propter hoc pecuniam non exsolvunt, ecclesiastica fuerit sententia promulgata, eam decernimus auctoritate apostolica non tenere. Nulli ergo &c. Datum &c. ut suprà, XVII. Kalend. Iunij.

LINGONEN. EPISCOPO.

Epist. 182. Quod controversiam inter ipsum & suum Capitulum exortam gravaté audierit, & utrique parti certum agendi terminum præfigit.

LIcèt juxta testimonium veritatis necesse sit ut veniant scandala, quia tamen secundùm idem *Væ homini illi per quem scandalum venit*, dolemus non modicùm, cùm inter viros ecclesiasticos, qui pacem evangelizare tenentur, seditionis alicujus materia pullulat, litigiosorum incentiva subcrescunt, cùm in Ecclesiæ corpore omnia debeant in vinculo pacis & unitate tractari. Quamvis autem super quorumlibet ecclesiasticorum virorum discordia plurimùm doleamus, majori tamen dolore concutimur, cùm vel pater in filios, vel filij seditionem suscitant in parentem, & illos discordia dividit quibus ad unius Ecclesiæ obsequium deputatis deberet esse cor unum & anima una. Sanè cùm tu Lingonen. Ecclesiæ caput existas, dilecti autem filij Decanus & Canonici Lingonen. sint membra ipsius ac tua, tanto vos vellemus adinvicem caritatis vinculo counirí, ut vicissim vestra onera portaretis, & tu membris dolentibus condoleres, & ipsi suis tibi vicibus in unitate spiritus deservirent. Verùm (sicut accepimus) inimico homine superseminante zizania, tanta inter vos discordia est suborta, ut dictis Canonicis te coram venerabili fra-

tre nostro Lugdunen. Archiepiscopo super dilapidatione & insufficientia in causam trahentibus, tn apost. sedis audientiam appellaris, festum beati Lucæ proximò futurum terminum appellationi prosequendæ præfigens; quem iidem Canonici ad Dominicam qua cantatur *Iubilate Deo* proximò præteritam, sicut eorum continebant literæ, coarctarunt. Nos igitur utrique partium deferre volentes, ne sub intemperie aëris & caloris distemperantia cogamini ad sedem apostolicam laborare, fraternitati tuæ sub peremptorio per apostolica scripta mandamus, quatenus hinc ad festum beati Michaëlis proximò futurum apostolico te conspectui repræsentes, Canonicorum responsurus objectis, & propositurus si quid proponere volueris contra ipsos; nisi forsan interim inter vos pacis possint fœdera reformari. Scias autem nos partem adversam ad eundem terminum citavisse; ita ut illi quorum nomina per tuas nobis literas expressisti, personaliter ad nos accedant, his quæ proposueris responsuri. Ad hæc, tibi fortiùs inhibemus, ne occasione hujus discordiæ bona Ecclesiæ tuæ dilapidare præsumas. Datum ut suprà.

ATREBATEN. ET SYLVANECT. Episcopis.

Epist. 183.

PIa patrum prædecessorúmque nostrorum solicitudo. *Require superiùs epistolà* CLXXII. *Et sicut scriptum est pro Ecclesia S. Germani de Pratis, ita scriptum est pro monasterio sancti Dionysii in Parisiensi diœcesi constituto.*

ABBATI ET CONVENTVI sancti Germani Antisiodoren.

Epist. 184. Quòd excommunicatio Episcopi Antisiodorensis injusta, & contra juris ordinem inflicta, non obliget. *Vide Gesta Abbatum S. Germ. Antis. c. 23.*

GRavis ex parte vestra fuit in auditorio nostro querela proposita, quòd venerabilis frater noster Antisiodoren. Episcopus & Presbyteri ejusdem diocesis homines vestros absque manifesta & rationabili causa, non servato juris ordine, excommunicationi subjiciunt pro suæ arbitrio voluntatis. Volentes igitur gravamini vestro paterna solicitudine providere, si prædictus Episcopus & Presbyteri in homines vestros excommunicationis sententiam absque manifesta & rationabili causa, & juris ordine non servato, duxerint promulgandam, eam decrevimus non tenere, & vos auctoritate apostolica divina eis officia celebretis. Nulli ergo &c. Datum &c. ut suprà, XVII. Kalend. Iunij.

EISDEM.

Epist. 185. Quòd liceat Archiepiscopum Senonensem pro justitia adire, si Antisiodorensis eam administrare negligat.

CVm venerabilis frater noster Antisiodoren. Episcopus usque adeo (sicut dicitis) sit vobis infestus, ut de parochianis suis malefactoribus vestris per eum justitiam non possitis habere, nobis imminet providendum, ne pro defectu juris monasterium vestrum violentiis pateat & incursibus malignorum. Eapropter, dilecti filij, præsentibus vobis literis indulgemus, ut ad venerabilem fratrem nostrum Senonen. Archiepiscopum pro coërcendis ipsis malefactoribus vestris recursum habere possitis, qui defectum ipsius Episcopi de auctoritate nostra debeat in hac parte supplere. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

EPISC. ET DECAN. MATISCON.

Epist. 186. Eis committitur causa Ecclesiæ Eduensis & cœnobij Balmensis.

EXposita nobis Eduen. Ecclesiæ petitio continebat, quòd cùm olim felicis recordationis Celestino Papæ prædecessori nostro deposuissent de Balmen. monachis quæstionem, de terris & Ecclesiis in valle Polliniaci constitutis, & idem prædecessor noster causam ipsam venerabili fratri Cabilonen. Episcopo & dilecto filio Abbati de Firmitate commisisset fine debito terminandam, à præfatis tandem monachis fuit ab eisdem judicibus appellatum. Ille verò qui Abbas ipsius monasterij dicebatur, ad prosequendam appellationem accedens, semel se tantùm apostolico conspectui præsentavit, & de appellatione facta mentionem faciens, illicentiatus recessit. Cùmque nuncius Eduen. Ecclesiæ ad appellationem prosequendam ad sedem apostolicam destinatus apud eam fuisset longo tempore commoratus, idem prædecessor noster peremptoriè citavit monachos antedictos, eis sub excommunicationis pœna præcipiens ut ille qui se gerebat Abbatem, cum aliquibus ipsius monasterij monachis in festo beati Lucæ proximè præterito ab ejus præsentiam sufficienter instructi accederent, ut Eduen. Ecclesiæ plenariè responderent, & satisfacerent Romanæ Ecclesiæ de contemptu. Ipsi verò licèt juxta formam mandati apostolici non venissent, quidam tamen monachorum ad Romanam Ecclesiam accesserunt, quos nuncius præfatæ Eduen. Ecclesiæ invenit

apud sedem apostolicam commorantes, qui de suo negocio diffidentes, ante causæ discussionem, ut magis aggravarent Eduen. Ecclesiam, recesserunt, & ad venerabilem fratrem nostrum Bellic. Episcopum & dilectum filium Abbatem de Balerna & Priorem Boniloci per subreptionem; præfato nuncio Eduen. Ecclesiæ ignorante, literas (ut dicitur) reportarunt. Postmodum verò cùm præfato nuncio Eduen. Ecclesiæ se quidam Balnien. monachus opposuisset; eis dilectos filios I. tt. sancti Stephani in cælio monte Presbyterum & G. sancti Adriani Diaconum Cardinales concessimus auditores. In quorum præsentia cùm aliquandiu litigassent, & sua scripta eisdem Cardinalibus tradidissent, monachus ipse illicentiatus recessit, & noluit sententiam expectare. Cùm igitur cuique simus in sua justitia debitores, & nolimus aliquem de fraude sua commodum reportare; discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus convocatis ad vestram præsentiam partibus, si vobis constiterit Eduen. Ecclesiam à præfatis monachis prædictis terris & Ecclesiis præter juris ordinem spoliatam, vos ei auctoritate nostra prędictas terras & Ecclesias cum fructibus inde perceptis, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, resignetis; prædictis literis nequaquam obstantibus, quas etiam morte præfati prædecessoris nostri credimus expirasse. Post restitutionem verò integram ablatorum & expensarum quas Canonici Eduen. Ecclesiæ in appellatione monachorum prosequenda, quam ipsi monachi prosequi non curarunt, se rationabiliter fecisse probabunt, audiatis si quid emerserit quæstionis, & illud sine debito appellatione postposita terminetis Quòd si ambo &c. tu frater Episcope &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Idibus Maij, Pontificatus nostri anno primo.

CAPITVLO MEDIOLANENSI.

Epist. 187. Vt præbendam & domum Episcopo Terdonensi suo collegæ restituant.

SYnceritatem eorum qui ferventiores in Ecclesiæ devotione persistunt, Ecclesia Romana amphori benignitate consuevit amplecti, & juxta meritorum suorum prærogativam eis debiti honoris gratiam impertiri. Insinuavit siquidem nobis venerabilis frater noster O. Episcopus Terdonen. quòd cùm bonæ memoriæ Celestinus prædecessor noster eidem per apostolicam indulgentiam concessisset ut beneficia quæ habebat quando fuit ad officium pontificale vocatus, ei liceret usque ad triennium possidere, & auctoritate illius indulgentiæ præbendam quam in Ecclesia vestra fuerat assecutus, integrè possedisset, ita quòd in electione Archiepiscopi vestri sicut unus Canonicorum vocem habuit, & in venditionibus aliisque negociis Mediolanen. Ecclesiæ, ipsius tanquam Canonici fuit requisitus assensus, & in instrumentis etiam manum subscriptionis apposuit; vos, super quo de prudentia vestra miramur, post appellationem ab ipso Episcopo ad nos interpositam, ex quo etiam iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi, non expectantes terminum in ipsa indulgentia præfinitum, cùm ipse (sicut asserit) non renunciaverit indulgentiæ, in contemptum Ecclesiæ Romane præsumpsistis de ipsa præbenda in ejus præjudicium ordinare, & eam cuidam Clerico assignastis, ac domum ejus non estis veriti occupare. Nos ergo (si verum est quod asseritur) revocantes in irritum quicquid per vos contra formam præscriptæ indulgentiæ in præjudicium ejus nóscitur attentatum, vobis per præsentia scripta mandamus atque præcipimus quatenus tam præbendam quàm domum ei restituere minimè differatis, & antequam præscriptus terminus compleatur, cùm interim non intelligatur vacare præbenda, super ipsa nullum ei gravamen vel molestiam irrogetis; sed enm plena & quieta permittatis illius possessione gaudere. Alioquin noveritis nos venerabili fratri nostro Vercellen. Episcopo dedidisse firmiter in mandatis ut ipse auctoritate nostra sine appellationis obstaculo quæ præmisimus exequatur. Datum &c. VIII. Kalend. Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

Iunge caput Cùm pro. De concess. præb. in Tertia Collectione.

Illi scriptum est super hoc.

ARCHIEPISCOPO SENONEN.

Epist. 188. Vt cogat Episcopum Eduensem cum Abbate Flaviniac. initam concordiam observare.

CVm olim dilectus fil. G. Abbas Flaviniacen. pro injuriis & gravaminibus quæ ipsi ven. fra. noster Episcopus Eduen. intulerat, ad sedem apostolicam accessisset, & ibidem non sine dispendio, si fortè aliquis adversarius appareret, diutiùs expectasset, tandem nuncij ejus post moram diutinam advenerunt: qui

cùm parati fuissent adinvicem litigare, facta compromissione hinc inde legitima in venerabilem fratrem nostrum O. Ostien. episcopum convenerunt, eodem post multam deliberationem arbitrij sententiam proferente, quam ipse Episcopus in scriptum de utriusque partis assensu redegit, pœna hinc inde statuta, si quis ab arbitrio resiliret, sicut in scripto authentico ejusdem Episcopi continetur. Inde est quòd eidem Episcopo Eduensi mandamus ut sententiam illam arbitrij absque refragatione qualibet studeat observare. Si enim contra eam (quod non credimus) temerè ipsum venire contingeret, nullatenus dissimulare possemus quin eum ad observationem illius, vel ad solutionem pœnæ statutæ, prævia ratione cogeremus invitum. Vnde fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus diligenter inquiras utrum prædictum arbitrium à partibus observetur, & per quam & ex qua causa stare cognoveris quominus ipsum observetur arbitrium, & secundùm formam ipsius fiat restitutio ablatorum, nobis non differas intimare; atque in irritum appellatione postposita revocans si quid in præjudicium ipsius Abbatis vel Ecclesiæ suæ post iter ad sedem apostolicam arreptum, & post appellationem ad sedem apostol. interpositam, temerè inveneris attentatum, non permittas ipsos indebitè molestari. Verùm quia antequam idem Abbas iter arripuisset ad sedem apostolicam veniendi, tam eum quàm obedientes ei excommunicasse prædictus Eduen. Episcopus dicebatur, & terram ejus supposuisse sententiæ interdicti, licèt eædem sententiæ latæ minùs legitimè viderentur, cùm ipse Abbas priùs ad sedem apost. (ut asserit) appellasset, per dictum tamen Ostien. Episcopum; ad majorem cautelam, munus ei fecimus absolutionis impendi. Datum Romæ &c. XI. Kalend. Iunij.

Scriptum est autem Eduen. Episcopo ut ipsam sententiam arbitrij absque refragatione qualibet studeat observare.

HVGONI ABBATI *Virziliacen. Ecclesiæ.*

CVm status Ecclesiarum & rigor monasticæ ac canonicæ disciplinæ ex majori parte pendeat ex prælatis, utpote qui probitatis vel pravitatis exemplo vel informant subditos, vel corrumpunt, cùm aliquis ad officium prælationis assumitur, per quem committenda ei Ecclesia in spiritualibus possit & temporalibus suscipere incrementum, gaudemus plurimùm, & electioni canonicæ apostolicum libenter impertimur assensum. Significarunt siquidem dilecti filij Prior & Conventus Virziliacen. per literas suas, & iidem dilecti filij, monachi, & nuncij eorum sua nobis relatione monstrarunt, quòd G. quondam ipsorum Abbate viam universæ carnis ingresso, volentes suæ Ecclesiæ filiali solicitudine providere, in te vota sua unanimiter contulerunt, patrem te sibi & fratribus suscitantes, qui eis utiliùs & meliùs præsis & prosis, cùm te non aliunde vocatum, sed de ipsis eisdem unanimi cognoveris electione assumptum. Circa commendationem quoque personæ plurimùm institerunt, asserentes per eosdem nuncios & literas quòd talis existas qui & temporalia utiliter dispensare noveris, & spiritualia laudabiliter ministrare, & per quem possint proficere vita pariter & doctrina. Præterea venerabilis frater noster Senonen. Archiepiscopus per literas suas & electioni canonicæ testimonium perhibuit, & personam idoneam esse asseruit ad officium abbatiæ. Nos igitur super forma electionis nunciis & literis ipsorum, super idoneitate verò personæ fidem dicto Archiepiscopo adhibentes, quem credimus nihil nobis contra conscientiam suggesturum, quod ab ipsis canonicè factum est auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Hortamur autem ut in eo confidens qui aperit ora mutorum, & linguas infantium facit disertas, solicitudinem, ad quam ipsius es providentia evocatus, assumens, talem te subjectis exhibeas, ut te non tam prælatum quàm patrem experiantur, & sic se in bonis à te foveri congaudeant quòd circa correctionem excedentium rigorem in te vigere sentiant monasticæ disciplinæ. Datum ut suprà.

Epist. 189. Confirmat electionem ipsius, hortaturque ut magno & forti animo tantum opus aggrediatur.

ARCHIE-

ARCHIEPISCOPO & Archidiac. Senonen.

Epist. 190. Clericos, qui casu puerum occiderat, absolvimus.

EXposuit nobis dilectus filius M. Presbyter de Stabulis, quòd cùm olim invitatus à quibusdam pueris, de manu unius eorum arcum receperit & sagittam, & eam dirigere voluerit in arborem quæ obstabat, manu errante sagitta eadem discurrens per aërem, puerum quendam valde distantem modicum vulneravit in capite; propter quod idem puer creditur postmodum expirasse. Quod cùm idem Presbyter bonæ memoriæ G. prædecessori tuo, frater Archiepiscope, sponte curasset humiliter confiteri, ipse pœnitentiam & contritionem ipsius attendens, super beneficio Ecclesiæ de Stabulis, quam in archidiaconatu tuo fili Archidiacone adeptus fuerat, misericorditer dispensavit, ut ipsum, quoad viveret, possideret; mandans eidem ut ad sedem apostolicam accederet, mandatis super officio apostolicis pariturus. Quia verò in hoc non ex voluntate, sicut asserit, sed casu deliquit, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si verum est quod asserit, factam cum eo misericordiam attendentes, quod à dicto Archiepiscopo factum est ratum habentes & firmum, eum super beneficio prædicto propter hoc nullatenus molestetis, aut patiamini ab aliis molestari. Datum &c.

cum valeas reducere moderamen. Clericos verò Ecclesiæ tuæ, quos necessitas postulaverit ad sacros ordines promoveri, secundùm privilegium M. prædecessori tuo & successoribus tuis à felicis record. Alexandro Papa prædecessore nostro indultum, liceat tibi, si idonei fuerint, nec de canonica poterint institutione repelli, ad eosdem ordines suscipiendos secundùm canonum instituta compellere, vel si inobedientes fuerint, animadversionis ecclesiasticæ sententia cogere; nisi contra hoc alicui fuerit sedis apostolicæ auctoritate indultum ut ad suscipiendos ordines non cogatur. Et quia Trecen. Ecclesia tuæ provisioni commissa, tuo debet moderamine gubernari, nec ullus in messem tibi creditam falcem debet ausu temerario mittere, præsentium auctoritate statuimus ut nulli subditorum tuorum liceat, post appellationem ad te rationabiliter factam, parochianos tuos excommunicatione percellere, vel commissas tibi Ecclesias supponere interdicto. Quod si præsumptum fuerit, sententiam decernimus non tenere; & si non præcedente appellatione sententia talis ab aliquo subditorum tuorum fuerit irrationabiliter promulgata, sententiam talem valeas, prout justum fuerit, relaxare. Nullis literis institutioni canonicæ præjudicium facientibus à sede apostolica impetratis. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

TRECEN. EPISCOPO.

Epist. 191. Ut plura beneficia habentes, resignare cogantur, & quòd Clericos suos, quando publica salus postulat, ad majores ordines suscipiendos compellere queat.

INjuncti nobis officij ratione compellimur, & caritatis debito provocamur, fratribus & coëpiscopis nostris in suis justis petitionibus favorem apostolicum impertiri: ut qui specialiter in partem nostræ solicitudinis sunt vocati, tanto commissum sibi officium liberiùs exequantur, quanto se & jura sua majori viderint sedis apostolicæ benignitate juvari. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus benigno concurrentes assensu, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Lucij & Clementis Romanorum Pontificum auctoritate tibi præsentium indulgemus ut Clericos tuæ dioecesis, qui contra statuta Lateranen. Concilij pravæ cupiditatis ardore plures Ecclesias vel ecclesiastica beneficia detinere contendunt, cùm de proventibus unius ipsi congrue valeant sustentari, ad canoni-

SENONEN. ARCHIEPISCOPO & Trecen. Episcopo.

Epist. 192. Ne quid in proprium commodum & successorum detrimentum Canonici constituant.

CUm omnes unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra, non debent majores minoribus aut seniores junioribus invidere, sed omnes qui in una Ecclesia uni Domino famulantur, pari gaudeant libertate; cùm pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile sit apud Deum, & evangelicus paterfamilias pari mercede primos vineæ suæ operarios remuneraverit & extremos. Verùm ad audientiam apostolatus nostri pervenit quòd dilecti filij Trecen. Canonici, proprijs inhiantes commodis, & aliorum profectibus invidentes, novum fecerunt in Trecen. Ecclesia constitutum, ut eis tam in præsentia suâ quàm absentia redditus suos ex integro percepturis, qui in eadem Ecclesia post illam institutionem fuerunt vel de cetero fue-

rint instituti, redditus ex ea in absentia non perciperent, sed tunc solùm cùm in ea fuerint residentes, cùm secundùm Trecen. Ecclesiæ consuetudines omnes in hoc consueverint esse pares. Statuerunt etiam ut cùm singulis præbendis annexæ sint vineæ, ipsis suas, dum vixerint, possidentibus, vineæ decedentium ad successores non transeant, sed proventus earum inter singulos dividantur. Cùm igitur quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eodem; & sapientis dicat auctoritas, *Patere legem quam tuleris*, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus antiquos Canonicos junioribus & juniores in perceptione fructuum tam præbendarum quàm vinearum coæquetis antiquis, secundùm priorem consuetudinem usque ad tempus prædictæ institutionis servatam, vel secundùm rationabilem institutionem deinceps observandam, illos per districtionem eccle. percellentes, si qui duxerint renitendum. Nullis literis &c. harum tenore &c. Quòd si ambo &c. alter vestrum &c. Datum &c.

TRECEN. EPISCOPO.

Epist. 193. Initæ concordiæ confirmatio apostolica.

IVstis petentium &c. *usque ad verbum* assensu. Compositionem super abbatia Belliloci quoad vixeris ordinanda, inter te ex una parte & dilectos filios Alesmum Abbatem Calmontensem, Robertum & Gervasium Canonicos Præmonstraten. nomine Abbatis & totius Conventus Præmonstraten. apud Ecclesiam Romanam agentes ex altera, per dilectum filium S. tt. sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem de mandato apostolico celebratam, sicut sine pravitate qualiber facta est, & ab utraque parte recepta, & in ejusdem Cardinalis authentico plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

XANCTONEN. EPISCOPO.

Epist. 194. Ut Prior de Prato dilapidator deponatur.

INter ea per quæ status Ecclesiæ vacillat, sæpius est causa potior incuria, seu perniciosa negligentia Prælatorum. Nam cùm fortè caput est languidum, est necesse quòd membra langueant: & infecta morbi contagia nec fomentum medendis capiunt, nec pristinæ possunt de facili restitui sanitati. Sanè dilecti filij pauperes Canonici de Prato apostolatui nostro significare curarunt, quòd cùm Petrus nunc Prior ipsorum olim in Grandimonten. Ecclesia sub religionis habitu per annos plurimos permansisset, arctam tandem devitans regulam, ad ollas carnium redire voluit, & oblitus voti quod fecerat, ad Canonicos se transtulit regulares, & in ipsa Ecclesia de Prato voluit eligi in Priorem. Cùmque domus sibi dominium commissum jam esset à fratribus, debacchatur in gregem subditum, nec illorum bona distrahere pertimescit, sed solus fugiens fratrum mensam atque collegium, ab illorum quidem consortio se reddit sæpius alienum. Unde quisque passim ad libitum impune potest excedere, & sic perit honestas ordinis, per quam locus olim floruerat, & vilescit quod earum omnibus religionis hospitalitatisque gratia præpollebat. Adjecerunt insuper quòd cùm domus bona deficerent, plures ibidem canonicare præsumpsit. Laicos etiam contra approbatam Ecclesiæ consuetudinem multos intrudere non expavit; sed quod ab eis fuerat elargitum non transfundit in usus fratrum egentium, sed malè acquisita juxta motum propriæ voluntatis expendit. Nolentes igitur ut arbor sterilis occupatam diutiùs terram detineat, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus de veritate prædictorum inquirere non postponas; & si rem noveris ita esse, ipsum ab administratione Prioratus amoveas, & prædictis Canonicis eligendi personam idoneam auctoritate nostra liberam tribuas facultatem, dictúmque Priorem, ut ad claustrum prædictum redeat, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellas; & cùm antiqua sit ipsius Ecclesiæ consuetudo, & approbata, ut in singulis officiis singulæ personæ ponantur, quæ ordinanda videris auctoritate nostra disponas. Nullis literis veritati & justitiæ præ. &c. Datum ut suprà, 11. Idus Maij &c.

XANCTONEN. ET MAG. P. Petragoricen. Archidiac.

Epist. 195. Ejusdem ferè argumenti.

INter ea *ut suprà usque ad verbum* sanitati. Insinuantibus siquidem nobis dil. filiis monachis de Brantomo nostro fuit apostolatui declaratum, quòd cùm Abbati suo domus dominium &c. *usque*

ad verbum facultatem; *excepto quòd ubi superiùs dictum est* canonicare, *hic dicitur* sine fratrum assensu monachare; & cùm antiqua sit ipsius Ecclesiæ &c. *usque in finem ut suprà.* Nullis literis &c. *ut suprà.* Datum &c. v i. Kalend. Iunij.

ABBATI ET FRATRIBVS *Præmonstratensibus.*

Epist. 196. Vt disciplina monastica observetur, & quòd Pontifex eam non velit turbare.

VSque adeo nos & prædecessores nostros flagrans religionis vestræ fama respexit, ut odore syncerae opinionis vestræ in Domino delectati, super his quæ à vobis in communi Abbatum vestri ordinis Capitulo statuuntur, nisi vel honori nostro vel justitiæ apertiùs obviaret, nullatenus dubitemus quin ad ea secundùm Deum & statuta vestra rectè ac rationabiliter procedatis. Sanè cùm prædecessores nostri Romani Pontifices ordini vestro privilegium indulserint speciale & speciali semper gratia vos fuerint prosecuti, in his quę ad correctionem fratrum vestrorum pertinent vos non intendimus aggravare quominus in delinquentes exerceatis liberè canonicam disciplinam. Præsentatæ siquidem nobis fuerunt ex parte vestra hinc literę, à sede apostolica diversis temporibus impetratæ: in quarum primis bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster sententiam quam in Balduinum & Hugonem ejus socium tuleratis ratam habens & volens inviolabiliter observari, vobis mandabat ut neutrum eorum admitteretis ad consortium vestrum, præter mandatum sedis apostolicæ speciale; nisi forsan in tantum ad vos in eorde contrito & spiritu humiliato accederent, quòd eorum postulatio vobis videretur misericorditer admittenda. In aliis verò universitati vestræ mandavit ut memoratum Balduinum, nulla facta mentione de ordinis disciplina, in vestrum consortium admittere nullatenus differretis. Quia verò (sicut vestræ literæ continebant) in ejectione prædictorum B. & H. & fautorum eorum exulavit à vobis scandalum, & pax inter vos & concordia plena regnavit; ne ex receptione talium concordia vestra turbetur, quid de his vel aliis quos secundùm statuta vestri ordinis à vestro consortio amovistis, vel duxeritis in posterum amovendos, statuendum fuerit, vestræ discretioni relinquimus; ne per nos rigor vestri ordinis enervetur. Ad hæc, vobis auctoritate apostolica indulgemus, ut si pro receptione alicujus, qui à vobis ejectus fuerit, literas vobis apostolicas duxerimus destinandas, eum nullatenus recipere teneamini, nisi literis nostris expressum fuerit, salva ordinis disciplina. Datum &c. ut suprà, v. Idus Maij.

P. ABBATI PRÆMONSTRAT. *& ejusdem ordinis Abbatibus.*

Epist. 197. Confirmatur constitutio, quòd Præmonstratenses non debeant uti mitra & chirothecis.

QVæ in favorem religionis ad subtrahendam dissolutionis materiam sunt providè instituta, firma debent & illibata servari, & ne infringi valeant, apostolico præsidio communiri. Significasti siquidem nobis quòd communi consilio Abbatum vestri ordinis statuistis quòd nullus Abbatum vestrorum mitra vel chirothecis utatur, ne forsan ex ipsis supercilium elationis assumat, aut sibi videatur sublimis, cùm his uti se viderit quæ Pontificibus & majoribus Ecclesiarum Prælatis à sede apostolica sunt concessa. Nos igitur institutionem ipsam, sicut à vobis providè facta est & recepta, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus; statuentes ut si qua forsan Ecclesia laxioris ordinis vestram voluerit regulam profiteri, hujusmodi pontificalibus, etiamsi ea priùs habuerit, ulteriùs non utatur, immo potiùs humilitatem servet, & in ea statuta vestri ordinis imitetur. Præsenti quoque institutioni adjicimus quòd nullus fratrum vestrorum ad apostolicam sedem accedens, vel recedens ab ipsa, vel aliàs, incedat in habitu seculari, nisi evidens hoc necessitas postularit. Inhibemus præterea ne quis contra statuta generalis Capituli, sive in habitu, sive in uniformitate officij, seu etiam in temporalibus, temerè venire præsumat. quòd si quis præsumpserit, regulariter puniatur. Nec aliquis assumat honorem, ad quem fuerit forsan electus, sine licentia vel præcepto illius cui obedire tenetur, nisi fortè ipse sibi eam malitiosè præsumpserit denegare, ut tandem pro licentia obtinenda majori liceat supplicari. Nulli ergo &c. Datum &c. i v. Idus Maij.

P. ABBATI PRÆMONSTRAT. *& ceteris ejusdem ordinis Abbatibus.*

Epist. 198. Confirmatur constitutio quòd Præmonstratenses con-

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* effectu. Significastis siquidem nobis quòd ad implendum illud apostolicum *Ab omni specie mala abstinete*

versas recipere non teneantur, nec bona sua alienare possint.

vos, ad reprimendum os loquentium iniqua, qui detractionibus gloriantur, & opinionem justorum nitunrur mulripliciter infamare, olim in communi Capitulo statuistis, & postmodum sub interminatione gravis pœnæ sæpius innovastis, ur nullam de cetero in sororem recipere teneamini, vel conversam, præsertim cùm ex hoc aliquando incommoda fueritis multa perpessi. Nos igitur institutionem ipsam, sicut de communi consilio Abbatum ad commune Capitulum convenientium providè facta fuit, auctoritate apostolica confirmamus, & præsenris scripri pagina communimus. Ad hæc adjicimus, ne aliquis Abbas vel Conventus possessiones Ecclesiarum vestri ordinis præter assensum generalis Capituli vendere audeat, vel sine patris Abbatis licentia commutare. Nulli ergo &c. Datum &c. III. Idus Maij.

DECANO, CANTORI, & magistro P. Canonico. Remen.

Epist. 199. Vt ablatum contumeliosè equum Abbati restitui curent.

SIgnificarunt nobis dilecti filij Abbas & fratres Præmonstraren. quòd cùm dilectus filius Hugo de Petraponre Archidiaconus Laudun. in promotione ipsius Abbatis palefridum ab eo obtenru cujusdam pravæ consuetudinis exegisset, quia super hoc ei acquiescere recusavit, conversum quendam ipsius de equitarura, cui insedebat, deponere, & eam secum abducere per violenriam non expavit. Vnde nos eidem Archidiacono per literas nostras mandavimus ut similia de cetero non præsumat, immo de hoc ipso eidem Abbati satisfactionem exhibeat competentem. Ideóque discrerioni vestræ per apostolica scripta mandamus quarenus, si dictus Archidiaconus ea quæ præmissa sunt adimplere noluerit, tam eum quàm alios, qui pro benedicendis, installandis, vel deducendis ad sedem tam Abbatibus quàm aliis ecclesiasticis personis palefridum vel aliud exigere vel extorquere præsumpserint in posterum vel hactenus præsumpserunt, nisi ad commonitionem vestram à sua præsumptione destiterint, & de perceptis taliter satisfecerint comperenter, excommunicarionis censura appellarione postposita percellaris, & sicut excommunicatos faciatis ab omnibus arctiùs evitari. Quòd si omnes, duo vestrum &c. Datum Romæ &c. IV. Idus Maij.

Scriptum est autem ipsi Archidiacono super hoc.

VNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS & Episcopis, in quorum parochiis grangiæ Præmonstraten. ordinis sitæ sunt.

Epist. 200. Ne procurationis prætextu contra apostolica privilegia Præmonstratenses graventur.

SI veri Christianæ religionis amatores & cultores essetis, religiosis viris in personis vel rebus nullam molestiam inferretis, quorum potiùs tenemini gravaminibus obviare. Verùm conquerenribus dilectis filiis Abbate & fratribus ordinis Præmonstraten. nostris est auribus inrimarum, quòd licèt in eorum privilegiis inhibirum sit expressè, ne quis Archiepiscopus vel Episcopus, nisi in manfesta necessitate, in eorum grangiis hospitetur, qnidam vestrum in singulis grangiis eorundem frarrum in suis dioecesibus constituris procurationes exigunt annuatim: quæ si eis aliquando forrè neganrur, ministri eorum de animalibus eorundem fratrum prædas violenter abducunr, quas vel pignori obligant, vel alienant omnino; nec fratribus ipsis restituunt, donec pro requisita procuratione certa pecunia persolvatur: qui ut avaritiam suam & exactionem excusent, frivolas exigendæ procurationis causas assignant; vel quòd in grangiis ipsis decimæ colligantur; vel quòd Canonici qui parochialem Ecclesiam in vicinis locis obtinere noscuntur, aliquando commorantur in grangiis; vel quòd in eis claustrum sororum habetur; quæ potiùs ex accessu vestro materiam dissolutionis accipiunr, dum confabulanrur cum Clericis, & per officinas discurrunr, quàm doctrinam recipiant salutarem. Quia verò causæ hujusmodi frivolæ sunr, nec earum occasione fratres ipsos in exhibendis procurationibus credimus esse cogendos; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus frarres ipsos contra indultam sibi à sede apostolica libertatem nec in prædictis nec in aliis aggravetis, nec exactiones aliquas ipsis imponere præsumatis. Alioquin non poterimus sub dissimulatione transire quin eorum indemnitati contra exactiones vestras paterna solicitudine consulamus. Datum Romæ &c. ut suprà.

EPISCOPO, DECANO, & Archidiacono Suessionen.

Epist. 201. Vt ob turpe & illicitum juramentum puniatur, nec tamen servare debeat.

SIgnificavit nobis dilectus filius Abbas sancti Eligij Noviomen. quòd cum olim monasterium sancti Eligij Abbatis esset regimine destitutum, omnes fratres ipsius monasterij de substituendi Abbatis electione tractantes, sacramento firmarunt quòd quicunque assumeretur ad officium abbatiæ, tres tantùm Obedientias modicas & exiles in manu sua teneret, singulos monachos instituens in singulis reliquarum. Postmodum autem in Abbatem assumptus, cùm quosdam monachos ratione suorum excessuum à concessis sibi Obedientiis intenderet amovere, aliis resistentibus non solùm eos Obedientiis non privavit, immo potiùs servato priori juramento in veritatis verbo promisit quòd nullum de cetero, nisi de consilio & assensu duorum Obedientiariorum & trium vel plurium aliorum, concessa sibi Obedientia spoliaret, nec ad venerabilem fratrem nostrum Remen. Archiepiscopum sanctæ Sabinæ Cardin. nec ad apostolicæ sedis audientiam appellaret super injuriis quæ sibi à monachis inferrentur. Qui tamen postmodum de consilio quorundam monachorum, licèt non habito præfato numero, Præpositum ejusdem monasterij ab officio suo amovit, in quo minùs utiliter ministrabat. Quia igitur hæc sub dissimulatione transire non possumus, nec debemus; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si vobis constiterit de prædictis, tam Abbati quàm monachis pœnam debitam infligatis, & imposita eis de læsione fidei pœnitentia competenti, quod illicitè juravere, eos cogatis appellatione remota nullatenus observare. Quòd si omnes &c. tu frater Episcope &c. Datum ut suprà, Idibus Maij.

P. ABBATI PRÆMONSTRAT.

Epist. 202. Vt dissoluti atque rebelles monachi puniantur, serveturque monastica disciplina.

INter cetera desideria cordis nostri & hominis interioris affectus, hoc præter divinam gratiam quasi præcipuè affectamus, ut temporibus nostris meliùs religio Christiana proficiat, & instituta regularia per nos de die in diem ampliùs convalescant. Multum enim Christianæ fidei deperiret, si rigor monasticæ ac canonicæ disciplinæ enervaretur per incuriam Prælatorum, aut dissolveretur (quod absit) per negligentiam nostram, qui tenemur errata corrigere & bene acta fortiùs roborare. Accepimus siquidem quòd cùm Petrus Rufus, Rainaldus de Ribemonte, Iohannes de Leris, Arnulfus Delier Canonici sancti Martini Laudunen. contra Abbatem suum nequiter conjurassent, & eum super dilapidatione domus nixi fuissent multipliciter infamare, qui eam pro majori parte relevaverat ab onere debitorum, derecta eorum malitia per fratres qui exteriores Obedientias procurabant, ipsos censuisti per abbatias Præmonstraten. ordinis dividendos. Verùm ipsi correctionem suam nullatenus admittentes, immo iniquitate iniquitati addita hoc fecerunt ut quidam eorum fautores coram te & aliis Abbatibus Præmonstraten. ordinis in Abbatem suum per violentiam irruentes, manus in eum injicerent violentas, & usque ad effusionem sanguinis eum inhonestè ac turpiter pertractarent: qui cùm postmodum non invenissent qui eos contra te in hac malitia tueretur, ad te (sicut videbatur) cum humilitate reversi, postulatam veniam acceperunt. Sed quidam eorum in priori proposito perdurantes, quibusdam rebus monasterij furto sublatis, fugam latenter arripere præsumpserunt. Quia verò dubitas ne super receptione talium te aliquatenus molestemus, & propter hoc seriem facti nobis duxisti per tuos nuncios exprimendam, quid de his & similibus sit agendum tuæ discretioni relinquimus; ne per nos religionis vestræ rigor depereat, vel in aliquo minoretur. Datum Romæ ut suprà, IV. Idus Maij.

VNIVERSIS ABBATIBVS & Præpositis Præmonstraten. ordinis in Saxonia & confinio Saxoniæ constitutis.

Epist 203. Vt omnes Abbates atque Præpositi Præmonstratenses juxta regulæ constitutionem certis temporibus Præmonstratū veniant, nullo privilegio excusante.

IN eo sumus loco & officio constituti ut viros religiosos manutenere ac defendere teneamur, nec patiamur regularia instituta per aliquorum insolentiam enervari. Accepimus siquidem quòd à prima plantatione religionis vestræ generalis institutio emanavit ut Abbates & Præpositi vestri ordinis certis temporibus conveniant Præmonstratum; ut si qua forsan vel in institutionibus vestris vel personis fuerint corrigenda, de communi Abbatum & Præpositorum consilio corrigantur, & reformentur in melius quæ visa fuerint reformanda.

Verùm vos contra hanc tam generalem & necessariam constitutionem temerè venientes, ad generale Capitulum non acceditis, nec vultis communibus institutionibus vestri ordinis obedire, asserentes vos à sede apostolica exemptionis privilegium impetrasse. quod tamen non profertis aliquatenus in commune. Quia igitur hoc in dissolutionem ordinis non est dubium redundare, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, ut cùm in privilegiis generali Capitulo Præmonstraten. ab apostolica sede indultis contineatur expressè nè quis ordinem ipsum professus contra communia instituta privilegium impetrare præsumat, vel impetratum audeat retinere, privilegio, quod vos à sede Romana obtinuisse asseritis, non obstantibus, immo potiùs ad commune Capitulum statutis temporibus accedatis, ut inde recipiatis correctionem unde formam religionis & ordinis accepistis. Alioquin noveritis nos dilectis filiis Abbati Præmonstraten. & ceteris Abbatibus ejusdem ordinis in generali Capitulo convenientibus Præmonstratum dedisse firmiter in mandatis, ut si ad commonitionem ipsorum venire contempseritis Præmonstratum ad generale Capitulum celebrandum, vos excommunicationis sententia appell. re. percellant, & faciant sicut excommunicatos ab omnibus arctiùs evitari. Venerabilibus etiam fratribus Archiepiscopis & Episcopis in Saxonia & in confinio Saxoniæ constitutis districtè præcipiendo mandavimus, ut si post commonitionem vobis factam ab ipsis inventi fueritis contumaces, cùm à præfatis Abbate & generali Capitulo Præmonstraten. super hoc fuerint requisiti, vos excommunicationis censura nihilominus appellatione remota percellant, & Ecclesias vestras sententiæ interdicti subjicere non postponant. Datum Romæ &c. III. Idus Maij.

Illis scriptum est super hoc.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, Abbatibus, Prioribus, & ceteris Ecclesiarum Prælatis.

Epist. 104. Vt Præmonstratenses monachos ab injuriis & contumeliis defendant.

NOn absque dolore cordis & plurima turbatione didicimus quòd ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, & canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi, & hi maximè qui per sedis apostolicæ privilegia majori donati sunt libertate, passim à malefactoribus suis injurias sustineant & rapinas, dum vix invenitur qui congrua illis protectione subveniat, & pro fovenda pauperum innocentia murum se defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filij nostri Abbas & fratres Præmonstraten. & ceteri ordinem ipsorum professi, tam de frequentibus injuriis suis, quàm de ipso cotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram per literas petierunt apostolicas excitari; ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quòd ab angustiis quas sustinent & pressuris vestro possint præsidio respirare. Ideòque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus illos qui in aliquem de prædictis fratribus instigante diabolo manus violentas injecerint, sive possessiones, vel res, seu domos Præmonstraten. aut aliorum fratrum ipsius ordinis vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea quæ prædictis fratribus è testamento decedentium relinquuntur contra justitiam detinuerint, seu in ipsos fratres contra apostolicæ sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti proferre præsumpserint, vel decimas laborum seu nutrimentorum suorum spretis privilegiis apostolicæ sedis extorserint, si laici fuerint, publicè candelis accensis excommunicationis sententia percellatis; Clericos autem, Canonicos, sive Monachos, appellatione remota, ab officio & beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis fratribus plenariè satisfaciant, & hi præcipuè qui pro violenta manuum injectione vinculo fuerint anathematis innodati, cum diocesani Episcopi literis ad sedem apostolicam venientes; ab eodem vinculo mereantur absolvi; nisi fortè monachi vel Canonici regulares per Abbates vel Priores suos post satisfactionem congruam, secundùm ordinis disciplinam, fuerint absoluti. Villas autem in quibus bona prædictorum fratrum seu hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quandiu ibi sunt, interdicti sententiæ supponatis. Datum Romæ &c. Idus Maij &c.

Scriptum est super hoc in eundem ferè modum pro fratribus militiæ Templi.

SYLVANECTEN. EPISCOPO.

Epist. 105. Ne alicui dimidia præbenda conferatur, nec præbenda secetur.

CVm in Turonen. Concilio inhibita sit sectio præbendarum, & de rigore juris redintegrari debeant officia decurtata, vix de tua possumus fraternitate sperare quòd præbendam aliquam ad preces nostras conferres alicui, qui ad duplex mandatum bonæ memoriæ Clementis Papæ prædecessoris nostri, quod prædicti Concilij erat auctoritate munitum, dimidiam præbendam dilecti filij magistri Aimerici noluisti aliquatenus integrare, immo vacantem præbendam, de qua juxta tenorem mandati apostolici dimidiæ debueras supplere defectum, alij in contemptum sedis apostolicæ contulisti. Ne igitur quod de prædicto magistro inceptum est, remaneat imperfectum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus de præbenda ad donationem tuam spectante, quam primò in Ecclesia tua vacare contigerit, non obstante investitura de non vacante contra statuta Lateranen. Concilij facta, ejusdem magistri dimidiam non differas integrare, nec aliquem de cetero ad dimidiam præbendam admittas. Alioquin tamdiu te noveris à præbendarum collatione suspensum, donec eidem magistro super integratione dimidiæ fuerit satisfactum. Dilectis etiam filius Canonicis Sylvanecten. districtiùs inhibemus ne priusquam satisfiat eidem magistro, aliquem in Canonicum vel fratrem admittant, etiamsi contra statuta Lateranen. Concilij de vacatura fuerit investitus, vel stallum in choro vel locum in Capitulo vacaturæ nomine assecutus. Nullis &c. harum mentione &c. Datum Romæ &c. VII. Kalend. Iunij &c.

Illis scriptum est super hoc.

ILLVSTRI REGI ANGLIÆ.

Epist. 106. Quatuor Annulorum annulorum mysterium explicat. Vide Odericum Raynaldum ad an. 1198. §. 53.

INter opes terrenas quas mortalis oculus concupiscit, quasi cariora desiderat aurum obryzum, & lapides pretiosos. Licèt autem his aliisque diutiùs excellentia regalis abundet, in signum tamen dilectionis & gratiæ, quatuor annulos aureos cum diversis lapidibus pretiosis tuæ magnitudini destinamus, in quibus te volumus spiritualiter intelligere formam & numerum, materiam & colorem, ut mysterium potiùs quàm donum attendas. Rotunditas enim æternitatem significat, quæ initio caret & fine. Habet igitur regalis prudentia quid in annuli forma requirat, ut de terrenis transeat ad cœlestia, de temporalibus ad æterna procedat. Quaternarius autem, qui numerus est quadratus, constantiam mentis insinuat; quæ nec deprimi debet adversis, nec prosperis elevari, quod tunc laudabiliter adimplebit, cùm quatuor virtutibus principalibus fuerit adornata, videlicet justitia, fortitudine, prudentia, temperantia. Intelligas igitur in primo justitiam, quàm exerceas in judiciis; in secundo fortitudinem, quam exhibeas in adversis; in tertio prudentiam, quam observes in dubiis; in quarto temperantiam, quam in prosperis non dimittas. Per aurum verò sapientia designatur, quia sicut aurum præeminet universis metallis, sic sapientia donis omnibus antecellit, Propheta testante, qui ait: *Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus &c.* Nihil est quod magis oporteat Regem habere. Vnde Rex ille pacificus Salomon solam à Deo sapientiam postulavit, ut populum sibi commissum sciret providè gubernare. Porrò smaragdi viriditas fidem, saphiri serenitas spem, granati rubicunditas caritatem, topatij claritas operationem significat, de qua Dominus ait: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Habes igitur in smaragdo quòd credas, in saphiro quod speres, in granato quod diligas, in topatio quod exerceas; ut de virtute in virtutem ascendas, donec Deum deorum videas in Sion. Datum Romæ apud S. Petrum, IV. Kal. Iunij.

EPISCOPO LEXOVIEN.

Epist. 107. Vt pensiones ad verum moderamen reducantur.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut ad debitum statum reducere possis appellatione postposita pensiones Ecclesiarum tuæ diocesis contra Lateranense Concilium augmentatas. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. XII. Kalend. Iunij, pont. nostri anno primo.

EIDEM.

Epist. 205. Vt frustatoriæ appellationes nō recipiantur, & reliquæ debito tempore finiantur.

LIcèt sit appellantibus deferendum, ut sacrorum canonum approbant instituta; non tamen usque adeo relinquenda est appellantibus effrenata licentia motus judicis evadendi, ut ea quæ correctione indigent in aliorum & appellantium detrimentum remaneant incorrecta, vel alterius jus esse diutiùs oporteat in suspenso, aut ei debeat præjudicium aliquod generari. Sanè proposuisti nobis in nostra præsentia constitutus quòd cum multi plerunque de tua diocesi adversarios suos sub examine tuo conveniant, iidem ad oppressionem eorum appellationes frustratorias interponunt, nec ipsas volunt prosequi ut tenentur. Quocirca fraternitati tuæ auctoritate præsentium* indulgemus ut cùm à tuis subditis ad sedem apostolicam fuerit appellatum, licitum tibi sit competentem ei terminum ad prosequendam appellationem præfigere; infra quem si contempserit appellationem prosequi quam emisit, ex tunc in ipso negotio procedendi appellatione interposita non obstante, nisi appellans * impedimento fuerit impeditus, liberam habeas facultatem. Nulli ergo &c. Datum &c. XIII. Kalend. Iunij &c.

* legitimo

R. ET R. ARCHIDIACON. Bajocen. & H. Archidiacono Constantien.

Epist. 209. De cujusdam Decani audacia coërcenda, & ne absolvatur, nisi læsis priùs satisfecerit.

QVerela venerabilis fratris nostri Lexovien. Episcopi nobis exposita demonstravit quòd minor Decanus ven. fratris nostri Rothomagen. Archiepiscopi & Simon Capellanus ejusdem Ecclesiam sancti Candidi minùs reverenter intrantes, in Lucam Presbyterum non tantùm manus injecere violentas, verùm etiam ad sacra vestimenta manus sacrilegas extendere præsumpserunt, atque tam Ecclesiam ipsam quàm Clericos ejus aliis injuriis intolerabiliter molestantes, eandem parochiam contra justitiam invasere, corpora mortuorum in eorum præjudicium ad suam Ecclesiam deferentes. Quia igitur præter hæc enormia dictus Decanus quandam mulierem prægnantem pede taliter dicitur percussisse quòd ex eo fecit aborsum; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis, prædictum Decanum ab officio beneficióque suspensum & Capellanum ipsum tamdiu appellatione postposita nuncietis ut excommunicatos ab omnibus arctiùs evitari, donec passo injuriam satisfecerint competenter, & cum vestrarum testimonio literarum ad sedem apostolicam veniant absolvendi. Nullis literis &c. Quòd si omnes &c. duo vestrûm &c. Datum ut suprà V. Kalend. Iunij.

EPISCOPO EBROICEN. & Archidiacon. Lexovien.

Epist. 210. Vt à Rodulpho Milite constructam Ecclesiam conjectent, dedicentque.

DIlectus filius nobilis vir Radulphus de Rupetra Miles nobis humiliter fecit exponi quòd cùm in diversis Ecclesiis jus obtineat patronatus, in quadam capella sua de Rupetra, quæ est in suo proprio patrimonio constructa, de auctoritate nostra proposuit Canonicos instituere seculares, ita quòd redditus prædictarum Ecclesiarum, decedentibus earum Prælatis, ad eosdem Canonicos devoluantur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiratis super præmissis diligentiùs veritatem, & prout id secundùm Deum videritis adimplendum, ejusdem nobilis propositum effectui mancipare curetis. Quòd si ambo &c. tu frater Episcope &c. Datum &c. IV. Kalend. Iunij &c.

ILLVSTRI REGI Navarræ.

Epist. 211. Vt Regi Anglorum quædam castella tradat. Vide suprà epist. 130.

CArissimus in Christo filius noster Rex Anglorum illustris transmissa nobis conquestione monstravit quòd quædam castella, videlicet castrum sancti Iohannis de Pedeportus & de Rochabrun, quæ bonæ memoriæ pater tuus in dotem cum filia sua liberaliter ipsi concessit, pro tua detines voluntate, & adhuc ea reddere contradicis. Vnde regiam magnitudinem rogamus attentiùs, & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus castella illa sine qualibet difficultate restituas conquerenti. Alioquin noveris nos venerabili fratri nostro Archiepiscopo Narbonen. scripsisse ut te ad restitutionem eorum per censuram ecclesiasticam monitione præmissa, cessante appellatione, justitia mediante compellat. Datum ut suprà.

PRIORI

PRIORI ET CONVENTVI Burgalien.

Epist. 111. Quòd Abbas ipsorum & cœnobij bona obligare nō possit.

QVanto per professionem monastici ordinis divinis estis obsequiis fortiùs obligati, tanto ea solicitiùs volumus removere quæ normam religionis & profectus spiritualis in vobis suscitatis dissensionibus poterant faciliùs impedire. Ideóque volentes quieti vestræ & indemnitati monasterij vestri benignitate apostolica providere, præsentium vobis auctoritate concedimus ut Abbas qui pro tempore fuerit, sine majoris & sanioris partis assensu vestrum, nisi manifesta & rationabilis causa emerserit, per quam sine manifesto & gravi monasterij detrimento id evitare non possit, domum vestram gravibus non possit debitis aggravare. Quod si fortè tentaverit, ad solvendum ea quæ contra formam nostræ concessionis acceperit, personas seu monasterium vestrum nullatenus eis volumus obligari quibus ante contractum debitum hæc forma nostræ concessionis innotuit. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. III. Kal. Iunij.

BRACHAREN. ARCHIEPISC. & Abbati de Burio.

Epist. 113. Vt causam Ecclesiæ S. Christinæ de Longos & Hospitalariorum ratione decimarum audiant.

EX conquestione dilecti filij P. Prælati Ecclesiæ sanctæ Christinæ de Longos nobis innotuit quòd cùm Menendus Miles quasdam possessiones suas infra parochiam ejusdem Ecclesiæ, in quibus prædecessor ipsius P. vineas plantaverat & domos construxerat in expensis Ecclesiæ supradictæ, cum aliis possessionibus suis domui Hospitalis cum ipsius prædecessoris assensu in Ecclesię maximum præjudicium contulisset, hac tamen conditione retenta, ut domus Hospitalis prænominatæ Ecclesiæ de omnibus possessionibus prælibatis deberet persolvere decimas annuatim, Hospitalarij, quamvis decimas ipsas Ecclesiæ diù persolverint sine lite, nunc eas eidem auferunt violenter, fulti potentia laicali. Quia igitur omnibus ad nos clamantibus tenemur justitiam exhibere; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus evocatis quos propter hoc noveritis evocandos, causam inter eos audiatis & appellatione remota mediante justitia terminetis. Nullis literis veritati & justitiæ &c. Quòd si ambo &c. tu frater Archiepiscope &c. Datum.

BITVRICEN. ARCHIEPISCOPO, Abbati S. Eparchij, & Decano Petragoricen.

Epist. 114. Vt causam inter Episcopum & Capitulum Engolismense, super numero Canonicorum, audiant. *f. similiter.*

ACcedentes ad præsentiam nostrā, circa promotionis nostræ primordia, W. Presbyter & R. Diaconus, nuntij Engolismen. Capituli, proposuere firmiter coram nobis quòd venerabilis frater Engolismen. Episcopus, cùm Ecclesiam ipsam per auctoritatem mandati apostolici ordinasset, gravatam illam attendens sterilitate temporis & longarum turbatione guerrarum, ipsam sufficienter ordinatam fuisse publicè recognovit, & super hoc promisit testimoniales literas se daturum, & quòd eis literas apostolicas, quarum occasione processerat, resignaret. Innotuit etiam nobis per literas bonæ mem. Clementis PP. prædecessoris nostri, quas in medium produxerunt, quòd tempore dilecti filij Iord. tt. sanctæ Prudentianæ Presbyteri Cardinalis, cùm ibi fungens legationis officio quosdam ad præbendam ipsius Ecclesiæ nominasset, idem Episcopus suo testimonio demonstravit Ecclesiam in facto illo multipliciter prægravari, cùm esset de personis idoneis sufficienter ornata. à quo tempore non est Canonicorum numerus imminutus, sed auctus. Per literas insuper venerabilis fratris nostri Burdegalen. Archiepiscopi ostendebātur quòd anno præterito, cùm dilectus filius Gregorius S. Angeli Diac. Cardinalis, tunc apost. sedis Legatus, de partibus Hispaniæ remearet, hoc idem ei fuit testificatus Episcopus, & ex tunc non fuerat Canonicorum numerus imminutus. Verùm cùm Episcopus post promissionem factam utrasque literas denegaret, à Capitulo requisitus, Canonici contra eum suspicionis materiam conceperunt; præsertim cùm ad eorum, sicut dicebant, audientiam pervenisset ipsum cum Archidiacono de ordinanda Ecclesia literas alias à sede apostolica impetrasse. super quo ab eis sæpe commonitus, exprimere noluit veritatem. Vnde cùm propter hoc ad sedem apostolicam appellassent, statum Ecclesiæ protectioni apostolicæ supponentes, appellatione facta sæpius innovata, ad prosequendam eam dicebant se præfati nuntij ab eisdem Canonicis ad sedem ap. destinatos. Cùmque super gravaminibus prædictis & aliis, si quæ idem Episcopus

P

post appellationem & iter arreptum intulerat, postularent sibi à benignitate sedis apostolicæ remedium adhiberi, dilecti filij Cantor, Magister Hel. Bran. & Petrus Rossinol. Canonici ejusdem Ecclesiæ, necnon & ex alia parte dilectus filius I. Morelli procurator ejusdem Episcopi advenere: quibus primò dilectos filios I. tt. sanctæ Prudentianæ & S. tt. sanctæ Praxedis Presbyteros & G. sanctæ Mariæ in Aquiro & postmodum P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconos Cardinales concessimus auditores: in quorum præsentia fuit præmissis ex parte Canonicorum adjunctum, quòd Dominica ultima ante Natale Domini, cùm in domo de Corona pro consecratione vener. fratris nostri Petragoricen. Episcopi dictus Archiepiscopus cum Xantonen. & dicto Engolismen. Episcopis convenisset, ex parte Capituli sub eorum testimonio fuit iterum solenniter appellatum, & denunciatum, ante omnem citationem, quòd nuncios suos jam ad curiam destinassent; ideóque cùm hoc audiens Episcopus tacuisset, ipsum admisisse appellationem factam meritò crediderunt. Addebant insuper quòd tam ex parte sua quàm Ar. de Matrinac sub persona Archidiaconi postmodum primò mandaverat per literas ad certas causas Capitulum convocari, ut videlicet literas Domini Papæ continentes auctoritatem quam habebant de Ecclesia ordinanda, ostenderent, & tractarent de pace Ecclesiæ & Cantoris. Die autem statuta, post completorium, claustrum intrarunt, & fecerunt literas, in quibus pendebat sericum, recitari, quas dicebant se à sede apostolica recepisse: quarum copiam postulantes Canonici, habere nullatenus potuerunt; licèt personam legentis suspectam esse assererent, & nescirent an in bulla vel scriptura vel alio quolibet vitium continerent. Proposuerunt præterea coram ipsis quòd de primis literis, ordinatione facta per eas, mentionem aliquam non habebant, cùm ex hoc, etsi valerent aliàs, viribus carere deberent: quia in obtentu earum fuerat sedes apostolica circumventa, & etiam intervenerat fraus tacendi. Sed super hoc & aliis exceptionibus quas Canonici prætendebant, fuit eis audientia penitùs denegata. Vnde cùm propter gravamen istud iterum appellassent, & nulla ordinatione seu nominatione sciente Capitulo facta, prædicti Cantor & P. Rossinol. euntem ad domum suam Episcopum sequerentur, ab eo petierunt licentiam ad curiam veniendi, quia timebant eum velle contra Ecclesiam malignari; & in mane, audita Missa in majori Ecclesia, iter veniendi ad sedem apostol. inceperunt. Per hæc quidem & alia multa, quæ coram prædictis Cardinalibus firmiter proponebant, si quid factum erat postea contra ipsos, vel etiam antè, occultè ac sine conscientia sua, postulabant penitùs vacuari; proponentes ipsa de jure ullatenus non valere; attendentes quoque quòd quandiu ibi fuerant, communicaverat eis Episcopus, nec tunc venerat ad eorum notitiam quòd aliquam in eos sententiam promulgasset. Econtra verò præfatus procurator Episcopi proponebat quòd idem Episcopus videns tempore suo, propter defectum Canonicorum, servitium Ecclesiæ deperire, Capitulum sæpe monuerat ut cum eo de ordinanda Ecclesia convenirent. Sed Canonici lucrum proprium attendentes, & præcipuè Cantor, qui recipiebat de bonis Ecclesiæ in maxima quantitate, bonæ voluntati Episcopi resistebant. Quod cùm ad felicis memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri notitiam pervenisset, desolationi Ecclesiæ paternis voluit affectibus providere, & tam eidem Episcopo quàm Archidiacono dedit firmiter in mandatis ut Ecclesiam tam in Canonicis quàm aliis ordinarent. Ipsi autem mandato suscepto fecerunt Capitulum evocari; & licèt scriptum apostolicum coram omnibus legi fecissent, ad faciendam ordinationem Capitulum ipsum diligentiùs præmonendo, noluit tamen ullatenus consentire. Vnde cùm in defectu Canonicorum vellent mandatum apostolicum adimplere, tam Cantor quàm alij eis devotissimè supplicarunt ut quinque cum pace Ecclesiæ ordinarent: quorum supplicationibus pro vitando scandalo annuerunt; sed & duos ad eorum instantiam admiserunt, venerabilem videlicet fratrem nostrum Patriarcham Antiochenum, & nepotem ejus ab eodem Patriarcha vocatum, ut majorem possent institutorum numerum prædicare. Sed ipsi hoc in fraudem factum esse postmodum cognoscentes, dixerunt quòd non reputabant sufficienter ordinatam Ecclesiam,

immo electionem & nominationem, quam fecerant, apostolici auctoritate mandari tempore congruo effectui manciparent. Ceterùm processu temporis literarum aliarum auctoritas supervenit, ex quibus plenam facultatem habebant Ecclesiam ordinandi : quarum auctoritate vocati Canonici, & diligenter admoniti ut ordinandi consentirent, assensum præbere nullateous voluerunt. Vnde ipsi cum magistro scholarum & supradicto I. Morelli, cum Villielmo Arnaldi, & magistro V. Testaldi, & quibusdam aliis Canonicis, quorum assensum habebaot, ordinationem Ecclesię de personis idoneis & hooestis, qui in prima ordinatione electi fuerant, secundùm facultates Ecclesiæ, auctoritate apostolica complevere ; ita quòd ordinati fuere de canonica per ejusdem Episcopi annulum investiti, & contradictores excommuoicatiooe notati. Sed instituti statim se & caoooicas suas & alia beneficia sub protectione sedis apostolicæ posuere, cootra omnem hominem qui eos vellet impetere appellantes. Hæc autem institutio extra matricem Ecclesiam fuit facta, cùm eadem esset ob delictum Comitis interdicta. Postmodum verò Ecclesia absoluta, Episcopus in vigilia Circumcisionis Capitulum convocavit, & ei cum Archidiacono ordinationem factam & excommuoicationem latam in contradictores denunciare curavit, & literas prædecessoris nostri, auctoritatem quam de Ecclesia ordinanda susceperant cooriinentes, fecit ostendi, & publicè recitari. Sed & sequenti die, videlicet Circumcisionis festo, post celebrationem Missæ majoris, iostitutis præsentibus & procuratoribus abseotium, stalla in choro & loca in Capitulo, præsentibus Clero & populo, qui ad festum convenerant, assignarunt, & in corporalem præbendæ possessionem miserunt. quare ipsos instituros asserit possidere. Verùm quia Canooici excommunicati in Ecclesia celebrabaot, institutis accessum ad majus altare, libros, & alia ornamenta Ecclesiæ prohibentes, in eos fuit excommunicationis iterum lata sententia, & Ecclesia supposita interdicto. Sed ipsi nihilominus ibi divina celebrare præsumunt. Cùm verò pars Canooicorum assertionem suam per instrumenta & testes vellet in continenti probare, & testes ejus essent salvis exceptionibus & jure partis adversæ recepti, & ideo peteret publicatis dictis testium negotium diffiniri, procurator Episcopi proponebat se in terra sua quædam capitula probaturum, videlicet quòd tempore ordinationis ordinari Ecclesia indigebat, & quòd Canonici ab Episcopo sæpe commooiti, ad ordinandum secum Ecclesiam convenire noluerant, quòd Episcopus & Archidiac. auctoritate ap. ordinaveraot Ecclesiam de personis quæ Ecclesiæ debeant deservire & de aliis idoneis & honestis, & quòd illi qui fuerunt modo ultimo instituti, electi fuerant cum quinque primitus ordinatis, & quòd tam novis quàm antiquis residentibus secundùm consuetum cursum Ecclesiæ suppetunt facultates, & quòd omnes qui modò sunt ibi Canonici residentes, consuetum numerum non excedunt, & quòd facto suo plures de majoribus Ecclesiæ consensere, quòd & primum & secundum rescriptum foerit Canonicis recitatum, & quòd contradictores post excommunicationem divina præsumpserunt officia celebrare. Vnde (sicut dicebat) sine ipsorum cognitione, absque præjudicio partis suæ, causa illa non poterat terminari. Nos igitur eandem vobis de fratrum nostrorum consilio committentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquiratis utrioque super præmissis omoibus diligentiùs veritatem, tam ex attestationibus quas vobis sub Bulla nostra traosmittimus, quàm ex aliis quæ duxerint proponenda. Et si legitimis probationibus vobis constiterit post appellatiooem rationabiliter interpositam prænominatos Episcopum & Archidiaconum processisse, quod ab eis factum esse dignoscitur appel. cessante decernatis irritum & inane ; & nisi vobis constiterit rescriptum apostolicum fuisse subreptum, & præfatos Episcopum & Archidiaconum contra formam ipsius mandati præter juris ordinem processisse, dummodo suppetaot Ecclesiæ facultates, & institutæ personæ sint utiles & idoneæ, nec excedant numerum consuetum, ordinationem ipsam omni contradictiooe & appellarione cessante auctoritate apostolica confirmetis : & si qui se duxerint opponendos, per ceosuram ecclesiasticam compescatis, eos qui post excommunicationem divina dicuntur officia celebrasse, cùm vobis constiterit, nisi legiti-

ma præcesserit appellatio, pœna canonica percellentes, satagentes ut via regia procedatis, ita quòd in judicio vestro nulla sit personarum acceptio, sed juxta mandatum divinum justè quod justum est judicetis, ne fortè propter defectum justitiæ partes cogantur ulteriùs laborare. Ad hæc, volumus & mandamus ut tam indulgentiæ quàm mandati rescripta faciatis vobis in judicio resignari, ne occasione illorum Ecclesia ulteriùs prægravetur. Testes autem cogantur. Nullis literis &c. si quæ apparuerint præter assensum partium &c. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ &c. IV. Kalend. Iunij &c.

EGID. CANONICO VASTINEN.

Epist. 225. De causa ipsius contra Hugon. & pro ipso judicatur.

Cum super præbenda Vastinen. Ecclesiæ inter te ex una parte & Hugonem Capusum procuratorem & Canonicum Ecclesiæ Vastinen. ex altera quæstio verteretur, & propter hoc ad sedem accessissetis apostolicam, in præsentia venerabilis fratris nostri Octaviani Ostien. Episcopi, quem vobis dedimus auditorem, pro te fuit taliter allegatum, quòd à bonæ memoriæ Celestino Papa prædecessore nostro pro tua receptione in Ecclesia Vastinen. rogatorias primùm literas, secundò præceptorias & executorias impetrasti. Sed Canonici Ecclesiæ, ut evadere possent apostolicam jussionem, ad Rom. Ecclesiam nuncios destinarunt: qui de mandato præmisso tacita veritate, ut à tua de cetero essent impetitione liberi, & infra terminum neminem recipere cogerentur, indulgentiam impetrarunt. Tu verò denuo ad eosdem literas impetrasti, ut elapso spatio indulgentiæ, præbendam tibi conferrent, interim stallum in choro & locum in Capitulo sublato appellationis obstaculo assignantes; & super hoc ipso dilecti filij * de Domo Dei & de Oliveto Abbates & Prior Exoldunen executores fuerunt à sede apostolica deputati. Cùmque literas prædecessoris nostri & executorum, qui eis certum diem præfixerant ut mandatum apostolicum adimplerent, Priori & Canonicis præsentasses, sicut in executorum literis continetur, nec mandatum prædecessoris nostri exequi nec literas recipere voluere, appellationis obstaculum prætendentes. Ipsi verò executores juxta tenorem rescripti te investientes de præbenda, stallum in choro tibi & locum in Capitulo assignarunt; Canonicis comminantes quòd nisi præfixo eis tempore mandatum apostolicum adimplerent, eorum ex tunc contumaciam debita severitate punirent. Ceterùm cùm nec sic possent à sua pertinacia revocari, elapso tempore constituto excommunicationis in eos sententiam promulgarunt. quam & investituram tibi factam petebas humiliter confirmari. Verùm ex adverso fuit ab Ecclesiæ procuratore responsum, quòd quãdo tu præceptorias obstinuisti literas pro præbenda, Her. & A. de Curia Clerici, ut & ipsi Canonici fierent, literas detulerunt. Videntes ergo Canonici quòd super trium Clericorum receptione plurimùm Ecclesia gravaretur, quòd dictum A. Clericum in fratrem reciperent, eidem prædecessori nostro per P. Belin. Canonicum & nuncium Ecclesiæ intimarunt, & per indulgentiam, de qua præmissum est, ab impetitione tua & dicti Her. expressis vestris nominibus fuere penitùs absoluti. Postea verò tu executorias, ut dictum est, literas asportasti, quas procurator Ecclesiæ dicebat falsa suggestione obtentas. Priori etiam memoratæ Ecclesiæ de Vasten. alias præsentasti; contra quas appellans, cùm auctoritate obtentæ indulgentiæ ab impetitione tua sciret suam Ecclesiam liberatam, octavas Paschæ appellationi suæ terminum assignavit. Easdem etiam literas absente Priore quibusdam de Canonicis præsentasti; quas, cùm eorum non interesset, recipere noluerunt. Post paucos verò dies eorundem executorum literas in absentia Prioris Capitulo præsentasti. Consequenter verò iidem executores ad Ecclesiam venientes, domum Prioris intrarunt, & quòd executores ad hoc dati essent, & ordine debito vellent in facto procedere, coram paucis Canonicis edixerunt. Quibus Prior & indulgentiæ beneficium retulit, & quòd à parte ipsorum erat ad sedem apostolicam appellatum, ipsámque appellationem eis præsentibus innovavit. Alter etiam executorum, videlicet Abbas de Oliveto, prædecessoris nostri obitum quibusdam de Canonicis proponitur nũciasse. Vnde mandatum ad ipsos emissum cum mandatore dicebant penitùs expirasse, & post prædicta impedimenta executores contradicentibus omnibus Canonicis processisse. Ad hæc, proponebat ejusdem Eccl. procurator afflictione ejus

*Fortè, de Curia Dei quæ est Abbatia Ordinis Cisterc. in diœc. Aurelianensi, mater Oliveti.

de Regum * discordia procedentem, & quòd nunc viginti quatuor sint in ea Canonici, cùm non nisi sedecim esse consueverint ab antiquo, nec redditus excreverint augumentato numero personarum. Vnde ne ad recipiendum aliquos cogerentur, suppliciter postulabant. Sanè cùm à dicto Episcopo Ostiensi hæc & similia essent nobis & nostris fratribus enarrata; nos volentes, quantum cum Deo & honestate possumus, facta prædecessoris nostri obtinere debitam firmitatem, illud etiam attendentes quòd beneficio indulgentiæ in Ecclesiæ favorem concessæ non sit per sequentes literas in gravamen Ecclesiæ derogatum, cùm pro stallo chori & loco Capituli nullum præjudicium Ecclesiæ generetur, investituram tibi factam ratam habentes, ita duximus sententialiter statuendum; ut tu sine contradictione vel dilatione qualibet stallum in choro & locum in Capitulo consequaris, post triennium ab indulgentiæ tempore numerandum præbendam integram habiturus. Nulli ergo &c. Datum &c. VII. Kalend. Iunij.

* id est, Regum Franciæ & Angliæ.

BESVENSI ABBATI.

Epist. 116. Quòd ipsi liceat aliquos ex aliis cœnobiis ad instaurandum suum evocare, & ex suo quosdam ad alia remittere.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut quia Besuensis Ecclesia pro incendio quod sustinuit ad tantam devenit inopiam, ut monachis & confratribus ibi manentibus vitæ salutem necessaria ministrare non potes, liceat tibi aliquos de monachis & confratribus tuis ad Obedientias Cluniacenses pro vitæ sustentatione transmittere, & aliquos de monachis Cluniacensibus, quos ad hoc magis noveris expedire, ad Ecclesiam tuam pro reformatione & conservatione ordinis sublato appellationis obstaculo convocare, donec Ecclesia tua dante Domino restauretur. Nulli ergo &c. VII. Kalend. Iunij.

BERGENSI EPISCOPO.

Epist. 117. Quòd mercatores Ecclesiæ decimas persolvere cogantur.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* effectum. Sanè, sicut ex tua significatione comperimus, mercatores diocesana tibi lege subjecti, cùm eos negociationis causa in Islandiam transfretare contingit, decimas quas Ecclesia tua percipere ab antiquis temporibus consuevit, contra salutem suam detinent, eas reddere denegantes. Volentes igitur tibi & Ecclesiæ tuæ paterna solicitudine providere, fraternitati tuæ auctoritate apostolica indulgemus quatenus mercatores ipsos ad persolvendas consuetas & debitas decimas, si monitione præmissa noluerint, ecclesiastica districtione subl. appellationis obstaculo compellendi liberam habeas facultatem. Nulli ergo &c. Datum ut suprà, VIII. Kalend. Iunij.

ORCHAD. ET ROSMARCHN. Episcopis.

Epist. 118. De annuis & decimis promissisque eleemosynis Romanæ Ecclesiæ persolvendis.

DIlectus filius nobilis vir H. Catenensis & Orchadiensis Comes nobis significare curavit quòd ipse pro redemptione peccatorum suorum à tempore felicis memoriæ Alexandri PP. prædecessoris nostri denarium unum de qualibet domo in Comitatu Catenensi habitata annuatim statuit pro eleemosyna colligendum, & ob reverentiam beatum Apostolorum Petri & Pauli ad sedem apostolicam dirigere consuevit: quam visitationem nomine eleemosynæ annuatim ad opus Romanæ Ecclesiæ colligendam tam suo quàm bonæ memoriæ A. olim Catenen. Episcopi & aliorum nobilium illarum partium testimonio confirmavit. Cùm autem postea memorato A. Catenen. Episcopo viam universæ carnis ingresso, venerabilis frater noster I. in eadem Ecclesia fuisset in Episcopum institutus, prædictam eleemosynam irritare præsumens, eam ab his qui sunt in sua dioceſi constituti, auctoritate propria interdixit exsolvi. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si vobis constiterit de prædictis, præfatum Catenensem Episcopum, si monitione præmissa hoc facere neglexerit, ad satisfaciendum de eleemosynis subtractis hucusque, & ne eas reddi de cetero interdicat, sicut justum fuerit, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam compellatis. Quòd si ambo, alter vestrum &c. VI. Kalend. Iunij.

ARCHIEPISC. LVGDVNEN. & Abbati Athanacensi.

Epist. 119. Vt literæ apostolicæ, quæ surreptitiæ erant, impetratæ, revocetur.

DIlecti filij Canonici Matisconenses nobis per suas literas intimarunt quòd cùm olim Valterus de Berziaco eorum Concanonicus tēpore bonæ memoriæ Celestini PP. prædecessoris nostri ad sedem apostolicam accessisset, licèt

fide interpoſita firmaviſſet quòd contra diviſionem terrarum vacantium, quam dilectus filius Anninus ejuſdem Eccleſiæ Decanus juxta ſuæ voluntatis arbitrium ordinaret, deberet nullatenus obviare, & ram pro hac quàm aliis multis cauſis perjurij reus exiſtens, pro debitis Eccleſiæ, quæ retinuerat violenter, & fractura clauſtri, ſententia excommunicationis teneretur aſtrictus, per ſuggeſtionem falſi, nulla facta ſuper præmiſſis omnibus mentione, ab eodem prædeceſſore noſtro quandam Obedientiam, quæ Præſteria nuncupatur, in ſalutis ſuæ perniciem obtinuit ſibi dari, tam ab eo quàm à nobis confirmatione ſuper hoc impetrata. Quia igitur id in grave præjudicium Eccleſiæ noſcitur redundare, cùm de provenribus illius Præſteriæ illis qui aſſiduè in Eccleſia ſerviunt memorata conſueverint neceſſaria miniſtrari; diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi prędictas confirmationis literas per ſuppreſſionem veri & falſi ſuggeſtionem, ut ſuprà dictum eſt, vobis conſtiterit impetratas, nullatenus permittatis quòd dictus Galterus ex his frnctum aliquem conſequatur; quin potiùs tam Eccleſiam quàm Canonicos antedictos ab impetitione ipſius, quantum ab obtinendum Præſteriam illam, appellatione remota penitùs abſolvatis; cùm ſecundùm canonicas ſanctiones mendax precator carere debeat impetratis; in ſtatum debitum revocantes ſi quid poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam in eorundem Canonicorum prejudicium temerè noveritis attentatum, & facientes quod exinde duxeritis ſtatuendum per cenſuram eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari. Nullis literis veritati & juſtitiæ &c. Quòd ſi ambo &c. tu frater Archiepiſcope &c. Datum &c. III. Kalend. Iunij.

*ABBATI DE IVGO DEI & Priori de * Seillin.*

* *In Tertia Collect & ap. Gregorium* Silla. *Epiſt.* 220. Nę pro mortuorum ſepultura & conjugum copulatione pecunia exigatur. *Cap* Suam nobis *De ſimonia*.

SVam nobis dilecti filij parochiani de Villafranca querimoniam deſtinarunt quòd Dalmaſius capellanus eorum pro exequis mortnornm & benedictione nubentium minùs licitè pecuniam ab eis exigit & extorquet. quòd ſi fortè cupiditati ejus non fuerit ſatisfactum, ne poſſint mortuorum corpora ſepeliri vel nubentium benedictio celebrari, ficitia eis impedimenta fraudulenter opponit. Quia igitur exactiones hujuſmodi ſacrorum canonum obviant inſtitutis; diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus dictum capellanum, ut à tanta præſumptione deſiſtat, & etiam pro exceſſu ſatisfaciat competenter, moneatis attentiùs, & efficaciter inducatis. Quòd ſi fortè veſtris monitionibus noluerit obedire, ipſi appellatione remota pœnam infligatis. Datum &c. II. Kalend. Iunij.

DECANO VLIXBONENSI, Prioribus ſancti Vincentij & de Alcobacia.

Epiſt. 221. Vt cauſam Epiſcopi Colimbrienſis & Militum Templi audiant.

EXpoſuit nobis venerabilis frater noſter Colimbrien. Epiſcopus quòd cùm cauſa quæ inter eum & dilectos filios fratres militiæ Templi ſuper Eccleſiis de Ega & de Rodina & Palumbario verrebatur, à bonæ memoriæ Lucio Papa prædeceſſore noſtro venerabilibus fratribus Brachaten. Archiepiſcopo & Epiſcopo Portugalen. fuiſſet à ſede apoſtolica delegata, judices ipſi partibus convocatis & in eorum præſentia conſtitutis, ſicut in literis eorum accepimns, dictis fratribus mandaverunt ut de prædictis Eccleſiis vel eidem Epiſcopo vigeſimo die poſt receptionem literarum ipſorum juſtitiam exhiberent, vel ei tanqnam diœceſano ſuo jura epiſcopalia in integrum perſolvere procurarent; prædictis Eccleſiis interdicto ſubjectis, & parochianis earum excommunicationis ſententia innodatis, niſi dicti fratres mandatis parerent ipſorum, vel iidem parochiani eis non parentibus in prædictis Eccleſiis divinis officiis intereſſent, aut decimas eis, primitias, ſive mortuaria ſolverent, vel in ipſis corpora mortuorum ſepelirenr. Verùm pṛędictis fratribus ſententiam eorundem judicum nullatenus obſervantibus, à felicis recordationis Vrbano Papa prędeceſſore noſtro primò ad Io. quondam Vicedominnm Brixien. & magiſtrum Io. Bergomen. Subdiaconum apoſtolicæ ſedis ſub forma prędictis judicibus delegata, ac deinde ad venerabilem fratrem noſtrum Tuden. Epiſcopum & dilectos filios de Reforio & Alcobatiæ Priores fuerunt literæ impetratæ: qnarum auctoritate non fuit uſque ad calculum ſententiæ diffinitivæ proceſſum, nec interdicti Eccleſiarum aut excommunicationis parochianorũ ſententia relaxata.

Tandem verò cùm dilectus filius noster G. sancti Angeli Diaconus Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legatus, intrasset Hispaniam, eodem causam venerabili fratri nostro Episcopo & dilecto filio Archidiacono Vlixbonen. delegavit: qui priorum judicum sententiam confirmantes, interdicti & excommunicationis sententias in Ecclesias ipsas & earum parochianos latam à primis judicibus innovarunt, ac postmodum idem Cardinalis quod ab eis factum fuerat confirmavit. Quia verò nobis ad plenum non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus recepta ab eisdem Templariis parendi coram vobis justitiæ legitima cautione, partibus convocatis inquiratis de prædicta sententia diligentiùs veritatem; & si eam inveneritis justè latam, faciatis mandari executioni, & usque ad satisfactionem à partibus per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. eodem modo per omnia processuri, si forsan fratres ipsi noluerint quòd stent & pareant juri cavere. Alioquin partibus convocatis audiatis causam ex integro, & ipsam appellatione remota mediante justitia terminetis; non obstante privilegio in præjudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ &c. XII. Kalend. Iunij &c.

ABBATI DE ALCOBATIA, F. Menendi & P. Exod. monachis Alcobatiæ.

Epist. 111. Vt fratres S. Crucis reverentiam & episcopalia jura Colimbriensi Episcopo suo reddant, & quòd matrix Ecclesia, Cathedralis vocetur. Cap. Venerabili. De verbor. signif.

VEnerabili fratre nostro Colimbriensi Episcopo didicimus conquerente quòd cùm fratres sanctæ Crucis monasterium de Argaoil sub protectione sua nuper receperint, quod suis prædecessoribus episcopalia jura consueverat ab antiquis temporibus exhibere, nunc quodam de Canonicis suis sine suo consensu ibi facto Priore, occasione cujusdam privilegij à bonæ memoriæ Clemente Papa prædecessore nostro veritate tacita impetrati, eidem Episcopo debitam obedientiam denegat exhibere; inde sumpta occasione, quòd per matricem Ecclesiam non Cathedralem intelligunt, sed Romanam.* Quia verò non est nostræ intentionis ut jura fratrum nostrorum temporibus nostris indebitè minuantur, causam ipsam vobis duximus committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus si aliud vobis non occurrerit propter quod dictus Prior non debeat diocesano Episcopo respondere, eum ad præstandam dicto Episcopo debitam reverentiam, sicut prædecessores sui prædecessoribus Episcopi præstiterunt, appellatione remota per censuram ecclesiasticam compellatis. Nos enim per matricem Ecclesiam, Cathedralem intelligere volumus, non Romanam. non obstante privilegio in præjudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ &c. III. Kalend. Iunij.

* In tertia Collectione: Vnde quia non

EPISCOPO ET PRIORI Elborensi.

Epist. 112. Ejusdem ferè argumenti.

INnotuit nobis, venerabili fratre nostro Colimbrien. Episcopo conquerente, quòd cùm olim magna pars Colimbriensis diocesis ab inimicis crucis teneretur invasa, bonæ memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster Lamecensem & Auriensem Ecclesias Colimbriensi (sicut ex privilegio ejus apparet) concessit tamdiu detinendas, donec amissam partem diocesis rehaberet. Cùm autem A. quondam Rex Portugalliæ diocesim illam liberasset à manibus * paganorum, quandam partem ipsius dilectis filiis fratribus militiæ Templi, quandam verò monasterio sanctæ Crucis motu proprio assignavit, & in prædictis Ecclesiis Episcopos obtinuit ordinari. Ne igitur dicta Colimbrien. Ecclesia se doleat suo jure privatam, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis illis qui propter hoc fuerint evocandi, audiatis quæ hinc inde duxerint proponenda; & quod canonicum fuerit super his appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis firmiter observari. non obstante privilegio vel rescripto in præjudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Nullis literis veritati & justitiæ &c. Quòd si ambo, &c. tu frater Episcope &c. Datum II. Idus Maij.

* id est, Sarracenorum.

DECANO VLIXBONENSI, Priori & P. Frodiz Monacho de Alcobatia.

Epist. 114. Privilegium in grave detrimẽ-

INnotuit nobis, venerabili fratre nostro Colimbren. Episcopo intiman-

tum alterius impetratum revocatur. *Vide caput Cùm olim propter. De privil.* te, quòd cùm M. quondam Canonicus sanctæ Crucis in Episcopum fuisset Colimbrien. assumptus, privilegium quoddam de consilio quorundam Canonicorum Ecclesiæ Colimbrien. monasterio sanctæ Crucis indulsit in non modicum ejusdem Ecclesiæ præjudicium. & gravamen. Quia verò nobis non constat de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis inquisitis de præmissis diligentiùs veritatem; & si privilegium ipsum in grave dispendium Colimbriensis Ecclesiæ videritis redundare, quod illicitè factum est, auctoritate apostolica appellatione remota legitimè revocetis, non obstante privilegio in præjudicium Colimbriensis Ecclesiæ per subreptionem ab apostolica sede obtento. Datum Romæ &c.III. Non. Iunij.

DE SAZETA ET DE Manzenera Abbatibus, & P. Frod. monacho de Alcobatia.

Epist. 115. Vt Ecclesia Colimbriensis suo jure & privilegiis non spolietur. OVerelam venerabilis fratris nostri Colimbriensis Episcopi ad nos delatam accepimus, quòd cùm carissimus in Christo filius A. Illustris Rex Portugalliæ partem territorij Colimbriensis & vicinorum castrorum in loco qui Alathen vocatur, & in sua proponitur diocesi constitutus, jamdudum hominibus dederit incolendum, qui ei de regalibus respònderent, fratres monasterij sanctæ Crucis in locis illis quasdam denuo Ecclesias construxerunt & construunt ex quibus episcopalia jura percipiunt, & reddere contradicunt; cùm in suis privilegiis habeatur quòd in illis tantùm villis, quas de novo ædificant, episcopalia jura valeant obtinere. Nolentes itaque prædictos fratres aliis injuriosos existere, causam ipsam vobis duximus committendam; per apostolica scripta mandantes quatenus partibus convocatis, audiatis quæ proponentur hinc inde, & quod canonicum videritis super his appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis firmiter observari. non obstante privilegio in præjudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ &c. VI. Kalend. Iunij.

DE ALCOBATIA ET DE SEIZA Abbatibus, & Priori de Alcobatia.

EXposuit nobis venerabilis frater noster Colimbrien. Episcopus in nostra præsentia constitutus, quòd Portogallen. Ecclesia flumen Dorij, quod Portugalen. diocesim à Colimbrien. separat, & ab antiquo fuerat certus terminus utriusque, transgressa, magnam partem Colimbrien. diocesis occupavit contra compositionem à bonæ memoriæ Bosone quondam Cardinale tunc apostolicæ sedis Legato apud Burgum in Concilio factam, & per sedem apostol. postmodum confirmatam. Volentes igitur Colimbriensi Ecclesiæ in suo jure adesse, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus venerabilem fratrem nostrum Portugalen. Episcopum ad restituendam illam partem diocesis, quam præter justitiam detinet occupatam, cum fructibus inde perceptis, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione postposita compellatis. Nullis literis veritati & just. &c. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Idibus Maij. *Epist.* 116. Ejusdem argumenti cum præcedenti.

DE SAZETA ET DE Manzenera Abbatibus, & F. Menendi monacho de Alcobatia.

INsinuavit nobis ven. fra. noster Colimbrien. Episcopus quòd cùm illustris Rex Portugalliæ fratribus sanctæ Crucis apud Castrum de Leirena in una tantùm Ecclesia jus concesserit patronatus, inconsulto diocesano Episcopo in eodem loco construere alias motu proprio præsumpserunt, quas & per capellanos conductitios regunt, & in nullo pro ipsis volunt diocesano Episcopo respondere. Easdem etiam Ecclesias privilegiis suis fecerunt inscribi, cùm ab episcopali jure nunquam fuerint de consensu Episcopi liberatæ. unde totum jus episcopale in oppido nominato sibi præsumunt temerè vendicare. Quia igitur nobis constare non potuit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis &c. quod justum videritis super his appell. postposita statuatis &c. non obstante privilegio in præjudicium Colimbriensis Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quòd si omnes &c. duo vestrum. Datum &c. VI. Kalend. Iunij. *Epist.* 117. Ejusdem argumenti.

ROTHO-

ROTHOMAGEN. ARCHIEPISC. & Suffraganeis ejus.

Epist. 228. Ab Episcopis suis excommunicati, non facile sunt ab aliis absolvendi. *Cap. Ad reprimendam De offic. ordinarij.*

AD reprimendam malitiam perversorum pœnæ certæ sunt in canonibus institutæ; quas sicut latas interdum à vobis in subditos vultis inviolabiles observari, ita latas ab aliis debetis inviolabiliter observare. Inde est quòd universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus sententias, quas venerabilis frater noster Lexoviensis Episcopus in subditos suos duxerit canonicè promulgandas, & vos ipsi servetis, & eas à vestris subditis * violari nullatenus permittatis. Tu verò, frater Archiepiscope, cùm excommunicationis sententia per appellationis non suspendatur objectum, si quis excommunicatus ab ipso de injusta tibi excommunicatione conquestus fuerit, ad ipsum, ei quasi coëpiscopo deferens, absolvendum secundùm Ecclesiæ formam remittas. Qui si fortè noluerit illum absolvere, tu, recepta juratoria cautione, absolutionis ei munus poteris exhibere: ita tamen quòd nisi legitimè tibi constiterit eum contra justitiam excommunicatum fuisse, ex debito sibi juramenti præcipias ut super eo, de quo fuerit excommunicatione notatus, eidem Episcopo satisfaciat competenter. Quod si facere fortè contempserit, eum in excommunicationis sententiam appellatione remota reducere non omittas. Datum &c. Kalend. Iunij.

* *In tertia Collect.* faciatis inviolabiliter observari.

LEXOVIENSI EPISCOPO.

Epist. 229. Ne cogatur suspectis judicibus, etiam delegatis, respondere teneatur

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut si fortè contigerit aliquam causam te vel tuos principaliter contingentem, judicibus Rothomagen. ex apostolica delegatione ad petitionem partis adversæ committi, coram eis, cùm tibi fuerint certa ratione suspecti, respondere minimè teneamini, nisi fortè in literis commissoriis hujus indulgentiæ expressa mentio habeatur. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. ut suprà.

In eundem modum scriptum est pro Rothomagen. Archiepiscopo.

REGI ANGLIÆ.

Epist. 230. Quæ honestè facere licuit, in iis se Regi gratificatum dicit, hortatúrque ad pacem servandam cum Rege Franciæ.

ECclesiam suam, quam per Salomonem Dominus & amicam & sponsam frequenter appellat, flori lilij eleganti quadam & quasi expressa similitudine coaptavit. Ait enim: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Lilium quidem quanto fortiores spinarum sustinet punctiones, tanto vim odoris copiosioris emittit; & quò plus læditur, redolere suaviùs comprobatur. Vnde sibi meritò comparatur Ecclesia sponsa Christi; quæ cùm tribulationibus multis impetitur, tunc potissimùm in soliditate fidei pro tuenda justitia roboratur, & in ipsis punctionibus adversitatúmque molestiis constantior & firmior invenitur. Nos verò, quos ad ejus regimen quanquam non suffragantibus meritis divina providit dispositio eligi & assumi, illam concepimus firmiter voluntatem, ut neque mors neque vita ab amplexu nos possit seu observatione justitiæ revocare. Sanè venientibus ad præsentiam nostram venerabili fratre nostro Lexovien. Episcopo & dilecto filio magistro Garnero nunciis tuis, petitiones quas nobis ex parte regia obtulerunt, syncero affectu, quantum cum Deo & honestate potuimus, curavimus promovere. Rogamus autem & monemus attentiùs serenitatem regiam, quatenus si fortè in aliquo effectus tuo desiderio non respondet, non nostræ unquam duritiæ imputetur, cùm honestis & justis petitionibus excellentiæ tuæ benigni semper & faciles proposuerimus inveniri, sed justitiæ potiùs, quam officij nostri debitum certos fines transgredi non permittit, ad quam tenendam firmiter & servandam in suarum primitiis literarum serenitas regia nos monuit & induxit. Ceterùm, super eo quod prædicti tui nuncij postularunt, ut nobilem virum filium Ducis Austriæ ad restituendam pecuniam quam pater suus in periculum animæ suæ ad te, dum redires ab obsequio Iesu Christi, pro redemptione tua violenter extorsit, & in ultima voluntate pœnitentia ductus per eundem filium suum tibi restituendam mandavit, auctoritate apostolica cogeremus; noveris nos eidem nostris literis injunxisse ut prædictam pecuniam sine difficultate qualibet restituere non omittat. alioquin venerabili fratri nostro

Vide infrà epist. 242.

Q

Salzburgen. Archiepiſcopo literis noſtris injungimus ut ipſum ad reſtitutionem ejuſdem pecuniæ faciendam moneat diligentiùs & inducat, & per ſeveritatem eccleſiaſticam appellarione remota compellat. Verùm quia circa perſonam nobilis viri Ducis Sueviæ quædam audivimus immutata, eidem ad præſens ſcribere cautela prohibente nequivimus ut juxta poſtulationem tuam pecuniam quam à te Henricus quondam Imperator frater ipſius contra Deum & periculum animæ ſuæ extorſerat violenter, dum de tranſmarinis partibus remeares, deberet tibi reſtituere; præſertim cùm ejuſdem fratris ſui theſaurus ad eum eſſet ipſo mortuo devolutus, & ipſe vel heres ſit, vel tutor heredis. Veruntamen ſcribimus venerabili fratri noſtro Magdeburgen. Archiepiſco, ut Ducem ipſum moneat diligentiùs & inducat. alioquin tantam injuriam non poterimus ſub diſſimulatione tranſire quin in eundem Ducem & terram ejus ſine cujuſlibet acceptione perſonæ noſtri officij debitum & ſeveritatem curemus eccleſiaſticam, ſicut juſtum fuerit, exercere. Inſuper ſcribimus cariſſimo in Chriſto filio noſtro Illuſtri Regi Navarræ, ut pecuniam & caſtella ſancti Iohannis de Pedeportus & Roccabruna, quæ pater ſuus tibi cum filia ſua conceſſit in dotem; ſine aliqua difficultate reſtituat. alioquin venerabili fratri noſtro Narbonen. Archiepiſcopo, cui jam alia vice, ſi bene recolimus, ſuper hoc ſcripſimus, noſtris damus literis in mandatis ut ipſe eum per cenſuram eccleſiaſticam ad hoc monitione præmiſſa ſublato appellationis obſtaculo juſtitia mediante compellat. Ad hæc, cùm iidem nuncij à nobis cum inſtantia poſtulaſſent ut cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum illuſtrem Franciæ Regem ad reſtitutionem caſtrorum illorum & terræ compellere deberemus quæ contra protectionem ab apoſtolica ſede tibi conceſſam invaſerat antequam de peregrinationis obſequio ad propria remeares, dilectus filius magiſter W. de ſancto Lazaro nuncius ejuſdem Regis ſe conſtanter pro eodem oppoſuit; illum ad hoc aſſerens non teneri, cùm pactiones & conventiones ſolennes, quæ inter vos præceſſerant, & hinc inde fuerant roboratæ, tua magnificentia non ſeruaſſet, & per te fuiſſent primitus violatæ; maximè cùm ſororem ipſius dimiſeris, & aliam tibi curaveris matrimonio copulari; & quia poſt arreptum iter Hieroſolymam adeundi, cùm acquiſita quælibet deberetis habere communia, pecuniam à Rege Tancredo receptam & theſaurum de Cypro habitum tna ſibi communicare noluerit magnitudo; immo in tranſmarinis partibus damna ei plurima & injurias irrogarat, ſuos Milites immo * conſanguineos ab ipſius devotione & ſervitio ſubtrahendo. propter quod non ſine confuſione ſua coactus fuerat ad propria remeare. Adjecit etiam quòd ubi reſtitutus fuiſti propriæ libertati, cum eo ſuper omnibus querelis voluntate ſpontanea tranſegiſti. Quin potiùs, poſt pacem adinvicem factam, multa tibi caſtra de mera liberalitate donavit. E contra verò prædicti nuncij ſerenitatis tuæ nihilominus proponere conſtanter curaverunt quòd poſt fœdus prius initæ & juramento firmatæ ſocietatis, idem Rex Franciæ tibi primus injuriam intuliſſet, apud Meſſanam videlicet: ubi inſurgentibus hominibus Tancredi Regis in tuos, de impendendo tibi auxilio requiſitus, non ſolùm defecerat, ſed etiam propria manu tres de hominibus tuis occiderat cum baliſta. Poſt quod factum cùm ſe pœnitudine duci aſſereret, inter vos pactio interceſſit: in qua pro decem millibus marcbis argenti, quas ei reddere promiſiſti, prædictus Rex à contrahendo cum ſorore ſua matrimonio te abſolvit, & Giſortium cum Wlcaſſino tibi quietum in perpetuum omnino dimiſit. Aſſerebant quoque de theſauro Cypri, & de pecunia à Tancredo habita, præterquam de dote ſororis tuæ I. Illuſtris quondam Reginæ Siciliæ, eidem Regi, ſicut de ceteris, ad voluntatem tuam pleniſſimè ſatisfactum: ita quòd cùm prædictus Rex Franciæ ab orientali terra diſcederet, ſub juramento promiſit quòd terram magnificentiæ tuæ tibi conſervaret integram & illæſam in eo ſtatu in quo fuerat quando Hieroſolymitanum iter fueratis aggreſſi, quouſque reverſus ad propria moram quadraginta dierum in terra propria peregiſſes. contra quam promiſſionem eandem terram & caſtra non fuerat veritus

Epiſtola ad Archiep. Magdeburg. extat infrà num. 236.

Vide ſuprà epiſt. 211.

* Intelligit haud dubiè Henricum Comitem Trecenſem.

occupare. Super quibus conventionibus literas ejusdem Regis patentes apud tuam afferebant magnitudinem residere. Conventiones verò quas idem Magister V. de sancto Lazaro, persona tua libertati propriæ restituta, inter te ac prædictum Regem ultimò intervenisse retulerat, iidem nuncij tui, si quæ fuerant, asserebant præfatum Regem Franciæ primitus violasse; cùm etiamsi qua tunc pacta subieras, spoliatus eadem subiisses. propter quæ ad ea dicebant nullatenus te teneri. Licèt itaque & hæc & alia multa pars utraque proponeret, quæ pro ipsis facere videbantur; quia tamen causarum merita partium assertione panduntur, & ipsi personam standi in judicio non habebant, non potuimus salva justitia in ipso negotio sine veritatis inquisitione procedere. Nos ergo juxta regiæ petitionis instantiam, propter has & alias necessitates quamplurimas, facultate nobis à Christo concessa, nacta quoque temporis opportunitate condigna, dispositis priùs quæ tam circa Vrbem quàm circa regnum Siciliæ necnon & aliud Ecclesiæ patrimonium fuerint disponenda, licèt multæ nobis & magnæ solicitudines ex diversis causis incumbant, si tamen ille nobis annuerit à quo speramus dirigi gressus nostros, partes vestras, (ut tamen nos ad promissionis debitum non ligemus) nisi aliud impedimentum occurrat, intendimus visitare; ut super his, & aliis, quæ toti Christianitati credimus profutura, deliberatione provida procedamus. Si verò desuper datum non fuerit, per Legatos nostros quod justum fuerit, sine personarum acceptione, favente Domino, statuemus. Illud autem serenitatem regiam nolumus ignorare, quòd quantumcunque nobis molestum existeret præfatum Regem Franciæ ac te ipsum in aliquo molestare, non poterimus aliquatenus sustinere quin vos ad pacem ineundam pariter & servandam per districtionem ecclesiasticam ratione prævia compellamus; non de nostris viribus confidentes, sed de illius omnipotentia cujus vices, licèt immeriti, exercemus in terris. Datum Romæ apud sanctum Petrum, II. Kalend. Iunij.

BITVRICEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 211. Vt inquirat cōtra Engolismēsem Episcopum, dilapidatorem Ecclesiæ suæ.

Grave nobis est admodum & molestum, cùm de aliquo fratrum & coëpiscoporum nostrorum aliqua in nostro auditorio proponuntur quæ in ipsis episcopale officium & integritatem famæ denigrare videntur; cùm semper velimus audire de singulis ea quæ ad perfectam curam pastoris pertinent, & ad commissi gregis commodum & salutem. Insinuarunt autem nobis dilecti filij quidam Engolismensis Ecclesiæ Canonici, quòd venerabilis frater noster I. Episcopus suus patrimonium episcopatus minùs utiliter administrans, dilapidavit multa de bonis mensæ suæ usibus deputatis, & per alienationes illicitas contra juramentum quo tenetur Ecclesiæ, possessiones episcopatus enormiter minuit & consumpsit. Proponebant insuper quòd multas Ecclesias post appellationem in synodis sæpius iteratam, præter assensum Capituli collegiis perpetuò assignavit, cùm id canonicis dissonet institutis. Alienata verò & dilapidata & Ecclesias episcopali ordinationi subtractas sub tua reservarunt præsentia exprimenda, ne prolixæ orationis series legenti pariter & scribenti fastidium importarent. Adjecerunt etiam quòd sit insufficiens, indiscretus, inutilis, appellationúmque contemptor, & quòd per suæ simplicitatis negligentiam sub ipsius regimine non solùm mensa & Ecclesia sua, verùm etiam tota diocesis admodum gravia sustinuit detrimenta. Pauca siquidem de pluribus exprimentes, dixerunt ipsum Episcopum indignis & minùs idoneis sacros ordines & ecclesiastica beneficia contulisse: ita quòd cùm olim ordines celebraret, & ventum esset ad Presbyteros ordinandos, in manuum unctione quidam inter Presbyteros consecrandos inventus est pollicem non habere. Minoribus, & nondum in sacris ordinibus constitutis, animarum curam dicitur commisisse, & etiam à pluribus ordinandis suscepisse ante datum ordinem juratoriam cautionem ne pòst ab eodem beneficium ecclesiasticum contra suam peterent voluntatem. Ad magnum autem indiscretionis suæ & insufficientiæ argumentum constanter fuit in audientia nostra propositum, quòd cùm olim idem Episcopus super ordinanda Ecclesia literas impetrasset, mo-

nachos albos & nigros & Priorem de Allavilla Canonicum regularem ordinavit in Ecclesia sua Canonicos. Quod factum tanquam ridiculosum sedes apostolica, cùm ad ejus venisset notitiam, revocavit. Præterea quendam nepotem suum, qui professus ordinem de Corona, ibi in sacerdotali officio & habitu regulari diù fuerat conversatus, extractum inde canonicavit in Ecclesia Cathedrali. Sed Abbas loci, tanquam discretus & providus, ipsum postmodum revocavit ad claustrum. In solemnitatibus expressis à canone in majori Ecclesia non deservit. Confirmat Abbates, & tractat causas difficiles, sine Canonicorum assensu. Presbyteri & Clerici per ejus insufficientiam capiuntur. Bona ecclesiastica occupantur, & homines sibi & antecessoribus ejus debita & exhibita subtrahunt; & præterea jura quæ prædecessores sui in civitate hactenus habuerunt, ferè permisit penitùs deperire. Sententias quoque à sede apostolica confirmatas præsumpsit auct. * apostolica relaxare, & alia multa committere quibus correctionis debitę manus celeriter convenit adhiberi. Ideóque fraternitati tuæ per apost. scripta mandamus quatenus vocatis ad præsentiam tuam qui fuerint evocandi, inquiras super præmissis omnibus & aliis quæ proposita fuerint, appellatione remota, diligentiùs veritatem, & quæ inveneris, fideliter redacta in scriptis nobis sigillo tuo signata mittere non postponas, præfigens partibus terminum competentem, quo cum ipso nostro se debeant præsentare conspectui, sententiam auctore Domino recepturæ; attentiùs provisurus quòd mandatum nostrum taliter executioni demandes, quòd tua fraternitas meritò possit & debeat commendari. Nullis literis &c. veritate tacita. Datum Romæ apud sanctum Petrum III. Kalend. Iunij.

* Leg. propria

ABBATI ET CONVENTVI Cariloci.

Epist. 132. Cap. Ex parte. De temp. ordi.

EX parte vestra nostro fuit apostolatui referatum quòd quidam monachus vester se ad nigros monachos transferens, & habitum nigrum ibidem assumens, ad sacerdotij ordinem in ipso habitu est promotus. Vnde quia in hoc articulo dubitatis utrum in assumpto taliter ordine debeat ministrare, nos hujus modi dubietatis scrupulum enodantes, per apostol. vobis scripta mandamus quatenus nisi aliud canonicum ei videritis obviare, ipsum monachum officium sacerdotis exequi liberè permittatis. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

ABBATI VNGIACEN.

Epist. 133. In causis Ecclesiæ & cœnobij, Ecclesiæ membra testantur.

TVnc libentiùs postulata concedimus, quando quod petitur ab æquitate non deviat, & petentis personæ gravitas morum & vitæ merita suffragantur. Postulasti siquidem à nobis, dilecte fili, de benignitate tibi sedis apostol. indulgeri, ut in causis Ecclesiæ tibi commissæ uti testimonio fratrum tuorum valeas, & eis habeatur fides, sicut consuevit testibus adhiberi. Nos ergo attendentes petitionem tuam institutis canonicis convenire, quæ in causis civilibus illos testes statuunt assumendos qui negocia ecclesiastica tractaverunt, & de quorum fide non potest aliquatenus dubitari, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut quoties Ecclesiæ tuæ videris expedire, in causis quæ non fuerint criminales, fratres & Canonicos Ecclesiæ tuæ inducere possis ut perhibeant testimonium veritati. Datum Romæ &c. Kalend. Iunij.

EDVEN. EPISCOPO, Vngiacen. & sanctæ Margaritæ Abbatibus.

Epist. 134. De restaurādis cœnobiis, & reformāda monastica disciplina.

LIcèt bonæ memoriæ Clemens & Celestinus prædecessores nostri de tuæ, frater Episcope, discretionis honestate confisi, sollicitudini tuæ dederint in mandatis ut tui episcopatus loca religiosa, quæ à sui status integritate collapsa cognosceres, & in quibus religionis observantiam attenderes diminutam, pontificali auctoritate corrigere non differres; ut tamen tuæ maturitatis correctio majorem obtineat firmitatem, auctoritatem nostram super hoc & favorem sollicitè postulasti. Nos igitur considerationem tuam dignis laudibus commendantes, & volentes abbatiam sancti Iohannis Eduensis, quæ in magnam dissolutionem religionis & ordinis collapsa proponitur, per tuæ discretionis industriam correctione debita reformari, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad locum pariter accedentes, de statu monasterij plenam stu-

deatis elicere veritatem, & quæcunque in capite vel in membris tam circa spiritualia quàm temporalia de jure statuenda & corrigenda videriris, auctoritate freti apostol. sublato appellationis obstaculo corrigatis, & faciatis quod à vobis statutum fuerit sine refragatione servari. Nullis literis veritati & justitiæ &c. Quòd si omnes &c.ru, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum &c. Kalend. Iunij.

VV. REMEN. ARCHIEPISCOPO, sanctæ Sabinæ Cardinali, & Suffraganeis ejus.

Epist. 235. Vt per quosdã falsarios confictas Bullas intercipiant. Cap. Dura sæpe. *De falsariis. Vide infrà epist.* 262.

DVra sæpe mandata & institutiones interdum iniquas à sede apostolica emanere multi arguunt & mirantur, & in hoc ei culpam imponunt in quo synceritas ejus, culpæ prorsùs ignara, per innocentiam excusatur. Nos etenim circa majora negotia frequentiùs occupati, & curam universorum ex officio nostro gerentes, per quod sumus omnibus debitores, cùm omnibus apud nos instantibus in continenti satisfacere non possimus, quidam eò quòd à semita justitiæ oberrantes, per ulrra quàm permittit honestas suæ petitionis licentiam extendentes, exaudiri non possunt, in motum propriæ voluntatis irrumpunt, & ad sua ingenia falsitatis & artes perditionis cum animi exquisita malitia recurrentes, per falsæ astutiam speciei candorem puritatis apostolicæ denigrare ac depravare nituntur. Ex cujus falsitatis ingenio quot & quanta mala provéniant, cùm per eam & innocentes quandoque damnentur, & rei ab objectis criminibus absolvantur, necnon & apostolicæ sedis lædatur auctoritas, ipsa rei evidens malitia protestatur. Licèt autem hujusmodi falsitas aliquandiu possit cum operibus tenebrarum abscondi, tamen quia per eam beatis Apostolis specialiter infertur injuria, ille, à quo in persona eorum Romana Ecclesia auctoritatem super Ecclesias universas accepit, (unde & Bulla nostra, per quam totius negotia Christianitatis aguntur, capitum ipsorum charactere præsignatur) perniciem tanti sceleris non patitur in tantum præjudicium eorum diutiùs occultari. Accidit enim nuper in Vrbe quòd quidam hujusmodi falsitatis astutiam perniciosiùs exercentes, in suis fuere iniquitatibus deprehensi; ita quòd Bullas tam sub nomine nostro quàm bonæ memoriæ Celestini PP. prædecessoris nostri, quas falsò confinxerant, & quamplures literas Bullis signatas eisdem invenimus apud eos, ipsósque captos adhuc in carcere detinemus. Nos autem honori Romanæ Ecclesiæ & utilitati omnium paterna volentes solicitudine providere, de communi fratrum nostrorum consilio statuimus, & sub excommunicationis pœna & suspensionis ordinis & beneficij districtiùs inhibemus, ne quis apud sedem apostolicam de cetero literas nostras nisi à nobis vel de manibus illorum recipiat qui de mandato nostro sunt ad illud officium deputati. Si verò * persona tantæ auctoritatis extiterit, ut deceat eum per nuncium literas nostras recipere, nuncium ipsum ad cancellariam nostram vel ad nos ipsos mittat idoneum, per quem literas apostolicas juxta formam præscriptam recipiat. Si quis autem in hac parte mandati nostri transgressor extiterit; si laicus fuerit, excommunicationi subjaceat; si Clericus, officij & beneficij sui suspensione damnetur. Verùm quia, sicut à falsariis ipsis accepimus, tam ad partes vestràs quàm ad ceteras regiones per literas transmissas ab eis suæ iniquitatis falsitas multipliciter est diffusa, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus provinciale Concilium evocetis, in quo solenniter & generaliter statuatis ut per singulas parochias publicè proponatur quòd si quis à sede apostolica literas impetraverit, quarum tenor posfit esse suspectus, & eis uti voluerit, ut staturam pœnam evadat, primò fiat collatio de falsa Bulla cum vera; & si eam invenerit falsitate notandam, Episcopo diocesano, Abbati, vel Archidiacono loci easdem literas nos differat præsentare: qui, veritate comperta, illum qui tales literas reportavit, si laicus fuerit, excommunicationi subjiciat; si Clericus, eum ab officio beneficióque suspendat. Ad hæc, adjicientes statuimus ut generalem excommunicationis sententiam promulgetis, quam per singulas parochias faciatis frequentiùs innovari, quòd si quis falsas literas se cognoscit habere, infra quindecim dies literas illas aut destruat aut resigner, si pœnam excommunicationis voluerit evadere; quam, nisi forsan in mortis articulo, sine speciali mandato nostro à quocunque

Vide caput Ad falsariorum, *De falsariis.*
**in Tertia Collect.* tantæ auct. aliquis extit.

nolumus relaxari; oec etiam si præsumpta fuerit contra hoc absolutio, quicquam habeat firmitatis; ne fortè post tempora nostra falsitas * interim occultata cuiquam valeat præjudicium generare. Cæterùm, ad majorem illius notitiam falsitatis habendam, ut fieri possit Bullæ falsæ cum nostra collatio, præsentibos literis unam deBullis falsis cum vera Bulla duximus appendendam; districtiùs injongentes ut quascunque literas inveneritis hac vel alia falsitate notandas, si quid actum fuerit occasione illarum, appellatiooe postposita irritetis; ita quòd hujusmodi falsitas nullo temporis spatio valeat excusari, & portitores earum tamdiu faciatis sub arcta custodia detioeri, donec receperitis super hoc nostræ beoeplacitom voluntatis. Datum Romæ apud sanctum Petrum XIV. Kalend. Iunij, pontificatus nostri aono primo.

* In tertia Collect. in tantum occulta

In eundem modum scriptum est super hoc universis Archiepiscopis & eorum Suffraganeis singulariter.

MAGDEBVRGEN. ARCHIEPISC.

Epist. 116. V. Ducem Sueviæ cogat Angliæ Regi ablatam pecuniam restituere. Vide supra epist. 130.

IN eo sumus officio disponente Domino constituti ut singulorum & omnium saluti consulere debeamus, & universis peteotibus, tam majoribus, quàm minoribus, io executiooe justitiæ providere. Saoè quàm potenter & magoificè carissimus in Christo filius noster R. Illustris Rex Angliæ se ad obsequium Domini in partibus transmarinis haboerit, ita ut nec rebus suis pepercerit nec personæ, sed se ipsum multis & variis discriminibus pro exaltatione Christiani nominis exposuerit, quàmque graves & enormes injurias & jacturas ab H. quondam Imperatore pertuletit inde revertens, per totum ferè orbem fama notissima divulgavit. Quæ res tanto profundiùs Romanam taogit Ecclesiam, quanto injuriæ & gravamina Regi eidem illata in ejus ignominiam & injuriam noscuntur graviùs redundare. Quia igitur tam gravem Domino & apostolicæ sedi oecooo & ipsi Regi injuriam irrogatam salva conscieoria dissimulare non possumus, nec debemus; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus nobilem virum Ducem Sueviæ, ad cujus manus thesaurus præfati Imperatoris pervenit, & patrimonium ejus vel jure successionis vel saltem tutelæ nomine ooscitur devenisse, diligenter admoneas & quàm efficaciùs poteris procures inducere ut eidem Regi de ablata pecunia satisfaciat competenter. alioquin noverit quòd nos tantam iojuriam non poterimus sub dissimulatione traosire, quio in eum & terram ejus nostri officij debitum, sicut justum fuerit, exequamur. Datum Romæ apud sanctum Petrum, II. Kalend. Iunij.

TARENTASIEN. ARCHIEPISC.

Epist. 117. De incendiariis absolvendis.

INter alias petitiones tuas postulasti onper à nobis qnòd circa incendiarios absolveodos, qui non possuot ad sedem apostolicam proficisci, tecum dispensare vellemus ut eis posses absolutionis beneficium impertiri. Nos ergo, quia personam tuam syncera caritate diligimus, auctoritate tibi præsentium duximus indulgendum ut illos incendiarios absolvere tibi liceat usque ad triennium qui propter ægritudines aut inimicitias capitales se non possunt nostro conspectui præsentare. Appellationibus quoque, qoas parochiani tui vel diocesani Episcopi tuum volentes judicium declinare, frustatoriè interponunt, nolumus te deferre. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. V. Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno primo.

EVERARDO NITRIEN. *Episcopo.*

Epist. 118. Ut oblata Ecclesiæ bona retineat, & de prædiis quæ ipse colit, decimas non persolvat.

IVstis petentium &c. *usque ad verbum* assensu, Statuimus ut quascunque possessiones, quæcuoque bona Ecclesia Nitrien. in præsentiarum justè & caoonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi & per te Ecclesiæ tuæ & illibata permaoeant. Prædia quoque ad Ecclesiam tuam diocesaoa lege spectantia, quæ propriis laboribus excolis, à solutione decimarum eximimos; nec aliqois de laboribus tuis ausu temerario decimas exigere vel extorquere præsumat. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. Kalend. Iunij.

BURGEN. ET PALEN. Episcopis.

Epist. 139. Qui spoliatus est, non potest aliis solvere antequam restituatur. Cap. Olim. De restitutione spoliatorum.

OLim vobis dedisse meminimus in mandatis ut venerabilem fratrem nostrum Oveten. Episcopum ad debitam restitutionem partis Zamoren. diocesis, quam tenebat, cum perceptis fructibus cogeretis, si dilectum filium fratrem Rainerium, priusquam super hoc mandatum apostolicum adimpleret, viā ingredi contingeret omnis carnis. Verùm quia inanis est actio quam inopia debitoris excludit; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus non prius Episcopum ipsum ad restitutionem fructuum compellatis; quàm ipse fuerit taliter restitutus ut restituere possit quod percepit de proventibus alienis. Non autem per hoc priores literas revocamus; sed eis in sua firmitate manentibus, coactionem ipsius Episcopi ad restitutionem fructuum taliter perceptorum differri volumus, donec id valeat adimplere. Datum Romæ &c. V. Kalend. Iunij.

In eundem modum Episcopo Palentino & Abbati de Spina scriptum est pro restitutione partis Salamantinæ diocesis detentæ ab eodem Episcopo Ovetensi.

LEXOVIEN. EPISCOPO.

Epist. 140. De officio Archiepiscopi ad suum Suffraganeum, & Suffraganei ad suũ Archiepiscopũ.

SIcut ea quæ pacem & concordiam nutriunt, pura debemus intentione perquirere; ita ex debito solicitudinis pastoralis illa tenemur ab ecclesiasticis viris studiosius extirpare, quæ seditionem excitant, & scandalum introducunt. Sanè cùm occasione illius indulgentiæ, quam de benignitate sedis apostolicæ cognoscendi venerabilis frater noster Rothomagen. Archiepiscopus per provinciam suam de innovatis post appellationem, appellatione remota facultatem habebat, inter te & ipsum gravis hactenus fuerit discordia excitata, præsertim cùm tu ipse per diocesim tuam hanc eandem gratiam de indulto consimili à sede apostolica meruisses, auditis gravaminibus & detrimentis tuæ propter hoc & Rothomagen. Ecclesiæ irrogatis, ad pacem & quietem vestram non potuimus non moveri; maximè cùm ex utraque indulgentia non modicum Romanæ Ecclesiæ præjudicium generetur. Ideóque ut per studium nostrum inter vos discordiæ fomes super hoc de cetero penitùs extinguatur, prædictam in utroque vestrum indulgentiam de communi fratrum nostrorum consilio penitùs vacuantes, statuimus vos esse ulterius, quoad hunc articulum, communi jure contentos. Ad hæc, ne propter hoc tu videaris ab ipsius subjectione subtractus, volumus ut sibi tanquam Metropolitano tuo debitam obedientiam exhibeas cum honore; ipse verò (sicut ratio mutuæ caritatis exposcit) tibi, ut fratri & coepiscopo suo, paternam benignitatem ac dilectionem impendat. Cæterùm ut tu ipse non possis vel debeas ab ipso indebitè aggravari, de communi fratrum consilio tibi duximus indulgendum ut si fortè ad dictandam in te vel Ecclesiam tuam sententiam casu aliquo moveatur, trina semper admonitio competenti temporis spatio interjecto canonicè antecedat. Et si fortè ab imminenti duxeris gravamine appellandum, cùm appellationis remedium institutum sit ad præsidium oppressorum, nolumus post appellationem emissam, vel ante commonitionem expositam, contra personam vel Ecclesiam tuam aliquid attentari. Si verò vel ante commonitionem emissam, vel post appellationem rationabiliter interpositam, in te vel Ecclesiam tuam suspensionis, interdicti; aut excommunicationis dictus Archiepiscopus sententiam promulgaverit, illam decernimus non tenere, nec volumus personæ vel Ecclesiæ tuæ gravamen aliquod exinde seu præjudicium generari; nisi fortè (quod absit) tantum & talem excessum committeres, propter quem de jure communi tibi provocandi foret interdicta facultas. De personis autem & causis Lexovien. diocesis nil ampliùs statuat vel disponat, nisi quantum de jure communi sibi dignoscitur esse concessum, liberam tibi tuæ diocesis dispositionem & ordinationem relinquens, appellationis jure ad eum vel ad nos faciendum nullatenus impedito. Datum Romæ apud sanctum Petrum &c.

In eundem ferè modum scriptum est Archiepiscopo Rothomagensi.

* * † * *

LEXOVIEN. EPISCOPO.

Epist. 141.

CVm occasione illius indulgentiæ quam de benignitate &c. *ut suprà usque ad verbum illud* contentos. Ceterùm ne propter hoc aliæ indulgentiæ, quas habes, videantur quomodolibet revocari; significatione tibi præsentium innotescat, quia nos prædictam tantùm indulgentiam, & non alias, revocamus. Datum &c. Kalend. Iunij.

NOBILI VIRO FILIO *Ducis Austriæ.*

Epist. 142. Imperat ut Regi Angliæ ablatam à patre pecuniã restituat. Vide suprà epist. 130.

IN eo sumus officio disponente Domino &c. *ut suprà usque ad verbum* providere. Sanè quàm graves injurias & jacturas carissimo in Christo filio nostro R. Illustri Regi Anglorum à crucis obsequio revertenti Dux Austriæ pater tuus intulerit, nullum Christiani nominis professorem credimus ignorare. Quę res tanto profundiùs Romanam tangit Ecclesiam, quanto injuriæ Regi eidem illatæ in ejus injuriam & ignominiam noscuntur graviùs redundare, cùm ipsi Regi nondum fuerit satisfactum, licèt non credamus à tua memoria excidisse quòd (divina gratia inspirante) prædictus pater tuus suum recognoscens excessum, ablatam pecuniam ipsi Regi non solùm reddi præceperit, verùm etiam à te & ab aliis familiaribus suis & fidelibus, qui præsentes aderant, super solutione ipsius pecuniæ præstari fecerit corporaliter juramentum. Quia igitur tanti excessus injuriam clausis oculis præterire non possumus, nec debemus; nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino, atque in remissionem injungimus peccatorum, quatenus tam tuæ quàm animæ patris tui saluti juxta præstitum à te providens juramentum, prænominato Regi pecuniam sine difficultate restituas antedictam, & de injuriis irrogatis satisfactionem congruam non differas exhibere. Alioquin noveris nos venerabili fratri nostro Salzburgen. Archiepiscopo dedisse firmiter in mandatis ut te ad hęc per excommunicationis sententiam in personam, & interdicti in terram, contradictionis occasione & appellatione cessantibus, monitione præmissa, compellere non omittat. Datum &c. III. Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno primo.

Illi scriptum est super hoc,

GARNERO PRIORI *Lochsien.*

Epist. 143. Quòd liceat ipsi terrarũ quarundam firmã retinere, salva Capitulo antiqua pensione.

IVstis petentium &c. *usque ad verbum* effectu. Sanè (sicut nobis exponere curavisti) idem Prioratus tuus redditus sufficientes, de quibus pro loci & Prioratus nominis celebritate honestè valeas sustentari, non habet. Verùm cùm tam apud Corne. quàm Molernum & Murum eadem Ecclesia quædam jura & redditus habeat, videlicet hominum & terrarum, quæ voluntate Prioris & Capituli dantur ad firmam, & de firmariis frequenter ad alios firmarios transferuntur, de illis ipsi Ecclesiæ nullum provenit incrementum: quæ si apud aliquem perpetuò residerent, salva pensione quam Capitulum inde percipere consuevit, aliquod emolumentum posset exinde provenire. Vnde nos tam tuis quàm Ecclesiæ tuæ volentes intendere incrementis, duximus statuendum ut completo termino eorum qui prædictos redditus & jura ad firmam habere noscuntur, salva consueta pensione Capitulo ipsi reddenda, tibi & Priori, qui pro tempore fuerit, ea liceat retinere, nisi fortè redditus ipsi tantum per meliorationem accreverint, ut & ipse census debeat augmentari. Decernimus ergo &c. Datum II. Kalend. Iunij.

EPISCOPO ET CAPITVLO *Engolismen.*

Epist. 144. Canonici apud Ecclesiam non residentes, non possunt infringere quæ ius absentibus rectè statuuntur.

AD audientiam nostram meminimus pervenisse quòd quidam Ecclesiæ vestræ Canonici, licèt ibi non faciant mansionem, sed in locis aliis majori parte anni pro suæ voluntatis arbitrio sine rationabili causa morentur, vel etiam circumpositas circumeant regiones, tamen quoties de terrarum Ecclesiæ dispositionibus vel Canonicorum receptione tractatur, eandem sibi volunt sive in contradictione sive procuratione terrarum auctoritatem inter ceteros vendicare, quam illi qui circa Ecclesiam continuè demorantur & servitiis divinis assistunt. Vnde, quoniam plus emolumenti merentur accipere qui plus inveniuntur circa ministerium ecclesiastici cum sustinere laboris, ad exemplar sanctæ recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri, universitati vestræ præsentibus literis indulgemus ut si tales Canonici nullam rationem canonicam prętendentes

tendentes, rationabiles dispositiones Capituli vestri communi judicio celebratas, pro eo solo quòd præsentes non fuerint, attentaverint impugnare, vel contradictionem objecerint, cùm talia tractabuntur, objectionem eorum vel appellationem, si quam interposuerint, necesse non habeatis admittere, vel eis terrarum vestrarum Præposituras committere, quas Balias vulgariter appellatis, qui noluerint in personis propriis ministrare. Datum Romæ &c. VIII. Idus Iunij.

CANTVARIEN. ARCHIEPISC. & Lincolnien. & Vvigornien. Episcopis, & Abbati de Theoches.

Epist. 145. Vt ejecti ex cœnobio monachi, in pristinum statum restituantur.

SIcut ea quæ à prædecessoribus nostris provida fuerunt deliberatione statuta, nullatenus irritari volumus, vel infringi; sic quæ ab eis sunt per subreptionem obtenta in honestatis ecclesiasticæ detrimentum, corrigi volumus, & in statum redigi meliorem. Cùm enim, sicut accepimus, in Conventren. Ecclesia ferè à prima fundatione Christianæ religionis in Anglia ordo fuerit monasticus institutus, & in tantum in ea observantia ferbuerit regularis, ut ab apostolica sede privilegiari & ab inclytæ recordationis Regibus Angliæ dotari meruerit & ditari; dolemus plurimùm, quòd venerabilis frater noster Cestren. Episcopus, occasione quarundam literarum quas à bonæ memoriæ Clemente Papa prædecessore nostro ad falsam suggestionem, sicut dicitur, impetravit, dilectos filios M. Priorem & Conventum de eodem monasterio violenter ejecit, & Canonicos in eo instituit seculares. Cùm igitur id in monasticæ religionis injuriam & totius ecclesiasticæ disciplinæ redundet opprobrium, & vix credere valeamus quòd dictus prædecessor noster tantæ irregularitati, nisi circumventus, auctoritatem præstiterit aut favorem, de communi fratrum nostrorum consilio discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus prædictis literis vel aliis privilegiis confirmationis, sive indulgentiæ, si quæ apparuerint à sede apostolica impetratæ, nequaquam obstantibus, absque dilatione qualibet seu causæ cognitione, cùm in manifestis ordo judiciarius minimè requiratur, amotis ab eodem monasterio secularibus Clericis qui in eo fuerunt per supradictum Episcopum instituti, monasticum ibidem ordinem reformetis, monachos ejectos exinde reducentes in illud. non obstante si dictus Episcopus, vel pars adversa, aut ejus nuncius, ante susceptionem literarum nostrarum, aut pòst, iter arripuerit ad sedem apostolicam veniendi, & I. monacho Cluniacen. vel quolibet alio illicito detentore amoto, dictum M. Priorem cum prædictis monachis & alias personas instituatis, qui beati Benedicti regulam debeant & desiderent observare. Memoratum verò Episcopum & universos detentores & spoliatores bonorum ejusdem Ecclesiæ ad eorum restitutionem & de damnis illatis congruam satisfactionem per censuram ecclesiasticam, cujuslibet appellatione vel contradictione cessante, cogatis. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut omnes donationes Ecclesiarum, infeudationes, locationes, & alienationes possessionum ejusdem Ecclesiæ ab eo tempore factas nostra freti auctoritate, cassetis; eos qui contra venire præsumpserint, sublato appellationis obstaculo censura canonica percellentes. Illos autem qui manus violentas in prædictos monachos temerè injecerunt, excommunicatos publicè nunciatis, & ab omnibus faciatis arctiùs evitari, donec injuriam passis satisfaciant competenter, & cum vestrarum literarum testimonio ad sedem apostolicam veniant absolvendi. Quòd si omnes &c. Duo vel tres vestrum &c. Datum Romæ III. Non. Iunij.

BVRDEGALEN. ARCHIEPISC. sancti Eparchij & Nantolien. Abbatibus.

Epist. 146. Committitur causa P. Engolismensis contra Ar. de Mantrac. super archidiaconatu Engolismensi.

COnquestus est coram nobis dilectus filius P. Engolismen. dictus Archidiaconus, quòd cùm venerabilis frater noster Engolismen. Episcopus, cujus nepos esse dignoscitur, archidiaconatum vacantem, quàm citò de morte bonæ memoriæ I. quondam Engolismen. Archidiaconi certus fuit, ei liberaliter contulisset, ex parte illius fuit ad sedem apostolicam appellatum, ne quid contra donationem sibi factam deberet præter juris ordinem immutari. Cùm autem postmodum Parisius disciplinis scholasticis institisset, & rediens ad propria, vellet in concesso sibi archi-

diaconatus officio ministrare, Ar. de Mairinac Presbyter, qui ad hoc assumptus fuit in Canonicum Ecclesiæ Cathedralis ut ibi continuè in sacerdotali officio deserviret, non permisit eum prædictum archidiaconatum liberè obtinere, licèt privilegium donationis ostendere & donum sibi factum vellet tam vivis testibus quàm scriptis authenticis declarare. Vnde cùm vocatus esset à te, frater Archiepiscope, ut super hoc pareret justitiæ, causa dilationis frustratoria, ut dicitur, appellavit. Quia igitur plenè de præmissis non potuimus elicere veritatem, de assensu partium causam super his vobis duximus committendam; discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes, quatenus partibus convocatis audiatis causam, & ipsam appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes appellatione remota cogantur. Nullis literis obstantibus præter assensum partium &c. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Non. Iunij.

NIVERNENSI EPISCOPO, & S. Benigni Divionensis & Theoloci Abbatibus.

Epist. 247. Committitur iis causa Episcopi Eduensis contra Abbatē de Buxeria, super testamento & bonis cujusdam defuncti, quem Abbas monachum fuisse aiebat. Cap. Cùm dilectus. De success. ab intestato.

CVm dilectus filius Abbas de Buxeria ad nostram nuper præsentiam accessisset, & pro causa quam adversùs venerabilem fratrem nostrum Episcopum Eduen. habebat, ibidem diutiùs expectasset, tandem nuncius ejusdem Episcopi supervenit. Quibus volentibus ad invicem litigare, venerabilem fratrem nostrum I. Viterbien. Episcopum sancti Clementis Cardin. concessimus auditorem. Ipsis igitur in ejus præsentia constitutis, Abbas proposuit antedictus quòd cùm Archipresbyter de Alerio se ac sua ad participationem orationum monasterio de Buxeria pietatis intuitu obtulisset, quibusdam rebus suis usui suo simplici reservatis, de manu cujusdam fratris ejusdem cœnobij augmentationem coronæ in signum illius oblationis accepit; & quòd hanc concessionem hoc modo fecisset, & non suo nomine sed nomine monasterij possideret, & monasterio quicquid acquirebat acquireret, sæpe fuit in communi Capitulo protestatus. In hoc etiam publicè per viginti annos ferè idem Archipresbyter nullo contradicente vel reclamante permansit; ita quòd per publicam famam id omnibus notum fuerat. Nam Abbas de Buxeria qui pro tempore fuerat, & ipsi monachi rebus ipsius non secus quàm aliis rebus propriis monasterij sciente Episcopo Eduen. qui pro tempore erat, & in nullo penitùs reclamante, publicè utebantur. Id autem quod mente compoti dictus Archipresbyt. fecerat inter vivos, & in ultima voluntate mente sanus, licèt æger corpore, confirmavit. Cùmque idem Abbas & monachi res sic legitimè datas, & alias, quas Archipresbytero ipsi concesserant ad utendum, ad suum monasterium reducere vellent, prædictus Episcopus eis violentiam inferens, non solùm res Archipresbyteri, verùm etiam res ipsius monasterij occupavit: quas cùm in bona pace repeterent, ipse, ut in rebus illis ci posset grassandi materia plenior indulgeri, sedem apostolicam appellavit, in octavis beati Martini proximò præteritis suæ terminum appellationi præfigens. Econtra prædicti nuncius Episcopi allegavit quòd quando illa donatio facta fuit, Archipresbyter erat positus extra mentem; ita quòd cùm interrogatus fuisset à monachis, *Vis tu habitum suscipere monachalem?* & respondisset, *Volo*, statim interrogatus ab alio, *Vis tu esse asinus?* respondit similiter, *Volo.* sicque prædicti monachi eum ad suum monasterium deportarunt. quod idem nuncius se obtulit probaturum. Præfatus siquidem Abbas cùm ad assertionem partis suæ quosdam testes in continenti produceret, nos ipsos recipi fecimus & diligenter audiri: quorum attestationes cùm interloquendo decrevissemus publicari debere, quoniam super illis capitulis pars Episcopi nolebat testes producere super quibus idem Abbas testes produxerat, ipsæque fuissent in publico recitatæ, disputatione super attestationibus ipsis habita diligenti, multa fuere contra dicta testium allegata. Cùmque renunciatum fuisset à partibus, dictus Cardin. quæcunque fuerunt hinc inde proposita nobis & fratribus nostris fideliter recitavit. Quibus auditis & cognitis, sufficienter intelleximus esse probatum quòd dictus Archipresbyter agens in extremis, velut ultimam exprimens voluntatem, asseruit se ac sua monasterio de Buxeria contu-

lisse. Unde cùm requisitus esset ut conderet testamentum, respondit se non posse testari, quia se & sua contulerat monasterio sæpedicto. Et licèt unus solus testis dixerit se vidisse quando præfatus Archipresbyt. se & sua obtulit monasterio; quia tamen alij testes dixerunt se audisse ipsum Archipresb. in Abbatis præsentia confitentem, & quod prædictum est attestantem, non tanquam sufficienter probantes, sed tanquam vehementer adminiculantes, assertionem Abbatis plurimùm adjuvabant. Quia verò pars Episcopi asserebat se velle probare quòd dictus Archipresbyter in extremis laborans, tanquam phreneticus alienatus erat à mente, unde non valuit quod expressit; nos super his & aliis quæ fuerunt hinc inde proposita cum fratribus nostris diligenti deliberatione præhabita, causam ipsam vobis sub hac forma duximus committendam; quòd nisi prædictus Episcopus legitimè comprobaverit sæpedictum Archipresbyterum suæ mentis compotem non fuisse cùm ultimam voluntatem expressit, super impetitione monasterij perpetuum ei silentium imponatur, & compellatur restituere monasterio quæcunque de bonis ipsius Archipresbyteri vel etiam monasterij occupavit. Si verò legitimè comprobaverit prædictum Archipresbyterum quæ super ultima voluntate præmissa sunt, alienata mente dixisse, ad faciendam ei nomine parrochialis Ecclesiæ, cujus administrationem gesserat, dum vixisset, restitutionem bonorum quæ ipsius Archipresbyteri fuerant, monasterium condemnetur, cùm idem Archipresbyter ab intestato decesserit, ipsique monasterio super impetitione Episcopi silentium imponatur. Nullis literis obstantibus præter assensum partium &c. Quòd si omnes &c. tu frater Episcope cum eorum altero &c. Datum Romæ &c. IV. Non. Iunij.

ABBATI SANCTI EUCARII, Decano & I. Canonico Treveren.

Epist. 142. Committitur illis causa litigantium super præbenda in collegio Verdunensi.

CUm P. Diaconus ad sedem apostol. accessisset super præbenda sanctæ Mariæ Magdalenæ in Verduno, de qua tempore bonæ memoriæ Celestini PP. prædecessoris nostri per delegatos ab eo executores fuerat investitus, coram dilecto filio nostro P. sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinale, quem sibi & adversario dedimus auditorem, confirmationem volebat apostolicam obtinere. Ut autem rei veritas ipsi Cardinali pleniùs eluceret, progressum sibi negotij curavit, sicut contigerat, aperiri. Idem enim prædecessor noster dilectis filiis Præposito, Decano, & Capitulo sanctæ Mariæ Magdalenæ mandavit pariter & præcepit ut ipsum P. in fratrem reciperent & Canonicum, non obstante promissione alicui facta de beneficio non vacante: cui super hoc ipso Decanum Remensem, Archidiaconum Cathalaunensem, & Decanum Montisfalconis executores concessit, si mandato suo Capitulum non pareret. Ipso itaque Capitulo negligente mandatum apostolicum adimplere, dicto Archidiacono Cathalaunen. ante processum negotij sublato de medio, Remen. & Montisfalconis Decani ut eum reciperent infra triduum sub pœna suspensionis districtiùs mandavere. Quibus adhuc cessantibus obedire & sententiam observare, ipse P. ad executores rediens, Decanum Remen. reperit expirasse. Interim verò contigit vacare præbendam in Ecclesia nominata, & Decanum in Remen. Ecclesia ordinari. Et quia nomen defuncti non fuerat literis executionis insertum, idem Decanus Remen. per literas, Decanus verò Montisfalconis viva voce Canonicos monuere ut mandatum apostolicum adimplerent. Sed cùm viderent se non posse proficere, ipse Decanus Remen. tanquam remotior alij Decano, qui erat propinquior, vices suas commisit, ut mandatum apostolicum effectui manciparet: qui prædictum P. de præbenda, quam vacare diximus, investivit, sibi stallum in choro & locum in Capitulo assignando; contradictores verò, & Præpositum nominatim, excommunicationis nunciavit sententiæ subjacere. Ipse verò die investituræ possessionem præbendæ habuit: ita quòd recepit stipendia, & in officio ministravit. Cùm autem postea sæpedictus Præpositus contra ipsum P. Decanum & alios* commoveret, suamque possessionem faceret perturbari, ipse hoc præsentiens, in præsentia ven. fratris nostri Verdunen. Episcopi se suáque omnia, & specialiter præbendam sibi collatam, cum stipendiis ejus, sub apostolicæ sedis protectione posuit, & ad Dominicam qua cantatur *Exurge*, terminum appellationi suæ præfixit. Exinde ad no-

* f. quæstionem moveret.

stram præsentiam veniens, cùm diutiùs expectasset, tandem quidam se Capituli nomine præsentavit: qui de procuratione sua literas quasdam ostendens, contra eum proposuit quæ sequuntur; quòd scilicet veritate tacita, & in excommunicatione positus, literas impetravit, & talibus Romana Ecclesia non consuevit ecclesiastica beneficia impertiri; & quòd unus solus de tribus executoribus mandatum apostolicum fuerit executus. propter quod, & quoniam executorem ipsum tanquam consanguineum ipsius P. suspectum habebat, ante executionem Capitulum ad sedem apostolicam appellavit. & quòd ipse P. de non vacante præbenda fuit, quia jam alij ex quo vacaverat collata fuerat, investitus. Cujus objectionibus responsum fuit taliter ex adverso, quòd si excommunicatus tunc temporis extitisset, quod penitus denegabat, hoc ab adversariis, qui ei ferè per biennium communicaverant, eúmque pro non excommunicato habuerant, non poterat allegari. Executorem autem non solum in executione processisse illa ratione dicebat; quia tam suis quàm alterius partibus fungebatur. Appellationem verò Capituli nullam dicebat, cùm fuisset inhibita in rescripto. Et licèt dicatur quòd ex secundo delegato & à suspecto judice liceat appellare, illud tantùm in judicibus & non in executoribus locum habet, à quibus appellari non potest, nisi modum executionis excedanr. Quòd autem de vacante fuerit investitus, & per literas executoris se probasse dicebat, & in partibus illis, si opus esset, meliùs probaturum. Cùmque super his & aliis coram eodem Cardinale diutiùs litigassent, tandem habito prudentum consilio ita sententialiter diffinivit, ut si prænominatus P. probare poterit quòd priusquam præbenda vacavit, de ea vacante antè quàm alius fuerit investitus, ipsam de cetero possideat in quiete, nisi contrarium pars adversa probando poterit prævalere; vel quòd tunc temporis excommunicatus fuisset, & vitatus ab eis, quo literas impetravit. Nos ergo quod à prædicto Cardinali rationabiliter factum est, ratum habentes, per apostol. vobis scripta mandamus quatenus super præmissis articulis, utrom præbenda tempore investituræ vacaverit, & Clericus excommunicatus fuerit quando literas impetravit, & à Canonicis evitatus, inquiratis diligentiùs veritatem, & pro varietate probationum latam à Cardinale sententiam, auctoritate nostra freti, faciatis appellatione remota inviolabiliter observari. Si verò postquam idem Clericus appellationem legitimè interposuit, & iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi, in ipsius præjudicium factum est aliquid de præbenda, sicut justum fuerit, in irritum revocetis. Nullis literis &c. præter assensum partium &c. Testes &c. cogantur. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum VIII. Idus Iunij.

FRATRI RAINERIO.

Epist. 149. Vt Portugalli & Castellæ Reges percussum & jurejurando confirmatum fœdus servare cogat.

Referente dilecto filio magistro scholarum Bracaren. Ecclesię nuncio & Clerico carissimi in Christo filij nostri S. Illustris Regis Portugalensis, nostris est auribus intimatum quòd cùm inter ipsum & illustrem Regem Castellæ pacis fœdera intervenerint, & utrinque fuerint juramentis ab ipsis Regibus & eorum vassallis corporaliter præstitis confirmata, nunc quidam homines pestilentes, qui gloriantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, inter eosdem Reges pro dilectione odium seminantes, ad rixas & contentiones eos inducere nequiter elaborant. Quia verò nemini licet juramenta, quæ honestatem continent, violare; discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus præfatos Reges & eorum homines, ut pacem adinvicem habeant & observent, sicut inter eos apparet per instrumentum publicum convenisse, solicitè moneas & inducas, &, si opus fuerit, per excommunicationis & interdicti sententias ad id eos appellatione remota compellere studeas, sicut videris expedire. Si quid autem contra formam pacis utrinque inveneris attentatum, per tuam solicitudinem appellatione remota facias emendari. Datum &c. ut suprà, Pontificatus nostri anno primo.

Scriptum est Regi Portugalensi super hoc.

NEOCASTREN. EPISCOPO.

Epist. 150. Quòd à decessoribus alienata revocare liceat.

* Addendum res, vel facultates, vel possessiones

SIgnificasti nobis per literas tuas quòd bonæ memoriæ G. prædecessor tuus, & qui secuti sunt eum usque ad tempora tua,* ad mensam pontificalem pertinentes in tuum & Ecclesiæ detrimentum quibusdam laicis minùs rationabiliter contulerunt, concessiones ipsas instrumentis publicis munientes; & ut auctoritate nostra quod ab eis perperam factum est, tibi corrigere liceat, suppliciter postulasti. Nos ergo attendentes quòd delictum personæ non debet in damnum Ecclesiæ redundare, fraternitati tuæ per apostolicas literas indulgemus, ut quod à jam dictis prædecessoribus tuis usque ad præsens in præjudicium Neocastren. Ecclesiæ minùs legitimè alienatum est, ad jus ipsius tibi liceat appellatione remota legitimè revocare. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum Nonis Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

STRIGONIEN. ARCHIEPISC.

Epist. 151. Privilegia Ecclesiæ Strigon. confirmantur.

QVia te tanquam præcipuum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ membrum & venerabilem fratrem diligimus, & totis in Christo visceribus amplexamur, tuis desideriis grato concurrentes assensu, petitiones tuas ea qua decuit affectione recepimus, & earum tenore pleniùs considerato, quantum cum Deo potuimus, curavimus executioni mandare, & devotionis tuæ fervorem, quem ad Romanam Ecclesiam & nos specialiter habere dignosceris, studiosiùs commendantes, tam privilegia Ecclesiæ tibi commissæ canonicè à prædecessoribus nostris indulta, quàm etiam indulgentias vel alia quælibet regalia scripta, salvis Romanæ Ecclesiæ privilegiis & indulgentiis, auctoritate apostolica illibata præcipimus & inconcussa manere. Nulli ergo &c. Datum &c. II. Non. Iunij.

FRATRI IOHANNI & aliis fratribus domus sanctæ Trinitatis Cervifrigidi.

Epist. 152. Data iis bona, in pios usus cõferenda, auctoritate apostolica confirmantur.

CVm à oobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, personas vestras, cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quàm mundanis &c. *usque ad verbum* suscipimus. Specialiter autem domum sanctæ Trinitatis Cervifrigidi, quam carissima in Christo filia M. Comitissa Burgundiæ pro redemptione illorum qui armatura fidei communiti, pro lege Dei se murum defensionis hilariter opponentes, ab inimicis crucis Christi sæpius detinentur, & barbaricæ captivitatis jugum in fame & siti omnimodisque laboribus pro Christo sustinere lætantur, vobis caritativè contulit, locum quoque de Planels, cum Ecclesia ibidem fundata à nobili viro R. de Planels, ad idem opus vobis collata, domum etiam quam nobilis mulier Maria panateria in Parisien. diocesi, videlicet in Burgo Reginæ, vobis ad hoc idem in perpetuam eleemosynam assignavit, cum omnibus ad ea spectantibus, sicut ipsa justè & pacificè possidetis, vobis & successoribus vestris auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Statuimus etiam ut domus vestræ præsentes atque futuræ, à statu illo in quo eas deliberatione provida ordinastis, videlicet ad redemptionem captivorum, vel ad observantiam vestri ordinis & institutionis, nullius præsumptione temeraria valeane immutari. Nulli ergo &c. Datum &c. XVII. Kalend. Iulij &c.

EPISCOPO ET ARCHIDIAC. Zamorensi, & Didaco Priori de Morerola.

Epist. 153. Vt causam Capituli Legionensis contra monasterium sancti Facundi cognoscant.

EX parte Legionen. Ecclesiæ fuit in auditorio nostro propositum quòd cùm olim inter ipsam & monasterium sancti Facundi super Ecclesiis de Burgo & Cauto quæstio verteretur, Abbas ipsius monasterij lite pendente ad apostolicam sedem accedens, à bonæ memoriæ Celest. PP. prædecessore nostro privilegium impetravit; in quo, veritate tacita, prædictas sibi fecit Ecclesias & multas alias confirmari. Sed privilegio ipsi magna pars fratrum nostrorum nec subscribere, nec consensum suum voluit adhibere. Volentes igitur eidem Ecclesiæ in sua justitia non deesse, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus tam super privilegio ipso quàm super memoratis Ecclesiis & aliis quæstionibus audiatis quę fuerint hinc inde proposita; & appellatione remota usque ad diffinitivæ sententiæ calculum procedentes, gesta omnia redacta in scriptis, & sigillis vestris im-

preſſa, ad ſedem apoſtolicam deſtinetis, ſtatuentes partibus terminum competentem, quo recepturæ ſententiam noſtro ſe conſpectui repræſentent. Si qua verò partium ſuper principali vel incidenti duxerit appellandum; vos nihilominus, quantum de jure poteritis, ſervato tamen mandati noſtri tenore, in ipſius inquiſitione negotij procedatis. Quòd ſi omnes &c. tu frater Epiſcope &c. Datum Romæ &c. II. Non. Iunij &c.

ALFONSO AVRIEN. Epiſcopo.

Epiſt. 254. Statutū aliquod novum confirmatur.

QVæ ad ampliandum cultum divini nominis à Prælatis Eccleſiarum providè ſtatuuntur, firma debent & inconcuſſa ſervari, & ad obtinendum robur perpetuæ firmitatis apoſtolico præſidio communiri. Significaſti ſiquidem nobis quòd ut in Eccleſia tua ſolenniùs Domino ſerviretur, de conſilio Capituli tui ſex præbendarum proventus provida deliberatione conferre duodecim portionariis ſtatuiſti qui debeant in eadem Eccleſia ad ſupplendum aliorum defectum continuè reſidere. Eapropter, venerabilis in Chriſto frater, tuis precibus annuentes, inſtitutionem ipſam, ſicut providè facta eſt & recepta, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum VIII. Idus Iunij &c.

CVPERSANO EPISCOPO & Archidiacono Oritan.

Epiſt. 255. Vt contra Epiſcopum Mutilenſem, dilapidatorem, & aliorum criminum reum inquirant, & Archidiaconum, quem ſpoliarat, reſtituant.

DIlecto filio Hugone Mutileo. Archidiacono conquerente didicimus quòd cùm quondam Mutileo. Epiſcopus curam rerum Mutilen. Eccleſiæ olim el Cantori & Theſaurario, præſente Capitulo, aſſignaſſet, venerabilis frater noſter Mutilen. Epiſcopus eum, quia quandam mulam Eccleſiæ cuidam Clerico commodaverat, quæ ei fuit poſtmodum violenter ablata, ipſum poſt appellationem ad ſedem apoſtolicam interpoſitam & per ſe verberavit, & fecit ab aliis verberari. Qui in granario poſtmodum juſſu præcipitatus ipſius, manibus poſt terga ligatis, cippo fuit & compedibus ferreis alligatus: ubi, propter pœnæ alleviationem, Willielmo nepoti & Simoni genero ejuſdem Epiſcopi decreta & eorum ſummam cum rebus aliis conceſſit invitus. Cùm autem de tam arcta cuſtodia fuiſſet, ſicut aſſerit, non humano ſed divino potiùs auxilio liberatus, idem Epiſcopus eum ab officio beneficióque ſuſpendit, & Willielmum nepotem ſuum in caſtro Maſſafro Archidiaconum, & quendam alium in Mutilen. Eccleſia in præjudicium juris ejus Archipreſbyterum ordinavit, & eundem Archidiaconum Stephanus filius Alfaranæ, Bajulus civitatis, mobilibus ſpoliavit, & dominator civitatis immobilia auferens, eidem Archidiacono civitatis aditum interdixit. Propoſuit etiam idem Archidiaconus gravia contra Epiſcopum memoratum, ſuper electione non canonica, dilapidatione Eccleſiæ, & crimine ſimoniæ, ac quòd Epiſcopus ipſe cujuſdam manifeſti adulteri & alterius falſarij familiaritate utatur. Verùm quia nobis non conſtitit de prædictis, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus partibus convocatis audiatis quæ fuerint hinc inde propoſita, & receptis teſtibus, & atteſtationibus publicatis, & examinatis legitimè, geſta omnia redacta in ſcriptis, & ſigillorum veſtrorum munimine roborata, ad nos dirigere procuretis; ſtatuentes partibus terminum competentem, infra quem, recepturæ ſententiam, noſtro ſe conſpectui repræſentent. Interim autem Archidiaconum ipſum ad officium & beneficium & dignitatem archidiaconatus reſtituatis, ſi id de jure videritis faciendum. Eos autem qui in eum manus injecere temerè violentas, tamdiu excommunicatos denuncietis & mandetis ab omnibus evitari, donec paſſo injuriam & de ablatis omnibus & illatis injuriis ſatisfecerint competenter, & cum veſtrarum teſtimonio literarum ad ſedem apoſtolicam venerint abſolvendi. Dictos prætera Epiſcopum, Willielmum, & Simonem ad reſtitutionem librorum & aliarum rerum, prout juſtum fuerit, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, cogatis. Teſtes autem &c. cogantur. Quòd ſi ambo &c. tu frater Epiſcope &c. Datum Romæ &c.

CONSVLIBVS ET POPVLO Beneven.

Epist. 256. Ne unius judicis testimonio credatur in causis. Cap. Cùm à nobis. De testibus.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, & canonica & civilia jura sequentes, districtiùs inhibemus, ne unius judicis, quantæcunque fuerit auctoritatis, verbo credatur in causis, sive super testamentis, sive super quibuslibet aliis contractibus agitentur; nec scriptum eorum, nisi testium adminiculo fulciatur, eam obtineat firmitatem, quin ei possint & debeant duorum vel trium testium bonorum testimonia prævalere: salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum IV. Idus Iunij.

CONSVLIBVS, IVDICIBVS, & populo Beneven.

Epist. 257. De palatio judicum & tabellionum statutū confirmat.

IN dilectione civitatis vestræ ac vestra prædecessorum nostrorum volentes vestigiis inhærere, ut & vos in progenitorum vestrorum devotione, quam circa sedem apostolicam habuerunt, ferventiùs de cetero & fideliùs persistatis, quæ ad profectum vestrum proveniant sine honoris nostri dispendio gratis vobis & tam libenter quàm liberaliter indulgemus. Sanè exhibitum fuit quoddam scriptum in præsentia nostra, in quo capitula quædam erant expressa, quæ de communi omnium vestrum assensu nostris petebatis literis confirmari: de quibus nos quædam excepimus, quæ juxta votum vestrum vobis duximus concedenda. Cùm ergo à vobis sit communiter constitutum ut judices pro salario nihil accipiant ultra vigesimam litis, nec de subscriptione testamentorum vel aliis contractibus judices ipsi à civibus plusquam duos tarenos, aut notarij nisi unum; extra civitatem autem judices centesima, notarij verò ducentesima sint eorum quæ testamento legantur, aut quocunque modo veniunt in contractum, portione contenti; vestris precibus annuentes, id, sicut à vobis est communiter postulatum, concedimus, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Præsenti quoque confirmationi adjicimus, ut si quando curia sub certo banno inhibuerit fieri assemblatas, hi qui contravenire præsumpserint, bannum sine diminutione persolvant, exceptis ministerialibus curiæ, quos juxta mandatum Rectoris, qui pro tempore fuerit, pro commodis civitatis volumus, cùm necesse fuerit, & Rector mandaverit, convenire, salva in omnibus sedis apostolicæ auctoritate. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum V. Idus Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

ARCHIEPISCOPO & Capitulo Beneventan.

Epist. 258. Vt Albertum Subdiaconum in Canonicum recipiant.

IN admirationem inducimur vehementem quòd apostolica mandata contemnitis; cùm pro eorum receptione preces vobis ab eo qui potestatis plenitudinem obtinet diriguntur, ex quibus non minus honoris Ecclesiæ vestræ accederet, quàm ex hoc utilitatis ipsis & commodi proveniret. Cùm enim bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster te, frater Archiepiscope, apud sedem apostol. constitutum, per se duxerit exhortandum, & vobis, filij Canonici, preces, ac secundò communiter vobis mandatum apostolicum destinarit, ut dilectum filium Albertum Subdiaconum nostrum, dilecti filij nostri G. sancti Georgij ad velum aureum Diaconi Cardin. Clericum, reciperetis in Canonicum & in fratrem, vos implere id hactenus distulistis, cùm id etiam solius ejusdem Subdiaconi bonitatis intuitu debuissetis effectui mancipare. Nolentes igitur quod de ipso inceptum est relinquere imperfectum, rogamus discretionem vestram, monemus, ac per ap. vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus ipsum in Canonicum recipientes & fratrem, stallum in choro & locum in Capitulo appellatione postposita conferatis; & tu, frater Archiepiscope, conveniens ipsi vel nuncio ejus ipsius nomine beneficium sine dilatione assignes: mandatum apostolicum taliter impleturi quòd propter hoc denuo scribere non cogamur, aut implere per alios quod vos nolueritis effectui mancipare: scituri quòd sicut nolumus injusta præcipere, sic cùm honesta mandamus, cupimus celeriter & efficaciter exaudiri. Datum Romæ &c. Idibus Iunij &c.



VALTERO ARCHIEPISCOPO & Capitulo Rothomagen.

Epist. 259. De reparanda Ecclesia decretum majoris & sanioris partis obtinet. Cap. Ex parte. *De his quæ fiût à maj. part. cap.*

EX parte tua, frater Archiepiscope, apostolicis fuit auribus intimatum quòd ad restaurandam fabricam Rothomagen. Ecclesiæ tractatum communiter habuistis, te frater Archiepiscope postulante ut quilibet Canonicorum tecum pariter aliquam suorum redditaum portionem operi tam pio & necessario deputaret. Quia verò super hoc diversæ fuerunt inter vos, filij Canonici, & variæ voluntates; ne tam laudabile opus ex vestra dissidentia negligatur, auctoritate præsentium duximus statuendum ut si qui vestrum ipsius Archiepiscopi & majoris & sanioris partis Capituli * futuris super hoc constitutionibus duxerint resistendum, obtineat sententia plurimorum. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum V. Idus Iunij, Pont. nostri anno primo.

* In Quarta Compilat statutus l. h. dux.

VALTERO ARCHIEPISCOPO Rothomagen.

Epist. 260. Vt audacter sua jurisdictione utatur, & Regum minas non pertimescat, Pontificis auxilio cõfisus.

ANxietate cordis & amaritudine premimur, cùm angustias, onera, & gravamina, quæ zelo justitiæ pro libertate Ecclesiæ manutenenda æquo animo & invicta fortitudine toleras, ad memoriam nostram reducimus, & meditatione sedula cogitamus. Veruntamen quòd in te perfectionem virtutis adimplens, non potuisti à tuæ constantiæ proposito amoveri, tuam super hoc prudentiam commendamus, & fortitudini tuæ plurimùm in Domino congaudemus. Nos autem fraternitati tuæ volentes patrocinium apostolicum impertiri, tam te quàm Ecclesiam regimini tuo commissam sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Verùm quia, sicut ex literis tuis nobis innotuit, carissimi in Christo filij nostri Philippus Francorum & R. Angliæ Reges illustres, dum inter se componerent, statuerunt super caput tuum quatuor Clericos eligendos, ad quos pertineat judicare utrum tenere vel non tenere debeat sententia quam in terram vel homines Regum ipsorum pro suis excessibus ordine canonico duxeris promulgandam; (quam si judicaverint non tenere, ipsis Regibus sive ei in cujus terram vel homines sententiam tuleris, licebit bona tua & redditus occupare, donec lata sententia revocetur) fraternitati tuæ sub pœna officij & beneficij districtiùs inhibemus ne illi tam iniquæ conventioni auctoritatem præbeas vel assensum; sed, sicut consuevisti, & antecessores tui fecisse noscuntur, tuæ jurisdictionis officium per tuam provinciam studeas exercere; nósque sententiam ratam habemus, & habebimus, si quam in terras vel homines tuæ jurisdictioni subjectos hactenus canonicè promulgasti, vel amodo decreveris promulgare. Datum &c. ut suprà, III. Nonas Iunij.

VVIGORNIEN. EPISCOPO.

Epist. 261. De simoniacis puniendis. *Vide caput* Quamvis ad *nol. De simonia in secunda Collect.*

QVamvis ad abolendam simoniacam pravitatem à prædecessoribus nostris varia emanaverint instituta, usque adeo tamen in quosdam Satanæ filios morbus ille irrepsit, ut adhuc, peccatis exigentibus, nec levi potuerit medicamine nec igne curari, quin eò potiùs iniquitatis semina pullularint, quò ampliùs solicitudo messorum ea visa est suffocare. Significasti siquidem nobis quòd in diocesi tua in tantum simoniaca labes prævaluit ut quidam publicè fuerint ipsius contagio maculati, nec crimen suum aliqua possint tergiversatione celare. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, eos quos tibi constiterit reos esse criminis memorati, appellatione frustratoria non obstante, canonicè puniendi liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Nulli ergo &c. Datum &c. VI. Idus Iunij.

EPISCOPO ET CANONICIS Oscensibus.

Epist. 262. Vt falsarios quidam puniatur.

MIlle nocendi modos & dolositates multiplices suorum mentibus spiritus perditionis inspirat, immo etiam eos potiùs dejicere nititur, quos majori viderit religioni astrictos. Non autem de ipsius nobis est fraudibus conquerendum, qui à suæ creationis primordio mala semper meditatus est in corde suo, propositis justis invidit, & iniquis cogitationibus aspiravit; sed de eo potiùs condolemus, cùm in eos prævalet qui religionis tenentur formam & habitum observare. Sanè cùm nuper in Vrbe quidam in falsitate Bullæ nostræ deprehensi fuissent, & falsariorum fraude detecta, tutum non esset aliquibus per eos sui cordis malitiam exercere, G.

Vide suprà epist. 234

quondam

quondam Sacrista Oscen. apud sedem apostolicam constitutus ad quendam notariorum nostrorum accessit, & se Sacristiæ renuntiasse officio in manibus nostris & eam denuo à nobis recepisse confingens, literas sibi super hoc fieri postulavit. Cùm autem notarius ipse, utpote qui pro novitate sua minùs instructus fraudes talium minùs noverat evitare, literas notatas secundùm arbitrium postulantis & redactas in grossam literam in nostra præsentia relegisset; nos, utpote quibus nihil super hoc propositum fuerat, literas illas falsas esse cognovimus, & per surreptionem obtentas. Cùm autem dictum G. constitutum in præsentia nostra, qualiter res processerat, curassemus de benignitate sedis apostolicæ convenire, quia se in infirmitate positum per quendam socium suum ad nos transmissum Sacristiæ renuntiasse asseruit, eum perpetuò decernimus esse privatum; ei super hoc, qui pro se confessus est Sacristiam sibi fuisse auctoritate apostolica restitutam, fidem nullatenus adhibentes, cùm id certo certiùs noverimus esse falsum. Ideóque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus eo ab officio Sacristiæ amoto, alium instituatis in ipsa, qui religionis propositum meliùs velit & noverit observare. Datum &c. Kalend. Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

AMBIANEN. EPISCOPO.

Epist. 163. Vt admonito & negligente Abbate, ipse monasterium instauret.

His quæ à fratribus & coëpiscopis nostris in favorem religionis postulantur à nobis, libenter annuimus, & votis ipsorum apostolicum libenter impertimur assensum. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut nisi dilectus filius Abbas S. Martini de Gemellis Canonicos sui ordinis in domo Spissi-Campi, quam ejus Ecclesiæ religionis obtentu ad instituendos ibidem sui ordinis fratres liberalitate propria concessisti, duxerit statuendos, tu post trinam commonitionem, vel ejusdem vel arctioris ordinis viros instituendi appellatione postposita liberam habeas facultatem; provisurus tamen attentiùs ut si fortè prædictus Abbas excusationem vel exceptionem legitimam ostenderit, contra concessionem ei factam nullatenus venire præsumas. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. XVII. Kalend. Iunij.

VALTERO ROTHOMAGEN. Archiepiscopo.

Epist. 164. Quòd nullus possit scipsum præsentare ad Beneficia. Cap. Per nostras, De jure patronatus.

Per nostras postulasti literas edoceri, utrum Clericus aliquis ad vacantem Ecclesiam, in qua jus obtinet patronatus, se ipsum, si idoneus est, valeat præsentare. Cùm igitur nullus se ingerere debeat ad ecclesiasticæ prælationis officium, inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd nullus se potest ad personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studiis & meritis adjuvetur. Datum Romæ &c. III. Idus Iunij, Pont. nostri anno primo.

EIDEM.

Epist. 165. Sententiæ interdicti ab Episcopo prolatæ omnes obedire tenentur.

Non licet à capite membra discedere, aut inferioribus superiorum dispositionibus contraire. Ea propter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut cùm in diocesim tuam protuleris sententiam interdicti, omnes tibi lege diocesana subjecti eam teneantur inviolabiliter observare, nisi per speciale privilegium vel aliàs legitimè ad id se ostenderint non teneri. Nulli ergo &c. Datum &c. ut suprà.

EIDEM.

Epist. 166. Ejusdem ferè argumenti.

Cum in aliquos ob suorum exigentiam meritorum ecclesiasticæ districtionis censura profertur, & interdicti vel suspensionis sententia promulgatur, tamdiu eam servari oportet firmiter & teneri, donec satisfactione congrua præcedente eam deceat relaxari. Inde est quòd cùm in quosdam Clericos & laicos tuæ diocesis, ipsorum exigentibus meritis, excommunicationis & interdicti sententiam promulgaris, & ipsi adhuc in suæ iniquitatis contumaces intentione persistant, donec tibi & Ecclesiis ac Clero, quibus injurias intulerunt, congruè fuerit satisfactum, easdem sententias inviolabiliter sine appell. remedio volumus & præcipimus observari; fraternitati tuæ facultatem auctoritate præsentium indulgentes Clericos diocesana tibi lege subjectos, qui post interdictum tuum divina præsumpserunt aut de cetero præsumpserint officia celebrare, si-

ne appellationis obstaculo pœna canonica percellendi. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

EPISCOPO, ARCHIDIACONO, & Sacristæ Magalonen.

Epist. 267. De archidiaconatu Magalonensi copiosè disserit. Cap. Cùm olim, De sent. & re judic. Vide infrà epist. 541.

CVm olim, sicut accepimus, bonæ memoriæ Magalonensis Episcopus, habito dilectorum filiorum P. de Agrifolio Archidiaconi & B. Prioris claustralis assensu, dilectum filium nostrum P. de Castronovo ad vacantem archidiaconatum ejusdem Ecclesiæ nominaret, Præposito ut nullus ibi, nisi priùs duplici voce sibi concessa, institueretur, per appellationem interpositam inhibente, Episcopus, tum quia contra antiquam Magalonen. Ecclesiæ consuetudinem & commune jus canonum esse dicebat aliquem sibi vocem duarum personarum in eadem Eccl. vendicare, tum quia ex indulgentia fel. me. Celestini Papæ prædecessoris nostri, quam in Capitulo præsente Præposito legi fecit, sibi probabat indultum ut vacantem archidiaconatum vel Sacristiam, si contra personam ab ipso nominatam aliquid rationabile & canonicum non posset legitimè objici & probari, nonobstante contradictione vel appellatione conferret, dictum P. de præfato archidiaconatu per suum annulum investivit, in locum Archidiaconi corporaliter illum inducens. Vnde nominatus Præpositus indignationis stimulis agitatus, alium ad eundem archidiaconatum postmodum nominare præsumpsit. Cujus facti occasione cùm tam Præpositus quàm præfatus P. apostolico se conspectui præsentassent, & nos in minori tunc officio constitutos & dilectos filios nostros B. tt. sancti Petri ad vincula & bonæ me. M. tt. S. Iohannis & Pauli Presbyteros Card. recepissent in suis quæstionibus auditores, Præposito objiciente institutionem Episcopi post appellationem & contra diffinitionem felicis recordationis Alexandri PP. prædecessoris nostri & à suspenso factam cassari debere, à prædicto P. (sicut asserit) ad singula fuit hoc modo responsum, scilicet quòd appellationem ipsam nullius constabat esse momenti; tum quia à suspenso fuerat appellatum, quod in continenti se velle probare dicebat, quare illius non intererat appellare, & contra dictam indulgentiam appellatio interposita non tenebat; tum

Ex Celestini III. Bulla edita est à V. C. Petro Gariello in Serie Episcopor. Magalon pag. 145.

quia causam in jure prohibitam, scilicet duplicis vocis, vel dignitatis, quæ nulli quantumlibet exercitatæ personæ secundùm canonicas sanctiones debet committi, in forma appellationis expressit. unde tali appellationi non fuisse deferendum, ex consultatione felicis memoriæ Alexandri PP. probabat. nec constitutionem Henrici quondam Albanen. Episcopi, cujus obtentu dignitatem Prioris majoris usurpaverat, illi posse patrocinari firmiter asserebat, cùm in ipsa evidentiùs exprimatur ne deinceps Prior major in Magalonen. Ecclesia haberetur. Vnde sequebatur nec Præpositum nec alium dignitatem illam sibi posse aliquatenus vendicare; præsertim cùm ibi contineatur expressè quòd Præpositus non dignitatem Prioris, sed curam circa correctionem excessuum & erratorum debeat duntaxat habere. Si enim dignitatem vellet intelligi, ubi curam apposuit, dignitatis vocabulum expressisset; sicut ex consultatione dicti Alexandri Papæ prædecessoris nostri comprobari dicebat. Ex verbis autem ipsius constitutionis monstrabat ipsum Præpositum dictam curam de manu Episcopi accipere debuisse. Ceterùm ex literis Episcopi super hoc conquerentis evidenter liquebat Præpositum non tanquam Aaron à Deo vocatum, sed à se ipso exortum, sibi imprudenter honorem sumpsisse. Vnde cùm privilegium mereatur amittere qui præmissa sibi abutitur potestate, tam nomine Episcopi quàm suo super hoc ei perpetuum silentium imponi petebat; proponens quòd dignitas memorata non nisi sacerdotali fulgenti officio de jure & antiqua Magalonen. Ecclesiæ consuetudine fuerat conferenda; Præpositum vero, tam debilitate quàm deformitate corporis impediente, ad sacerdotium promoveri non posse affirmabat instanter, dicens partem Episcopi, utpote majorem & saniorem, nonobstante unius appellatione, meritò secundum Lateranen. Concilium obtinere. Insuper allegans, eundem Præpositum appellationi renuntiasse spontaneum interjectæ. Cùm enim taliter appellasset, ut nullus, nisi duplici sibi voce concessa, Archidiaconus deberet institui, & ipse ad institutionem alterius procedere attentaret, contrario actu convincebatur secundùm consultationem bonæ memoriæ præ-

decessoris nostri Vrbani Papæ ab appellationis beneficio recessisse. Ad diffinitionis autem articulum taliter respondebat, asserens Episcopum secundùm tenorem diffinitionis rationabiliter processisse; adjiciens etiam quòd Præpositus Ecclesias sancti Firmini & de Marino retinendo, contra ipsam diffinitionem fecerat manifestè, & ideo ejus auxilium de jure non poterat invocare. Ad suspensionis objectionem ex adverso dicebat quòd Episcopus priùs legitimè appellavit, & ideo sententia pòst lata nullatenus tenebatur astrictus; proponens etiam conditionalem & ad tempus latam fuisse sententiam interdicti, scilicet, donec apostolicis obediret mandatis. Vnde cùm ante dictam institutionem sedis apostolicæ jussionibus paruisset, tam civilis quàm canonici juris censura indubitanter fuerat absolutus; præsertim cùm ille qui eum suspenderat, ipsi ut plenè absoluto in omnibus communicare minimè dubitaret. Ad ultimum concludebat quòd etsi verè suspensus esset Episcopus memoratus, tamen à Præposito hoc ei non posset opponi: quia cùm pro eodem suspensionis sententia notatus fuisset, morbo consimili laboranti omnis contra Episcopum audientia debuit denegari; maximè cùm ipsi Episcopo tam in ecclesiasticis sacramentis quàm in Ecclesiarum institutionibus sæpius communicasset, & ideo ei notam suspensionis objicere non valebat. Denique si nil horum parti suffragaretur Episcopi, ad denegandam Præposito audientiam sufficere posse dicebat quòd tam per sententiam judicis ordinarij quàm ipso jure eum excommunicationis vinculo innodatum esse per Episcopi literas evidentissimè apparebat. Tandem dictus prædecessor noster, quod ab utraque parte factum fuerat, pro sua voluntate cassavit, sententiando pronuntians quòd aliquibus de provincia scriberet ut tam Episcopum quàm personas ad ordinandum concorditer archidiaconatum moneret, & eorum fortè monitis non admissis, hoc ipsi auctoritate apostolica exequi non differrent. Post hæc verò Geraldo Ioannino, qui nondum ad diaconatus erat promotus officium, præter conscientiam præfati Petri procuratoris Episcopi apud apostolicam sedem tunc morantis, ipsum archidiaconatum contra pronuntiationem propriam contulit, sicut credimus, circumventus. Nos igitur inhærentes vestigiis prædecessorum nostrorum, dicentium sententiam Romanæ sedis posse in melius commutari, cùm aliquid fuerit subreptum, quod de prædicto G. factum est, non obstante donatione quam à te frater Episcope in elusionem donationis apostolicæ nuper dicitur recepisse, de communi fratrum consilio in irritum revocamus, & ei, licèt absenti, cùm de subreptione liquidò constet, super dicto archidiaconatu perpetuum silentium imponentes, vobis præsentium auctoritate mandamus ut nullius contradictione vel appellatione obstante, infra unius mensis spatium post harum susceptionem sæpedictum archidiaconatum de persona cui nihil de canonicis obviet institutis, plena omnium vestrum qui præsentes fuerint in Ecclesia interveniente concordia, ordinare curetis. Alioquin noveritis nos venerabili fratri nostro Archiepiscopo & dilecto filio Decano Arelatensi scripsisse ut nullius contradictione vel appellatione obstante hoc exequi non omittant, facientes quod statuerint per censuram ecclesiasticam appellatione postposita inviolabiliter observari. Datum Romæ &c. VI. Idus Iunij.

ARELATENSI, AQVENSI, & Ebredunen. Archiepiscopis, & eorum Suffraganeis.

Epist. 168. Vt monasterium sancti Victoris Massiliæ tueantur & defendãt.

CVm monasterium sancti Victoris Massiliensis ad Ecclesiam Romanam nullo pertineat mediante, tanto faciliùs petitiones dilectorum filiorum Abbatis & fratrum, qui divinis ibidem officiis mancipantur, volumus, quantum cum Deo possumus, exaudire, quanto præter commune debitum quo tenemur universis & singulis Ecclesiis providere, speciali respectu eis ampliùs existimus debitores. Sanè conquerentibus eisdem fratribus nostris auribus est relatum quòd in provinciis & diocesibus vestris non solùm à Militibus & aliis laicis, verùm à Clericis ipsis, persecutiones innumeras patiuntur; ut videatur de talibus dictum: *Et erit sacerdos, ut populus.* Hi enim bona ejusdem monasterij diripiunt, occupant, & invadunt, & in animarum suarum pericula malè ablata detinere præsumunt, & reddere contradicunt. de quibus Gaufridum de Massilia & W. Vedianum & Dalphinum Milites

duximus nominandos. Quia verò non est facile prænominatis fratribus pro singulis injuriis ad nos habere recursum, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus de prædictis malefactoribus & aliis tam Clericis quàm laicis, quos ipsi vobis expriment nominatim, qui bona monasterij & domus Eleemosynæ, quæ ad ipsum spectare dignoscitur, detinere aut eorum antiqua jura præsumunt nequiter violare, cùm ab eisdem fratribus fueritis requisiti, nisi priùs commoniti congruè satisfecerint de commissis, coram vobis faciatis appellatione remota justitiæ plenitudinem exhiberi, & quod statueritis faciatis per excommunicationis & interdicti sententiam observari. Si quos autem in monachos ejusdem cœnobij Clericos, vel conversos, manus sacrilegas inveneritis injecisse, ipsos excommunicatos nuncietis, & faciatis ab omnibus tamdiu evitari, donec passis injuriam satisfaciant competenter &c. vestrarum &c. Datum &c. Idibus Iunij.

EPISCOPO VVARADIEN.

Epist. 169. Vt ad sedem apostolicam veniat absolvendus.

SIgnificavit nobis venerabilis frater noster S. Archiepiscopus Colocen. quòd cùm ipse pro quibusdam criminibus tuis in te excommunicationis sententiam protulisset, tu in absolutione tua te confessus es eadem crimina commisisse, & confessionem tuam redactam in scriptis sigillo tuo proprio roborasti. Ipse verò tibi sub debito præstiti à te juramenti mandavit ut apostolico te conspectui præsentares, dignam à nobis pœnitentiam recepturus, & usque ad Nativitatem beatæ Mariæ proximò venturam iter arriperes veniendi. Ne igitur transgressor tuæ fidei videaris, qui teneris etiam quod simplici verbo promittis, ducere ad effectum; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus usque ad prędictum terminum cum ejusdem Archiepiscopi literis ad nos iter arripias veniendi, & apostolico te conspectui repræsentes. Datum &c. XVIII. Kalend. Iulij, Pontificatus nostri anno primo.

ILLVSTRI REGI Vngariæ.

Epist. 170. Quòd viginti viros ad terræ sanctæ limina profecturos, ad regni sui pacem conservandam retinere liceat.

SPecialis dilectionis synceritas, quam circa progenitores tuos Ecclesia Romana consuevit habere, & prærogativa devotionis quam illustris recordationis B. pater tuus exhibuit apostolicæ sedi, nos admonent propensiùs & inducunt ut te sicut specialem Ecclesiæ filium specialiùs honoremus & exaudiamus in illis quæ ad honorem tuum & pacem regni tibi crediti non sit dubium *provenire. Sanè significasti nobis quòd cùm nondum prorsùs in regno Vngariæ fuerit sedata seditio, quin adhuc quorundam animi præteritæ turbationis motibus excitati murmurent in occulto, guerram potiùs quàm pacem amantes, dilecti filij Comitis Mozonis & quorundam aliorum, qui ad visitandam terram Nativitatis Dominicæ crucem sibi dominicam affixerunt, consilio indiges, donec tibi & regno tuo plena fuerit concordia restituta. Nos igitur honori tuo paterna volentes affectione consulere, serenitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus ut prædictum Comitem Mozonem & alios quos de his qui crucem sumpserunt tibi utiliores videris, & quorum consilium & auxilium tibi cognoveris potiùs opportunum, usque ad viginti, quandiu tibi propter turbationem regni necessarium fuerit, retineas: ita tamen quòd pro dilationis beneficio aliquid dignum Domino recompensent. Nulli ergo &c. Datum &c. XVI. Kalend. Iulij.

* pertinere.

Vide suprà epist. 5.

NOBILI VIRO A. DVCI.

Epist. 171. De regni Vngariæ laudibus, & ne Regi bellum moveat.

EA semper Ecclesiæ Romanæ regnum Vngariæ devotio coluit, & illa semper dilectionis synceritas Ecclesiam eidem regno conjunxit, ut apostolica sedes regno ipsi tam in spiritualibus quàm temporalibus paternæ solicitudinis affectum curaverit impertiri, & regnum ipsum à fide ac unitate sedis apostolicæ nulla recesserit tempestate. Inter ceteros autem qui eidem regno diversis temporibus præfuerunt, illustris recordationis B. quondam pater tuus Ecclesiæ Romanæ devotior extitit, & se ac regnum suum in illius necessitatis articulo exponere nullatenus formidavit quo tumescentibus schismaticorum cordibus nostri piscatoris navicula tumultuosis fluctibus jactabatur. Vnde nos & prædecessores nostros tanto ampliùs ad idem regnum servandum in statum felicitatis antiquæ affectus hominis interioris induxit, quanto fervorem fidei & synceritatis constantiam ejusdem patris tui

in majori necessitate probavimus, nec maculam in eo invenimus aliquam neque rugam. Hoc igitur attendentes, ad honorem carissimi in Christo filij nostri Vngariæ Regis illustris ac tuum, & reformandam inter vos plenæ pacis concordiam, & conservandam inviolabiliter reformatam, tanto ampliùs aspiramus, quanto utrumque vestrum dicti patris tui obtentu synceriùs diligimus, & Regem ipsum ratione primogenituræ ac regni, sine tui juris dispendio, intendimus præcipuè honorate. Vt igitur maneat inter vos fraterna dilectio, immo ut de die in diem potiùs augeatur, ut tu eidem Regi tanquam præcellenti debitam exhibeas reverentiam & honorem, & ipse tibi tanquam Duci à Deo misso deferat & faciat ab aliis sicut fratri deferri; Nobilitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus taliter de cetero in fidelitate ipsius ac devotione persistas ut ferventis ac fidelis servitij novitas aboleat offensæ præteritæ vetustatem, & sic vos adinvicem mutuus uniat caritatis affectus, sicut sanguis paternus & uterus maternus univit. Adhæc tibi districtiùs inhibemus, ne in Regem vel regnum arma movere præsumas, vel seditionem aliquam suscitare; ne forsan amici te deserant, si fratrem habueris inimicum, & de fide tua desperare cogantur, si fraternæ ac naturalis pacis fœdera te senserint violare: sciturus nos venerabilibus fratribus nostris Strigonien. & Colocen. Archiepiscopis & eorum suffraganeis per apostolica scripta districtè præcipiendo mandasse ut si contra memoratum Regem arma movere vel seditionem excitare præsumpseris, te ac tuos sublato appellationis obstaculo excommunicationis sententia feriant, & totam terram tuam & eorum subjiciant interdicto. Datum &c. XVII. Kalend. Iulij.

Illis scriptum est super hoc.

VLTRASYLVANO EPISCOPO.

Epist. 272 A Gregorio sibi concessa privilegia confirmantur.

CVm à nobis petitur &c. *usque* assensu, priuilegium *Super desertum* à dilecto filio Gregorio sanctæ Mariæ in porticu Diac. Card. tibi indultum, anctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Ad majorem autem hujus rei evidentiam prædictum privilegium huic nostræ paginæ de verbo ad verbum duximus inserendum. GREGORIVS de sancto Apostolo Dei gratia sanctæ Mariæ in portica Diaconus Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, omnibus in Christo fidelibus ad quos literæ præsentes devenerint, salutem & orationem in Domino. Ne quorumlibet sopitæ quæstiones materiam recidivæ contentionis inveniant, quod salubriter & bene dispositum est, perpetuam debet stabilitatem obtinere, & juxta majorum monita literarum memoriæ commendari; ne processu temporis in dubiam quæstionem deveniat quod diffinitivæ calculum constat sententiæ suscepisse. Cunctis igitur fidelibus volumus notum fieri quòd cùm occasione hujus verbi *desertum* (quod verbum est in privilegio gloriosi & illust. Domini Regis Belæ & nostro, ad preces ejusdem Regis impetrato à nobis & obtento, super constitutione Præpositoræ Vltrasylvanæ, quam fecimus cùm priùs officium legationis gessimus in Vngaria) quæstio esset orta inter venerabilem fratrem nostrum A. Vltrasylvanen. Episcopum & dilectum amicum nostrum P. Præpositum Cipiniensem, pro eo quòd occasione præfati verbi Præpositus diceret generaliter omnes Flandren. Ecclesiæ suæ fuisse suppositos, è contra Episcopus responderet Dominum Regem & nos intellexisse de illis duntaxat qui tunc erant in illo solo deserto quod gloriosæ memoriæ G. Rex Flandrensibus concessit, & de illis qui in eodem tantummodo deserto erant habitantes, & eò processum esset quòd quæstio eadem ad Dominum Papam fuisset delata, & inde ad nos remissa, utpote ad eum cui interpretatio præfati verbi Domini Regis mente & voluntate explorata deberet esse certissima; præfatus illustris & gloriosus Rex ad interrogationem nostram hanc interpretationem Vesprimij in præsentia magnatum suorum promulgavit, quòd non fuit ejus intentionis tempore constitutionis Præposituræ, nec postea, quòd alij Flandrenses Præposito essent subditi, nisi qui tunc tantummodo habitabant in deserto quod sanctæ recordationis G. pater suus Flandrensibus concesserat, & in eodem futuris temporibus essent habitaturi. Nos verò idem cum Domino Rege sentientes, & eandem interpretationem habentes in animo, prædictum ver-

„ bum sic interpretamur, quòd de nullis „ alis Flandrensibus intelleximus, nec „ alios Præpositurae supposuimus, nisi duntaxat illos qui tempore quo ipsam Præposituram constituimus, in illo tantùm habitabant & erant habituri deserò quod G. Rex Flandrensibus prioribus concessit. Et ut hæc nostra & Domini Regis interpretatio omni tempore plenum robur & firmam stabilitatem obtineat, has inde literas scribi mandavimus, & sigillo nostro fecimus sigillari.) Decernimus ergo &c. Datum &c. XVII. Kalend. Iulij.

ARELATEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 173. De reformando monasterio Lirinensi.

AD reformandum in locis illis statum religionis antiquæ, in quibus vigebat olim observantia regularis, affectuosiùs aspiramus; præsertim cùm loca ipsa nobis & Ecclesiæ Romanæ nullo subjacent mediante. Sanè veridica multorum relatione comperimus quòd monasterium Lirinense, quod olim religione florebat, & temporalibus abundabat, ad eum statum sit miserabiliter devolutum, quòd nec regularia in eo instituta serventur, nec fratres ibidem de ipsius possint facultatibus congruè sustentari. Ne igitur monasterio ipsi, quod specialiter beati Petri juris existit, nostra videatur solicitudo deesse, quæ circa universas Ecclesias diligentiùs vigilare tenetur; fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus accedens ad locum, si per fratres ejusdem ordinis religionem ibidem posse videris reformari, & reduci monasterium ipsum in statum, id summopere studeas adimplere, indulta tibi à nobis libera facultate excludendi de monasterio quoscunque videris excludendos. Hoc etiam tuæ fraternitati præsentium auctoritate concedimus, ut si quos fratres ejusdem ordinis, in alienis etiam episcopatibus commorantes, ad quodcunque officium seu etiā obsequium memorati monasterij videris opportunos ut per eos ibidem reformata per solicitudinem tuam regularis institutio futuris temporibus observetur, ab Abbatibus suis tibi concedi postules, & nisi Abbates ipsi ad tuam commonitionem impleverint, eos tibi ab eorundem Abbatum obedientia prorsùs absolvere, & in prædicto monasterio collocare. Quòd si forsan id per fratres ejusdem ordinis non potueris adimplere, Cisterciensis ordinis viros in eo nostra fretus auctoritate instituas, per quos secundùm statuta Cisterciensium fratrum reformetur ibi monasticus ordo, & futuris temporibus, dante Domino, inviolabiliter observetur. Si qui autem super ordinatione ipsius monasterij tibi duxerint resistendum, canonica eos pœna percellas, & nihilominus omni prorsùs appellatione cessante, in mandati nostri executione procedas; provisurus attentiùs ut mandatum apostolicum ad honorem Dei & nostrum ita prudenter & fideliter exequaris ut fraternitas tua, de qua plenam fiduciam obtinemus, ex hoc debeat non immeritò commendari. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Idibus Iunij.

ARELATEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 174. Vt in arearum insula monachi de Episcopi cōsensu & voluntate instituātur.

AD audientiam nostram noveris pervenisse quòd cùm olim in insula Arearum fratres quidam Cistercien. fuerint commorati, eis à Sarracenis in captivitatem deductis, quia locus est mari vicinus, ad eam se quidam regulares Canonici transtulere. Verùm cùm ipsi præ nimia paupertate locum ipsum nec ædificiis possint nec possessionibus ampliare, in eo monasticum ordinem institui desiderant secundùm fratrum Cistercien. instituta. & id etiam Episcopus diocesanus affectat. Ideóque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si ad hoc diocesani Episcopi & eorundem fratrum concurrit affectus, in memorata insula monachos Cistercien. instituas; facturus de Canonicis memoratis quod expedire videris secundùm canonicam honestatem. Datum Romæ apud sanctum Petrum XVII. Kalend. Iulij.

ARCHIEPISC. ET ARCHIDIAC. Narbonen.

Epist. 175. Vt post appellationem rite interpositā attentata revocēt, excommunicatiōnque absolvant.

ACcedens ad præsentiam nostram dilectus filius W. Manfridi monachus sancti Salvatoris Lodovensis sua nobis insinuatione monstravit quòd cùm Abbatem ejusdem monasterij, pro eo quòd bona monasterij dilapidaverat, simoniam etiam & perjurium commiserat, nimis inhonestè vivendo, ad sedem apostolicam appellasset, se ac fautores suos cum bonis suis apost. protectioni supponens, idem abbas W. Ademar monachum, qui prædicto W. Manfridi fa-

vebat, ab administratione Cellerariæ, quam de communi assensu Capituli possidebat, spreta sedis apostolicæ appellatione removit. Præterea supradictum Vv. Madfredi & ipsum Vv. Ademar & R. Guntardi monachos ipsius monasterij per Lodoven. Episcopum & P. Giberti Rectorem Ecclesiæ sancti Petri per omnes Ecclesias civitatis Lodoven. fecit excommunicatos publicè nunciari; quidus secundùm formam fecimus Ecclesiæ beneficium absolutionis impendi. Volentes igitur gravamini ejusdem Ecclesiæ providere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus revocato in statum debitum quicquid post appellationem ad nos legitimè factam inveneritis immutatum, super præmissis omnibus & aliis quæ proposita fuerint inquiratis diligentiùs veritatem, & solum Deum habentes præ oculis, quod canonicum fuerit, sublato appellationis obstaculo statuatis, & faciatis quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, memoratos Episcopum & P. Giberti, qui post appellationem ad nos rationabiliter factam præfatos monachos excommunicationi subjicere minimè timuerunt, pœna canonica punientes. Quòd si ambo &c. tu frater Archiepisc. &c. Datum Romæ &c. III. Idus Iunij.

CAPITVLO S. IOHANNIS *Bisuntinensis.*

Epist. 176. Vt novum illis collegium erigere de Archiepiscopi voluntate liceat.

QVoniam ex injuncto nobis officio subditorum animos ad caritatis opera diligenti solicitudine debemus inducere & de bono semper ad melius invitare, illis qui supernæ benignitatis gratia inspirante sectatores bonorum operum esse volunt, & in veritate & justitia coram Deo ambulantes, creatoris sui sibi cupiunt conciliare favorem, specialiùs condescendere nos oportet, & eorum justis petitionibus assensum apostolicum impertiri. Inde est quòd cùm in Ecclesia sancti Martini, quam habetis apud Salinum, juxta facultates Ecclesiæ Canonicorum ordinem velitis instituere, sicut fuit in auditorio nostro propositum; nos vestro proposito grata volumus condescendere voluntate, vobis præsenti pagina indulgentes ut habito assensu venerabilis fratris nostri Bisuntini Archiepiscopi, nullius contradictione vel appellatione obstante, tam laudabile propositum valeatis effectui mancipare. Datum Romæ &c. V. Idus Iunij &c.

BISVNTINO ARCHIEPISC.

Epist. 177. Illum, indicta tamen purgatione, ab accusatione Capituli absolvit. Cap. Licet. De accusationibus.

LIcèt in beato Petro Apostolorum principe ligandi atque solvendi nobis a Domino sit attributa facultas, quâ in subditos juxta suorum exigentiam meritorum exercere liberè debeamus, exemplo tamen illius qui omnes salvat, & neminem vult perire, libentiùs ad solvendum intendimus quàm ligandum, etsi nonnullæ sint culpæ, in quibus est culpa relaxare vindictam. Sanè cùm olim ex literis * G. Decani S. Stephani, Gerardi Cantoris S. Stephani, Iohannis Salinensis, T. de Grai, Io. de Waresca, O. Faverniacen. Archidiaconi, & Norandini Subdiacoui nostri, Canonicorum Ecclesiæ Bisuntinæ, ad apost. sedis audientiam pervenisset te varia crimina commisisse, ac ab eis fuisses per easdem literas super perjurio, crimine simoniæ, & incestu delatus, fel. recor.* Celestinus PP. prædecessor noster servata judiciaria gravitate tibi certum terminum assignavit, quo, responsurus objectis, apostolico te conspectui præsentares. Cùm autem tu juxta tenorem factæ tibi citationis ad sedem apostol. accessisses, te & dilectis filiis Io. & O. Archidiaconis apud sedem apostolic. constitutis expectavimus aliquandiu si qui forsan contra te procederent, & quæ de te literis intimaverant, proponerent in scribendo. Ceterùm cùm nec unus etiam appareret, qui te impeteret de prædictis, ne aliquid de contingentibus omittere videremur, prædictis Archidiaconis vocatis ad præsentiam nostram, & in nostra & fratrum nostrorum præsentia constitutis, quæsivimus diligenter, si quid super præmissis adversùs te pro se vel aliis proponere vellent, & quod scripserant, legitimè demonstrare. Ipsi autem, quòd non proposito accusandi hæc scripserant, responderunt; sed quia tu super quibusdam incorrigibilis videbaris, quædam de te sedi apostolicæ duxerant intimanda; sed nuncius qui pro literis impetrandis accessit, mandati formam præsumpsit excedere. Nos igitur famæ tuæ consulere cupientes, dictis Canonicis contra te super prædictis silentium duximus imponendum, ne te de cetero eis super ipsis accusare liceat, vel etiam infamare,

In tertia Collect. & apud Gregorium, B.

Apud Gregor. Clemens

illius sequentes exemplum qoi cùm mulieri dixisset, *Nemo te condemnavit, mulier?* & illa, *Nemo, Domine. Nec ego* (inquit) *te condemnabo. Vade, jam ampliùs noli peccare.* Quia verò prædicti Canoooici citra vinculum ioscriptionis desistere voleruot, eis de juris permissione id non duximus imputaodum. Ne autem in absolutione tua * nimis procedere videamur, quamvis potiùs io odore bonæ opinionis coëpiscoporum nostrorum quàm eorum infamia delectemur, venerabili fratri nostro Cabiloneosi Episcopo & dilecto filio Abbati de Firmitate inquisitionem famæ tuæ duximus committendam. Datum Romæ &c. IV. Idus Iunij.

* Apud Gregor. minùs canonicè.

CISTERCII ET TULLEI Abbatibus.

Epist. 178. Vt Thesaurarius Bisuntinus ad personalem residentiam vocetur.

EX parte dilectorum filiorum Caoonicorum Ecclesiæ S. Iohannis Bisuotin. fuit in audientia nostra propositum quòd cùm Thesaurariam Ecclesiæ Bisuntinæ cuidam Teutooico, videlicet C. qui in Treveren. & Spiren. Ecclesiis redditus quamplures habere dignoscitur, ad iostantiam Othonis Comitis Burguodiæ inviti & coacti assignaverint, licèt oecessitas multò plus exigat continuam residentiam Thesaurarij quàm alicujus personæ, per spatium duorum annorum & ampliùs præfatus Thesaurarius non habuit ad Ecclesiam Bisunt. accessum, & ita Thesaurarij locum incassum occupat, propter quod ipsa Ecclesia debito servitio defraudatur, & multiplex sustinet detrimentum. Quoniam igitur rationi & æquitati consonat ut portet onus qui percipit proventus hooris, cùm ecclesiasticæ dignitates ad hoc fueriot institutæ ut hi qui obtinoerint eas dignè Domino famolentur; discretioni vestræ per apost. scripta mandamus quatenus memoratum C. ut in Ecclesia Bisuotina, prout ex digoitate Thesaurariæ tenetur, residentiam faciat, mnoeatis diligentiùs, & studiosiùs ioducatis. Si verò monitis vestris obtemperare noluerit, vel si fortè spontaneus cesserit; vos auctoritate oostra suffulti, juxta canonicas sanctiones & consuetudinem Ecclesiæ Bisunt. in substituendo Thesaurario, sublato cootradictioois & appellatioois obstaculo, procedatis. Nullis literis &c. harum meotione &c. Datum Romæ &c. VI. Idus Iunij.

MEDIOLANEN. ARCHIEPISC.

Epist. 179. Pontificiis literæ sunt recipiendæ & exequendæ, nisi obreptitiæ existant. Cap. Cum adeo. De rescriptis.

CVm adeo scripta sedis apostolicæ moderemor ut ex certa scientia nihil in eis faciamus apponi quod de jure debeat reprehendi, miramur non modicùm & movemur quòd quoties ad te vel aliquos tibi subjectos nostras literas destinamus, te super eis mirari rescribis, ac si mandaremus aliquid inhonestum. Scripsisti etenim nobis quòd cùm P. Clericus in Ecclesia * Modevien. sufficientem sibi sit præbendam adeptus, mirabaris quòd pro receptione ipsius in Ecclesia de Grongonsola Præposito & fratribus ejusdem Ecclesiæ literas apostolicas miseramus; cùm si literarum nostrarum diligenter seriem attendisses, nihil penitùs invenires in eis quod tuum debuisset animum offendisse. Cùm enim in literis ipsis nec de præbenda ipsius P. mentio haberetor, nec Modevien. Canooicus, immo nec etiam Clericus diceretur io eis, & in literis ipsis hæc esset adjecta conditio, si dignus existeret ad ecclesiasticum beneficium obtinendum, & si eadem Ecclesia ex dnoo parentum ipsius quoadam capellam cum dote fuisset adepta, & à consanguineis ejus oblationes & mortoaria pro tempore & decimas perciperet aonuatim, intelligere potuisses qualiter literæ ipsæ fuerant impetratæ, io quibus de beneficio ipsius, pro quo scribebatur, mentio non fiebat. Ideóque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus cùm ad te vel ad tuos literæ apostolicæ diriguntor, earum tenorem diligenter attendas, & quod mandatur in eis, dum tamen nec per suppressionem veritatis aut expressiooem falsitatis obtentæ fuerint, facias effectui mancipari. Datum Romæ &c. XIII. Kalend. Iulij.

* In Tertia Collect. Mediocesi.

PRÆPOSITO ET CANONICIS Ecclesiæ Colocen.

Epist. 180. Confirmat jus percipiendi decimas ex certis villis.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu. Decimas villarum io Colocen. parochia Zumozcircom minoris Ester, in parochia Ocur, Terethiæ, Varod, Cheud, & Cheud prædium Hyppoliti Scolonnta, Varos, Ytoud; in parochia Budrug, Luascu, Buu, Ban; prædium dom. Cheucuucheton; in paroch. Cameras, Egres, Thoboid, & totiùs parochiæ Ecclesiæ de Miger; agoos etiam villarum

villarum Sarmegi, Ichafei Abbatis, Vdlaorcharian, Dobosa majoris, Dobosa minoris, PoscIba, Cheul, Scetij vobis à vener. fratre nostro Archiepiscopo Colocen. concessas, sicut prædicta omnia justè ac sine controversia possidetis, & in ejusdem Archiepiscopi authentico pleniùs continetur, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum &c. ut suprà, Idibus Iunij.

COLOCEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 181. Committitur illi instauratio cœnobij sancti Stephani.

AD audientiam nostram noveris pervenisse quòd inclytæ recordationis Dux Belus olim in archiepiscopatu tuo, in proprio fundo suo, qui appellatur Caec, monasterium in protomartyris Stephani honorem construxit, adeo illud amplis possessionibus redditibúsque ditavit, quòd XXX. monachi in eo secundùm beati Benedicti regulam Domino servientes, sustentationem sufficienter habebant, & hospites & pauperes ad ipsum monasterium divertentes procurationem recipiebant de necessariis competentem. Quadringentas etiam marchas argêti, præter cruces & calices, idem nobilis eidem loco ad ipsius Ecclesiæ concessit ornatum. Cùmque post multa tempora prędicti fratres suum ibidem impendissent Domino famulatum, tandem de voluntate regia, bonæ memoriæ A. prædecessore tuo suum in parte præbente consensum, Canonicis sancti Abrahæ de Valle Ebron idem cœnobium est collatum, tali conditione apposita, videlicet si sedis apostolicæ moderatio translationem hujusmodi approbaret & duceret sustinendam. Verùm dicti Cannonici, monachis prænominatis exclusis, auctoritate apostolica nullatenus comparente, monasterium ipsum intrarunt: per quorum administrationem inutilem adeo bona ejusdem cœnobij dilapidata noscuntur, possessionésque distractæ, quòd ipsum monasterium propter nimiam paupertatem deserere sunt coacti, vix in eo tribus solummodo remanentibus, qui cum rubore & verecundia multa in eo, sicut dicitur, commorantur. Quia igitur de ipsius processu negocij nobis plenè non constitit, discretioni tuæ, de qua plenè confidimus, ipsius monasterij ordinationem auctoritate præsentium committentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ejusdem cœnobij utilitate pensata, solum Deum præ oculis habens, quicquid de ipsius institutione, sive de reducendis monachis in monasterium ipsum, seu dimittendis in eo Canonicis nominatis, secundùm Deum videris statuendum, auctoritate nostra subl. omni cōtradictionis & appellationis obstaculo instituere non omittas, ita quòd idem monasterium in meliorem statum possit tua solicitudine faciente reduci, & nos, cùm audierimus, providentiam tuam debeamus dignis in Domino laudibus commendare. Datum Romæ.

GRADEN. PATRIARCHÆ.

Epist. 182. Vt concordia inter Ecclesiam S. Salvatoris & Ecclesiam S. Bartholomæi de Venetiis inita servetur.

CVm dilecti filij G. Prior Ecclesiæ sancti Salvatoris, quæ Canonicorum est regularium, & D. Sindicus Ecclesiæ sancti Bartholomæi de Venetiis, quæ est secularium Clericorum, pro questione quæ inter ipsas Ecclesias vertebatur, ad sedem apostolicam accessissent, dilectum filium P. tituli S. Cæciliæ Presbyt. Cardinalem eis concessimus auditorem: in cujus audientia Prior proposuit memoratus quòd felicis recordationis Lucius, & ad ejus imitationem Vrbanus, Gregorius, & Clemens prædecessores nostri, tum pro dissensione sedanda, tum etiam pro religione fovenda, Ecclesiam S. Bartholomæi per venerab. fratrem nostrum M. Castellanum Episcopum Ecclesiæ sancti Salvatoris adjungi & perpetuò subjici mandavere; & demum cùm per Castellanum Episcopum id nullatenus fuisset executioni mandatum, bonæ memoriæ Celestinus prædecessor noster idem eidem Episcopo injungendo præcepit, mandans venerabilibus fratribus nostris *Exulan. & Civitatis novæ Episcopis ut ipso in executione hujus mandati cessante, illi hoc exequi non differrent. Vnde idem Castellanus Episcopus, quod injunctum ei fuerat, statim executioni mandavit, ipsum Priorem investiens de prædicta Ecclesia, & per Clericum suum in ejus corporalem possessionem inducens. Et ideo postulabat ut quod ab eo de mandato sedis apostolicæ factum erat, auctoritatis nostræ robore firmaretur. E contra verò supradictus D. pro Ecclesia S. Barth. respondendo proposuit quòd cùm olim inter prædictas Ecclesias super jure parochiali quæstio verteretur, & à bonæ

* f. Esculan.

memoriæ Lucio Papa judicibus delegatis commiſſa fuiſſet, per eoſdem judices inter eas amicabilis compoſitio intervenit: quæ fuit ab utraque parte præſtito juramento recepta, & redacta in publicum inſtrumentum, necnon & longo tempore obſervata. Vnde omnes ſupranominatas literas aſſerebat per ſubreptionem à ſede apoſtolica impetratas, cùm in eis nulla mentio facta fuerit de compoſitione prædicta. Adjecit inſuper quòd prædictus Caſtellanus Epiſcopus in negocio ſine cauſæ cognitione proceſſit, Clericis ejuſdem Eccleſiæ ignorantibus & penitùs inconſultis, ex quo grave ſcandalum in ipſa civitate proponebat exortum. Præterea ſupranominatus Prior coram prædicto Cardinali fuit in jure confeſſus quòd præſcripta compoſitio recepta fuit ab utraque parte, & ſine queſtione ſervata uſque ad obitum Iohannis olim plebani ſancti Bartholomæi, à cujus deceſſu nondum quinquennium eſt elapſum. Cùm autem jam dictus Cardinalis, quæcunque fuerant hinc inde propoſita, nobis & fratribus noſtris fideliter retuliſſet, nos intelligentes nominatas literas per ſuppreſſionem veritatis, quoniam in eis nulla mentio de compoſitione fiebat, necnon & per expreſſionem falſitatis, quoniam ab ipſis Eccleſiis compoſitio ſervabatur, obtentas; & quia licèt executio prænominato Caſtellano Epiſcopo fuerit demandata, oportebat tamen de veritate precum inquiri; nihilominus attendentes quia quod pro ſcandalo tollendo fieri dicebatur, majus ſcandalum generabat, (ſicut etiam tam ex literis tuis quàm dilecti filij Ducis Venetorum necnon & aliorum plurium nobis eſt intimatum) de communi fratrum conſilio, (ſanctæ recordationis Gregorij PP. veſtigia imitantes, qui veritate comperta prædictam compoſitionem ſervari mandavit, prout ex literis quas dictus Prior in judicio nobis & fratribus noſtris exhibuit, conſtitit evidenter) licèt religioſis & piis locis, quantum cum Deo poſſumus, favorem velimus apoſtolicum impertiri, quia tamen oportebat nos quæſtionem propoſitam ſecundùm juſtitiam terminare, ipſam compoſitionem decrevimus ratam & firmam habendam, non obſtante quod factum eſt ab Epiſcopo Caſtellano per literas ab apoſtolica ſede ſubreptas, cùm mendax precator carere debeat impetratis. Ideóque fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus eandem compoſitionem, ſicut ſine pravitate facta eſt & ab utraque parte recepta, facias irrefragabiliter obſervari; ſi qui contra eam venire præſumpſerint, ſubl. appellationis impedimento, per eccleſiaſticam diſtrictionem à ſua præſumptione compeſcens. Datum Romæ &c. XIV. Kalend. Iulij, &c.

HVGONI ABBATI & Conventui S. Zenonis Veronen.

Epiſt. 283. Per ſententiam decidit cauſam ipſorum contra Eccleſiam S. Proculi, de ſubjectione.

CVm inter vos ex una parte pro Eccleſia veſtra & Mnſetum Archipreſbyterum & Clericos ſancti Proculi nomine Eccleſiæ ſuæ ſuper ſubjectione ipſius Eccleſiæ ſancti Proculi & aliis multis articulis quæſtio verteretur, tibi, fili Abbas, & ipſi Archipreſbytero in noſtra præſentia conſtitutis, venerabiles fratres noſtros P. Compoſtellanum Archiepiſcopum & Odonem Terdonen. Epiſcopum, tunc apud ſedem apoſtolicam commorantes, dedimus auditores. Sed ipſo Epiſcopo, lite pendente, ab Vrbis partibus recedente, dilectum filium M. Subdiaconum & Capellanum noſtrum loco ejus curavimus ſubſtituere. In quorum præſentia ex parte tua, fili Abbas, fuit propoſitum quòd dicta Eccleſia ſancti Proculi monaſterio ſancti Zenonis pleno jure debet eſſe ſubjecta, videlicet in inſtitutione, deſtitutione, vel inveſtitura Archipreſbyteri, & ejuſdem fidelitate, ipſius & fratrum obedientia, correctione, repræſentatione ad ordines, tonſuratione, ſuſceptione Chriſmatis, ſtatiis, & letaniis, & aliis ſimilibus, per quæ plena ſubjectio declaratur. Ad quod probandum inſtrumentum publicum conceſſionis bonæ memoriç Brunonis quondam Veronen. Epiſcopi pars tua in medium producebat: quam conceſſionem ſucceſſor ejus Thebaldus ratam habuit, & etiam confirmavit. Super his quoque tam Patriarcharum Aquileien. quàm Roman. Pontificum privilegia confirmationis induxit: quorum unus, ſcilicet Gotefridus, de ſubjectione plenaria in privilegio ſuo evidenter expreſſit, quòd ſub teſtimonio Riprandi quondam Veronen. Epiſcopi, qui ejuſdem eccleſiæ Archipreſbyter extitit, factum fuerat & completum, & in eo à Priore monaſterij ſancti Zenonis mandavit vice ſua ſubſcribi, ſicut in inſtrumento publico con-

tinetur. Adjecit etiam pars tua quòd inter Nobilem quondam Abbatem ejusdem monasterij & Sicherium Archipresbyterum & fratres ipsius, procedente tempore, de fidelitate & obedientia manuali controversia fuit exorta, ad quæ duo dictus Archipresbyter cum fratribus suis se duntaxat teneri negabat, & super his testes producti fuerunt. Tandem præfatus T. Veronen. Episcopus, rationibus utriusque partis auditis & cognitis, quendam Cardinalem sequens, à quo fuerat judicatum quòd vel Archipresbyter Ecclesiam dimitteret, aut Abbati obedientiam repromitteret; credens etiam quòd testes vera deposuerint coram eo, qui de fidelitate manifestum protulerant testimonium, idem & ipse sententialiter diffinivit, sicut in instrumento publico perspeximus contineri. Cujus sententia cùm nulla fuerit appellatione suspensa, in rem transiit judicatam; quam asserebat nullo posse juris remedio attentari; à cujus prolatione usque ad tempora ista, quinquaginta annorum spatium est transactum: per quos, quòd monasterium sancti Zenonis præfatam Ecclesiam pleno jure possederit, & quòd prædictus Archipresbyter & fratres ejus præteriti & præsentes obedientiam Abbatibus sancti Zenonis fecerint, tonsuram ab ipsis receperint, & in aliis quæ præmisimus obsequia sibi præstiterint, per testes & instrumenta probavit, & sic usque ad tempus litis nuper exortæ monasterium in possessione fuisse firmiter asserebat; querens Ecclesiam sancti Zenonis à nominato Archipresbyterò super quibusdam de præmissis indebitè molestari. Tribus ergo præcipuè rationibus suam assertionem proponebat esse munitam, videlicet per privilegiorum confirmationem, per auctoritatem sententiæ, & per temporis longævitatem; ut quasi funiculus triplex, difficilè dissolvatur. Ex opposito verò memoratus Archipresbyter prædicta omnia monasterio competere denegabat, præmissis rationibus sic respondens: quòd cùm instrumentum concessionis prædicti B. Episcopi non fuerit publica manu confectum, nec sigillo episcopali munitum, & propter rasuras quasdam suspectum prima facie videretur, parti suæ nec poterat nec debebat præjudicium generare; & sic nec ceteræ probationes Abbatis, ut confirmationes, & privilegia ex ipsa donatione pendentia, cùm quasi arenoso fundamento & arundineo baculo niterentur, & principali non valente nullam haberent accessoria firmitatem. Quòd etiam parti suæ sententia memorati T. Veronen. Episcopi non noceret, illa ratione dicebat, quia non continebat absolutionem vel condemnationem, cùm sub alternatione prolata fuisset, sicut & sententia Cardinalis; quæ cùm in medium produci non posset, nec prodesse poterat nec obesse; præsertim cùm & prolatam esse penitùs denegaret; contra quam, etiamsi prolata fuisset, nec appellatione suspensa, poterat tamen agi de falso, cùm ex instrumento prædicti B. Veronen. Episcopi, per vitium rasuræ falsato, lata fuisset. Sed nec testes ex tenore sententiæ dicuntur deposuisse jurati. quare nulla fides eis fuerat adhibenda. Longævitatem etiam temporis seu præscriptionem Ecclesiæ suæ non posse nocere dicebat; quia pars adversa nulla ratione probaverat subjectionem continuam vel frequentem, sed quòd Ecclesiæ sancti Proculi quandoque præfuit abbatia. Ceterùm ad assertionem intentionis suæ pars Archipresbyteri prædicti supradicti B. Veronen. Episcopi publicum protulit instrumentum, antiquius illo quod fuerat à jamdicto Abbate productum: in quo idem Episcopus lacrymabiliter postulantibus Archipresbytero & Clericis sancti Proculi, sub pœna excommunicationis firmiter repromisit quòd numquam alij subjiceret Ecclesiam nominatam, quam Ecclesiæ sancti Firmi Archipresbyter & Clerici audierant ab Episcopo supponendam. Cujus factum dictus T. successor illius suis literis confirmavit. Contra quas nulla ratione venissent, si præfatus Abbas, cùm subjectionis ab eis literas, de quibus præmisimus, impetravit, quæ gesta fuerant expressisset. Ideóque Abbatis rescripta per suppressionem veritatis, adhibita fraude dicebat obtenta. Idem etiam Archipresbyter libertatem Ecclesiæ volens ostendere, quòd ipse cum Clericis suis sine Abbatis licentia locaverit & dislocaverit, & capellas sanctorum Viti & Maximi ordinaverit, conversas & alias in eis ponendo personas, & quòd canevarios & alios officiales in Ecclesia sua liberè instituerit, & ab Ecclesia Cathedrali quandoque Chrisma receperit, quandoque à monasterio

nominato, depoſitionibus teſtium legitimè comprobavit. Verùm pars Abbatis, ut reſponſionem adverſæ partis eliderer, quæ inſtrumentum donationis viribus carere dicebat, illius temporis alia inſtrumenta produxit; ut ex eorum collatione, cùm non eſſent publica manu confecta, inſtrumentum ſuum authenticum appareret, cùm ſimplicitas hominum illius temporis talia non requireret. Sed pars adverſa & illud & alia reprobabat. Porrò inſtrumenta partis adverſæ, quæ notam falſitatis habere pars proponebat Abbatis, etiamſi vera eſſent, in nullo ſibi poſſe nocere dicebat, cùm in priori judicio fuiſſent exhibita: ubi & hæc & alia quæ poſſet objicere pars adverſa, ſive commiſſa fuerint, vel etiam allegata, audiri ulteriùs non deberent, ne lites fierent immortales, quæ prætextu inſtrumenti pòſt reperti non debent ullatenus inſtaurari. Querela quoque falſi, quam volebat proponere pars adverſa, viginti annorum ſpatium non excedit; & cùm à tempore latæ ſententiæ quadraginta anni & ampliùs, à tempore verò litis motæ triennium ſit elapſum, querela falſi non poterat ulteriùs intentari. Cùm itaque hæc, quæ præmiſimus, & ſimilia multa præfati auditores nobis & fratribus noſtris prudenter & fideliter retuliſſent; nos communicato fratrum noſtrorum conſilio, quamvis fortè dicto inſtrumento donationis non ſit plurimùm innitendum, nec confirmationibus, vel privilegiis, quæ de ipſo cauſam & originem acceperunt; attendentes quòd quantum ad litigantes ipſos jus ex ſententia factum fuit poſtquam in rem tranſiit judicatam, etiamſi contra jus litigatoris lata fuiſſet, cùm contra jus conſtitutionis expreſsè lata non fuerit, veritate geſtorum ſermonibus prævalente, quæ præſumuntur rite per omnia celebrata; ſtatuimus, & per ſententiam diffinimus, ut Archipreſbyter ſancti Proculi, qui pro tempore fuerit, fidelitatem & obedientiam præſtet Abbati ſancti Zenonis. Et quia de aliis capitulis tunc controverſia non fiebat, cùm pars adverſa in priori judicio ſe ſuper his Abbati ſubditam non negaret, decernimus ut Eccleſia ſancti Proculi monaſterio ſancti Zenonis pleno ſit jure ſubjecta, & ut Archipreſbyter & Clerici memorati ſuper his, ſcilicet inſtitutione, deſtitutione, & ceteris articulis memoratis, quæ pro monaſterio in judicium deducta fuerunt, Abbati ſancti Zenonis tanquam ſubditi Prælato reſpondeant. Chriſma quoque à monaſterio ſancti Zenonis recipiant, & ſic, eo mediante, ab Eccleſia Veronenſi. Verùm dicti Archipreſbyter & Clerici locandi, diſlocandi, emendi, vendendi etiam res modicas ipſius Eccleſiæ, non autem maximas, per quas immobilia & ornamenta & vaſa ſacra intelligi volumus, canevarios etiam & alios officiales Eccleſiæ inſtituendi, & officiandi præfatas capellas ſuas, & inſtituendi Clericos & incluſas in eiſdem capellis, ſine Abbatis licentia, liberam habeant facultatem; dummodo ſuper præmiſſos officiales eidem Abbati correctio tanquam ſuper ipſis Clericis Eccleſiæ ſancti Proculi reſervetur. Eligendi etiam ſibi fratres, & præficiendi ſibi Archipreſbyterum qui à jamdicto Abbate inveſtituram accipiat, & eidem obedientiam repromittat, præſentandi quoque ordinandos Abbati, & eo mediante, Veronenſi Epiſcopo, ac celebrandi baptiſma, plenam poteſtatem eos habere cenſemus. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum, XIII. Kal. Iulij.

RADVLFO ABBATI ECCLESIÆ ſanctæ Oſytæ de Chuc, ejuſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Epiſt. 154. De ordinis privilegiorùmque confirmatione, & norma vivendi.

Piæ poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri; ut & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Eapropter, dilecti in Domino filij, &c. *uſque ad verbum* annuimus, & præfatam Eccleſiam ſanctæ Oſytæ, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes ut ordo canonicus, qui ſecundùm Deum & beati Auguſtini regulam in eadem Eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones &c. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis; totum manerium de Chuc, cum omnibus pertinentiis ſuis; Eccleſias de Sudminiſtra, & de Meilande, cum duabus hidis terræ, & Marſico, & decimis,

& omnibus pertinen. suis; Ecclesiam de Clacheton, Ecclesiam de Hoilaoda, Ecclesiam de Michelestoo ve, Ecclesiam de Huggelleia, Ecclesiam de Petham, Ecclesiam de Denham, Ecclesiam de Sopiland, Ecclesias de Bliebore, Ecclesias de Stouvemarchet, Ecclesiam de Neuthonia, & Ecclesiam de Hillejauverri, cum omoibus libertatibus & pertioeo. suis, sicut in anthenticis dooatorum & Episcoporum uoscitur contioeri. Transactionem insoper quæ inter Ecclesiam vestram & Ecclesiam sancti Pauli Londonien. super Ecclesiis de Sudmiuistra, & de Meilande, & de Alestorn, & earum pertinentiis, amicabiliter intervenir, sicut sine pravitate facta est & ab utraque parte recepta, & hactenos observata, & io instrumentis exinde coufectis cootinetur, auctorirate apostolica confirmamus. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis maoibus &c. Liceat quoque vobis Clericos & laicos &c. Prohibemus insuper ot oulli fratrum vestrorum &c. nisi arctioris religioois obteotu &c. Discedentem verò &c. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit &c. Chrisma verò &c. per diocesanom Episcopum gratis & sioe pravitate aliqua vobis volumus exhiberi. Prohibemus insuper ot infra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu diocesani Episcopi & vestro capellam &c. Salvis tamen privilegiis Romanorum Pontificum. Ad hæc, novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiacoois, seu Decanis, aliisque omoibus ecclesiasticis secularibúsve personis omniuo fieri prohibemus. Libertates præterea & immunirates &c. Sepulturam præterea &c. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus &c. Obeunte verò &c. Paci quoque ac tranquillitati vestræ &c. Decernimus ergo &c. Si qua igitur &c. Datum Romæ apud sanctum Petrom per maoum Rainaldi Domioi PP. Notarij, Cancellarij vicem agentis, Idibus Ionij, Indictione prima, incarnationis Domioicæ anno M C X C V I I I. Poutificatus verò Domini Inoocentij PP. III. anno primo.

SEGOBIEN. EPISCOPO.

Epist. 285. Absentium vel etiam temerè repugnantium sententiis neglectis, præva-

CVm à nobis petitur &c. *usque* effectuoi. Saoè, sicut nobis iotimare curasti, cùm io Ecclesia rua vis aliquem Canonicum seu portionarium ordinare, licèr multorum habeas in ipsa ordinatione coosensum, paoci tameo quandoque noo ram de ratiooe quàm propria voluotate ipsam ordinationem impediunr, & te in ipsa procedere non permittunt. Nolentes igitur ut instirotiones ecclesiasticæ tali occasione temerè valeant impediri, fraternitati toæ auctorirate præseotium indulgemus ut nisi à paucioribos & inferioribus aliquid rationabile objectum fuerit & ostensum, ordinandi Canonicos seu portionarios appellatiooe remota liberam habeas facultatem, sempérque prævaleat & suum consequator effectum quod cum majoris & saioris parte Capiruli per te fuerit iustitutum. Qnòd si aliqoi fortè se duxerint abseutandos, dum volueris in hujusmodi ordiuatione procedere, & accedere vocati oolueriot, eorum appellatione seu conrradictiooe nequaqoam obstaote oostra fretus auctoritate procedas. Nulli ergo &c. Datum &c. IV. Idus Iunij.

leat majora & saniora suffragia reliquorũ.

ABBATI MONASTERII sancti Germani Antisiodoren. ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 286. De eorum privilegiis, & quòd recipiantur sub protectionem apostolicam.

EFfectum justa postulanribus indulgere & vigor ęquitatis & ordo exigit rarionis; præsertim quando petentium volunrates & pietas adjuvar, & veritas oon relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulatiooibus clementer anouimus, & præfatum monasterium, in qoo divino maocipati estis obseqoio, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Eugenij, Adriani, Clementis, & Celestini Romanorum Pontificum sub beati Petri & oostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem staruentes ut ordo monasticus, qui secuodùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem mooasterio iostirutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus ioviolabiliter observetor. Præterea quascunque possessiones, quæconque booa, &c. *usque ad* permaneaut. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locom ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertineo. suis. In episcopatu Antisiodoren. Ecclesiam saocti Lupi, Ecclesiam Digiæ, Ecclesiam de Escant, Ecclesiam de Pa-

triniaco, Ecclesiam de Blaagniaco, Ecclesiam de Banna, Ecclesiam de Venneto, Ecclesiam de Pratili, Ecclesiam de Irenziaco, Ecclesiam de Ariaco, Ecclesiam de Saliniaco, Ecclesiam de Rovreto, Ecclesiam de castro sancti Fetreoli, Ecclesiã quæ dicitur Sanictos. Monasterium Melereden, cum adjacentibus Ecclesiis, videlicet Ecclesia sancti Petri de ipso burgo, Ecclesia sanctæ Columbæ, Ecclesia sancti Boniti, Ecclesia sancti Amandi, & Ecclesia Annaio. Monasterium sancti Salvatoris, cum adjacente Ecclesia sancti Iohannis Baptistæ. Monasterium de Saffiaco, cum adjacentibus Ecclesiis sancti Christophori & sancti Machuti. quindecim solidos in Ecclesia de Asneriis. Monasterium de Bellomonte. Monasterium sancti Verani. Capellam de Verone, capellam de Soëriis. In parrochia Senonen. Ecclesiam de Agriaco, Ecclesiam de Fains, Ecclesiam de sancta Cruce. Quicquid habetis in Ecclesia de Corberiis, Ecclesiam de Sancasio, Ecclesiam de Hulmedo, Ecclesiam de Altaripa, Ecclesiam de monte sancti Sulpitij, Ecclesiam de Booliaco, monasterium sancti Florentini, cum capella Vicecomitis, & aliis pertinentiis suis, monasterium Airaldi cum pertinen. suis, & Ecclesiam de Eureio. In episcopatu Trecensi, Ecclesiam de Brittiniaco, cum capella de Vallecharzi. In episcopatu Lingonensi, monasterium sancti Leodegarij, cum adjacentibus Ecclesiis, videlicet Ecclesia sanctæ Mariæ in eodem burgo, Ecclesia de Mosteriolo, cum capella de Æstival & de Cirins, Ecclesia de Magniaco, Ecclesia de Massiliaco, & Ecclesia de Besueta. Monasterium sancti Valentini, cum Ecclesiis de Niceto, de Lavia, de Ponziaco. Ecclesiam de Linorellis, Ecclesiam de Cariſſiaco, Ecclesiam de Mollaio, Ecclesiam de Annaio. In Parrochia Bisuntinensi monasterium de Palmis, cum Ecclesia ejusdem castri, Ecclesiam de Tumbeio. In episcopatu Eduensi, Ecclesiam de Luciaco, jus quod habetis in Ecclesia de Vultiniaco, Ecclesiam de Disengiaco, in Ecclesia de Maniaco novem solidos & obolum. In episcopatu Nivernensi, monasterium sancti Petri de Disesia, cum capellis sanctæ Mariæ Magdalenæ & sancti Martini. in eodem castro Ecclesiam sancti Mauritij, Ecclesiam sancti Leodegarij. Quicquid habetis in Ecclesia de Torriaco. Monasterium de Massiliis, cum Ecclesiis de Viridiprato, de Monterrant, de Tais, de Vendenessa, & de sancto Iacobo. Monasterium de Castellione, cum capellis ejusdem castri, videlicet sanctæ Mariæ, sanctæ Cæciliæ, & sanctæ Mariæ Magdalenæ. Ecclesiam de Alvia, cum capella sanctæ Mariæ ejusdem villæ. Ecclesiam de Fraxineto, Ecclesiam de Carnlaco, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Capella de Catis. In episcopatu Nannetensi, monasterium sancti Germani de Aveto, quicquid nobilis vir Rainaldus de Castellione & Elisabeth uxor sua vobis in eleemosynam contulere, sicut in scripto eorum authentico continetur. Libertates & immunitates quas habetis in burgo sancti Petri de Disesia, à nobili viro Raynaldo vobis concessas, sicut in ejusdem authentico continetur. Castrum sancti Germani cum burgo, villam de Digia, grangiam de Recognito, villam de Escanz, villam de Orgiaco, medietatem nemoris de Brueria, tam in justitia quàm in redditibus, quoquomodo proveniant, villam de Patriniaco, grangiam de Villamer, grangiam de Neiron, cum appendiciis suis. Quicquid habetis apud Soërias, grangiam de Carmeyo, villam de Vanneto, villam de Balniaco, medietatem Villænovæ, villam de Cheriaco. Quicquid habetis in villa de Ronreto, in villa de Altaripa, in villa de Hulmeto, in villa de monte sancti Sulpitij, in villa de Booliaco, grangiam de Grossobosco, grangiam de Villarivinoso, cum appendiciis suis, grangiam de Bettiaco cum appendiciis suis, villam de Irentiaco cum appendiciis suis, villam de Aucep, cum appendiciis suis, villam de Curte-Arnulfi cum appendiciis suis, villam de Maros, grangiam de Morlai, cum appendiciis suis. Quicquid habetis in castro de Silniaco, in castro de sancto Salvatore, in castro de Lainiaco, in castro de Merliniaco, in castro sancti Florentini, in castro sancti Verani. Quicquid habetis in villis de Gurgi, de Vallibus, de Campis, de Escolinis, de Crevens, de Vultiniaco, de Cussidepratigi, de Nenntri, de Chabileia, de Pontiaco, de Baina, de Linoroliis, de Oona, de Sorgiaco, de Iussiaco, de Sylvarani, de Chavantuis, de Valant, de Luciaco, de Dissengiaco, de Massengiaco Burgundiæ monasteriis, cum appendiciis suis, grangiam S. Boniti. Quicquid habetis apud Agriacum, apud

villam de Fain, & apud villam de Amaio. Quicquid habetis apud sanctum Amandum, apud Sancasium, apud villare super Tholum, apud Pontem nascentem, villas de S. Leodegario, de Marendulio, de Cusiri, de Beleneva, de Maniaco, de Mosteriolo, de Æstival, & de Cerins. Grangias de Maini & de Marceni, grangiam de Brentiniaco, cum appendiciis suis. Quicquid habetis in servis & ancillis, decimis, censibus, molendinis, furnis, terris, vineis, pratis, nemoribus, & aquis, cum aliis possessionibus vestris. In parochialibus autem Ecclesiis quas habetis, liceat vobis Presbyteros eligere, & diocesano Episcopo præsentare: quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Vobis autem auctoritate præsentium indulgemus ut excommunicandi, sive interdicendi, vel suspendendi vos vel Ecclesias vestras earúmque Capellanos aut Clericos & homines vestros absque manifesta & rationabili causa, & servato juris ordine, nisi tale commissum fuerit quod judiciarium ordinem non requirat, nullam diocesanus Episcopus habeat facultatem. Quod si contra indulgentiam nostram fuerit attentatum, sententiam ipsam auctoritate apostolica decernimus non tenere. Si quando verò homines monasterij vestri vinculo teneantur excommunicationis astricti, pro eorum absolutione diocesanus Episcopus vel quilibet alius potestatem non habeat pecuniam extorquendi. Et si in eos, quia propter hoc pecuniam non exoluunt, ecclesiastica fuerit sententia promulgata, eam decernimus auct. apost. non tenere. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, benedictionem Abbatis, ordinationes monachorum & Clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, à diocesano suscipietis Episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam & communionem apost. sedis habuerit, & vobis ea gratis & sine pravitate voluerit exhibere. Alioqnin liceat vobis quemcunque malueritis &c. *usque ad verbum* impendat. Auctoritate quoque præsentium vobis duximus indulgendum ut si diocesanus Episcopus vel Archidiaconi ad Ecclesias vestras in majori numero equitaturarum & hominum quàm in Lateranensi Concilio fuit statutum, accesserint, procurationes eis in vestris Ecclesiis non teneamini exhibere. Sepulturam præterea loci illius liberam esse decernimus &c. *usque ad* obsistat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus &c. Libertates quoque, dignitates, & immunitates, necnon antiquas & rationabiles consuetudines monasterio vestro concessas, & hactenus observatas, ratas habemus, easque futuris temporibus illibatas manere sancimus. Decernimus ergo &c. Si qua igitur &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, vicem agentis Cancellarij, Indictione prima, incarnationis dominicæ anno M C XCVIII. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo.

PAMPILONEN. EPISCOPO.

Epist. 187. Quòd tempore generalis interdicti ipsi liceat clausis januis, nec pulsatis campanis, celebrare.

FRatribus & coëpiscopis nostris specialem volumus gratiam exhibere, & in suis eos petitionibus, quantum honestè possumus, exaudire. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut cùm generale interdictum terræ fuerit, liceat tibi, ubicunque fueris, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, vel celebrare divina officia, vel celebrantem capellanum audire; dum tamen neuter vestrum excommunicatus, vel nominatim fuerit interdictus, aut id tibi fuerit expressè prohibitum. Nulli ergo &c. Datum Idib. Iulij.

REGIN. EPISCOPO.

Epist. 188. De causa Decani S. Quintini contra suum Capitulum.

NOverit fraternitas tua quòd causam quæ vertitur inter dilectos filios Canonicos Ecclesiæ sancti Quintini Viromanden. & Decanum ejusdem Ecclesiæ, venerabil. fratribus nostris Remen. Archiepiscopo, sanctæ Sabinæ Cardinali, & Episcopo Atrebaten. duximus committendam; ita tamen quòd ipse pro parte sua tertium judicem eligendi liberam habeat optionem. Quoniam igitur, sicut nobis relatum est, idem Decanus in partibus Lombardiæ moratur, fraternitati tuæ per apost. scripta mandamus quatenus eidem Decano auctoritate nostra injungas ut ad prædictos judices accedere non postponat, respon-

surus super quæstione præmissa, & judicium recepturus, *eisdem judicibus per latores præsentium significare non differas qualiter à te juxta mandatum nostrum fuerit ipsi Decano injunctum ut ad eorum præsentiam, ut prælibatum est, accedere non differat. Datum Romæ apud S. Petrum X. Kal. Iulij.

*Leg. eisdémque

ARCHIEPISCOPO REMEN. sanctæ Sabinæ Cardin. & Episcopo Atrebaten.

Epist. 189. De eodem argumento.

EX parte dilect. fil. Canonicorum Ecclesiæ S. Quintini Viromanden. fuit in audientia nostra querela proposita quòd Decanus ejusdem Ecclesiæ, cùm potiùs teneatur discordantes ad concordiam revocare, inter eos concitare seminarium dissensionis, ipsos etiam contra ecclesiasticam honestatem super enormibus criminibus publicè infamare, & adversùs eos provocare laicos minimè dubitavit, in remissionem peccatorum eis injungens ut in ipsos Canonicos irruerent, & funes campanarum, quas pro Capitulo congregando pulsabant, de manibus eorum auferrent; eisdem promittens quòd si quid detrimenti super hoc eis accideret, ipse perpetratæ rei vellet auctor haberi. Præterea cùm se servaturum jura & consuetudines Ecclesiæ sancti Quintini & Canonicis quandam pensionem necnon & procurationem in octavis Paschæ annuatim juraverit impensurum, contra suum veniens juramentum, statum capellarum & capellanorum & *ruariorum, Capitulo contradicente, in eorum & Ecclesię suæ grave præjudicium nixus est immutare, & prædictas pensionem & procurationem, similiter juramenti religione neglecta, ipsis Canonicis renuit exhibere. Cùmque super his eum ad sedem apostolicam appellaverint, ipse terminum appellationis abbrevians, eis ad prosequendam appellationem festum sanctorum Philippi & Iacobi proximò præteritum assignavit. Sed nec ipse nec aliquis coram nobis pro eo comparuit responsalis. Quia verò propter temporis intemperiem non decuit nos magistrum W. & T. Canonicos Ecclesiæ supradictę, ad nostram præsentiam accedentes, diutiùs detinere, volentes utrisque, sicut justum est, providere, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus ascita vobiscum ecclesiastica persona & suspectione carente, de Remen. provincia, quam dictus Decanus pro parte sua duxerit in judicem eligendam, pariter cum ea super his quæ hinc inde proposita fuerint, inquiratis diligentiùs veritatem, & quod justum fuerit, appellatione postposita statuatis, & faciatis quod decreveritis per censuram ecclesiasticam à partibus firmiter observari. Si verò prædictus Decanus eligere judicem & juri parere noluerit, vos nihilominus, quantum de jure poteritis, in negocio procedatis. Nullis obstan. harum mentione non habita &c. Quòd si vos ambo simul cum tertio his exequendis &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum ut supra.

*f. Vicariorum

SIFFREDO AVGVSTEN. Præposito.

Epist. 190. Quòd variis de causis electionem suam confirmet.

EX ore sedentis in throno procedebat gladius bis acutus. Hic est gladius Salomonis, qui secat utrinque, reddens unicuique quod suum est. Nos ergo, qui, licèt immeriti, locum veri Salomonis divina dignatione tenemus, gladium istum tunc prudenter exerimus, cùm quæstiones in auditorio nostro legitimè ventilatas mediante justitia diffinimus. Ad hoc enim emergentium quęstionum perplexitas & difficiles nodi causarum ad sedem apostolicam referuntur, ut cùm earum merita fuerint assertione partium patefacta, prodeat ab apostolica sede sententia, deducens in certitudinem dubia, & obscura producens in lucem; ut litigantium dissensione sopita, suum justitia tueatur & sequatur auctorem. Inde siquidem fuit quòd accedentibus ad præsentiam nostram te ac dilecto filio nostro B. Augusten. Canonico pro quæstione quæ inter vos super Præpositura Augusten. Ecclesiæ vertebatur, nos venerabilem fratrem nostrum Octa. Hostien. Episcopum & dilectum filium Grat. sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconum Card. vobis concessimus auditores. In quorum præsentia fuit ex prædicti B. parte propositum quòd cùm dilectus filius E. de Augusten. Præposito fuisset in Episcopum Brixien. electus, rogavit Capitulum Augusten. ne aliquem sibi priùs eligerent in Præpositum, quàm ejus esset electio confirmata. Cùmque ipsi ejus precibus annuissent, & idem electus, electionis confirmatione per suum Metropolitanum obtenta,

renta, veniens Tybur, fuisset de regalibus investitus, B. Miles pater ipsius B. ad apost. sedem accedens, à bonæ memoriæ Celestino Papa prædecessore nostro ad dilectos filios Decanum & Capitulum August. literas obtinuit destinari, ut dictum B. filium ejus infra spacium mensis unius, sublato appellationis obstaculo, eligerent & assumerent in Præpositum Augustensem, in signum investituræ annulo ei aureo destinato, venerabilibus fratribus nostris Frisingen. & Eisteteo. Episcopis & dilecto filio majori Spiren. Præposito mandati apostolici executoribus constitutis. Decanus autem & Capitulum memorati, cùm audissent quòd dictus electus fuisset in Episcopum confirmatus, licèt dictas literas suscepissent, in contemptum tamen earum, assignato priùs termino infra quem ipsi deberent super mandato apostolico respondere, H. tunc Augusteo. Decanum in Præpositum elegere. Sed ne ejus confirmaretur electio, idem B. ad apostolicæ sedis audientiam appellavit. Et licèt super hoc postmodum à sede apostolica pro dicto H. literæ variæ ac multiplices emanaverint, in quibus ei videbatur imponi silentium, id tamen tenere non debuit: quoniam absens, & irrequisitus, non potuit condemnari; & ipse nihilominus postmodum dicto H. super Præpositura ipsa, quod per testes probavit, quantum potuit, contradixit. Literas etiam apostolicas impetravit, per quas nullis literis obstantibus, in possessionem Præpositur æ maodabatur induci. Vnde cùm eo viam universæ carnis ingresso, Decanus & Capitulum Augusten. vellent in Præpositi electione procedere, ne id fieret, ad sedem apost. appellavit. Sed ipsi appellationi minimè defereotes, exclusis quibusdam Canonicis, quibusdam etiam non vocatis, te sibi in Præpositum elegerunt. Quare tuam electionem, non ab omnibus Canonicis concorditer factam, sed pòst appellationem ad nos interpositam attentatam, cassari petebat, & se in Præpositum confirmari, cùm à dicto prædecessore nostro de Præpositura, quòd per annulum sibi transmissum ab ipso probare volebat, fuisset primitus investitus. Ad hæc, ex parte tua, fili Præposite, taliter est responsum, quòd id quod de B. factum fuerat, antè quàm prædecessor noster præfati E. electionem ratam haberet fuisset obtentum. quod etiam fuit testibus comprobatum; sed etsi dicto electo in Episcopum confirmato prædictæ literæ à sede apo. emanassent, nullum tamen jus per hoc ei fuerat acquisitum; cùm nec de Præpositura investitus fuisset, nec judices pro eo fuissent mandatum apostolicum executi. Hoc autem ex ipsarum literarum tenore probasti: in quibus continebatur expressè, quòd Decanus & Capitulum Augusten. ipsum eligerent & assumerent in Prepositum infra mensem, & quòd pro recipienda investitura annulus ei mittebatur. Nam si fuisset per sedem apostolicam investitus, locum postmodum electio Capituli & investitura executorum nullatenus habuissent. Adjecisti etiam quòd cùm dictus H. ad sedem postmodum apostolicam accessisset, & dicto prædecessori nostro electionis suæ modum & causam contradictionis ejusdem B. exposuisset ad plenum, dictus prædecessor noster, non obstante investitura ipsi B. facta, electionem confirmavit ipsius, asserens se per falsam suggestionem fuisse in eo quod pro ipso B. scripserat circumventum, cùm quòd esset infra sacros ordines constitutus, ei non fuisset expressum, immo potiùs, quòd idoneus esset, hi qui pro eo petebant, ipsi suggerere curavissent. Et licèt pro ipso B. dictis Frisingen. & Eisteten. Episcopis & majori Spiren. Præposito literæ fuerint presentatæ, in quibus eis in virtute obedientiæ mandabatur ut ipsum in possessionem Præpositur æ inducerent corporalem, nullis literis obstantibus antè vel pòst à sede apostolica impetratis; dictus tamen prædecessor noster eas nullatenus de conscientia sua emanasse rescripsit, & ipsas decernens vacuas & inanes, si quid auctoritate ipsarum factum fuerat irritavit; mandans eisdem judicibus ut eum qui easdem literas impetrarat, sub fideli custodia detinerent, donec ab eo reciperent in maodatis qualiter super hoc procedere debuissent. Fuit prætere a prædictis objectum quòd etsi prædictum B constaret, quod omnino falsum erat, fuisse per sedem apostolicam investitum, & investituram ejus minimè revocatam; quia tamen dicto H. reverentiam Præposito debitam, quod probasti per testes, exhibuit, & stipendium, sicut ceteri Canonici, percepit ab eo, renuntiaverat juri suo, nec super hoc erat de

cetero audiendus. Ceterùm dicto H. naturæ debitum exolvente, cùm Decanus & Capitulum de conſilio venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Auguſten. primò ſex hebdomadarum, ac ſecundò aliarum ſex, & deinde trium dierum ſpatium electioni de Præpoſito celebrandæ, ut abſentes Canonici ad electionem concurrerent, ſtatuiſſent, & eis poſtmodum convenientibus fuiſſet de electione tractatum, idem B. non antea contradixit quàm ab electione tam ſe quàm alios in minoribus ordinibus conſtitutos cognovit excludi. Sanè cùm Decanus perſcrutaturus omnium voluntates, dilecti filij Walterij Auguſten. Canonici ſuper electione ipſa requiſiſſet aſſenſum, ipſe quòd eis præſentibus qui erant infra ſacros ordines conſtituti ſuam non exprimeret intentionem reſpondit, cùm ipſi ſecundùm ſtatuta canonica nec eligi poſſent nec juxta Eccleſiæ conſuetudinem in electione vocem aliquam obtinere. Vnde cùm Capitulum communiter ſtatuiſſet eos ad electionem nullatenus admittendos, dictus B. eidem Decano, Vlrico Archidiacono, & Erman. Canonico convitia inferens, ad ſedem ap. appellavit, ipſis, ut ad nos accederent, per appellationem indicens. Et licèt ipſe cum quibuſdam Canonicis ſuis de Capitulo receſſiſſet, decem tamen alij numero plures & dignitate majores, cùm decem & novem tantùm, qui jus in electione habebant, ad hoc convenisſent, attendentes quòd ejus non interrat appellare cui nihil juris fuerat in Præpoſitura, te undecimum ſalva ſedis ap. gratia, ne videlicet in contemptum apoſtolicum aliquid committere viderentur, in Præpoſitum elegerunt. Cùm igitur ex prædictis conſtaret eum nec inveſtitum fuiſſe per ſedem apoſt. nec à Capitulo vel judicibus delegatis electum fuiſſe in Præpoſitum vel aſſumptum, & ſi id etiam conſtitiſſet, ſufficienter eſſet ex parte tua probatum inveſtituram illam, ſi qua fuerat, fuiſſe per dictum prædeceſſorem noſtrum poſtmodum revocaram; & ſi hæc etiam probata non eſſent, ſufficienter eſſet per teſtes oſtenſum eum dicto H. reverentiam impendiſſe, nec eſſet contrarium, quod fuerat ex adverſo probatum, eum prædicto H. ſemper contradixiſſe, cùm verbis contradicere potuiſſet & operibus conſentire; præſertim cùm, etſi teſtes generaliter dixerint quòd dictus B. ſemper contradixit, generalitas tamen illa debeat ad competentes horas reſtringi, ne convincantur falſum dixiſſe ſi generaliùs intelligatur quod dixerant, & ex his omnibus ſequeretur quòd ſua non intererat propter hoc ad ſedem apoſtolicam appellare; concludebas quòd nihil eorum quæ facta fuerant obeſſet quominus tua deberet electio confirmari. Cùm ergo dicti Cardinales hæc & alia quæcunque fuerant hinc inde propoſita, nobis & fratribus noſtris fideliter retuliſſent, atteſtationibus, allegationibus, & rationibus utriuſque partis pleniùs auditis & cognitis, quia legitimè conſtitit quòd præfatus B. de Præpoſitura ipſa non fuit aliquatenus inveſtitus, etſi mandatum fuerit ut de ea inveſtiretur, de qua etiamſi inveſtitus fuiſſet, inveſtitura ejus per prædeceſſorem noſtrum ſemel & ſecundò certa fuit ratione caſſata, quæ ſi nec etiam caſſata fuiſſet, per hoc quòd ſæpedicto H. reverentiam exhibuit, quæ debetur Præpoſito, juri ſuo renuntiaſſe videtur; Nos attendentes ſibi non potuiſſe de jure competere ut per appellationem ob id interpoſitam communem ordinationem Eccleſiæ impediret, intelligentes etiam te à majori parte tam dignitate quàm numero eorum qnos jus eligendi conſtabat habere, electum fuiſſe canonicè in Præpoſitum, de communi fratrum conſilio electionem tuam auctoritate apoſtolica confirmamus, præfato B. ſuper ipſa Præpoſitura ſilentium imponentes. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum &c. ut ſuprà.

BITVRICEN. ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 191. Vt contra Abbatem Stirpen. ſem diffamatũ inquirat.

Conquerente dilecto filio Willielmo Canonico Stirpen. noſtro eſt apoſtolatui reſeratum quòd Abbas Stirpen. (quod dolentes referimus) canonicæ profeſſionis oblitus & obſervantiæ regularis, in ſe malè vivendo, ad alios perditionis exempla tranſmittit: cujus in tantum excrevit iniquitas, ut in Eccleſia ſibi commiſſa vigor ſit religionis extinctus, & victus cotidianus non poſſit fratribus exhiberi. Vt enim multa & gravia quæ contra ipſum de diſſolutione proprij corporis, dilapidatione bonorum Eccleſiæ, crudelitate nimia nobis propoſita ſunt, taceamus, illud videtur in eo reprehenſione digniſſimum, quòd

cùm forma fieri debeat subditorum, & ea facere quæ aliis prædicat facienda, illius sequens vestigia qui cœpit facere & docere, neque in dormitorio jacet cum aliis, neque in refectorio convivatur, torneamenta in partibus illis sine ipso non fiunt, studiosiùs seculari insistit militiæ quàm cœlesti, cùm scriptum sit, *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus*, & discreti debeant esse milites Christi à militibus seculi, per quos ad effusionem sanguinis pervenitur, & cùm vix sine ipso illæ detestabiles nundinæ celebrentur, milites, quorum se ducem constituit & magistrum, secum trahit ad prandia, & de rebus Ecclesiæ causa inanis gloriæ eos facit splendidè procurari. Idem etiam Abbas novem vel plures Ecclesias, quæ per rectores proprios consueverant gubernari, suis usibus immo abusibus applicavit, & eas ad extremam inanitionem deducens, neque ministros ibi constituit, nec prælatos, ita ut Ecclesiæ luminaribus & divinis officiis remanserint destitutæ, & eleemosynis pauperes defraudentur, & si vellemus singula persequi quæ adversùs eum sunt nostris auribus intimata, & lectio tædium pareret, & pagina cresceret in immensum. Nolentes inquam facilè quicquam credere, nec re incognita procedere ad vindictam, cùm nobis non constiterit de præmissis, causam ipsam fraternitati tuæ, de cujus sinceritate indubitatam fiduciam obtinemus, duximus committendam, diffinitiva nobis sententia reservata; per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus vel accedas ad locum, si videris expedire, vel vocatis ad præsentiam tuam quos videris evocandos, habito Dei timore præ oculis, sine personarum acceptione in causæ cognitione procedas, & per claustrales & alios, quos auctoritate nostra remota appellatione compelli volumus ut perhibeant testimonium veritati, de præmissis articulis & aliis quæ partes duxerint proponenda, plenissimè studeas inquirere veritatem, & quicquid reprehensione invenetis dignum in capite vel in membris, in scriptum fideliter redigens, ad nos cures sub sigilli tui munimine destinare, in festo beati Andreæ terminum assignans partibus, quo se nostro conspectui repræsentent, sententiam recepturæ. Illud autem attentè provideas, quòd prædictus V. & hi qui adversùs Abbatem aliquid duxerint proponendum, nullius possint potentia impediri, sed eam securitatem te faciente obtineant, quam ordo judiciarius litigantibus exigit impendendam. Si quid autem in præjudicium ipsius Willhelmi & sociorum ejus, ex quo iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi, inveneris attentatum, viribus carere decernas, in expensis legitimis eis faciens provideri. Nullis literis &c. harum tenore &c. Datum ut suprà.

G. AQVINATI EPISCOPO.

Epist. 192. Viâ decessore suo alienata & vendita rescindantur.

CONgruam officij nostri actionem exequimur, si pro Ecclesiarum statu impigro studio satagimus, vigilem curam & solicitudinem adhibentes ne in earum præjudicium aliquid statuatur, & si qua deprehenduntur temerè attentata, falce moderaminis resecamus. Intelleximus sanè quòd bonæ memoriæ R. prædecessor tuus partem decimarum ad mensam Episcopi pertinentem in beneficium Clericis quibusdam concessit; quædam etiam, cùm ageret in extremis, tam in possessionibus quàm in quibusdam proventibus aliis personis tam Clericis quàm laicis, non servata pontificali maturitate, donavit. Volentes itaque indemnitati tuæ & Ecclesiæ tibi commissæ pastorali diligentia providere, prædicta omnia, sicut illicitè alienata esse constiterit, appellatione remota, legitimè revocandi facultatem tibi auctoritate apostolica indulgemus. Datum Romæ apud sanctum Petrum &c. VIII. Kalend. Iulij.

B. VVATIEN. EPISCOPO.

Epist. 193. Cõstitutioquædam de synodo servanda confirmatur.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* effectum. Ex parte siquidem tua nostris fuit auribus intimatum, quòd cùm Presbyteri tuæ diocesis nunquam ad synodum convenirent, tu, sicut vir discretus & providus, diligenter attendens quòd quia nunquam exhortationem sui Episcopi audiebant, nec percipiebant correctionem suorum excessuum, in eis & eorum subditis pullulabat morum nimia corruptela; & nimis existebant imperiti & rudes in regenda animarum cura, habito consilio venerabilis fratris nostri Iob. Metropolitani tui & Capituli Ecclesiæ tuæ; ut omnes Presbyteri & Prælati tuæ diocesis annuatim in nativitate beatæ Virginis venirent ad tuam synodum, delibe-

ratioοe provida ſtatuiſti, quibuſdam decimis, quæ ad ſumptus epiſcopales ſpecialiter pertinere dicuntur, ut eis materiem cujuſlibet difficultatis auferres, univerſorum procurationi perpetuò deputatis. Nos igitur, venerabilis in Chriſto frater, tuis juſtis poſtulationibus grato coocurrentes aſſenſu, prædictam coοſtitutionem, ſicut de conſilio Metropolitani tui & aſſenſu Canonicorum Eccleſiæ tuæ providè facta eſt, auctoritate apoſtolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. XII. Kalend. Iulij &c.

NICOLAO MILITEN. Epiſcopo.

Epiſt. 294. Vt à deceſſoribus alienata revocentur.

SIcut ex officio quod nobis eſt divina clementia propitiante commiſſum tenemur his quæ rite ac ſecuodùm formam canonicam peracta eſſe noſcuntur, robur auctoritatis apoſtolicæ impertiri; ſic ad ea io irritum reducenda quæ minùs licitè noverimus attentara, ſtudium nos convenit & operam impeodere diligentem. Nos igitur iodemoitati tuæ Eccleſiæ providere volentes, ut univerſa tam mobilia quàm immobilia, quæ à prædeceſſoribus tuis vel à Canonicis Eccleſiæ tuæ ſeu à quibuſcunque perſonis io præjudicium tuū ac Eccleſiæ tuæ illicitè collata, ſobtracta, ſeu alienata fuerunt, liceat tibi ſine alicujus appellationis impedimento ad jus tuum & Eccleſiæ tibi commiſſæ legitimè revocare fraternitati tuæ liberam auctoritate præſentium tribuimus facultatem. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum VII. Kalend. Iulij.

TRANEN. ARCHIEPISCOPO, & Brunduſin. Archidiacono.

Epiſt. 295. Committitur eis cauſa Philippi Notarij ſui, contra Thomam VI. ſuper Cantoria Hydruntina.

CVm litigaturus ſuper Caotoria Eccleſiæ Hydruntin. Thomas Clericus ad noſtram præſentiam acceſſiſſet, quia dil. filius magiſter Philippus Notarius ooſter ſuper ea ipſi ſe adverſarium opponebat diceos Cantoriam ipſam ſibi fuiſſe canonicè aſſignatam, nos eis dilectum filium G. ſanctorum Coſmæ & Damiani Diaconum Cardinalem conceſſimus auditorem: coram quo ex parte prædicti T. taliter dicitur fuiſſe propoſitum, quòd cùm ipſe Caotoriam ipſam canooicè fuiſſet adeptus, & ferè per viginti annorum ſpatium pacificè tenuiſſet, & Romam veniens, ab Albertino quoodam mercatore mutuò recepit pecuoiam ei apud Hydruntom cum acceſſiooibus exolvendam. Cùmque dictus Al. propter ipſam recipieodam Hydruntum iviſſet, ibidem infirmitate gravatus de pecunia ipſa diſpoſuit: quam cùm poſt ejus obitum idem T. erogare intenderet ſecnodùm arbitrium teſtatoris, Iohanoes., qui G. relictam ipſius Alb. duxerat in uxorem, ad veoerabilem fratrem ooſtrum Hydruntinum Archiepiſcopum à ſede apoſtolica literas impetravit, in quibus habebatur ut quia dictus T. ad termioum conſtitutum pecuoiam non ſolverat memoratam, & propter hoc reus erat præſtiti juramenti, ipſum cogeret ad eandem pecuniam exolvendam, & pro perjurio ipſum ad Rom. Eccleſiam deſtinaret. Cùm autem ipſe ſæpedictam pecuoiam conquerenti juxta mandatum apoſt. perſolviſſet, & dictus I. publicè fuiſſet & ſponte confeſſus quòd memoratus T. ſuper ſolutione ipſius pecuniæ non præſtitiſſet juratoriam cautionem, ſed ipſe id ad terrorem in literis apoſtolicis feciſſet apponi, accedente propter hoc ipſius nuncio ad apoſt. ſedem, & dicto prædeceſſori ooſtro rei ſeriem expooente, ipſe per literas dilecti filij noſtri I. tt. S. Stephani io Cœlio monte Preſbyteri Cardinalis Archiepiſcopo memorato mandavit ut ab eodem T. ſuper perjurio quod dictus fuerat incurriſſe purgatione recepta, ipſom non permitteret ſuper ea ulteriùs moleſtari. Licèt autem dictus Archiepiſcopus purgationem ipſius, qui eam ſpontaneus offerebat, primò recipere diſtuliſſet, ei tamen indixit ut de perjurio, adolterio, homicidio, & aliis criminibus ſe purgaret; indulta ſibi ſuper hoc conſilij libertate; & nulla ei pœna penitùs irrogata. Ceterùm cùm idem T. reverſus ad ipſom, humiliter rogaviſſet ut eum indebitè noo gravaret, & ad ſedem apoſtolicam appellaſſet, ipſe enm ab officio Cantoriæ ſuſpeodit, & poſt appellatiooem iterum interpoſitam ad ap. ſedem in eum excommunicationis ſententiam ferre & beneficiis ſois non eſt veritus ſpoliare; cantoriam ipſam dicto Notario noſtro aſſignaos, ut apud ſedem apoſtolicam eum patronum ſibi & ei redderet iuimicum. propter quod idem T. primò reſtitui poſtulabat, ac poſtmodum ſuam cauſam audiri. Ve-

rùm ex adversa parte memoratus Notarius noster literas nobis ipsius Archiepiscopi præsentavit, ad bonæ memoriæ Clementem Papam prædecessorem nostrum directas: in quibus erat expressum, quòd cùm Archiepiscopus ipse apostolicas & tam dicti Cardinalis quàm venerabilis fratris nostri Sipontini Archiepiscopi, qui tunc apud sedem apostol. morabatur, literas recepisset ut dictum T. de perjurio quod commisisse dicebatur, quoniam ad statutum terminum, prout juramento firmaverat, pecuniam non solverat memoratam, purgationem præstare compelleret, ipse accitis ad se Liciensi, Leucadensi, & Augentinensi Episcopis suffraganeis suis, sub apostolica ei auctoritate indixit ut septima manu de perjurio se purgaret; adjiciens ut quia fama exierat quòd dictus Al. in domo sua fuerat interfectus, (cujus certum erat indicium quòd nec à capellano, qui ad hoc in terra illa est specialiter deputatus, viaticum receperat, nec confessus fuerat alicui sacerdoti, nec pulsatæ fuerant in ejus decessu campanæ, & ejus erat sepultura incerta) super reatu homicidij tertia se compurgantium manu ostenderet innocentem; præcipiens etiam quòd de adulterio diffamatus fuerat, & à justitiariis propter hoc aliquando missus in carcerem, & quia cùm quadam commatre sua conjugata incestum & adulterium commisisse publicè dicebatur, pro incestu septimæ, & pro adulterio tertiæ manus, non tam delegata quàm ordinaria fungens auctoritate, indixit. quam quia contumaciter præstare contempsit, ipse mandatum apostolicum exequens, & à justitiæ tramire non recedens, eum ab officio & dignitate suspendit, donec de præmissis omnibus se purgaret. Cùm autem dictus T. sententiam suspensionis contemneret, & sicut priùs dignitate ac beneficio uteretur, & ducentos octoginta malachinos, quos prædecessor ipsius Archiepiscopi domui Hierosolymitani Hospitalis & militiæ Templi legaverat, & quos ipse T. publicè rapuerat de manibus testatoris, ab eo admonitus restituere non curaret, excommunicationis in ipsum sententiam promulgavit. Quia verò ipse, secundam sententiam & priorem contemnens, choro se ingessit Ecclesiæ Hydruntinæ, & admonitionem ipsius Archiepiscopi, qui eum à tam temeraria præsumptione desistere commonebat, ac mandabat ut exiret Ecclesiam, quia erat excommunicationis vinculo innodatus, à sua præsumptione non destitit, immo quòd Archiepiscopus mentiretur per medios dentes respondit, & quòd tanquam ventum ejus sententiam reputaret; Archiepiscopus ipse contumaciam tantam attendens, & considerans eum idiotam esse, & ad Cantoriæ officium minùs aptum, utpote qui horas diurni officij per se nec legere poterat nec cantare, & solam capitis tonsuram habebat, ac quia confessus fuerat quòd conspiraverat contra Archiepiscopum, & manifestum erat eum contra juramentum quod ipsi præstiterat super fidelitate venisse, per sententiam dicta eum Cantoria privavit, & ipsam memorato nostro Notario concessit; ac postmodum bonæ memoriæ Celest. Papa prædecessor noster eandem sententiam confirmavit. Cùm igitur dictus Cardinalis quæ coram eo proposita fuerant in nostra præsentia retulisset, nos causam ipsam vestro duximus examini committendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eum pro absoluto habentes, inquiratis super præmissis diligentiùs veritatem; & si vobis constiterit post appellationem legitimè interpositam, vel aliàs, citra justitiam præfatum T. spoliatum fuisse, appellatione remota ipsum restitui faciatis, indicta sibi super præmissis criminibus purgatione canonica; in qua si fortè defecerit, Cantoriæ sibi dignitas auferatur, & restituatur Notario sæpedicto pacificè possidenda. Testes &c. cogantur. Nullis literis &c. si quæ apparuerint præter assensum partium &c. Datum Romæ apud S. Petrum, IX. Kalend. Iulij, Pontificatus nostri anno primo.

CANONICIS BASILICÆ principis Apostolorum tam præsentibus quam futuris canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 196 Quòd eorum Ecclesiâ, in qua ipse Canonicus fuerat, in honorem Apostolorum ditiorem reddere velit.

CVm in lege veteri non solùm laborum primitiæ, verùm etiam hominum primogenita, Domino mandentur offerri; nos, quos ipse, licèt immeritos, gratuito cœlestis gratiæ rore perfusos, ad summi Pontificatus apicem sublimavit, ut primogeniti simus in multis fratribus, cùm omne opus nostrum teneamur Domino consecrare, promotionis nostræ primitias ipsi fideliter offerre

decrevimus, & in honorem Apostolorum principis, cui, licèt immeriti, non sine magno quodam & admirabili sacramento successimus in officio pastorali, (cùm ea die simus in sede apostolica consecrati qua beatus Petrus Apostolus in episcopali fuit cathedra collocatus) sacrosanctam ejus basilicam licèt tenuis, alicujus tamen muneris privilegio decorare; sperantes quòd is qui munus Abel & minuta viduæ missa in gazophylacium acceptavit, nostræ quoque respiciat humilitatis affectum, non quantum sed ex quanto proferamus attendens: qui cùm sit dominus omnium, & bonorum nostrorum non egeat, quid dignè possimus tribuenti retribuere non habemus; quia de suo reddimus, non de nostro largimur. Eapropter, dilecti in Domino filij, vobis, tanquam specialibus principis Apostolorum ministris, ob ipsius Apostoli reverentiam cupientes utiliter providere, attendentes etiam quòd inter cæteras Ecclesias per universum orbem diffusas, basilicam principis Apostolorum, utpote sedem nostram, specialiùs diligere ac honorare tenemur, sicut qui olim in ipsa vobiscum pariter Canonici beneficium assecuti, nunc de filio in patrem ejus divina sumus miseratione promoti, alteram quartam ministeriorum ad honorem Dei & Apostolorum principis; ac ut sollicitiùs & devotiùs divinis officiis intendatis, de communi fratrum nostrorum consilio vobis & successoribus vestris perpetua donatione concedimus, & apostolicæ sedis privilegio communimus; ita ut deinceps medietatem omnium ministeriorum sine diminutione qualibet habeatis. Ad hæc, Ecclesias sancti Iacobi & sancti Leonardi sitas in Septiniano, quantum ad spiritualia, pleno vobis jure subjicimus, super jure patronatus omnioi præjudicium facientes. Ab Ecclesiis autem sancti Michaelis, sanctæ Mariæ in Saxia, & sanctæ Mariæ in Transpadina, concedimus & statuimus in scrutinio, baptismo, processionibus, & chrismatis confectione, vobis subjectionem & reverentiam perpetuis in posterum temporibus exhiberi. Nullis obstantibus privilegiis, cùm hoc beneficium vobis de certa conscientia conferamus. Reservantes nobis & successoribus nostris in tribus prædictis Ecclesiis institutionem, destitutionem, & correctionem omnium Clericorum. In cæteris autem Ecclesiis, quæ sunt in civitate Leoniana, & per stratam usque ad montem malum, jus quod hactenus habuistis, vobis & successoribus vestris auctoritate apostolica in perpetuum confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam beati Petri temerè perturbare &c. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, vicem agentis Cancellarij, III. Idus Martij, Indictione prima, incarnationis Dominicæ anno millesimo C XCVII. pontificatus verò Domioi Innocentij Papæ III. anno primo.

EPISCOPO, GAUTERO & Iohanni Archidiaconis Exoniensibus.

PEtri Diaconi humilis nobis querela monstravit quòd cùm coram dilecto filio Abbate Radingen. & bonæ memoriæ magistro Simone, quondam procuratoribus tunc Saresberien. Episcopi, à Rogerio Clerico, qui multas ei molestias irrogaverat, & per capellanum suum, * ejus capellanum graviter vulneraverat, traheretur in causam; in superbiæ spiritum & in iram vehementer accensus, extra seipsum factus, ducebatur amens, petens se in flumen mittere, vel per laquei suspendium interire. Magister verò Simon talem ipsius amentiam & infirmitatem attendens, sigillum suum ei surripuit, & præbendam ejus accepit: alios quoque redditus, quos in episcopatu Saresberien. habebat, in manu sua retinuit, & partem sibi, prout voluit, reservavit, partem verò aliis processu temporis assignavit. Abbas autem Radingen. ipsum capi faciens, & ad monasterium suum adducens, pernoctantem ibi & ductum in Capitulum tonsuravit, & habitum monasticum eum indui fecit. Postea verò tali amentia & alienatione cessante, ad seipsum rediit, & coram Abbate, monachis, & quibusdam aliis reclamavit, dicens se nec velle nec posse monachorum ordinem regulámve tenere, petens instanter ut in qua intravit veste, liber abiret. Dicti verò Abbas & monachi ei exitum denegantes, per novem ferè menses inclusum & custodiæ traditum retinuerunt invitum. Cùm autem idem in proposito suo firmus & immobilis permaneret, à tanta violentia sedem apostolicam appellavit.

Epist. 297. Furioso ablata beneficia reddi mandantur; & ne invitus coactúsque tonsuratus, in monasterio contra voluntatem teneatur.

* *Legendum*, quem graviter vulneraverat.

Permissus autem postmodum ab Abbate de custodia, qua tenebatur, exire, literis dimissoriis ab eisdem Abbate & monachis impetratis, iterum appellavit. Præscriptus verò magister Simon appellationi ad sedem apostolicam factæ non deferens, tam ipsum P. quàm suos excommunicare præsumpsit: quos bonæ memoriæ Celest. Papa prædecessor noster absolutos nunciari mandavit per judices delegatos. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si præmissis veritas suffragatur, præfato Petro, cui dictus prædecessor noster beneficium absolutionis impendit, præbenda sua & aliis beneficiis spoliato, amotis ab eis quibuslibet illicitis detentoribus, præbendam ipsam & omnia bona sua, quæ in ipsius juris præjudicium alienata dicuntur, appellatione cessante auctoritate nostra in integrum, sicut justum fuerit, restitui faciatis, audituri postmodum si quid propositum fuerit quæstionis, & fine debito decisuri. Testes cogantur. Nullis &c. Datum Romæ &c. X. Kalend. Iulij.

ARCHIDIAC. MEDIOLANEN.

Epist. 198. Quod hæretici ad nullas dignitates nec eligi nec eligere possint.

HIs quæ ad ampliandam fidem catholicam & reprimendam pravitatem hæreticam statuuntur, auctoritatem nostram libenter impendimus & favorem. Sanè, sicut accepimus, dilectus filius noster G. sanctæ Mariæ in porticu Diaconus Cardinalis, dũ legationis fungeretur officio in partibus Lombardiæ, de consilio venerabilium fratrum nostrorum Mediolanen. Archiepiscopi & Episcoporum qui ad eum Veronæ convenerant & quorundam etiam sapientum instituit ut de cetero hæretici ad consilia & dignitates Lombardiæ nullatenus admittantur, nec eligendi alios eis arbitrium conferatur, nec in eligendis personis ad eas vocem debeant aliquam obtinere. Ad id autem servandum in posterum Potestates, Consules, Consilia Lombardiæ astringendos constituit juratoria cautione, & te ad recipienda juramenta eorum in quibusdam civitatibus deputavit, indulta tibi libera facultate contumaces excommunicationis & terras eorum interdicti sententiis feriendi. Nos igitur quod ab eodem Cardinali provida deliberatione statutum est ratum habentes, ut juxta mandatum ejus à civitatibus illis super hoc exigas & recipias juramenta, ad quas te ipse duxerat destinandum, injungimus, auctoritate tibi præsentium indulgentes ut contradictores excommunicationis sententia ferias, & terras eorum subjicias interdicto. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum XVII. Kalend. Iulij.

NIVERNEN. EPISCOPO, *Vitiliacensi & de Maceriis Abbatibus.*

Epist. 199. Iis committitur causa Abbatis Flaviniacensis contra Priorem de Sinemuro.

CVm dilectus filius G. Abbas Flavin. nuper apud sedem apostolicam moraretur, supervenit dilectus fil. A. Prior de Sinemuro, postulans instantissimè ut abbatiam Flavin. sibi restitui faceremus, qua dicebat se prætermisso juris ordine spoliatum. Nos autem dilectum filium G. tituli S. Mariæ Trans-Tyberim Presbyterum Cardinalem eis dedimus auditorem: in cujus præsentia fuit ex parte jamdicti Prioris propositum quòd prædecessor noster Celestin. Papa bonæ memoriæ venerabili fratri nostro Cabilonen. Episcopo & dilecto filio Molismen. Abbati districtè præcepit, sicut in ipsius literis continetur, ut R. quondam Abbatem Flavin. omni contradictione cessante deponerent, & nisi Capitulum infra certum terminum in idoneam personam canonicè convenirет, ipsi de Prælato idoneo monasterium ordinarent. Amoto itaque Abbate à judicibus nominatis, & assignato termino monachis, & de communi voluntate recepto, infra quem de substituendo pastore monasterio unanimiter providerent, electioni fuit terminus assignatus: in quo cùm de facienda electione communiter tractari deberet, N. monachus frater prædicti Abbatis cum novem fautoribus suis monasterium noluit introire, sed ad ipsorum malitiam convincendam, ab aliis de consensu omnium electioni fuit alius terminus assignatus: ad quem, præter memoratos novem in sua sicut priùs contumacia perdurantes, omnes monachi convenere. Prædicti autem novem se in domo cujusdam laici receptantes, constanter asserebant quòd Capitulum non intrarent, nisi electionis potestate in unum ex ipsis collata. Quod etiam Conventus facere voluit, ut scandalum schismatis vitaretur; dummodo electurus juramento firmaret quòd de gremio Ecclesiæ meliorem secundùm

conscientiam assumeret in Abbatem. quod recipere noluere, nisi compromissio fieret absolutè; ut cui daretur eligendi facultas, undecunque vellet assumeret eligendum. Sic ergo Conventus habito prudentum virorum consilio, qui ad electionem convenerant, & de voluntate absentium, de facienda electione tractatum habere cœperunt, & præmissos novem indignos electione credentes, tandem in quatuor monachos Presbyteros de corpore convenerunt monasterij: qui promiserunt, præstito juramento, quòd de gremio Ecclesiæ personam idoneam nominarent, jurantibus aliis quòd illum sine contradictione reciperent qui esset à quatuor nominatus. Ipsi verò præfatum A. monachum ipsius Ecclesiæ, Priorem Sinemuri, virum providum & discretum, unanimiter elegerunt: quem Conventus gratanter suscipiens, cantando, sicut moris est, *Te Deum laudamus*, in sede Abbatis electum solemniter posuere: qui rediens in Capitulum cum Conventu, se, electionem suam, electores, & consentientes eis in protectione sedis apostolicæ posuit, ad eam appellando si qui ducerent resistendum. Consequenter electionem & formam ejus per idoneas personas intimavit judicibus intimatis; quibus electio valde placuit, & quòd idem ipsi fecissent nunciis responderunt, si ad eos electio pertineret; coram quibus, si qui electioni se opponerent, appellatio fuit à nunciis innovata. Quibus judices retulerunt, quòd in absentia partium nihil penitùs innovarent, & nisi priùs de causæ meritis fierent certiores. & ita per septem septimanas & ampliùs dictus A. possessionem & administrationem habuit ut electus. Exinde dictus G. cum multitudine veniens armatorum, monasterium per violentiam occupavit, ejectis viginti duobus monachis, qui ejus proposito resistebant, & post appellationem eo præsente interpositam, jam tertiò eos turpiter tractari fecit, & quosdam ex ipsis usque ad effusionem sanguinis verberari. Postmodum verò memoratum A. per violentiam nobilis viri Ducis Burgundiæ de Prioratu Sinemuri fecit expelli, data sibi magna pecuniæ quantitate, quam super possessionibus Prioratus usque ad ducentas libras *provenien. & ampliùs mutuò dicitur accepisse. propter quod eundem A. & fautores suos ita inhonestè tractatos exire à terra oportuit & latere. Idem etiam Dux amicos ipsius A. usque ad subversiones castrorum & incendia fuit ejus odium persecutus. Sed postmodum ad se rediens, & gratiam eis restituit, & à persecutione destitit monachorum: qui mox ut eis fuit opportunitas reddita, quod persecutionis tempore facere non poterant, ad sedem apostolicam accesserunt, suppliciter postulantes ne mora temporis, quam necessitas peperit non voluntas, eis deberet præjudicium generare. Contra quem citra litis contestationem fuit propositum ex adverso, quòd cùm ipse A. ex causa multiplici esset excommunicationi subjectus, ei dictus Abbas non tenebatur aliquatenus respondere. Quondam enim ipsius A. consanguinei pro violenta injectione manuum in Priorem Flaviniacensem, quem membris genitalibus mutilarunt, excommunicati fuerunt publicè nunciati, & castrum eorum suppositum interdicto: infra quod dictus monachus se recipiens, sacrilegorum communionem nullatenus evitavit; quibus scienter communicando, labem excommunicationis incurrit: & cùm sine Abbatis sui licentia claustrum exierit, quod non est etiam pro ecclesiasticis utilitatibus faciendum, secundùm statuta regulæ, quæ excommunicatos asserit donec satisfaciant monasteriis quæ relinquunt, personam standi in judicio nō habebat. Auctoritate quoque delegatorum judicum excommunicationis vinculo dicebatur astrictus, sicut ipsorum literæ testabantur. cùmque per annum & dimidium in excommunicatione permanserit, admitti non debebat ampliùs ad agendum. Adjectum fuit etiam pro Abbate, quòd cùm propter onera debitorum, quibus suum monasterium prægravatur, quæ contraxit prædecessor suus ipsius A. consanguineus, ad sedem apostolicam accessisset, sicut ex arbitrio venerabilis fratris nostri Ostien. Episcopi evidenter apparet, cùm trecentas quinquaginta marchas vener. fratri nostro Eduen. Episcopo proinde solvere teneatur, nec ad causam istam fuerit evocatus, compelli non poterat nec debebat ut adversario responderet; qui videbatur dolosè versari, cùm illum volebat non præmonitum convenire, de quo coram ordinario judice congruo loco & tempore, si quam haberet, poterat justitiam

*¶. Provinciẽs

justitiam obtinere: cui quòd nullum superesset jus ad agendum, per confirmationem ejusdem prædecessoris nostri & acta delegatorum judicum manifestè poterat approbari. Iudices etiam auctoritate apostolica inhibuere Conventui, ne sine Priore, Decano, & aliis ex justo metu absentibus, ad electionem procederent; & hoc idem quidam de Capitulo inhibentes, ne contra prohibitionem judicum aliquid fieret, sedem apostolicam appellarunt. Quidam verò juvenes inhibitione judicum & appellatione contemptis, absentibus Priore, Decano, & sociis, nolente quoque parte residentium saniore, prædictum A. eligere præsumpsere: quibus, ne possent eum ad Ecclesiam ducere, fores Ecclesiæ clausæ sunt ab his qui rectiùs sentiebant, ruptis funibus campanarum. unde factum est ut neque in obedientia monachorum vel fidelitate burgensium factum ipsorum procederet, nec etiam in solennibus quæ consuevere in talibus adhiberi; & ita nec auctoritate judicum, nec de conscientia diocesani Episcopi, nec de voluntate ipsius Capituli, in spiritualibus vel temporalibus ministravit. Post hæc quidam de residentibus in Capitulo, cum literis ipsius Capituli continentibus veritatem, accesserunt ad judices delegatos, ut Ecclesiæ juxta tenorem apostolici mandati consulerent postulantes. Qui deliberato consilio, quod eis inhibentibus factum erat in irritum revocantes, & eos qui elegerant & electum per diocesanum Episcopum excommunicationis vinculo innodarunt. Postmodum ad ordinationem monasterij procedentes, ipsum G. qui præsidet, tunc Virziliacen. Hostalarium, elegerunt: quem petitum solenniter & concessum monachi & populus Flaviniacenses, sicut eis à judicibus mandatum fuerat, cum honore debito recepere, & tunc à diocesano Episcopo munus benedictionis nullo contradicente suscepit. Exinde ad Ecclesiam pariter accedentibus, Episcopus in sede Abbatis illum constituens, per funem campanæ, sicut moris est, investivit: cui & monachi obedientiam, & burgenses fidelitatem debitam præstitere; usque ad hæc tempora (quantum ad ipsum A.) pacificè præfuit abbatiæ. Hæc omnia quæ præmisimus, scilicet H. depositionem, & A. cassationem, verùm etiam ordinationem & institutionem dictus prædecessor noster per suas literas confirmavit; nec eo vivente præsumpsit aliquis reclamare. Cujus confirmationem ratam haberi petebat, & quæ per adversarium amiserat, postquam appellationem interposuit, & iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi, sibi restitui postulabat. Ceterùm præmissis objectionibus pars ipsius A. taliter respondebat, quòd cùm dictus G. Canonicus fuerit regularis, & cucullam sine Abbatis sui licentia accepisset, præsertim cùm talis fuerit canonica regularis, quòd Canonicis, ne monachi fieri possint, per privilegium denegetur, de recessu monasterij sine Prælati licentia non poterat adversarium accusare. Pari modo cùm eos qui dictum Priorem genitalibus mutilarunt ad osculum postea pacis receperit, redditus centum librarum tam eis quàm aliis per annos singulos persolvendo, super eorum communione adversario quicquam objicere non debebat, cùm ipse commisisset similia vel pejora, quibus tamen se communicasse penitùs denegabat. A judicibus verò delegatis ligati se potuisse illa ratione negabat, quòd post depositionem memorati Abbatis, eorum jurisdictio expirasset, majore parte Capituli & consilij sanioris Abbatem concorditer eligente. Et cùm per narrationem & responsionem litis contestatio fiat, & hæc observata fuerint inter ipsos, asserebat adversarium non posse instantiam judicis declinare. Nos ergo, qui juxta commissum nobis apostolatus officium universis sumus in sua justitia debitores, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus partibus ad vestram præsentiam * constitutis, si prædictus A. legitimè comprobaverit jurisdictionem delegatorum ante institutionem præfati G. penitùs expirasse, legitimum etiam impedimentum ostenderit propter quod non potuit appellationem prosequi infra annum, cùm ex justa causa indulgeatur biennium, tunc demum inquiratis super propositis & proponendis diligentiùs veritatem; & Deum habentes præ oculis, sine personarum acceptione causam ipsam, ad locum idoneum accedentes, & utrique parti securum, si partes consenserint, fine canonico termineris, vel eis non consentientibus usque ad diffinitivæ sententiæ calculum procedentes, gesta omnia redacta in scriptis, & sigillorum vestro-

* convocatis

X

rum munimine roborata, ad nostram præsentiam transmittatis; statuentes partibus terminum competentem, ad quem recepturæ sententiam, per se vel procuratores suos nostro se conspectui repræsentent. Interim autem prædictus G. sicut Abbas liberè administret. Nullis literis &c. præter assensum partium &c. Quòd si omnes &c. tu frater Episcope cum eorum altero &c. Datum Romæ apud S. Petrum &c.

MAGDEBVRGEN. ARCHIEPISC. & Suffraganeis ejus.

Epist. 100. Ne pro terræ sanctæ recuperatione laborantibus injuriæ inferantur.

QVanto gravioribus rerum & personarum periculis se opponunt qui relicta domo propria pro liberatione salutiferæ crucis & terræ sanctæ, quam Dominus noster Iesus Christus pretioso sui corporis sanguine consecravit, ad partes transmarinas accedunt, tanto circa tuitionem ipsorum & rerum suarum vigilantior cura nobis incumbit, cùm tam ipsi quàm res eorum sint, donec in sancta peregrinatione permanserint, specialiter sub protectione sedis apostolicæ constituti. Ex parte siquidem dilectorum filiorum Principum, Magnatum, & aliorum de vestra provincia, qui crucem suis humeris infigentes, ad partes Hierosolymitanas pro servitio Iesu Christi non sine magno discrimine laborarunt, fuit in auditorio nostro propositum, quòd ipsis in obsequio sancto manentibus, contra protectionem quam sedes apostolica duxit eis specialiter impendendam, quidam de vestra provincia malo spiritu concitati, postposita reverentia venerandæ crucis & ejus qui pro salute omnium tanquam pretium nostræ redemptionis in ea pependit, possessiones eorum & bona invadere minimè timuerunt. Volentes igitur eorum temeritati, prout convenit, obviare, fraternitati vestrę per apost. scripta præcipiendo mandamus atque præcipimus quatenus præsumptores illos, qui vobis suis nominibus exprimentur, ad faciendam plenariam restitutionem taliter ablatorum & passis injuriam satisfactionem congruam exhibendam, singuli vestrum, cùm fueritis requisiti, monitione præmissa per ecclesiasticam districtionem fubl. appellationis obstaculo compellatis. Datum Romæ apud S. Petrum V. Kalend. Iulij.

EPISCOPO LEXOVIEN. & Abbati Vallis Richerij.

Epist. 101. Causa Abbati de Conchis eis committitur.

SIcut in literis bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri perspeximus contineri, cùm olim quidam monachus Conchen. ad sedem apostolicam accessisset cum clamoribus importunis, & quarundam literarum, quas secum habebat, testimonio præmunitus, asseruit quòd ad mandatum dilecti filij nostri Iord. tituli sanctæ Pudentianæ Presbyteri Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legati, dilecti filij Abbas Troarnensis & Prior sanctæ Barbaræ Abbatem de Conchis pro inutili administratione, corporis incontinentia, rerúmque monasterij dilapidatione, ascito sibi Priore de Lira, prædicti Legati auctoritate ab officio & administratione abbatiæ memoratæ deponere curaverunt. Cùm itaque non esset qui pro parte altera responderet, ad nimiam prædicti monachi pertinaciam & clamosam instantiam sententiam talem, prout rationabiliter lata fuerat, nec legitima appellatione suspensa, idem prædecessor noster confirmans, eam mandavit inviolabiliter observari. Dictus verò Abbas postmodum ad apostolicam sedem cum magnis veniens periculis, laboribus, & expensis, multorum & magnorum virorum testimonialibus literis communitus, se post appellationem interpositam ad literas per precum mendacia impetratas, à judicibus sibi suspectis, juris ordine non servato, ab administratione monasterij conquestus est injustè fuisse amotum, cùm prædictus Legatus sæpedictum monasterium visitans, nihil circa personam Abbatis vel ipsius administrationem inutilem invenisset quod ei correctione dignum vel reprehensione videretur. Idem etiam Cardinalis proprio fuit ore confessus quòd quandiu in monasterio fuit, cùm cuncta diligentiùs inquisisset, domum per omnia in bono statu invenit, nec aliquid adversùs Abbatem fuit propositum quæstionis. Post discessum verò suum quidam adversùs sæpedictum Abbatem tot & tanta proposuere nefaria, quòd nulla ratione, salva conscientia, sine inquisitione diligenti poterat præterire. Vnde memoratis & Priori mandavit ut de vita & conversatione ipsius Abbatis & totius Capituli statu, associatis sibi viris prudentibus, inquire-

reot diligenter, & quicquid invenireot ibidem, ei absque dilatiooe significare curarent. Nunquam tamen suæ fuisse intentionis asseruit qnòd ipsi ad sententiam proferendam absqne ipsius coosilio procederent & mandato. Sicqne sæpedictus prædecessor noster nolens prædictum Abbatem inordinatè gravari, quod à prædictis inquisitoribus, qui mandato Cardinalis àbusi fuerant, factum erat enormiter circa ipsum, penitùs irritans, io eum statom ipsum restituit in quo fuit cùm dictus Cardinalis à monasterio præfato recessit. Subsequenter verò veoerabili fratri nostro Episcopo tunc electo & dilectis filiis Hu. & Lu. Archidiacon. Ebroicen. præcipiendo mandavit ut eidem Abbati memoratæ abbatiæ plenam & pacificam possessionem auctoritate freti apostolica, nullius contradictiooe vel appellatiooe obstante, restituere non differrent, revocaotes in irritum quicquid post appellationem ad nos interpositam in ipsius Abbatis præjudicinm noscerent immutatum. Ne tameo illius restitutioois occasione vitia ejus, si fortè talis esset qualem ejus adversarij asserebant, dissimulare aut fovere debetet, eisdem injuoxit ut si quis postmodum appareret qui adversùs personam ejus vel administrationem iootilem aliquid proponere vellet & canooica probatione monstrare, ea diligenter audirent, eisque cum sigillorum soorum testimooio fideliter intimarent, providentes atteotiùs ne bona ipsius mooasterij ex tunc possent per ejus negligentiam seu malæ administrationis studium dissipari. Verùm cùm, sicut idem Abbas io oostra nuper præseotia constitutus asseruit, prædictus Episcopus illius aoctoritate rescripti cum suis conjudicibns in oegotij deberet executione procedere, ipse post labores multiplices, restitutione ooodum facta, diem ipsi apud Ebroicas assignavit: ubi pars adversa ipsum ob multa pericula, qnæ personæ suæ imminere videbaotur, quòd præfati Episcopi staret arbitrio fidem interponere compulerunt, doobus aliis conjudicibus in absentia constitutis. Nos igitur causam ipsam tam super principali quàm iocidenti qnæstiooe vestro examini committentes, discretioni vestræ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta præcipieodo mandamus quateous super his omnibus studeatis elicere veritatem, & qood secundùm Deum videritis rationabiliter statuendum, appellatione postposita statuatis, & faciatis id per censuram ecclesiasticam irrefragabiliter observari. Si qua verò partium legitimè citata ad vestram præsentiam venire oeglexerit, vos oihilominus, quantum de jure poteritis, in ipso oegoeio procedentes, finem ei debitum subl. appellatioois obstaculo impooatis; provisuri atteotiùs ut ita per omnia servato juris ordine procedatis, quòd discretio vestra meritò debeat commendari. Nullis literis &c. harum mentione &c. Quòd si ambo &c. alter vestrum. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

SYRACUSANO EPISCOPO & Abbati Sambucien.

Epist. 301. Ut Crucem prædicent, & homines ad terræ sanctæ recuperationē adhortentur.

Plorans ploravit Ecclesia, & vox in Rama audita est ploratus & ululatus ipsius, immo etiam in omnem terram clamor ejus exivit, & in fines orbis terræ singultus ipsius; ex quo nunc ultimò, peccatis Christiani populi promerentibus, venerunt gentes in hereditatem Domini, coinquioavere templum sanctum ejus, posuerunt Hierusalem velut pomorum custodiarium, posuerunt mortalia servorum ejus escas volatilibus cœli, carnes sanctornm bestiis terræ. Effuderunt sangninem sicut aquam in circuitu Hierusalem, & noo erat qni sepeliret. Fremuerunt enim gentes, & populi noo prorsùs inaoia meditati, astiterunt cum Regibus suis, & Principes convenere io unum adversùs Dominom, & adversùs Christum ejns; & qnasi prævalentes in ipsum, & io hereditate possidentes sanctuarium ejus, prophananres sancta sanctorom, & ad pretiosa ipsius manum & animum exteodentes, sancta ejus diripuere in prædam, & forte sibi ejus spolia diviserunt. Sanè apostolica sedes, quæ mater est omnium generalis, ægrè ferens victimas filiorum, & suos dolens terminos coarctari, prædecessorum oostrorum temporibus ad uoiversas provincias, in quibus nomen colitnr Christianum, literas sui gemitus destinavit, nt filios io injnriæ paternæ vindictam & fratres armaret in fraterni excidij ultionem. Licèt autem diversi Reges & Principes Christiani ad commonitionem ipsius arma moverint in paganos, quia tamen (sicut effectus demonstrat) non

ambulaverunt prout debuerant in lege Domini, immo revertebantur cùm incederent, & ollas carnium in deserto & Ægypti delitias in solitudine affectabant, nec in digito Domini sed sua potiùs potentia confidebant, quibusdam eorum pereuntibus gladio, & aliis infirmitate consumptis, nondum aversus est à nobis furor Domini, sed adhuc manus ejus extenta. Non autem hæc scribimus ut vos de divina misericordia desperare velimus, quæ vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, quæ posset in hac Christiani populi necessitate exhibere plusquam duodecim legiones angelorum, quæ docet manus ad prælium, & digitos movet ad bellum; sed ut nostram potiùs incuriam arguamus, qui culpis nostris miserationem Domini visi sumus hactenus retardare; sicut filij Hierusalem, qui murmuravere in castris, nec exaudierunt vocem Domini, quadraginta dies, quibus potuissent terram repromissam intrare, in annos totidem convertere. Sic sic olim populus Hierusalem, cùm ad debellandum tribum Benjamin priùs Domino consulto, deinde ipso ascenderet injungente, non priùs de ipsis victoriam est adeptus, quàm semel & secundò conversus in fugam, culpas suas hostili gladio expiaret. Siquidem si fides nostra sicut granum sinapis fuisset, & in lege Domini ambulassent qui tulerunt crucem ejus ut ipsius injuriam vindicarent, unus nostrum mille & duodena millia effugasset; & sicut deficit fumus, & fluit cera à facie ignis, sic inimici ejus ab eorum præsentia defecissent. Quamvis autem contrarium merita non meruerint, qui per peccata, quæ jugiter facimus, ad duriora Dominum provocamus: quia tamen miserationes ipsius sunt super omnia opera ejus, & cùm iratus fuerit, misericordiæ recordatur, si conversi fuerimus, adjiciet misereri Deus, & non continebit in ira misericordiam suam, nec dabit hereditatem suam in opprobrium, ut dominentur ei de cetero nationes; ne fortè consentiant adversarij nostri, & dicant: *Manus nostra excelsa, non Deus, fecit hæc omnia.* Quis igitur in persona propria pro eo laborare recuset, immo etiam extrema pericula sustinere, qui pro nobis crucis patibulum subire voluit ut inimici à nobis expelleret potestatem? Quis sua deneget illi qui nobis & esse contulit & habere? qui centuplum retribuit in præsenti, & in futuro præmia pollicetur æterna? Nam & secundùm Apostolum pietas promissionem habet vitæ quæ nunc est, & futuræ. Quis pro eo mori deneget, qui factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis? qui habet potestatem corpus & animam perdere in gehennam? & secundùm multitudinem miserationum suarum brevi temporis spatio mortis compendio vitam istam in æternam potens est commutare? Exurgant igitur fideles Ecclesiæ, apprehendant arma & scutum, & exurgant in adjutorium Iesu Christi; ut & ipse mittat eis auxilium de sancto, & de Sion tueatur; eo faciente cum ipsis signum in bonum qui conterit bella, qui currum & exercitum Pharaonis projecit in mare, infirmi robore accingantur; ut arcum fortium superent, & superbiam eorum humilient qui non in Deo sed in sua feritate confidunt. Quia verò plerique laborare sufficiunt in personis, qui subvenire non possunt in rebus, & è converso nonnulli non in personis sed in rebus possunt præstare succursum; ut omnes laboris sint & mercedis participes, dilectis filiis Comitibus, Baronibus, & universo populo Siciliæ mandavimus, & in remissionem injunximus peccatorum, ut ad defensionem terræ Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ, ubi Deus Rex noster ante secula salutem in medio terræ dignatus est operari, in navigio, victualibus, & aliis necessariis studeant subvenire. Cùm enim Teutonici in ultramarinis partibus commorantes, sicut accepimus, in proximo sint ad propria redituri; nisi terræ illi devotio populi Christiani subvenerit, & residuum locustæ comedet brucus, & non solùm non recuperabimus jam amissa, immo potiùs recuperata & possessa diutiùs (quod avertat Dominus) amittemus. Nos autem ne videamur aliis onera gravia & importabilia imponere, digito autem nostro nolimus ista movere, aliquem de fratribus nostris in expensis propriis ad partes illas cum alio competenti subsidio disposuimus destinare: qui exercitum Domini in humilitate præcedat, & Iosue pugnante, cum Aaron ascendat in montem contemplationis, & oret ut Amalech in fugam, faciente Domino, in ore gladij convertatur. Omnibus autem qui propter hoc in per-

sona propria laborabunt, de Dei & Apostolorum ejus Petri & Pauli auctoritate confisi, plenam peccatorum suorum, de quibus cordis & oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus. Ceteros verò qui ad opus hujusmodi exequendum aliqua de bonis suis fortè contulerint, juxta muneris quantitatem, & præcipuè juxta devotionis affectum, remissionis hujus participes esse censemus. Sciat autem se culpabiliter durum, & durè culpabilem, qui monitis apostolicis in opere tam pio & necessario neglexerit acquiescere, cùm Apostolorum moneamur exemplis ut collectas pro fratribus & indigentibus, maximè laborantibus in Hierusalem, faciamus. Cùm ergo vos ad proponendum verbum Domini populo Siciliæ, de providentia & religione vestra confisi, duxerimus deputandos; discretionem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus circumeuntes civitates, oppida, & castella, tam cives, quàm nobiles, & universum populum Siciliæ salubribus monitis & exhortatione assidua inducatis ut opponant se murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso & (sicut dictum est) supradictæ orientali terræ studeant subvenire. Taliter autem sollicitudinis vestræ prudentia his exequendis insistat ut zelum Domini vos habere in instanti necessitatis articulo comprobemus, & ad dilectionem vestram tanto amplius provocemur, quanto ad liberationem terræ illius ardentiùs aspiramus. Confidimus enim quòd si cum Petro rete prædicationis vestræ laxaveritis in verbo Dei, non tam copiosam multitudinem piscium quàm utilem & necessariam, & per quam pater misericordiarum & Deus totius consolationis finem imponet super hoc laboribus Ecclesiæ, concludetis. Datum Romæ &c.

In eundem ferè modum omnibus per Apuliam, Calabriam, Thusciam, & ..... constitutis.

CONVENTVI S. SALVATORIS de Tilesio.

Epist. 301. De electione digni & utilis Abbatis.

Causam quæ inter P. quondam Abbatem vestrum ex una parte & vos ex altera vertebatur, venerabilibus fratribus nostris Beneventano Archiepiscopo, Episcopo Telesino, & dilecto filio Priori S. Andreæ recolimus commisisse. Sed ipso Episcopo propter ægritudinem excusato, & dicto Archiepiscopo vices suas, propter emergentia negotia, dilecto filio Beneventano Primicerio committente, cùm præfatus Prior & Primicerius controversiam vellent servato juris ordine pertractare, tandem, sicut accepimus, factum est de consensu partium quòd Abbas sponte renuntiaverit abbatiæ, & si placeret nobis, in uno casali sibi monachi providerent. Nos ergo attendentes quòd cuilibet licet renuntiare his quæ pro se introducta sunt, ratam resignationem ejus habentes, & eligendi vobis pastorem facultatem liberam tribuentes, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus servantes unitatem spiritus in vinculo pacis, vel de ipsius monasterij gremio, si quispiam ibi ad hoc reperitur idoneus, vel de alio etiam monasterio, secundùm regularem observantiam talem personam studeatis eligere in Abbatem, quæ afflicto monasterio præesse valeat & prodesse; quem, cùm electus canonicè fuerit, cum monachorum numero competenti nostro conspectui præsentetis, benedictionem recepturum a nobis, si vestris votis duxerimus annuendum. Si verò secùs agere præsumpseritis, & electum & electores confusos ad vos remittemus, & nos ipsi per alios faciemus indemnitati monasterij provideri. Datum Romæ apud S. Petrum V. Non. Iulij.

EPISCOPO ET CAPITVLO Lemovicen.

Epist. 304. Vt quendam M. Petrum in Canonicum recipiant.

Nec novum debetis nec absonum reputare, si de illorum sumus provisione soliciti, qui apud sedem apostolicam pro suis vel suorum dominorum negociis constituti, nostram & fratrum nostrorum gratiam conversatione laudabili meruerunt. Tanta est enim apostolicæ sedis benignitas ut accedentes ad se fratrum & coepiscoporum nostrorum nuncios benignè recipiat, & laborem eorum qui apud eam longo tempore commorantur, in beneficio vel aliis quæ dignè postulaverint, recompenset. Inde est quòd cùm dilectus filius noster Magister Petrus Chalboini, venerabilis fratris nostri Walteri Rothomagensis Archiepiscopi Clericus, ex diutina mora quam apud nos fecit, suæ probitatis

& scientiæ meritis nobis & fratribus nostris carus sit admodum & acceptus, pro ipso literas vobis duximus apostolicas destinandas; rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, ac per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, cùm in Ecclesia vestra certus non sit numerus præbendarum, eum in fratrem & Canonicum vestrum ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram liberaliter admittatis, præbendam sicut uni ex vobis, ipsi vel procuratori suo absque dilationis tædio conferentes: primitias precum nostrarum taliter audituri quòd propter hoc vobis denuo scribere non cogamur: sciturì quòd sicut nostræ intentionis existit nihil præcipere inhonestum, sic non relinquemus quod mandaverimus imperfectum, nec contemptum nostrum tolerabimus patienter. Datum Romæ apud sanctum Petrum, X. Kal. Iulij &c.

EPISCOPO ET DECANO Matisconen.

Epist. 305. Major & sanior Capituli pars in statuendo prævalet.

OFficium injunctæ administrationis exigit ut de statu Ecclesiarum curam gerere debeamus, & quæ minùs ordinata fuerint, per studium nostræ sollicitudinis, prout congruum fuerit, ordinentur: quatenus personis idoneis substitutis in eis, & cunctis juxta normam constitutionis Ecclesiæ rectè dispositis, divinæ laudis obsequia ibi dignè valeant exerceri. Ex tenore siquidem literarum vestrarum nobis innotuit quòd cùm in Ecclesia vestra necessitas exigit aliquid ordinari, vel emendari quod minùs canonicè noscitur attentatum, quod à majori parte Capituli provido consilio disponendum fore censetur, duo vel tres ex ipsis Canonicis motum animi sui sequentes, suam contradictionem opponunt, & ita communem utilitatem & Ecclesiæ profectum non metuunt impedire. Nos igitur Ecclesiæ vestræ utilitatibus providere volentes, discretioni vestræ præsenti pagina indulgemus ut vobis liceat de assensu majoris & sanioris partis Capituli, paucorum contradictione seu appellatione nequaquam obstante, corrigere (nisi juxta constitutionem Lateranen. Concilij ab eis rationabile aliquid objectum fuerit & ostensum) quæ in Ecclesia vestra corrigenda emerserint, & statuere quæ fuerint statuenda. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrũ &c.

AYMONI DECANO MATISC.

Epist. 306 Ut sacrilegi & raptores bonorum Ecclesiæ coërceantur.

CVm antiqui hostis fallax suggestio fragilitatem conditionis humanæ sæpius ad illicita declinare compellat, & quanto magis dolet de reparatione humani generis, tanto efficaciùs ipsum captivare laboret, contra ipsius astutiam cura debemus insistere diligenti, & illos quos fraudis suæ laqueo nititur impedire, affectione omnimoda ad justitiæ semitam revocare. Quoniam igitur quidam, ut audivimus, spiritu malignitatis inducti, Ecclesiarum bona rapere, homines earum capere, sacrilegia etiam committere, & multa alia damna eisdem non metuunt irrogare, præsenti tibi pagina indulgemus ut malefactores Matisconen. Ecclesiæ, si tamen ei sint diocesana lege subjecti, nisi ad diligentem monitionem tuam satisfactione se digna correxerint, nullius contradictione vel appellatione obstante per censuram ecclesiasticam valeas coërcere. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

MILITEN. EPISCOPO.

Epist. 307. Abbas ob gravem corporis defectum amovetur. Cap. Exposuisti. De corpore vitiatis.

EXposuisti nobis in nostra præsentia constitutus quòd I. quondam prædecessor tuus Ph. in Abbatem promovit, nesciens quòd ipse manu esset altera mutilatus. Quia verò Abbas ipse noscitur sinistra carere, quid super hoc agendum sit, nostra voluisti responsione doceri. Nos igitur fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd cùm pro tam enormi defectu ad sacros non possit ordines promoveri, & ipse in promotione sua id tacuerit fraudulenter, ab abbatiæ officio est non immeritò amovendus. Datum Romæ apud S. Petrum, V. Kal. Iulij &c.

SENONENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 308. De pœnitentia & absolutione Archidiaconi Lugdunensis.

EX parte venerabilis fratris nostri R. Lugdunen. Archiepiscopi literas accepimus continentes quòd cùm R. quondam Archidiaconus Lugdunensis multa enormia commisisset, in ipsum exigentibus meritis mandati apostolici auctoritate recepta sententiam excommunicationis injecit, & eundem officio beneficióque privavit. Verùm quia (sicut tam idem Archiepiscopus quàm multi alij per suas nobis literas intimarunt) prædictus R. quoniam ei dedit vexatio intellectum, desiderat satisfacere

de commissis, & suos excessus cum omni humilitate deplorat. de cujus dejectione multa Lugdunensi Ecclesiæ dicuntur incommoda provenire. Nos itaque cum eo misericorditer agere cupientes, ut contra justitiam non recedamus à tramite veritatis, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus accepto à præfato R. juramento, juxta formam Ecclesiæ ipsum ab excommunicatione absolvas. Si autem idem R. pro crimine secundùm juris ordinem sententiam illius depositionis incurrit, cùm publicè criminosum, & maximè convictum de crimine, in sua nolimus nequitia confovere, eandem sententiam facias firmiter observari. Alioquin super ipso negocio ejúsque processu rei veritatem diligenter inquiras, & quod inveneris in scriptum redigens, totum rei processum sub tuis literis & sigillo inclusum, nobis fideliter non differas destinare; ut sic per te sufficienter instructi, meliùs & liberiùs in negotio procedere valeamus. Datum Romæ apud sanctum Petrum III. Non. Iulij.

PADVANO EPISCOPO.

Epist. 309. Vt Clerici laicos vita & moribus bonis superent, quos dignitate præcellunt.

CVm in Ecclesia Dei diversi sint ordines constituti, & ab eis quibus plus committitur, plus etiam exigatur; expedit his qui in sortem Domini sunt assumpti, quòd laicos vita sicut dignitate præcellant; ut non solùm distantia sit in ordine, sed in moribus etiam gradus attendi valeat honestatis. Quidam verò officij sui debitum nullatenus attendentes, quæ in Clericis & laicis concupiscibilia sunt affectant, dum præbendarij & Clerici, ut laici, immo plusquam laici non metuunt lascivire. Sanè significavit nobis dilectus filius T. Feltren. Præpositus, quòd Feltren. Canonici, qui laicos tenerentur ad viam rectitudinis exemplo boni operis informare, clericali honestate neglecta, incedunt in habitu laicali, & cum concubinis suis publicè non dubitant habitare. Cùm igitur ministris altaris mundicia sit indicta, dicente propheta, *Mundamini qui fertis vasa Domini &c.* fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus dictos Canonicos moneas diligentiùs & inducas ut honestatem servent & habitum clericalem, & à concubinarum suarum cohabitatione recedant, & juxta Ecclesiæ consuetudinem, refectionem in canonica simul suscipiant, & nisi evidens necessitas intervenerit, de nocte dormiant infra claustrum. Alioquin eos Feltren. Ecclesiæ beneficiis, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra non differas spoliare. Datum &c. Kal. Iulij.

ARCHIEPISCOPO Montis Regalis.

Epist. 310. De illorum absolutione qui violentas manus in clericos injiciunt.

LIcet percutienti nos in una maxilla præbere alteram teneamur, & pro persequentibus & calumniantibus exorare; ne tamen malignantium effrenata licentia, si quidlibet impune præsumeret, incentivum pareret delinquendi, sic provida prædecessorum nostrorum auctoritas cohibere voluit à Clericis violentiam laicorum ut eorum excessum plus corrigeret quàm puniret, dum non eis temporalem pœnam infligeret, sed ad correctionem à communione fidelium violentos manuum injectores decerneret separatos. Propter quod etiam ad majorem cautelam & reverentiam potiorem, absolutionem taliũ sibi soli sedes apostolica reservavit: ut quos nec timor Domini nec religio clericalis à sua præsumptione compesceret, labor saltem & difficultas itineris à violentia refrenaret. Hujus autem constitutionis rigorem Ecclesia Romana ex certis causis, cùm voluerit, speciali dispensatione relaxat: quæ in hoc non tam utilitatem propriam captat, quàm Clericorum immunitatem & delinquentium in eos salutem affectat. Quia verò in Siciliæ partibus, sicut & in regionibus aliis, in hoc nonnulli sæpius inconsulti calore delinquunt, qui proprij corporis valetudine, videlicet infirmitate gravati, ad sedem apostolicam pro absolutionis beneficio laborare non possunt; ut eos quos ætas maturior vel evidens infirmitas à labore hujus itineris excusaverit absolvas, dum tamen in hoc metas tuæ diocesis non excedas, nisi grandis fuerit & enormis excessus, auctoritate tibi præsentium personaliter usque ad triennium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c. III. Nonas Iulij.



ABBATI ET MONACHIS Burgulien.

Epist. 111. De officio Abbatis, & de restituenda disciplina monastica.

EA quæ à fratribus & coëpiscopis nostris, qui in partem sollicitudinis nostræ sunt vocati, auctoritate sedis apostolicæ ratione prævia statuuntur, ne per alicujus insolentiam seu temeritatem immutentur vel infringantur, aut in dubium revocentur, apostolico debent munimine roborari. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer &c. *usque ad* annuimus. Institutionem quæ in Ecclesia vestra à vener. fratre nostro H. Redonen. Episcopo de mandato bonæ memoriæ M.tt. Sanctorum Io. & Pauli Presbyteri Cardinalis, qui tunc in partibus vestris legationis officio fungebatur, justè & rationabiliter factam, quam de verbo ad verbum præsentibus duximus exprimendam, cum aliis bonis & approbatis constitutionibus auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Statuimus enim pro bono pacis & amore religionis, quòd Abbas, qui plus debet prodesse quàm præesse, & discipulos suos magis exemplo quàm verbo edocere, & cui oportebit coram summo judice non tantùm de seipso sed etiam de ovibus sibi commissis rationem reddere, ut semper pauset in dormitorio, nisi fuerit infirmus aut minutus, vel de via post completorium venerit. quod tamen summopere cavendum est, nisi de necessitate hoc fiat. Quòd si taliter contigerit, comedere & dormire in camera sua poterit. Post comestionem verò vigiliis superfluis & inordinatis, quæ absque nimia potatione fieri non solent, omnino abstineat, ut cum Conventu sobriè ad Matutinas valeat recurrere. Præcipimus etiam ut semper comedat in refectorio, nisi causa hospitalitatis cum viris religiosis vel cum aliqua honesta persona in camera comedere voluerit. Præcipimus etiam quòd nunquam ibi carnes comedat, nisi infirmus aut minutus fuerit, vel auctoritate majoris. Si verò Abbas aliqua infirmitate laboraverit, cum fratribus, sed paucis, & sine laicis & Clericis, carnes in camera comedere poterit. Antiquas verò infirmarias fratrum non prohibemus. Præcipimus etiam & suademus ut quando ei licebit, in claustro sedeat cum claustralibus, causa ædificationis & amore spiritualis refectionis. Coopertoria verò inordinata Abbati & monachis inhibemus, & auctoritate qua fungimur districtè præcipimus ne Abbas vel aliquis fratrum intus vel extra coopertorium habeat, nisi de catis, vel agniculis, aut vulpibus. Præcipimus etiam ut cùm de rebus monasterij tractare voluerit, consilio fratrum utatur, juxta illud sapientis: *Omnia fac cum consilio &c.* Suademus etiam ut in quantum poterit, studeat vitium elationis fugere, meminerítque scriptum: *Rectorem te constituerunt. Esto in illis, quasi unus ex illis.* Volumus præterea, & causa dilectionis præcipimus, ut duo de fratribus, qui discreti sint & boni testimonij, singulis annis in majori Capitulo eligantur, qui ad loca monasterij semel & secundò accedentes, de vita & statu monachorum diligenter perscrutentur, & quæ corrigenda viderint vel ipsi corrigant, vel Abbati & Capitulo corrigenda relinquant. Volumus etiam Decanos, qui eidem monasterio utiliter provideant, ab Abbate ceterísque fratribus juxta antiquam consuetudinem institui. Prohibemus etiam ne ipse Abbas absque assensu Capituli sui ultra summam decem librarum Andegaven. mutuò accipiat. Quod si ab ipso præsumptum fuerit, ad solutionem ultra accepti debiti volumus non teneri. Præcipimus etiam ut duo fratres bonæ vitæ, & maturæ ætatis, sigillum Capituli custodiant, nec ideo aliquid nisi de communi assensu sigillent, & quæ in eo sigillata vel confirmata sunt, Abbate ipsum detinente, in irritum revocentur. Prohibemus etiam ut nulli personæ duo Officia committantur, nisi necessitate urgente, vel causa eminentis utilitatis. Quòd si ab ipso Abbate præsumptum est, in irritum revocetur. Decernimus ergo &c. Datum &c. Nonis Iulij.

EPISCOPO, P. ARCHIDIACONO, & Decano de Vvirchia Redonen.

Epist. 112. Ejusdem argumenti cum præcedenti.

COnstitutus in præsentia nostra dilectus Lambertus monachus Burgulien. sua nobis querimonia declaravit quòd cùm à felicis recordationis Celest. Papa prædecessore nostro super causa quæ inter ipsum L. & R. monachos ex una parte, & Hy. Abbatem Burgulien. ex altera vertebatur, de dilapidatione bonorum Ecclesiæ suæ, & aliis in quibus Abbatem jamdicti monachi impetebant,

tebant, ad dilectos filios Vindociuensem, de Persenia, & de Busseria Abbates literas impetrassent, per insidias decepti latentes, cùm ad Vindociuen. Abbatem venisseut, ut ei suas literas exhiberent, ipsis literis à quodam Milite cognato sui Abbatis infra claustra Viudocineu. monasterij fuerunt per violentiam spoliati, & (ut asseruit præfatus L.) cùm in manu præscripti Abbatis Viudocinen. ipsæ literæ fuissent postea resignatæ, & ab eo detentæ, iidem monachi, ne procederent iu causa, fuere admissis literis impediti. unde dictum monasterium non modica patitur detrimenta. Nolentes igitur morbidum pastoris exemplum, gregem sibi commissum destere, nec enim incorrectum esse per cujus alij debent corrigi disciplinam, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ad Burgulien. Ecclesiam pariter accedentes, tam intrinsecis quam extrinsecis ad vos fratribus convocatis, veritate super statu & ordine monasterij & ipsius Abbatis administratione à singulis seorsum, prout Ecclesiæ noveritis expedire, diligentiùs iuquisita, si culpam impositam in Abbatem noveritis redundare, excessus ejus tanto districtiùs puniatis, quanto sibi ab excessibus, iu pastorali solicitudine positus, debuisset ampliùs præcavisse. Si verò iidem fratres veritati testimonium renuerint perhibere, ad veritatis assertionem à vobis, quemadmodum justum fuerit, compellantur. Nihilominus etiam iu fratribus vestris si aliqua videritis emendanda, quæ in damnum Ecclesiæ vel ordinis inhonestatem possint aliquatenus denotari, auctoritate apostolica corrigatis. Vt autem honestas ordinis in ejusdem Ecclesiæ Abbatem & monachos fortiùs imprimatur, institutionem à te, venerabilis frater Redonen. Episcope, cum bonorum virorum consiliis ordinatam, & auctoritate bonæ memoriæ M. tituli sanctorum Iohannis & Pauli Presbyteri Cardinalis, tunc temporis apostolicæ sedis Legati, providè promulgatam, cum aliis bonis & approbatis constitutionibus faciatis inviolabiliter observari, nihilominus in debitum statum appell. postposita reducentes quicquid ab ipso Abbate vel à suis post appellationem ad sedem apostolicam legitimè interpositam in præjudicium ipsorum monachorum temerè noveritis attentatum. Provisuri ne, sicut frequenter audivimus, monachi malitiosè procedaut, non quæ Iesu Christi sed quæ sua sunt consequantur. Testes &c. cogantur. Nullis literis harum tenore tacito &c. Quòd si omnes &c. tu frater Episcope cum eorum altero &c. Datum Romæ &c. ut suprà.

R. ARCHIPRESBYTERO, R. Magistro scholarum, & P. de Vico Canonico S. Austregisili Bituricen.

CVm apostolica sedes, cui licèt immeriti præsidemus, universis per orbem Ecclesiis non humana sed divina sit institutione prælata, justum est & conveniens ut ad eam, tanquam ad magistram & matrem, super diversis juris articulis referantur dubiæ quæstiones; quatenus quæ jura constituit, eadem quoque jura distinguat: ne quæ diversa cernuntur, videantur adversa. Sanè, sicut ex literis vestris accepimus, cùm ex una parte Capitulum sancti Stephani & Capitulum de Salis, ex altera monachi de Pratea, super decima quadam, quam à monachis ipsis petebant, in vestrum compromisissent arbitrium, & vos partibus convocatis cognosceretis de causa, monachi proponebant donationem ipsius decimæ sibi à quodam Milite factam, & venerabilis fratris nostri Bituricen. Archiepiscopi diocesani ejus accedente consensu confirmatam fuisse, seque auctoritate Hieronymi munitos existere, qui scribens ad Damasum, ait: *Si aliquando fuerint à laicis malè detenta quæ divini juris esse noscuntur, & in usum transierint monachorum, Episcopo tamen loci illis præbente consensum, constabunt eis omnia perpetua firmitate subnixa.* E contrario pars allegabat adversa consensum Episcopi sine Cleri consensu minùs sufficere, auctoritate Leonis Papæ dicentis: *Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quicquam donare, vel commutare, vel vendere audeat; nisi fortè aliquid horum faciat ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri consensu atque tractatu id eligat quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum.* Quia verò super his auctoritatibus dubitantes, sedem apostolicam consulere voluistis, humiliter inquirentes utrum quando decima possidetur à laico, si conferatur Ecclesiæ, ad confirmandam donationem consensus Episcopi sine Cleri consensu sufficiat; nos devotioni vestræ taliter

Epist. 513. Vt decimæ suæ Ecclesiæ solvantur. Cap. Cùm apostolica sedes. De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.

12. q. 2. cap. 52.

respondemus, quòd monendus est laicus qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ ad quam spectat. Quòd si forsan induci nequiverit, & eam cum diocesani consensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim religioso Conventui, constabit ipsa donatio perpetua firmitate subnixa. Auctoritates enim præmissæ, licèt diversæ, non sunt tamen adversæ; cùm aliud sit alienare quod ab Ecclesia possidetur, & aliud, quod detinetur à laico, ad usum ecclesiasticum revocare. In alienatione verò, juxta Leonis Papæ decretum, consensus Episcopi sine Cleri consensu non sufficit. In revocatione autem, juxta responsum Hieronymi, sufficit consensus Episcopi, cùm per utrumque utilitati Ecclesiæ consulatur. Nam & in Lateranensi Concilio est inhibitum ne quælibet religiosa persona Ecclesias & decimas de manibus laicorum sine consensu Episcoporum recipiat. Per quod rectè datur intelligi quòd sufficit consensus Episcopi, ut licitum sit Ecclesiæ decimam de manu recipere laicali. [* Hæc autem de iis decimis intelligimus quæ perpetuò sunt in feudum concessæ.] Datum Romæ &c. Non. Julij, Pontificatus nostri anno primo.

* Illud additi est ex Tertia Collectione.

MIDRAN. PRESBYTERO.

Epist. 114. Cardinalis sententiam sese Pontifex confirmare ait.

CVm tu & B. presbyter Tarvisinus, qui se sufficientem procuratorem pro I. sacerdote, quem similiter in causam traxeras, in præsentia nostra gerebat, pro multis quæstionibus inter vos habitis apud sedem apostolicam constituti essetis, nos tibi & ei dilectum filium nostrum V. tt. S. Martini Presbyterum Card. dedimus auditorem. Ipse autem auditis utriusque partis rationibus & pleniùs intellectis, habito consilio dilectorum filiorum P. tt. sanctæ Cæciliæ Presbyteri, P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalium, & Lotarij Subdiaconi nostri juris periti, & aliorum prudentum, de mandato & voluntate nostra sententialiter diffinivit quòd sententia lata de mandato bonæ memoriæ C. Papæ prædecessoris nostri à venerabili fratre nostro Episcopo & dilecto filio Archidiacono Tarvisin. super restitutione & possessione beneficij Ecclesiæ de Mestre, cum ea integritate quam unquam meliùs habuit & possedit, sicut apparet ex publicis instrumentis, firmiter servaretur. Executionis quoque sententiam à venerabili fratre nostro Castellano Episcopo super eodem negocio promulgatam, & qua prædictum B. in decem & octo libris Veneten. pro damnis illatis tibi condemnavit, sententiando statuit inviolabiliter observandam, adjiciens quòd nominatus B. legitimè compelli deberet ad solvendam tibi pecuniam memoratam & restituenda damna ex integro, pro fractione parietis cameræ, cum officinis domus, quæ fueras consecutus. Præmissos etiam B. & I. ad satisfaciendum plenissimè de omnibus damnis tibi per se vel per suos illatis similiter condemnavit. Et quia dictus B. Presbyter ab apostolica sede recedens, pro se responsalem, sicut nos ipsi præceperamus, & etiam ipse nobis promiserat, idoneum non reliquit, in expensis à te factis post recessum ejus ipsum B. legitimè condemnavit. Nos ergo præmissam sententiam, sicut rationabiliter lata est à dicto Cardinale, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum &c. VII. Idus Iulij &c.

MEDIOLANEN. ARCHIEPISC.

Epist. 115. Vt Bonacosam Clericum & nuntium suum Canonicum efficiat.

CVm pro his tibi preces apostolicæ porriguntur qui apud Romanam Ecclesiam obsequiis tuis & Ecclesiæ Mediolanen. insistunt, miramur non modicùm si eas differas effectui mancipare, & ex hoc nos à te pro alienis minùs audiendos præsumimus, à quo pro tuis familiaribus & domesticis non audimur. Meminimus enim quod olim tibi preces porrexerimus & mandatum, ut dilectum filium Bonacosam Clericum & nuncium tuum, qui apud sedem apostolicam pro tuis diutiùs obsequiis laboravit, in Canonicum Ecclesiæ beati Ambrosij recipi faceres, & beneficium quod in ea vacare dicebatur, ipsi ob reverentiam sedis apostolicæ assignari. Verùm (sicut rerum demonstrat effectus) te id minùs solicite procurante, Canonici ejusdem Ecclesiæ, cùm ad te dictæ literæ pervenissent, post appellationem ad nos interpositam tres in suos Canonicos recepere; mandato apostolico, quod pro eodem B. tibi porrectum fuerat, non admisso. Quocirca fraternitati tuę per apostolica scripta mandamus quatenus revocato in irritum quicquid post appellationem ad nos interpositam super beneficio ipso in

ipsius præjudicium inveneris attentatum, ei beneficium, si quod vaeat, appellatione remota non differas assignare. Datum &c. VIII. Idus Julij &c.

CARO ARCHIEPISCOPO Montis Regalis, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 116. A decessoribus suis indulta privilegia confirmat.

LIcèt Dominus noster Iesus Christus Ecclesiam suam instituens, discipulis suis eandem super credentes ligandi ac solvendi dederit potestatem, unum tamen in ea, beatum scilicet Petrum Apostolum, voluit præminere, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* intelligendum ex hoc tribuens fidelibus universis quòd sicut unus erat mediator Dei & hominum homo Iesus Christus, pacificans quæ in cœlis erant & quæ super terram, & dissolvens maceriarum parietem, ac faciens utraque unum, sic & in Ecclesia sua unum ex ipso & per ipsum omnium caput esset; ne in membris fieret ulla diversitas, quæ non per unius auctoritatem ac providentiam capitis ad unam fidei veritatem eandémque religionis regulam reducerentur & cultum. Quod etiam in eo loco monstratur, in quo & de confirmandis fratribus & pascendis dominicis ovibus præceptum à Domino nostro legitur ei datum. Ex hac itaque potestate, quæ ad beatum Petrum ex dominica traditione pervenit, sacrosancta Rom. Ecclesia, quæ per Dominum Iesum Christum ab eodem beato Petro instituta est & fundata, super universas Ecclesias auctoritatem obtinuit ut ubique ratum esset ac solidum quod ipsius providentia statuisset. Quod etiam ab universis Ecclesiis per orbem terrarum usquequaque diffusis & receptum est & servatum; ita ut per eam & distributio facta sit dignitatum, & indictum Christi fidelibus & diligentiùs ordinatum quod ad cultum pertinere visum est pietatis. Ex hac siquidem data beato Petro à Domino potestate ipse ac successores ipsius per diversa mundi loca constituerunt Episcopos, & dignitates per provincias diviserunt. Nos etiam, qui eis, licèt impares meritis, Domino vocante successimus, in loco qui Mons Regalis dicitur, pro multa utilitate populi Christiani metropoliticam sedem à piæ memoriæ Domino Lucio prædecessore nostro statutam auctoritate apostolica confirmamus. Cùm enim illustris memoriæ V. quondam Siciliæ Rex, divinæ caritatis igne succensus, ad gloriam Dei & salutem suam ac parentum suorum monasterium ibi fundasset, & primò locum ad id agendum beato Petro & Romanæ obtulisset Ecclesiæ, ab episcopali subjectione per auctoritatem prædecessoris nostri felicis memoriæ Alexandri Papæ assensúmque bonæ memoriæ Walterij Panormitani Archiepiscopi liberum reddidit & quietum; ac sic ædificiis erigendis regiam curam impendens, brevi tempore templum Domino multa dignum admiratione construxit, castris munitissimis & redditibus ampliavit, libris & sacris vestibus & argento decoravit & auro, & tandem multitudinem monachorum de Cavensi ordine introduxit, & in tantum ædificiis & rebus extulit aliis locum ipsum, ut simile opus per aliquem Regum factum non fuerit à diebus antiquis, & homines in admirationem adducat ad quos ex auditu solo potuerit quod factum est pervenire. Deinde ad opus bonum, sicut cervus ad fontes aquarum, anhelans, & modicum reputans quicquid desiderio fecerat æternorum, juxta id quod sapientia dicit, *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* à prædicto Alexandro & Lucio prædecessoribus nostris ac fratribus cum multa instantia postulavit ut idem locus dignitate metropolitica donaretur; præsertim cùm & illuc populum congregare cœpisset, & disponeret congregare, qui ex illa parte contra omnium inimicorum incursus inexpugnabile munimen posset toti terræ conferre. Porrò idem Dominus Lucius, deliberatione habita non parva cum fratribus, & attendens communem utilitatem quæ de incremento illius loci sperabatur, desiderio & petitioni ejus liberaliter acquievit; ne ubi liberalissimus ipse de thesauro & tenimentis suis extiterat, idem Papa de his quæ ad injunctum sibi apostolatus officium pertinebant existere difficilis videretur, & tanta ejus minueretur tarditate devotio, quam summi pontificatus studio de bono congruebat ad melius incitari. Nam & hoc pro desiderio ejus non parum facere videbatur, quòd (licèt insolitum esset) duæ metropoles tam vicinæ consi-

sterent, ex hac tamen nova constitutione nequaquam jus minueretur alterius, cùm jam antè monasterium ipsum per Archiepiscopos & Episcopos tam in se quàm in omnibus locis suis ab omni episcopali jure fuisset exemptum, & plena in omnibus libertate donatum, ita ut nulli Archiepiscopo vel Episcopo, nisi tantùm Romano Pontifici, subjaceret. Supradictum itaque Vulliel. prædecessorem tuum suis tanquam beati Petri manibus consecravit, & Pallij dignitate statuit decorandum; recipiens eandem Ecclesiam, ad honorem Domini Dei nostri & memoriam beatæ Mariæ semper virginis regia liberalitate fundatam, sub apostolici tuitione muniminis, & suo privilegio quod factum fuerat roboravit. Statuit autem in primis ut ordo monasticus, qui secundùm Dei timorem & beati Benedicti regulam & Cavensis monasterij observantias in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones & quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum ex dono prænominati Regis ac quorumlibet aliorum rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Principum, fidelium oblatione &c. *usque ad verbum* permaneant. In quibus episcopatum Cathanien. proprio duximus vocabulo designandum; quem idem dominus Lucius de fratrum communi consilio, ad multam prædicti Regis instantiam, dicto prædecessori tuo ejúsque successoribus, sicut propriis Archiepiscopis, metropolitico in perpetuum constituit jure subesse. Episcopale quoque jus, & omnia quæ in subscriptis locis ex concessione fratrum & coëpiscoporum idem prædecessor tuus habebat, ipsi ejúsque successoribus confirmavit, & firma & illibata perpetuis temporibus permanere decrevit. Ex concessione scilicet bonæ memoriæ Walterij Panormitani Archiepiscopi, cum voluntate, consilio, & assensu omnium Canonicorum suorum, & regia etiam conniventia, totam parrochiam & diocesim castelli Corilionis, cum monasterio sanctæ Mariæ Magdalenæ, & aliis Ecclesiis, cum decimis & aliis justitiis quas de Baronibus & aliis hominibus ipsius castelli & pertinentiarum ejus Panormitana Ecclesia solebat percipere, & cum omni parrochiali jure & episcopali quod in eadem parrochia & diocesi videbatur habere. Ecclesiam præterea sancti Silvestri, quæ fuerat * de Mania & proprij juris Panormitan. Ecclesiæ, quam pro eo quòd Ecclesiæ tuæ multùm vicina erat, & multùm utilior erat ei quàm Panormitan. Ecclesiæ, jamdictus Archiepiscopus (sicut in ejus scripto authentico continetur) de consilio & assensu omnium fratrum suorum eidem Ecclesiæ libera & spontanea tradidit voluntate, cum omnibus tenimentis, villanis, & possessionibus, & omni jure suo. Ex concessione bonæ memoriæ Nicolai quòndam Messanen. Archiepiscopi, cum totius Capituli sui consensu, omne jus episcopale quod Ecclesia Messanen. deberet habere in monasterio & omnibus pertinentiis ejus, quod illustris recordationis Margarita gloriosa quondam Regina in loco qui dicitur Maniatium in diocesi Messanen. ad honorem Dei & beatissimæ Mariæ semper virginis memoriam pro sua devotione construxit, & per prædictum Archiepiscopum ab omni debito Messanen. Ecclesiæ liberum obtinuit & quietum. Ex concessione T. Regen. Archiepiscopi, cum communi Capituli sui consensu, totum jus episcopale vel quodcunque aliud Regensi Ecclesiæ pertinebat, in monasterio sancti Salvatoris de Marcello, quod construxit Iohannes Calomen. regius quondam Camerarius, & in monasterio monialium sancti Iohannis Exocaliva, quod est extra muros civitatis Regij, & cellis, obedientiis, possessionibus, tenimentis, ac pertinen. monasteriorum ipsorum, juxta quod in jamdicti Archiepiscopi privilegio continetur. Ex concessione B. Agrigentini Episcopi, cum Capituli sui assensu, tam parrochiam & diocesim quā universum jus episcopale, cum omnibus decimis & aliis justitiis suis, quas de Baronibus & aliis hominibus castelli Battellarij & pertinentiarum ejus & Casalis Busachini, nec non & alias decimas omnes, & alios redditus, quos Agrigentina Ecclesia in castro Corilionis & pertinentiis ejus habebat, sicut in scripto ipsius Episcopi dignoscitur contineri. Ex concessione M. Mazanen. Episcopi parrochiam & diocesim, & jus episcopale, omnésque decimas & alios redditus quos Ecclesia Mazanen. habebat in municipio Iati, & municipio Calatatrasi, cunctisque pertinen. ipsorum, sicut in scripto

* *forte dominij*

præfati Episcopi manifestiùs cootinetur. Ex concessione R. Anglonen. Episcopi, cum communi Capituli sui consensu, in monast. Carbonen. cellis, obedientiis, & possessiooibus ejus totum jus episcopale, & quodcunque aliud io eo Anglooen. habebat Ecclesia, sicut in ipsius Episcopi scripto denotatur expressum, Ex concessiooe Bisinianen. Episcopi, cum Capituli sui assensu, Ecclesiam saoctæ Mariæ de Macla, cum episcopali jure, & omnibus obedieotiis & pertinentiis suis, sicut in ejusdem Episcopi privilegio demonstratur. Ecclesiam quoque sancti Martini constructam in tenimentis Ecclesiæ à Petro Indulso, quam ipse P. obtulit eidem Ecclesiæ, cum tenimentis, possessionibus, & pertinentiis suis. Pallium ad hæc, plenitudinem scilicet pootificalis officij, fraternitati tuæ de sedis apostolicæ auctoritate ac liberalitate largimur, quo intra Ecclesiam tuam ad Missarum solemnia celebranda subscriptis diebus oti debebis, Nativitate scilicet Domini nostri Iesu Christi, S. Stephani, Octava Dominicæ Nativitatis, Epiphania, Hypapanti, Domioica io ramis palmarum, Cæna Domini, Sabbato sancto, Pascha, & duobus diebus sequentibus, Asceosione, Pentecoste, tribus festivitatibus beatæ Dei genitricis & virginis Mariæ, natalitio beati Iohannis Baptistæ, commemoratione omnium sanctorum, solenoitatibus omnium Apostolorum, & præcipuis festis Ecclesiæ tuæ, dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus Clericorum, & anniversario toæ consecratioois die. Provideas igitur quomodo hujus iodumenti honor modesta sit actuum vivacitate servandus; ut ei morum toorum ornamenta conveniant, & esse valeas plus boois actibus quàm hujusmodi ornamento, Deo auctore, coospicuus; & quem pastoralis curæ constringit officium, dilectionem proberis fratribus exhibere; ut io humilitatis virtute fundatus, nec eleveris prosperis, nec fatigeris adversis. Ipsi etiam adversarij, propter mandatom dominicum, tuo circa te copulentur affectu; & quantum in te fuerit, pacem habeto cum omoibus, & ad pacem studeto reducere discordantes. Fulgeat in pectore tuo rationale judicij, cum superhumerali actiooe conjunctum; & ita in conspectu Dei procedas & hominum, quatenus commisso tibi gregi dominico virtutis præstes exemplum, & taliter opere præcedas & verbo, ut videotes opera tua bona, glorificent patrem nostrum, qui in cœlis est, & gaudeant se talem rectorem habere, per quem & erudiantur ad fidem, & ad recta opera provocentur. Obeunte verò te, vel tuorum qoolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem monachi ejusdem loci, vel major pars consilij sanioris, de ipso collegio, siquidem idoneus fuerit in eo repertus, secundùm Deum & canonicas sanctiones crediderint eligeodum. Qood si fortè idooeus ibi reperiri nequiverit, & aliunde fuerit assumendus; per fratres ipsius loci monachus eligatur, qui nimirum & regularibus cibis & iodnmentis utatur. Quæ omnia, sicut ab eodem prædecessore oostro providè facta sunt, rata omni tempore volentes & incoocussa servari, oostri quoque privilegij muoimine roboramus Præterea ad exemplar felicis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri, ut Ecclesia Syracusana, quæ usque ad tempus ipsius nulli nisi Romano tantùm Pontifici dignoscitur subjecta fuisse, tibi deinceps & successoribus tuis catholicis metropolitico debeat jure subesse, auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Ad indicium sanè devotionis suæ, ac demoostrandum quòd eadem Ecclesia Romano tantùm Pootifici subjaceret, supranominatus Rex, cùm eam sub nomine monasterij fundare cœpisset, centum * tarenos Romano Pootifici aonis siogulis statuit persolvendos. Si qua igitur in futurum &c. Datum Romæ apud saoctum Petrum per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Caocellarij vicem agentis, V. Kaleod. Maij, Indictione prima, iocarnationis Dominicæ anno M C XCVIII. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo.

* fortè florenos.

ABBATI ET CONVENTVI de Pigavia.

Epist. 117.

De causa, ipsorum, quam habebant contra Episcopum Mersburgensé.

CVm tempore bonæ memoriæ Cel. Papæ prædecessoris nostri tu, fili Abbas, ad Romanam curiam accessisse, privilegium & alia scripta meruisti à sede apostolica obtinere; & (sicutà te acce-

pimus) cùm reverſus fuiſſes ad propria, privilegium dictum & alia ſcripta in præſentia fratrum tuorum & quorundam Canonicorum Merſburgenſium, qui in defenſionem quorundam monachorum illuc venerant, feciſti fideliter recitari. Quod intelligens venerabilis frater noſter Merſburgen. Epiſcopus, nunciavit & ſcripſit Imperatori te contra honorem Imperij ad Romanam Eccleſiam acceſſiſſe, & privilegium in ejus præjudicium impetraſſe. Vnde motus Imperator curiam tibi indixit, & privilegium ſibi præſentari præcepit, quod receptum noluit tibi poſtmodum reſignare. Et dum in his & aliis te per Epiſcopum gravari ſentires, appellatione interpoſita ſedem apoſtolicam viſitaſti: à qua per nuncios commiſſionis literis impetratis, partes judices citavere, in cauſa ipſa juxta formam mandati apoſtolici proceſſuri. Verùm dum hæc agerentur, venerabilis frater noſter Magdebur. Archiepiſcopus ad petitionem Epiſcopi memorati de mandato imperiali te ab officio beneficióque ſuſpenſum, à monaſterij adminiſtratione removit, & curam ejus duobus Militibus aſſignavit. Vnde timens abbatiæ periculum provenire, cùm & tibi periculum immineret ſuper controverſiis quæ inter te & Epiſcopum & quoſdam monachos vertebantur, arbitrium Archiepiſcopi te promiſiſti, fide in manibus ejus hinc inde præſtita, ſervaturum. Sicque factum eſt ut ipſe Archiepiſcopus, adjunctis ſibi tam Clericis quàm laicis, inter quos erat & Dapifer Imperialis, ſub certa forma arbitrium promulgaverit. Poſt hæc iterum Romam veniens, quæ facta fuerat eidem prædeceſſori noſtro diligenter exponere procuraſti: cui & adverſario tuo Cuſtodi Merſbur, procuratori dicti Epiſcopi nos ipſi, cùm eſſemus in minori officio conſtituti, & dilecti filij I. tt. ſancti Stephani in Cœlio monte & I. tt. ſanctæ Priſcæ Preſbyteri Cardinales deputati fuimus auditores: & tandem auditis quæ partes duxerant proponenda, ſub certa forma de conſenſu partium cauſa commiſſa fuit judicibus delegatis, videlicet ut de omnibus diligenter inquirerent, excepto quòd indagationem libertatis ejuſdem monaſterij, cum duobus capellis, apoſtolicæ ſedis examini per omnia reſervarent. Cùmque ita judices delegati partes ad ſuam præſentiam auctoritate apoſtolica evocaſſent, memoratus Epiſcopus delegatos ipſos ſuſpectos ſibi propoſuit, & cauſas ſuſpicionis multiplices aſſignavit. Conſequenter etiam eorum volens judicium declinare, ſedem apoſtolicam appellavit. Sed reverſus poſtmodum coram eiſdem, ſacramentum calumniæ præſtitit, teſtes produxit, petitis dilationibus, & obtentis. Ipſi ergo judices procedentes in cauſa, auditis utriuſque partis rationibus, & pleniùs intellectis, geſta omnia ſigillorum ſuorum munimine roborata ad ſedem apoſt. deſtinarunt, terminum partibus imponentes quo recepturæ ſententiam apoſtolico ſe conſpectui perſonaliter præſentarent. ad quem tu perſonaliter accedens, Epiſcopus pro ſe miſit dilectos filios H. Merſburgen. Canonicum & B. S. Nicolai Merſburgenſis Scholaſticum reſponſales: qui geſta quæ delegati tranſmiſerant, nec publicari debere dicebant, nec fidem eis penitùs adhibendam; cùm & à ſuſpectis judicibus, & poſt appellationem legitimè interpoſitam, recepta fuerint, & deſcripta: parte tua contrarium poſtulante, præſertim quia (ut firmiter aſſerebat) nuncij memorati perſonam ſtandi judicio non habebant, cùm excommunicati eſſent, & Epiſcopo fuiſſet ſub pœna ſuſpenſionis injunctum ut ad cauſam agendam in propria perſona veniret. quòd cùm non fecerit, pœnam ſuſpenſionis incurrit. quem prædicti nuncij propter ægritudinem & ſenectutem perſonaliter ad Romanam Eccleſiam non poſſe accedere proponebant, alia quæ ipſis objecta fuerant denegantes. Qui pro ipſo Epiſcopo factum taliter proponebant, quòd cùm ab eo, tanquam à Prælato tuo, abbatiam & ſacerdotium percepiſſes, ſicut fueras in jure confeſſus, propter pravam converſationem tuam ſuper multis enormitatibus cœpiſti à monachis conveniri. inter quos Epiſcopus pacem & concordiam ſæpius reformavit, monens te ut ad frugem melioris vitæ tranſires. Cùm autem fratres per ea quæ jugiter faciebas, de tua emendatione nullatenus jam ſperarent, contra te propoſuerunt in ſynodo de dilapidatione, quòd res monaſterij pauperum uſibus deputatas voluptuosè conſumeres, & pro defectu neceſſariorum religio ibi penitùs deperiret, te etiam de ſacrilegio, ſimonia, aliiſque multis criminibus impetebant

interdum coram Epiſcopo, quandoque in præſentia Cardinalis, quem Epiſcopus tamdiu ſuſtinuit quòd monachis denegare juſtitiam dicebatur. Citatus exinde ab Epiſcopo, nuncium miſiſti ſuper omni gravamine quod tibi poſſit inferri per ſententiam Epiſcopi provocantem. Cùm autem neque per te neque per nuncium ad Archiepiſcopum acceſſiſſes, ipſe Archiepiſcopus appellationi tam generaliter factæ in præjudicium Eccleſiæ judicavit nullatenus deferendum. Epiſcopus itaque habito prudentum conſilio, citatum denuo te ab officio beneficióque ſuſpendit. Interim ſuperveniens dilectus filius noſter I. tt. ſancti Stephani in Cœlio monte Preſbyter Cardinalis, tunc apoſtolicæ ſedis Legatus, ad dictam abbatiam acceſſit ut componeret inter te & monachos memoratos. Sed te in villis proximis latitante, & Magiſtro Vlrico allegante, dictus Cardinalis latam in te ſuſpenſionis ſententiam confirmavit. Sic ergo latenter Romam veniens, commiſſionis literas veritate tacita, & ſub ſpecie renovationis privilegium, quod nunquam hactenus habueras, impetraſti. Cùmque judices delegati Epiſcopo ſuſpecti eſſent & monachis, à quibus nec unius diei poterant inducias obtinere, appellatione interpoſita ab Epiſcopi nunciis, ſtatim cùm privilegium ſubreptitium legeretur, partes nuncios ſuos ad ſedem apoſtolicam tranſmiſerunt: de quorum aſſenſu cauſa tandem fuit aliis conjudicibus ſub certa forma commiſſa, ſicut in commiſſionis literis continetur. Sed cùm non omnes poſſent examinationi cauſæ propter nimiam diſtantiam intereſſe, dilectus filius Abbas de Goizoche, unà cum venerabilibus fratribus noſtris dicto Archiepiſcopo, Balbergen. & Miſnen. Epiſcopis, & quamplurimis Eccleſiarum Prælatis, inter Epiſcopum, te, & monachos pacem & concordiam reformavit. Iterum autem ad Romanam Eccleſiam latenter accedens, & proponens multa contra monachos & Epiſcopum, ad duos judicum illorum, quos ſuperiùs Epiſcopo diximus eſſe ſuſpectos, & à quibus nuper ipſe Epiſcopus per nuncios appellaverat, commiſſorias literas impetraſti. Qui cùm juſtas exceptiones Epiſcopi non admitterent, quas in continenti probare volebat, ſedem apoſt. appellavit. Sed ipſis in cauſa nihilominus procedentibus, invitus acceſſit ad eos, timens ne ſua juſtitia deperiret. Cùm autèm poſt alia quæ judices ipſi proprio motu fecerant, terminum publicandis atteſtationibus præfixiſſent, venientibus partibus unus tantùm comparuit de judicibus cum alterius nuncio; qui nec habebat ad alios literas, nec cavere volebat quòd dominus ſuus vices ſuas præſenti judici commiſiſſet. Sicque factum eſt quòd ſolus Nunburgen. Præpoſitus, licèt tribus ſigillis appoſitis geſta deſcripſerat, quæ fuerant ad ſedem apoſt. deſtinata. unde dicebant fidem eis nullatenus adhibendam; & quia ipſum inſtrumentum relationis ipſorum judicum fuit in ſuperficie vitioſum, & datum ab eo quē plurimis dicunt excommunicationis vinculis innodatum. Verùm præmiſſa ferè omnia pro Epiſcopi parte propoſita, tu veritate deſtitui firmiter aſſerebas. Quia verò memoratus Epiſcopus, eò quòd juramentum præſtitit de calumnia, & à delegatis inducias poſtulavit, & teſtes coram eis produxit, appellationi renuntiaſſe videtur, & eorum examini conſenſiſſe; nos habito fratrum conſilio, in præmiſſa incidenti quæſtione interlocuti fuimus, quòd deberent quæ coram prædictis judicibus geſta fuerunt, publicari, ut ſecundùm tenorem ipſorum, noſtra tandem ſententia formaretur. Tibi igitur & procuratoribus Epiſcopi ſupradicti venerabilem fratrem noſtrum O. Oſtien. Epiſcopum & dilectum filium P. tituli ſanctæ Cæciliæ Preſb. Card. dedimus auditores: qui cùm ea quæ fuerant hinc inde propoſita & oſtenſa, nobis & fratribus noſtris fideliter retuliſſent, quia tam per confeſſiones quàm per atteſtationes legitimè conſtitit quòd fide hinc inde data compromiſſum eſt in arbitrium Archiepiſcopi memorati & quorundam etiam aliorum, nos de conſilio fratrum noſtrorum ipſum arbitrium decernimus obſervandum, illis duntaxat exceptis capitulis quæ contra libertatem ipſius monaſterij & duarum capellarum ejuſdem in arbitrio ſunt expreſſa: cùm etſi ſponte volueris, de jure tamen nequiveris ſine licentia Romani Pontificis renuntiare privilegiis vel indulgentiis libertatis quæ monaſterium illud indicant ad jus & proprietatem Rom. Eccleſiæ pertinere; præſertim cùm in ultimæ commiſſionis literis contineatur expreſſum quòd ſæpedictus præ-

decessor noster super renuntiatione à te super privilegio & aliis scriptis facta nullum tibi vel successoribus tuis aut etiam monasterio & duabus capellis de Pigavia præjudicium voluit generari. Quia verò in eisdem literis commissoriis expressit quòd indagationem libertatis ejusdem monasterij, cum duabus capellis in eadem villa positis, apostolicæ sedis examini per omnia reservavit, quicquid contra formam hujus mandati à delegatis prædictis actum est revocamus, & viribus omnino carere censemus, reservantes eidem Episcopo liberam facultatem ut contra libertatem ipsius monasterij ordine judiciario valeat experiri; interim autem donec ipsa quæstio canonicè terminetur, tu & monasterium tuum non compellamini obedientiam eidem Episcopo exhibere, sed in eo statu maneatis in quo post impetratum privilegium, & ante datum arbitrium, dignoscimini extitisse. Quoniam ergo personales injuriæ, quæ præcesserant, per arbitrium sunt sopitæ, cùm vos vicissim in pacis osculum receperitis, quæstiones tam super ablatorum restitutione quàm super subjectione monasterij duximus committendas. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum, III. Idus Iulij &c.

DE NOVO BVRGO ET DE VALLE S. Georgij Abbatibus, & Præposito S. Severi de Effordia.

Epist. 318. Ejusdem ferè argumenti cum superiore.

CVm inter vener. fratrem nostrum Mersburgen. Episcopum & dilectum filium Abbatem de Pigavia super diversis articulis controversia verteretur, & eadem sæpe fuisset à bonæ memoriæ Celest. Papa prædecessore nostro commissa, tandem ad præsentiam nostram Abbas prædictus & dilecti filij Hen. & B. procuratores ipsius Mersburgen. Episcopi accedentes, cùm super ea in auditorio diutiùs nostro litigassent, sententiam à nobis accipere meruerunt, cujus tenor ex literis nostris sententiam continentibus vobis pleniùs innotescet. Verùm cùm pro defectu probationum quæstio quæ vertitur inter eos super statu monasterij de Pigavia non potuerit terminari, nos inquisitionem ipsius vestræ duximus experientiæ committendam, diffinitiva nobis sententia reservata. Ceterùm quia idem Abbas multis & magnis sequeritur à dicto Episcopo vel mandato ejus per alios spoliatum; per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus quatenus thesauri Ecclesiæ, privilegiorum, indulgentiarum, & aliorum, quibus eum inveneritis minus rationabiliter ab Episcopo destitutum, facta sibi restitutione plenaria, super libertate seu subjectione præmissi monasterij & aliis quæ adversùs se duxerint proponenda inquiratis, solum Deum habentes præ oculis, sine personarum acceptione, plenissimè veritatem, & usque ad diffinitivam sententiam subl. appellationis diffugio procedentes, gesta omnia nobis mittatis sigillorum vestrorum munimine roborata; ut per ea certiores effecti, securiùs in ipso negocio procedere valeamus; certum terminum partibus assignantes, ad quem nostro se conspectui repræsentent, diffinitivam sententiam recepturæ. Nullis literis &c. harum mentione non habita, præter assensum partium &c. Quòd si omnes &c. tu dilecte fili Abbas de Novo-Burgo cum eorum altero &c. Testes cogantur. Datum Reate, XII. Kal. Augusti.

ARCHIEPISCOPO, DECANO, & Præcentori Lugdunen.

Epist. 319. Committitur causa archidiaconatus Cabilonensis.

CVm pro causa quæ inter dilectos filios Falconem & Gualterum Cabilonensis Ecclesiæ Archidiaconos vertebatur, procuratores utriusque partis ad nostram præsentiam accessissent, nos eis dilectum filium nostrum G. sancti Adriani Diaconum Cardinalem concessimus auditorem: coram quo ipsius F. Archidiaconi procurator proposuit quòd cùm olim pro variis gravaminibus, quæ adversarij ejus Cabilonen. Ecclesiæ inferebant, ad sedem apostolicam accessisset, ad dilectos filios Abbatem sancti Martini, Cantorem Eduensem, Archidiaconum Flavinacen. literas impetravit ut dictum G. Archidiaconum canonica districtione compellerent ut ab Cabilonen. Ecclesiæ & hominum cujusdam Obedientiæ ejus, quæ Potestas Boiaci dicitur, molestatione cessaret, & de injuriis illatis ipsum eidem Ecclesiæ satisfactionem cogerent debitam exhibere. Cùmque judices secundùm mandatum apostolicum vellent in causa procedere, pars adversa, ut judicium declinaret, sedem apostolicam appellavit. Adjecit etiam quòd à bonæ memoriæ Celestino Papa prædecessore nostro confirmationis literas

teras impetrarat super quibusdam institutionibus ejusdem Ecclesiæ de communi assensu Capituli constitutis, ex quarum inobservantia Ecclesia ipsa debito servitio fraudabatur. Licèt autem idem prædecessor noster venerabili fratri nostro Eduen. Episcopo ad ejusdem Archidiaconi postulationem mandasset ut eas faceret observari; ipse tamen semel solummodo Cabilonen. Capitulo pro his servandis suas literas destinavit, nec super hoc ultra processit. Petebat itaque procurator ipse pro Archidiacono memorato priorem causam committi, confirmari constitutiones prædictas, & ea sibi restitui quæ ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ coactus fuerat expendisse. Cæterùm procurator partis alterius ex adverso respondit quòd cùm dictus F. Archidiaconus in Succentorem Cabilonen. Ecclesiæ, diaconatus fungentem officio, in communi dormitorio manus injecisset temerè violentas, & eum traxisset verberando per claustrum, tu, frater Archiepiscope, eum ob violentam manuum injectionem & violationem immunitatis Ecclesiæ fecisti excommunicatum publicè nunciari. Ipse verò ad apostolicam sedem accedens, confessus est quòd in Clericum manus injecerat violentas; supprimens autem quòd immunitatem violasset Ecclesiæ, super absolutione sua literas impetravit; sed nihilominus in excommunicatione remansit, cùm alteram causarum, pro quibus excommunicatus fuerat, tacuisset. Vnde ipsum nec in jure stare posse dicebat, nec procuratorem constituere; præsertim cùm is cui causæ suæ procurationem commiserat, ob excessum similem eadem innodatus sententia teneretur. Ea etiam carere viribus allegabat quæ in excommunicatione positus à sede apostolica impetrarat. Licèt autem per hoc dictus G. Archidiaconus ei non teneretur, nisi obtento priùs absolutionis beneficio, respondere; nihilominus tamen se dictorum judicum conspectui præsentarat, & per literas venerabilis fratris Episcopi & dilecti filij Decani ipsius Ecclesiæ ostenderat quòd nec ipse adversùs eandem Ecclesiam, nec Ecclesia adversùs eum haberet aliquam quæstionem, & literæ quas adversarius ejus obtinuerat ab apost. sede, impetratæ non fuerant de Capituli voluntate. Accedente igitur die altera quæ ipsis fuerat assignata, cùm super eo quæreretur à partibus utrum renitente Capitulo dictus F. Archidiaconus esset pro Cabilonen. Ecclesia contra eundem G. Archidiaconum admittendus, ipse G. propter suspicionem judicum ad sedem apostolicam appellavit. Ad ea verò quæ super servandis consuetudinibus Ecclesiæ proposita fuerant, sic respondit; quòd cùm memoratus Episcopus dictis Decano & Capitulo mandavisset memoratas consuetudines observari, responderunt se ipsas libentiùs servaturos, nisi paupertas Ecclesiæ impediret; adjicientes, ut statum Cabilonen. Ecclesiæ per suas literas sedi apostolicæ nunciarent. Ex his igitur concludebat nec expensas, quas dictus F. Archidiaconus fecerat, ipsi debere restitui, cum potiùs, ut ab excommunicationis vinculo solveretur, ad sedem apost. accessisset, nec eum esse super confirmandis Ecclesiæ consuetudinibus audiendum, cujus non poterat literas procurationis ostendere, immo ipse procurator esset à Capitulo institutus. Propter quod cum instantia postulabat ordinationem Ecclesiæ dictis Episcopo & Decano committi; ita quòd quicquid de majori & saniori parte Capituli, tam super instituendis Canonicis, quàm super aliis ad ordinationem ejusdem Ecclesiæ pertinentibus, constituerent, non obstante contradictione paucorum, inviolabiliter servaretur; nec obstantibus literis super servandis prædictis consuetudinibus ad dictum Eduen. Episcopum destinatis. Petebat etiam dictum F. Archidiaconum excommunicatum denunciari; cùm nec satisfecisset passo injuriam, & de violatione immunitatis Ecclesiæ non fecisset aliquam mentionem. Ex parte verò prædicti F. Archidiaconi taliter fuit ad objecta responsum, quòd licèt super violenta manuum injectione accusatus fuisset, ei fuit Ecclesiæ solummodo introitus interdictus; sed postmodum ad apostolicam sedem accedens, sine contradictione qualibet fuerat absolutus. Nos igitur causam ipsam vestræ examini committentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si vobis constiterit dictum F. Archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum fuisse, & expressisse tantùm alteram in literis quas super absolutione sua ab apostolica sede obtinuit, ipsum tanquam excommunicatum satisfacere Ecclesiæ suæ de altera, moni-

tione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota cogatis. Prædictas verò Conſtitutiones, ſi eas de aſſenſu Capituli majoris ſanioris partis ſine pravitate qualibet inveneritis eſſe factas, & poſſibilitas Eccleſiæ patitur, faciatis inviolabiliter obſervari. In aliis ordinationem Eccleſiæ prædictis Epiſcopo & Decano auctoritate apoſtolica committatis, ita ut quæ cum majori parte Capituli tam ſuper Canonicis inſtituendis quàm ſuper aliis canonicè duxerint ſtatuenda, non obſtante contradictione vel appellatione paucorum obtineat firmitatem. Expenſas verò antedicto Archidiacono reſtitui faciatis, ſi legitimè probare potuerit ſe de Capituli mandato ſuſcepiſſe prædicta negocia promovenda, & propter hoc ad ſedem apoſtolicam acceſſiſſe. Nullis literis &c. præter aſſenſum partium &c. Quòd ſi omnes &c. tu, frater Archiepiſcope, cum eorum altero &c. Datum &c.

P. SCHALAHOLTDEN. & B. Holen. Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis & Clericis univerſis per Iſlandiam conſtitutis.

Epiſt. 120. Significat eis gravia quædam vitia quæ per Iſlandiam corrigere debeant.

QUamvis inſula veſtra longo terrarum tractu ab Vrbis partibus ſit remota, vos tamen, quòd apoſtolicæ proviſionis non ſitis extorres, æſtimare debetis, cùm ex injuncto nobis apoſtolatus officio facti ſimus ſecundùm Apoſtolum ſapientibus & inſipientibus debitores, & ita paſtoralem ſolicitudinem gerimus de propinquis, quòd eam extendimus etiam ad remotos, quos abſentes corpore, ſpiritu verò præſentes, caritatis brachiis amplexamur. Sanè dilectum filium Erlend. Abbatem, latorem præſentium, quem ad nos tranſmittere curaviſtis, boni teſtimonii virum, paterna benignitate recepimus, & ſicut eo didicimus referente, licèt nullas ex parte veſtra portaverit nobis literas ſigillatas, quas tamen aſſeruit ſe amiſiſſe in maris periculis conſtitutum, nonnulla in partibus veſtris velut in uſum & conſuetudinem ſunt redacta, quæ ab agro dominico ſunt ſtudioſiùs extirpanda, ne per ſpinas & tribulos ſemen evangelicum ſuffocetur. inter quæ ſequentia duximus ad cautelam exempli gratia exprimenda; ut per ea ſtudeatis cetera vitia capitalia evitare, per quæ ira Dei venit in filios diffidentiæ, qui ſtercora pro croceis amplectuntur, & luci tenebras anteponunt. Et ut incipiamus à primo inobedientiæ vitio, per quod peccatum intravit in mundum, cùm in Eccleſia Dei diverſi gradus ad inſtar cœleſtis curiæ ſint diſtincti, ut ſecundùm diſpoſitionem ſuperiorum obtemperantibus inferioribus cuncta rite procedant, unde & Romana Eccleſia tanquam magiſtra non humana ſed divina diſpoſitione univerſis & ſingulis per orbem Eccleſiis eſt prælata, ut ad eam velut caput aliæ ſicut ſpiritualia membra reſpondeant, cujus paſtor ita ſuas aliis vices diſtribuit ut ceteris vocatis in partem ſolicitudinis ſolus retineat plenitudinem poteſtatis, ut de ipſo poſt Deum alii dicere poſſint, *Et nos de plenitudine ipſius accepimus*, ſicut idem E. Abbas nobis diligenter expoſuit, qui ſunt inter vos ſubditi, dum Prælatis ſuis in his quæ agunt perperam, nolunt humiliter obedire, ac ſecundùm ipſorum monita ſalubria declinare à malo & facere bonum, contra torrentem diſpoſitionis divinæ brachia nituntur extendere, & quaſi contra ſtimulum calcitrare; quæ ſic diſpoſuit gradus & ordines differentes, ut reverentiam minores majoribus exhiberent. Profectò qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt, erroris magnitudinem non penſantes, cùm ſecundùm Prophetam peccatum hariolandi ſit repugnare, & ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere. Hi nempe vel ſunt potentes; & peccata ſua propria temeritate defendunt, non attendentes quod legitur, *Potentes potenter tormenta patientur.* &: *Depoſuit potentes de ſede.* Vel minores. Et ut licentiùs proruant in peccatum, majorum tuitione defendere ſe nituntur, declinantes corda ſua in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis; tanquam in extremo examine, quando unuſquiſque onus ſuum portabit, illi poſſint eos à ventura ira defendere qui pro ſuis ſceleribus æternis incendiis reſervantur. Quid de homicidiis, incendiis, & fornicationibus referemus? & quòd excommunicatis communicare præſumitis, & præſertim Suero & excommunicato & apoſtatæ, Deo & ſanctis ejus pro ſuis actibus inimico? Si vellemus ad ungnem ſingula perſequi quæ inter vos dicuntur peccatis exigentibus frequentari, pagina creſceret in immenſum, & tædium legentibus & audientibus generaret. Dolemus ergo plurimùm &

Vide infrà epiſt. 121.

triſtamur hæc inter vos liberè perpetrari. Sed veremur admodum & movemur, ne fortè (quod abſit) propter diſſolutam negligentiam veſtram iſta proveniant, quæ dum negligitis perturbare, quid aliud facitis quàm fovere, facti canes muti, non valentes latrare? quibus dicitur per Prophetam: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, annunciabo populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Vnde Apoſtolus inquit Epheſiis: *Mundæ ſunt manus meæ à ſanguine omnium veſtrum. Non enim ſubterfugi quominus annunciarem vobis omne conſilium Dei.* Mundus ergo à ſanguine ipſorum non eſſet, ſi eis annunciare Dei judicium noluiſſet: quia cùm increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo paſtor occidit. Cùm itaque in tremendi die judicij de veſtris & ſubditorum veſtrorum actibus debeatis reddere rationem, quin etiam & de omni verbo otioſo quodcunque locuti fueritis; hortamur univerſitatem veſtram, monemus in Domino, & per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus contra delinquentes quaſi contra beſtias Epheſi viriliter exurgentes, ne poſt curſum vitæ labentis in manus Dei viventis (quod horrendum eſt) incidatis, murum vos pro domo Domini non dubitetis opponere, & contra faciem Damaſci turrim vos inexpugnabilem opponentes, evellere ac deſtruere, ædificare pariter & plantare unanimiter procuretis quæ in Eccleſia Dei evellenda & deſtruenda, ædificanda fuerint & plantanda. Ceterùm quoniam adhuc habemus multa vobis dicere quæ non poſſunt commodè per præſentem epiſtolam declarari, præmiſſis breviter prælibaris, caritati veſtræ duximus prædicendum quòd auctore patre luminum, à quo omne datum eſt optimum & omne donum perfectum, in proximo invento viro ſecundùm cor noſtrum, eum ad vos mittere diſpoſuimus: per quem de ſingulis quæ omittere vel facere debeatis, & omnibus quæ fuerunt nobis ex parte veſtra propoſita, cùm ad vos venerit, efficiemini certiores. Datum Reat. III. Kal. Auguſti, &c.

Epiſt. 311.

In eundem ferè modum ſcriptum eſt Principibus & populis per Iſlandiam conſtitutis. Quamvis inſula veſtra *ut ſuprà* &c. *uſque ad verbum* liberè perpetrari; quos ſalvos fieri cupimus, & ad agnitionem veritatis venire: ad quod viam vobis ſalubriter præparabit, ſi habueritis in his quæ Dei ſunt obedientiam ad Prælatos, & eos immo Deum in ipſis curaveritis honorare in quibus contemptis Deus ſpernitur, & in receptis recipitur, & etiam honoratur, & opera impenderitis in operibus pietatis, & præſertim eleemoſynis conferendis, quarum efficaciam Scriptura commendans inquit: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum extinguit.* Ceterùm quoniam adhuc habemus &c. *ut ſuprà.* Datum ut ſuprà.

HYDRVNTIN. ARCHIEPISC.

Epiſt. 312. Quòd filius ex ea ſuſceptus quæ putabatur eſſe concubina, & poſt apparuit quòd eſſet legitima uxor, ſit legitimus. Cap. Per tuas literas. Qui filij ſint legitimi.

Per tuas nobis literas intimaſti quòd Rao de Acereſia ex muliere quadam, quam ſecundùm opinionem majoris partis viciniæ in concubinam habebat, prole ſuſcepta, quandam priùs & aliam ea defuncta duxit uxorem, & ea ex qua prolem ſuſceperat, virum ſibi alium copulavit. Proceſſu verò temporis idem Rao in præſentia multorum firmavit proprio juramento quòd eam quam habere viſus fuerat concubinam, priùs affidaverat in uxorem quàm ex ipſa filium genuiſſet: & cùm poſt juramentum illud per ſex annos & ultrà vixiſſet, dum ageret in extremis, eum quem ex illa ſuſceperat, filium legitimum appellavit, & heredem inſtituit in teſtamento. Cùm autem tuæ fuiſſet inquiſitioni & deciſioni commiſſum, an filius ſic ſuſceptus, legitimus eſſet heres ipſius R. & ad ejus patrimonium admittendus, propter id quod ex quadam decretali bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædeceſſoris noſtri ſtandum eſſe ſuper hoc verbo viri & mulieris credebas, teſtes à filio ejuſdem R. productos providè ſuſcepiſti: quibus legitimè comprobavit prædictum R. matrem ſuam in capella ſancti Sergij affidaſſe. propter quod eum ipſius R. heredem eſſe legitimum judicaſti. Nos igitur attendentes quòd plus eſt quod in veritate agitur, quàm quod ſimulatè concipitur; licèt tam dictus R. cùm, ea dimiſſa quam ut concubinam habuerat, ad alia vota tranſivit, videatur ex ipſo facto, quòd matrimonium inter eos celebratum fuerit, denegaſſe, quia tamen deſponſatio per teſtes legitimos comprobata, eos matrimonialiter fuiſſe conjunctos oſtendit; ſive

Cap. Tranſmiſſæ. Qui filij ſint legitimi.

deſponſatio ipſa fuerit de præſenti, ut per conſenſum legitimum, & verbis de præſenti expreſſum, ſive de futuro, ut per ſequentem carnis copulam matrimonium inter eos fuerit celebratum; non tam decretali dicti prædeceſſoris noſtri, quæ in caſu diſſimili loquitur, quàm inductis probationibus innitentes, te proceſſiſſe legitimè reſpondemus, & ſententiam tuam auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, auctoritate tibi præſentium injungentes ut ſententiam ipſam facias monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari. Nulli ergo &c. Datum Reat. III. Nonas Auguſti.

OSCEN. ET TIRASONEN. Epiſcopis.

Epiſt. 123. De Diacono cujus amici Abbatem trucidarant. Cap. Petrus Diaconus. *De homicidio.*

PEtrus Diaconus & monachus ſancti Iohannis de Pinna ſua nobis inſinuatione monſtravit quòd cùm in ſeculari adhuc habitu conſtitutum, in Eccleſia de Rigulo quoddam beneficium obtinentem, Abbas ipſius Eccleſiæ illum eodem beneficio ſpoliaſſet, cognati & amici ejus Abbati ſæpius ſupplicarunt ut beneficium ſibi reſtitueret memoratum. Quo nolente ipſorum precibus acquieſcere, irati plurimùm & commoti, nocte quadam in domo Diaconi convenerunt, & cœna facta dixerunt quòd vindictam volebant ſumere de Abbate. Inhibiti autem expreſsè ab eodem Diacono ne Abbatem occiderent, vel aliquid ei facerent unde ordinis ſui diſcrimen incurreret & animæ detrimentum, in eum nihilominus irruerunt, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto. unde poſt dies aliquot * ſpiritum exhalavit. Ab illo autem tempore uſque hodie prædictus Diaconus de eo quod contigerat triſtis effectus, ab adminiſtratione ceſſavit; & nondum expleto bienio, habitum induit monachalẽ. Vnde à nobis ſuppliciter petiit edoceri, utrum poſſet in officio Diaconi miniſtrare; & ſi hoc ei liceret, an poſſet ad majorem ordinem promoveri. Licèt autem (ſi præmiſſis veritas ſuffragatur) præfatus Diaconus ſuper Abbatis interitu non videatur eſſe culpabilis; quia tamen bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere ubi culpa non eſt, quòd ab adminiſtratione officij ſe propria voluntate ſuſpendit, vel habitum induit regularem, ſibi non ad peccatum aſcribimus, ſed ad meritum reputamus. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi præmiſſa noveritis veritate ſubnixa, ſæpedictum Diaconum non ſolùm in diaconatus officio miniſtrare, ſed etiam ad ordinem preſbyteratus aſcendere, ſi aliud canonicum non obſtiterit impedimentum, liberam concedatis auctoritate apoſtolica facultatem, præſertim ſi ſuper hoc non fuerit reſperſus infamia, cùm ei non debeat imputari quod contra prohibitionem ejus expreſſam, eo cauſam vel occaſionem non dante, auſu ſacrilego proponitur à conſanguineis attentatum, divina ſcriptura teſtante quòd anima quæ peccaverit, ipſa morietur. filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filij. quamvis hoc ipſum veriùs ad æternam quàm ad temporalem referatur vindictam. Datum Reat. II. Nonas Auguſti, Pont. noſtri anno primo.

*In Quarta Collect. exſpiravit.

ATREBATEN. EPISCOPO. & Decano Cameracenſi.

Epiſt. 124. Vt Regẽ Francorum cogat Duci Lotharingiæ dotem reddere.

SIcut ex parte dilecti filij nobilis viri Ducis Lotharingiæ noſtris fuit auribus intimatum, quando nobilem mulierem Mattildem, neptem Philippi quondam Comitis Flandriæ, ſibi matrimonio copulavit, idem Comes redditus quinquaginta talentorum percipiendos annuatim in terra Boloniæ præfato Duci aſſignavit in dotem, quæ poſt obitum ipſius Comitis nullatenus potuit obtinere, & inſuper ipſe Comes eandem terram obligavit ei pro trecentis marcis, & ſeptem millibus talentorum. Quia igitur præſcripta terra ad proprietatem eſt cariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi illuſtris Regis Franciæ devoluta, & dos pertinet ad conjugium, quod eſt magnum in Eccleſia ſacramentum, nos, qui ſecundùm Apoſtolum ſapientibus ſumus & inſipientibus debitores, diſcretioni veſtræ per apoſtol. ſcripta mandamus quatenus eundem Regem, ut ſuper præmiſſis memorato Duci ſatisfaciat ut tenetur, moneatis diligenter, & efficaciter inducatis. Alioqui partibus convocatis, audiatis cauſam, & eam fine debitò terminetis. Quòd ſi ambo &c. tu frater Epiſcope. Datum Reat. VIII. Idus Aug.

CORRADO ET PETRO quondam filiis Malabrancæ.

Epist. 325. Puella ante annum septimum sponsalia contrahere non potest. Cap. Ad dissolvendum. De desponsatione impuberum

AD dissolvendum quod factum fuerat inter Iohannem filium nobilis viri Leonis de Monumento & S. filiam quondam Matthæi de Fortebrachio super matrimonio contrahendo, in nostra & fratrum nostrorum præsentia fuit ex parte vestra propositum, quòd cùm dicta puella nondum ad septennium pervenisset, cum ipsa nec matrimonium contrahi nec sponsalia potuere. Defuit etiam consanguineorum assensus, qui præcipuè sunt in talibus requirendi. Quod & si ætas sufficiens extitisset, & consanguineorum intervenisset assensus, personæ tamen non sunt legitimæ ad matrimonium contrahendum, linea consanguinitatis obstante. Accusatione verò super consanguinitate proposita, & tam ex parte juvenis quàm ex parte puellæ consanguinitatis gradibus computatis, cùm eam velletis idoneis testibus comprobare, præfatus Leo multas exceptiones proposuit, per quas nitebatur vos ab accusatione multipliciter removere. Cùmque super exceptionibus ipsis fuisset utrinque diutiùs disceptatum, auditis & intellectis quæcunque fuerunt hinc inde proposita, de consilio fratrum nostrorum interloquendo pronuntiavimus inter dictos juvenem & puellam nec matrimonium nec sponsalia fuisse contracta, cùm constet puellam nondum ad septennium pervenisse. Quocirca nec accusatio locum habebat, cùm non esset quod posset legitimè accusari; denuntiari tamen poterat consanguinitas, ut interdiceretur matrimonium contrahendum. Ad denuntiationem ergo legitimè comprobandam festum omnium sanctorum proximò venturum pro termino assignamus; salvis exceptionibus non solùm propositis, sed etiam proponendis. Ne verò quicquam interim in puellam * carnaliter attentetur, auctoritate apostolica firmiter interdicimus ut in ipso negotio de novo non procedatur ulteriùs, donec vel à denuntiatione cessetur, vel denuntiatione probata, ordine judiciario procedatur. Quòd si contra interdictum nostrum in præjudicium ipsius quicquam fuerit attentatum, illud irritum esse decernimus, & viribus omnino carere.

** Has vox deest in Tertia Collectione. rectè.*

FAVENTIN. EPISCOPO.

Epist. 326. Licentiam indulget trãseundi ad Ecclesiam Papiensem.

SAcra docente scriptura didicimus, ut quod Deus conjunxit, homo non separet. Duplex est autem conjunctio conjugalis. una secundùm carnem, quæ carnalis dicitur. altera secundùm spiritum, quæ spiritualis non incongruè appellatur. Vtramque designat Apostolus: qui verbum illud exponens, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, consequenter adjunxit, *Hoc autem dico magnum sacramentum in Christo & in Ecclesia.* Nam carnalis conjunctio, quæ est inter virum & legitimam feminam, sacramentum est spiritualis conjunctionis quæ consistit inter Christum & sanctam Ecclesiam. Conjunctio carnalis hoc efficit ut sint duo in una carne, secundùm illud quod Veritas ait: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Conjunctio verò spiritualis id efficit ut sint duo in uno spiritu, secundùm illud quod dicit Apostolus: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo.* Vtrique autem, carnali scilicet & spirituali conjunctioni, competit quod superiùs est præmissum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: ut nec liceat homini carnali matrimonio legitimè copulatos dividere, nec spirituali conjugio canonicè vinctos, ut Episcopum & suam Ecclesiam, separare. Licèt autem videri posset ex his quòd Summus Pontifex spirituale matrimonium, Episcopi scilicet & Ecclesiæ, separare non possit, cùm tamen ex consuetudine, quæ est optima legum interpres, & sacris canonibus habeatur quòd per cessionem, depositionem, & translationem, quæ soli sunt sedi apost. reservata, super hoc plenam habeat potestatem, sanè intelligentibus id, nullum dubitationis scrupulum generabit; cùm non humana sed divina fiat auctoritate quod in hac parte per Summum Pontificem adimpletur, qui nõ hominis puri, sed veri Dei verè Vicarius appellatur. Nam quamvis simus Apostolorum principis successores, non tamen ejus aut alicujus Apostoli vel hominis sed ipsius sumus Vicarij Iesu Christi. Vnde quos Deus spirituali conjunctione ligavit, non homo, quia non Vicarius hominis, sed Deus, quia Dei Vicarius, separat, cùm Episcopos à suis sedibus per eorum cessionem, depositionem, & translationem aliquando removemus. Quæ

tria ex hac quam ostendimus ratione meritò fuit Romano tantùm Pontifici reservata: qui licèt alios Episcopos vocaverit in partem solicitudinis, sibi tamen retinuit plenitudinem potestatis. Siquidem ex literis venerabilium fratrum nostrorum Mediolanen. & Ravennat. Archiepiscoporum, & Vercellen. Terdonen. Placentin. Parmen. Lauden. & Mutinen. Episcoporum, & dilectorum filiorum Capituli, Præpositorum, & universi Cleri, Consulum, & populi Papien. accepimus, quòd bonæ memoriæ L. Papiensi Episcopo viam universæ carnis ingresso, ipsi Capitulum & Clerus Papien. in te unanimiter convenerunt, te sibi petentes in Episcopum ab apostolica sede concedi; licèt, quod negligentiæ ipsorum ascribimus, ipsi te elegisse scripserint, quem eis eligere non licuit, sed tantummodo postulare: quia cùm esses spiritualiter alligatus uxori, nisi facta priùs solutione iu te non poterat legitimè consentiri. Quia verò in talibus evidens utilitas, & urgens necessitas, secundùm instituta canonica, solent & debent attendi; utrum hæc postulationem ipsorum favorabilem redderent, & assensu sedis apostolicæ non indignam, cum fratribus tractavimus diligenter. Visum est nobis & fratribus nostris non modicùm utile, ut de minori civitate ad majorem, de minùs populosa diocesi ad populosiorem, de minùs nobili ad nobiliorem Ecclesiam transire debeas: ubi concessum tibi scientiæ & eloquentiæ donum ad profectum plurimorum valeas exercere, & creditum tibi talentum sub usuris fertilioribus valeas erogare. Necessarium etiam subtiliter intuentibus videbatur, cùm si à sede apostolica nuncij, quos dicti Capitulum & Clerus Papien. ad nos destinarunt, vacui redivissent, præter personarum laborem & magnitudinem expensarum, quas frustra fecisse dolerent, dissensionis inconveniens Ecclesiæ Papiensi forsitan proveniret. quod nobis & Ecclesiæ Romanæ posset ab aliquibus imputari. De tua igitur idoneitate securi, utpote cujus scientiam, & eloquentiam, ac morum honestatem, nos & fratres nostri plenè cognovimus, dum apud sedem essles apostolicam constitutus, & familiaria exempla sequentes, ut vetera relinquamus, cùm temporibus nostris, de Episcopo in Episcopum, ut Venefranus in Aversanum, de Episcopo in Archiepiscopum, ut Gratianopolitanus in Viennen. de Episcopo in Archiepiscopum, ut Tarsen. in Nazaren. de Archiepiscopo in Patriarcham, ut Cæsarien. in Hierosolymitan. & quod plus est, de Archiepiscopo in Summum Pontificem, sicut bonæ memoriæ Vrbanus Papa prædecessor noster, qui de Mediolanen. Ecclesia fuit in Pontificem Romanum assumptus, translationes fuerint sæpius celebratæ, supradictorum Capituli & Cleri petitioni clementer annuimus, & ut à Faventin. transeas ad Ecclesiam Papien. de benignitate sedis apostolicæ facultatem tibi liberam auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Reat. VI. Id. Augusti.

ALFONSO EPISCOPO & Capitulo Aurien.

Epist. 117. Confirmatur illorum statutũ de numero Canonicorum.

POstulatum fuit à nobis ex parte vestra quod deliberatione provida unanimiter statuistis ad conservandam indemnitatem Ecclesiæ, & repellendam quorundam potentum improbitatem, qui Ecclesiam vestram sæpius prægravabant, ne plures triginta sex Canonicis liceret in vestra Ecclesia ordinari, auctoritas sedis apostolicæ confirmaret. Nos ergo vestris justis postulationibus annuentes, præmissum Canonicorum numerum, sicut à vobis providè noscitur institutus, ratum habentes, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate, præsenti pagina confirmamus; nisi fortè in tantum excreverint Ecclesiæ facultates, quòd ex eis commodè valeat pluribus Canonicis provideri. Nulli ergo &c. Datum Romæ &c.

R. SANCTORVM MARCELLINI & Petri Presbytero Card. Abbati & Conventui Cassinen.

Epist. 118. Ipsis commendat Episcopum S. Georgij, ut eum liberaliter, donec convalescat, alant.

APud religiosos extrinseca & aliena commendatione non indiget quem propria & innata intus religio & scientiæ prærogativa commendant. Et non minùs his duobus juvat causa, quam genit. Virtus etiam sese diligit, aspernaturque contraria; & similia in similibus delectantur. Quanta enim religione polleat venerabilis frater noster Episcopus sancti Georgij, & locus indicat in quo laudabiliter olim Abbatis implevit officium, utpote in quo vigent regularia instituta, & canonica disciplina servatur, & dignitas ad quam est vocatus, eviden-

tiùs ipsius mores ostendūt. Quantum verò & in quibus peritus existar, eloquentia sapientiæ ac verbum ejus testimonium perhibet veritati. Quod tanto meliùs ex ipsius familiaritate quàm nostra significatione pleniùs cognosceretis, quanto fidelior testis est oculus quàm auditus. Gerens autem causam non propriam, sed communem, non privatæ personæ, sed Ecclesiæ, immo Christi functus legatione orientalium Principum ad Principes occidentis, steterit fideliter, & constanter coram cariss. in Christo filiis nostris Philippo Francorum & R. Anglorum Regibus illustribus verbum legationis & causam exposuit Crucifixi. Et licèt in ore ejus verbum Domini non fuerit alligatum, nec aliquid ex cootiogentibus omiserit; quia tamen uterque Regum io alterum proprias intendebat injurias vindicare, neutrum ad plenum tetigit injuria Iesu Christi. Quamvis autem voluissent eidem Episcopo honores in regnis suis & amplos redditus assignare, maluit tamen excutere pulverem de pedibus suis, terram eorum egressus in testimonium illis, quàm, suæ legationis causa neglecta, exule ac paupere Christo ditari: æstimans quia vocati non fuerunt digni paratis nuptiis & triumpho in quorum manibus tauros pingues, qui eum obsederant, & altilia, quæ in hereditatem Domini flatus tulerat aquilonis, Christus forsitan occidisset: malens per nos in subsidium pauperum terræ orientalis, saltem pauperum & debilium multitudinem congregare; ne fortè consentirent majores, & dicerent: *Manus nostra excelsa, & non Deus, fecit hæc omnia.* Cùm igitur ad verbum ipsius; immo potiùs ad vocem Domini per universam Italiam inter nostræ promotionis initia literas curaverimus destinare, nec ei expediat ut appareat in conspectu Domini vacuus sine fructu recedens, ipsum de voluntate fratrum nostrorum non ad petitionem suam, sed motum nostrum, ad monasterium vestrum duximus destinandum; ut ibi aëris inclementiam temperie fugiat autumnali. Rogamus igitur universitatem vestram, monemus, & exhortamur in Domino, per apost. vobis scripta mandantes, quatenus eum benignè recipientes pariter & devotè, sicut tantum Episcopum decet & populi Christiani Legatum, honorare curetis, & in necessariis omnibus ita liberaliter ei providere, quòd nos id gratum habere possimus, & ipse vobis & Ecclesiæ Cassinen. in posterum obligetur, ac vos religiosos literatos pariter & honestos videamini affectuosiùs in Domino amplexari: scituri quòd sicut gratum nobis erit plurimùm & acceptum si eum officiosè curaveritis honorare, ita pro certo grave nobis & molestum existet, si (quod non credimus) mandatum nostrum neglexeritis exaudire, cùm ejus provisio magis vobis ad præmium æternum proficiat, quàm ei accedat ad commodum temporale. Datum Romæ &c.

CALARITAN. ARCHIEPISC. Episcopo Soran. & Electo Turritan.

Epist. 139. Eis committitur causa Arborensis Archiepiscopi contra Capitulū suum.

CVm pro controversiis quæ inter venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum ex una parte & dilectos filios Canonicos Arboren. vertebentur ex altera, ipse Archiepiscopus & Petrus de Staura Presbyter ex parte Capituli ad nostram præsentiam accessissent, dictus P. Presbyter Archiepiscopum paratum esse se dixit in multis & gravibus accusare: quem super homicidio, perjurio, excommunicatione, incendiis, incantationibus, lardatione hominis cum lardo & cera, & quòd à nepote suo Sarracenis de Sicilia vendi concessit Ecclesiæ suæ mancipium Christianum, & aliis enormitatibus & capitulis volebat impetere adversùs eum tempore congruo proponendis. Verùm ipse Archiepiscopus proposuit ex adverso, quòd cùm bonis Ecclesiæ suæ per nobilem virum Vulliel. Marchionem judicem Calaritan. & complices ejus esset minùs rationabiliter destitutus, non tenebatur æmulis respondere, qui cum prædicto Marchione spoliationem suam fuerant machinati, nisi esset antea restitutus: quos etiam ab accusatione sua dicebat aliis rationibus repellendos. Vnde autem prædictos Marchionem & Canonicos adversùs se commotos diceret extitisse, sequentia vos verba poterūt edocere. Cùm enim idem Marchio auctoritate quondam apo. sedis excommunicationis vinculo inodatus, nobilem virum A. Arboren. judicem & filium ejus parvulum cepisset, & nequiter carcerali fecisset custodiæ mancipari, eorum terra, quam ab Ecclesia Rom. tenebant, per violentiam occupata, ipse Archiepiscopus, qui natione Ianuen. erat, iram ipsius Marchionis & qui

ſecum erant, metnens Piſanorum, ad partes alias declinavit: in cujus abſentia Marchio & fautores ejus Arboren. Eccleſiam ſpoliarunt in parte, & ſuffraganei ſui & Clerici dicto Marchioni, tunc excommunicatione notato, Arboren. terræ ſceptrum ſolenniter conceſſerunt. Verùm cùm tempore procedente idem Archiepiſcopus ad Eccleſiam ſuam reverſus, præfatos Clericos de eo quod (ut ſibi videbatur) in contemptum apoſt. ſedis fecerant, redargueret, nec vellet ſine mandato apo. ſedis præfatum Marchionem habere patronum; timentes (ut credebatur) Clerici ne coram ipſo Archiepiſcopo de ſua poſſent incontinentia conveniri, contra eum cum dicto Marchione ſeditionem fecerunt: quem nihilominus in populo diffamantes, per duos de ſociis ſuis ad ſedem apoſt. appellarunt: ſed duobus menſibus pòſt elapſis, pœnitentia ducti, ab eo veniam poſtulantes, remiſſis utrinque injuriis, in ipſius gratiam redierunt. Cùm autem poſtmodum venerabilis frater noſter Piſan. Archiepiſcopus, Legatus Sardiniæ, illuc veniſſet, præfatus P. de Staura Clericus Arboren. procurator à Capitulo conſtitutus, ſuper * remiſſis conviciis dictum Archiepiſcopum ad ſedem ap. appellavit. Sed in præſentia dicti Archiepiſcopi Piſani partibus ibidem conſtitutis, cùm Canonici Arboren. ibidem vellent ſuum Archiepiſcopum convenire, ne provocationis beneficio reſponderet eis ſe tuentem, renuntiantes appellationi quam fecerant, quòd nolleot habere * Papam niſi Piſanum Archiepiſcopum reſponderunt. Cùm autem coactus ab eodem Archiepiſcopo ut adverſariis reſponderet, & ſecuritatem ſibi à Marchione dari ac ſuis peteret, & etiam advocatum, & id obtinere non poſſet, ad commune appellationis remedium convolavit. Poſtea verò Piſani facientes in eum impetum qnem petierat advocatum, ipſum occidere voluerunt. Compulſus tandem à ſæpedicto Piſano Archiepiſcopo, appellarione ſalva quam fecerant, excludendo P. memoratum, tanquam minùs idoneum, reſpondit quòd eum non poſſet ullatenus accuſare: & hoc incontinenti conſtare poterat, ut dicebat. Et qnoniam jamdicti Marchionis & ſuorum inſtinctu falſos contra ſe teſtes timuit introduci, & memoratus Piſanus Archiepiſcopus laicos teſtes bonæ opinionis & famæ contra P. adverſarium ſuum admittere recuſabat, denuo propter præmiſſa gravamina coram majori parte Prælatorum Sardiniæ ſedem apoſt. appellavit; & cùm apoſtolos ab antefato Archiepiſcopo poſtulaſſet, & ut compelleret Marchionem ne impediret eum quo minùs poſſet de rebus archiepiſcopatus ſibi ſumere neceſſaria, nihil borum potuit obtinere, quin immo poſtea fuit per Marchionem ipſum equis propriis ſpoliatus, qui etiam inbibuiſſe dicitur ut nullus eum in navi ſua reciperet, ad Rom. Eccleſiam accedentem; & hoſpitalarium quendam, qui habebat veſtes ipſius Archiepiſcopi commendatas ad tempus, fecit in cuſtodia detineri; apponens etiam iniquitatem iniquitati, per judicem Turritan. eum capi fecit, & arcto carceri mancipari, longo tempore compedibus ferreis religatum. Teſtes etiam partis adverſæ poſt receſſum ſuum dictus Piſan. Archiepiſcopus adversùs eum proponitur recepiſſe. Poſtea verò (ſicut Domino placuit) liberatus, de rebus archiepiſcopatus, quas occupaverat Marchio ſæpedictus, nihil potuit per Arboren. Archipreſbyterum & per ſuum Canonicum obtinere: quin potiùs duo de Clericis ſuis, poſt appell. ad nos interpoſitam, ſeptem panes cereos, quos ad domum Templi mittebat, ſibi per violentiam abſtulerunt. Quia verò neutra partium fidem nobis facere poterat de præmiſſis, cauſam ipſam de voluntate ipſorum vobis duximùs committendam: per apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandantes quatenus ſi rem ita noveritis ſe habere, cùm laicis ſuper Eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis non ſit attributa poteſtas, quicquid à ſæpedicto Marchione & fautoribus ejus in præjudicium prænominati Arboren. Archiepiſcopi vel Eccleſiæ noveritis attentatum denuntiantes penitùs non tenere, ad faciendam ſibi reſtitutionem plenariam præfatum Marchionem & complices ſuos, omni contradictione & appellatione ceſſantibus, per cenſuram eccleſiaſticam compellatis; & non obſtante quòd ſæpedictus Piſan. Archiepiſcopus, poſt appellationem ad nos interpoſitam & iter arreptum ad ſedem apoſtolicam veniendi, lite non conteſtata, præſertim in criminali, contra eum teſtes recepit, ſicut ex inſinuatione literarum ejus liquidò intelleximus, ſuper omnibus quæ adverſùm

* *f.* præmiſſis.

* *f.* Paſtorem

adversùm se partes duxerint proponenda; & si bona Ecclesiæ ipsius Archiepiscopi tempore diminuta sunt, vel etiam augmentata, vocatis ad vos qui fuerint evocandi, sine personarum acceptione, solum Deum habentes præ oculis, servato juris ordine, inquiratis plenissimè veritatem, & usque ad diffinitivam sententiam remoto appellationis obstaculo procedentes, gesta omnia sub sigillorum vestrorum testimonio nobis transmittatis; certum terminum partibus assignantes, ad quem recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Testes appellatione rem. cogantur. Provisuri ne hujus occasione discordiæ, bona Arboren. Ecclesiæ ab alterutra parte per dilapidationis vitium distrahantur. Nullis literis obstantibus præter assensum partium &c. Datum Reat. III. Idus Augusti.

LEMOVICEN. EPISCOPO.

Epist. 310. Quòd Clericorum vitia liberè & audacter corrigere possit.

AD audientiam nostram te significante pervenit quòd cùm corrigere vis Clericorum excessus exercentium negociationem illicitam & usuras, vacantium ludis illicitis, & habentium concubinas, ipsi, ut tuam correctionem eludant, ad sedem apostolicam vocem appellationis emittunt. Ne igitur excessus delinquentium hac occasione remaneat impuniti, fraternitati tuæ auctoritate præsentium duximus indulgendum, ut prædictos excessus corrigas & emendes; & si qui super hoc duxerint ad sedem apostolicam appellandum, statuas eis terminum competentem: infra quem si appellationem prosequi fortè noluerint, ex tunc in eos correctionem non differas sublato appell. obstaculo canonicam exercere. Datum Reat. III. Idus Augusti.

PETRO ABBATI Præmonstraten. & ceteris Abbatibus & Canonicis Præmonstraten. ordinis, tam præsentibus, quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 311. De illorum approbatione, deque privilegiis & vivendi ratione.

IN eminenti apostolicæ sedis specula, licèt immeriti, disponente Domino constituti, pro singulorum statu soliciti esse compellimur, & ea syncerè tenemur amplecti quæ ad incrementum religionis pertinent, & ad virtutum spectant ornatum: quatenus religiosorum quies ab omni sit perturbatione secura, & à jugo mundanæ oppressionis servetur illæsa, cùm apostolica fuerit tuitione munita. Attendentes itaque quomodo religio & ordo vester multa refulgens gloria meritorum, & gratia redolens sanctitatis, palmites suos à mari usque ad mare extenderit, ipsum ordinem & universas domos ejusdem ordinis apostolicæ protectionis præsidio duximus confovendas, & præsenti privilegio muniendas. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus benigniùs annuentes, ad exemplar felicis recordationis Alexandri, Lucij, Vrbani, & Clementis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, universas regulares institutiones & dispositiones, quas de communi consensu vel majoris & sanioris partis fecistis, sicut inferiùs denotantur, auctoritate apostolica roboramus, & præsentis scripti privilegio communimus. Videlicet ut ordo canonicus, quemadmodum in Præmonstrateo. Ecclesia secundùm beati Augustini regulam & dispositionem recolendæ memoriæ Norberti quondam Præmonstraten. ordinis institutoris & successorum suorum in candido habitu institutus esse dignoscitur, per omnes ejusdem ordinis Ecclesias perpetuis temporibus inviolabiliter observetur, & ejusdem penitùs observantiæ. Iidem quoque libri, qui ad divinum officium pertinent, ab omnibus ejusdem ordinis uniformiter teneantur: nec aliqua Ecclesia vel persona ordinis vestri adversùs communia ipsius ordinis instituta privilegium aliquod postulare, vel obtentum audeat quomodolibet retinere. Nulla etiam Ecclesiarum ei, quam genuit, quamlibet terreni commodi exactionem imponat; sed tantùm pater Abbas illius quàm fratrum domus illius habeat, & potestatem habeat secundùm ordinem corrigendi quæ in ea noverit corrigenda; & illi ei tanquam patri reverentiam filialem humiliter exhibeant. Abbas autem Præmonstraten. Ecclesiæ, quæ mater esse dignoscitur aliarum, non solùm in his Ecclesiis quas instituit, sed etiam in omnibus aliis ejusdem ordinis, & dignitatem & officium patris obtineat, & ei ab omnibus tam Abbatibus quàm fratribus debita patri obedientia impendatur. Præterea omnes Abbates ordinis vestri singulis annis ad generale Capitulum Præmonstraten. postposita omni oc-

casione conveniant; illis solis exceptis quos à labore viæ corporis retardaverit infirmitas: qui tamen idoneum pro se delegare debebunt nuncium, per quem necessitas & causa remorationis suæ Capitulo valeat nuntiari. Hi autem qui in remotioribus partibus habitantes, sine gravi difficultate singulis annis se nequiverint Capitulo præsentare, in eo termino conveniant qui in ipso eis Capitulo fuerit constitutus. Si verò quilibet Abbatum aut Præpositorum per contumaciam vestrum Capitulum frequentare desierint, liceat Abbati Præmonstratensi, consilio sui Capituli, eos usque ad dignam satisfactionem sententia percellere regulari; & sententiam, quam præfatus Præmonstraten. Abbas, sive in generali Capitulo, sive extra Capitulum, consilio coabbatum in Prælatos & subditos totius ordinis vestri canonicè tulerit, nulli Archiepiscoporum seu Episcoporum, nisi forte de mandato Romani Pontificis, liceat relaxare. In generali igitur vestro Capitulo præsidente Abbate Præmonstraten. ceterisque confidentibus, & in spiritu Dei cooperantibus, de his quæ ad ædificationem animarum, ad instructionem morum, & ad informationem virtutum, atque incrementum regularis disciplinę spectabunt, sermo diligens habeatur. Porrò de omnibus quæstionibus & querelis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, quæ in ipso Capitulo propositæ fuerint, illud teneatur irrefragabiliter & servetur quod Abbas Præmonstraten. cum his qui sanioris consilij & magis idonei apparuerint, justè ac providè judicabit. Sanè si Abbas aliquis vestri ordinis infamis, vel inutilis, aut ordinis sui prævaricator inventus fuerit, & priùs per patrem suum Abbatem aut per nuncios ejus admonitus, suum corrigere & emendare delictum neglexerit, aut cedere (si amovendus fuerit) sponte noluerit, auctoritate generalis Capituli deponatur; & depositus, sine dilatione ad domum unde exivit, seu ad aliam ejusdem ordinis, quam elegerit, sine ulla conditione temporalis commodi revertatur, in obedientia Abbatis, sicut ceteri fratres ipsius domus, firmiter permansurus. Idipsum etiam alio tempore, si necesse fuerit, & Capitulum sine scandalo vel periculo expectare nequiverit, per Abbatem Præmonstratensem, & patrem Abbatem, & alios Abbates, quos vocaverit, fieri licebit. Quòd si depositus in se datæ sententiæ contumaciter contraire tentaverit, tam ipse quàm principales ejus qui de ordine vestro fuerint in sua contumacia fautores, ab Abbate Præmonstraten. & ceteris Abbatibus censura ecclesiastica, donec satisfaciant, arceantur. Verùm cùm aliqua Ecclesiarum vestrarum Abbate proprio fuerit destituta, vel cùm ibi Abbatis electio regulariter non fuerit celebrata, sub patris Abbatis potestate ac dispositione consistat, & cum ejusdem consilio, qui eligendus fuerit, à Canonicis eligatur. Electo autem fratres Ecclesię statim obedientiam promittant: qui non quasi absolutus à potestate patris Abbatis, vel ordinis sui, Archiepiscopo vel Episcopo, in cujus diocesi fuerit, præsentetur, plenitudinem ab eo officij percepturus: ita tamen quòd post factam Archiepiscopo vel Episcopo suò professionem, occasione illa non trãsgrediatur constitutiones ordinis sui, nec in aliquo ejus prævaricator existat. Si quis etiã ex vobis canonicè electus in Abbatem, diocesano Episcopo semel & iterum per Abbates vestri ordinis præsentatus, benedictionem ab eo non potuerit obtinere; ne Ecclesia, ad quam vocatus est, destituta consilio periclitetur, officio & loco Abbatis plenariè secundùm ordinem fungatur in ea, tam in exterioribus providendis, quàm in interioribus corrigendis; donec aut interventu generalis Capituli vestri, aut præcepto Romani Pontificis, seu Metropolitani, benedictionem suam obtineat. Porrò nulla persona ecclesiastica pro chrismate, aut consecrationibus, & ordinationibus, aut pro sepultura, pretium, aut pro benedicendo Abbate, & deducendo in sedem suam, palefridum aut aliquod aliud à vobis exigere, nullus vestrum, etiamsi exigatur, dare præsumat: quia & exigentem & dantem nota & periculum simoniacæ pravitatis involvit. Ceterùm si aliqua Ecclesiarum vestrarum pastoris solatio destituta, inter fratres de substituendo Abbate discordia fuerit vel scissura suborta, & ipsi facilè ad concordiam vel unitatem revocari nequiverint, pater Abbas consilio coabbatum suorum eis idoneam provideat personam, & illi eam sine contradictione recipiant in Abbatem: quam si recipere contempserint, sententiæ sub-

jaceant, quam pater Abbas cum consilio coabbatum suorum in eos duxerit auctoritate ordinis promulgandam. Ad hæc, quoniam Præmonstraten. Ecclesia prima mater est omnium Ecclesiarum totius ordinis, & patrem super se alium non habet; sicut ad cautelam & custodiam ordinis statutum est, per tres primos Abbates Laudunen. Floreffien. Cuissiacen. annua ibidem visitatio fiat; & si quid in ipsa domo corrigendum fuerit, absque majori per eos audientia corrigatur. Quòd si Abbas in corrigendo tepidus, & fratres sæpius moniti incorrigibiles permanserint, ad generale Capitulum referatur, & sicut melius visum fuerit, consilio generalis Capituli emendetur; & sententia in hac parte Capituli sine retractatione aliqua observetur. Quoties verò Ecclesia Præmonstraten. sine Abbate fuerit, ad præfatos tres Abbates ejus cura respiciat, & à Canonicis ipsius Ecclesiæ, cum eorum consilio, persona in Abbatem idonea eligatur; ad consilium suum quatuor aliis Abbatibus ad eandem Eccle. pertinentibus pariter advocatis, quos ipsi Canonici providerint advocandos. Liceat quoque unicuique matri Eccle. ordinis vestri cum consilio Abbatis Præmonstraten. de Abbatibus Ecclesiarum, quæ ab ea processisse noscuntur, sive etiam de alia ejusdem ordinis inferiore Ecclesia; sibi quemcunque voluerit (si tamen idoneus extiterit) in Abbatem assumere. Personam autem de alio ordine nulla Ecclesiarum vestrarum sibi eligat in Abbatem; nec vestri ordinis aliqua in Abbatem monasterij alterius ordinis, nisi de auctoritate Rom. Ecclesiæ, ordinetur. Nulli etiam Canonicos vel Conversos vestros sine licentia Abbatum recipere, aut susceptos liceat retinere. Sanè nulli Ecclesiæ vestri ordinis liceat ad aliquam aliam professionem temeritate qualibet se transferre. Si quæ verò Ecclesiæ Canonicorum alterius ordinis ad ordinem vestrum venerint, ad Ecclesiam vestri ordinis habeant sine refragatione respectum in qua vestrum noscuntur ordinem assumpsisse. Præterea, si inter aliquas Ecclesias vestri ordinis de temporalibus quæstio emerserit, non extra ordinem ecclesiastica vel secularis audientia requiratur, sed mediante Præmonstratensi Abbate, & ceteris, quos vocaverit, aut caritativè inter eas componatur, aut auditis utrinque rationibus eadem controversia justo judicio terminetur. Ad majorem quoque ordinis vestri pacem conservandam, districtiùs prohibemus, ne aliquis Prælatorum vel subditorum vestrorum in his quæ ad disciplinam & instituta ordinis spectant, audeat, prout statutum est in Lateranensi Concilio, appellare; sed si quisquam appellare tentaverit, nihilominus illi quorum interest regularem disciplinam exercere debebunt. De cetero, quoniam à strepitu & tumultu secularium remoti, pacem & quietem diligitis, grangias vestras & curtes, sicut & atria Ecclesiarum, à pravorum incursu & violentia libera fore sancimus; prohibentes ut nullus ibi hominem capere, spoliare, verberare, seu interficere, aut furtum vel rapinam committere audeat. Ad evitandas verò secularium virorum frequentias, liberum sit vobis, salvo jure diocesanorum Episcoporum, oratoria in grangiis & curtibus vestris construere, & in ipsis vobis & familię vestræ divina officia, cùm necesse fuerit, celebrare, & ipsam familiam, nisi aliqui sint qui in vicinia habeant propria domicilia, ad confessionem, communionem, & sepulturam cum vestri ordinis honestate suscipere. Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas è seculo fugientes ad conversionem recipere, & eas cum rebus suis sine contradictione aliqua retinere. Infirmos quoque absolutos, qui in extrema voluntate ad vos se transferri aut apud vos sepeliri deliberaverint, nullus impedire seu res eorum legitimas detinere præsumat: salva tamen heredum legitima portione, & canonica justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Ad majorem etiam ordinis vestri reverentiam & regularis disciplinæ observantiam, vobis, filij Abbates, subjectos vestros ligandi & solvendi plenam concedimus facultatem. Quia verò singula quæ ad religionis profectum & animarum salutem ordinastis, præsenti abbreviationi nequivere annecti, nos cum his quæ præscripta sunt, consuetudines vestras, quas inter vos religionis intuitu regulariter statuistis, & deinceps auctore Domino statuetis, auctoritate apostolica roboramus, & vobis vestrisque successoribus, & omnibus qui ordinem vestrum professi fuerint, perpetuis temporibus inviolabiliter observandas decernimus; nec aliquæ li-

teræ habeant firmitatem, quæ tacitò nomine Præmonstraten. ordinis, contra libertates vobis ab apostolica sede indultas fuerint impetratæ. Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat, licèt fundorum dominis pro rei proprietate aliquem censum vel quotamlibet partem frugum reddatis. Interdicimus verò Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis, nisi servato evectionis numero in Lateranen. Concilio constituto, in vestris monasteriis hospitari. Ad grangias autem vestras & ad curtes hospitandi gratia, nō nisi in magna necessitate, divertant; & tunc contenti sint ipsarum mansionum cibariis consuetis cum honestate atque caritate exhibitis. Nulli autem secolari personæ vel ecclesiasticæ in aliqua domorum vestrarum liceat carnibus vesci, nisi manifestæ ægritudinis causa, & hoc in solis monasteriis conventualibus vestris. Prohibemus insuper ne aliqua persona fratres ordinis vestri audeat ad secularia judicia provocare. Sed si quis adversùs eos aliquid sibi crediderit de jure competere, sub ecclesiastici examine judicij experiendi habeat facultatem. Licitum præterea vobis sit in causis vestris fratres vestros idoneos ad testificandum adducere, & eorum testimonio, sicut rectum fuerit, & propulsare violentiam & justitiam vendicare. Prohibemus quoque ne cuilibet ecclesiasticæ vel seculari personæ fas sit in Ecclesiis vestris contra statuta Lateranen. Concilij tallias exercere, vel quaslibet alias vobis * ineptas & iniquas exactiones imponere. Interdicimus etiam vobis, ne feras, aves, canes, sues, & cetera hujusmodi curiositatis animalia à quolibet ad nutriendum sive custodiendum in detractionem vestri ordinis suscipere præsumatis. Porrò ut quietiùs Deo servire possitis, & discurrendi à vobis necessitas auferatur, præsenti scripto duximus indulgendum, ut si Episcopis vestris aut malitiosè differentibus vel pro justo impedimento non valentibus ordinationes & cetera ecclesiastica ministeria vobis conferre, aliquem Episcopum, de cujus ordinatione & officio plena sit vobis notitia, hospitem vos habere contigerit, liberum sit vobis ab eo & ordinationes & cetera sacramenta suscipere; dum tamen præjudicium dioecesano Episcopo non debeat generari. Præterea postulationi vestræ clementiùs inclinati, præsenti pagina duximus inhibendum, ne quis Archiepiscopus, vel Episcopus, aut eorum officiales, Ecclesias vestras, seu regulares personas earum, absque manifesta & rationabili causa interdicere seu suspendere præsumat. Sed si quid in eis fuerit corrigendum, ad audientiam generalis Capituli Præmonstraten. referatur; & ibi, prout justitiæ & honestati congruerit, emendetur. Porrò si qui Episcopi aut eorum officiales in personas vestras aut Ecclesias sententiam aliquam contra libertatem eisdem à prædecessoribus nostris vel à nobis indultam promulgaverint, eandem sententiam, tanquam contra apostolicæ sedis indulta prolatam, statuimus irritandam. Decernimus ergo &c. salva sedis apostolicæ auctor. Si qua igitur &c. Datum Reat. per manum Raynaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, VI. Kal. Aug. Indictione prima, anno Dominicæ Incarnationis M C XCVIII. Pont. verò Domini Innocentij Papæ III. anno primo.

* f. indebitas

DECAN. ULIXBONENSI, de Alcobatia & sanctæ Mariæ de Carcadi Prioribus.

EX insinuatione venerabilis fratris nostri Colimbrien. Episcopi nostris est auribus intimatum, quod cùm indulgentia, quæ concessa dicitur Canonicis sanctæ Crucis à bonæ memoriæ Mich. prædecessore suo, Colimbrien. Canonicorum subscriptiones contineat, nunquam tamen in ea dicti Canonici subscripserunt; cujus tenor talis esse proponitur. IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. Amen. Ego M. Dei gratia Colimbrien. Episcopus sciens, ut ait B. Gregorius, valde necessarium & honestum esse Deo servientium quieti prospicere, atque de eorum perpetua securitate tractare, & attendens nihilominus Colimbrien. monasterium S. Crucis à sacrosancta Rom. Ecclesia, quæ caput & mater est omnium Ecclesiarum, per Dei gratiam integram libertatem habere, laudo & confirmo & cum assensu Canonicorum meorū spontanea voluntate confirmamus libertatem, vobis scilicet & Domino I. ejusdem monasterij Priori, & ceteris fratribus tam præsentibus quàm futuris in eodem

Epist. 112. Committitur eis causa Epis. Colimbriensis & monasterij sanctæ Crucis.

monasterio regularem vitam professis in perpetuum; quatenus & conservantes in Dei servitio gratia ipsius suffragante mente libera perseverent, & ordo canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam ibidem cooperante Domino noscitur institutus, perpetuis temporibus inviolabiliter conservetur. Confirmamus igitur & firmiter statuimus ut idem monasterium, cum suis parochiis, & parochianis, & confratribus, ab omni episcopali jure & exactione omnino sit liberum. Quascunque etiam possessiones & quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum possidet, & possidebit, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, præstante Domino poterit adipisci, vobis vestrísque successoribus & per vos prædictæ Ecclesiæ sanctæ Crucis præsenti pagina confirmamus: in quibus hæc duximus propriis exprimenda vocabulis. Omnes videlicet Ecclesias in Castro Leirenė, & in terminis ejus; sicut continetur in testamento Regis. Ecclesias sancti Romani, & sanctæ Mariæ de Sena. Ecclesiam sancti Iohannis de Alcoba. Eccl. de Mira, & Eccl. de Talaverio. Eccl. de Laurizal. Omnes illas Eccl. quas in vestris populationibus noviter ædificaveritis. Quicquid etiam aliud Illustris Rex Portugalen. vobis dedit. Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de redditibus hereditatum vestrarum, seu villarum, nec ego nec aliquis Episcoporum qui in hac sede post me sessuri sunt, à vobis decimas exigere præsumat. Si quis ad Eccl. vestram converti voluerit & ibidem habitum religionis assumere, nullus audeat prohibere. Sepulturam quoque ejusdem loci liberam esse concedimus; ut videlicet quicunque clericus, sive laicus, se illic sepeliri deliberaverit, ejus devotioni & extremæ voluntati nullus obsistat, nisi fortè antea pro aliqua rationabili causa fuerit excommunicatus, ita tamen ut de suis bonis Ecclesiæ suæ partem faciat. Chrisma quoque, oleū sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes Clericorum, gratis & absque ulla pravitate nos vobis semper exhibeamus; nec habeat ibi Episcopus quamlibet potestatem imperandi vel prohibendi, vel aliquam ordinationem, quamvis levissimam, faciendi, nisi fuerit rogatus; quatenus Canonici semper maneant in majorum suorum perfecta libertate. Et si qua fortè causa inter hoc monasterium & nostram sedem evenerit, & pacificè inter se non potuerit terminari, apud religiosos viros Deū timentes sine voluntaria dilatione finiatur. Hanc ergo scripturæ hujus paginam omni in futurum tempore ab omnibus successoribus nostris firmam statuimus illibarámque servari; ut remotis cunctis vexationibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiant, & in orationibus & beneficiis ejusdem monasterij partem semper habeamus. Et ut Episcopi & Priores hujus sedis specialiter in Martyrologio vestro conscribantur, & pro omnibus Canonicis in unoquoque anno communis commemoratio fiat. Si qua amodo ecclesiastica secularísve persona, sciens hujus decreti paginam, contra eam temerè venire seu in aliquo disturbare vel minuere tentaverit, secundò tertiòve commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, ream se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat &c. *usque ad verbum* Amen. Facta carta libertatis hujus mense Martio, Era M. CC. regnante & confirmante Ildefonso Portugalen. Rege. Ego M. Colimbrien. Episcopus confirmo. Ego P. Salva sedis sanctæ Mariæ Prior confirmo. Ego Dominicus Presbyter & Archidiaconus confirmo. Ego M. Presbyter & Cantor confirmo. Ego Petrus Iohannis Presbyter confirmo. Ego M. Presbyter & Sacrista confirmo. Ego Cyprianus Presbyter confirmo. Ego Telus Presbyter confirmo. Ego Cyprianus Presbyter confirmo. Ego Go. Presbyter confirmo. Ego Christophorus Presbyter confirmo. Ego Petrus Presbyter & Archidiaconus confirmo. Ego Telo Pelagij Presbyter confirmo. Ego Iohannes Presbyter & Capellanus confirmo. Ego Gu. Presbyter confirmo. Ego Magister Laurentius Presbyter confirmo. Ego Suarius Presbyter confirmo. Ego P. Salvatoris Presbyter confirmo. Ego P. Iohannis Diaconus confirmo. Ego M. Presbyter confirmo. Ego Sua Petri Presbyter confirmo. Ego Dominicus Presbyter confirmo.] Quia verò nobis non constitit de præmissis, causam ipsam vobis duximus committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus vocatis ad præsentiam vestram quos propter hoc videritis evocandos, super

præmiſſis inquiratis pleniùs veritatem, & uſque ad diffinitivam ſententiam remoto appellationis obſtaculo procedentes, geſta omnia nobis ſigillorum veſtrorum munimine roborata mittatis, certum terminum partibus aſſignantes ad quem recepturæ ſententiam noſtro ſe conſpectui repræſentent. Teſtes cogantur. Quòd ſi omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Reat. II. Idus Auguſti.

ARELATEN. ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 333. Quòd mutus & ſurdus poſſint matrimonium contrahere. *Cap.* Cùm apud ſedem. *De ſponſal. & matrimoniis.*

CVm apud ſedem apoſtolicam, cui, licèt immeriti, præſidemus, totius eccleſiaſticæ diſciplinæ reſideat magiſtratus, dignum eſt & conſonum rationi, vt quotiens circa negocia varia & diverſa quicquam dubitationis emerſerit, ad ipſius judicium recurratur, quæ diſponente Domino inter omnes Eccleſias obtinere meruit principatum. Sanè conſuluiſti nos per nuncios & literas tuas, utrum mutus & ſurdus alicui poſſit matrimonialiter copulari. Ad quod fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quòd cùm probibitorium ſit edictum de matrimonio contrahendo, ut quicunque non probibetur, per conſequentiam admittatur, & ſufficiat ad matrimonium ſolus conſenſus eorum de quorum quarúmque conjunctionibus agitur, videtur quòd ſi talis velit contrahere, ſibi non poſſit vel debeat denegari; cùm quod verbis non poteſt, ſignis valeat declarare. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Idibus Iulij.

TARENTASIEN. ARCHIEPISC. & Epiſcopo Auguſtenſi, & Abbati Bonimontis.

Epiſt. 334.

LIcèt injunctæ &c. *ut ſuprà in epiſtola CLXX. uſque ad verbum illud* quia Canonici priùs arbitrium violaverant, & arbitrij paginam arbitri non curaverant emendare: quanquam (ſicut in præſentia noſtra confeſſus eſt) arbitrium ipſum poſt triennium approbaverit, cùm eidem arbitrio ſigillum appoſuit, & ex tunc illud inviolabiliter obſervavit. E contra verò Canonici reſpondebant, quòd nec ipſi ab arbitrio reſilierant, &c. *uſque ad verbum illud* amplexamur. Cùm autem ipſum negotium ſub certa forma de conſilio fratrum vobis diſpoſuerimus committendum, ſæpedictus Epiſcopus ſupervenit, cui contra dilectos filios Canonicos Lauſanen. & eiſdem contra ipſum Epiſcopum in præſentia noſtra fratrum noſtrorum plenam conceſſimus audientiam. Ipſis ergo Canonicis eadem quæ præmiſſa ſunt contra Epiſcopum proponentibus, ipſe circa juramentum & arbitrium quæ præmiſſa ſunt replicavit; adjiciens, quòd non alio modo juravit, niſi quia in verbo veritatis promiſit, quanquam in inſtrumento ſui ſigilli munimine roborato, quòd juramentum fuerit, exponere videatur. Et utraque pars aſſerebat quòd talis promiſſio vicem obtinet juramẽti. Adjiciebat etiam, quòd cùm arbitri firmiter promiſiſſent quòd ad arbitrium præſtito priùs juramento procederent, & id poſtmodum non ſervaſſet, eorum non tenebatur arbitrium obſervare, quanquam exceptiones hujuſmodi non probaverit requiſitus, ſed earum tandem probationibus libera renũtiaverint voluntate. Quia verò idem Epiſcopus dictum arbitrium captioſum fuiſſe, illicitum, & damnoſum firmiter aſſerebat, nec ſuper hoc fides nobis poterat ſufficiens exhiberi, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus inquiratis ſuper hoc diligentiùs veritatem, & ſi illud conſtiterit fuiſſe illicitum vel iniquum, & in præjudicium ipſius Epiſcopi vel Lauſanen. Eccleſiæ redundare, ipſum auctoritate apoſtolica corrigatis, & correctum faciatis monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari. Quòd ſi tale non fuerit, ad obſervationem ejus utramque partium compellentes, id nobis veſtris literis intimetis; ut qualiter ſit ſuper juramento quod idem Epiſcopus præſtitit procedendum, per hoc pleniùs cognoſcamus: ſcituri quòd quia idem Epiſcopus nobis fuit ſuper dilapidatione delatus, & ideo in hoc magis ſuſpectus habetur quòd plures viri religioſi ſuas nobis literas direxerunt, nec ſe ſuper ea ſufficienter viſus eſt excuſare, ei diſtrictè præcipimus ut ante præſentis deciſionem negocij bona ſui epiſcopatus ſine conſilio & aſſenſu perſonæ illius quam vos ei ad hoc duxeritis deputandum, nec infeudet, nec impignoret, nec diſtrabat, aut permutet, nec aliquo titulo alienet. Quia verò quæ ſuper aliis de præmiſſo Epiſcopo referuntur, quia gravia ſunt, ſub diſſimulatione tranſire non poſſumus, nec debemus, eorum etiam inquiſitionem de fratrum noſtrorum conſilio veſtræ duximus ex-

perientiæ committendam, per apostolica &c. *ut supra usque ad verbum illud* repræsentent. Si verò præfati Canonici duxerint desistendum, & probare &c. *usque ad verbum* commendare. Volumus autem nihilominus & mandamus ut personam curetis idoneam providere, quæ indemnitati consulat Ecclesiæ Lausanen. ita videlicet quòd dictus Episcopus sine ipsius consilio bona ejusdem Ecclesiæ nullo titulo alienet; ei tamen expensæ competentes ac necessariæ non negentur ad causam; ne pro expensarum defectu, causæ suæ detrimentum incurrat. Si qua verò partium legitimè citata vestram præsentiam adire contempserit, vos nihilominus in causa ipsa appellatione postposita ordine judiciario procedaris, cùm in præsentia nostra litem fuerint contestati. Ad hæc, quia præfati Canonici proponebant se ab ipso Episcopo irrationabiliter spoliatos; vos, si eorum assertioni veritas suffragatur, ipsos restitui faciatis. Nullis literis obstantibus præter assensum partium &c. Quòd si omnes, tu frater Archiepiscope cum eorum altero &c. Datum Reat. XIV. Kalen. Augusti.

BAMBERGEN. EPISCOPO, & Petro Scholastico Maguntin.

Epist. 335. Suspenditur Hildesemensis Episcopus, quòd sine auctoritate Pontificis ad Ecclesiam Herbipolensem transierat. Cap. Quanto. *De translatione Episcop. Vide infrà epist. 574. & lib. 2. epist. 50. 204. 275. 285.*

QVanto personam venerab. fratris nostri Hildesemen. quondam Episcopi synceriori diligebamus affectu, tanto securiùs sperabamus quòd nihil adversùs matrem suam Romanam Ecclesiam in præjudicium sui ordinis & ecclesiasticæ disciplinæ dispendium attentaret. Sanè (sicut certa multorum assertione comperimus, & suarum didicimus nihilominus testimonio literarum, quibus ad nos directis Herbipolensem se Pontificem nominabat) ipse relicta Hildesemen. Ecclesia, cui fuerat spirituali conjugio copulatus, ad Herbipolen. sine auctoritate Romani Pontificis propria temeritate trãsivit, non attendens quòd Veritas in evangelio protestatur: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Potestatem enim transferendi Pontifices ita sibi retinuit Dominus & magister, quòd soli beato Petro Vicario suo, & per ipsum successoribus suis, & nobis ipsis, qui locum ejus, licèt indigni, tenemus in terris, speciali privilegio præbuit & concessit, sicut testatur antiquitas, cui decreta patrum sanxerunt reverentiam exhibendam, & evidenter asserunt sacrorum canonum sanctiones. Non enim homo sed Deus separat quod Rom. Pontifex, qui non puri hominis sed veri Dei vicem gerit in terris, Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata, non humana sed divina potiùs auctoritate dissolvit. Nolentes autem tantæ præsumptionis audaciam relinquere impunitam, cùm secundùm Apostolum omnem inobedientiam prompti simus ulcisci, ne facti perversitas transeat præsumptoribus in exemplum, (quod quidem, si verum est, non potest non esse notorium) auctoritate omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum & nostra de communi fratrum nostrorum consilio in virtute Spiritus sancti districtè * tibi præcipimus, ut visis literis nostris; omni contradictione & appellatione cessantibus, administrationem ipsius Herbipolen. Ecclesiæ tam in spiritualibus quàm temporalibus penitùs derelinquat. Si verò (quod non credimus) hanc suspensionem nostram non curaverit humiliter observare, & inhibita sibi usurpare præsumpserit, excommunicationis vinculo ipsum decernimus innodatum. Omnibus etiam tam Clericis quàm laicis Herbipolen. diocesis sub anathematis interminatione præcipimus, ut non obstante juramento fidelitatis, omnem ipsi obedientiam subtrahant, quam ipse sibi contra sacros canones usurpavit, non attendens quod dicit Apostolus: *Nemo sibi assumat honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Ceterum, quoniam Herbipolen. Canonici vota sua in ipsum prorsùs illicitè contulerunt, volentes, sicut dignum est, ut in eo puniantur in quo peccarunt, eligendi eos hac vice potestate suspendimus. Et si contra sedis apostolicæ interdictum ad cujusquam nominationem processerint, quod ab eis factum fuerit irritum decernimus & inane. Quia verò jamdictam Hildesemen. Ecclesiã, cui fuerat alligatus, unde secundùm Apostolum solutionem quærere non debebat, nimis improbè dereliquit, ne ad ipsam ulteriùs redeat, in virtute Spiritus sancti ei districtiùs inhibemus; cùm secundùm traditiones canonicas, qui ad majorem se plebem transtulerit, à cathedra pelli debeat aliena, & carere propria; ut nec illis præsideat quos per superbiam sprevit, nec illis quos per avaritiam concupivit. Nos quoque Hilde-

* *Apud Gregor.* sibi

Concil. Sardic. c. 2.

semen. Capitulo dedimus in mandatis ut ipsum redire volentem nulla ratione recipiant; ut sic saltem, quem timor Dei, & bonum obedientiæ, (de cujus laude quid sentiendum sit, ex diverso meliùs demonstratur, cùm secundùm Prophetam peccatum ariolandi sit repugnare, & scelus idolatriæ nolle acquiescere) à malo non revocat, ecclesiasticæ saltem coërceat severitas disciplinæ. Quocirca discr. vestræ per apost. scripta mãdamus, & sub pœna officij & beneficij quanta possumus districtione præcipimus, quatenus, nisi dictus Episcopus & alij quæ statuimus & mandavimus infra viginti dies post receptionem literarum nostrarum curaverint adimplere, vos ea sublato cujuslibet con. & ap. ob. exequi non tardetis, & præfatum Episcopum excommunicatum per regnum Alamanniæ nunciantes, excommunicationem ipsam faciatis dominicis & festivis diebus pulsatis campanis & accensis candelis publicè innovari. Quòd si ambo &c. alter vestrum &c. Datum Spolet. XII. Kal. Septemb.

Scriptum est Hildesemen. quondam Episcopo juxta tenorem literarum istarum. Scriptum est Hildesemen. Capitulo. Scriptum est Clericis & laicis Herbipolen. Scriptum est Colonien. Archiepiscopo & suffraganeis ejus ut ipsum excommunicatum denuncient, & excommunicationem ipsam faciant dominicis & festivis diebus pulsatis campanis & candelis accensis publicè innovari. In eundem modum Magdeburgen. Archiepiscopo & suffraganeis ejus. In eundem modum Salsburgen. Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

*NARBONEN. ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus, Abbatibus quoque, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, Comitibus etiam, & Baronibus, * & universo populo in Narbonen. provincia constitutis.*

* In vet. cod MS. Biblioth. Colbertianæ legitur, *& personis per Narbon. provinciam*

Epist. 336. Hortatur ad sacrum bellum contra Sarracenos, pro recuperatione terræ sanctæ.

POst miserabile Hierosolymitanæ regionis excidium, post lachrymabilem stragem populi Christiani, post deplorandam invasionem illius terræ in qua pedes Christi steterunt, & ubi Deus Rex noster ante secula salutem in medio terræ dignatus est operari, post ignominiosam nobis vivificæ crucis translationem, in qua salus mundi pependit, & delevit chirographum mortis antiquæ, apostolica sedes super tantæ calamitatis infortunio conturbata laboravit clamans, & plorans, ita quòd præ incessanti clamore raucæ factæ sunt fauces ejus, & ex vehementi ploratu penè ipsius oculi defecerunt. Verùm ne si secundùm Prophetam Hierusalem obliti fuerimus, oblivìscatur nos dextera nostra, adhæreat lingua nostra faucibus nostris, si non meminerimus ejus, clamat adhuc apostolica sedes, & quasi tuba vocem exaltat, excitare cupiens populos Christianos ad prælium Christi bellandum, & vindicandam injuriam crucifixi, usa ipsius verbo dicentis: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus.* Ecce enim hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos devenerunt; viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui veniant ad solennitatem, facti sunt inimici ejus in capite, sepulchrum Domini, quod Propheta gloriosum fore prædixit, prophanatum ab impiis, inglorium est effectum. Gloria nostra (de qua dicit Apostolus, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*) sub manu tenetur hostili, & ipse Dominus noster Iesus Christus, qui captivitatem nostram pro nobis moriens captivavit, quasi captivatus ab impiis, ab hereditate sua cogitur exulare. Existente quondam in castris arca Domini Sabaoth, Vrias domum suam ingredi recusavit, à licito etiam uxoris se compescens amplexu. Nunc verò Principes nostri, gloria Israël de loco suo in injuriam nostri trãslata, vacant adulterinis amplexibus, deliriis & divitiis abutentes; & dum se invicem inexorabili odio persequuntur, dum unus in alium suas nititur injurias vindicare, non est quem moveat injuria Crucifixi; non attendentibus ipsis quòd jam insultant nobis inimici nostri, dicentes: Vbi est Deus vester, qui nec se potest nec vos de nostris manibus liberare? Ecce jam prophanavimus sancta vestra. Ecce jam ad desiderabilia vestra manum extendimus, & ea loca impetu primo violenter invasimus, & ea vobis tenemus invitis, in quibus superstitionem vestram principium fingitis suscepisse. Iam infirmavimus & confregimus hastas Gallorum, Anglorum conatus elisimus, Theutonicorum vires compressimus. Nunc secundò Hispanos domuimus animosos; & cùm omnes virtutes vestras

vestras in oos duxeritis coocitaodas, vix adhuc in aliquo profecistis. Vbi ergo est Deus vester? Exurgat ouoc, & adjuvet vos, & fiat vobis & sibi protector. Tbeutonici siquidem, qui se præsumebant inauditum de nobis reportare triumpbum, ad oos vehementi spiritu transfretarunt; & cùm solum castrum Baruth nullo defendente cepissent, nisi eos sicut & alios Principes vestros fugæ beneficium liberasset, io se poteotiam nostram graviter fuissent experti, & eorum stragem ipsorum soboles perpetuò deploraret. Reges eoim & Principes vestri, quos dudum de terra fugavimus Orientis, nt timorem suum audeodo dissimulent, ad suas latebras (ne dicamus regna) reversi, malunt se invicem expugnare, quàm denuo vires nostras & potentiam experiri. Quid igitur superest, nisi ut his, quos fugientes in excusationem vestram ad terræ custodiam dimisistis, gladio ulrore peremptis, in terram vestram imperum faciamus, nomen vestrum & memoriam perdituri? Qualiter ergo, fratres & filij, opprobria exprobrantium repellemus? Qualiter eis poterimus respondere, cùm eos pro parte verum prosequi videamus, sicut ouper ad audientiam nostram certa significatione pervenit? Recepimus enim literas de partibus transmariois, quòd cùm Tbeutonici Accon navigio pervenissent, Castrum Barutb obtinuerunt nemioe defendente. Sarraceni verò in Ioppen facientes impetum ex adverso, eam per violentiam occuparunt, & cæsis multis Christianorum millibus, eam funditus destruxerunt. Verùm Tbeutonici rumoribus de morte Imperatoris acceptis, non expectato passagij tempore, naves reduces ascenderunt. Vnde Sarraceni, qui ad resistendum eis exercitum paraverant copiosum, in terram Christianorum adeo debaccbantur, ut Cbristianis nec sine periculo civitates egredi liceat, nec in ipsis sine formidine remanere, immo eis gladius foris imminet, metus intus. Assumite igitur, filij, spiritum fortitudinis, scutum fidei, & galeam salutis accipite, non in oumero, aut viribus, sed Dei potiùs, cui non est difficile io multis vel in paucis salvare, potentia coofidentes, & ei per quem estis, vivitis, & habetis, secundùm facultates proprias subvenite. Ipse quidem pro vobis semetipsum exinanivit, formam servi accipieos, in similitudinem homioum factus, & habitu ioventus ut bomo, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; & vos eo paupere abundatis, ipso fugato quiescitis, & nec inopi oec exuli subvenitis. Quisquis igitur io tantæ necessitatis articulo suum negaverit obsequiū Iesu Christo, cùm ante tribunal ejus astiterit judicandus, quid ad soam excusationem ei poterit respoodere? Si Deus subiit mortem pro bomine, dubitabit homo mortem subire pro Deo, cùm non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis? Negabit etiam servus domino divitias temporales, cùm dominus servo divitias largiatur æternas, quas nec oculus vidit, nec auris andivit, nec in cor hominis ascenderunt? Thesaurizet igitur homo tbesauros in cœlis, ubi fures non effodiunt, nec furantur, ubi nec ærugo nec tinea demolitur. Omnes & singuli accingantur ita quòd in proximè sequenti Martio quælibet urbes per se, similiter & Comites & Barones juxta facultates proprias, ad defensionem terræ nativitatis dominicæ certum io expensis suis dirigant nnmerum bellatorum, illic saltem per biennium moraturum. Licèt autem instantia nostra cotidiaoa sit omnium Ecclesiarum solicitudo cootinua, modo tamen hanc quasi præcipuam inter alias solicitudioes reputamus, per quam terræ orientali totis desideramus affectibus subvenire; ne si fortè fuerit dilata subventio, residuum locustæ comedat brucus, & fiant novissima deteriora prioribus. Verùm ne oos aliis onera gravia & importabilia imponere videamur, digito autem oostro ea movere oolimus, dicentes tantùm, & aut nibil aut minimum facientes, cùm qui fecerit & docuerit, magnus vocetur io regno cœlorum, ejus exemplo qui cœpit facere & docere, ut & nos, qui, licèt immeriti, vicem ejus exercemus io terris, bonnm aliis præbeamus exemplum, in personis pariter & in rebus terræ sanctæ decrevimus subvenire; dilectis filiis oostris Stephano tit. S. Praxedis Presbytero & Petro tit. S. Mariæ in via lata Diacooo Cardinalibus, apostolicæ sedis Legatis, viris utique timoratis, scieotia & honestare præclaris, potentibus io opere & sermone, quos inter alios fratres nostros speciali caritate diligimus, manu propria crucis signaculum impooentes, qui

exercitum Domini humiliter & devotè præcedant, & non mendicatis suffragiis, sed nostris & fratrum nostrorum sumptibus sustententur: per quos etiam aliud competens subsidium eidem terræ disponimus destinare. Interim autem dictum Petrum sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardin. ad carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi Francorum & Richardi Anglorum Regum Illustrissi præsentiam destinamus ad reformandam pacem vel treugas saltem usque ad quinquennium ordinandas, & exhortandos populos ad obsequium crucifixi: [* quem sicut apostolicæ sedis Legatum volumus & mandamus ab omnibus honorari, & mandatis & statutis ipsius humiliter obediri.] Dictum autem Stephanum sanctæ Praxedis Presbyt. Card. Venetias pro terræ sanctæ subsidio destinamus. De communi præterea fratrum nostrorum deliberatione statuimus, & vobis, fratres Archiepiscopi & Episcopi, & dil. filij Abbates, Priores, & alij Ecclesiarum Prælati, districtè præcipiendo mandamus, quatenus certum numerum bellatorum, vel pro certo numero certam pecuniæ quantitatem, in proximè sequenti Martio, pensata facultate cujuslibet, ad expugnandam paganorum barbariem & servandam hereditatem Domini destinetis, quam ipse proprio sanguine comparavit. Si quis autem (quod non credimus) constitutioni tam piæ ac necessariæ præsumpserit obviare, sicut sacrorum caoonum transgressorem decrevimus puniendum, & usque ad satisfactionem condignam ab officio censemus manere suspensum. De Dei ergo misericordia & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis Deus, licèt indignis, ligandi & solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem hujus itineris in personis propriis subierint & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus oris & cordis egerint pœnitentiam, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantùm expensis juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinaverint illic saltem per biennium moraturos, & illis similiter qui licèt in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impleverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus esse participes, juxta quantitatem subsidij, ac præcipuè secundùm devotionis affectum, qui ad subventionem illius terræ de bonis suis congruè ministrabunt. [* Vt autem expeditiùs & securiùs ad subventionem terræ nativitatis Dominicæ quilibet accingatur,] Bona insuper ipsorum, ex quo crucem susceperint, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, nec non & sub Archiepiscoporum & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant; statuentes ut donec de ipsorum obitu vel reditu certissimè cognoscatur, integra maneant, & quieta consistant. Quòd si quisquam contra præsumpserit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatur. Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur astricti, vos, fratres Archiepiscopi & Episcopi, per vestras dioceses creditores eorum sublato appellationis obstaculo, eadem districtione cogatis, ut eos à sacramento penitùs absolventes, ab usurarum ulteriùs exactione desistant. Quòd si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit usurarum, eum ad restitutionem earum sublato appellationis obstac. districtione simili compellatis. Iudæos verò ad remittendas ipsis usuras per vos, filij Principes, & secularem compelli præcipimus potestatem; & donec eas remiserint, ab universis Christi fidelibus, tam in mercimoniis, quàm aliis, per excommunicationis sententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari. Ab hoc igitur opere nullus omnino se subtrahat, cùm id non à nobis sed ab ipsis fuerit Apostolis institutum, qui collectas faciebant in gentibus, ut fratribus in Hierusalem laborantibus subvenirent. Nolumus autem vos de divina misericordia desperare, quantumcunque sit Dominus peccatis nostris iratus, quin in manu vestra perficiat, si, prout debetis, in humilitate cordis & corporis iter fueritis peregrinationis aggressi, qnod majoribus non concessit. Consensissent enim majores forsitan, & dixissent: *Manus nostra excelsa, & non Deus, fecit hæc omnia*; & sibi, non Deo, victoriæ gloriam ascripsissent. Speramus enim quòd non in ira misericordias continebit, qui cùm iratus est, non obliviscitur misereri, nos admonens & exhortans: *Convertimini ad me*,

* *Hæc addita sunt ex Rogero de Hoveden.*

* *Et hæc quoque addita sunt ex Rogerio.*

& ego convertar ad vos. Credimus etiam quòd si ambulaveritis in lege Domini, non eorum sequenter vestigia qui vani facti sunt post vanitatem euntes, qui comessationibus & ebrietatibus voluptuosè vacabant, & ea exercebant in partibus transmarinis quæ in terra nativitatis propriæ sine multa infamia & detractione plurima non auderent, sed spem vestram in eo solummodo posueritis qui non deserit sperantes in se, non tantùm ab illicitis sed quibusdam etiam licitis abstinentes, is qui currum & exercitum Pharaonis projecit in mare, arcus fortium infirmabit, & inimicos crucis Christi à facie vestra delebit ut lutum platearum, non nobis aut vobis sed nomini suo dans gloriam, qui est gloriosus in sanctis, mirabilis in majestate, faciens prodigia, & post lacrymationem & fletum, gaudium & exultationem inducens. Ad hæc autem expeditiùs & meliùs exequēda vos, fratres Archiepiscope, Nemausen. & Auraficen. Episcopi, duximus deputandos, qui verbum Domini ceteris proponatis, & ad implendum mandatum apostolicum coëpiscopos vestros & alios invitantes, taliter exequamini causam Domini, quòd & vos hujus sitis remissionis participes, & in hoc devotio vestra pleniùs elucescat, ad quod etiam laudabiliùs exequendum vobis unum de fratribus militiæ Templi, alterum verò de fratribus Hierosolymitani Hospitalis, viros honestos & providos, assumatis. Datum Reat. XVIII. Kal. Septembris.

In eundem modum scriptum est Lugdunen. & Viennen. Archiepiscopis, Abbatibus quoque, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis, Comitibus, & Baronibus, & universo populo in utraque provincia constitutis. In eundem modum universis de regno Franciæ, Angliæ, Vngariæ, & Siciliæ.

EPISCOPO ET CAPITVLO *Tarvisin.*

Epist. 337. De collatione Præpositur æ Tarvisinæ, quæ jam erat ad Sedem devoluta.

LIcèt ex collata nobis à Domino plenitudine potestatis, & auctoritate Lateranen. Concilij, Præpositnram Ecclesiæ vestræ, quæ jam ultra duodecim annos (sicut accepimus certa relatione) vacavit, liberè conferre possemus, utpote cujus donatio ad nos jam est juxta idem Concilium devoluta; volumus tamen honori vestro deferre, ac vobis ex nostro merito comparare. Ideóque discretionem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus dilectum filium B. Subdiaconum nostrum, quem suæ nobilitatis, literaturæ, ac honestatis intuitu nos & fratres nostri sinceræ caritatis brachiis amplexamur, in Præpositum Ecclesiæ vestræ ob reverentiam sedis apost. recipere non tardetis, cum integritate omnimoda in qua Præpositus aliquis eam unquam noscitur habuisse; in choro etiam stallum Præpositi ac locum in Capitulo ei sine difficultate qualibet assignetis, facientes de necessitate virtutem, & mandatis nostris humiliter & devotè parentes; scituri quia quod de ipso incepimus, relinquemus nullatenus imperfectum. Ad hæc, auctoritate vobis præsentium districtiùs inhibemus, ne post literarum nostrarum susceptionem alij cuiquam Præposituram ipsam præsumatis conferre, vel circa eam aliquid innovare. Quòd si (quod non credimus) secùs fuerit præsumptum à vobis, nos factum vestrum nullum esse decernimus, & carere prorsùs robore firmitatis. Venerabili etiam fratri nostro Mantuan. Episcopo per apostolica scripta præcipiendo mandamus ut vobis in executione mandati nostri cessantibus, non obstante sacramento quod de non eligendo Præposito præstitisse dicimini, cùm eum id exequi vestro non sit juramento contrarium, & juramentum vestrum minùs videatur fuisse discretum, ipse subl. appellationis obstaculo de prædicta eum Præpositura auctoritate nostra investiat, & in corporalem possessionem inducat, stallum in choro & locum in Capitulo assignando, & quod fecerit, per censuram eccle. faciat inviolabiliter observari, contradictores eadem districtione compescenr. Nullis literis obst. &c. Datum Reat. Non. Augusti.

Illi scriptum est ut hoc faciat.

ARCHIEPISCOPO SENONEN. *& P. S. Mariæ in via lata Diacono Card. apostolicæ sedis Legato.*

Epist. 338. Vt certus Canonicorum numerus juramento firmatus, non augeatur. Cap. Cōllitutus. De rescriptis.

COnstitutus in præsentia dilecti filij nostri G. sancti Angeli Diaconi Cardinalis Petrus Clericus, quem ei concesseramus & parti alteri auditorem, proposuit coram ipso, quòd cùm olim

bonæ memoriæ C. Papa prædecessor noster dilectis filiis Dec. & Capitulo Bituricen. dederit in mandatis ut ipsum in Canonicum reciperent & in fratrem, & præbendam ei conferrent, si qua tunc in eorum vacaret Ecclesia, vel proximò vacaturam, venerabile fratre nostro Bituricen. Archiepiscopo ei monitore concesso, & si ipsi mandatum ejus admittere non curassent, eis præcipiendo mandavit ut quod eis mandaverat adimplerent; dicto Archiepiscopo & venerabile fratre nostro Claromonten. Episcopo super hoc executoribus deputatis. Interim autem Capituli nuncius ad apostolicam sedem accedens, cùm suggessisset ipsum P. in pluribus Ecclesiis habere præbendas, Bituricen. Ecclesiam ab ejus obtinuit impetitione absolvi; indulgentia etiam impetrata, ne infra triennium aliquem recipere in fratrem cogerentur. Cùmque postmodum idem P. ad Ecclesiam Romanam reversus, eidem prædecessori nostro exponere curavisset quòd licèt in Claromonten. Ecclesia quoddam beneficium, quod concedi etiam laicis consuevit, & familiaritas appellatur, fuisset adeptus, & ex ipso tamen, vel alio, quod haberet, non posset commodè sustentari, idem prædecessor noster dictis Decano & Capitulo per suas literas injunxit ut prædicta indulgentia in suo robore permanente, præbendam, quæ post triennium primò vacaret, ipsi conferrent, interim autem ei stallum in choro & locum in Capitulo assignarent, executione hujus mandati dilecto filio Claromonten. Præposito delegata: qui, sicut ex ejus literis manifestè liquebat, cùm dictos Decanum & Capitulum ad implendum mandatum apostolicum diligentiùs monuisset, nec profecisset in aliquo, dictum P. de præbenda primò post triennium vacatura auctoritate curavit apostolica investire, ei stallum in choro & locum in Capitulo concedendo. Verùm dilectus filius P. Rossignos ex adverso respondit quòd cùm in Bituricen. Ecclesia certus esset Canonicorum numerus institutus, firmatus jurejurando, & per multos Romanos Pontifices confirmatus, & de hoc memoratus P. non fecisset in suis literis mentionem, intelligendus erat circumvenisse prædecessorem nostrum, & dictas literas veritate tacita impetrasse. Licèt enim cùm in aliqua Ecclesia certus statuitur numerus, hæc apponatur conditio, vel intelligatur apponi, *Salva sedis apostolicæ auctoritate*; non tamen erat credendum quòd eum certa scientia contra juramentum eorum recipi mandavisset, cùm de hoc in ejus literis nihil fuisset expressum. Nos igitur de prædictis per memoratum Cardinalem instructi, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si legitimè vobis constiterit numerum Canonicorum, qui nunc est in Ecclesia, esse per Decanum & Capitulum ejusdem Ecclesiæ juramento firmatum antequam prædictus Clericus à prædecessore nostro literas executorias impetrasset, quicquid factum est occasione literarum quas idem Clericus à sede apostolica impetrasse dignoscitur, cassum & irritum decernatis haberi: alioquin ei faciatis in eadem Ecclesia præbendam (si qua vacat) sublato cujuslibet appellationis obstaculo assignari; contradictores, si qui fuerint, per districtionem eccl. appellatione postposita compescentes: provisuri attentiùs quòd ita super hoc mandatum nostrum adimplere curetis, quòd eundem Clericum non oporteat deinceps ad nos iterare laborem. Quia sicut nolumus injusta præcipere, sic cùm justa præcipimus, volumus efficaciter exaudiri. Nullis literis ob. harum tenore tacito &c. Quòd si ambo &c. alter vestrum &c. Datum Spolet. XI. Kal. Septembris.

EPISCOPO ET CANONICIS Hyporien.

Epist. 139. De receptione Iohannis Papæ Subdiaconi ad archidiaconatum.

PRo his & nos fiducialiùs deprecamur, & ab aliis preces nostras faciliùs credimus exaudiri, quibus ad obtinendum quod petimus, nobis etiam non rogantibus, sufficienter eorum merita suffragantur. Sanè nobilitatem generis, honestatem morum, consilij maturitatem, & munus scientiæ dilecti filij Boni Iohannis Subdiaconi nostri, nobis & fratribus nostris propter hoc ac propter obsequium Ecclesiæ in multis impensum accepti, vos ignorare non credimus; & iccirco à vobis pro ipso nos credimus tanto libentiùs audiendos, quanto vobis sunt ejus merita notiora, & quòd Ecclesia vestra per eum apud nos gratiùs debeat in suis necessitatibus exaudiri, pleniùs agnovistis. Inde est quòd cùm in Ecclesia vestra vacet archidiaconatus officium, de quo tu, frater Episcope, di-

ceris fuisse assumptus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eum dicto Subdiacono nostro sine dilatione ac difficultate qualibet ob apostolicæ sedis reverentiam cum omni jure suo liberaliter conferatis, stallum in choro & locum in Capitulo Archidiacono debitum eidem pariter assignantes, ut vos ad receptionem proborum virorum faciles & ad implenda mandata sedis apostolicæ inveniamus benevolos & devotos. Ad hæc, auctoritate vobis præsentium inhibemus, ne archidiaconatum ipsum post receptionem præsentium alij cuiquam conferatis. Quòd si contrarium, quod non credimus, faceretis, nos factum vestrum irritum esse decernimus & inane. Noveritis etiam nos dilectis filiis Præposito sancti Gaudentij Novarien. & magistro V. Balbo Canonico Mediolanen. Subdiaconis nostris præcipiendo mandasse ut si vus, quod scribimus, nolueritis vel distuleritis adimplere, ipsi id auctoritate apostolica exequantur, ipsum de archidiaconatu investientes eodem, & ejus possessionem assignantes eidem, vos quoque ad receptionem ipsius, auctoritate nostra suffulti, ecclesiastica districtione, sublato appellationis obstaculo, compellentes. Datum Spoleti VII. Kal. Septembris.

CANONICIS BURGI sancti Domnini.

Epist. 140. De privilegio & exemptione illorum, ne ab Episcopo Parmensi vexetur. *Vide suprà epist. 122. 393.*

EX literis & conquestione vestra nobis innotuit quòd cùm propter præsumptionem, quam cives Parmen. in invasione dilecti filij nostri P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis & ablatione suarum rerum non sunt veriti attentare, Ecclesia vestra sit per venerabiles fratres nostros Archiepiscopum Mediolanen. & Cuman. Episcopum secundùm apost. mandati tenorem à potestate & jurisdictione Episcopi Parmen. exempta, postquam idem Episcopus comminationis recepit literas, occasione cujusdam procurationis quam à vobis indebitè requirebat, cùm procuratio, quam ei debebatis, paucis diebus elapsis ei plenariè fuisset à vobis exhibita, Episcopus ipse, dilecto filio Præposito vestro nullatenus requisito, vos ab officio & beneficio suspendere minimè dubitavit. Nos igitur quod in pœnam contra cives Parmen. à nobis est provida deliberatione statutum, temeritate cujuspiam infringi nolentes, eidem Episcopo districtè præcipimus ut in Ecclesiam vestram vel vos nullam jurisdictionem exercere vel vobis aliquod gravamen inferre præsumat. Alioquin nos dilecto filio Præposito Regin. dedimus in mandatis ut eundem Episcopum ab hujusmodi per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, nostra fretus auctoritate compescat; eum nihilominus ad exhibendam vobis justitiam super Ecclesia sanctæ Mariæ & alijs Ecclesiis de Sorana, & super Ecclesiis de Curticel. scilicet sancti Victoris, & sancti Ingulfi, appellatione remota ecclesiastica districtione compellens. Unde discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus supradictam suspensionis sententiam in vos ab Episcopo jamdicto prolatam nullatenus observetis. Datum Spoleti VII. Kal. Septembris.

Scriptum est Parmen. Episcopo, districtè præcipiendo juxta tenorem literarum istarum. Scriptum est G. Regin. Præposito, ut ipsum Episcopum à prædictis censura ecclesiastica compescat, & ad exhibendam justitiam de prædictis Ecclesiis eadem districtione compellat.

ACHERUNTINO ARCHIEPISC.

Epist. 141. Ut à laicis res ecclesiasticæ non administrentur, sed extructa monasteria ab Episcopis consecrentur.

SIgnificante nobili viro R. Comite Licij, nostro est apostolatui referatum, quòd capellã sanctæ Mariæ de Lanian. à se reparatã pariter & dotatam Cistercien. fratrum regulis informare disposuit pro salute sua pariter & parentum; monasterium quoque quod est in castro Genusij, in quo jus obtinet patronatus, propter nigrorum monachornm incuriam in spiritualibus & temporalibus usque adeo jam consumptum quòd in eo vix possunt quatuor sustentari, ut in utriusque respirare valeat, adjunctum ipsi capellæ, Abbatiæ Casæmarij disponere suit supponendum. Verùm quia laicis, etiam religiosis, disponendi de rebus Ecclesiæ nulla est attributa facultas, fraternitatem tuam rogamus pariter & hortamur quatenus quod per eum legitimè fieri non potest, per tuam fortiatur auctoritatem effectum, si utilitati ecclesiasticæ videris expedire. Datum Spoleti VI. Kal. Septembris.



PRIORI ECCLESIÆ S. Nicolai de Monte ſecus Narniam conſtitutæ.

Epiſt. 142. De privilegiis & immunitate illorum.

EA quæ ſont juris beati Petri, & ad Romanam Eccleſiam nullo pertinent mediante, ſic teneri volumus & ſervari ab his qui ad eorum ſunt cuſtodiam deputati, ne occaſione qualibet debeat in poſterum ipſi Rom. Eccleſiæ aliquod præjudicium generari. Cùm igitur prælibata Eccleſia beati Petri juris exiſtat, & in ejus ſis regimine conſtitutus, ad exemplar felicis recordationis Alexandri, Clementis, & Celeſtini prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum præſentibus tibi literis inhibemus, ne de ipſa Eccleſia niſi nobis & noſtris ſucceſſoribus reſpondere, aut eam recognoſcere ab aliquo, niſi de mandato noſtro vel catholici ſucceſſoris noſtri, præſumas. Prohibemus etiam, ne quiſquam eandem Eccleſiam violenter intrare, aut ejus poſſeſſiones & bona diripere, ſeu temerè audeat perturbare. Præterea tibi concedimus, ut bona ipſius Eccleſiæ, quæ ab aliquibus detinentur injuſtè, licitum tibi ſit legitimè revocare. Ad indicium autem hujus perceptæ libertatis Eccleſia ipſa Romanæ Eccleſiæ libram ceræ quolibet anno perſolvet. Nulli ergo &c. Dat. Spoleti VI. Kal. Septembris.

EPISCOPO LIDDEN.

Epiſt. 143. Vt Siculum armet ad bellum ſacrum pro recuperanda terra ſancta.

CVm te credamus immo teneamus pro certo pro ſubjectione terræ nativitatis dominicæ fideliter hactenus laboraſſe, ac certum nobis exiſtat quòd adhuc ſuper eodem laborare diligenter intendas, ſolicitudinem tuam venerabilibus fratribus noſtris Tranen. Archiepiſcopo, Epiſcopo Cuperſanenſi, & dilectis filiis Abbati de Floribus, Priori ſancti Andreæ de Benevento citra Farum, venerabili verò fratri noſtro Syracuſanenſi Epiſcopo, & dilecto filio Abbati de Sanbucin. per Siciliam, ad proponendum verbum Domini, pro liberatione illius terræ in qua ſteterunt pedes ejus, & ubi Deus Rex noſter ante ſecula noſtram dignatus eſt operari ſalutem, venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis & dilectis filiis Comitibus & Baronibus, Conſulibus civitatum, & populis per totum regnum Siciliæ conſtitutis, immo ipſi & cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ illuſtri Imperatrici duximus adjungendam; ut tanto libentiùs veſtrum verbum recipiatur ab omnibus, quanto propoſitum fuerit cum majoris devotionis affectu, & exilium tuum terræ ſanctæ detentionem & paganorum barbariem, qui nec ætati nec ordini detulerunt, mentibus omnium repræſentando impreſſus ſigillabit. Qualiter autem terræ ſanctæ per fratres noſtros & noſtra diſpoſuerimus ſobvenire, qualiter & quem ad reformandum inter cariſſimos in Chriſto filios noſtros Ph. Francorum & R. Anglorum Reges illuſtres veræ pacis concordiam, vel treugas ſaltem uſque ad quinquennium ſtatuendas, & exhortandos fidelium populos ad obſequium crucifixi, quem de fratribus noſtris Piſas, quem Ianuam, quem & Venetias propter hoc duxerimus deſtinandos, quam remiſſionem his qui Chriſto exuli & exterminio Hieroſolymitanæ regionis in perſonis & rebus, & vel in perſonis vel rebus ſubvenerint, concedamus, & quòd eorum bona ſub noſtra protectione ſuſcipiamus, eos à fœneratorum inſtantia relevantes, tibi & prædictis ſociis tuis ex forma literarum communium poterit manifeſtè liquere. Accingere igitur, & aſſume non noſtram ſed Domini cauſam. Sonet vox tua in auribus omnium, neceſſitatem terræ orientalis, exilium Ieſu Chriſti, cauſam ſcilicet tuæ legationis, exponens; & cum prædictis vel eorum aliquo, aut etiam ſolus, ſi ipſi vel noluerint vel non poterint intereſſe, taliter quod tibi & ipſis iniungitur exequaris, ne appareas in conſpectu Domini vacuus, ſed ad Hieroſolymitanam provinciam multa ſtipatus militia cum Legatis noſtris & ad aream Domini cum exultatione cumulatus manipulis reverraris. Datum Spoleti III. Kalend. Septembris.

EIDEM.

Epiſt. 144. Ejuſdem planè argumenti.

AD ſolicitandos fidelium populos ad obſequium crucifixi, ne videamur liberalis Domini diſpenſatores avari, præter remiſſionis gratiam & apoſtolicæ protectionis præſidium, quæ ad terram nativitatis dominicæ proficiſceotibus vel ei ſubvenientibus indulgemus, gratiam oportet nos facere in aliis etiam ſpecialem; ut tanto libentiùs itineris Hieroſolymitani onus aſſumant, quanto ſe ampliùs viderint ab aliis oneribus relevari. Eapropter, ven. in Chriſto frater,

auctoritate tibi præsentium indulgemus ut eos qui terram sanctam in hujus necessitatis articulo personaliter visitabunt, si ob manus injectas in Clericum vinculo sint excommunicationis astricti, nostra fretus auctoritate absolvas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis &c. Datum Spoleti Kal. Septembris.

In eundem modum Tranen. Archiepiscopo, Cupersanen. Episcopo, Priori sancti Andreæ de Benevento, Syracusan. Episcopo, Abbati de Floribus, unicuique seorsim.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, Abbatibus, Prioribus, & universis Ecclesiarum Prælatis per totum regnum Franciæ constitutis.

Epist. 145. Vt Legatū apostolicū, qui pacem inter Galliæ & Angliæ Regem facere & contra Sarracenos armare debet, humaniter accipiant.

Licèt commissa nobis à Domino potestatis ecclesiasticæ plenitudo universis Christi fidelibus nos constituerit debitores, statum tamen & ordinem conditionis humanæ non possumus ampliare, quia juxta verbum Domini cùm ad staturam nostram nec cubitum unum valemus adjicere, vel simul in diversis locis existere, in unius tamen corporis unitate vel ad remota quælibet in ictu oculi transvolare possumus, & cùm Habacuc exuli, Danieli deposito in lacu leonum, per nos ipsos cibi consolationem afferre, ac messoribus nihilominus ministrare. Quia verò lex id humanæ conditionis non patitur, nec possumus in persona propria gerere solicitudines universas, interdum per fratres nostros, qui sunt membra corporis nostri, ea cogimur exercere quæ, si commoditas Ecclesiæ sustineret, personaliter libentiùs impleremus. Cùm autem omnes unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra; sic per singulos, cùm oportet, injunctæ nobis solicitudinis onera dispensamus, ut cùm alter alterius onera supportarit, à singulis lex Christi laudabiliter impleatur. Non enim in uniformitate corporis Christi, quod est Ecclesia, sicut in humani corporis constitutione segregatio partium generat sectionem, sectio verò mortem vel deformitatem inducit; immo segregatio in obedientiæ virtute consistens, unitatis est signum: unitas verò verum est indicium caritatis, per quam multitudinis credentium erat (sicut legitur) cor unum & anima una. Sanè licet instantia nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum solicitudo continua, nuper tamen nobis solicitudo potior supervenit: quæ, si reliquæ cederent, sola tamen sibi nos totos interiùs & exteriùs vendicaret, nec sic etiam infirmitas nostra tantæ sufficeret gravitati. Recepimus enim literas de partibus transmarinis, quòd cùm Theutonici, capto Castro Baruth, & Ioppen ab impiis occupata, naves reduces ascendissent, Sarraceni, qui ad resistendum eis exercitum paraverant copiosum, sicut locustæ, terræ superficiem repleverunt: ita quòd Christianis gladius foris immineat, metus intus, ut tutum eis non sit in civitatibus & in locis munitissimis remanere. Cùm igitur nos ad subveniendum Hierosolymitan. provinciæ dilectis filiis nostris S. tt. sanctæ Praxedis Presbytero & P. sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinalibus imposuerimus signum crucis, cùm nec Ecclesiæ necessitas pateretur nec prædecessorum nostrorum monerent exempla ut itineris Hierosolymitani laborem personaliter subiremus, dictum P. sanctæ Mariæ in via lata Diac. Cardinalem, virum scientia, honestate morum, & consilij maturitate præclarum, præcipuè ad reformandam inter cariss. in Christo filios nostros Ph. Francorum & R. Anglorum Reges illustres plenæ pacis concordiam vel treugas saltem usque ad quinquennium statuendas, & excitandos populos ad obsequium Iesu Christi, duximus destinandum: cui etiam commisimus plenæ legationis officium, concessa sibi libera facultate ut evellat & dissipet, ædificet & plantet, sicut viderit expedire. Quia verò ipsum inter ceteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, universitati vestræ per apo. scripta mandamus atque præcipimus quatenus eum sicut Legatum sedis apost. immo Christi, cujus subventionis causa dirigitur, benignè recipientes, & honorificè pertractantes, ea quæ super prædictis vel aliis deliberatione provida duxerit statuenda recipiatis humiliter, & inviolabiliter observetis. alioquin sententiam quam in contumaces duxerit proferendam, ratam habebimus & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. scituri quòd nos in eo, si à vobis honoratus fuerit, credimus honorari, & contemptum ejus proprium putaremus. Datum Reat.

PETRO SANCTÆ MARIÆ in via lata Diacono Card. apostolicæ Sedis Legato.

Epist. 346. Datur illi potestas cogendi Episcopos Angliæ ut ipsi consilio & auxilio sint.

QVanto amplius de honestate tua, discretione pariter & literatura confidimus, tanto fiducialiùs ea tibi committimus exequenda quæ apostolicæ sedis honorem respiciunt & communem utilitatem populi Christiani. Cùm itaque te de fratrum nostrorum consilio ad reformandam inter carissimos in Christo f. n. Ph. Francorum & R. Anglorum Reges illustres plenæ pacis concordiam, vel treugas saltem usque ad quinquennium statuendas, duxerimus inter cetera destinandum, discretioni tuæ auctoritate præsentium indulgemus ut si quos viros ecclesiasticos, Archiepiscopos, vel Episcopos, vel minoris ordinis viros in regno Anglorum esse cognoveris, quorum tractatui pacis sit consilium opportunum, eos ad te convoces, & per districtionem ecclesiasticam, si necesse fuerit, nostra fretus auctoritate venire compellas. Nulli ergo &c.

EIDEM.

Epist. 347. Vt Regem Gallorum per censuras ecclesiasticas cogat suã uxorẽ recipere.

SCripsimus carissimo in Christo filio nostro Philippo illustri Regi Francorum ut ea quam superduxit contra Ecclesiæ interdictum à suo separata consortio, carissimam in Christo filiam nostram Francorum Reginam illustrem, uxorem suam, in gratiam recipiat conjugalem, & debito pertractet affectu. Vt autem mandatum nostrum super hoc meliùs & expeditiùs compleatur, discretioni tuæ auctoritate præsentium indulgemus, per apostolica scripta mandantes, & districtè præcipientes, ut nisi dictus Rex infra mensem post commonitionem tuam prædictam Reginam in gratiam receperit conjugalem, & honore debito pertractarit, ex tunc totam terram ejus appellatione postposita subjicias interdicto; ita quòd, præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, nullum in ea divinum officium celebretur. Venerabilibus etiam fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis nostris Abbatibus, Prioribus, & universis Ecclesiarum Prælatis constitutis in terra ejus in virtute Spiritus sancti districtè præcipimus ut cùm in terram Regis ejusdem interdicti sententiam promulgaris, eam ap. re. secundùm prædictam formam observent, & per suas faciant provincias, dioceses, & Ecclesias observari. Nulli ergo, &c.

Scriptum est super hoc Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & universis Eccle. Prælatis in terra Regis Franciæ constitutis.

PH. ILLVSTRI REGI Francorum.

Epist. 348. Vt Reginam uxorẽ recipiat, & cum Rege Anglorum pacem servet.

CVm inter Principes Christianos personam tuam singulari quadam benevolentia diligamus, super his infra nos ipsos vehementer ingemiscimus & dolemus quæ de serenitate tua sæpius ad nostram audientiam referuntur; cùm, quod dolentes referimus, tam super facto car. in Christo f. n. Reginæ Francorum illustris uxoris tuæ, quàm etiam super discordia quam cum carissimo in Christo f. n. illustri Rege Anglorum exerces, taliter te habere dicaris, ut æmulis tuis non solùm repugnandi tibi materiem præbeas, sed etiam audaciam expugnandi. quod serenitati tuæ manifestum tribuit argumentum, quòd Dominus Deus noster tuis sit peccatis iratus. Et licèt olim super receptione prædictæ Reginæ per venerabilem fratrem nostrum Parisien. Episcopum diligenter celsitudinem tuam commoneri fecerimus, ac postmodum propter id nostras tibi curaverimus literas destinare, volentes non minùs saluti tuæ pariter & honori consulere quàm ejusdem Reginæ justitiæ providere, nondum tamen nescimus quorum usus consilio, quod causa nobis non modici stuporis existit & doloris, monita & mandata sedis apostolicæ, quæ Deo teste processerunt ex fomite caritatis & synceræ, quam circa te gerimus, dilectionis affectu, non curasti (sicut debueras) humiliter exaudire. Verùm ne quid desit exhortationibus nostris, serenitatem tuam tertiò duximus commonendam, rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, & in remissionem tibi peccatorum injungentes, quatenus mutato consilio dictam Reginam uxorem tuam recipias in gratiam conjugalem, & debito pertractes honore; ut & Deum tibi reddas propitium, & tam te quàm nos à lingua liberes detractrice. Mittimus autem propter hoc ad præsentiam tuam dilectum f. n. P. sanctæ Mariæ in via lata Diac. Cardin. ap. se. Legatum,

Vide suprà epist. 4. 171.

gatum, quem inter fratres nostros speciali amplectimur dilectionis affectu, & quem personam tuam & regnum diligere syncerè cognoscimus, utpote in eo nutritum pariter & instructum, qui te ad hæc diligenter commoneat, & nostram tibi exponat pleniùs voluntatem; cui, tanquam nobis ipsis, fidem adhibeas super his quæ tibi duxerit proponenda.

ARCHIDIACONO, Archipresbytero, & Canonicis Mediolanen.

Epist. 149. Quot modis crimen falsi circa bullas apostolicas committatur. Cap. Licèt. De falsariis. Vide lib. 2. epist. 29.

Licèt ad regimen ap. sedis, quæ dante Domino universarum Ecclesiarum mater est & magistra, insufficientes nos vita & scientia reputemus, quantum tamen Dominus nobis sua miseratione concesserit, ab his proposuimus abstinere per quæ nobis possit meritò derogari: quanquam ex infirmitatis humanæ defectu non sic formam perfectionis semper & in omnibus imitari possimus, quin aliquid aliquando in nostris surrepat operibus quod minùs circumspectæ providentiæ valeat imputari. quod tamen non ex industria vel scientia certa, sed interdum ex ignorantia vel nimia occupatione contingit. Significastis siquidem nobis per litteras vestras quòd cùm quædam vobis fuissent literæ præsentatæ, per quas vobis districtè præcipere videbamur ut I. de Cimilian. Clericum Ecclesiæ vestræ in Canonicum reciperetis & fratrem, nec aliquem alium in Canonicum vocaretis, donec ipse præbendæ beneficium plenariè fuisset adeptus, earum tenore diligenter inspecto vix eas credidistis de nostra conscientia processisse, vel si etiam processerunt, per nimiam fuisse importunitatem obtentas. Ceterùm cùm easdem literas, sicut viri providi & discreti, ad nostram remisissetis præsentiam, ut ex earum inspectione pleniùs nosceremus utrum ex nostra conscientia processissent, plus in eis invenimus quàm vestra fuisset discretio suspicata. Nam licèt in stilo dictaminis & forma scripturæ aliquantulum cœperimus dubitare, bullam tamen veram invenimus. quod primùm nos in vehementem admirationem induxit, cùm literas ipsas sciremus de nostra conscientia nullatenus emanasse. Bullam igitur hinc inde diligentiùs intuentes, in superiori parte, qua filo adhæret, eam aliquantulùm tumentem invenimus; & cùm filum ex parte tumenti sine violentia qualibet aliquantulùm attrahi fecissemus, bulla in filo altero remanente, filum ex parte illa fuit ab ipsa sine qualibet difficultate avulsum, in cujus summitate adhuc etiam incisionis indicium apparebat. per quod liquidò deprehendimus bullam ipsam ex aliis literis extractam fuisse, ac illis per vitium falsitatis insertam, sicut ex literis ipsis pleniùs agnoscetis, quas ad majorem certitudinem vobis duximus remittendas. Cùm igitur tantus excessus relinqui non debeat aliquatenus impunitus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus dictum I. nisi infra viginti dies post harum susceptionem à vobis commonitus ad præsentiam nostram cum testimonio literarum vestrarum satisfacturus accesserit, ex tunc ab omni ecclesiastico beneficio & clericali officio, sublato cujuslibet con. & ap. obstaculo, suspendatis, vel, si beneficio caret, anathematis eum sententia innodetis; cùm ab hac culpa non de facili sit credendus immunis, cùm nec per fratres nec consanguineos nostros nos, licèt sæpius rogatos, potuisset inducere ut super hoc nostras vobis literas mitteremus. ex quo fraudem auctoris, etsi principalis falsarius ipse non fuerit, sufficienter agnoscere potuisset; præsertim cùm eo tempore præsens fuisse dicatur quo contra falsarios de communi fratrum consilio publicè constituimus inter cetera, sub pœnâ excommunicationis firmiter inhibentes, ne quis literas apostolicas nisi de manu nostra vel bullatoris nostri reciperet, illis duntaxat exceptis quibus propter dignitatis excellentiam indulsimus ut per nuncios fideles & notos id ipsum possent efficere. (Vide suprà epist. 235.) Vt autem varietates hujusmodi falsitatis, quas hactenus deprehendimus, vos ipsi de cetero deprehendere valeatis, eas vobis præsentibus literis duximus exprimendas. Prima species falsitatis hæc est, ut falsa bulla literis apponatur. Secunda, ut filum de vera bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immissum falsis literis inseratur. Tertia, ut filum ab ea parte, in qua charta plicatur, incisum, cum vera bulla falsis literis immittatur sub eadem plicatura cum filo similis canapis restauratum. Quarta, quòd à superiori parte bullæ altera pars fili sub plumbo rescinditur, & per id filum lite-

ris falſis inſerta reducitur infra plumbum. Quinta, cùm literis bullatis & redditis aliquid in eis per raſuram tenuem immutatur. Eos etiam à crimine falſitatis non reputamus immunes qui contra conſtitutionem præmiſſam ſcienter literas noſtras niſi de noſtra vel bullatoris noſtri manu recipiunt. Eos quoque qui accedentes ad bullas, falſas literas cautè projiciunt, ut de vera bulla cum aliis ſigillentur. Sed hæ duæ ſpecies falſitatis non poſſunt facilè deprehendi, niſi vel in modo dictaminis, vel in forma ſcripturæ, vel qualitate chartæ falſitas cognoſcatur. In ceteris autem diligens indagator falſitatem poterit diligentiùs intueri, vel in adjunctione filorum, vel in collatione bullæ, vel motione, vel obtuſione; præſertim ſi bulla non ſit æqualis, ſed alicubi magis ſit tumida, alibi magis depreſſa. Si verò quod contra ipſum I. vobis præcipimus neglexeritis adimplere, noveritis nos venerabili fratri noſtro Vercellen. Epiſcopo præcipiendo mandaſſe ut ipſe id auctoritate apoſtolica ſublato appellationis obſtaculo exequatur. Datum Spolet. II. Non. Septembris.

DE FAVRESHAM, S. Auguſtini, & S. Georgij Prioribus, in Cantuarien. diœceſi conſtitutis.

Epiſt. 350. Ne in ſedem apoſtolicam tite appellantes impediantur.

SIc apoſtolica ſedes inter fratres & coëpiſcopos noſtros paſtoralis diſpenſavit oneris gravitatem, ſic eos in creditæ ſibi ſolicitudinis partem aſſumpſit, ut nihil ſibi ſubtraheret de plenitudine poteſtatis, quò minùs de ſingulis cauſis eccleſiaſticis inquirere poſſit, & cùm voluerit judicare, ad communem omnium utilitatem conſtituens, ut ad eam tanquam generalem omnium matrem & ſingulare fidelium Chriſti refugium appelletur, per quod & minorum tollatur oppreſſio, & ſuperiorum præſumptio refrænetur. Cùm itaque appellationibus, quæ ad ſedem apo. interponuntur ſæpius, velimus ab omnibus humiliter & devotè deferri, diſc. veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtrictè præcipimus quatenus ex parte noſtra curetis fortiùs inhibere ne quis in Cantuarien. Eccleſiam & dilectos filios Priorem & monachos Cantuarien. poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam excommunicationis, ſuſpenſionis, ſive interdicti ſententiam proferre præſumat. Si quis verò contra præſumpſerit, vel hactenus fortè præſumpſit, ſententiam ejus nullam eſſe penitùs nuncietis. Si qui etiam poſſeſſiones eorum invaſerint violenter, eos ad reſtitutionem earum per cenſuram eccleſiaſticam appel. poſtpoſita compellatis. Nullis literis ob. veritate tacita &c. Quòd ſi omnes &c. Datum Spolet. IV. Nonas Septembris.

S. AVGVSTINI ET S. GEORG. Prioribus Cantuarien.

Epiſt. 351. Ejuſdem argumenti. Cap. Dilecti filij. De appellat.

DIlecti filij Io. & Hubertus nuncij dilectorum filiorum Prioris & monachorum Eccleſiæ Cantuarien. nobis humiliter retulerunt quòd cùm pro cauſa quæ inter dictos Priorem & monachos & venerabilem fratrem noſtrum Cantuarien. Archiepiſcopum ſuper capella de Lamhee vertebatur, ab ipſis Priore ac monachis mitterentur, ſicut eis propoſitum fuit, idem Archiepiſcopus poſt iter arreptum in eos excommunicationis ſententiam promulgavit. Cùm autem plus ſit ad ſedem apoſtolicam facto provocare quàm verbo, & ipſis propter prædictam cauſam ad Romanam Eccleſiam venientibus, intelligatur ad ſedem apoſtolicam provocatum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi verum eſt quod aſſeritur, dictos Io. & Hu. appellatione poſtpoſita denuncietis excommunicationis vinculo non teneri. Datum Peruſij, III. Idus Septembris.

ARIANEN. EPISCOPO.

Epiſt. 352. De electione & confirmatione Abbatis Beneventani.

ACcedentes ad præſentiam noſtram dilecti filij Georg. & Aug. monachi monaſterij ſancti Salvatoris de Teleſia, quod ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter noſcitur pertinere, dilectorum filiorum Conventus ipſius monaſterij ac Prioris & Primicerij Beneventan. nobis literas præſentarunt: ex quarum continentiâ & illorum diligenti ſignificatione nobis innotuit quòd cùm prædictis Priori & Primicerio Beneventan. noſtras literas miſiſſemus ut P. tunc Abbati ipſius monaſterij, quoniam ipſum minus providè gubernabat, de bonis ipſius facerent congruè provideri, & ibidem alium ſubrogari Abbatem qui præeſſe ſciret fratribus & prodeſſe, proviſo convenienter eidem P. poſt reſignationem ipſius, ipſo præſente, ac ſuum

præbente assensum, dilectum filium Io. tunc Priorem suum, virum (sicut dicitur) literatum, providum, & discretum, canonicè in Abbatem & concorditer elegerunt. Cùmque idem electus pro confirmatione suę electionis ad nostram præsentiam festinaret, propter inediam paupertatis, qua monasterium ipsum plurimùm asseritur aggravatum, necnon & causa metus, fuit ab ipso itinere revocatus. Quoniam igitur nobis de rei veritate plenè constare nequivit, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus de forma electionis & de persona electi diligenter inquiras: & si inveneris formam electionis & electi personam idoneam, eam auctoritate nostra omni contradictione vel appellatione cessante confirmes, & munus ei benedictionis impendas, ab eo juramentum recipiens sub ea forma quam sub Bulla nostra tibi mittimus interclusam. Datum Perusij, XVIII. Kal. Octobris.

ILLVSTRI CONSTANTINOP. Imperatori.

Epist. 353. Vt Sarracenis fortiter resistat, & Græcam Ecclesiam ad Latinam, tãquam matrem, reduce cogat.

IMperialis excellentiæ magnitudo si se coram eo humiliaverit qui humilia respicit & alta à longè cognoscit, & super eo sui stabilierit imperij fundamentum præter quod aliud poni non potest, quod est ipse Iesus, & super quo ipse Dominus noster nascentis Ecclesiæ posuit fundamentum, *Super hanc petram*, inquiens, *ædificabo Ecclesiam meam*, exaltabitur & elevabitur, quoniam omnis qui se humiliat exaltabitur, secundùm testimonium veritatis; & firmabitur, & non flectetur, quoniam ædificium quod super hoc fundamentum consistit, nec casum timet, nec ad machinas formidat hostiles. Vt autem firmiùs & fortiùs Imperium tuum in hujus fundamenti firmitate persistat, oportet ut Deum universis tuis affectibus anteponas, & sponsam ejus Rom. Ecclesiam, cujus ipse fundamentum & fundator existit, præcipuè venereris, ut dum in dilectione sponsi & sponsæ perstiteris unitate, ex nulla parte celsitudinis tuæ sublimitas quatiatur. Verùm ut non ad detractionem sed tuam potiùs correctionem loquamur, miramur nõ modicùm, murmurat etiam adversùm te populus Christianus, immo & ipse Iesus, ubi ille te increpat: *Hospes fui, & non collegisti me, infirmus, & non visitasti me in carcere, & non venisti ad me.* Cùm enim peccatis nostris exigentibus venerint gentes in hereditatem Domini, & coinquinaverint templum sanctum ejus, immo & ipsum Iesum Christum quodammodo captivaverint, lignum sanctæ crucis, in qua salus mundi pependit, & delevit chirographum mortis antiquę, (in qua etiam Apostolus se asserit gloriari, *Mihi absit*, inquiens, *gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*) nec Christo exuli subvenire nec ad liberationem terræ nativitatis ipsius intendere hactenus, sicut debueras, curavisti, cùm tam ex vicinitate locorum, quàm abundantia divitiarum tuarum, & potentia, qua inimicos crucis munere divino præcellis, id poteris commodiùs & expeditiùs aliis Principibus adimplere. Est etiam aliud propter quod non solùm adversùs te, immo adversùs Romanam Ecclesiam, quæ id hactenus quasi sub dissimulatione transivit, murmurat populus Christianus. Cùm enim Dominus noster unam sibi sponsam elegerit, non habentem maculam, neque rugam, (juxta quod in Canticis protestatur, *Vna est*, inquiens, *dilecta mea, sponsa mea, columba mea.* & in Evang. dicit: *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, ut fiat unum ovile, & unus pastor.*) cùm etiam inconsutilis tunica Christi divisa non fuerit, & in Symbolo contineatur expressè, *Credo unam sanctam catholicam & apostolicam Ecclesiam*, Græcorum populi ab unitate apostolicę sedis & Romanæ Ecclesiæ recedentes, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est & magistra, sibi aliam Ecclesiam confinxerunt; si tamen quæ præter unam est, Ecclesia sit dicenda. Vt igitur in utroque prædictorum murmur sileat populi Christiani, immo ut Christum tibi reddas propitium, celsitudinem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus postpositis aliis solicitudinibus viriliter ac potenter assurgas in adjutorium Iesu Christi, & ad terram ipsam, quam ipse proprio sanguine comparavit, (de qua in Psalmo habetur: *Homo factus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus.* & alibi: *Deus Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ.*) liberandam de manibus paganorum, & restituendam pristinæ libertati, ut in ea nomen Domini glorificetur

in secula, sicut tantus Princeps manum extendas, & exercitum dirigas copiosum, sperans in eo qui est spes omnium, qui non deserit sperantes in se, quod paganorum multitudinem à facie tui exercitus effugabit. Nos enim remissionis & protectionis, quam propter hoc aliis Principibus Christianis indulsimus, te volumus esse participem, dummodo ad succursum terræ sanctæ potenter assurgas. Studeas etiam, immo sicut potes efficias, ut Græcorum Ecclesia redeat ad sedis apostolicæ unitatem, & ad matrem filia revertatur: ut oves Christi ab uno pastore regantur, sicut ei mandatur à Domino: *Diligis me, Simon Petre? Pasce oves meas.* ut & sub uno capite cuncta membra corpori connectantur, illo videlicet cui Dominus ait: *Tu vocaberis Cephas, quod caput interpretatur.* Alioquin, quantumcunque nobis molestum existeret serenitatem tuam in aliquo molestare, non possemus ulteriùs sub dissimulatione transire, quin nostrum exequeremur officium, cùm per Dei misericordiam tempus acceperimus justitiam judicandi. Inspiret autem animo tuo ille qui ubi vult spirat, ut ad honorem & salutem tuam & exaltationem Ecclesiæ tanquam devotus filius paternam exhortationem admittas, præsentans nobis materiam immo causam quòd ad honorem & profectum imperatoriæ celsitudinis, sicut in proposito gerimus, efficaciter intendere debeamus. Mittimus autem ad tuæ sublimitatis præsentiam dilectos filios Albertum Subdiac. & Capellanum nostrum apostolicæ sedis Legatum, & Albertinum cameræ nostræ Notarium, familiares nostros, quos suæ probitatis & honestatis obtentu synceræ caritatis brachiis amplexamur, in his quæ tecum tractanda sunt seu etiam statuenda pari præditos potestate: qui tecum super prædictis & aliis quæ tibi ex parte nostra proponentur, & nobis ex parte tua fuere proposita, tractent & statuant quæ ad honorem Ecclesiæ ac profectum imperij pertinuerint; quibus & serenitatem tuam fidem indubitatam volumus adhibere. Licèt enim majores ad te possemus nuncios destinare, istos tamen ad hoc prælegimus, ut dum minùs quæ sua sunt quæsierint, communi profectui, Ecclesiæ scilicet & Imperij, solicitè magis & diligenter insistant: quos serenitati tuæ propensiùs commendamus, rogantes attentiùs ut eos honorificè ac benignè recipias, & sicuti decet magnificum & munificum Principem, sine dilatione remittas, ut operemur dum tempus habemus. Ad hæc, dilectos filios Ildeb. & Iohannem Gregorij nuncios tuos benignè recepimus, quorum fidem & prudentiam nostro tibi testimonio commendamus super his quæ ipsis ab imperiali magnificentia commissa fuerant exequenda.

PATRIARCHÆ Constantinopolitano.

Epist. 354. Quòd Romana Ecclesia sit mater omnium Ecclesiarum, à qua Græci nullo jure discedere possint.

Reprobata quondam propter ingratitudinis vitium perfidia Iudæorum, & oblato synagogæ (quia non cognovit tempus visitationis suæ) libello repudij, unam sibi Ecclesiam ex gentibus congregatam, non habentem maculam neque rugam, Dominus noster elegit, juxta quod legitur in Canticis canticorum: *Vna est electa mea, sponsa mea, immaculata mea.* Ipse quoque Dominus Iesus Christus unum esse ovile ovium, unum pastorem, in Evangelio protestatur; & in Apostolorum Symbolo unam esse catholicam & apostolicam Ecclesiam fides catholica profitetur. Hanc autem idem Dominus Iesus Christus in se ipso lapide angulari fundavit, & ejus magisterium Apostolorum principi beato Petro, cui, licèt sufficientes, in apostolatus successimus dignitate, concessit: *Tu es,* inquiens, *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* & paulo pòst subdidit: *Et tibi dabo claves regni cælorum.* & etiam curam ovium suarum eodem verbo tertiò repetito commisit, dicens: *Pasce oves meas.* & quòd ejus fides nunquam deficeret, se orasse fatetur, loquens ad eum in Evangelio: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficeret fides tua. & tu conversus aliquando confirma fratres tuos.* Præterea licèt universis Apostolis dixerit in communi, *Accipite spiritum sanctum, ut quorum remiseritis peccata remittantur eis,* ad eum tamen verbo utitur speciali dicens: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Hoc autem Græcorum populus non attendens, aliam sibi confinxit Ecclesiam, (si tamen quæ præter unam est, Ecclesia sit dicenda) & ab apostolicæ sedis unitate recessit, nec constitutionem Domini nec Petri magisterium imitatus, & inconsu-

tilem vestem Domini, cui crucifixorum manus in aliarum vestium divisione pepercit, scindere usque hodie, licèt frustra, conatur; non attendens quòd una tantùm extitit arca, intra quam sub uno rectore quicunque fuerunt, leguntur in cataclismo salvati: qui autem extra ipsam inventi sunt, omnes in diluvio perierunt. Quia igitur id in scandalum nostrum & fidei Christianæ redundat dispendium, nec jam possumus vitare clamores Ecclesiæ generalis, quæ nos & prędecessores nostros negligentiæ ac tarditatis redarguit, monemus frat. tuam & exhot. in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus omnimodam solicitudinem & efficacem operam interponas, ut Græcorum universitas redeat ad Ecclesiæ unitatem, & ad matrem filia revertatur, & fiat juxta verbum Domini unum ovile, & unus pastor. Alioquin non possemus ulteriùs &c. *ut suprà usque ad verbum* inspiret. Ceterùm cùm peccatis nostris exigentibus rebus &c. *in eundem modum usque ad verba* in cruce Domini nostri Iesu Christi, miramur quòd carissimus in Christo filius noster Constantinopolitan. Imperator illustris nec exuli Christo subvenit, nec liberationem terræ natiuitatis ipsius, in qua Deus Rex noster ante secula salutem dignatus est operari, sicut debuerat, intendere hactenus procuravit; cùm tam ex vicinitate locorum &c. *usque ad verbum* adimplere. Cùm igitur terræ sanctæ, in qua pedes Christi steterunt, totis desideremus affectibus subveniri, fraternitatem tuam rogamus attentiùs & exhortamur in Domino, quatenus præfatum Imperatorem monere studeas & inducere diligenter ut ad succursum ejus potenter intendat.

ILLVSTRI REGI Francorum.

Epist. 355. Vt cum Rege Anglorum pacem faciat, & contra Sarracenos bellum sacrum gerat.

MEdiator Dei & hominum Christus Iesus redemptionis humanæ mysterium impleturus, pacem discipulis pro hereditate legavit, ut eam servarent adinvicem, & ad observationem ejus ceteros invitarent, *Pacem*, inquiens, *meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Prophetæ quoque monemur consilio ut pacem non solùm quærere, sed etiam persequi debeamus, *Inquire*, dicentis, *pacem, & persequere eam* Vnde nos, qui vices Christi licèt insufficientes exercemus in terris, ejus sequentes exemplum, & prædecessorum nostrorum cõsuetudinem imitantes, ad reformandam inter discordantes veræ pacis concordiam intendere volumus & tenemur; præsertim cùm ex discordantium ipsorum dissidio magnum tam ipsis quàm Ecclesiis & pauperibus terræ suæ immo & toti Christiano populo provenerit detrimentum. Nam ut stragem virorum, Ecclesiarum gravamina, pauperum oppressionem, & totius tam Gallicanæ quàm Anglicanæ gentis periculum, quæ propter guerram quam tu & carissimus in Christo filius noster Rex Anglorum illustris adinvicem exercetis, provenerunt hactenus, taceamus, communi populi Christiani dispendio & excidio Hierosolymitanæ provinciæ tu & ipse causam videmini pręstitisse & materiem, cùm hominibus utriusque regni propter tuam & ejus dissensionem detentis, non solùm quæ amissa fuerant ab initio in partibus transmarinis nondum recuperari potuerint, immo his etiam grave videatur periculum imminere quę à Christianis hactenus sunt possessa. Antiquis enim & tristibus rumoribus novi ac tristiores supervenere rumores, quòd cum Theutonici Accon navigio &c. *usque ad verbum* assumite. Quia verò nos ad subventionem terræ orientalis, tam in personis, quàm rebus, dilectos filios nostros Soffredum tituli sanctæ Praxedis & P. sanctæ Mariæ in via lata Diac. Cardin. apostolicæ sedis Legatos, viros honestate morum, maturitate consilij, & scientia reverendos, quos inter alios fratres nostros speciali caritate diligimus, ministerio proprio sanctæ crucis charactere curavimus insigniri; ne quid ex contingentibus omittere videamur, dictum sanctæ Mariæ in via lata Diac. Cardinalem, virum scientia præditum, honestate præclarum, Deo & hominibus (sicut speramus) acceptum, ad tuam & ejusdem Regis præsentiam duximus destinandum, legationis ei officium committentes. Ideòque serenitatem tuam rogamus, monemus, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus eum sicut Legatum apostolicæ sedis recipiens & honorans, ad exhortationem nostram & ejus infra duorum mensium spatium post receptionem præsentium & commonitionem ipsius factam utrique vestrum, quia hic est necessarium populo Christiano ut id sine dilationis diffugio

maturetur, cùm sine tuo & fidelium tuorum ac sine dicto Rege ac fidelium ejus subsidio, quod in sequenti Martio proposuimus ad partes illas dante Domino destinare, vix terræ in qua pedes Christi steterunt, & ubi Deus noster ante secula nostram dignatus est operari salutem, poterit subveniri, plenam pacem vel treugas longas saltem usque ad quinquennium ineas & observes; ita quòd interim nullum alterutri circa proprietatem vel possessionem eorum quæ à reliquo detinentur, præjudicium generetur. Alioquin, quantumcunque nobis molestum existat celsitudinem regiam in aliquo molestare, quia tamen Deum tibi præponimus, & communem utilitatem tuis debemus commodis immò potius incommodis anteferre, nisi ad commonitionem ejusdem Legati mandatum apostolicum infra scriptum terminũ humiliter receperis & impleveris, ex tunc de communi fratrum nostrorum consilio totam terram tuam subjacere decernimus interdicto; ita quòd præter baptisma parvulorum, & pœnitentias morientium, nullum in ea divinum officium celebretur. Quòd si nec per hanc districtionem impleveris quod mandamus, teipsum, fautores & consiliarios principales ecclesiastica severitate noveris coërcendos, idipsum de terra Regis Angliæ, ipso etiam, fautoribus suis, Consiliariis decernentes. Venerabilibus etiam fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & universis Ecclesiarum Prælatis utriusque regni, sub pœna ordinis & officij sui mandamus, & in virtute Spiritus sancti præcipimus, ut interdicti sententiam secundùm præscriptam formam inviolabiliter studeant observare, & faciant ab aliis irrefragabiliter observari. Idem etiam fratribus militiæ Templi ac Hierosolymitani Hospitalis sub privilegiorum & indulgentiarum suarum pœna mandamus, credentes ex hoc non voluntati tuæ sed utilitati, non affectui sed profectui, non oneri sed honori consulere, totique Christiano populo providere. Statuimus etiam ut si quis omnino Clericus, cujuscunque professionis vel ordinis, post interdictum nostrum divinum tibi præsumpserit officium ministrare, ordinis & beneficij sui se noverit periculum incurrisse. Attendas igitur, fili carissime, nostrum & apost. sedis tuæ matris affectum, causam coactionis inspicias, & communi utilitati prospiciens, motui carnis animæ præpone salutem, & sensualitati præferas rationem; non apostolicæ sedi regia potestate resistens, sed humilitate deferens filiali, quæ in hoc etiam salutem tuam procurat pariter & honorem.

Scriptum est in eundem modum R. illustri Regi Anglorum. Scriptum est super hoc universis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & ceteris Ecclesiarum Prælatis in utriusque Regis regno constitutis.

POTESTATI ET POPULO Spoletano, Baronibus, Nobilibus, & universis fidelibus nostris in Spoletan. diœcesi constitutis.

Epist. 356. Vt Cardinali, Rom. Pontificis magistratui, obtemperent.

MAgnificavit Dominus facere misericordiam nobiscum, juxta quod scribitur in Propheta. Cui gratiarum referimus actiones, quòd usque ad nostra & vestra tempora reservavit ad quæ prædecessores tam nostri quàm vestri summo desiderio anhelarunt. Ipse enim qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt fortitudinem & robur multiplicat, patrimonium beati Petri, portionem videlicet nostram, desiderabile & præclarum hereditatis nostræ funiculum, quæ in oppressione diù posita, fuerat per violentiam occupata, nobis sperantibus quòd manus ejus abbreviata non esset, ut salvare nequiret, nec auris ejus, ut non exaudiret, aliquatenus aggravata, absque violentia qualibet aut bellicoso congressu restituit, & bonam ad nos multiplicavit fidelium Ecclesiæ voluntatem; ita ut secundùm Esaiam jam dicere posse speremus: *Sedebit populus meus in plenitudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Sanè qualiter Conr. Dux quondam dictus Spoleti Ducatum Spoletan. in nostris manibus resignarit, & ad mandatum Ecclesiæ cum humilitate redierit, vos non convenit edoceri; cùm ille qui forsan peccatis vestris exigentibus, juxta verbum Hieremiæ, super vos gentem robustam adduxerat de longinquo, gentem cujus ignorabatis linguam, posuerit visitationem vestram pacem, & præpositos vestros justitiam priorum timore sublato. Propositi siquidem nostri & voluntatis existit ut terra quam Dominus, ut dictum est, ad manus nostras non in

arcu vel gladio confidentes, sola sua incffabili pietate reduxit, in justitia & judicio gubernetur, per vos fideliter exequentes quod scriptum est, *Diligite justitiam qui judicatis terram*, & inimici vestri in circuitu inflammentur, dum in devotione Rom. Ecclesiæ, quæ verè dese dicere potest, *Jugum meum suave est & onus meum leve*, securi hostium sublata formidine fideliter persistetis. Inde est quòd paci & tranquillitati vestræ paterna volentes solicitudine providere, dilectum filium nostrum G. S. Mariæ in Aquiro Diac. Cardinalem, virum utique providum & discretum, quem inter alios fratres nostros speciali caritate diligimus, vobis duximus præponendum, ut vestræ pacis & salutis regimen ulteriùs exeqnatur, utramque potestatem, spiritualem videlicet & temporalem, ei vice nostra commisimus; ut dum in eo potestas utraque convenerit, utraque adjuta per alteram liberiùs valeat exerceri. Cui dedimus in mandatis, ut vos tanquam Ecclesiæ Rom. filios speciales diligat & honoret, & sic jura nostra procuret, ut aliena non lædat, sed quod suum est unicuique studeat conservare. Vniversitatem itaque vestram attenta in Domino exhortatione monemus nt devoti atque ferventes in fidelitate Rom. Ecclesiæ matris & dominæ vestræ immobiliter perdureris, per apostolica vobis scripta mandantes, & districtè præcipientes, quatenus ipsum tanquam rectorem vestrum & apostolicæ sedis Legatum debitò suscipientes honore, eique tanquam personæ nostræ reverentiam & obedientiam in omnibus exhibentes, mandata ejus pariter & statuta recipiatis humiliter & irrefragabiliter observetis. Nos enim quicquid idem Legatus* vester & rector duxerit statuendum ratum habentes & firmum, auctore Domino faciemus inviolabiliter observari.

* f noster & vester rector

In eundem modum Potestati & populo Reatin. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Reatin. dioc. constitutis. In eundem modum Potestati & populo Fulginat. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Fulginat. dioecesi constitutis. In eundem modum Potestati & populo Assisinat. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus in Assisinat. dioecesi constitutis. In eundem modum Potestati & populo Eugubin. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Eugubin. dioecesi constitutis. In eundem modum Potestati & populo Perusino, Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Perusin. dioecesi constitutis. In eundem modum Potestati & populo Castellan. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Castellan. dioc. constitutis. In eundem modum Potestati & populo Tudertin. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Tudertin. dioecesi constitutis.

ILLVSTRI REGI Anglorum.

Epist. 357. De capella quondam Cantuariensi, propter quam Pontificem Rex adierat per literas. Vide suprà epist. 111.

LIteras quas nobis regia serenitas super negocio Cantuarien. Ecclesiæ destinavit, benignè recepimus; & earum tenore diligenter inspecto, intelleximus celsitudinem regiam super eo quod scripserat fuisse per falsi suggestionem in pluribus circumventam, cùm bonæ memoriæ B. quondam Cant. Archiepiscopum in constructione capellæ juxta Cantuariam de * felicis recordationis Lucij & Vrbani prædecessorum nostrorum scripserit processisse, cùm potiùs idem V. prædecessor noster opus illud per sententiam præceperit demoliri, & locum ipsum maledictum haberi mandaverit & prophanum, sicut ex literis ejus serenitati regiæ poterit manifestè liquere. Præterea cùm dictus Archiepiscopus denuo voluisset quæstionem suscitare sepultam, bonæ memoriæ quondam Cantuarien. Priore cum quibusdam monachorum & nunciis ipsius Archiepiscopi propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, felicis recordationis Clemens Papa prædecessor noster opus illud de fratrum consilio funditus demoliri præcepit. Venerabilis verò frater noster Vbertus Cantuarien. Archiepiscopus volens in opere damnato procedere, etsi locum mutaverit, à dicti tamen prædecessoris sui proposito non creditur recessisse; cùm post multiplices inhibitiones sibi ex auctoritate apostolica factas, post appellationem sæpius interpositam ad apostolicam sedem, post contradictionem dilectorum filiorum Cant. monachorum, de bonis Cantuarien. Ecclesiæ in non modicum ejus præjudicium & gravamen, sicut à multis & magnis accepimus, in capella de Lamhee amplas præbendas statuerit, & largas ei possessiones & redditus assignarit, & ad structuram

* mandato

ipſius Eccl. ac domorum ejus ea paraverit quæ in utilitatem & decorem Cant. Eccleſiæ ſponſæ ſuæ potiùs debuerat convertiſſe. quod cum ad bonæ memoriæ Celeſtini Papæ prædeceſſoris noſtri audientiam perveniſſet, quod à dictis prædeceſſoribus noſtris ſtatutum fuerat, ratum habuit, & præcepit ſine cujuſque refragatione ſervari. Clericos etiam de Lamhee à juramento de obſervatione novæ capellæ dicto B. Cantuarien. Archiepiſcopo præſtito denuntiari mandavit penitùs abſolutos; & eis diſtrictè fecit injungi, ne ulteriùs novam capellam vel Eccl. de Lamhee obſervarent, nec per ſe nec per ſuos miniſtrarent in ea divina; eos mandans eccleſiaſtica diſtrictione percelli qui mandato apoſtolico contrairent. Sanè ſi dictus Archiepiſcopus, quid potiùs expediret, attenderet, in Eccleſia Cantuarien. metropoli ſua, quam beatus Pontifex & Martyr Thomas ſuo ſanguine conſecravit, libentiùs reſideret, & in ſtructura ipſius vel aliis ejus utilitatibus erogaret quod in damnati operis conſtructione diſpergit: à quo etſi nihil aliud ejus compeſceret voluntatem, vitatio tamen gravis ſcandali, quod inde provenire cognoſcit, eum debuerat revocare, cùm ſacra ſcriptura docente debuerit didiciſſe, quòd licet opera illa, quæ ſine mortali peccato omitti non poſſunt, non ſint pro vitando ſcandalo dimittenda, nec ea debeant pro ſcandalo vitando committi quæ ſine mortali peccato committi non poſſunt, ab his tamen quæ committi non poſſunt ſine mortali peccato pariter & dimitti, ſit pro ſcandalo tollendo ceſſandum, & eis etiam pro vitando ſcandalo inſiſtendum. Vnde Apoſtolus in epiſtola dicit: *Si ſcandalizaretur frater, carnem non comedenem in æternum.* & Dominus in Evangelio contra eos qui ſcandali præſtant materiem: *Væ*, inquit, *homini illi per quem ſcandalum venit. Melius eſt ei ut ſuſpendatur mola aſinaria ad collum ejus, & demergatur in profundum.* Rogamus igitur ſerenitatem regiam, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus non citò moveatur à ſenſu ſuo, nec facilè credat omni ſpiritui, aut uſque adeo detractoribus benevolum præſtet auditum, ut de nobis ſiniſtri aliquid ſuſpicetur quòd aliquem contra juſtitiam gravare velimus, aut jura regni tui, quæ boneſtati conveniunt, vacuare. Novimus enim, ſicut in literarum tuarum exordio expreſſiſti, quid ad officium noſtrum pertineat, & quare ſimus ſuper gentes & regna non noſtris meritis, ſed divino munere, conſtituti. Novimus etiam quòd nobis incumbit uniuſcujuſque jura tueri. Et ideo à juris tramite nec in hoc nec in alio negocio volumus favorem cujuſlibet declinare. Nolumus præterea prædeceſſorum noſtrorum rationabilia revocando ſtatuta, revocandi quæ rationabiliter facimus vel ſtatuimus ſucceſſoribus noſtris exempla præſtare, qui prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis in præſenti negotio & adhæſimus hactenus & in poſterum intendimus adhærere; ne ſuper crebra mutatione præſtemus aliis materiam murmurandi. quanquam in literis tuis ad falſam ſuggeſtionem expreſſeris quòd in hoc negotio à veſtigiis prędeceſſorum noſtrorum videmur præproperè receſſiſſe, non ſolùm jura regni tui non lædere, immo etiam minores quoslibet in regno Angliæ conſtitutos in ſuis juſtitiis confovere, ac ideo ſolicitè præcavere intendimus, ne minores à majoribus opprimantur. Quod enim de conſuetudine regni Anglorum procedere regia ſerenitas per ſuas literas intimavit ut liceat tam Epiſcopis quàm Comitibus & Baronibus Eccleſias in * feudo ſuo fundare; Laicis quidem Principibus id licere nullatenus denegamus, dummodo diœceſani Epiſcopi eis ſuffragetur aſſenſus, & per novam ſtructuram veterum Eccleſiarum juſtitia non lædatur. Sed ex hoc opere videtur Cantuarien. Eccleſiæ dignitas ex parte non modicâ deperire, cùm non referat quòd ad remotiorem locum transfertur, eadem contradictionis cauſa durante. Vtinam ei divina bonitas inſpiraſſet, ut non de alieno, ſed proprio conſtrueret Eccleſiam, in qua regulares Canonicos inſtitueret, qui ſuum Domino jugiter impenderent famulatum. Cùm autem te, ſicut ſpecialem Eccleſiæ filium, & catholicum Principem, ſyncero in Domino diligamus affectu, nec tuæ velimus poſtulationi, quantum cum Deo poſſumus, aſſenſum apoſtolicum denegare, juxta petitionem regiam in negotio memorato procedere differemus, donec dicti Archiepiſcopi nuncij noſtro ſe conſpectui repræſentent, niſi forſan ex malitia ſuam abſentiam diutiùs procuraverint. Verùm cum ad judicium ventum fuerit,

Vide Notas ad Lupum Ferrar. pag. 311.

* f. fundo

fuerit, nec declinabimus ad dextram nec finistram, nec ob gratiam aut favorem cujuslibet à justitiæ tramite recedemus: qui & justitiam prosequi cupimus, & prompti sumus, secundùm Apostolum, inobedientiam omnem ulcisci, cùm acceperimus tempus justitiam judicandi.

UNIVERSIS ABBATIBUS Cistercien. Ordinis in generali Capitulo constitutis.

Epist. 358. Ut pro Pontifice ardenter orent, & Abbatem de S.Tibuerno, Siculis verbum Dei prædicantem, habeant pro excusato.

IN navi nostri piscatoris gubernatoris gerentes officium, dum intumentium fluctuum tempestates elidimus, dum insurgentium ventorum rabiem evitamus, ex nostra quasi prorsùs infirmitate deficimus, nisi vos & alij, qui relictis retibus & navi pauperem Christum pauperes imitamini, & cum ipso undas maris vestigio sicco calcatis, vestris nos juvetis orationibus apud ipsum, qui cum imperat ventis & mari, aquilonem convertit in austrum, & tempestatem redigit in tranquillum. Licèt enim juxta testimonium Veritatis jugum Domini suave sit, & leve onus ipsius; insufficientia tamen nostra pressa gravitate pastoralis officij, & emergentium negotiorum multiplicitate gravata, dum cum Martha circa frequens satagit ministerium, nunc obscura quæstionum elucidans, & certo in ambiguis usa responso, nunc difficiles nodos causarum justæ diffinitionis manu dissolvens, nunc malignorum incursus refrænans, nunc humilibus clypeum apostolicæ protectionis indulgens, & quasi se totam impendens negotiis aliorum; nisi vos, (qui cum Maria sederis juxta pedes Domini, audientes verbum ipsius, & suaves Rachelis fovetis amplexus, immo qui scala orationis continuæ nubes transcenditis, cœlorum intima penetrantes; non solùm cœlestes delitias, verùm etiam cœlestium delitiarum auctorem, panem cœlestem, infirmorum salutem, remedium oppressorum, naufragantium portum, spem fidelium, militantium bravium, morientium vitam, & Ecclesiæ sponsum, verum scilicet Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, oculis contemplationis inspicitis) defectum nostrum sanctis orationibus suppleatis, vix tolerare poterimus pastoralis onera gravitatis, quin potiùs tātæ solicitudinis *succumbemus. Novimus enim quòd ab eo plus exigitur cui plus committitur; & cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Propter quod tanto ampliùs vestris orationibus nos credimus indigere, quanto major nobis est solicitudo commissa, & ad superiorem sumus immo supremum ecclesiasticæ dignitatis apicem, licèt insufficientibus meritis, exaltati, cùm secundùm Apostolum instantia nostra sit omnium Ecclesiarum solicitudo continua. Novimus etiam quòd multùm valet deprecatio justi assidua, cùm puras manus sine disceptatione levat ad Deum, & quanto magis in conspectu Domini orando humilius se prosternit, tanto se ampliùs ad eum Dominus exaudiendum inclinat, & ipsum viciniùs & familiariùs intuetur. Ipse etenim humilia respicit, & alta à longè cognoscit: qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Novimus præterea in Evangelio esse scriptum: *Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* & paulo pòst: *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Qui petit fide, accipit vitam: qui quærit spe, invenit viam: qui caritate pulsat, ei veritas aperitur, illa videlicet quæ de se dicit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Rogamus igitur universitatem vestram, monemus, exhortamur in Domino, quatenus insufficientiam nostram ex humana infirmitate pensantes, præter generalem illam orationem quam pro nobis effundit universalis Ecclesia, in orationibus vestris memoriam nostri specialiùs habeatis: ut ille qui ad apostolatus officium nos vocavit, ad salutem nostram & commissorum regimini nostro populorum profectum nos illud implere concedat, & defectum nostrum suo dignetur omnipotentatu supplere, qui dat omnibus affluenter & non improperat; taliter in suorum nos dirigens observantiam mandatorum, ut vita nostra luceat subditis ad exemplum, & verbum proficiat ad doctrinam. Petite ut spiritum vitæ nobis Dominus benignus infundat, & gratiam suam in nobis multiplicare dignetur. Quærite, ut qui Petro porrexit dexteram naufraganti, & ne mergeretur erexit, viam nobis salutis ostendat, & erigat, ne secularibus negotiis ultra quàm expedit immergamur. Pulsate, ut intelligentiæ nobis veritatem aperiat, & sic dirigat gressus nostros in semitis suis ut non moveantur vestigia nostra; quin immo lucerna pedibus nostris verbum

*oneri

ejus existat, & sic actus nostros in sua pace disponat, ut ea semper meditemur interiùs & exteriùs operemur quæ nobis & subditis nostris in præsenti proveniant ad quietem, & ad vitam in futuro proficiant sempiternam. Nos enim, quantum concesserit Dominus, profectibus vestris imminere diligenter intendimus, & vobis in necessitatibus vestris potenter adesse, ac contra malignantium impetus apostolica protectione præsidium indulgere. quod tunc libentiùs exequemur, cùm vestris nos senserimus precibus & meritis adjuvari. Dignum est enim ut pro nobis universalis Ecclesia preces effundat, & insufficientiam nostram orationibus relevet, qui ad universorum Christi fidelium regimen divino numine deputati, ex injuncti nobis officij debito universorum cogimur onera sustinere. Ad hæc, cùm dilectum filium nostrum Abbatem de Sambucino de fratrum nostrorum consilio ad proponendum verbum Domini populis Siciliæ, ac eos cirandos ad obsequium crucifixi, duxerimus destinandum, ipsum habere vos rogamus & volumus excusatum, utpote quem causa Domini, auctoritas mandatoris, & utilitas communis etiam sine literis nostris sufficienter excusant. Datum Reat. IV. Kal. Aug.

OCTAVIANO HOSTIEN. *Episcopo, Vicario nostro.*

Epist. 359. De consecratione altarium, ex mandato D. Petri Apostoli.

Paucis diebus ante nostrum ab Vrbe recessum, sacerdos quidam ætate longævus, timoratus, ut creditur, ad præsentiam nostram accessit, secretò proponens quòd in visione nocturna per somnium ei apparuit beatus Petrus Apostolus dicens: Accede ad Pontificem Innocentium, & ex mea sibi parte significa quòd à nativitate sua quasi filium illum dilexi, & per diversos gradus promotum in mea tandem sede constitui. Quapropter & ipse decorem & honorem domus meæ debet diligere, studióque vigili promovere. Sciat ergo quòd in Ecclesia mea pauca sunt altaria consecrata. unde contingit quòd inaltaribus dissecratis divina mysteria celebrantur. Faciat igitur ea saltem cum debita reverentia consecrari, super quæ novit frequentiùs officium celebrari divinum. Verùm cùm semel & iterum eadem sibi fuisset visio revelata, nec ipse quod mandabatur impleret, tertiò tandem idem Apostolus, velut offensus, intulit dicens: Quia meum obaudisti mandatum, ego tuum tibi tollam auditum. Ex tunc ita surdus effectus est, ut peniтùs non audiret. Gemens ergo vehementer & plorans, ad confessionem beati Petri devotus accessit, cum lachrymis postulans ut misertus sibi restitueret auditum, quia mandatum ipsius illico adimpleret. Quo per Dei misericordiam exaudito, quod acciderat ei, nobis per ordinem indicavit. Licèt autem secundùm Apostolum non sit credendum omni spiritui, quia tamen in tali negotio angelus Sathanæ non transfiguraret se in angelum lucis, & melius est piè credere quàm temerè dubitare, cùm honestum sit quod proponitur faciendum, etsi verum non esset quod asseritur revelatum; fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apost. scripta mandamus quatenus altaria Philippi & Iacobi, Simonis & Iudæ, beati Gregorij, & sancti Andreæ, quæ dissecrata dicuntur, tu ipse consecres, vel per alios auctoritate nostra facias consecrari. Credimus enim quòd ex hoc nobis fructus æternæ retributionis accrescet.

CONSVLIBVS MEDIOLANEN.

Epist. 360. Quod Passaguerra justè fuerit excommunicatus. Vide suprà epist. 85.

Super negotio Passaguerræ, pro quo nobis sæpe scripsistis, dicentes quòd ex levibus causis eum excommunicari mandavimus, unde contra nos grave scandalum est subortum, licèt illud vobis respondere possemus quod legalis sanxit auctoritas, quia videlicet instar sacrilegij est de factis Principis judicare, illum tamen in nostra responsione magis volumus imitari cujus, licèt indigni, locum tenemus, qui Iudæis obloquentibus non est dedignatus pro se reddere rationem, inter cetera dicens: *Si malè locutus sum, testimonium perhibete de malo; si bene, cur me cæditis?* Nos enim licèt flagello linguæ vestræ cædamur, quia tamen secundùm Apostolum pro minimo nobis est utrum à vobis aut ab humano die fuerimus judicati, dummodo nostra nos conscientia nō remordeat, non timentes scandalum contra veritatem subortum, cùm veritas non sit relinquenda pro scandalo, (teste Veritate, quæ cùm ei ab Apostolis diceretur, *Scis quia Iudæi audito hoc verbo scandalizantur?* respondit, *Sinite, cæci sunt, & duces*

cæterum.) ad excusationem nostram id vobis duximus respondendum quòd cùm prædictus P. fuisset à nobis multipliciter honoratus, in tantam prorupit audaciam, ut contra verbum suum, quod post pronuntiationem nostram publicè protulit in consistorio exclamando, *Iustus es, Domine, & rectum judicium tuum*, non sit veritus, non solùm coram aliis, sed etiam coram nobis multoties replicare quòd Mediolanen. Ecclesiam injustè gravavimus. Cujus ausum sacrilegum cùm multoties benigna quadam dissimulatione tulerimus patienter, ex patientia nostra factus audacior, coram fratribus nostris non expavit ponere os in cœlum, id ipsum quod dixerat replicando superbè. Nam licèt peccatores simus, & nati de peccatoribus, illius tamen vices exercemus in terris qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui honoratur cùm honoramur, contemnitur cùm contemnimur, ipso testante: *Qui vos spernit, me spernit &c.* Idem etiam Passaguerra iniquitatem addens iniquitati, cùm non solùm causidicus sed procurator esset in causa quæ vertitur inter venerabilem fratrem nostrum Mediolanen. Archiepiscopum & dilectum filium Abbatem de Scozula, post acceptam diù desideratam sententiam postulavit à nobis licentiam redeundi, volens (ut credimus) per excogitatæ malitiæ subterfugium processum justitiæ contra miserum illud monasterium impedire, sicut id ipsum post sententiam venerabilis fratris nostri Veronen. Episcopi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardin. fuerat procuratum. Sed nos, qui secundùm Apostolum sapientibus sumus & insipientibus debitores, volentes eidem monasterio (sicut justum fuerat) providere, non solùm ei negavimus licentiam redeundi, verùm etiam districtè præcepimus ut moram faceret, prædicto Abbati de Scozula responsurus: qui præceptum nostrum contemnens, sine licentia redire præsumpsit; cùm cantum sit in sacris canonibus, ut ipsius canonis verba ponamus, aliquem ex his tribus criminibus excommunicari debere; cùm ad synodum vocatus canonicè venire contemnit; aut si postquam illuc venerit, sacerdotalibus respuit obedire præceptis; aut si ante finitam causæ suæ examinationem, à synodo abire præsumit. Ad majorem autem cumulum iniquitatis ipsius, sicut ex literis vestris accepimus, præsumit asserere quòd ipse in prædicta causa non extitit procurator, cùm hujusmodi falsitas ex literis pronuntiationis nostræ patentibus, quas ipsemet ad dictum Archiepiscopum reportavit, apertè valeat denudari, quæ continent manifestè prædictum P. fuisse procuratorem ad causam prædictam. Ipse quoque non quasi pœnitens de commissis, sed pertinax in malitia, scandalum contra nos nititur suscitare, culpam suam in nostram volens injuriam retorquere. Licèt autem, secundùm Apostolum, omnem inobedientiam prompti simus ulcisci, volentes tamen eum corripere in spiritu lenitatis, sæpedicto Archiepiscopo vestro mandavimus ut infra quindecim dies reciperet ab eo juratoriam cautionem satisfaciendi nobis de commissis excessibus, vel infra quindecim alios compelleret eum ad præsentiam nostram satisfacturum accedere. quòd si neutrum efficeret, excommunicationis eum vinculo innodaret. Sanè si præmissa verba canonis attendatis, non severitatem sed benignitatem exhibuimus circa ipsum. Et ecce quanta sit ejus in hoc facto discretio, liquidò potestis advertere; cùm ante excommunicationem per se potuerit efficere quod post excommunicationem per alium sibi fieri deprecatur, videlicet ut recepta juratoria cautione mereatur absolvi. Quia verò civitatem vestram speciali quadam prærogativa diligimus, etsi non debueritis sinistra de nobis dicere vel etiam cogitare, vestris tamen precibus inclinati, Archiepiscopo vestro mandamus ut recepta ab eo secundùm formam Ecclesiæ juratoria cautione, munus ei absolutionis impendat; mandans ei statim ex debito juramenti, quatenus infra mensem nostro se conspectui repræsentet; ut unde sine licentia præsumptuosus abscessit, illuc ex obedientia satisfacturus accedat. quod si facere fortè contempserit, eum & pro præmissis excessibus & reatu perjurij in prædictam excommunicationis sententiam reducere non postponat. Monemus igitur prudentiam vestram & exhortamur in Domino quatenus carnalis affectus non extinguat in vobis igniculum rationis, cùm nos in hoc facto non tam nostram quàm Iesu Christi persequamur injuriam, cùm ex debito suscepti regiminis teneamur ut juxta sa-

Vide suprà epist. 88.

Vide suprà epist. 37.

erorum patrum ſtatuta nervos ſeveritatis eccleſiaſticæ oon patiamur prophana facilitate diſſolvi.

Scriptum eſt ſuper hoc Archiepiſcopo Mediolanenſi.

HOMINIBVS DE MONTE-Flaſcone fidelibus noſtris.

Epiſt. 361. De traditione caſtri & bonorum quorundã, ut pro Eccleſia decernent.

LIcèt ad fidelitatem Eccleſiæ Romanæ quaſi noviſſimi redieritis, ipcraotes tameo quòd io ea quaſi primi ſemper exiſtere debeatis, ſpecialem gratiam vobis duximus faciendam, cùm caſtrum Mootisflaſcoois ad jus & proprietatem Eccleſiæ Romanæ ſpecialiter pertioere noſcatur. Eapropter, dilecti io Domino filij, medietatem paſſagij vobis concedimus, ut milites veſtri ſemper in equis & tam ipſi quàm pedites in armis ſint pro ſervitio noſtro & caſtri defeoſione parati: ita quòd ſi propter ipſius caſtri negotium de mandato oostro pro ſervitio Eccleſiæ procedentes, equos & arma ipſos amittere fortè contigerit, faciemus ea juxta curiæ cooſuetudinem emendari. Bonas quoque cooſuetudioes antiquas pariter & modernas communiter obſervatas vobis auctoritate apoſtolica cooſirmamus. Cum Philippo verò non conveniemus finaliter, quin caſtrum ipſum quietum Eccleſiæ Romanæ dimittat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagioam noſtræ conceſſionis & confirmationis iofringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omoipotentis Dei & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & ooſtram ſe noverit incurſurum.

Poſitum eſt in optione eorum, ſi mallent prædictam medietatem paſſagij pro munitione caſtri.

ABBATI SANCTI PROCVLI, & Magiſtro Lanfranco Canonico Bononienſi.

Epiſt 362. De cauſa quadam matrimoniali.

Cap. Ad hoc Deus. *Vt lite non conteſtata.*

* *In TertiaCollect.* Scripturam ſanctam fecit D. h. t. ipſe

AD hoc Deus in apoſtolica ſede conſtituit totius Eccleſiæ magiſtratum, ut quia ſecundùm * ſcripturæ ſeotentiam fecit Deus hominem rectum, ſed ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtiooibus, ad eam nodi quæſtionum difficiles referantur, ſuo recto judicio diſſolvendi. Ad apoſtolatus quippe noſtri ootitiam literarum veſtrarum inſinuatione pervenit quòd cùm cauſa quæ inter Ca. & B. uxorem ejus vertitur, à dilecto filio noſtro G. ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinale, tunc apoſtolicæ ſedis Legato, vobis commiſſa fuiſſet fine debito terminanda, viro ipſo ad vos ad inſtantiam mulieris ſæpius coovocato, tandem Ca. patruum ſuum io cauſa ipſa coram vobis conſtituit reſpooſalem. Qui aſſignata ſibi die ut libello reſpooderet uxoris, (qoo virum ad ſeparatiooem thori, & ut dotem ſuam reciperet, de adulterio accuſabat) donec advocatus ejus, qui abſens erat, rediret, inducias poſtulavit. Quibus ad diem certam obtentis, iterum propter eaodem cauſam dilationes ſimiles impetravit. Cùm autem tertiò dilationes hujuſmodi cum inſtantia petens, obtinere ooo poſſet, publicè proclamavit ſe ounquam coram vobis aliter reſponſurum, oec quòd aliter ſuam vobis præſentiam exhiberet. Vode duobus ferè menſibus ſic impedito cauſæ priocipio & progreſſu, cùm vobis dictus procurator illudere videretur, teſtes mulieris habito conſilio recepiſtis, & allegatiooibus inſuper præbuiſtis auditum. Quo facto, dictus procurator ad præſentiam veſtram accedens, dixit ſe reſpondere paratum, velle negotio intereſſe. Qui ſibi die ſtatuta, cùm crederetur libello, de quo præmiſimus, reſpooſurus, reſtitutiooem uxoris ex parte viri priùs fieri poſtulavit, & oe ſecùs fieret, ad ſedem apoſtolicam vocem appellatioois emiſit. Verùm quia mulier ipſa dicebat ſe virum habere ſuſpectum, vel quia in domo ejus coacta fuerat ſe adulteratam cum pluribus cooſiteri, vel quia meretricem publicè detinebat, ex qua etiam prolem ſuſceperat, ſicut evidentia facti & fama viciniæ demonſtrabat, (ſuper quo etiam teſtes produxerat, & alios parata erat ad hoc ipſum probandum inducere) ab ipſo procuratore quæſiſtis an vellet de mulieris impunitate cavere. Qui dixit ſe ſuper hoc de conſilio reſponſurum. Sed ad diem ſtatutam neque reſpondit, oeque ſe veſtro cooſpectui præſentavit. Quio etiam ad alium diem citatus, ſe aſſeruit, niſi priùs advocatus ejus rediret, nullatenus reſponſurum, ſicut nuocius veſter juramento firmavit. Vnde iterum teſtes mulieris de prudentum conſilio recepiſtis, & atteſtationibus publicatis diligeoter audiſtis quæ fuerunt ipſius nomine allegata. Quia verò cùm

In Tertia Collect. universorum

de ferenda sententia cum viris prudentibus tractaretis, * diversorum invenistis diversa consilia, (quibusdam dicentibus appellationi simpliciter deferendũ, aliis autem appellationi deferendum non esse; nonnullis etiam asserentibus appellationem nullatenus tenuisse, cùm mulier non sit viro restituenda suspecto, nisi de impunitate sufficienti præstita cautione) vos in tanta varietate nos consulere voluistis, qualiter esset in hoc negotio procedendum. Nos ergo consultationi vestræ de fratrum nostrorum consilio taliter respondemus, quòd licèt ordo judiciarius in aliis controversiis observandus, in matrimonialibus causis non usquequaque servetur; quia tamen in præsenti negotio non est actum de fœdere matrimonij, sed de crimine adulterij, per quod ad separationem conjugum non ad conjunctionem intenditur, cùm lite non contestata testes fuerint recepti, & attestationes etiam publicatæ, sive deferendum sive non deferendum appellationi fuisset, non est ad diffinitivam sententiam procedendum, potuit tamen præfatus Ca. propter contumaciam excommunicationis vinculo innodari. Datum Perusij, XV. Kal. Octobris.

LEMOVICEN. EPISCOPO *& Abbati S. Eparchij Engolismen.*

Epist. 363. Vt ablata Ecclesiæ bona detentique reditus restituantur.

VEniens ad præsentiam nostram dilectus filius I. Petragoricen. Decanus contra. P. de Rocenat. & S. Archidiac. Petragoricen. G. & Ar. Diacon. quæstionem intendit, asserens quòd cùm decanatum ipsius Ecclesiæ per donationem dilecti filij nostri Ior. tt. sanctæ Pudentianæ Presb. Card. tunc in partibus illis apostolicæ sedis Legati de assensu Episcopi & Cap. loci illius canonicè fuisset adeptus, ipsi redditus & alia bona quæ prædecessores ipsius Decani per XL. annos & ampliùs pacificè tenuerũt, in ejus præjudicium detinenr occupara, & reddere contradicunt. cujus assertione A. Clericus, qui ex adversa parte procurator ad sedem apostolicam fuerat destinatus, inficiabatur omnino, dicens quòd ea quæ illi pro quibus venerat possidebant, nullatenus idem Decanus vel prædecessores ejus decanatus nomine tenuerunt. Quia igitur super his nobis veritas non poterat denudari, de utriusque partis assensu discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si præmissis veritas suffragatur, memoratos Archidiac. & alios prædictorum redditũum detentores ad restitutionem illicitè detentorum per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione postposita compellatis; audituri si quid fuerit quæstionis, & appellatione remota fine debito decisuri. Testes autem &c. Nullis literis obstantibus, si quæ apparuerint præter assensum partium à sede apostolica impetratæ. Dat. Reat. II. Id. Augusti.

ARMACHAN. ET CASSELLEN. *Archiepiscopis, & Episcopo * Laomen.*

** In Tertia Collect. Lavin. Epist. 364. Quòd in causa contra Electum Roscenſem procedant. Cap. Cùm olim. De dolo & contumacia.*

CVm olim D. Clericus ad sedem apostolicam de Hiberniæ partibus accessisset, bonæ memoriæ C. Papæ prædecessori nostro diversas diversorum Prælatorum Hibernien. literas præsentavit, quibus se asserebat in Episcopum fuisse Roscen. electum. Cùmque nullus appareret qui aliquid proponeret contra eum, dictus prædecessor noster ei per bo. me. A. Albanen. Episcopum munus fecit consecrationis impendi, & ad suam eum remisit Ecclesiam consecratum. Postmodum verò dilecti filij Flor. & * E. monachi ad ejusdem prædecessoris nostri præsentiam accesserunt; quorum uterque se asseruit à Canonicis Ecclesiæ Roscen. electum. Sed idem F. quòd prædictus D. ad eandem Ecclesiam fuisset apud sedem apostolicam, quam per falsas literas circumvenerat, consecratus, exposuit. propter quod idem prædecessor noster causam eorum vobis fratres Cassellen. & * Laomen. Episcope sub ea forma commisit, ut de forma & processu electionis memorati D. solicitè quæreretis; & si eum electum canonicè fuisse constaret, ipsum faceretis pacifica possessione gaudere. alioquin inter prædictos F. & E. audiretis causam, & cujus electionem canonicam & magis rationabiliter factam inveniretis, ratione prævia curaretis alterius electioni præferre, ac tu frater Cassellen. alterum eorum, quem rationabiliter duceres confirmandum, in Episcopum consecrares. Verùm (sicut ex literis vestris accepimus) cùm dictæ commissionis vobis fuissent literæ præsentatæ, juxta tenorem earum primò de electione prædicti D. inquirere voluistis. Sed cùm à vobis tertiò citatus, vestro se nollet conspectui præsentare,

**In Tertia Collect. G.*

**In Tertia Collect. Laatenſis.*

procedentes in cauſam, tam ex teſtimonio Cleri & populi Roſcen. Eccleſiæ, quàm aſſertione illuſtris Regis Corcaiæ & Prælatorum ipſius provinciæ de prædicto F. electionem fuiſſe celebratam canonicè didiciſtis, & eam poſtmodum auctoritate curaſtis apoſtolica confirmare; præſertim cùm Decanus, Archidiaconus, Cantor, Theſaurarius, & totus Clerus & populus Roſcen. Eccleſiæ dictum D. ſe non elegiſſe conſtanter aſſererent, nec de prædicti E. monachi electione aliquatenus cogitaſſe. Interim autem memoratus D. ad apoſtolicam ſedem accedens, & nullam penitùs de commiſſione prædicta vel etiam de prædictorum electionibus faciens mentionem, nobis ſuggerere non expavit quòd cùm ad Roſcen. dioceſim cum prædictis prædeceſſoris noſtri literis remearet, ſupradictus Rex Corcaiæ ipſi fecerat inhiberi ne dioceſim vel Eccleſiam Roſcen. intraret, donec ei certam ſolveret vel ſaltem promitteret pecuniæ quantitatem. Cùm autem poſtmodum amici ejus, præter ipſius conſcientiam, certa Regi munera promiſiſſent, ipſe ad Eccleſiam ſuam admiſſus, in ea per annum dimidium miniſtravit. Sed cùm promiſſam ab amicis ſuis pecuniam noluiſſet exolvere, Rex ira commotus, Decano mandavit ut ei reverentiam nullatenus exhiberet. Qui licèt dicto D. juramento teneretur aſtrictus, quia tamen ab eo pro filio ſuo adhuc parvo archidiaconatum non potuit obtinere, quinta feria majoris hebdomadæ, oleum quod benedici debuerat, furari præſumpſit; & quamvis propter hoc ab eo fuerit excommunicationis vinculo innodatus, nihilominus tamen tertia feria ſeptimanæ ſequentis Roſcenſis Eccleſiæ libros ſurripuit, & ad Regem contra ipſum ſe transferre minimè dubitavit. Quorum duorum moleſtiùs fatigatus, terram ipſius Regis coactus exivit. Propter quod à nobis ad venerabilem fratrem noſtrum Fernen. Epiſcopum & conjudices ſuos literas impetravit, qui memoratum Regem diligentiùs inducerent & monerent ut ipſum ſine alicujus exactione pecuniæ ad Eccleſiam ſuam ſecurè redire permitteret, & adminiſtrationem epiſcopatus tam in temporalibus quàm ſpiritualibus exercere; alioquin eum excommunicationis vinculo innodarent, & terram ejus ſubjicerent interdicto, neutram relaxaturi ſententiam donec ſuper receptione ipſius mandatum apoſtolicum adimpleret: memoratum quoque Decanum, ſi eis de præmiſſis conſtaret, ab officio beneficioque ſuſpenſum ad ſedem apoſtolicam venire compellerent, & donec reſipiſceret, excommunicatum facerent publicè nunciari. Præterea contra Epiſcopum Corcaien. & F. Monachum literas impetravit, aſſerens eundem Epiſcopum jura Roſcen. Eccleſiæ detinere, ac eundem F. monachum in Archidiaconum & Clericos manus injeciſſe temerè violentas. Ceterùm eodem D. à nobis cum hujuſmodi literis recedente, ferè poſt trium menſium ſpatium dictus F. monachus ad ſedem apoſtolicam acceſſit, & ex parte veſtra nobis literas præſentavit: quæ, qualiter à vobis in commiſſione prædicta proceſſum fuerat, continebant. Cum fratribus igitur noſtris habito ſuper hoc diligenti tractatu, timentes ne ſicut prædeceſſor noſter per literas, quas idem D. ei præſentaverat, dicitur circumventus, nos etiam circumveniri contingeret per literas veſtras nobis ab eodem monacho præſentatas, volentes adhuc miſericorditer agere cum abſente, ut & ejus malitia fortiùs convincatur, dictum F. monachum ad vos communiter duximus remittendum, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandantes quatenus eo non obſtante quòd ejus fuit electio confirmata, ſæpedictum D. ſi in Hibernia poterit inveniri, legitimè citetis ad cauſam, & facultate ſibi defenſionis indulta, ſolum Deum habentes præ oculis, in cauſa ipſa canonicè procedatis. Quòd ſi forſan in Hibernia inventus non fuerit, indulto ei unius anni ſpacio, ex quo ad nos, etſi non verbo, facto tamen intelligitur provocaſſe, arrepto itinere ad ſedem apoſtolicam veniendi, dicto F. adminiſtrationem Roſcen. dioceſis tam in ſpiritualibus quàm temporalibus auctoritate freti apoſtolica committatis. quo elapſo, eum non differatis in Epiſcopum, ſicut canonicum fuerit, conſecrare. Si verò prædictus D. inventus in Hibernia, & citatus legitimè, infra tres menſes veſtro ſe conſpectui denuo contempſerit præſentare, ad conſecrationem prædicti F. (ſicut dictum eſt) omni cōtradictione poſtpoſita procedatis. Ne autem per appellationis vel recuſationis ſubſidium veſter poſſit impediri proceſ-

ſus, partibus omnem appellationis & recuſationis penitùs interdicimus facultatem; ne contingat Roſcen. Eccleſiam, quæ ferè triennio jam vacavit, diutiùs carere paſtore. Ad hæc, vobis, fratres Archiepiſcopi, per apoſt. ſcripta mandamus,& diſtrictè præcipimus ne nobilis viri Comitis de Mauritania vel cujuſquam ſecularis poteſtatis gratia vel timore prætermittatis ulteriùs quin electos canonicè confirmetis; confirmatis, prout ad vos pertinet,ſine dilatione quælibet conſecrationis beneficium impenſuri, ne plus videamini homini quàm Deo deferre. Quòd ſi omnes &c. duo veſtrum&c. Datum Peruſij, XV. Kal. Octobris.

HOMINIBUS S. AGATHES.

Epiſt. 365. Confirmantur conſuetudines eorũ rationabiles & antiquæ.

CVm à nobis petitur &c. *uſque ad verbum* annuentes, ad inſtantiam dilecti filij G. de Labro Subdiaconi noſtri rectoris Maſan. apoſtolicæ ſedis Legati,antiquas rationabiles & approbatas conſuetudines veſtras & hactenus obſervatas auctoritate vobis apoſtolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum Peruſij, XI.Kal. Octobris.

CAPITULO,CLERO, ET POPULO tam civitatis quàm diœceſis Lethglennen.

Epiſt. 366. De electione & conſecratione Epiſcopi Lethglennenſis.

EX literis venerabilium fratrum noſtrorum Ardmachan. & Caſſellen. Archiepiſcoporum, Oſeriæ & Darien. Epiſcoporum,& veſtris accepimus,quòd Eccleſia veſtra paſtore vacante, in venerabilem fratrem noſtrum I.nunc Epiſcopum veſtrum, tunc autem Roſſevall. Abbatem, unanimiter conveniſtis, electionem de ipſo canonicè celebrantes. Quia verò venerabilis frater noſter Dublinen. Archiepiſcopus Metropolitanus veſter à ſua diœceſi & Eccleſia exulabat, nec ideo ad eum ſuper hoc recurrere potuiſtis, electionem veſtram dicto Archiepiſcopo Caſſellen. tunc apoſtolicæ ſedis Legato curaviſtis humiliter præſentare; qui eam auctoritate, qua fungebatur, apoſtolica confirmavit, ſed propter contradictionem Ademundi de Vallon. officialis nobilis viri Comitis de Mauritania electo ipſi conſecrationis noluit beneficium exhibere.Nos igitur electionem ipſam canonicam attendentes, & de perſona celebratam idonea, & à præfato Archiepiſcopo confirmatam, (quorum primum & ultimum ſufficienter per prædictas literas & quarundam perſonarum, quas ſecum habebat, teſtimonia, quæ ad majorem cautelam ſub juramento recepimus, probatur; de ſecundo verò per examinationem perſonæ apud ſedem apoſtolicam * vobis factam conſtitit manifeſtè) confirmationem ab eodem Archiepiſcopo factam ratam habnimus, & electum ipſum noſtræ humilitatis miniſterio curavimus in Epiſcopum conſecrare. Eum ergo ad gerendam Eccleſiæ ſuæ ſolicitudinem ad eandem remittentes Eccleſiam conſecratum, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus quatenus eum recipientes humiliter & devotè, tanquam paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum honorare curetis, & de univerſis juſtitiis ad eum ſpectantibus ei ſine dilatione qualibet reſpondere, ſtatuta & mandata ipſius recepturi humiliter, & inviolabiliter ſervaturi. Datum ut ſuprà.

Vide epiſt.ſeq & Rogerium de Hoveden ad an. 1197. circa finem.

* Leg. à nobis.

NOBILI VIRO Comiti de Mauritania.

Epiſt. 367. Ut eccleſiaſticam libertatem & privilegia non perrumpat.

QVòd contra Deum & eccleſiaſticam libertatem per officiales tuos in animæ tuæ perniciem in cauſis ſpiritualibus indebitam tibi juriſdictionem uſurpas, non attendens quòd Ozias Rex, quia præſumpſit incenſum offerre, lepra fuit in fronte percuſſus, quòd viros eccleſiaſticos exulare cōpellis, quòd electionibus canonicè factis repugnare præſumis, miramur non modicùm, & non minùs tibi quàm Eccleſiarum gravamini condolemus. Cùm enim noveris quòd omnis eſt poteſtas à Deo, & quòd uſque adeo humana eſt infirmitas imbecillis, ut nec adicere poſſit ad ſtaturam ſuam cubitum unum, nedum regni ſibi ſolium vendicare, dolemus quòd contra eum & ſponſam ejus Eccleſiam videris ſupercilium aſſumpſiſſe per quem Reges regnant & Principes dominantur; qui potentes deponit,& humiles & juſtos exaltat, ſuperborum & ſublimium colla propria virtute conculcans; per quem ſi cuperes exaltari, te in ipſius oculis humiliare deberes: quoniam omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur, juxta teſtimonium Veritatis. Nam ut alia quæ in libertatis eccleſiaſticæ præjudicium attentaſſe diceris omittamus, & ut tranſeamus ſub ſilen-

tio quòd venerabilem fratrem nostrum Dublinen. Archiepiscopum coëgisti, sicut accepimus, exulare, id solum per literas explicantes propter quod nunc assumpsimus scribendi laborem, sine tua non credimus conniventia contigisse quòd cùm dilecti filij Lethglennen. Canonici, Ecclesia sua pastoris solatio destituta, venerabilem fratrem nostrum I. nunc Lethglennen. Episcopum, tunc autem Rossæval. Abbatem, canonicè ac concorditer elegissent, Ha. de Valon. ministerialis tuus opponere se ipsorum electioni præsumpsit, ipsius Ecclesiæ ac Canonicorum bona violenter invasit, & usque adeo contra ipsum & ejus fautores exarsit, ut venerabilis frater noster Cassellen. Archiepiscopus, tunc apostolicæ sedis Legatus, propter eum ausus non fuerit electum ipsum in Episcopum consecrare, licèt electionem confirmasset ipsius, cùm tu dictum Dublinen. Archiepiscopum, ad quem confirmatio ejus & consecratio pertinebat, in Normanniæ partibus exulem detineres. Quia verò tuæ nobilitati non expedit Deum contra te per offensam Ecclesiæ provocare, aut in eam nos credulitatem inducere quòd ad deteriora manum extendas, si regni fueris honorem adeptus, cùm de vino non possit sapore sperari quòd priùs acescat quàm vasi totaliter infundatur, discretionem tuam rogamus attentiùs & exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus, quatenus cum idem Episcopus consecratus à nobis, ad gerendam Ecclesiæ suæ solicitudinem remittatur, non impedias nec facias vel patiaris ab aliis impediri quò minùs administrationem ejusdem Ecclesiæ tam in spiritualibus quàm temporalibus exequatur; immo dictum ministerialem tuum tradita tibi potestate compellas ut quæ vel Ecclesiæ vel Canonicis Lethglen. abstulit, restituat universa; ita quòd ex hoc omnibus liqueat manifestè quòd sine tuo consensu tanta fuerit iniquitas perpetrata. Hæc autem asperè scribimus, non ad petitionem Episcopi memorati, sed ut nostrum exprimamus affectum: quia pater filium, quem diligit, corripit, & revocare cupit errantem. Abstineas ergo, fili, diligenter ab his quæ tuam famam denigrent, & profectum impediant: ne si Deum ad iram contra te provoces, & Ecclesiam tibi reddas offensam, præter id quod dicitur à psalmista, *Quoniam impius non dimidiat dies suos*, tuæ promotionis intercludas assensum. Datum Perusij, XIV. Kal. Octobris.

MEDIOLANEN. ARCHIEPISC.

Epist. 368. De collatione Cancellariæ Mediolanensis. Cap. Vt nostrū. Vt eccles. benefi- cia & cap. 56. de appellat. Vide suprà epist. 110.

VT nostrum prodeat de Dei vultu judicium, & oculi nostri videant æquitatem, via regia debemus incedere, nec ad sinistram omnino nec ad dexteram declinare, ita magnum judicantes ut parvum; quia non est apud Deum acceptio personarum. Ad audientiam sanè nostram multorum relatione pervenerat quòd Cancellaria Mediolanen. Ecclesiæ vacaverat ultra annum, unde secundùm Lateranen. Concilij statuta ad nos ipsius erat donatio devoluta. Volentes autem tibi solita dignitate deferre, rogavimus te attentiùs & mandavimus ut Cancellariam ipsam dilecto f. Henr. de Settara Subdiac. nostro, Mediolanen. Ecclesiæ Canonico, bene apud te merito, & ad hoc officium obtinendum idoneo, benignè conferres; & si post receptionem literarum nostrarum quicquam de ipsa Cancellaria contra jus acquisitum nobis ex Lateranen. decreto statueres, decernebamus illud irritum & inane. Tu verò literis nostris receptis diceris respondisse, sicut ex publico declaratur authentico, quòd Cancellariam ipsam alteri non cōtuleras, quia propter gravamina debitorum, proventus ipsius tibi erant plurimùm necessarij; literis tamen nostris apertis, earúmque tenore perspecto, responderes in crastino quod crederes respondendum. Porrò, sicut ex alio comperimus instrumento, postquam mandati nostri audivisti tenorem, variata locutione dixisti quòd Cancellariam ipsam non poteras juxta mandatum nostrum præfato Subdiacono nostro conferre; quia, reservatis tibi proventibus, eandem Cancellariam decem mensibus jam elapsis Henrico de Lamp. concesseras. Cùmque nobis hujusmodi responsionum varietas ex scriptis innotuisset authenticis, etsi secundùm Apostolum omnem inobedientiam prompti simus ulcisci, adhuc tamen tibi deferre volentes, cui & in minori officio constituti, & promoti, sicut Domino placuit, ad majora, in multis & magnis detulimus, tibi dedimus in mandatis ut ad præsentiam nostram procuratorem idoneum destinares, qui tuo nomine legitimè nobis

bis ustenderet qnòd dictam Cancellariam personæ iduneæ modo canouico tempore tibi competente donasses; dictus quoque H. de Lampnuiam, cui dicebatur facta donatio, si vellet, ad præsentiam nostram accederet, suam justitiam defensurus. Venientes igitur ad apostulatus nostri præseutiam dilecti filij G. procurator tuus & sæpedictus H. super varietate respunsiunum nitebantur te multipliciter excusare; licèt publicis instrumentis fides non facilè derogetur, & secundùm rerum naturam vix potuisset sufficieuter ostendi quòd tu id quod dictum est minimè responderes, etsi fortè potuisset ustendi quòd aliud respundisses. Prudnxerunt autem in nostra præsentia duus testes, qui jurati dixeruut quòd iu Iauuariu nuper præterito fuit annus ex quo Mediulanen. Cancellarius debitum universæ carnis exuluit, & in sequenti Maiu, cùm consanguinei Henr. de Lampuueu frequenter apud te ac vehementer instareut nt Cancellariam ipsi conferres, te respoudente quòd Cancellariæ proventibus carere non posses, ad multam tamen instantiam est obtentum ut Cancellariæ tibi retineres proventus, & jus ipsius præfato conferres Henrico. Quatuur ergu præsentibus, inter quos duo testes memurati fuerunt, in secretiore Palatij tui camera eundem H. secundùm reuurem præscriptum de Cancellaria investisti per librum, & recepisti fidelitatem ab eo; pruhibens universis ne verbum istud cuiquam revelarent. Adjecit autem unus testium prædictorum, quòd postquam ad te mandatum nostrum pervenerat, & ipse H. jam Bouunia rediisset, tu ei solenuiter & publicè tradidisti se vidente sigillum, mandans ei ut Cancellarij officium exerceret. quud & alter testis asseruit de auditu; & idem procuratur tuus, quòd verum crederet esse, respondit. Henr. quoque cunfessus est factum; sed soleunitatem facti negabat. Quia ergu post interdictum nustrum ei præsumpsisti tradere Bullam, cùm traditiunem ipsam saltem debuisses differre, donec uustrum cunsuleres beneplacitum; dilectis filiis I. Archidiac. & O. Leuto Canonico Mediolanen. dedimus in mandatis, ut si eriam post secundum mandatum, per quod totius cognitionem negutij ad uustrum judicium revocavimus, id ipsum cognoscerent attentatum, traditiouem sigilli decernerent irritam & inanem, inhibentes Henr. ne quomodolibet eo uti præsumeret, cùm plus sit Roman. Poutificem ad se aliquod evocare negutium, quàm quemquam ad eum super aliquo negutiu pruvucare. Tolerabamus autem ad tempus, ut negotij merita nobis pleniùs iunotescerent, investituram quæ dicebatur in ucculto facta fuisse per librum, licèt ecclesiastica beneficia non sint donatione clandestina conferenda, teste Veritate, quæ dicit: *Qui malè agit, odit lucem.* Ceterùm quia Cancellariæ officium memuratæ spirituale vel annexum spirituali propunebatur existere, cùm Cancellarius ex officiu suo multa facere debeat quæ spiritualia esse nuscuntur, ac per hoc sub tenore præscripto dicebatur nun debuisse conferri, cùm ab umni specie mala præcipiat Apostulus abstinere; quia etiam præfatus Henr. de Lamp. licèt receptus sit in fratrem ad vacaturam præbendam, ordinarius tamen asserebatur nuu esse, ac per huc Cancellariam sibi nun debuisse conferri, quæ de jure vel consnetudine ordinario tantùm debet cummitti, cùm nec Mediulanen. Archiepiscupi sed Mediolanen. Ecclesiæ Cancellarius esse scribatur, nec vacante sede Cancellarij perdat officium, (nam nec ipsum sigillum substituto Pontifice variatur) inquisitionem hurum duximus præuominatis I. Archid. & O. Leutu Cauonico Mediolanen. committeudam; per apustulica scripta præcipiendo mandantes quatenus omni contradictioue & ap. cessante, Deum habentes præ oculis, gratia & timure postpositis, sine personarum acceptiune inquirerent super præmissis diligentissimè veritatem, & ne veritas celaretur, testes qui eis uominarentur, si se gratia vel timore subtraherent, per censuram eccl. compellerent perhibere testimonium veritati, & quod super omnibus invenirent, sub litterarum suarum testimonio ad sedem apostulicam destinarent; ut per inquisitionem ipsurum sufficienter instructi, negotium ipsum meliùs decidere valeremus. Ipsi verò mandatum apostolicum fideliter exequentes, convucatis Mediolanen. Ecclesiæ ordinariis, & per pœnam excummunicationis cõpulsis dicere sub jurisiurandi religiune de factu Cancellariæ, quia noverant, super præmissis articulis veritatem, attestationes suas redactas in

ſcriptis, ſigillo munitas, ad noſtram præſentiam tranſmiſerunt. Interdixerunt etiam eidem H. adminiſtrationem ſigilli, ſicut ex literis eorum accepimus, juxta formam mandati noſtri, de conſilio ſapientum. Cùmque ſæpedictus H. de Lamp. cum patre ſuo Rogerio propter hoc noſtro ſe conſpectui præſentaſſet, copiam allegandi pro ſe liberam ac benignam in communi conceſſimus auditorio. Qui per Advocatum propoſuit, quòd delegati prædicti ſine inquiſitione ſpoliaverunt eum executione ſigilli, contra noſtri mandati tenorem, cùm ipſius ſigilli traditio non fuerit facta poſt ſecundum mandatum. & ideo primo loco reſtitutionem ſibi fieri poſtulabat. Formam verò conceſſionis nitebatur multipliciter excuſare, proponens quòd in retentione fructuum ſimoniaca pravitas nullatenus interceſſit. tum quia officium Cancellariæ nec eſt ſpirituale, nec annexum ſpirituali; quia licèt Cancellarius quædam agat quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur, ſicut ex atteſtationibus liquet, ea tamen non agit ex officio Cancellarij, ſed de mandato Archiepiſcopi, ſicut ex dictis teſtium comprobatur. tum etiam quia nihil emit aut vendidit, cùm ſimonia deſcribatur eſſe ſtudioſa cupiditas vendendi vel emendi ſpirituale vel ſpirituali annexum; præſertim cùm tu ante traditionem ſeparaveris fructus, & ita quod tuum erat tibi retinuiſti, non accipiens alienum. Se quoque ad obtinendum Cācellariam proponebat idoneum, cùm de mandato Romani Pont. ſit Mediol. Eccleſiæ Canonicus inſtitutus, vocem habens in Capitulo & locum in choro, & tanquam verus & plenus Canonicus in tractatibus & contractibus ipſius Eccleſiæ admittatur. Nec obſtat quòd integram præbendam non habet, cùm, ſicut per dicta teſtium eſt probatum, archidiaconatus ejuſdem Eccleſiæ, de quo nullatenus dubitatur quin ſit dignitas & officium ſpirituale, quandoque fuerit conceſſus ei qui præbendam integram non habebat. Quòd autem à ſexaginta annis juxta quorundam teſtimonium conceſſa fuit tantùm ordinario præbendato de numero viginti Canonicorum, qui propriè ordinarij appellantur, ſibi nocere non poterat; cùm per hoc nullum ſit tibi præjudicium generatum quin ei qui de numero viginti non eſſet, præſertim Canonico, eandem Cancellariam potuiſſes conferre. Allegabat inſuper quòd etſi pactio de retinendis ad tempus proventibus interveniſſet, quod ipſe tamen negabat, inter te ac parentes ipſius, ipſe tamen de prædicta Cancellaria purè fuit & ſimpliciter inveſtitus. & ideo talis pactio ſibi non debet obeſſe, cùm parentes nihil tibi pro eo dederint, vel promiſerint. Præterea proponebat quòd cùm nullus debeat ſine accuſatore damnari, nec aliquid circa negotium iſtud actum ſit in forma judicij, depoſitiones teſtium non poterant ſibi præjudicium generare. Quia verò per hanc ultimam allegationem perſonam noſtram tangere videbatur, dignum duximus cauſam commiſſæ inquiſitionis & ordinem pleniùs explicare, ne quis quomodolibet ſuſpicetur quòd nos in hoc negotio perperam proceſſerimus, præſertim cùm ratio aſſignanda debeat eſſe poſteris profutura. Cùm enim juris ſit explorati quòd actore non probante is qui convenitur, etſi nihil præſtiterit, debet abſolvi, videri poterat quòd nos tibi, qui conveniebaris à nobis, malitiosè vel indiſcretè onus probationis ſuper tribus præmiſſis articulis impoſuimus, videlicet ut oſtenderes quòd prædictam Cancellariam perſonæ idoneæ modo canonico & tempore tibi competenti donaſſes. Porrò cum donatio fuiſſet occulta, & ideo ſuſpicione non careat, & elapſo jam anno nullus omnino Cancellarius appareret, non immeritò credebatur quòd ſecundum Lateranen. ſtatuta Concilij ad nos eſſet ipſius Cancellariæ donatio devoluta, & ideo ſine culpa potuiſſemus ipſam conferre. Quoniam etſi locum Dei teneamus in terris, non tamē de occultis poſſumus divinare. Quod ergo contra illud quod prima facie juſtè præſumebatur pro nobis, præſertim cùm reſponderis prima vice quòd Cancellariam alicui non contuleras, facultatem tibi pro te probandi conceſſimus, non fuit gravamen, ſed gratia, nec ex malitia ſed ex benignitate proceſſit. Quòd etiam de modo canonico fidem nobis fieri mandavimus; tu cauſam præſtitiſti mandato, (quod ſæpe nobis per literas intimaſti) & tandem probaſti per teſtes quòd retentis tibi proventibus, officium conceſſeras memoratum. ex quo non immeritò contra talem conceſſionem fuimus ſuſpicati; cùm & proponeretur apertè quòd illud ei perſonæ commiſſe-

ras, cui secundùm consuetudinem Mediolanen. Ecclesiæ non debuerat aliquo modo committi. Et ideo non tam ex plenitudine potestatis, quàm ex officij debito, quia possumus & debemus de subditorum excessibus ad correctionem inquirere veritatem, te maximè causam & occasionem præstante, inquisitionem commisimus faciendam. Omnibus ergo diligenter auditis quæcunque fuerunt in nostro auditorio * proponenda, deliberavimus cum fratribus nostris, & in ipsa deliberatione te in tribus prçcipuè comperimus fuisse culpabilem. circa contrarietatem responsi: quia non solùm nobis, qui, licèt immeriti, Iesu Christi locum tenemus, sed nec cuiquam debuisses ex certa scientia contraria respondere. circa carnalitatem animi: quia non effectu carnali, sed discreto judicio debuisti ecclesiasticum officium & beneficium in persona magis idonea dispensare. & circa inhonestatem facti: quia non licuit ex pactione vel conventione quacunque sub modo vel tenore præscripto concedere nudum officium, & tibi retinere proventus; cùm & in Lateranen. Concilio sit prohibitum, ne quis conferendo ecclesiasticum beneficium, partem proventuum suis usibus retinere præsumat; & alibi cautum reperiatur in canone, quòd ecclesiastica beneficia debent sine diminutione conferri. Vnde credimus distinguendum, utrum qui dat spirituale beneficium, proventus ipsius ante donationem percipiat. Nam si proventus ante donationem non percepit ipse, sed alius, & ex donatione consequitur ut ipse proventus percipiat, non est dubium intercedere simoniacam pravitatem. Si verò ante donationem perceperit ipse proventus, credimus etiam distinguendum, utrum ante donationem constituat ut ipsi proventus retineantur ad tempus pro causa justa & necessaria, an conveniat cum eo qui accipit beneficium, seu cum mediatore quocunque, ut officio illi concesso retineat ipse sibi proventus. Primum enim membrum credimus esse licitum; secundum autem dicimus non licere, ne viam aperiamus his qui pravitatem suam satagunt palliare. Quia verò majorum excessus majori debent severitate puniri, cùm juxta divinæ legis oraculum si sacerdos, qui est unctus, peccaverit, faciet delinquere populum, quod inhonestè super retentione proventuum præsumpsisti, de communi fratrum nostrorum consilio irritavimus, & in pœnam præsumptionis hujusmodi, ut in eo puniaris in quo peccaveras, à collatione dignitatis vel ecclesiastici beneficij, quod ad tuam donationem in tuâ primò vacabit Ecclesia, censuimus suspendendum. Ceterùm quia divina docente scriptura didicimus quòd melior est sapiens viro forti, & qui dominantur animo expugnatore urbium, quantumcunque voluerimus aut vellemus, si salva possemus justitia, (contra quam non judicamus nos posse, cùm simus in sede justitiæ constituti) præfatam Cancellariam prædicto Subdiacono nostro conferri, sæpedictum tamen H. de Lamp. non invenimus ita culpabilem, ut eum exigente justitia ipsa Cancellaria privare possimus; cùm etsi parentes ejus ex simplicitate deliquerint, nihil tamen pro ea dantes, aut etiam promittentes, ipse tamen investituram Cancellariæ, sicut verus Canonicus, & cui ratione canonicatus de jure non poterat opponi defectus, sine pactione qualibet & cōventione recepit. nec etiam fuit sufficienter probatum quòd Cancellarius ex officio suo faciat spiritualia memorata, cùm ea potiùs de jure communi ad Archidiaconi spectent officium, repræsentare videlicet ordinandos Episcopo, & illos examinare, ponere Abbates & Abbatissas in sede. quæ cùm probatum sit per aliquos testium Cancellarium facere de mandato Archiepiscopi, de speciali potiùs quàm de generali mandato videtur intelligi. Verùm quòd delegati præscripti scripserunt se interdixisse illi officium Cancellarij secundùm apostolici formam mandati, de consilio sapientum, cùm ab eis super hoc appellatum non fuerit, nec aliquid contra probatum, de rigore juris, ex quo præsumitur legitime factum, potuissemus illud decernere observandum. Sed misericordia, quæ superexaltat judicium, nos induxit, ut quod in contemptum nostrum creditur esse factum, de benignitate sedis apostolicæ remittamus; cùm ad pœnam illi sufficiat, quòd propter hoc secundò ad sedem apostolicam laboravit. Datum Perusij IX. * Octobris.

* f. proposita

Papa nihil potest adversus justitiam.

* Kal.



CONSULIBUS ET POPULO Castellan. nobilibus viris, & aliis per Castellan. diœcesim constitutis.

Epist. 369. Ut Pontifici fidelitatis juramentum præstent.

GRates multimodas omnipotenti Deo debetis referre quòd vestris videtis temporibus adimpleri quæ vestri progenitores summo desiderio affectarunt. Vobis etenim est summopere congaudendum, quòd terra vestra, quæ ad jus & proprietatem Ecclesiæ Rom. pertinere dignoscitur, cùm dudum fuerit per violentiam occupata, & per occupationem vehementer oppressa, nunc ad ejusdem Ecclesiæ Rom. naturale dominium redeat non coacta, & ipsius jurisdictioni gratanti voluntate subdatur. Cùm igitur vos, filij Consules, cum quibusdam aliis in præsentia nostra fidelitatis nobis exhibueritis juramentum, dilectos filios Marsican. Subd. & Capellan. & nobilem virum Iohannem familiarem nostros ad partes vestras decrevimus destinandos. Volentes, & universitati vestræ per apostolica scripta mandantes, quatenus in eorum manibus universi & singuli fidelitatis juramenta præstetis, ut deinceps auctore Deo terra vestra sub apostolicæ sedis dominio optata valeat securitatis & pacis tranquillitate gaudere. Nos enim ad ea quæ honori vestro & utilitati viderimus expedire, diligens studium & efficacem operam impendemus.

HUBERTO CANTUARIEN. Archiepiscopo.

Epist. 370. De recuperandis Ecclesiæ bonis.

CUm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, fraternitati tuæ auctoritate apostolica indulgemus, firmitérque præcipimus, ut ea quæ à temporibus Ric. & Bald. antecessorum tuorum circa res & possessiones atque patrimonium Cantuarien. Ecclesiæ & mensam archiepiscopalem in grave damnum & jacturam Ecclesiæ illicitè alienata repereris, appellatione remota per censuram ecclesiasticam mediante justitia revoces, & debitis usibus non differas applicare. Revocationes verò illorum quæ per prædecessores tuos circa mensam archiepiscopalem, possessiones, Ecclesias, & Ecclesiarum concessiones auctoritate apostolica legitimè revocata sunt, ratas & firmas esse jubemus; tibi districtiùs injungentes ut ea, nostra fretus auctoritate, firmiter appellatione remota facias observari. Decernimus ergo &c. indulgentiæ nostræ &c. Si quis autem &c. Datum Perusij XIV. Kal. Octobris.

HUBERTO CANTUARIEN. Archiepiscopo.

Epist. 371. Confirmat decretum quoddã Regis Anglorũ.

MOnet nos apostolicæ sedis, cui licèt immeriti præsidemus, auctoritas pro statu omnium Ecclesiarum provida circumspectione satagere, & ne malignorum rapinis vel molestiis exponantur, apostolicum ipsis patrocinium exhibere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus & honestis gratam conniventiam impendentes, statutum illud quod carissimus in Christo filius noster R. illustris Anglorum Rex super libertate ac immunitate Ecclesiarum & personarum ipsarum post redemptionem sui provida deliberatione fecisse dignoscitur, sicut in scripto ipsius Regis exinde confecto pleniùs continetur, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus; & ad hujus rei perpetuam firmitatem, continentiam ipsius rescripti de verbo ad verbum his duximus inferendam.

« RICHARDUS Dei gratia Rex Angliæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, Comes Andegavensis, Archiepiscopis & Episcopis & universo Clero regni Angliæ, salutem. Gratias agimus affectuosas universitati vestræ pro eo quòd de thesauris & ornamentis ecclesiasticis & facultatibus vestris ad corpus nostrum redimendum tam benignè nobis & liberaliter subvenistis, & quòd nobis in tanta necessitate res Ecclesiarum vestrarum & vestras gratis exponere voluistis. Ne igitur quod de mera liberalitate à vobis actum est ad liberarionem corporis nostri & ineffabilem honorem & utilitatem nostram, futuris temporibus trahatur in consequentiam, & sanctæ matri Ecclesiæ vel vobis dispendium pravæ importet consuetudinis, ad omnium volumus notitiam pervenire quòd ea quæ nobis in prædicto necessitatis articulo contulistis, nec unquam ex debito vel per consuetudinem exegimus, nec posteris sumus temporibus exacturi, nec hac vel alia occasione volumus dignitatibus sanctæ matris Ecclesiæ in aliquo vel ejus libertatibus obviare, sed pro omni posse nostro & scientia (Deo volente) volumus omnem ejus immunitatem & universas ejus dignitates & libertates (ut dignum est) con-

„ seruare integras, & pro loco & tempore, in quibus licuerit, augmentare. Nulli ergo &c. Datum Perusij, XV. Kal. Octobris.

ABSALONI LVNDEN. Archiepiscopo.

Epist. 172. De bonorum quorundam praesertim castri Hasij donatione.

FRatres & coëpiscopos nostros, tam propinquos, quàm longè positos, syncera tenemur caritate diligere, ipsósque in his quae justè requirunt, libenter & efficaciter exaudire. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus clementer annuimus, & ad exemplar fe. record. Vrbani Papae praedecessoris nostri castrum de Hasij, quod illustris memoriae Waldem. olim Rex Daciç tuae fraternitati contulit, & tu tali conditione interposita Rostkilden. Ecclesiae pia consideratione dedisti, ut ipsum debeas quoad vixeris detinere, post decessum tuum ad Ecclesiam ipsam liberè devoluendum, sub jamdictae conditionis tenore, sicut ipsum justè & sine controversia possides, cum omnibus pertinentiis suis, auctoritate tibi apostolica confirmamus, & praesentis scripti pagina communimus, videlicet villam ipsam de Hasij, mansionem de Otberslef cum omnibus pertinen. suis, scilicet Sersfel, Solbiarge, Huanlolde, Wigislef, Walbu, mansum unum Brunsoge, Imbrethorp, mansiones de Gesnetofte & de Murhoge cum omnibus pertinentiis earum, mansiones de Barsuerthe & de Wigurm cum omnibus pertinentiis earum, mansiones de Husfretop & de Haverthi cum omnibus pertinentiis earum, mansiones de Burgbu & de Hiartbarum cum omnibus pertinentiis earum, & universam partem earum quae acquisivit Nicolaus Castellanus tuus, juxta tenorem pacti quod inter vos convenit. Nulli ergo &c. Datum Perusij, X. Kal. Octob.

PETRO ARVSIEN. EPISCOPO.

Epist. 173. Confirmat statutum de sex praebendarum institutione.

OFficij nostri debitum & caritas ordinata requirit ut quae à fratribus & coëpiscopis nostris acta laudabiliter fuerint, auctoritatis nostrae praesidio inconvulsam obtinant firmitatem & plenam in futuro agendi fiduciam tribuant potiora. Sicut autem ex parte tua, venerabilis in Christo frater, nostris est auribus intimatum, de bonis patrimonialibus, & aliis quae rationabiliter acquisisti, ac de his quae commissa tibi Ecclesia priùs habuerat, sex praebendas providè statuisti Canonicis assignandas, qui eidem Ecclesiae debeant deservire. Nos ergo statutum ipsum dignis in Domino laudibus commendantes, ut firmiter omnibus futuris temporibus observetur, prout circumspectè & providè factum est, & in authentico scripto venerabilis fratris nostri Absalonis Lunden. Archiepiscopi expressiùs continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo &c. Datum Perusij, VI. Kalend. Octobris.

VPSALEN. ELECTO.

Epist. 174. Qualiter Pallio utendum sit.

REceptis tam dilectorum filiorum Capituli Vpsalen. Ecclesiae literis, quam plurium aliorum, qui pro Pallij datione apud nos vehementer instabant, de tua fuimus promotione gavisi. Qui sperantes in Domino quòd eo adjuvante commissae tibi administrationis officium debeas salubriter exercere, ad augmentandum tuae dignitatis honorem, quem in susceptione Pallij es cum potestatis plenitudine suscepturus, prompto favore libenter intendimus ad instātiam dilectorum filiorum Tobiae nuntij venerabilis fratris nostri Lunden. Archiepiscopi & Walterij nuntij tui, petitionibus praedictorum clementiùs annuentes. Vnde nos ipsum de beati Petri corpore sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officij, tibi transmittimus, ut tibi per venerabilem fratrem nostrum Lunden. Archiepiscopum vice nostra, sub ea forma juramenti quam expressam ei sub Bulla nostra transmittimus, assignetur. Tu verò, tanquam vir providus & discretus, illud de manibus ejusdem Archiepiscopi juxta formam praedictam cum omni devotione suscipiens, eo in festivis diebus & aliis temporibus quae in Ecclesiae tuae privilegiis exprimuntur, utaris; ita videlicet ut ex tantae culmine dignitatis spiritum tibi superbiae non assumas; sed quanto fueris praeeminentior dignitate, tanto juxta illius magistri exemplum qui eum qui major inter discipulos suos erat fieri voluit minorem, ministrari non veniens, sed causa humilitatis aliis ministrare, te omnibus humiliorem exhibeas, te potiùs exaltandum humilitate sciturus. Misericordiae quoque operibus jugiter te praestes intentum, quae beatos efficit suos sectatores, eosdem evangelica Veritate consecutu-

ros misericordiam attestante. Omnibus etiam hominibus te reddas affabilem, & si fieri potest, secundùm Apostolum cum omnibus pacem habeas, ut pacificus vocari Dei filius merearis. Te cum eodem Apostolo semper ad anteriora, posteriorum oblitus, extendas; manúsque tuas reddens in operibus innocentes, sic ea lucere facias coram hominibus ad subditos tuos exempla bonorum multiplicata transmittens, ut Deus magnificetur in illis, & lucerna tua jugiter super candelabrum ardens, omnibus introeuntibus in domum Domini viam absque offendiculo præbeat expeditam. Ad quorum operum fortius fulcimentum non desint opera caritatis: sine qua, cùm ipsa ceteris virtutibus præeminentior habeatur, nihil omnino creditur esse perfectum; immo nullam retinet operatio firmitatem, nisi caritatis fuerit radice subnixa. Inter cetera verò quæ tibi ex officio imminent facienda, tuum sit studium speciale, Rom. Ecclesiam matrem tuam in omnibus & per omnia revereri, atque mandata & institutiones ipsius, utpote inter omnes Ecclesias ex divina provisione primatum per beati Petri merita obtinentis, studeas irrefragabiliter observare. Datum Perusij, VI. Kal. Octobris.

IOHANNI POTESTATI & populo Perusin.

Epist. 175. In suam protectionem Perusinos recipit, salvis eorum antiquis privilegiis.

APostolica sedes, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est & magistra, speciales filios ampliori consuevit gratia honorare; ut eos & ad devotionem suam ferventer accendat, & ad obsequium suum diligenter invitet. Nos ergo, qui miseratione divina huic sanctæ sedi, licèt immeriti, præsidemus, devotionis & fidei puritatem, quam erga matrem & dominam vestram sacrosanctam Rom. Ecclesiam geritis, attendentes, vestris quoque precibus inclinati, quos inter alios fideles nostros speciali caritate diligimus, civitatem Perusinam, quæ ad jus & proprietatem ipsius pertinere dignoscitur, cum pertinentiis suis, & nunc habitis, & in antea legitimè acquirendis, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Eam verò nunquam alienabimus, sed semper ad manus nostras curabimus retinere. Consulatum autem cum jurisdictione sua vobis auctoritate apostolica confirmamus, concedentes ut his qui sunt ipsius jurisdictioni subjecti, liberum sit ad Potestatem vel Consulem, qui pro tempore fuerint, legitimè appellare. Consuetudines quoque vestras antiquas & novas rationabiles & communiter observatas duximus approbandas. Salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate pariter & justitia, & Ecclesiarum omnimoda libertate. Nulli ergo &c. protectionis, confirmationis, & concessionis &c. Datum Tuderti, VI. Nonas Octobris.

PRÆLATIS ET CLERICIS Lombardiæ.

Epist. 176. Ne justitiam vendant, aut cum clientibus de mercede paciscantur. Cap. Cùm ab omni. De vita & hon. Cleric.

CVm ab omni specie mala præcipiat Apostolus abstinere, nos, qui, licet indigni, constituti sumus à Deo super gentes & regna, ut juxta verbum propheticum evellamus & destruamus, ædificemus & plantemus, summopere debemus satagere, quatenus evellamus vitia, & plantemus virtutes, destruamus iniqua, & ædificemus honesta; sicque nostra solicitudine mediante prava transeant in directa, & aspera convertantur in plana. Licèt autem hujus nostræ solicitudinis labor generaliter debeat ad omnes extendi, quia sapientibus sumus & insipientibus debitores, specialiter tamen ad Clericos, qui dormire debent à vitiis, ut sint pennæ columbæ deargentatæ, ne quid in illis appareat quod offuscet candorem ecclesiasticæ puritatis. Sane ad audientiam apostolatus nostri multorum assertione pervenit quòd cùm ex delegatione nostra causas suscipitis pertractandas, more secularium super decima litis vel parte alia pro diversa terrarum consuetudine, præter expensas victualium, cum litigantibus receptis pignoribus pro salario convenitis; quæ postmodum usque ad solutionem pecuniæ, nolentibus etiam partibus, contenditis detinere; non attendentes quòd ad hoc vobis & aliis Clericis sunt ecclesiastici redditus deputati, ut ex ipsis honestè vivere debeatis, ne vos oporteat ad turpia lucra manus extendere, vel ad iniqua munera oculos inclinare. Cùm ergo opera vestra lucere debeant laicis in exemplum, nec vos deceat instar secularium ad turpe compendium juris occasionem arripere, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus ab hujusmodi exactio-

nibus de cetero abstinentes, vigorem judiciarium gratis studeatis litigãtibus impertiri; non obstante quòd in fraudem à quibusdam proponitur quòd id exigatur nomine Assessorum, cùm nec justum judicium judici vendere liceat, & venales sententiæ ipsis etiam secularibus legibus reprohentur. Datum Tuderti, V. Nonas Octobris.

NARNIEN. EPISCOPO.

Epist. 177. Vt causam Abbatis de Ferentillo cognoscat. Cap. Cùm dilectus. De ordine cognit. * In Tertia Compilat. Ferentino

CVm dilectus filius Abbas de * Ferentillo ad nostram præsentiam accessisset, conquerens de nobilibus viris O. & A. fratre ipsius, & filiis R. dominis de Arton, partibus in nostra præsentia constitutis dilectos filios nostros I. tituli sanctæ Pudentianæ & G. tituli sanctæ Mariæ in trãsTyberim Presbyteros Cardinales deputavimus auditores. In quorum præsentia suam Abbas proposuit quæstionem, quòd præfati nobiles, nulla requisitione præmissa, manu armata, & cum exercitu, ad castra monasterij Ferentilli & Gab. venientes, in prædis animalium, segetum combustionibus, captionibus hominum, homicidiis perpetratis, & damnis aliis usque ad * quingentas libras Lucen. præter stragem hominum, & injurias irrogatas, damnificare dictum cœnobium præsumpserunt. De quibus & aliis pariter quæ vellet proponere contra ipsos, justitiam sibi fieri postulabat. Cui citra litis contestationem sub forma exceptionis fuit ex adverso responsum quòd cùm Abbas ipse nobilibus viris O. & R. promiserit præstito juramento quòd eos contra omnes homines (exceptis Rom. Pontifice, Imperatore, ac Legatis ipsorum) ad retinendum quod tunc habebant & possidebant in castris, villis, & bonis aliis, & recuperandum sine fraude ac malo ingenio, si eorum aliquid amitterent, adjuvarent, per ipsius dolum & violentiã castrum * Sacrati amiserant fraudulenter, quod & progenitores eorum tenuerant & ipsi possederãt in quiete. Super quo ab ipsis sæpe admonitus, illud eis restituere denegavit. Quin potiùs villas tres, Quadraginta scilicet, Casale, & Carpium, quas pro se & parte sua dictus Abbas sub securitate receperat, fœdere violato, in animalibus, spoliis, & suppellectilibus aliis ipse cum suis fuerat deprædatus, conjugatis tractatis turpiter, mulieribus etiam acriter verberatis: etiam sacerdotem ligatis à tergo manibus ante se duci fecit afflictum verberibus, & vestibus penitùs spoliatum. Homines quoque villarum recludi fecit in carcerem: ubi unum ex ipsis contigit expirare. Castro etiam, in quo dicti nobiles habitabant, ignem Abbas de nocte fecit apponi: per quem in præmissis damnis & aliis multis usque centum marchas se spoliatos dicebant, petentes priùs restitui quàm ipsius petitionibus responderent; præsertim cùm testes haberent præsentes, per quos intentionem suam in continenti probare volebant. & quòd restitutio ante causæ ingressum deberet fieri spoliatis, utriusque juris auctoritatibus ostendere conabantur. Verùm ex parte Abbatis fuit taliter replicatum, quòd libello suo secundùm regulam juris, qua dicitur, Vt qui prior appellat, prior agat, debebat primitus responderi; nec ab eo restitutio peti poterat qui non fuerat spoliator; præsertim cùm * castrum Sacrati ad jus & proprietatem sui monasterij pertineret. quod etiam pars adversa nullatenus denegabat. Vnde ut verus dominus, ad quem ab alio res sua possessa revertitur, etiam post tempora longiora retentionis debebat commodum obtinere, & judicium restitutorium contra spoliatorem tantùm competere dignoscatur. Pro damnis quoque illatis restitutio postulari non poterat; sed ad ea debebat actio competens intentari. Alioquin cùm & pars Abbatis damna gravissima sibi quereretur illata, priùs restituenda fuerant, si pro hujusmodi esset restitutio facienda, secundùm tenorem regulæ memoratæ. Capitula quoque de restitutione facienda loquentia locum habere in criminalibus asserebant, & quando quis ab adversario spoliatur, & super re ipsa, qua spoliatus fuerat, convenitur. Ceterùm ex parte Abbatis regulam introductam adversa pars in mutuis petitionibus locum habere dicebat, cùm causæ vicissim tractatæ una postea sententia terminantur. Cùm verò pars aliqua per restitutionem vel alio modo aliquid sibi deberi proponit, & altera in modum exceptionis se asserit spoliatam, nec ante restitutionem suam ullatenus responsuram, de incidenti asserebat antea cognoscendum. Cùm autem ea quæ præmisimus & alia quædam prædicti Cardinales nobis & fratribus nostris fideliter retulissent, nos distinguendum esse credentes utrum

*In Tertia Collect. quinquaginta

*In Tertia Collect. Samiti

* In Tertia Collect. castra Surrati

spoliationis quæstio ab eisdem nobilibus sit objecta in modum actionis ad restitutionem petendam, an in forma exceptionis ad intentionem adversarij repellendam, cùm ea in modum actionis proposita intelligantur diversæ petitiones se minimè contingentes, ac per hoc juxta regulam juris præmissam quę priùs esset proposita, priùs foret tractanda, quanquam in idem judicium ambæ deductæ vicissimque tractatæ simul essent eadem sententia terminandæ. Sed quoniam illa quæstio fuit ab eisdem nobilibus tantùm in modum exceptionis objecta, de communi fratrum nostrorum consilio interloquendo pronuntiavimus ut probationes eorum super ipsa exceptione primitus audirentur, & ea probata legitimè non cogerentur Abbati respondere super petitionibus memoratis, donec restituerentur ab ipso, cùm spoliatus spoliatori ante restitutionem non cogatur ullatenus respondere. Spoliatione tamen in modum tantùm exceptionis probata, non est per hoc restitutio facienda; quemadmodum cùm in modum exceptionis aliquod testi crimen objicitur, ut sic à testimonio repellatur, etsi sic crimen contra eum civiliter fuerit probatum, non ideo sibi pœna infligitur ordinaria, sed ejus duntaxat testimonio non creditur. quod ea ratione contingit, quoniam in ipsum accusatio non procedit. Testes etiam, quorum testimonium reprobatur, inter infames, quasi ex falso testimonio, non habentur. Cùm autem super exceptione ipsa probandi testes sint ex parte Militum jam producti, & attestationes etiam publicatæ, pars Abbatis ad repellendos eos nonnulla in præsentia nostra se proposuit objecturã. Nos ergo volentes parcere laboribus partium & expensis, & quia majoribus occupati, causas singulas in persona propria discutere non valemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus ad tuam præsentiam constitutis, audias quæ pars Abbatis contra testes & attestationes duxerit proponenda, & quæstionem ipsam servato juris ordine, appellatione remota, legitimo fine decidas. Postmodum autem si partes contra se mutuò duxerint aliqua proponenda, nihilominus audias, & si ambæ consenserint, remota ap. ob. justitia mediante decidas. Alioquin omnia gesta redacta in scriptis, sigilli tui munimine roborata, ad præsentiam nostram transmittas: utrique parti assignans terminum competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Datum Ameliæ, III. Nonas Octobris.

NOBILIBVS VIRIS VGVIT. & Guidoni Marchioni, fidelibus nostris.

Epist. 378. Recipit illos cum ipsorum subditis in protectionem apostolicam.

LIcèt apost. sedes mater sit omnium generalis, eos tamen protegere consuevit specialiùs & fovere qui præter spiritualem subjectionem, quæ ipsi debetur ab omnibus, ei sunt temporali etiam jurisdictione subjecti. Eapropter, dilecti in Domino filij, devotionem quam erga Rom. Ecclesiam & nos ipsos habetis diligentiùs attendentes, vos & totam terram vestram, quæ ad jus & proprietatem beati Petri pertinere dignoscitur, cum omnibus quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis annuente Domino recuperare poteritis, seu etiam adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem majorem & minorem insulas, quas ad jus & proprietatem nostram non est dubium pertinere, sicut eas justè ac pacificè possidetis auctoritate vobis apostolica confirmamus &c. Decernimus ergo &c.

NOBILI VIRO SPALAGRAN.

Epist. 379. Indulgetur ei ut cœnobiū & ordinem S. Benedicti intrare possit.

EX tua confessione reperimus quòd olim corde compunctus ad ordinem Hierosolymitani Hospitalis disposueras te transferre, licèt ad hoc te voto minimè astrinxisses. Si verò ille à quo omne datum optimum & omne donum perfectum est, per quem de virtute ascenditur in virtutem, vino compunctionis ampliùs te potaverit, & ascensionem cordis tui dignatus fuerit in melius promovere, ita ut in aliquo monasterio, in quo beati Benedicti regula observetur, propositum concipias Domino militandi; quoniam & tu super hoc à nobis consilium postulasti, nos diligentiùs attendentes quòd nullum juxta confessionem tuam votum emiseris, aut feceris professionem, unde secundum videatur propositum impediri, & etiam intuentes quòd beati Benedicti regula arduitatem vitæ continet arctioris, ut in aliquo monasterio prædicti ordinis Domino, si malueris, valeas militare, liberam tibi concedi-

concedimus auctoritate præsentium facultatem;& dummodo de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta procedat, ut hoc in monasterio sancti Fortunati valeas adimplere, tibi benignius indulgemus. Datum Tuderti, IV. Nonas Octobris.

EPISCOPO LINCOLNIEN. & Decano de Huntedon.

Epist. 380. Vt celebrent divortium inter P. & T. cùm processerit inter eos cognatio spiritualis. Cap. 6 De cognat. spirit. * In Tertia Coll. E. Apud Greger. C.

VEniens ad præsentiam nostram *G. Anglicus natione nobis exposuit quòd cùm olim in adolescentia constitutus mulieri cuidam adhæsisset, quam tamen quidam alius antè cognoverat, de consilio matris suæ factum est ut eadem mulier quendam puerum, quem de alia soluta ipse susceperat, de sacro fonte levaret, ad suspicionem & infamiam utriusque delendam. Deinde verò cùm in ejus amorem vehementiùs exarderet, absque consilio amicorum eam clanculò desponsavit. Cùmque prolem ex ea procreare non posset, & increpationes à patre suo gravissimas sustineret, quod eam desponsando deliquerat revolvens in animo, ipsa dimissa, causa orationis Hierosolymam est profectus. Verùm cùm idem rediens de partibus transmarinis, prolem eam suscepisse de alio invenisset, ei noluit adhærere, sed propter adulterium, quod commisisse taliter videbatur, ea omnino dimissa ad longinquam se transferens regionem, & ad Eugubin. tandem veniens civitatem, quandam ibidem cum terra competenti & dote decenti sibi matrimonialiter copulavit, de qua prolem se confessus est suscepisse. Eapropter discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus super his inquiratis diligentiùs veritatem; & si primam mulierem prædicti viri filium de sacro fonte levasse constiterit antequam eam desponsasset uxorem, vos inter eos divortium appellat. postposita celebrantes, rei processum nobis per literas vestras fideliter exponatis, ut an cum secunda valeat legitimè commorari, veritate cognita decernere valeamus. Quòd si ambo &c. tu ea frater Episcope &c. Datum apud civitatem Castellanam, VIII. Idus Octobris.

*NIDROSIEN. ARCHIEPISCOPO.

* In Tertia coll. Strigoniensi, male. Epist. 381. Respondetur illius consultationibus.

QVòd in dubiis nostro postulas certificari rescripto, ut juxta illud tuæ discretionis arbitrium moderetis, fraternitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus. Sanè consuluit nos tua fraternitas, utrum altare, in quo excommunicatus divina celebrare præsumpsit, reconsecrari debeat, & an sic communicandum excommunicato qui quòd staret mandato Ecclesiæ juratoriam præstitit cautionem, sed nondum absolutionis beneficium est adeptus. Et si excommunicato communicare aliqui, & qui etiam teneantur. Quæsivit etiam, quæ pœna his fuerit injungenda qui excommunicatis volentes communicant, vel inviti, & quid de Presbyteris sit agendum qui gubernant naves ad pugnam, & pugnant, & his qui alios incitant, sed non pugnant. Ad hæc autem fraternitati tuæ taliter respondemus quòd nec altare, in quo excommunicatus celebrat, debet (nisi aliud interveniat) consecrari, nec excommunicato, licèt quòd stet mandato Ecclesiæ, juramento firmarit, communicari debet, donec fuerit per Ecclesiam absolutus. Alioquin post juramentum non esset absolutio necessaria. Verum autem si absolutionis beneficium non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excluserit, tali vel saltem in morte communicare sit licitum, quia minimè per tuas literas requisisti, ad præsens non duximus respondendum. Nullus autem omnino omninatim excommunicato scienter communicare tenetur, nisi quædam personæ quæ per illud Gregorij Papæ capitulum *Quoniam multos*, specialiter excusantur. Illi autem qui nominatim excommunicatis præsumptuosè participant, præter personas dicto canone denotatas, nisi ab eorum participatione commoniti fortè destiterint, excommunicationis sunt vinculo innodandi. Secùs autem si ei communicant scienter qui cum participibus suis est vinculo excommunicationis sententialiter innodatus. Tunc enim & ipsi sententiam excommunicationis incurrunt. Quia verò tam sacerdotes qui gubernant naves ad pugnam, quàm qui personaliter exercent pugnæ conflictū, & hi qui alios incitant ad pugnandum, omnes quidem enormiter peccant, de rigore canonico eos credimus deponen-

Cap. 10 De sent. excom.

Vide etiam cap. 32. eod. tit.

11. q. 3. cap. Quoniam.

Cap. 5. De pœnis.

Cap. 8. De renuntiat.

dos. Hi prætereà qui beneficium eccleſiaſticum ſibi collatum ſponte in manum laicam reſignantes, illud denuo à laico ſuſceperunt, eodem ſunt beneficio ſpoliandi; licèt reſignatio talium facta laico nullam obtineat firmitatem. Altare verò in quo tabula cui conſecrationis benedictio pontificali miniſterio adhibetur, ſi mota fuerit, vel enormiter fracta, debet non immeritò conſecrari. Nec negamus quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri. Clerici autem qui excommunicati, vel ab excommunicatis ſcienter ad ordines ſunt promoti, debent ab ordine ſic ſuſcepto deponi. Datum apud civitatem Caſtellan. VI. Idus Octobris.

Cap. 1. De dedic. Eccleſ.

NIDROSIEN. ARCHIEPICOPO, Vniverſis Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis in Norvvagia conſtitutis, in fidelium communione manentibus.

Epiſt. 182. De compeſcendo tyranno, qui eos miſerè excruciabat. *Vide ſuprà epiſt.* 320.

IN veſtrorum & totius populi Norvvagiæ criminum ultionem permittente Domino credimus accidiſſe quòd uſque adeo in vos & totum regnum Norvvagiæ tyrannica Sueri crudelitas & violentia deteſtanda prævaluit ut & regnum nec electione Principum, prout accepimus, nec ratione ſanguinis occuparit, & in viros eccleſiaſticos ipſe quondam eccleſiaſtico (ſicut dicitur) functus officio debacchetur, Eccleſias opprimat, Clericos perſequatur, affligat pauperes, & ſæviat in potentes: ita ut divino credatur accidiſſe judicio, ut qui ſecundùm etiam ſuam aſſertionem illegitimè natus ad ſacros non fuerat ordines promovendus, contra ſanctiones canonicas aſſumptus ad eos, fortiùs in illos deſæviat qui in ordinatione ipſius ſtatuta canonum non ſervarunt. Miramur autem, non de Deo, qui ad correctionem veſtram ejus tyrannidem hactenus toleravit, nec de ipſo, cujus ſpiritus obſtinatus in malo malum dediſcere, aſſuetus iniquitati, non poteſt, ſed de his qui apoſtatam, ſacrilegum, & nefandum adhuc etiam ſacrilegæ temeritatis auſu ſequuntur, & ei præbent auxilium & favorem, cujus tyrannidem perſequi potiùs pro viribus tenebantur. Licèt autem ad edomandam ejus verſutiam frequens manaverit ab apoſtolica ſede mandatum, nondum tamen ſic ejus potuit perverſitas refrænari, quin adhuc quibuſdam eum in ſuarum ſequentibus perniciem animarum, in quadam parte Norvvagiæ dominetur, & in ea rabiem ſuperet aquilonis. Qui ut ampliùs vos & univerſum Norvvagiæ populum circumveniret, & auctoritate apoſtolica regnum ſibi oſtenderet confirmatum, bonæ memoriæ * Celeſtini Papæ prædeceſſoris noſtri Bullam falſare non timuit, qua varias literas ſigillavit. Sed is cui manifeſta ſunt omnia, ejus falſitatem detexit. Ne autem ejus perverſitas deſæviat diutiùs in inſontes, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus quatenus Norvvagiæ populum diligentiùs moneatis ne ipſum ulteriùs ſequi præſumant, aut ei præſtare auxilium vel favorem. Alioquin univerſos ſequaces ipſius excommunicationis nuncietis ſententia innodatos, & claudentes Eccleſias, & nullum in tota terra Norvvagica, quæ ipſum ſequitur, ſacramentum eccleſiaſticum, præter baptiſma parvulorum & pœnitentias morientium, celebrantes, fautoribus ejus decedentibus ſepulturam eccleſiaſticam degenetis. Ad hæc, diſcretionem veſtram nolumus ignorare, quòd cùm nuntij ejus ad noſtram præſentiam acceſſiſſent, à nobis ſuper facto ipſius nihil potuerunt penitùs impetrare. Vnde ſi quid pro eo ſe obtinuiſſe confinxerint, à falſariis id obtentum eſſe noveritis, quorum multitudo in noſtræ promotionis initiis cum falſis Bullis per noſtram fuit ſolicitudinem deprehenſa. Datum apud civitatem Caſtellanam, II. Nonas Octobris.

* *Hic & in epiſt. 184. legebatur* Clementis. *Sed ratio temporum repugnat. Itaque correximus.*

ILLVSTRI REGI Dacorum.

Epiſt. 183. Ejuſdem argumenti.

TAm Cleri quàm populi Norvvagien. promerentibus culpis permittente Domino credimus accidiſſe &c. *uſque ad verbum* deſæviat in inſontes, ſerenitatem regiam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, ac per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad defendendas Eccleſias, Clericos in ſua libertate tuendos, liberandos pauperes & potentes de manu perſecutoris illius, immo etiam ad dejiciendum monſtrum illud, quod his ſolis parcit quibus nocere non poteſt, taliter accingaris, ut & à Deo retributionem æternam & noſtram conſequi gratiam ſpecialiùs merearis: perſecutoribus tantæ iniquitatis aſſiſtas, reſiſtas ſequacibus; ita quòd membrum illud diaboli non

possit in regno Norvvagiæ denuo debacchari, aut persecutionem in Ecclesiis ulterius suscitare. Datum ut suprà.

In eundem modum illustri Regi Suetiæ.
In eundem modum nobili viro Comiti Suetiæ.

NIDROSIEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 384. Vt Bergensem Episcopum tyranni fautorem deponat.

EXaminatam tuæ fidei puritatem & fervoris constantiam, quam nec persecutio nec gladius nec fames nec exilium diuturnum à caritate Christi separare potuit, vel dejicere à statu libertatis ecclesiasticæ conservando, quem etiam nec terror coëgit, nec minæ moverunt, nec demulserunt blanditiæ, nec preces nec promissiones potuerunt inducere ut Suero sacrilego & apostatæ, qui regnum Norvvagiæ per effusionem sanguinis & violentiam occupavit, in matris infamiam se asserens de regali progenie descendisse, vel latenter annueres, vel expresse faveres, dignis in Domino laudibus commendamus; & tanto amplius ex hoc tuæ fraternitatis fortitudini congaudemus, quanto in te potiùs persecutor exarsit, sed constantia tua ejus tyrannidem superavit. Vnde cùm tibi contra tyrannum illum à tuis esset suffraganeis assistendum, nec eorum aliquis eidem excommunicato deberet præstare favorem, utpote qui Ecclesias & ecclesiasticos viros servituti subjicere nititur, opprimere pauperes, & effundere sanguinem innocentem, ferre non possumus non molestè quòd Bergen. Episcopus, suffraganeus tuus, contra bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri mandatum, & contra tuum etiam interdictum, castra ipsius sequi non dubitat, celebrans excommunicato divina, & in ejus præsentia universa exercens ecclesiastica sacramenta: qui licet à te fuerit sæpius evocatus, tuo tamen se noluit conspectui præsentare. Quia verò tanta præsumptio severiori debet animadversione puniri, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus Episcopum ipsum, si præmissis veritas suffragatur, ab officio beneficióque suspendas, nec priùs sententiam suspensionis relaxes, quàm nostro se conspectui præsentarit. Quòd si forsan sententiam tuam servare neglexerit, eum anathematis censura percellas, & singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis extinctis, excommunicatum facias publicè nunciari: ut quem timor Domini à malo non revocat, rubor saltem & pœna compescant. Sciturus quòd nos prædictum Suerum absolvere non proposuimus, nisi taliter satisfaceret de commissis, quòd ejus esset satisfactio non irrationabiliter admittenda. Datum ut suprà.

VERONEN. EPISCOPO S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali.

Epist. 385. De homicida deponendo ab ordine sacro.

SIcut ex tuarum & aliorum multorum accepimus continentia literarum, cùm V. Ecclesiæ de Nigrario Clericus adversùs Archipresbyterum & fratres ipsius plebis graves inimicitias concepisset, tu eum propter enormia facinora sua, & quia cum sceleratis & iniquis hominibus conversando arma portabat Clericis interdicta, multáque alia nefaria committebat, ab officio beneficióque suspensum excommunicationis etiam vinculo innodasti. Clericus autem ipse in concepta malitia perseverans, eundem Archipresbyterum, boni testimonij virum, sanguine generosum, amicum religionis, hospitalitatis cultorem & aliorum operum pietatis, à Veronen. civitate, ad quam profectus fuerat pro Ecclesiæ suæ negotiis peragendis, ad suam Ecclesiam redeuntem, cum complicibus suis seculari potestate bannitis, diabolo instigante, propriis manibus (sicut dicitur) interemit, & in frusta concidere non expavit. Cùmque ceteris fugientibus ipse à Potestate ac Consulibus captus, detrusus fuisset in carcerem, & propter validas probationes & indicia manifesta ferri posset in eum sententia capitalis; ad majorem facinoris evidentiam, licèt quòd reus esset sanguinis defuncti Archipresbyteri à populo clamaretur, ad paucorum tamen instantiam indictum est à Potestate personale duellum. Verùm in tanto discrimine constitutus, & vitæ suæ pertimescens, utpote perpetrati sceleris conscientia vulneratus, patre medio, qui pro se ac filiis pacem pro morte dicti Archipresbyteri dicitur recepisse, mandatis consanguineorum defuncti per omnia parere promisit. Quibus pro illata injuria octingentas libras intercedente pacto promisit pariter & persolvit. Et quoniam amici Clerici memorati apud te, precibus instare

non cessant ut eum officio & beneficio restituere debeas, excommun. vinculo primitus absolutum; aliis è contra clamantibus Clericis & laicis rectiùs sentientibus eum tanquam reum sanguinis restituendum non esse, sed potiùs perpetuò deponendum; tu in tanta rerum ambiguitate, quid tibi foret agendum, sedem apostolicam consulere decrevisti. Nos ergo attendentes quòd non solùm à malo, sed etiam ab omni specie mali sit secundùm Apostolum abstinendum, nec volentes quòd maleficia remaneant impunita, fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd si præmissis veritas suffragatur, præfatum V. Clericum ab omni beneficio ecclesiastico per te fieri volumus alienum, ipsúmque nihilominus excommunicatum publicè nuncies, & facias tamdiu appellatione remota ab omnibus evitari, donec cum tuarum testimonio literarum nostro se conspectui repræsentet animadversione canonica puniendus. Si qui verò se duxerint opponendos quò minùs mandatum apostolicum impleatur, tu eos, ut à sua temeritate desistant, per censuram ecclesiasticam cessante appellatione compellas. Datum apud civitatem Castellanam, VII. Idus Octobris.

R. TITULI SS. MARCELLINI & Petri Presbyt. Cardinali, monasterij Cassinen. Abbati.

Epist. 186. Ut & suos fluxos mores & cœnobij sui corrigat.

TActi sumus dolore cordis intrinsecus, & cor nostrum gravi mœrore tabescit, quoniam odoris suavitas, quæ de sancta religione per beati Benedicti meritum ab Ecclesia Cassinen. ad cetera monasteria quondam effluxerat, à qua etiam tanquam à suo fonte per totius orbis climata derivata suæ sumpserunt institutionis exordium,* ex majori jam parte defecit, verùm etiam in fœtorem horridum est conversa, ut ad eam adulescentulæ jam dicere dedignentur, *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, cui dicere consueverant, *Oleum effusum nomen tuum, adulescentulæ dilexerunt te nimis.* Super hoc autem tu non videris alienus à culpa: qui cùm tibi sit ipsius Ecclesiæ cura commissa, culpam negligis corrigere subditorum: quia (juxta verbum sapientis) ubi non est gubernator, populus corruit, pastoris incuriam dissolutione ovium accusante. Veruntamen licèt aliquid asperum tibi scribamus, plus id admonitioni quàm redargutioni debes ascribere, cùm te per hoc cautum & providum reddere intendamus. Scis etenim sacra te docente scriptura, quòd pater filium, quem diligit, corripit, & amici meliora sunt verbera quàm oscula inimici, viáque vitæ est increpatio disciplinæ: quam si diligenter attendas, cum sapiente, qui timet & declinat à malo, tuam diriges semitam circumspectus, in viam stulti non abiens, qui transilit, & confidit. Ad hæc, si quasi ad excusationem in temporalibus tuæ studium intentionis expendis, ut Ecclesia tua in possessionibus dilatetur, illas omnibus debes præferre divitias, quibus inter filias Sion tua supergredi valeat universas, quæ videlicet in spiritualibus attenduntur. Primùm namque jubemur quærere regnum Dei, & sic nobis adjici omnia promittuntur. Vnde si Marthæ studium laudabiliter retinens, partem Mariæ, quæ non auferetur ab ea, tibi eligere voluisses, de spiritualibus solicitiùs meditando, scandalum illud potuisses evadere, per quod Casinen. Ecclesia in observantiis regularibus adeo inferior prædicatur, ut quæ mater religionis extiterat & magistra, vix filia sive discipula jam meruerit appellari. Vt igitur ampliùs in te proficiat manifesta correctio quàm amor absconditus, nos ad correctionem tuam hæc omnia prælibantes ad excitand. in melius, cum dulcibus amara miscendo, discretionem tuam rogamus, consulimus, & in Domino plurimùm exhortamur, quatenus ex his dignum capiens intellectum, te cum Apostolo ad anteriora posteriorum oblitus extendas, & ad observantiam religionis & ordinis, quam taliter excidisse dolemus, in tuo monasterio congruè relevandam eo modo studeas vigilare, ut famæ dispendium, quod idem monasterium sub tuæ fuit hactenus negligetiæ torpore perpessum, per tuę sedulitatis instantiam redimatur, & dissolutionis amota materia, quæ tantorum origo malorum extitit principalis, per tuæ informationis exemplum grex tibi commissus sub regularibus institutis arctiùs restringatur. Vnum autem inter cetera debes summopere præcavere, ne (secundùm quod dixit Apostolus, *Timeo ne cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*) in conversatione tua te talem exhibeas, quòd à te offendiculum aliquod oriatur, per quod via tuis subditis in corruptionem pateat & tui-

* *Addendum hoc loco videtur*, non solùm

nam; quin potiùs in operibus tuis eam munditiam & exemplum ostendas, quòd ipsis eadem sint lucerna, téque tanquam ducem ovium liberè procedentem, absque aliqua offensione sequatur. Apostolicum verò tibi non timeas deesse favorem, si ad dissolutionis excessus corrigendos in monachis, ne solito more ulteriùs evagentur, juxta nostræ instructionis monita duxeris procedendum: in quo laudabiliter ordinando, nec parcere sanguini, nec alicujus debes gratiam attendere, vel timorem. Vt autem in hoc liberior possit haberi processus, nec rebellio quorumlibet sive contumacia vires possit ex assuetudine dissolutionis assumere ad sui tuitionem erroris, viros maturos, qui sint & gravitate personarum & morum honestate timendi, prout sanius consilium tibi dictaverit, instituere & aliis præficere te oportet. Ad eos autem tuæ correctionis studium solicitiùs debet extendi qui post greges sodalium exteriùs evagantur, per quorum exempla perversa vita claustralium infamatur, in quibus nondum ex toto religionis scintilla defecit, sed adhuc viret lilium inter spinas. Quantumcunque verò tibi deferre velimus, nisi fortè in correctione profeceris, tuæ motus volens sequi potiùs voluntatis quàm salubrem exhaurire doctrinam, nulla nos poterit occasio retardare quin in te sive quoslibet alios, quos eadem involutos culpa noverimus, manum correctionis gravissimam apponamus; ita quòd ea quæ demulcendo proferimus, secundùm excessuum quantitatem debitæ sequi videbitur austeritatis affectus. Datum Romæ apud sanctum Petrum, XVII. Kal. Novembris.

NOBILIBVS VIRIS HENRICO, Leonardo, & Marco Mauricen. Civibus Venetis.

Epist. 187. Vt severius quoddam contra Andream Iurisconsultum editum mandatum revocent. *Cap.* Veniens ad præsentiam. *De jurejurando.*

VEniens ad præsentiam nostram dilectus filius Andreas Mengun. lator præsentium humili nobis relatione proposuit quòd cùm olim fuisset in præsentia dilecti filij nobilis viri Ducis Venet. cum pluribus aliis constitutus pro multarum discussione causarum, accidit ut cum Mauritio Mauricen. alternatim convicia inferendo certaret. Propter quod cùm graves inimicitias incurrisset, & vos & alij parentes vestri propter hoc fuissetis vehementiùs excitati, quidam qui partis utriusque amatores extiterant, se in medium ingerentes, turbationem illam ad pacem studuerunt & concordiam revocare, suggerentes & consulentes prædicto A. ut in satisfactionem injuriarum vestro juraret obedire mandato. Cùmque idem non credens se tale quid commisisse, propter quod ei grave aliquid imponi deberet, juramentum illud vobis sub tali confidentia præstitisset, ipsi statim sub juramenti debito præcepistis quòd à festo beati Michaëlis proximè præterito inantea nunquam curiam dicti Ducis intraret, nisi tunc cùm omnes per edictum ipsius generaliter ad curiam vocarentur, aut nisi per nobilem virum Rog. Comitem & Nicolaum Mauricen. qui absentes esse dicuntur, ipsum contingeret relaxari. Verùm quia idem Andreas, qui (sicut asserit) dicti Ducis consiliis juramento, & in jure suo multis Ecclesiis, quarum est Advocatus, promisso tenetur adesse, nequaquā taliter juravisset, si mandatum illud sibi contrarium præscivisset, præsertim cùm animæ suę timeat obviare saluti; per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus quatenus mandatum ipsum pro vestrarum remedio animarum penitùs revocetis. Quòd si mandatum ipsum aut nolueritis aut nequiveritis revocare, noveritis nos venerabili fratri nostro Patriarchæ Graden. mandasse ut si mandatum illud priori juramento licitè facto repugnat, ipsum auctoritate nostra denuntiet non servandum. Datum apud civitatem Castellanam, IV. Idus Octobris.

Illi scriptum est ut hoc faciat.

STRIGONIEN. ET COLOCEN. Archiepiscopis, & suffraganeis suis.

Epist. 188. Vt Ecclesiarum libertas immunitásque conservetur.

MAlitia filiorum hominum, qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, adeo apud vos invaluisse proponitur, ut nec sciant vel videant quàm periculosum sit eos Dominum reliquisse, & ejus apud ipsos non esse timorem; qui ponentes offendicula sua in domo Domini, in qua invocatum est nomen ejus, ita apprehenderunt eam inter angustias, ut libertas ejus in dissipationem jam posita, penitùs jaceat conculcata. Cùm enim (sicut audivimus) Ecclesia Dei in regno Vngariæ in tanta reverentia olim consueve-

rit haberi, ut si etiam publicus latro ad eam ob tutelam sui corporis confugisset, sub ejus consisteret immunitate securus, & quandiu lateret ibidem, tanquam innocens servaretur; nunc evacuata omnino tanta per iniquitatis filios libertate, non tantùm nocentes personæ, verùm etiam res sacræ & aliæ ibidem pro securitate depositæ, violenter ab Ecclesiis extrahuntur. Vnde nos, quibus secundùm Apostolum incumbit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, propter tantum discrimen Ecclesiæ vehementer afflicti, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus statum Ecclesiarum, quem taliter periclitari dolemus, ad antiquam studentes omnimodis reducere libertatem, eos quos temerarios violatores earum vobis esse constiterit, tam nostra quàm vestra auctoritate suffulti, appellatione cessante, * terram illius rigore sententiæ compescatis quem secundùm canonum instituta in talibus videritis præsumptoribus adhibendum, ita ut per vos ad honorem Dei & Ecclesiæ officij vestri debitum exequentes, quod Ecclesiis sub negligentiæ torpore deperiit, laudabiliter relevetur, & studium vestrum apud Deum & homines appareat commendandum. Datum Laterani, XII. Kal. Novembris.

Scriptum est illustri Regi Vngariæ ut in his quæ pro libertate Ecclesiæ prædicti Archiepiscopi & Episcopi duxerint statuenda, suum eis auxilium & consilium impendat pariter & favorem.

MAGISTRO APOLLINARI Clerico venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Strigoniensis.

Epist. 389. A juramento quòd Ecclesiæ jura defendere quis velit, per appellationem non liberatur. Cap. Brevi. De jurejurando.

Brevi sedem apostolicam sciscitatus es quæstione, utrum ille qui jura alicujus Ecclesiæ servare ac pro posse defendere juramento tenetur, si necessitate imminente sub debito juramenti ad hoc fuerit requisitus, & nolens hoc facere ad sedem apostolicam duxerit appellandum, perjurij reatum incurrat. Nos autem quæstioni tuæ taliter respondemus, quòd in hoc articulo appellantem à perjurio talis appellatio non excusat, immo, nisi aliqua difficultas obsistat, propter quam non possit requisitus Ecclesiæ subvenire, culpa perjurij potiùs irretitur. Datum ut suprà.

LITERÆ REGIN. ARCHIEPISC. ad Dominum Papam.

Epist. 390. Quòd causa tribus conjunctim delegata, à duobus, excluso tertio, rectè definiri nequiverit.

Excellentissimo Domino & beatissimo Patri suo Domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ sedis reverendissimo Summo Pontifici G. humilis & indignus Ecclesiæ Regin. minister salutem & debitæ perpetuam devotionis obedientiam. Placuit beatitudini vestræ causam quæ vertitur inter venerabiles Montis-Regalis & Russanen. Archiepiscopos mihi vestro devoto Clerico unà cum reverendis Patribus Panormitan. & Capuan. Archiepiscopis per literas vestræ sanctitatis committere: quibus debita reverentia & honore susceptis, non multò post susceptionem earum me per aliquot dies languor aliquantulus, non sine meorum exigentia meritorum, invasit; nec tamen ut inde mandatum vestrum minùs posset perfici vel adimpleri, cùm tam nos quàm & partes præsentes omnes Panor. fuerimus; et si meis sociis onerosum videretur forsitan expectare quandiu mei apponeret divina clementia misereri, & nequivissem tunc pro instanti debilitate corporis cum ipsis ad hoc exequendum personaliter interesse, vox tamen & sensus mihi nunquam per Dei gratiam defuit, quin possemus deliberatione mutua, juxta mandatum vestrum, diligenti examine causam ipsam inquirere, ac fine debito terminare. Verùm jamdicti mei socij infra illud ægritudinis meæ spatiolum pro eorum voluntatis arbitrio, meam super hoc & eorum sibi sollicitudinem vendicantes, me ignaro & inconsulto, in causam ipsam, secundùm quod eorum dictavit consilium, processerunt. Et ne fortè in his quæ parvitati meæ ab apostolicæ sanctitatis eminentia injunguntur, in conspectu Domini palliata falsitas sub veritatis specie offeratur, processum ipsius causæ secundùm quod ad diligentem inquisitionem meam certa quorundam, qui interfuerant, approbatæ opinionis virorum & veridica relatione mihi licuit experiri, paternitati vestræ duxi præsentis textu paginula intimandum. Hinc est quòd cùm præfati mei socij prænominato Montis-Regalis Archiepiscopo ex officio delegationis injungerent ut ad hoc quod sibi ab Archiepiscopo Russanen. objicitur, pleniùs responderet, & idem Ar-

chiepiscopus pro duabus causis oon debere se diceret eorum inde stare judicio; tum videlicet quia causa ipsa tribus fuerat delegata, & ab illis duobus tantùm, me præsente inconsulto & inscio, oec vice mea super hoc eis commissa, citatus fuerat ad judicium; tum etiam quia ante ipsorum citationem pro eadem causa nuncium suum ad pedes vestræ sanctitatis transmiserat, (in quo decretalis Domini Alexandri sibi apertiùs dignoscitur suffragari) ipsi ejus assertiones nullatenus attendentes, iterum sine mei notitia cootra eum, ut respooderet, sententiam protulerunt. In quibus omnibus prædictus Archiepiscopus gravari se seotiens, ad vestræ beatitudinis audientiam appellavit. Erit igitur, si placet, vestri fontis scientiæ, cujus impetus lætificat civitatem Dei, super his juxta summum vestræ immensæ discretioois arbitrium providere. Datum Panormi XXV. die meosis Augusti, prima Iodictiooe.

LITERÆ ARCHIEPISCOPI & conventus Montis-Regalis ad Dominum Papam.

Epist. 391. De eodem argumento.

SAnctissimo Patri & totius fidei Christianæ magistro Domioo Innocentio, Ca. Mootis-Regalis humilis mioister, ejusdémque Ecclesiæ uoiversus Conventus, pedum osculum, & quod potest peccatorum oratio. Placuit beatitudini vestræ causam quæ vertitur inter Rossanen. Archiepiscopum & Ecclesiam nostram, immo vestram, judicibus delegatis committere, videlicet Paoormitan. Regio. & Capuan. Archiepiscopis, fine debito termioandam. Vnde oos io omnibus & super omoia maodatis apostolicis parere cupientes, ad primam duorum tantùm citationis vocem accessimus, exceptiones oostras (sicut juris est) peremptorias opponentes, videlicet quòd nuncios nostros specialiter pro hac eadem causa ante citatiooem ad pedes sanctitatis vestræ transmiseramus. Elapsis postmodum tribus aut quatuor diebus, à Panormitan. & Capuan. tantùm Archiepiscopis, sicut priùs, citati, ne vestram videremur contemnere majestatem, eorúmque conspectui præsentati, quia primam exceptionem nostram frivolam judicabant, aliam exceptionem noo minùs peremptoriam adjecimus, & objecimus quia cùm causa fuisset à sanctitate vestra tribus judicibus delegata, præsente tertio & irrequisito, videlicet Domino Reginensi, nobis etiam absentibus & ignaris, exceptiones nostras inutiles judicantes, pronuntiaverunt adversæ parti nos respondere teneri. Vnde ob tam evidentes & suspicionis & gravaminis causas ad sedem apostolicam appellavimus, quæ mater est & subsidium omnium oppressorum, cùm in omnibus his appellatione opus non esset. Nam prima causa est, quia nuntij nostri ante citationem iter arripueraot ad vos veoieodi. Secunda, quia præsente tertio & ignaro, & citaverunt, & decretalem Alexandri, quæ loquitur in hunc modum, frivolam judicaruot. *Ceterùm cùm aliquam causam contigerit tibi appellatione remota commissam fuisse, & adversa pars post factam citationem iter arripuerit ad sedem apostolicam veniendi, non minùs poteris in negotij cognitione secundùm juris formam procedere. Quod utique si ante citationem iter inceperit, non est utique observandum.* Sed, quod deterius est, nobis oescientibus & irrequisitis pronuntiaverunt præmissas exceptioues nullius fore momenti. Vode prostrati ad pedes sanctitatis vestræ petimus plus affectu quàm voce, plus devotione quàm verbo, ut Ecclesiam oostram, quæ vestra specialis est, nullis patiamini perturbationibus concuti, nec æmulorum nostrorum quasi luporum morsibus lacerari. Valeat sanctitas vestra.

Cap. Meminimus. De appellat.

REGIN. ARCHIEPISCOPO & Episcopo Cephaludensi.

Epist. 392. Causa de qua duæ præcedentes epistolæ loquuntur, ipsis committitur. Cap. Cùm causa. De officio jud. deleg.

CVm causa quæ vertitur inter venerabiles fratres nostros Montis-Regalis & Rossanen. Archiepiscopos, super quibusdam decimis, vener. fratribus oostris Panormitano & Capuauo Archiepiscopis & tibi frater Regin. commissa fuisset à oobis fine canonico terminanda, prædictus Archiepiscopus Montis-Regalis, sicut ex literis ejus accepimus, ad primam prædictorum Panormitan. & Capuan. Archiepiscoporum citationem accessit: in quorum præseotia constitutus excipiendo proposuit quòd pro duabus causis non deberet eorum stare judicio; tum videlicet quia causa ipsa fuerat tribus delegata, & ab illis duobus tantùm, te frater Regin. præsente incoosulto & inscio, nec vices tuas eis super hoc committeote, fuerat

ad judicium evocatus; tum etiam quia ante ipsorum citationem pro eadem causa nuncium suum ad apostolicam sedem transmiserat. in quo decretalem felicis mem. Alexandri Papæ III. prædecessoris nostri sibi affirmabat apertiùs suffragari. At verò iidem Archiepiscopi exceptiones ipsius nolentes admittere, contra eum ut respoonderet interlocutoriam sententiam protulerunt. propter quod idem Archiepiscopus sentiens se gravari, sedem apostolicam appellavit. Nos igitur prædictorum inquisitionem & decisionem canonicam vestræ discretionis examini committentes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis ad præsentiam vestram qui fuerint evocandi, & inquisita super præmissis diligentiùs veritate, si vobis constiterit prædictos Archiepiscopos exceptiones prædictas nullatenus admisisse, non obstante eo quòd per ipsos factum est, decimas ipsas, quibus prædictus Montis-Regalis Archiepiscopus se, postquam nuntij sui propter hoc ad sedem apost. accesserunt, asserit spoliatum, præcipuè cùm easdem tam sibi quàm Ecclesiæ suæ à sede apostolica suisse asserat confirmatas, sive per laicalem potentiam, sive etiam per eosdem judices factum sit, cum fructibus inde perceptis, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, restitui faciatis; audientes postmodum, quantum de jure poteritis, si quid fuerit quæstionis, & appellatione remota, fine debito decidentes. Datum Laterani Kalend. Novembris.

EPISCOPO, CONSULIBUS, & populo Parmen.

Epist. 393. De ablata per vim Cardinali in itinere pecunia. *Vide suprà epist. 122.*

Licèt Romana Ecclesia, quæ ceterarum mater est & magistra, in delinquentes juxta suorum excessuum qualitatem rigorem severitatis ecclesiasticæ consueverit exercere, illis tamen qui à suo resipiscentes errore, humiliter ad ejus obedientiam redeunt, solita est benignitatem & mansuetudinem exhibere, & viscera caritatis misericorditer aperire illius exemplo qui neminem ad se venientem respuit. Accepimus siquidem ex tenore literarum tuarum, frater Episcope, ac dilecti filij P. sanctæ Mariæ in via lata Diac. Cardinalis, apostolicæ sedis Legati, quòd medietatem pecuniæ nostræ, ac suæ, ac servientium ipsius, quæ, dum per Lombardiam iter faceret, illi fuit violenter ablata, restituere promisistis, & solutis jam centum marcis, infra octavam proximò venturæ Paschæ vos firmiter obligastis residuum soluturos; à Consulibus, Rectoribus, tota credentia vestræ civitatis, & ab aliis etiam, prout prædicti Card. nuntio visum fuit, super hoc data juratoria cautione. Ipse verò Cardinalis sententias interdicti & excommunicationis, quæ in quosdam vestrum & civitatem vestram fuerant promulgatæ, auctoritate apostolica relaxavit, & Ecclesiam sancti Domnini de Burgo, quæ propter hoc à jurisdictione Parmen. Ecclesiæ fuit exempta, donec esset super hoc congruè satisfactum, ipsi Parmen. Ecclesiæ statuit sicut priùs de cetero fore subjectam; ita tamen quòd si prædicta pecunia infra præscriptum terminum, prout tenemini juramento, non fuerit integrè persoluta, ex tunc tam vos quàm civitas vestra & Ecclesia Parmen. sitis eisdem sententiis & eidem pœnæ subjecti. Idem insuper Cardinalis in manu vestra, quantum ad medietatem prædictæ pecuniæ, juri suo cessit omnino, & ex parte nostra promisit quòd nos juri nostro similiter cedemus, ut repetendi medietatem illam vel agendi adversùs quemlibet nomine nostro habeatis liberam facultatem. Nos igitur erga humilitatem vestram benigniùs agere cupientes, quod à prædicto Cardinali (sicut præmisimus) factum est, ratum & firmum habemus, & volumus inviolabiliter observari, super illa medietate juri nostro cedentes, prout vobis Cardinalis ipse promisit. Porrò districtè præcipimus ut Palavicinus & ceteri qui cum eo fuerunt perpetratæ iniquitatis principales auctores, usque ad plenariam satisfactionem sententiæ promulgatæ in eos teneantur astricti. Datum Laterani X. Kal. Novembris.

EPISCOPO CIVITATIS Castellan.

Epist. 394. Rationem præscribit observandam circa sepulturã mortuorum, inter Episcopum & Cistercienses.

Honestatem Cistercien. ordinis, quæ per Dei gratiam longè latèque diffunditur, tanto perfectiùs cupimus custodiri, quanto ferventiùs viros religiosos & pia loca diligimus, & eos in suis justitiis intendimus propensiùs confovere. Quia verò non solùm illis sed generaliter omnibus sumus in sua justitia debitores, intellecta litis materia quę inter

* In vet. cod. MS Illustriss. V. Ioa. Bapt. Colberti legitur, Falcien.

inter Ecclesiam tuam & monasterium * Falaren. super sepultura defunctorum multipliciter agebatur, æquitate suadente mandavimus ut monachi Falaren. nullum de cetero ad sepulturam recipiant, nisi sit eorum Oblatus, vel alius qui secundùm institutionem Cistercien. ordinis apud eos valeat sepeliri. Porrò tam de Oblatis quàm de aliis jussimus observandum, ut quarta testamentorum reddatur illis Ecclesiis à quibus mortuorum corpora assumentur; nisi talis fuerit Oblatus qui habitum eorum susceperit ante mortem, vel antequam infirmaretur se offerens, vivus transeat ad eorum monasterium tumulandus, fraudis omnino cessante figmento. Sicut ergo super his quæ mandavimus, nullum Ecclesiæ tuæ volumus præjudicium irrogari, sic eidem monasterio nullum gravamen inferri, salvis per omnia Cistercien. ordinis institutis. Quod autem de quarta testamentorum religionis favore mandavimus, nullum consuetudinibus & rationibus aliarum Ecclesiarum volumus impedimentum præstare. Ne vero mandatum nostrum in dubium valeat revocari, ipsum præsenti pagina duximus annotandum. Datum Laterani XII. Kal. Novembris.

In eundem modum scribitur Abbati & Conventui Falarensi.

FRATRI RAINERIO.

Epist. 195. Datur facultas reformandi Ecclesias per quas transitū fecerit.

GRatus tui nominis odor, & suavis tuæ famæ dulcedo, per quam tuæ religionis honestas dignis undique laudum præconiis exaltatur, tam ex literis quàm ex relatione plurium ad nos usque pervenit, ex quo tanto ampliori gratulatione animi jocundamur, ac spiritus noster in Domino recreatur, qui suorum ministrorum dirigit actus in bonum, quanto tam ex communi fama quàm ex confidentia quam de tua gerimus puritate cognoscimus evidentiùs atque scimus quòd per opera quæ laudabiliter operaris ipso duce qui est lucerna pedum tuorum, & ipse Deus glorificatur in terris, & gloria nobis & Ecclesiæ Romanæ non modicus honor accrescunt. Nos igitur, exemplo illius qui negotiatorem suum fidelem inveniens, ei multo majora commisit, sperantes quòd pater omnium bonorum semper in melius tuas dirigat actiones, ut Ecclesias quas in locis, per quæ transitum feceris, invenies à suo statu dilapsas, possis ad statum congruum revocare, statuendo in eis quæ secundùm Deum videris statuenda, & corrigendo juxta canonicas sanctiones quæ corrigenda fuerint, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Volumus autem ut ea propter quæ specialiter te direximus, principaliter exequaris. Nulli ergo &c. Datum Laterani III. Kal. Novembris.

AQVEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 196. Vt resignationem Episcopi Forojuliensis recipias, & alium idoneum Episcopum eligi curet.

CVm venerabilis frater noster Forojulien. Episcopus recognoscens suam insufficientiam & defectum, & timens ex hoc sibi & Ecclesiæ suæ grave periculum imminere, nobis per suas literas intimasset quòd desiderium haberet ac propositum pontificali cedere dignitati, nos volentes in hoc debita maturitate procedere, statum Forojulien. Ecclesiæ ac personæ ipsius Episcopi tibi commisimus inquirendum, ut per te certi redderemur qualiter esset in negotio procedendum. Sicut autem ex literis tuis nobis innotuit, tam Ecclesiæ Forojulien. quàm ipsi Episcopo plurimùm expedit ut eidem abrenuntiandi pontificali officio licentiam tribuamus; cùm ille propter impedimenta tam cordis quàm corporis non possit Ecclesiæ regimini congruè providere, & ipsius administratio potiùs redundet in ejusdem Ecclesiæ detrimentum. Volentes igitur tam saluti ejusdem Episcopi quàm necessitatibus ipsius Ecclesiæ, prout tenemur ex injuncto nobis officio, præcavere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus solenniter & publicè ipsius recipias auctoritate apostolica cessionem. Facta verò cessione spontanea, Canonicos Forojulien. moneas & inducas ut alium Episcopum eligant, qui tam spiritualiter quàm temporaliter sit idoneus ad gerendam solicitudinem pastoralem. Datum ut suprà.

NOBILI VIRO
R. Comiti Tolosano.

Epist. 197. Vt contra Paganos arma suscipiat.

CVm in tantum te olim oriens ex alto respexerit, & tenebras tuæ mentis lux illa dignata fuerit illustrare quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum, ut reconciliatus fueris ecclesiasticæ unitati, à qua fueras ob tuorum excessuum multitudinem separatus,

deberes resurgere fortior, & præteritorum abundantiam delictorum satisfactione sic plenaria compensare ut novum meriti singularis præconium veteris nequitiæ deleret infamiam, & viriorum notam virtutis titulus aboleret. Ne autem negligentiam tuam possis aliquatenus excusare, ac ne non subesse causam alleges in qua militarem valeas industriam in divinis obsequiis exercere, se ipsum Dominus denuo tradi passus est in manibus peccatorum, & hereditatem suam se ipso exule ab impiis occupari, ut quanti eum facias in instantis articulo necessitatis ostendas, & an pro ipso te ipsum abneges, & tollas crucem ejus, & ipsum sequaris, qui pro te semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, omnibus manifestet. Sanè si nec timor Domini, nec fidei Christianæ religio, nec communis utilitas populi Christiani ad id tuam industriam commoveret, egregiæ tamen recordationis Alphonsi quondam avi tui memoria te ad terræ orientalis subsidium inducere potuisset, ut in partibus illis ejus exemplo perpetuæ tibi laudis titulos comparares, & avitæ virtutis præconium in paganorum excidium redoleres. Vt igitur præter divinam gratiam peccatorum tuorum veniam & apostolicæ protectionis præsidium, quæ in suis illic expensis proficiscentibus indulgemus, & augmentum æternæ coronæ, quod insuper pollicemur, à Domino mereаris, rogamus nobilitatem tuam, monemus, & hortamur in Domino, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus signum vivificæ crucis assumas, & in satisfactionem criminum quæ hactenus commisisti, ad partes transeas transmarinas, ubi funiculum hereditatis Christi & jura populi Christiani defendas, & impugnes barbariem paganorum. Credimus enim & de divina miseratione speramus quòd si (quod optamus) in humilitate cordis & corporis iter fueris peregrinationis aggressus, is qui piis aspirat propositis, diriget gressus tuos, & de inimicis crucis laudem tibi victoriæ, sicut quondam avo tuo, misericorditer largietur. Si autem in persona propria non potueris transfretare, ut aliquod saltem apostolicæ remissionis beneficium consequaris, juxta quod tantum Principem decet, certum ultra mare dirigas numerum bellatorum, ut vel per alios facias quod per te non poteris adimplere. Datum Laterani II. Nonas Novembris.

FRATRI FVLCONI.

Epist. 598. Vt cum aliis piis viris ad militiam sacrã proficiscatur.

SAlutiferum tuæ doctrinæ jampridem audientes exemplum, plurimùm gavisi sumus in Domino, ejus misericordiam implorantes ut bonum in te corroboret quod incepit. Vt autem secundùm Apostolum opus Evangelistæ faciens, prædicationis officium fructuosiùs exequaris, præsertim in succursu Hierosolymitanæ provinciæ, ad quam totis viribus aspiramus, & talentum tibi commissum à Domino in populi sui erudirione distribuens, ipsum multiplicatum valeas reportare; nos illius utentes exẽplo qui dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, ut in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, plenam tibi auctoritate apostolica concedimus facultatem, ut cum consilio & assensu dilecti filij P. sanctæ Mariæ in via lata Diac. Cardinalis, apostolicæ sedis Legati, quem ad hoc officium exequendum specialiter destinavimus, tam de monachis nigris quàm albis sive Canonicis regularibus aliquot, quos ad prædicandum idoneos esse decreveris, nullius contradictione vel appellatione obstante liberè tibi possis coadjutores adjungere qui tecum (juxta verbum propheticum) seminent super aquas, ne frumentum in populis abscondatur. Datum Laterani Nonis Novembris.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, & aliis Ecclesiarum Prælatis in regno Franciæ constitutis.

Epist. 599. Vt usurarij puniantur, non obstante aliqua appellatione. Cap. Quàm perniciosum. De usuris.

QVàm perniciosum sit vitium usurarum, discretionem vestram non credimus ignorare, cùm præter constitutiones canonicas, quæ in earum odium emanarunt, per Prophetam detur intelligi eos qui suam dant pecuniam ad usuram, à tabernaculo Domini repellendos, & tam in novo quàm in veteri testamento prohibitæ sint usuræ; cùm Veritas ipsa præcipiat: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* & per Propheram dicatur: *Vsuram & omnem superabundantiam non accipias.* Inde est quòd universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quate-

nus manifestos usurarios, eos maximè quos usuris publicè renuotiasse constiterit, cùm aliquis eos conveoerit de usuris, nullins permittatis appellationis subterfugio se tueri. Datum Laterani V. Kal. Novembris.

SIPONTINO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 400. De collegiata Ecclesia in coenobium monachorum convertenda.

CVm ad ea exequenda quæ religionem sapiunt & opus in se continēt pietatis, solicitudinem tuam excitamus, tanto adimplere debes solicitiùs quod mandamus, quanto ea exequi diligentiùs ex debito teneris officij pastoralis. Sigoificavit siquidem nobis dilectus filius magister Nicolaus Ecclesiæ Troianæ Decanus, quòd cùm Ecclesiam sancti Nicolai de Regulis possideat, & eam sufficientem & idooeam cognoscat ad canonicam regularem, plantare ibidem religionem desiderat, & Canonicos instituere io eadem, qui secundùm regulam beati Augustini Domino debeant jugiter deservire. Licèt autem hoc à oobis sibi postularet cum iostantia iodnlgeri, oos tamen tuæ volentes fraternitati deferre, in cujus dioecesi esse proponitur Ecclesia memorata, negotium ipsum tuæ duximus experientiæ committendum. Ideóque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si præfatam Ecclesiam ad hoc idoneam & sufficientem cognoveris, & fratres Clerici & laici, qui ounc in ea deserviunt, in hoc sponte voluerint consentire, nec aliud obstiterit per quod oegotium ipsum debeat rationabiliter impediri, tu præfato magistro N. ut eandem Ecclesiam canooicam instituat regularem, liberam tribuas facultatem, ut & ejus pio desiderio satisfiat, & tu de plantaoda religiooe in dioecesi tua possis meritò commendari. Datum Laterani VII. Idus Novembris.

NOBILI VIRO ACERBO Priori & aliis Rectoribus Thusciæ & Ducatus.

Epist. 401. Quòd persistāt in devotione Ecclesiæ. Et promittitur eis favor & protectio ipsius.

SIcut universitatis conditor Deus duo magna luminaria in firmamento cœli constituit, luminare majus, nt præesset diei, & luminare mious, ut oocti præesset; sic ad firmamentum universalis Ecclesiæ, quæ cœli nomine nuncupatur, duas magoas instituit dignitates, majorem, quæ quasi diebus animabus præesset, & mioorem, quæ quasi noctibus præesset corporibus: quæ sunt pontificalis auctoritas, & regalis potestas. Porrò sicut luna lumen suum à sole sortitur, quæ re vera mioor est illo quantitate simul & qualitate, situ pariter & effectu; sic regalis potestas ab auctoritate pontificali suæ sortitur dignitatis splendorem; cujus conspectui quaoto magis inhæret, tanto minori lumine decoratur, & quò plus ab ejus elongatur aspectu, eò plus proficit in splendore. Vtraque verò potestas sive primatus sedem in Italia meruit obtinere, qoæ dispositione divina super universas provincias obtinuit principatum. Et ideo licèt ad universas provincias oostræ provisionis aciem extendere debeamns, specialiter tamen Italiæ paterna nos convenit solicitudine providere, in qua Christianæ religioois fundamentum existit, & per apostolicæ sedis primatum sacerdotij simul & regni præminet principatus. Hujus autem provisionis officium laudabiliter exercemus, si per oostræ solicitudinis studium procuramus oe filij fiant servi, neque minores à majoribus opprimantur; ut servara moderaminis æquitate sic isti serviant, quòd illi oon sæviaot; ut nec isti subesse contemnaot, oec illi conteodant præesse. Volentes ergo vos tanquam speciales filios apostolicæ protectioois brachiis amplexari, firmum gerimus in deliberatione nostra propositum, ad divini nominis gloriam, & apostolicæ sedis honorem, quantum cùm nostra possumus honestate, vobis adversùs oppressionis incursum & gravaminis insolentiam nostrum patrocinium exhibere: quatenus per apostolicæ protectionis auxilium io debito statu perseverare possitis, & inita jam concordia semper ioter vosde booo in melius perseveret. Sperantes & pro certo tenentes quòd vos nobis & Ecclesiæ Romaoæ gratum semper devotioois & fidei debeatis obsequium impertiri; ut dum vos à nobis protectionis patrocioium susceperitis, & oos à vobis devotionis obsequium receperimus, otrinque grata debeat utilitas procurari. Monemos igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, per apostolica scripta mandantes, quatenus certam & firmam de nobis fiduciam obtineotes, qui, sicut apostolicæ convenit gravitati, plus facere pro vobis quàm promittere vobis intendimus, ea semper agere studeatis quæ ad honorem & profectum Ecclesiæ Rom. proveniant, ut

meritò debeatis ipſius favoris dextera communiri. Datum Laterani III. Kal. Novembris.

EPISCOPO ET CAPITVLO Averſan.

Epiſt. 402. Vt Neapolitano Archiepiſcopo obtemperent.

CVm ſimus ſingulis in ſua juſtitia debitores, fratrum & coëpiſcoporum noſtrorum gravamina nec poſſumus nec debemus æquanimiter ſuſtinere, aut pati quòd aliquis à ſui ſuperioris obedientia præter auctoritatem judiciariam qualibet occaſione recedat. Hoc ſiquidem attendentes, cùm Eccleſia veſtra hactenus eccleſiæ Neapolitanæ reſpooderit, & prædeceſſores tui, frater Epiſcope, à prædeceſſoribus venerabilis fratris noſtri Neapolitani Archiepiſcopi conſecrationis & confirmationis conſueverint beneficium obtioere, ita quòd bonæ memoriæ L. prædeceſſor tuos (cui felicis recordationis C. Papa prædeceſſor noſter ex collata ſibi plenitudine poteſtatis ſioe præjodicio Eccleſiæ Neap. munus cooſecrationis indulſit) obedientiam & reverentiam, ſicot Metropolitano ſuo, curaverit eidem Archiepiſcopo exhibere, oe dicta Eccleſia Neapol. ſuæ poſſeſſionis commodo, prætermiſſo juris ordine, privaretur, te, frater Epiſcope, ad obediendum ei ooſtra maodavimus auctoritate compelli; adjicientes in literis noſtris, quòd ſi vos crederetis aliquid juris habere, illud poſtmodum audiremus. Cùm igitur ſuper obedientia dicto Archiepiſcopo exhibenda mandatum ſit apoſtolicum adimpletum, ac nos per veſtras duxeritis literas exorandos ut certum vobis præfigeremus terminum, quo adverſus eundem Archiepiſcopum veſtram proponeretis & perſequeremini actiooem, diſcretioni veſtræ per apoſt. ſcripta mandamus quatenus in octavis Reſurrectionis Dominicæ proximè venturis ooſtro vos conſpectui præſentetis, juſtitiam recepturi. Nos enim eidem Archiepiſcopo dedimus in mandatis ut ad eundem terminum per ſe vel ſufficientem procuratorem ad præſentiam ooſtram accedat, vobis plenariè reſponſurus. Datum Laterani VI. Idus Novembris.

Scriptum eſt dicto Archiepiſcopo ut tempore conſtituto accedat.



ARCHIPRESBYTERO & Clericis Burgen. Eccleſiæ.

Epiſt. 403. Vt Parmenſi Epiſcopo rurſus obediant, tanquam abſoluto & reconciliato. *Vide ſuprà epiſt. 340. & 393.*

CVm civitas Parmen. & cives ejus excommunicationi ſubjecti fuiſſent propter violentam invaſionem & deprædationem dilecti filij P. ſanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis, & Eccleſia veſtra à juriſdictione venerabilis fratris noſtri Parmen. Epiſcopi propter hoc fuiſſet exempta, donec ſatisfaceret competenter, ipſi Parmenſes memorato Cardinali ſeſe obligaruot ſuper reſtitueoda medietate pecuniæ quæ ipſi Cardinali fuit ablata: cujus jam parte ſoluta, ſe partem reliquam ſoluturos præſtita cautione juratoria promiſerunt; & idem Cardinalis excommunicationis & interdicti ſeotentias relaxavit, pœnam remittens quæ ſuper exemptione Eccleſiæ veſtræ Parmen. Eccleſiæ fuerat irrogata. Nos igitur quod à prædicto Cardinali ſuper hoc factum eſt ratum habentes, vobis per præſentia ſcripta maodamus atque præcipimus quateous præfato Parmen. Epiſcopo de cetero conſuetam & debitam obedientiam impendatis. Datum Lateraoi II. Idus Novembris.

EPISCOPO ROFFENSI, Archidiacono Bathonienſi, & Magiſtro Vn. de ſancta fide Canonico Vvellen.

Epiſt. 404. Qui allegat literas falſas eſſe, hoc probare tenetur.

Cap. Ex conſcientia. *De crimine falſi.*

* *In vet. cod. MS. Illuſtriſſ. Viri Ioa. Bapt. Colberti vocatur.* Iohannes de Suvvelle.

EX continentia literarum dilectorum filiorum Abbatis ſanctę Crucis de Waltham & magiſtri * Simonis de Svvelle nobis innotuit quòd cùm olim quæſtio quæ vertebatur inter dilectos filios M. Phil. de Ludelevve ex una parte, Robertum & Vincentium Clericos ex altera, ſuper Eccleſia de Streton, ipſis & quondam Abbati de Straford. à bonæ memoriæ C. Papa prædeceſſore noſtro commiſſa fuiſſet, eodem Abbate pariter & prædicto Vincentio de hac luce ſubtractis, prænominati duo judices juxta tenorem reſcripti apoſtolici procedentes, atteſtationes & allegationes utriuſque partis diligentiùs audierunt; & tandem cùm renuntiatum eis ab utraque parte fuiſſet, & ſecundùm allegata diffinitiva eſſet ſententia promulganda, contra magiſtrum P. adverſa pars literas apoſtolicas arguit falſitatis, & eas eſſe falſas ſub periculo cauſæ ſe firmiter aſſeruit probaturam, ſibi legem imponens ut à cauſa caderet, niſi probaret evidentiùs falſitatem; & ne ulteriùs judices in cau-

ſa procederent, ſedem apoſtolicam appellavit. Sæpedicto autem Phil. exhibente illum per quem literas impetravit, & firmiter promittente quòd eas veras eſſe probaret, memoratus R. ab eiſdem judicibus requiſitus ut aliquam notam exprimeret falſitatis, propter quam falſas eſſe literas proponebat, nihil aliud ſpecificare voluit, niſi quòd eas falſas dixit, & aſſeruit à Cancellaria noſtra nullatenus emanaſſe. Supradicti verò judices ab ipſo R. juratoria cautione recepta quòd accuſationem falſitatis proſequeretur, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum, ſequentem diem poſt Dominicam qua cantatur *Lætare Hieruſalem* proximò præteritam, ad proſequendum coram nobis appellationem interpoſitam utrique parti terminum præfixerunt. Ceterùm præfatus Robertus in termino prætaxato ad præſentiam noſtram accedens, ſuper falſitate literarum ac proceſſu negotij veritate ſuppreſſa (ut dicitur) à nobis ad prædictos judices literas impetravit, & nihil prorsùs de falſitatis accuſatione proponens, à ſede apoſtolica furtivè receſſit. Verùm nos literas ipſas, quæ redargutæ fuerant falſitatis, diligentiùs intuentes, nullum in eis ſignum falſitatis vel ſuſpicionis invenimus, niſi paucarum literarum raſuras, quæ nequaquam ſapientis animum in dubitationem vertere debuerunt. Ideóque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus inquiratis ſuper his diligentiùs veritatem; & ſi vobis conſtiterit jamdictas literas à nobis fuiſſe veritate tacita impetratas, & ſæpedictum Robertum ſeſe obligaſſe ſub periculo cauſæ quòd priores literas falſas eſſe probaret, cùm inter ipſum & adverſarium ſuum quæſtio perſonalis agatur, & quilibet abrenuntiandi juri ſuo liberam habeat facultatem, ipſi Roberto ſuper prædicta Eccleſia ſilentium imponatis. alioquin partibus convocatis audiatis cauſam, & appellatione remota fine debito terminetis. Datum Laterani XIII. Kal. Novembris.

EPISCOPO ET S. MICHAELIS & ſancti Epiphanij Præpoſitis Papienſibus.

Epi°. 405 Vt de Canonicorum bonis, numero, & de B. collatione inquirant.

Accedentibus olim ad præſentiam noſtram dilectis filiis Carnelo & Beroardo Canonico & ſyndico ſancti Iuventij Papien. dilectum filium noſtrum G. tituli ſanctæ Mariæ trans Tyberim Presbyterum Cardinalem conceſſimus auditorem: coram quo fuit ex ipſius Carneli parte propoſitum, quòd cùm olim Canonici ſancti Inventij Papien. bonæ memoriæ Celeſtini Papæ prædeceſſoris noſtri mandatum ipſis pro ejus receptione ac præbendæ aſſignatione porrectum noluiſſent humiliter adimplere, nec bonæ memoriæ L. quondam Papien. Epiſcopus, qui ſuper hoc literas ab eodem prædeceſſore noſtro receperat, mandatum fuiſſet apoſtolicum executus, ipſe ac prædictus Bernar. propter hoc ad ſedem apoſtolicam accedentes, coram dilecto filio Hugone tituli ſancti Martini Presbytero Cardinale, auditore ſibi conceſſo, aliquandiu litigarunt: qui ad falſam ipſius B. ſuggeſtionem, qui prædictam Eccleſiam tam paupertate reddituum quàm fratrum aſſerebat numeroſitate gravari, ab inſtantia mandati apoſtolici & executionis abſolvit. Ceterùm Clerici ejuſdem Eccleſiæ abſolutionis non expectato reſcripto, ſex in Canonicos elegerunt; tribus eorum integra beneficia, reliquis verò tribus aliquid nomine beneficij annis ſingulis conferentes. Cùm autem ad audientiam noſtram id fuiſſet eodem Carnelo referente delatum, intelligentes ipſo facto prædictam abſolutionem fuiſſe per falſam ſuggeſtionem obtentam, cùm non eſſet veriſimile dictam Eccleſiam paupertate gravari, ad quam ipſi vix abſolutione per ſurreptionem obtenta,* ob reverentiam beati Petri & noſtram prædictum Carnelum in Canonicum & fratrem reciperent, & ei ſtallum in choro & locum in Capitulo & beneficium ſicut uni ex aliis canonicis aſſignarent. Dilectis etiam filiis noſtris M. Subdiacono noſtro Præpoſito Canonicæ Gualteri, Martino, Opizoni, Aſtario magiſtris Canonicis ſancti Michaëlis de Papia majoris præcipiendo mandavimus ut inquirerent de præmiſſis diligentiùs veritatem, & ſi rem cognoſcerent taliter ſe habere, Canonicos memoratos ad recipiendum eundem Carnelum & beneficium aſſignandum, ſublato appellationis obſtaculo, eccleſiaſtica diſtrictione compellere non tardarent; quoſlibet qui mandato apoſtolico ſe ducerent opponendos eadem diſtrictione ſeveriùs compeſcentes. Veruntamen (ſicut ex literis eorum accepimus) cùm partes ad ſuam præſentiam convo-

Vide ſuprà epiſt. 116.

*Heic nonnulla deeſſe videntur.

cassent, & dictus B. ejusdem Ecclesiæ syndicus se ad receptionem ipsius C. diceret non teneri, qui rescriptum obtinuerat ab apostolica sede per mendacia precum; iidem executores auditis quæ fuerunt hinc inde proposita, & rationibus & allegationibus partium diligenter inspectis, de prudentum consilio per sententiam prædictis Canonicis præceperunt ut memoratum C. in fratrem & Canonicum reciperent, & usque ad octavas Apostolorum proximo termino futuras, sicut uni ex aliis Canonicis beneficium assignarent; Canonicos ipsos, tam receptos, quàm electos, si eorum sententiæ non parerent, ex tunc auctoritate apostolica suspendentes. Verùm dictus B. syndicus Ecclesiæ supradictæ respondit quòd cùm coram prædictis judicibus constitutus in libello causam petitionis exprimi postulasset, & allegasset quòd minor sine curatore postulare non posset, & ipsi causam petitionis libello exprimendam non esse & minorem posse sine curatore petere respondissent, ad sedem apostolicam appellavit. Sed judices ipsi nec eorum voluerunt appellationi deferre, nec de indignitate ipsius Carneli, quam se asserit probaturum, cognoscere, dicentes quòd causa criminalis sibi non fuerat ab apostolica sede commissa. Asseruit etiam idem B. coram judicibus memoratis quòd idem C. falsitatem suggesserat, & tacuerat veritatem; cùm eos onus paupertatis falsò allegasse dixisset, quod & tunc & modò verè poterat allegari, cùm sufficienter esset probatum per testes eandem Ecclesiam tunc cx. & ampliùs, nunc verò cxxxv. librarum debito prægravari: quam etiam ex indulgentia bonæ memoriæ L. Papæ prædecessoris nostri eidem Ecclesiæ super senario Canonicorum numero servando concessa, fratrum numerositate gravari petebat, cùm tunc temporis septem ibi essent Canonici constituti. Tacuerat etiam idem C. quòd propter indignitatem suam, & quia major pars Canonicorum in eadem Ecclesia per sedem apostolicam instituta fuisset, & quòd pro duobus eodem anno idem prædecessor noster suas eis curasset literas destinare, ab impetitione ipsius fuerant absoluti. In aliis etiam se à prædictis judicibus asseruit fuisse contra justitiam gravatum. Cùm autem dictus Cardinalis quę coram eo proposita fuerunt nobis fidelitet retulisset, intelligentes quòd cui principale committitur, totum etiam delegatur sine quo judicium exerceri non potest, causam ipsam vestro duximus examini committendam; discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatenus ceteris exceptionibus ex Canonicorum parte propositis omnino cessantibus, si infra sex menses post harum receptionem literarum probare poterint eundem C. criminosum esse vel aliàs indignum ad prædictum beneficium obtinendum, cùm ecclesiastica beneficia non sint indignis concedenda personis, ipsi Carnelo super eadem Ecclesia silentium imponatis. Alioquin omni contradictione & appellatione cessante, ipsum in ea faciatis admitti, & tractari caritate fraterna, & beneficium ei sicut uni ex aliis Canonicis assignari. Volumus autem ut à prædictis Canonicis sufficienti priùs cautione recepta quòd debeant parere justitiæ coram vobis, interdictum appellatione postposita relaxetis. Si verò latæ sententiæ parere noluerint, eos per excommunicationis sententiam compellatis. Datum Laterani VI. Kalend. Novembris.

EBREDUNENSI, ARELATENSI, & Aquen. Archiepiscopis, & suffraganeis eorum.

Epist. 406. Vt in Concilio Provinciali cōstituant de acquirendo subsidio ad bellum faciendum contra Sarracenos.

SI ad excitandos fidelium populos ad subventionem orientalis provinciæ, in qua Dominus Rex noster ante secula salutē humani generis dignatus est operari, terræ ipsius miseriam sæpius deploramus, si nuncios multiplicamus & literas, si mandata monitis & mandatis monita frequentiùs conculcamus, id agimus quod renemur, volentes ei cujus vicem in terris gerimus exulanti per Ecclesiæ filios subveniri, & fideles Ecclesię ad subsidium Hierosolymitanæ provinciæ invitare verbo pariter & exemplo. Quis enim audiens salutis auctorem quasi captivum ab impiis detineri, se pro liberatione ipsius, si necesse fuerit, non ingerat etiam captioni? Quis pro eo non abneget semetipsum, qui pro nobis semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominis factus, & habitus ut homo? Quis non tollat crucem suam, & sequatur eum qui pro nobis crucis non dubitavit subire discrimen, factus obediens usque ad mortem,

mortem autem crucis? Numquid etiam esse potest aut debet in successore Petri verbum Domini alligatum, ut Ecclesiæ filios in ejus subsidium non confirmet qui pro Petro rogavit ne deficeret fides ejus, sed aliquando conversus fratres suos solicitus confirmaret? Numquid præterea terrę illius possumus oblivisci in qua Dominus noster posuit fidei fundamentum, cùm Propheta sibi quodammodo imprecando proclamet: *Si oblitus fuero tui Hierusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Ne autem illud nobis valeat imputari quod in Evangelio legitur, *Dicunt enim, & non faciunt*, nec rursum onera gravia & importabilia aliis imponere videamur, nos autem ea nolimus digito etiam nostro movere, sed facere pariter & docere volentes, dilectis filiis nostris S. tt. sanctæ Praxedis Presbytero & P. sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinalibus, apostolicæ sedis Legatis, imposuimus signum crucis, quos in expensis propropriis cum alio competenti subsidio in ducatum exercitus Christiani ad partes Hierosolymitan. dante Domino transmittemus. Vt autem Ecclesiarum Prælati ad opus tam pium & necessarium subditos suos provocent non minùs exemplo quàm verbo, de communi deliberatione fratrum nostrorum statuimus ut universi Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, & alij Ecclesiarum Prælati certum numerum bellatorum, vel pro certo numero certam pecuniæ quantitatem, pensatis facultatibus singulorum, ad expugnandam paganorum barbariem & hereditatem Domini servandam non differant destinare. ad quod etiam minores Clerici manum porrigant secundùm proprias facultates. Si quis autem (quod non credimus) constitutioni tam piæ & necessariæ præsumpserit obviare, sicut sanctorum canonum transgressorem decernimus puniendum, & usque ad satisfactionem condignam ab officio manere suspensum, peccatorum veniam & apostolicæ protectionis præsidium Indulgentes, juxta quod in generalibus literis apertè distinguitur, his qui terræ nativitatis dominicæ studuerint humiliter & efficaciter subvenire. Vt autem id meliùs & faciliùs in vestra provincia compleatur, dilectum filium R. Subdiaconum nostrum Massilien. Præpositum, virum literatum, providum, & honestum, nobis & fratribus nostris acceptū, ad partes vestras duximus destinandum; universitati vestræ per apostolica scripta mandantes quatenus eum recipiatis humiliter & devotè, ac vos, fratres Archiepiscopi, provinciale Concilium cum eo pariter convocetis, & quod quisque vestrum pro subventione terræ in numero militum vel quantitate pecuniæ præstare debeat, disponatis: ita quòd nihil impediat quò minùs congruo tempore, cùm necessitas festinationem expostulet, ad partes ultramarinas succursus transeat exoptatus: taliter ad commonitionem ipsius Subdiaconi mandarum apostolicum impleturi, quòd pœnam constitutam à nobis & expressam superiùs evadentes, laudem à nobis & à Deo præmium mereamini sempiternum. Nobiles etiam, Comites, & Barones, & universum populum solicitudini vestræ commissum sedulis exhortationibus inducatis ut ad terræ sanctæ subsidium in personis vel rebus in suorum remissionem criminum viriliter accingantur.

NOBILI VIRO VV. COMITI Forcalcariensi. [Sine salutatione.

Epist. 407. Vt ad bellum sacrum vnà cū aliis Christianis Principibus proficiscatur.

SI ad actus tuos Dominus hactenus secundùm meritorum tuorum exigentiam respexisset, posuisset te ut rotam & sicut stipulam ante faciem venti, quinimmo multiplicasset fulgura, ut iniquitatem tuam de superficie terræ deleret, & justus lavaret manus suas in sanguine peccatoris. Nos etiam & prædecessores nostri, si ad iniquitates, quas operata est manus tua, debitum habuissemus respectum, non solùm in te (sicut fecimus) anathematis curassemus sententiam promulgare, immo etiam universos fidelium populos in tuum excidium armassemus, ut vel saltem temporali pœna compulsus, ab errore desisteres, vel ea depressus, tam spiritualiter quàm tēporaliter interires. Verùm quoniam justus & misericors Dominus misericordiam superexaltat judicio, & miserationes ejus sunt super omnia opera ejus, sustinuit usque modò tuam nequitiam patienter, ut nunc tandem tuam malitiam recognoscens, dares gloriam creatori, & reversus ad mentem, ardentiùs jam ultimò in ejus devotione ferveres quàm hactenus in his quæ ipsius sunt voluntatis contraria ferbuisti. Nos etiā,

qui, licèt insufficientibus meritis, ejus tamen vicem tenemus in terris qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, qui non venit salvos facere justos, sed peccatores, & qui Paulum in sua perseverantem malitia priùs cæcitate percussit, ut gratiùs eum postmodum sui luminis aspergeret claritate, expectavimus hactenus si patientia nostra te ad pœnitentiam revocaret, & præteritarum malitiarum oblitus, manus extenderes ad virtutes, & ei tua novissima devoveres qui pro te hostiam se ipsum non dubitavit offerre. Ecce autem misericors & miserator Dominus, ut te de profundo lacus & tuorum volutabro peccatorum educat, se ipsum tradi denuo passus est in manibus peccatorum, & hereditatem suam ipso exule ab impiis occupari, ut cum Petro conversus aliquando fratres tuos Ecclesiæ filios tua miraculosa conversione confirmes, & arma quæ hactenus in fideles Ecclesiæ commovisti, in hostes Christi convertas, & de persecutore in defensorem conversus, te ipsum pro domo Israël murum defensionis opponas, & ad defendendam terram nativitatis dominicæ potenter ac viriliter accingaris. Cùm enim nos dilectos filios S. tituli sanctæ Praxedis Presbyterum & P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinales, apostolicæ sedis Legatos, viros providos & discretos, duo videlicet de præcipuis membris Ecclesiæ, ad partes Hierosolymitanas in expensis propriis cum alio competenti subsidio destinemus crucis charactere insignitos, cùm venerabiles fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, immo etiam universum Clerum ad tam pium opus necessaria de bonis suis statuerimus subsidia secundùm facultates proprias ministrare, cùm jam ferè universi Principes Christiani terræ sanctæ in rebus subvenerint vel personis, aut nunc saltem subvenire disponant, saluti tuæ credimus expedire ut & tu cum Maria Sepulchrum Domini visites, & impios non solùm ipsum tulisse defleas & posuisse aliàs, immo etiam dejecisse, ut eum tandem merearis in cœlesti Hierusalem, quæ interpretatur pacis visio, intueri. Ut igitur à malo desistas; & quod bonum est toto mentis prosequaris affectu, rogamus nobilitatem tuam, monemus, & exhortamur in Domino, & in remissionem tibi injungimus peccatorum, quatenus satisfacto de his pro quibus es nominatim excommunicatione notatus, & aliis de quibus conscientia te remordet, signum dominicæ crucis accipias, Hierosolymitanam visitaturus provinciam, & defensioni ejus pro viribus insisturus. Nos enim ut plenam tibi gratiam faciamus, dilectum filium * M. Massilien. Præpositum Subdiaconum nostrum, virum literatum, providum, & honestum, quem nos & fratres nostri syncera caritatis brachiis amplexamur; ad te misericorditer duximus destinandum, qui tibi beneficium absolutionis impendat, si plenè satisfeceris super his pro quibus in te fuerat excommunicationis sententia promulgata; omnium peccatorum tuorum, de quibus veram cordis & oris egeris pœnitentiam, veniã indulgentes, & æternæ coronæ pollicentes augmentum, si ad vindicandam injuriam crucifixi personaliter (sicut decet tantum Principem) iter arripias, & laudabiliter in orientalis terræ defensione persistas. Revertere igitur ad te ipsum, dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, excute de cervice tua jugum leonis illius qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, induere fidei armaturam, & pro Christu, à quo diceris Christianus, te ipso & tuis penitùs abnegatis, tollas crucem ejus qui pro te crucis non dubitavit subire discrimen; ne si Domino tuo persecutionem patienti neglexeris subvenire, notam proditionis incurras, & si cum eo non fueris, contra eum esse Evangelij testimoniu convincaris. Ille igitur qui ubi vult spirat, tibi dignetur misericorditer inspirare, ut postposito consilio vanitatis, salubribus monitis acquiescas, & fermento vetustatis penitùs expurgato, novum hominem induaris; non quæ tua sunt, sed quæ Iesu Christi de cetero quæsiturus; ut vel novissima tua Domino consecres, & per subsequentem cordis contritionem, & satisfactionem operis, excessus possis præteritos expiare. Si verò nostris volueris acquiescere monitis & mandatis, ex quo crucem Domini susceperis, bona tua sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, nec non & sub Archiepiscoporum & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant.

* In epistola superiore vocatur R.

NOBILI

NOBILI VIRO R. de Agout.

Epist. 405. Vt Comitem Forcalcatiensem ad sacrum bellum invitet.

AD meritum tibi profecisse credimus, & ad gloriam proventurum, quòd nobilem virum W. Comitem Forcalcarien. à pluribus (sicut accepimus) revocasti, quæ iniquè meditatus fuerat in corde suo,& disposuerat iniquiùs operari. Licèt enim universis malitiis ejus resistere non potueris, aut mentem ejus peccatorum suorum mole depressam erigere ad virtutes, magnum tamen & tibi meritorium reputamus ab aliquibus revocasse hominem hactenus pestilentem, & in aliquo saltem pravum ejus propositum retardasse. Ne quid ergo tuo studio desit, immo ut ex bono principio finem inferas meliorem, nobilitati tuæ per apostolica scripta mandamus, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus Comitem memoratum moneas diligentiùs & inducas ut in manibus dilecti filij R. Massilien. Præpositi Subdiaconi nostri, quem ad hoc specialiter destinamus, super his pro quibus est excommunicatione notatus, plenam satisfactionem impendat, & absolutionis beneficium consecutus, dominicam crucem assumat,& ad vindicandam injuriam crucifixi ad partes se transferat transmarinas. Si enim ipsum Domino potueris tua commonitione lucrari, & ad viam reducere veritatis, in præsenti tibi cedet ad famam,& in futuro ad gloriam proficiet sempiternam.

PISAN. ARCHIEPISCOPO, Episcopo Vrbinati, Camaldulen. & S. Fridiani Prioribus.

Epist. 409. Quòd collectã pecuniam non in suos usus, sed ad utilitatem publicam Pontifex converte re velit.

CVm ad exhortandos fidelium populos ad obsequium Iesu Christi & subveniendum orientali provinciæ, illius terræ necessitas & utilitas totius populi Christiani, immo etiã causa Christi solummodo nos inducant, non ex hoc propria lucra captantes, in quo potiùs de nostris proposuimus liberaliter elargiri, nec quæ nostra sunt, sed quæ Iesu Christi quærentes, non est ab aliquo præsumendum quòd ea quę à fratribus & coëpiscopis nostris, & tam Prælatis quàm subditis Ecclesiarum, in opus tam pium erogari mandavimus, propriis velimus usibus applicare, aut aliorum eleemosynas cupiditate qualibet terræ sanctæ subtrahere, cui potiùs de nostris & fratrum nostrorum dispositione mus subvenire. Vnde si quid forsan in literis nostris, quas vobis direximus, continetur, per quod congregatam pecuniam ad nos mandaverimus destinari, id non ex intentione nostra, sed nimia occupatione processit, qui quanto intendimus pluribus, tanto minus solicitè possumus de singulis cogitare: licèt id non recolamus sic expressè mandasse, sed nostræ potiùs intentionis fuisse, ut summa collectæ pecuniæ nobis deberet per literas intimari. Ideóque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus cùm secundùm formam literarum, quas ultimò vobis direximus, pecunia fuerit in prædictæ terræ subsidium congregata, ex ea per diocesanos Episcopos, secundùm discretionem eorum, & duorum fratrum, unius militię Templi, & alterius Hierosolymitani Hospitalis, quos ad hoc cum Episcopis per vos præcipimus deputari, militibus & aliis cruce signatis, si tamen eguerint, non ad superfluitatem, sed necessitatem potiùs faciatis stipendia ministrari. Si quid verò residuum fuerit, id secundùm dispositionem nostram & consilium aliquorum de fratribus memoratis, vel in stipendia militum, vel alias necessitates terræ Hierosolymitanæ, dante Domino convertetur. Datum Laterani XIII. Kal. Decembris.

CONSTANCIÆ IMPERATRICI gloriosæ Reginæ Siciliæ, ac carissimo filio Friderico illustri Regi Siciliæ, eorúmque heredibus in perpetuum.

SVper gentes & regna divina providentia constituti, ut evellamus noxia, & salubria cum Propheta plantemus, sic ad universas provincias nostræ considerationis aciem extendere volumus, & circa eas piæ solicitudinis studium exercere, ut sopitis turbinibus tempestatum, quas parit mater diversitas, fervent ad invicem mutuæ caritatis affectum, & in veræ pacis vinculo gubernentur. Porrò specialiter & præcipuè specialem ac præcipuam solicitudinem circa regnum Siciliæ nos convenit adhibere, quod in apostolicæ sedis ferventiùs hactenus devotione permansit: ad quod etiam inclytæ recordationis R. quondam patris, W. fratris, & W. nepotis tuorum Regum Siciliæ, filia Imperatrix, grata memoria nos inducit, qui

Epist. 410. De Regum Siciliæ erga Romanam Ecclesiam observantia, déque Pontificis in illos voluntate.

in apostolicæ sedis ac prædecessorum nostrorum dilectione firmiùs persistentes, ab ejus non potuerunt unitatis firmitate divelli, quin tanto fortiùs in ipsius obsequio permanerent, quanto adversùs eam se ampliùs impetus extolleret tempestatis. Hac igitur consideratione diligenter inducti, ac credentes quòd prædictorum Regum vestigia vestra regia serenitas in devotione ac obsequiis Ecclesiæ imitetur, vobis & heredibus vestris, qui sicut dictus Rex W. quondam frater tuus felicis memoriæ Adriano Papæ prædecessori nostro exhibuit, nobis & successoribus nostris & Ecclesię Rom. fidelitatem & hominium exhibere ac quæ subscribuntur voluerint observare, concedimus regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, cum omnibus pertinentiis suis, Neapolim, Salernũ, & Amalfiam cum pertinentiis suis, Marsiam, & alia quæ ultra Marsiam habere debetis, & reliqua tenimenta quæ tenetis à prædecessoribus vestris hominibus sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ jure detenta, & contra omnes homines adjuvabimus honorificè manutenere. Pro quibus omnibus coram venerabili fratre nostro Octaviano Episcopo Hostien. apost. sedis Legato, quem ad juramentum tuum, filia Imperatrix, recipiendum transmisimus, fidelitatem nobis nostrisque successoribus & Ecclesiæ Rom. jurasti, sicut continetur in duobus similibus capitularibus, quorum unum penes te sigillo nostro, alterum penes nos sigillo tuo aureo signatum habetur, firmiter repromittens quòd quia præsens præsenti debet hominium exhibere, quandocunque nos aut successores nostri te in aliqua parte regni, quam securè possis adire, ad nostram præsentiam vocaverimus, reverenter accedes ligium hominium præstitura, nisi certum impedimentum aut necessitas evidens interveniat. quibus cessantibus, sine fraude venies ad ligium hominium faciendum. Cùm autem tu, fili Rex, favente Domino ad legitimam ætatem perveneris, nobis & successoribus nostris ac Ecclesiæ Rom. fidelitatem & ligium hominium exhiberetis, censum verò sexcentorum squifatorum de Apulia & Calabria, quadringentorum verò de Marsia, vel æquivalens in auro vel argento, vos ac heredes vestros statuistis Ecclesiæ Rom. annis singulis solututos, nisi fortè impedimentum aliquod interveniat. quo cessante, census ex integro persolvetur. Electiones autem secundùm Deum per totum regnum canonicè fiant, de talibus quidem personis quibus vos ac heredes vestri requisitum à vobis præbere debeatis assensum. Vt autem hæc quæ suprà diximus, tam nostro quàm successorum nostrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, & nec vestris nec heredum vestrorum temporibus alicujus valeant præsumptione turbari, nos ea de communi consilio & voluntate fratrum nostrorum auctoritate apost. confirmamus, & valitura in perpetuum præsenti pagina communimus, & tam à nobis quàm successoribus nostris perpetuis temporibus statuimus observanda. Nulli ergo &c. *usque ad verbum* indignationem incurrat, reúmque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat &c. *in modum privilegij.* Cunctis autem omnia prædicta servantibus &c.

CONSTANCIÆ IMPERATRICI Reginæ Siciliæ, ac cariss. filio Illustri Regi Siciliæ.

Epist. 411. De forma & modo in electionibus Pontificum observanda.

NEc novum nec injustum existit, si regno Sicilię gratiam facimus specialem, quod inter universas & singulas regiones, in quibus nomen colitur Christianum, ferè semper promptiùs & devotiùs in Ecclesiæ Rom. devotione permansit, & ab eo specialiùs meruit honorari. Reges siquidem & Principes ejus in apo. sedis fidelitate fortiùs roborati, usque adeo ei fideliter & familiariter adhæserunt, ut ad ipsius exaltationem potenter intenderint, & ab ea nullius divelli potuerint impetu tempestatis, se in ipsa & per ipsam exaltari credentes, & in ea post Deum suæ spei ponentes & gaudij fundamentum. Specialiter autem inclytæ recordationis R. quondam pater, W. frater, & W. nepos tui, filia Imperatrix, Reges Siciliæ familiari eam venerati sunt devotionis obsequio, & prædecessoribus nostris usque ad eo non minùs in adversis quàm prosperis adhæserunt, ut cum fratribus nostris vobis obeorum memoriam & constantiam syncæritatis, quam ad nos vos habere cognovimus, per effectum, quantum cum Deo & nostra possumus honestare, deferre velimus, & salva justitia & Ecclesiarum canonica libertate, petitionibus vestris assensum facilem exhibere. Ne igitur ulla

de cetero inter nos & successores nostros ac vos & heredes vestros super electionibus dissensio suscitetur, modum faciendæ in posterum electionis præsentibus curavimus literis explicare: in quibus sic in multis regiæ serenitati deferimus, ut libertatem ecclesiasticam non lædamus. Sede vacante, Capitulum significabit vobis & vestris heredibus obitum decessoris. Deinde convenientes in unum, invocata Spiritus sancti gratia, secundum Deum eligent canonicè personam idoneam, cui requisitum à vobis præbere debeatis assensum, & electionem factam non different publicare. Electionem verò factam & publicatam denuntiabunt vobis, & vestrum requirent assensum. Sed antequam assensus regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis solennitas quę inthronizationi videtur annexa, nec antequam auctoritate pontificali fuerit confirmatus, administrationi se ullatenus immiscebit. Sic enim honori vestro volumus condescendere, ut libertatem canonicam observemus, nullo prorsùs obstante rescripto quod à sede apostolica fuerit impetratum. Rogamus ergo serenitatem regiam, & attentiùs exhortamur, quatenus contra præscriptam electionis formam nec vos veniatis de cetero, nec cogatis alios nec patiamini qualibet occasione venire: sed taliter in hoc nobis studeatis & ecclesiasticæ libertati deferre, ut timorem ejus habere præ oculis videamini per quem Reges regnant & Principes dominantur, & sponsam ejus Ecclesiam venerari. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ dispositionis & constitutionis &c. Datum Laterani.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & universo Clero in Sicilia constitutis.

Epist. 412. Ejusdem argumenti cum epistola præcedenti.

SI carissimæ in Christo filiæ nostræ Constanciæ Imperatrici Reginæ unà cum carissimo filio Illustri Rege Siciliæ in multis gratiam facimus specialem, non est ab aliquibus in admirationem ducendum, cùm regnum Siciliæ ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertineat, & in ejus fidelitate perstiterit, ac permanserit unitate. Nostis etenim qualiter inclytæ recordationis R. Vv. & Vv. Siciliæ Reges illustres in apostolicæ devotionis ferè semper permanserint firmitate, qualiter prædecessores nostros fuerint humiliter venerati, qualiter etiã in Ecclesia Rom. post Deum suæ spei posuerint & gaudij fundamentum, & in ea & per eam se crediderint exaltari. Nostis etiam qualiter prædecessores nostri Romani Pontifices Reges ipsos ac regnum Siciliæ quadam semper prærogativa dilexerint, & ad augmentum ipsius, utpote quod peculiare, sicut est, & proprium reputabant, intenderint & quietem. Quia verò quantumcunque velimus eorum honori deferre, libertatem canonicam & honestatem ecclesiasticam intendimus observare. Ne igitur ulla de cetero inter nos & successores nostros & prædictam Imperatricem & filiũ ejus Siciliæ Regem illustrem vel heredes eorum super electionibus denuò dissensio suscitetur, quæ hactenus inter Ecclesiam & regnum rancoris cujusdam & indignationis fomitem ministrabant, modum faciendæ in posterùm electionis præsentibus curavimus literis explicare: in quibus sic regiæ serenitati deferimus, ut libertatem ecclesiasticam non lædamus. Sede vacante significabit Capitulum eis & eorum heredibus obitum decessoris &c. *usque ad verbum* immiscebit. Ideóque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus cùm aliquam Ecclesiarum vestrarum pastore vacare contigerit, secundùm præscriptam electionis formam, omni gratia & timore postpositis, procedatis, nec contra eam aliqua præsumatis occasione venire. Alioquin electiones taliter factas diligenti discussione præhabita dante Domino infirmare curabimus, & eligentium transgressionem animadversione debita castigare. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut de cetero ad Rom. Ecclesiam liberè, cùm opus fuerit, appelletis, & interpositis ad nos appellationibus curetis humiliter & devotè deferre. Nos etiam, quoties necessitas postulaverit, apost. sedis Legatos ad vos curabimus destinare, qui quæ plantanda sunt plantent, & evellant quæ fuerint evellenda, quorum obediatis monitis & præceptis. Nullo prorsùs in omnibus præscriptis capitulis obstante privilegio, vel rescripto, quod à sede apostolica fuerit impetratum. Ut autem quæ præscripta sunt, apud vos nulla possint oblivione deleri, mandamus atque præcipimus quatenus forma literarum istarum ad perpetuam

memoriam in majoribus Ecclesiis transcripta servetur.

In eundem modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & universo Clero in Apulia constituto.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, Abbatibus, Prioribus, & universis Ecclesiarum Prælatis in Sicilia constitutis.

Epist. 411. Vt Legato apostolico obtemperent, & piam illius voluntatem adjuvent.

PErsecutionis olim olla succensa, dum flantis rabies aquilonis Calabros montes novo deiceret terræ motu, & per plana jacentis Apuliæ pulverem in transeuntium & habitantium oculos suo turbine suscitaret, dum etiam Tauromitana Charybdis sanguinem, quem tempore pacato sitiverat, evomeret cædibus satiata, usque adeo fuit iter maris & terræ præclusum, ut interjacentis impetus tempestatis mutuum matris ad filios & filiorum ad matrem impediret affectum, & naturalis affectum interciperet caritatis. Nunc autem cùm eo faciente nobiscum signum in bonum cui venti & mare obediunt, nascentis austri clementia cadentis fugaverit impetum aquilonis, & præteritæ turbationis caliginem aëris per Dei gratiam jam ex majori parte placati claritas serenaverit, ita quòd regnum Siciliæ reparatum in statum felicitatis antiquæ ad devotionem Ecclesiæ plenè redierit, à qua visum fuerat persecutionis tempore recessisse, beneficium ei volumus gratæ visitationis impendere, ac in dilectione ipsius prædecessorum nostrorum vestigiis adhærere. Cùm autem ipsum inter universas orbis provincias tanquam Ecclesiæ patrimonium specialiter diligamus, volentes mentis affectum, quem circa ipsum gerimus, ostendere pleniùs in persona Legati, eum illuc de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum quem inter ceteros fratres nostros speciali caritate diligimus, & benevolentia singulari ejus exigentibus meritis amplexamur. Sanè cùm adhuc in regno ipso remanserint vestigia quædam dissensionis antiquæ, talem & tantam personam hujus legationis officio duximus deputandam, quæ auctoritate præmineat, polleat honestate, & in opere & sermone sit potens, & ex eo quòd gratiam nostram pleniùs obtinet, & nostram novit meliùs voluntatem, eos qui pacem regni turbare forsitan moliuntur, liberiùs comprimere possit, & universum regnum in carissimæ in Christo filiæ nostræ Constanciæ Imperatricis Reginæ ac filij ejus Friderici Siciliæ Regis illustris fidelitate pariter & obsequio stabilire, contumaciam deprimens superborum, & colla sublimium commissa sibi potestate conculcans. Venerabilem igitur fratrem nostrum Octavianum Hostien. Episcopum, apost. sedis Legatum, virum providum & honestum, qui ob gratiam familiaritatis & dilectionis antiquæ ac suæ dignitatis intuitu primum inter fratres nostros apud nos locum meruit obtinere, in regnum Siciliæ duximus destinandum: qui juxta verbum propheticum dissipet & evellat quæ noverit evellenda, & ædificet & plantet quæ cognoverit esse plantanda; vos etiam de benevolentia quam circa prædictam Reginam & filium ejus Regem illustrem gerimus, efficiat certiores. Ideóque universitati vestræ per apost. scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus prædictum Legatum sicut personam nostram, immo nos ipsos in eo recipientes humiliter & devotè, &, sicut condecet vos & ipsum, honorificè pertractantes, quæ in ter vos corrigenda duxerit, seu etiam statuenda, recipiatis humiliter, & inviolabiliter observetis: ita quòd nos, qui honorem ejus proprium reputamus, vobis propter eum respondere gratiùs quasi ex debito teneamur. Scituri quòd sententiam quam in contumaces tulerit, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

In eundem modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & universis Ecclesiarum Prælatis per regnum Siciliæ citra Farum constitutis: ita quòd ubi ponitur in regnum Siciliæ duximus destinandum, *ponatur* Legatum in Siciliam & totum regnum duximus destinandum.

AN. NEAPOLITANO Archiepiscopo.

Epist. 414. De pluralitate beneficiorum restringenda. Cap. Cùm secundùm doctrinam. De Præbendis in Tertia Collect.

CVm secundùm doctrinam Apostoli non sit conveniens ut unus sit ebrius & alter debeat esurire, nec juxta instituta canonica uni personæ tantum debeat de redditibus ecclesiasticis assignari unde scrupuloso corde alij moveatur, qui ad dispositionem Pontificis sunt pro personarum meritis dividendi, non sufficimus admirari quòd, sicut nostris

auribus est relatum, in Ecclesiæ tibi cōmissæ stipeodiis obtinendis, quod ioiquum est & absurdum, imperiti magistris, novi antiquis, rudes emeritis præferuntur. Vnde Iohannes filius quondam * Comitis Aliern. Ecclesiæ tuæ Clericus plus potentia patris sui quàm prædecessoris tui spontanea voluntate ultra viginti Ecclesias in civitate Neapolitan. & in majori Ecclesia beneficium maximum proponitur obtinere. Cùm ergo in nullius persona prætermittendum sit quod in statutis generalibus continetur, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus ut non obstante appellationis diffugio superfluitatem ad moderamen reducas, non plus de redditibus ecclesiasticis Clerico præfato dimittens quàm apud unum de plus habentibus noscitur residere; aliis omnibus beneficiis personis idoneis conferendis, quæ cùm officiis divinis inserviant, nondum adeptæ suot stipeodia Clericorum. Nulli ergo &c. cooceffionis &c. Datum Laterani Idibus Novembris.

* In Tertia Collect. Avernensis Comitissæ

AN. NEAPOLITANO *Archiepiscopo.*

Epist. 415. Quòd juramentum bonis moribus & juri repugnans non sit obligatorium. Cap. Ad nostrā. De jurejur.

AD nostram noveris audientiam pervenisse quòd dudum à te quasi per extorsiooem tale fuit præstitum jurameotum, quòd io omni causa deberes ordinem judiciarium observare. Verùm quoniam secundùm traditiooes canonicas manifesta accusatiooe non indigenr, nec in eis est ordo judiciarius observandus, qui debet in aliis observari, neque tu, quando sub præmisso tenore jurasti, habebas in mente ut propterea venires contra canooicas sanctiones; (alioquin non juramentum, sed perjurium potiùs extitisset, nec aliqua ratione servandum) nos jurameotum tuum benigniùs interpretari voleotes, ita quòd consonet canooicis iostitutis, fraternitati tuæ auctoritate præsentium intimamus quòd in manifestis & notoriis ratione juramenti præmissi non credimus te teneri servare * subtilitatem ordinis judiciarij, quam in his non servari per omoia ipsa quoque juris ratio postulat & requirit. Vnde videbitur, nec immeritò, subtiliter intueoti de ordine judiciorum procedere ut io præmissis non per omnia ordo judiciarius observetur: quanquam & secundùm approbatum intellectum scripturæ divinæ rectè possit intelligi quòd jurasti ut in omnibus causis ordioem judiciarium observares, in illis videlicet in quibus est ordo judiciarius observandus. Sic ergo faciens, & juramenti tenorem servabis, & instituta caoonica non omittes. Datum Laterani XVIII. Kal. Decembris.

* In Tertia Collect. Solennitatem

ABBATIBUS, ABBATISSIS *& aliis Ecclesiarum Prælatis Ecclesiæ Neapolitanæ subjectis.*

Epist. 416. Ne bona & res Ecclesiæ alienentur.

CVm sacris canonibus caveatur ne Abbatibus, Presbyteris, aliisque ministris de rebus ecclesiasticis vel sacro mioisterio deputatis absque permissione ac subscriptiooe sui Episcopi aliquid alienare liceat, vel etiam obligare, ooo possumus non mirari quòd, sicut oostro est apostolatui reseratum, possessiones Ecclesiarum donare, vendere præsumitis, & locare, venerabili fratre oostro A. Neapolitano Archiepiscopo nullatenus requisito. Cùm itaque cautum sit jure canonico & humano ut quæ contra leges fiuot, habeantur pro inutilibus & infectis, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo maodamus quatenus ab his quæ præmisimus desistentes, bona Ecclesiarum, quarum conditionem meliorem potestis facere, non pejorem, nisi necessitas vel utilitas exegerit manifesta, & sioe licentia præfati Archiepiscopi, alienare in præjudicium Ecclesiarum vestrarum nullatenus atteotetis. Alioquin eidem Archiepiscopo dedimus in mandatis ut si aliter à vobis temerè factum fuerit, auctoritate oostra & sua, prout jus expostulat, deceroat irritum & inane. Datum Laterani XVII. Kalend. Decembris.

AN. NEAPOLITANO *Archiepiscopo.*

Epist. 417. Propter debita Ecclesiæ aliqua vendere licet.

SIcut nostris est auribus intimatum, Ecclesia Neapolitana tanto premitur onere debitorum, quòd aliter liberari noo poterit, nisi de ipsius possessionibus distrahatur. quod tu occasione juramenti post consecrationem, sicut moris est, præstiti, quo ioter alia veodi possessiooes Ecclesiæ prohibentur, absque liceotia nostra facere non attentas. Nos igitur attendentes quòd hujusmodi sacramenta sint ob favorem Ecclesiarum introducta, nec in earum debeant retorqueri læsionem, plenam de tua discretione fiduciam obtinentes, ut pro Eccle-

siæ tuæ debitis persolvendis, de ipsius Ecclesiæ possessionibus minùs utilibus, cùm de mobilibus debita nequeant expediri, secundùm instituta canonica, de consilio tuorum vendere valeas Clericorum, auctoritate tibi præsentium indulgemus. Datum Laterani Idibus Novembris.

DECANO ET CAPITVLO beati Hilarij Pictaven.

Epist. 418. Vt Petro nepoti Americi de Partiniaco præbendam conferant. Vide suprà epist. 80.

SI eam quæ apud nos plenitudo residet potestatis, qua non extollimur in superbiam, sed ad providentiam excitamur, considerassetis attentè, & qua facta nostra prosequi perfectione velimus, voluissetis subtiliùs intueri, nunquam cor vestrum in tantæ præsumptionis audaciam ascendisset, ut, sicut testimonio multorum accepimus, tam temerè nostris præsumeretis institutionibus obviare. Recolimus siquidem quòd defuncto quondam in Vrbe magistro Americo de Partiniaco, erga dilectum filium Petrum nepotem ipsius non potuerimus misericordia non moveri; quem videntes omni consilio & auxilio destitutum, ad provisionem ejus fuimus vehementiùs excitati; sicque ad desolationis suæ remedium, præbendam quam idem avunculus ejus in Ecclesia vestra olim habuerat, sicut de plenitudine potestatis nobis concessæ licebat, ei misericorditer duximus conferendam, de ipsa per anulum propriis manibus investientes eundem, eámque ipsi auctoritate apostolica confirmantes, ne investitura nostra sive donatio sperato posset effectu quorumlibet temeritate privari. Vnde cùm vobis præcepissemus districtè ut ipsum ob sedis apostolicæ reverentiam, ejúsque probitatis obtentum, in vestrum fratrem & Canonicum admittentes, jamdictæ præbendæ beneficium, sicut illam avunculus ipsius olim nôscitur habuisse, contradictione, oc. & ap. cessantibus, sine difficultate qualibet assignare minimè differretis, vos id noluistis exequi, ut decebat, licèt venerabilis frater noster Burdegalen. Archiepiscopus, sicut ex literis ejus accepimus, bonæ memoriæ A Pictaven. Episcopi volens supplere defectum, qui super hoc à nobis datus fuerat executor, nostrúmque tanquam providus & discretos propositum adjuvare, vos ad id cum suis literis monuisset. Nos igitur, licèt ex hoc, nec immeritò, contra vos commotionis materiam habeamus, vobiscum in spiritu lenitatis & mansuetudinis adhuc agere cupientes, per iterata vobis scripta mandamus, & in obedientiæ virtute districtè præcipimus, quatenus prout in mandatis nostris, ut dictum est, recepistis, dilationis, occasionis, exceptionis, & appellationis sumnoto diffugio, non obstante etiam si interim propter hoc nuntium ad sedem apostolicam transmisistis, præfato P. dictum beneficium cum fructibus post præsentationem literarum nostrarum perceptis, tam libenter, quàm liberaliter, absque difficultate qualibet assignetis. Alioquin noveritis nos venerabilibus fratribus nostris Bituricen. & Burdegalen. Archiepiscopis præcipiendo mandasse ut si infra viginti dies post susceptionem præsentium mandatum nostrum non duxeritis effectui mancipandum, illos quos contumaces invenerint & rebelles, sublato cujuslibet occasionis & appellationis obstaculo excommunicationis vinculo innodantes, Ecclesiam ipsam subjiciant interdicto. Quòd si nec sic infra duos menses poteritis emolliri, iidem nullam sententiarum illarum aliquatenus relaxari permittant; sed tamdiu singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & extinctis candelis, prædictam excommunicationis sententiam per totam provinciam Burdegalen. publicè faciant innovari, donec prædictus P. plenam & pacificam ipsius præbendæ possessionem habuerit, & pro tanto satisfacturi excessu nostro vos duxeritis conspectui præsentandos; rebelles nihilominus ab omni ecclesiastico beneficio suspendentes, ut saltem pœna coërceat quos obedientia non emollit. Si quid etiam post receptionem literarum in Ecclesia vestra ordinatum fuerit vel statutum, per quod mandatum nostrum possit eludi, aut etiam impediri, illud irritum decernimus & inane. Datum Laterani II. Idus Novembris.

ABSALONI LVNDEN. Archiepiscopo, ejúsque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 419. De primatu Archiepiscopi Lundensis.

IN eminenti apostolicæ sedis specula disponente Domino constituti, salubriter injuncti nobis officij exequimur actionem, si ea quæ per antecessores nostros ad salutem fidelium instituta noscuntur, consensu nostro firmamus, & ne cuiuslibet temeritatis quatiantur incursu,

exactam diligentiam adhibemus. Cùm enim Ecclesiæ suæ promiserit Dominus, dicens, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram*, illi bene videntur patribus successisse, atque utiliter impositum gerere principatum, qui non potestate lætantur, sed ad salutem eorum qui gubernandi sunt, cum timore ac tremore creditæ potestatis auctoritatem exercēt, studentes semper antecessoribus suis in bonis actibus conformari, & quæ laudabiliter ab eis facta sunt, & servare in semetipsis, & aliis nihilominus servanda monstrare. Hac itaque nos suscepti officij consideratione inducti, & felicis memoriæ Adriani Papæ antecessoris nostri vestigiis inhærentes, quod ipse de confirmatione regni Suetiæ cum fratrum suorum consilio & voluntate constituit, nos etiam firmum & illibatum perpetuis temporibus decernimus permanere. Constituit enim quòd Lundensis Archiepiscopus, qui pro tempore fuerit, super regnum illud primatum semper obtineat, & ordine quo subsequitur, debeat ei præesse: qui tanto frequentiùs & utiliùs illi terræ, quæ ad salutem fidelium pertinent, ministrabit, quanto necessitatem eorum atque defectum è vicino pleniùs poterit intueri. Pallium enim antecessori tuo tribuit, ut Archiepiscopum in regno Suetiæ quàm citiùs opportunitas occurreret ordinaret, & Pallium nostra ei vice conferret, eo quidem ordine observato, ut videlicet is qui per Lunden. Archiepiscopum Metropolitanus ibi fuerit institutus, gratiam consecrationis per manum Archiepiscopi Lunden. adeptus, ipsi & Lunden. Ecclesiæ, salva fidelitate Romanæ Ecclesiæ, fidelitatem & obedientiam juramento promittat. Pallium sanè taliter consequetur. Nuncius Lunden. Ecclesiæ siquidem cum nuncio illius Ecclesiæ pro impetrando Pallio ad Ecclesiam Romanam accedat; & cùm illud à Romano Pontifice impetraverit, ad Lunden. Ecclesiam reportabunt. Lunden. autem Archiepiscopus illud accipiens, Archiepiscopo Suetiæ tribuet, & fidelitatem & obedientiam Rom. Ecclesiæ jurejurando promittet. Metropolitano verò ibi ad honorem Dei & decorem domus suæ salutémque fidelium constituto Lundensis Archiepiscopus & dignitate primatus in perpetuum præsidebit, & ipse ei reverentiam & obedientiam tanquam suo primati humiliter exhibere curabit. Quod utique in bonæ memoriæ Stephano quondam Vpsalensi, qui à prædecessore tuo piæ recordationis Eschillo Archiepiscopo tempore felicis memoriæ Alexandri Papæ, eo præsente, Senonis ratione jamdictæ institutionis gratiam consecrationis accepit, & sub antecessoribus nostris bonæ memoriæ Lucio & Clemente secundùm præscriptum ordinem in Io. & Petro supradictæ Ecclesiæ Episcopis, quos tua fraternitas in Archiepiscopos consecravit, & Pallium vice ipsorum antecessorum nostrorum contulit, dignoscitur adimpletum. Quoniam igitur hoc, sicut à prænominato Adriano antecessore nostro statutum est, ita sub te & antecessore tuo effectum accepit, nos memorati Adriani & felicis recordationis Alexandri, Lucij, Vrbani, Clementis, & Celestini prædecessorum nostrorum Rom. Pontificum vestigiis in tam laudabili opere inhærentes, nostro & fratrum nostrorum favore prosequimur, & firmum & illibatum perpetuis temporibus decernimus permanere. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis &c. Salva apostolicæ sedis auctoritate. Si quâ igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, IX. Kalend. Decembris, Indictione II. Incarnationis Dominicæ anno MCXCVIII. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo.

Vide Florentem in Decretales pag. 97.

PRÆPOSITO DE SERAND. & universis Ecclesiarum Prælatis in Vtlandia constitutis.

Epist. 410. De gravibus quibusdam abusibus maturè corrigendis.

NOstris fuit auribus intimatum, quòd cùm propter inundationem aquarum in terra vestra impedimentis fossatorum obstantibus sit accessus difficilis & regressus, ab eo tempore quo ibidem fuit fidei novella plantatio est statutum, & usque ad hæc tempora observatum, ut Præpositus, qui ibidem, quantum licet, vices gerit Episcopi, temporibus illis quibus facilior patet ingressus, apud unamquamque Ecclesiam propter magnitudinem parrochiæ & universitatem delinquentium quatuor diebus, si voluerit, maneat, synodum ibi celebraturus indictam. Vbi si quis accusatus fuerit, & reatum suum confessus in publico,

condigna ei pœnitentia injungitur pro exceſſu, pœna pecuniaria pro eo de quo fuit ſponte confeſſus poſtmodum puniendo. Si verò crimen inficiatur objeċtum, cum duodecim parochianis ſuis denominatis innocentiam ſuam præſtito juramento purgabit. Si qui verò in purgatione defecerint, vel ad ſynodum venire contempſerint, ad proximam Eccleſiam ſecundæ ſynodi vocantur pro contumacia corrigendi: qui ſi fortè non venerint, vel incorrigibiles ibi apparuerint, ad tertiam Eccleſiam tertiæ ſynodi legitimè citabuntur: & ſi incorrigibiles adhuc extiterint, pro contumacia ſua anathematis ſententia ferientur. Nunc autem populi ejuſdem terræ volentes ſua colla ſubtrahere ſynodalibus inſtitutis, cum majoribus, qui præficiuntur aliis jure fori, conſilio inito, eis non modicam quantitatem pecuniæ promiſerunt, ut eorum auxilio & favore ſuffulti, ſi fuerint in ſynodo accuſati quòd excommunicatis communicare præſumpſerint, non teneantur ſuper hoc reſpondere, & quātumcunque legitimè quis ad ſynodum ſit citatus, ſi venire noluerit, propter contumaciam non poſſit vinculo excommunicationis aſtringi. Illud etiam valde reprehenſibile de novo inter alias conſuetudines perniciosas obrepſiſſe dolemus, quòd quantumcunque quis deliquiſſe noſcatur, non niſi ad ſatisfactionem unius marcæ ſolvendæ compelli poſſit; licèt quandoque damna Eccleſiis vel aliis locis religioſis illata, longè majoris æſtimationis exiſtere videantur. Eſt etiam aliud quod Deo videtur & ſacris canonibus inimicum, videlicet quia nituntur introducere violenter, ut quicunque de equeſtri ordine aliquam ſe in quinta vel ſexta conſanguinitatis linea contingentem duxerit in uxorem, Epiſcopo vel Præpoſito gerenti vices Epiſcopi marcham argenti perſolvat, & ſic eam, quoad vixerit, ſibi invito Epiſcopo etiam valeat retinere. Si verò pedeſtrium fuerit conſortio deputatus, dimidiam marcam argenti perſolvat Epiſcopo, & ſic conſanguineam ſuam quoad vixerit non dimittet. Veſtræ igitur univerſitati per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus quatenus id quod à prima fidei plantatione ſuper ſynodis celebrandis & corrigendis exceſſibus noſcitur rationabiliter introductum, & laudabiliter hactenus obſervatum, faciatis inviolabiliter obſervari, quoſlibet temerè reſiſtentes per diſtrictionem eccleſiaſt. app. poſtpoſita compeſcētes. Perniciosam verò conſuetudinem de ſatisfactione unius marcæ, quantuſcunque videatur exceſſus, & de matrimoniis, quæ licèt minùs legitimè contracta inter conſanguineos dato pretio ſtare conſueverunt Epiſcopo renitente, facientes penitùs aboleri, ſi quos ita conjunctos eſſe noveritis, aut tueri volentes ſub hujus prætextu conſuetudinis matrimonia contrahenda, vel quæ taliter ſunt contracta, niſi tantam præſumptionem ſecundùm canonicas inſtitutiones ad monitionem veſtram digna ſatisfactione correxerint, ſublato appellationis obſtaculo, excommunicatione notetis, & tanquam excommunicatos uſque ad ſatisfactionem condignam auctoritate apoſtolica nuntietis ab omnibus arctiùs evitandos. Nullis literis obſtantibus veritate tacita &c. Datum Laterani Idibus Novembris.

ABSALONI LVNDENSI Archiepiſcopo.

NOſtris fuit auribus intimatum &c. *ut ſuprà ferè in eundem modum uſque ad verbum* arctiùs evitandos. Quocirca fraternitati tuæ per apoſt. ſcripta mandamus quatenus ſi dicti Præpoſitus & Prælati mandatum noſtrum noluerint vel contempſerint adimplere, tu eos ad hoc monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellas. Nullis literis &c. ut ſuprà. *Epiſt. 421.*

A. ARCHIEPISCOPO & Capitulo Lundenſi.

Epiſt. 422. De modo rei Eccleſiæ donādi in Dacia. Cap. Ex literis, *De conjunctnd.*

EX literis quas tu nobis, frater Archiepiſcope, deſtinaſti intelleximus manifeſtè quòd regnum Daciæ, quantum ad ea quæ jus fori contingunt, conſuetudinibus ſuis & inſtitutionibus Regum ſuorum omnino regatur. Unde nullum uſum teſtamentorum illius provinciæ habere contingit, qui alibi in ultimis decedentium voluntatibus ſecundùm legalem obſervantiam cuſtoditur. Si verò aliquis poſſeſſiones aliquas clauſtris vel aliis religioſis locis in bona valetudine vel voluntate ultima conſtitutus vult pro ſuorum remedio peccatorum conferre, hanc Eccleſiæ conferendi formam eſſe proponis, quòd in hujuſmodi donationibus modicum terræ conſuevit

Vide Florentem in Decretales pag 98.

consuevit assumere, aut in extremitate pallij, quod manu Episcopi vel cujuslibet alterius Prælati Ecclesiæ sustinetur, aut super ipsum altare aliquo involutum panniculo cum debita humilitate ponendum, sub testimonio videntium & audientium, forma donationis hujusmodi subsequente, quæ scotatio vulgariter appellatur. Verùm quia hujusmodi donatio malitiosè à quibusdam cavillatoribus, sicut asseris, impeditur, à nobis humiliter postulasti, ne loca religiosa & Ecclesiæ, quibus multæ possessiones sub scotatione hujusmodi sunt collatæ, ab aliquibus possint vel debeant temerè perturbari, paterna debeamus solicitudine providere. Nolentes igitur ut tales constitutiones, quas diuturnitas temporis, ut asseris, observavit, & usus consuetudinis hactenus approbatæ retinuit, temeritate qualibet infirmentur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus donationes eorum quæ sub obtentu consuetudinis claustris, Ecclesiis, vel quibuslibet locis religiosis piè ac providè conferuntur, vel etiam sunt collatæ, faciatis irrevocabiles observari, cùm hujusmodi signum, quod scotatio dicitur, non tam factæ donationis quàm traditæ possessionis sit evidens argumentum. si quos contradictores inveneritis aut rebelles, auctoritate freti apostolica, per censuram ecclesiasticam, monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo compescentes. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris.

S. PRÆPOSITO DE STRAND.

Epist. 423. Præposituram ipsi collatam confirmat.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, Præposituram sitam in locis qui vulgariter appellantur Strand & Ford, sicut eam prædecessores tui justè & canonicè possederunt, & tu eandem à venerabili fratre nostro W. Episcopo Slethuicen. canonicè tibi concessam justè ac sine controversia possides, cum omni jure ac pertinentiis suis, auctoritate tibi apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris.

ABSALONI LVNDEN. Archiepiscopo.

Epist 424. Vt Præposito de Strand ablatæ Ecclesiæ restituantur.

TRansmissa nobis dilectus filius S. Præpositus de Strand conquestione monstravit, quòd dilectus filius E. Præpositus de Scelsuvig. duas Ecclesias, videlicet de Heneftbl. & de Stuntabl. ad suam Præposituram de jure spectantes, eidem injustè subtraxit. Nolentes igitur eundem Præpositum aliquod in suo jure dispendium sustinere, fraternitati tuę per apostolica scripta mandamus quatenus præfatum Præpositum de *Scelsuvig. ad restitutionem Ecclesiarum illarum per censuram ecclesiasticam monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo, justitia mediante, compellas. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

*In codice Colbertiano legitur Scelvvilig.

IOFFRIDO ABBATI Monasterij de Sore, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 425. Privilegia ipsorum atque donationes confirmat.

REligiosam vitam eligentibus &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum de Sore, in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Grangias Slabglose, Luinge, Guthem, Biarby, Vvendelose, Vvethlebi, Asuvardabothe, Egby, cum adjacentibus sylvis, pratis, & pascuis, piscariis, & molendinis. & grangiam in Hallandia, quæ dicitur Toacher, cum sylvis, & ceteris pertinentiis suis. Nytorp, cum adjacentibus agris, sylvis, & pascuis. Gotstorp cum adjacenti sylva, & exteriores similiter mansiones, videlicet Snartinge, Glostorp, Vvinnige, Quercheby, Scupinge, Tornelef, cum adjacentibus terris, & concoloniis suis. & partem decimarum quam habetis in parochiis Olesch, Harastald, Finnatorp, Gelet. & illud quod habetis in Leogbe, Sundetorp, Sunuarthatorp, Biarby, & Gerlef. & illud quod habetis in proventibus apud memoriam sanctæ Margaritæ Ecclesiæ beatæ Mariæ Roschildis. Præterea donationem sive concessionem ab inclytæ memoriæ Vvaldemaro quondam Rege Danorum & carissimo in Christo, filio nostro Canuto Rege filio ejus super libertate & immunitate colonorum vestrorum vobis pia devotione factam, sicut in eorundem Regum scriptis authenticis continetur, auctoritate vobis apo. confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Sanè laborum &c. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos &c. Prohibemus insuper ut nulli vestrorum fratrum post factam &c. Discedentem &c. Illud districtiùs inhibentes, ne terras &c. Si quæ verò &c. Ad hæc etiam prohibemus ne &c. Quod

si facere &c. Licitum præterea sit vobis in causis &c. Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne ullus &c. Si verò Episcopus, in cujus parochia &c. Illud adjicientes, ut in recipiendis proc. &c. Pro consecrationibus verò &c. Alioquin liceat &c. Quòd si sedes &c. Quia verò interdum &c. Porrò si Episcopi vel alij &c. Paci quoque &c. Præterea omnes libertates &c. Decernimus &c. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, IX. Kal. Decembris, Indictione II. incarnationis Dominicæ anno MCXCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo.

CONSVLIBVS ET POPVLO Tuderti.

Epist. 426. Recipit illos in protectionem apostolicam, confirmátque vetera ipsorum privilegia.

SAcrosancta Romana Ecclesia, quæ omnium fidelium mater est & magistra, illos propensiùs diligere consuevit, quos in devotione ac fidelitate sua novit ferventiùs permanere, & ut liberiùs possint ab omnium incursibus manere securi, eos, tanquam pia mater, protectionis suæ munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filij, devotionem quam erga nos & Romanam Ecclesiam habere noscimini, attendentes, vestris quoque precibus inclinati, civitatem Tudertinam, quæ ad jus & proprietatem apostolicæ sedis pertinere dignoscitur, quam & nos ad manus nostras semper volumus retinere, ita quòd ei cui vices nostras commiserimus, secundùm mandatum nostrum debeatis integrè respondere, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Consulatum autem cum jurisdictione sua vobis auctoritate apostolica confirmamus, concedentes ut his qui sunt ipsius jurisdictioni subjecti, liberum sit ad Consules, qui pro tempore fuerint, legitimè appellare; ità tamen quòd appellationi ad sedem apostolicam interpositę humiliter deferatur. Consuetudines quoque antiquas vestras, & rationabiles, & communiter observatas duximus approbandas. Salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate pariter & justitia, & Ecclesiarum omnimoda libertate. Nulli ergo &c. nostræ protectionis, conf. & conc. &c.

ABBATI ET MONACHIS Montisfacri.

Epist. 427. Diuturnam litem de superioritate & obedientia inter cœnobia Montis sacri & Calanense definit.

CVm super libertate ac subjectione abbatiæ vestræ à multis retro temporibus inter ipsam & monasterium Calanen. controversia fuerit agitata, & pro ipsa tu, fili Abbas, cum quibusdam de fratribus tuis, & dilectus filius Abbas Calanen. cum quibusdam similiter de fratribus suis, ad nostram præsentiam venisseris, quòd dicta Ecclesia vestra subjecta esse debeat Calanen. per authenticum felicis recor. Anastasij prædecessoris nostri dictus Abbas Calanen. ostendere nitebatur: qui rationibus & scriptis utriusque partis prolatis in medium, & coram ipso & fratribus suis qua decuit subtilitate discussis, sicut ibidem pleniùs continetur, tam scripturarum inspectione quàm utriusque partis attestatione cognovit locum Montis sacri & jure fundi & ratione dispositionis ad jus & proprietatem Calanen. monasterij spectavisse, cellámque ipsius fuisse propriam ab antiquo. Verùm quia religione recedente paulatim ab ipso monasterio Calanen. status sui sentiente jugiter detrimentum, locus Montis sacri & religiosorum virorum numero & terrenis cœpit facultatibus ampliari, orta est inter dicta monasteria de prælatione ac subjectione dissensio; fratribus Montis sacri Calanensibus, in quibus fervor religionis pro magna parte defecerat, subesse nolentibus; aliis verò antiquum jus suum in loco Montis sacri laborantibus retinere. Vnde, sicut in ejusdem Anastasij prædecessoris nostri authentico reperitur, cùm piæ record. Honorius prædecessor suus ad partes accessisset Apuliæ, & causa ipsa per utramque partem ad ejus notitiam devenisset, intellectis partium rationibus eam taliter terminavit, ut si habitum & ordinem Calanen. monasterij acciperent, monachi Calanenses in loco Montis sacri tanquam in cella sua plenam dispositionem & dominium obtinerent, & fratres Montis sacri Calanensi Abbati tanquam proprij monachi obedirent. Si verò vel non susciperent, vel susceptum etiam non servarent, monachi Montis sacri duos romanatos annuatim solvendo monasterio Calanensi, plenam libertatem ulteriùs obtinerent; sic tamen ut si ad locum Montis sacri quandoque Abbas accede-

ret Calanensis, tanqnam Abbas proprius reciperetur ibidem: & quamvis ejusdem Honorij prædecessoris sui mandatnm de recipiendo Caven. monasterij ordine, sicut in eodem dicitur instrumento, à Calanen. aliquandiu fuerit intermissum, quia tamen ibi postea receptus fuit & servatns, idem A. prædecessor noster juxta institutionem sanctæ recordationis Innocentij antecessoris sui in eadem controversia taliter diffinivit, ut locus Montis sacri per se abbatia semper existeret, & Abbate proprio lætaretur, & Calanen. Abbas primus existeret, Montis sacri secundus, & fraterna se invicem caritate tractarent, & monasterium Montis sacri, ob reveventiæ signum, & demonstrandnm quòd ad jus pertinuerit cœnobij Calanensis, prædictum censum ei sine qualibet contradictione persolveret annuatim, & cùm Abbatem Montis sacri mori contingeret, monachi ejusdem loei eligendi sibi Abbatem haberent liberam faculcatem; electum verò Calanen. Abbati, qui foret pro tempore, præsentarent, ab eo, si persona esset idonea, & electio facta regulariter, sine malitia & pravitate qualibet confirmandum. Obeunte verò Calanen. Abbate, Abbas Montis sacri electioni fratrum interesse deberet, & ut rite celebraretur electio, consilium & operam adhibere. Si autem Calanen. Abbas ad monasterium Montis sacri accederet, tanquam primus & maior Abbas reciperetur, ibidem reverenter & honestè tractandus. Abbas verò Montis sacri futurus pro tempore in festo beatæ Mariæ veniens ad cœnobium Calanen. censum memoratum deferret, & in festo inibi remaneret, à Calanen. fraterna caritate tractandus. Intentionem itaque suam de subjectione monasterij vestri Calanen. probare præmissis [illegible]tionibus conabātur. Contra quos fuerunt ex parte vestra proposita quæ sequnntur. Quòd cùm tempore bonæ memoriæ Adriani Papæ prædecessoris nostri pro ntroqne monasterio partes essent in sua præsentia constitutæ, Calanen. subjectionem sibi deberi proponentibus à fratribus Montis sacri, aliis verò è contrario respondentibus eos nullo tempore prelationem ibidem habuisse de jure, & si aliquam habnerunt, ipsos fuisse per bonæ memoriæ prædecessores suos Honorium, Innocentium, Eugenium penitùs absolutos, ipse utriusque partis allegationibus & instrumentis auditis & plenariè intellectis, sicut in ejus authentico reperitur, eorundem prædecessorum suorum vestigiis inhærendo, de fratrum consilio diffinivit ut fratres Montis sacri omnimodam obtinerent de cetero libertatem, ita quòd neque ipsi neque successores eorum Calanen. subjectionem aliquam exhiberent, nec illi obedientiam & reverentiam ab eis exigere aliquatenus attentarent. salvo censu duorum solidornm Papien. monetæ annis singnlis Calanensi monasterio persolvendo. Illo etiam superaddito, quòd si Calanen. Abbas ad cœnobium Montis sacri aliquo casu accederet, sicut hospes reciperetur ab eis, honestè & humiliter tractaretur. Idem quoque Adrianus prædecessor noster juxta tenorem privilegij memorati Innocentij prædecessoris sui instituit ut de cetero in eodem loco Montis sacri futuris temporibus sedes consisteret abbatiæ, & electus Abbas pro tempore ad Pont. Romanum accederet benedictionis gratiam recepturus. Nihilominus etiam statuit præfatus Pont. Adrianus, quòd si qua præcedentia scripta essent suæ diffinitioni adversa, nullius haberent roboris firmitatem, sententia sua stabilitatem debitam obtinente. Per hnjns ergo diffinitionis paginam, tanquam posterioris, vos præmissis Honorij & Anastasij diffinitionibus dicebatis penitùs derogatum, si exhibitæ fuerunt in judicio à Calanen. pariter & ostensæ. Alioquin sibi debent penitùs impntare, si tempore latæ à dicto Adriano prædecessore nostro sententiæ, ipsas in medium producere non curarunt; cùm sub prætextn novorum instrumentorum postea repertorum grave sit exemplo res judicatas ulteriùs restaurari. Longinquitatem quoque temporis, per quam in quasi possessione libertatis fuistis, pro parte vestra proponebatis in medio, & tam Lucij quàm Anastasij & Honorij Rom. Pontificum privilegia, quorum primus confirmavit sententiam Adriani, secundus Calanen. in loco Montis sacri censum tantùm duorum solidorum, de qno prædicitur, reservavit, tertius, quando idem locus erat simpliciter Prioratus, de solvendo censu constituto ab I. seniore Calanen. Abbate & ejusdem benigna receptione apud Montem sacrum, cùm illuc accederet, facit in suo privilegio mentionem. Ad id

quoque probandum induxistis bonæ memoriæ Celestini Papæ, prædecessoris nostri sententiã & rescriptum: qui cùm, sicut ipsius authentico reperitur, per privilegia prædecessorum suorum Rom. Pont. tam antiquorum quàm etiam modernorum, quæ in sua fecerat præsentia recitari, pleniùs cognovisset monasterium vestrum ad Rom. Ecclesiam nullo medio pertinere, & ab omni jure ac subjectione sæpedicti Calanen. monasterij fore liberum & immune, (nisi quòd duos solidos Papien. monetæ de mandato bonæ memoriæ Adriani Papæ prædecessoris nostri sibi solvere tenebatur) volens inter prædicta monasteria omnis dissensionis & scandali materiam resecari, & ne monachi propter causarum strepitum à divinis revocarentur obsequiis contra observantiam monasticæ disciplinæ, in recompensationem duorum solidorum aliquem locum certum, unde redditus ipse perciperetur, ad eorum arbitrium quibus super hoc sua scripta direxit, præcepit Calanen. assignari à fratribus Montis sacri. qui, sicut ex rescriptis judicum delegatorum innotuit, licet in quibusdam aliis locis recompensationem obtuleritis congruentem, apud Sipon. tamen areas quasdam faciendi salis officio deputatas, de quibus ad minus unius unciæ auri redditus habebatur, quemadmodum iidem judices rescripserunt, qui hoc ipsum sub testimonio bonorum virorum subtiliter indagarunt, spontaneè contulistis. Vnde idem prædecessor noster meliorationem Calanen. monasterij considerans in hac parte, de communi fratrum suorum consilio statuit ut Calanen. cœnobium prædicta esset recompensatione contentum. A cujus exactione ac subjectione fratres Montis sacri prorsùs absolvens, decrevit ut in nullo ei tenerentur de cetero respondere. Statuens insuper, ut si qua præcedentia scripta invenirentur præmissæ constitutioni contraria, ea in sua stabilitate manente, nullum robur, nullam obtinerent penitùs firmitatem. Ejusdem etiam Celest. Alex. prædecessorum nostrorum privilegia, quibus & Adr. Papæ, de qua præmisimus, sententia confirmatur, & monasterium vestrum ad jus & proprietatem Ecclesiæ Ro. ostenditur pertinere, ad probandam intentionem vestram in medium produxistis. Præmissis ergo & similibus coram nobis & fratribus nostris prudenter à vobis & aliis allegatis, nos volẽtes parcere utriusque partis laboribus & expensis, doloris etiam & indignationis materiam amputare, ut observare deberetis quod de ipsa quęstione pro bono pacis citra diffinitionis calculum diceremus, vos & sæpedictos Abbatem & monachos Calanen. monuimus diligenter. Cùm itaque utraque partium hoc se facturam promisisset spontanea voluntate, nos provida deliberatione statuimus quòd cœnobium vestrum restitutis sibi areis faciendi salis officio deputatis, quas de mandato dicti Celest. Papæ prædecessoris nostri juxta bonorum virorum arbitrium in recompensationem prædicti census Calanen. monast. assignavit, Ecclesiam S. Iacobi Melphiten. ad ipsum spectantem cum domibus, hortis, & duobus trapetis, & insuper tot olivas dicto mon. Calanen. conferat & assignet, ex quibus possit idem mon. Calanen. secundùm bonorum virorum arbitrium, quibus hoc committimus, arbitrantium, xvj. saumas olei annis singulis obtinere. Illa videlicet moderaminis æquitate servata, ut olivarum assignatio nec fiat secundùm tempus nimię ubertatis, nec secundùm nimiæ sterilitatis eventum, sed juxta quod sæpius accidere consuevit, post factam assignationem, & receptionem earum, tam commodo quàm incommodo ad Calanen. mon. pertinente. Dictum verò Calanen. monast. renunciet omni subjectioni, juri, ac censui, quod in loco Montis sacri aliquo unquam tempore habuisset, nec ibidem occasione juris præteriti futuris temporibus aliquid audeat postulare. quod utraque partium acceptavit. Hoc ergo statutum, sicut à nobis providè factum est, & ab utraque parte receptum, volentes in posterum irrefragabiliter observari, de communi fratrum consilio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Non obstantibus privilegiis vel rescriptis super subjectione prædicti monasterij vestri hactenus impetratis; cùm ex certa scientia inter præfata monasteria de voluntate partium, quæ præscripta sunt, statuerimus in perpetuum observanda. Decernimus ergo &c. nostræ constitutionis & confirm. &c. Datum Laterani IV. Idus Novembris.

CAMERACEN. CAPITVLO.

Epist. 428. Vt de ipsorum electi vitiis inquiratur, statuatisque, antequàm alium eligant.

AD audientiam apostolatus nostri multorū relatione pervenit quòd H. Ecclesiæ Cameracen. electus, cùm ita incurvus sit ut promoveri de jure non possit, in minoribus ordinibus constitutus fuit à vobis ad Ecclesiam vestram electus, & à venerabili fratre nostro Vv. Remen. Archiepiscopo sanctæ Sabinæ Card. ejus fuit electio confirmata; quem post electionem & confirmationem venerabilis frater noster Atrebaten. Episcopus de mandato ipsius Archiepiscopi Acolythum & Subdiaconum ordinavit; &, sicut communis habetur opinio, dictus electus duxit viduam in uxorem, de qua suscepit filium in Præpositura sancti Petri Duacen. sibi nullo medio succedentem. Cùm igitur, si vera sunt quæ præmisimus, relinqui non debeant impunita, cùm & præsumpta sint contra canonicas sanctiones, & propterea decor honestatis ecclesiasticæ confundatur, venerabili fratri nostro Parisiensi Episcopo per scripta nostra præcipiendo mandavimus ut vocatis quos propter hoc viderit evocandos, de præmissis omnibus & etiam fama publica inquirat pleniùs veritatem, & quicquid super his invenerit, sub suarum testimonio literarum nobis studeat fideliter intimare, ut per relationem ipsius sufficienter instructi, securiùs in ipso negotio procedere valeamus. Dedimus etiam eidem Episcopo in mandatis ut vobis ex parte nostra districtè prohibeat ne ad nominationem vel electionem alicujus personæ aliquatenus procedatis, si etiam dictus electus vellet spontaneè resignare, donec super hoc nostræ receperitis beneplacitum voluntatis. & si contra prohibitionem nostram & suam aliquid præsumpseritis attentare, illud decernimus irritum & inane. Dignum est enim & consentaneum rationi, ut in eo puniamini, in quo peccastis, si circa præmissam electionem inventi fueritis culpabiles extitisse. Nullis literis obstantibus, si quæ apparuerint à sede apost. impetratæ. Quocirca per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus quatenus contra tenorem mandati apostolici non præsumatis aliqua ratione venire, vel aliquid etiam attentare.

PARISIEN. EPISCOPO.

Epist. 429. Committitur inquisitio & examen super vita & moribus electi Cameracensis.

EAm de discretione tua fiduciam obtinemus, ut si quando tibi committimus quæ ad honorem divinum & utilitatem ecclesiasticam pertinere noscuntur, gratia & timore postpositis satagas promovere; in hac parte nobis coadjutor existens, qui ex injunctæ servitutis officio secundùm Prophetam debemus evellere & plantare quæ in Ecclesia Dei evellenda fuerint & plantanda. Et cùm non possimus omnia personaliter adimplere, per fratres & coëpiscopos nostros cogimur supplere defectum, quos apostolica sedes in partem solicitudinis evocavit. Sanè ad audientiam apostolatus nostri multorum relatione pervenit quòd H. Cameracen. electus &c. *ut suprà ferè usque ad verbum* impetratæ.

ATREBATEN. EPISCOPO.

Epist. 430. Vt ipse de electi Cameracensis vita & moribus sententiam ferat.

AD audientiam apost. nostri multorum relatione pervenit quòd H. Cameracen. electus &c. *ferè ut suprà usque ad verbum* præcipiendo mandamus quatenus cùm propter vicinitatem locorum & de forma electionis & de qualitate ipsius electi dicaris habere notitiam pleniorem, tam de fama publica quàm etiam de præmissis omnibus per literas tuas nobis intimare studeas veritatem; ut per relationem tuam & venerabilis fratris nostri Parisiensis Episcopi, cui hoc ipsum commisimus inquirendum, sufficienter instructi, securiùs in ipso negotio procedere valeamus.

ABBATI ET CONVENTVI Compendien.

Epist. 431. Episcopus Silvanectensis datur judex in omnibus causis eorum.

PAci & tranquillitati vestræ paterna volentes solicitudine providere, cùm ad hoc specialiter teneamur ex eo quòd vestrum monasterium ad nos & Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, ad vestræ oppressionem & necessitatem Ecclesiæ relevandam venerabilem fratrem nostrum Sylvanecten. Episcopum in causis vestris & aliis necessitatibus, pro quibus vobis est ad quos malueritis Episcopos generaliter recurrendum, quemadmodum in vestris privilegiis continetur, per literas quas super his exequendis specialiter ipsi dirigimus, de benignitate sedis apost. vobis

duximus deputandum. Vnde cùm pro ſingulis neceſſitatibus veſtris ad Romanam Eccleſiam, & ad nos, qui ſpecialiùs id exequi deberemus, facilem & ſine diſpendio non poteſtis habere recurſum, volumus ut ad eundem Epiſcopum, qui in partem noſtræ ſolicitudinis eſt evocatus, tam pro injuriis vobis & Eccleſiæ veſtræ à malefactoribus quibuſlibet irrogatis, & deinceps irrogandis, quàm pro chriſmate, oleo ſancto, conſecratione baſilicarum veſtrarum, & Clericorum veſtrorum ordinatione ſpecialiter accedentes, executionem eorum quæ præſentialiter per noſtrum miniſterium vobis impendi non poſſunt, ab eo ſuſcipiatis humiliter & devotè. Datum Laterani II. Kaleod. Decembris.

HVBERTO CANTVARIEN. Archiepiſcopo.

Epiſt. 432. Vt à conſtructione & proſecutione Capellæ de Lambee ceſſet atque abſtineat. Cap. Cùm ex injuncto. De novi operis nuntiat. Vide infrà epiſt. 485. & ſeqq. & lib. 2. epiſt. 72.

CVm ex injuncto nobis apoſtolatus officio locum ejus licèt immeriti teneamus qui juxta verbum propheticum liberavit pauperem à potente, & inopem cui non erat adjutor, diligenti ſtudio ſatagere nos oportet ne minores à majoribus opprimantur, ſed ut Prælati ſic exerceant acceptam juriſdictionem in ſubditos, ut prodeſſe probentur potiùs quàm præeſſe. Hæc ergo ſecundùm officij noſtri debitum attendentes, diſtrictâ dudum tibi juſſione mandavimus ut in negotio capellæ de Lambee juxta formam literis apoſtolicis comprehenſam ab oppreſſione monachorum Cantuarienſium omnino ceſſares. Super quo venientes ad præſentiam noſtram dilecti filij R. de Boxleia & Vv. de Ponte Roberti Abbates, nuntij tui, fraternitatem tuam nitebantur multipliciter excuſare. In primis ſiquidem proponentes quòd cùm bonæ memoriæ Theobaldus Cantuarien. Archiepiſcopus & glorioſus Thomas ſucceſſor ipſius, attendentes quòd nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, & nolentes monachos Cantuarien. relictis divinis officiis ad negotia ſecularia ſe transferre, ad honorem protomartyris Stephani ædificandi Eccleſiam voluntatem & propoſitum habuiſſent, & in ea ſeculares Clericos ordinandi, de ſuis proventibus & Eccleſiis eis redditibus aſſignandis, per quos tam apud apo. ſedem quàm apud curias ſeculares ſua poſſent negotia expedire, laudabile primi propoſitum obitus feſtinatus, ſecundi longum exilium impedivit; ſicut in literis ven. fratris noſtri I. quondam Lugdunen. Archiepiſcopi pleniùs continebatur expreſſum, quæ in noſtra & fratrum noſtrorum fuerunt præſentia recitatæ. His bonæ memoriæ Balduinus Cantuarien. Archiepiſcopus ita propoſito ut officio, voluntate ut dignitate ſuccedens, prope ſuburbium civitatis Cantuarien. quaſi per ſtadia tria vel quatuor ad honorem præfati protomartyris & beati Thomæ conſtruere cœpit Eccleſiam, felicis record. Vrbani Papæ prædeceſſoris noſtri ſuper hoc indulgentia primitus impetrata. Cujus ſibi fuit auctoritate conceſſum ut in honorem ipſorum martyrum & ædificare poſſet Eccleſiam, & de perſonis idoneis ordinare, quibus in eccleſiaſticis beneficiis canonicè provideret, ſic tamen quòd Eccleſiæ debitis obſequiis & neceſſariis ſtipendiis minimè fraudarentur. Et licèt idem Vrbanus adversùs dictum B. prædeceſſorem tuum ſuper demolitione operis ſuas ſæpius literas deſtinaſſet, quia in eis non faciebat de conceſſa jam indulgentia mentionem, ei dicebant per reſcripta frequentia nullatenus derogatum, quæ præterea proponebant & per falſi ſuggeſtionem & veritate tacita impetrata, & ad ipſius Archiepiſcopi notitiam minimè deveniſſe. unde, ſi eis non paruerat, de jure non poterat reprehendi. Reſcriptum quoque ſanctæ memoriæ Gregorij Papæ prædeceſſoris noſtri pro ſe pariter producebant: qui cùm per literas indulſerit generales ut reſcripta quæ à tribus menſibus ante obitum prædicti Vrbani prædeceſſoris ſui fuerant impetrata, eandem firmitatem haberent, non obſtante obitu mandatoris, quam obtinere, ſi tunc viveret, debuiſſent negotia quæ ipſum Archiepiſcopum & ejus Clericos contingebant, ſub præmiſſa noluit generalitate concludi: per quod nimirum reſcriptum prædeceſſoris ſui dicebant literis derogatum, quas adversùs Archiepiſcopum direxerat ad inſtantiam monachorum. Quibus ſiquidem literis, & etiam bonæ memoriæ Clementis ſucceſſoris ſui, qui ejus in hac parte fuerat imitator, per factam tunc temporis amicabilem compoſitionem de partium voluntate inter Archiepiſcopum & monachos memoratos per chariſſimum in Chriſto filium noſtrum R. Anglorum Regem illuſtrem, & vene-

rabilem fratrem nostrum Walterum Rothomagen. Archiepiscopum, & quosdam Episcopos & Abbates, dicebant penitùs derogatum. Cùm enim tempore præfati B. Cantuarien. Archiepiscopi præmissi Rex, Archiepiscopus, & Episcopi & Abbates Cantuariam accessissent, in eos fuit tam de constructione ipsius * Ecclesiæ quàm institutione Prioris & quibusdam aliis quæstionibus à partibus compromissum. Ipsi autem diligenti deliberatione præmissa pariter judicarũt quòd ipse Archiepiscopus rationabiliter ædificaverit Ecclesiam memoratam. Ipse tamen pro bono pacis concessit ad prædicti Regis instantiam, & etiam aliorum, quòd Canonicorum collegium ad locum transferret alium quem eligeret competentem. Per hanc ergo compositionem dicti nuntij tui renuntiasse dicebant monachos rescriptis præcedentibus à sede apostolica impetratis, cùm exinde dictus Archiepiscopus loco priore dimisso, ubi ædificare non potuerat sine scandalo monachorum, ad locum de Lamhee per quinquaginta miliaria distantem à civitate Cantuariæ, suum propositum transtulisset, ubi, & Ecclesiam, sicut priùs fecerat, ædificare cœpit ad honorem martyrum prædictorum, ut sic propter nimiam locorum distantiam nulla remaneret monachis materia conquerendi. Cui postea tu succedens, quòd ab ipso minùs factum fuerat perficere voluisti, & quòd ipsum tibi liceret ex rescripto literarum bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri ostendere nitebantur: qui anno pontificatus sui septimo & extremo ad omnem inter Ecclesias Cantuarien. & de Lambee discordiam sopiendam, & ne Canonici de Lamhee facultatem haberent contra cathedralem Ecclesiam insurgendi, disponendi de ipsa Ecclesia de Lambee interiùs & exteriùs, non obstantibus literis ad venerabilem fratrem nostrum Cicestren. Episcopum & dilectos filios de Vvaltham & de Radinges Abbates obtentis, concessit tibi liberam facultatem. Per has ergo literas præcedentia scripta sua, quæ his videbantur adversa, dicebant penitùs revocata. Intentionem ergo suam probare dicti tui nuntij satagebant per laudabile propositum Theobaldi & gloriosi Thomæ martyris Pontificum præmissorum, & per Vrbani, Gregorij, & Celestini Romanorum Pontificum indulgentias & rescripta, & præmissam compositionem factam de partium voluntate. Verùm præmissis rationibus ex parte monachorum fuit ex ordine taliter obviatum. Quòd de occultis hominum voluntatibus, quas sibi tantùm Dominus reservavit, qui renes & corda scrutatur, à nobis judicari non poterat, nec debebat, nec ipsi valebant ad talia respondere, quæ proponere in judicio nihil aliud erat, quàm de secretis cordium divinare. Sanè per indulgentiam Vrbani Papæ prædecessoris nostri, de qua præmisimus, juri suo in nullo dicebant penitùs derogatum: quia canonica beneficiorum assignatio per eam Cantuarien. Archiepiscopo servabatur, qui juxta constitutionem canonicam sine tractatu & assensu monachorum procedere non valebat, qui nedum quòd ipsius facto in hac parte consenserint, verùm etiam contradixerint expressè; sicut sequentia docuerunt, & adhuc in eodem proposito perseverant. Eis ergo contradicentibus, superioris fuerat judicium expectandum. Idem etiã ea ratione ostendere nitebantur, quia juxta sanctiones legitimas, si quando alicui conceditur beneficium principale, putà libera factio testamenti, nihil videtur aliud indulgeri, quàm ut modo testetur legitimo, & etiam consueto. Ille quoque qui ut in loco publico ædificare posset à Principe * similiter impetravit, ædificare cum alterius incommodo non valebit, nisi & hoc ipsum à Principe postulatum fuerit & concessum. Per sequentes etiam ipsius Vrbani literas executorias, quibus opus ipsum maledictum haberi voluit & prophanum, asserebant præscriptæ indulgentiæ derogatum: quæ sive coram eodem Vrbano fuerit ostensa, proponebant eam penitùs abrogatam, cùm ea non obstante demolitio ipsius Ecclesiæ fuerit demandata; sive fuerit prætermissa, sibi debuit imputari, cùm jure civili etiam caveatur quòd sub prætextu instrumentorum postea repertorum lites non debeant restaurari. Id ipsum per literas piæ recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri probare volebant: in cujus præsentia nuntiis partium constitutis, cùm dictus B. prædecessor tuus opus maledictum & prophanum voluisset contumaciter & pertinaciter consummare, ad exemplum Vrbani Papæ prædecessoris

* Apud Gervas. Cantuar. capellæ

* Apud Gervas. simpliciter

ſui præfato Archiepiſcopo de conſilio fratrum diſtrictè præcepit ut quicquid fecerat in Eccleſia nominata curaret ſine dilatione qualibet demoliri; quod de inſtituendis Canonicis & aliis fuerat perperam attentatum, in irritum penitùs revocato: ubi ſive omiſſa fuerit præmiſſa indulgentia, vel etiam allegata, eorum non poterat ratione præmiſſa propoſitum impedire. Per ipſam verò compoſitionem, de qua præmiſimus, tanquam regio metu violenter extortam, partem ſuam in nullo gravari poſſe dicebant. Cùm enim dictus Clemens Papa prædeceſſor noſter pro ſedanda diſcordia inter Archiepiſcopum & monachos Cantuarien. exorta bonæ memoriæ Iohannem Anagninum tunc temporis tt. ſancti Marci Preſbyterum Cardinalem, apoſtolicæ ſedis Legatum, poſtea verò Epiſcopum Præneſtinum, in Angliam ſpecialiter deſtinaſſet, poſtquam illuc transfretavit, factum fuit, dicto B. Cantuarien. Archiepiſcopo procurante, quòd apud portum Dovoriæ contra voluntatem ſuam per dies plurimos teneretur, quod in gravem Eccleſiæ Rom. injuriam redundavit, nec ante permiſſus fuit Cantuariam proficiſci, quàm per dictum Regem Anglorum, qui eodem tempore cum Epiſcopis ſuis Cantuariam venerat, in pace quam fecerunt cum Archiepiſcopo monachi vim paſſi fuerunt, & compulſi ſunt omnia ſuſtinere. Quod ideo cùm propè poſitus audiſſet, & poſtea præſens apud Cantuariam cognoviſſet, ſcripto mandare curavit, ut rei veritas omnibus innoteſceret, & quod factum fuerat, non generaret præjudicium juſtitiæ monachorum, & ſi Archiepiſcopus ipſe vel aliquis de ſucceſſoribus ejus ſcripturam ſuper forma pacis quandoque proferret, ſciretur ab omnibus eam fratribus jamdictæ Eccleſiæ nec conſentientibus nec ſcientibus fuiſſe confectam, nec ſibi exhibitam poſtulanti, qui ad cauſam fuerat à Summo Pontifice deſtinatus. Vnde vel rem geſtam confirmare deberet, ſi juſtitiæ concordaret; vel, ſi aliter facta fuerat, infirmare. Sic ergo cognoſcens interceſſiſſe illi facto violentiam manifeſtam, auctoritate qua fungebatur apoſtolica ſtatuit quòd nec concordia ſic facta valeret, neque compromiſſio violenter extorta, neque ſcriptum aliquod ſic conceptum, & quòd ipſis monachis in poſterum præjudicium non afferret, cùm omnia eo præſente ac contradicente fuerint adimpleta; ſicut in ſuis literis patentibus continetur, quas coram nobis fecimus recitari. Poſt hæc, cùm bonæ memoriæ Celeſtinus Papa prædeceſſor noſter omnia quæ per memoratum B. Archiepiſcopum circa monachos vi vel metu acta fuerant, auctoritate apoſtolica in irritum revocaret, nominatim ea quę Legato Rom. Eccleſiæ præſente & contradicente contra mandatum ſedis apoſtolicæ facta proponebantur, ſicut in authentico ejuſdem Legati, I. videlicet Anagnini quondam Preſb. Cardin. ob cauſam ipſam in Angliam deſtinati, continebantur expreſſa, viribus carere decrevit, & quæcunque contra jus monachorum vel tenorem privilegiorũ apoſt. ſedis idem Archiepiſcopus impetrarat. Inſuper ſtatuens, ut nullus hominum quę malè geſſerat, ad conſequentiam traheret, nec ea quæ à ſede apoſtolica obtinuerat tacita veritate, juri monachorum vel privilegiis ullo unquam tempore in aliquo præjudiciũ generarent; quemadmodum nobis & fratribus noſtris ex ipſarum conſtitit continentia literarum. Ex ipſa quoque majore loci diſtantia ſibi aſſerebant monachi majus præjudiciũ generatum: quia cùm in eorum defectũ, ſicut à tuis nuntiis dicebatur, ſeculares Clerici fuerint evocati, vix poſſent per eos vicinos Cantuarienſis Eccleſię negotia monachis abſentibus procurari, quæ ipſis procul poſitis, & captata eorum abſentia, ſine monachorum conſcientia tractarentur, & eis penitùs inconſultis; unde Cantuarien. Eccleſia diſpendium incurreret & jacturam. Sic ergo per hoc nihil eis acceſſit, eadem contradictionis cauſa manente. Vltimum quoque reſcriptum dicti Celeſtini Papæ prædeceſſoris noſtri carere viribus aſſerebant, utpote per ſuppreſſionem veritatis ſurreptum: quoniam in eo nulla fiebat mentio mandatorum quæ ab Vrbano Papa & Clemente proceſſerant, nec etiam confirmationis illius quam ipſemet ſuper caſſatione compoſitionis prædictæ conceſſit; & præſertim cùm reſcriptum illud induliſſe dicatur eo tempore quo eum infirmitas admodum prægravabat. Ad fundandam ſanè intentionem ſuam, prædictorum Vrbani, Clementis, & Celeſtini Rom. Pontificum reſcripta, necnon & noſtrum poſt illa, iidem monachi produ-

producebant: quibus urgentissimè mandabatur, ut quicquid de præfata capella fuerat attentatum, haberetur irritum & inane. Cùm autem quæ præmisimus & similia in nostra fratrúmque nostrorum præsentia prudenter essent à nuntiis allegata, nos, qui tempus accepimus justitiam judicandi, volentes illius vestigiis inhærere apud quem non est acceptio personarum, cujus locum licèt indigni tenemus in terris, & ita via regia prudenter incedere, ut non declinemus ad dexteram vel sinistram, prædecessores quoque nostros Vrbanum, Clementem, & etiam Celestinum credentes ampliùs imitandos, in illis maximè quæ deliberatione prævia statuerunt, de communi consilio fratrum nostrorum fraternitati tuæ per apost. scripta mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus omni contradictione & excusatione & appellatione cessantibus infra triginta dies post receptionem præsentium quicquid ædificatum est in Eccl. memorata, expensis tuis facias penitùs demoliri, eo non obstante si etiam absens ab Ecclesia tua extiteris; (cùm cautum sit etiam legitima sanctione, ut si is cui fuerat opus novum nuntiatum, ante remissionem ædificaverit, deinde agere cœperit jus sibi esse ita ædificatum habere, sibi debeat actio denegari) reducens prorsùs in irritum quicquid de instituendis ibidem Canonicis & aliis ad ipsam Ecclesiam pertinentibus à te vel à prædecessore tuo cognoscitur ordinatum, eorum redditibus ad statum pristinum revocatis quos ab obligatione præstiti juramenti, pro eo quòd ibidem instituti fuerunt, auctoritate nostra per te denuntiari præcipimus absolutos. Cùm enim amodo non teneat principale, quicquid ex eo vel ob id secutum est, sub præmissa districtione decernimus irritandum, sicut sancitum est traditione canonica & civili. Clericos præterea qui in capella ipsa post inhibitiones apostolicas divina officia celebrarunt, sicut nos per alia scripta nostra mandavimus, tamdiu habeas pro suspensis, quousque super hoc satisfecerint competenter; & universa quæ in prædictorum monachorum sunt attentata gravamen, exeniorum videlicet & Ecclesiarum & aliorum invasione quæ ante appellationem habuerant, non differas dictis monachis resignare, ac de cetero circa statum monasterij contra prohibitionem nostram hujus occasione negotij non præsumas aliquid innovare. Si verò (quod non credimus) præceptum nostrum, sicut præmissum est, vel contempseris vel distuleris adimplere, à pontificali officio ex tunc noveris te suspensum, & pro contemptu mandati apost. ad nostram venire te volumus præsentiam responsurum. Venerabilibus quoque fratribus nostris Cantuarien. Ecclesiæ suffraganeis de consilio fratrum nostrorum in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mãdamus quatenus nisi tu infra præmissum tempus mandatum nostrum duxeris ad effectum, ipsi nullam tibi impendant obedientiam vel reverentiam: quia justum est quòd ei non obediatur à subditis, qui suo contemnit obedire Prælato. Quòd si forte nec sic te poterimus ad bonum obedientiæ revocare, propter quod malum nunquam committitur; bonum autem debet sæpius intermitti, majorem tibi animadversionem noveris imminere; cùm ferro sint abscindenda vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam. Sanè super præmissis, in quibus salva conscientia non poteramus alio modo procedere, fraternitatem tuam rogamus nullatenus contristari: quia (teste Deo) non ex indignatione aliqua processerunt, sed quia cùm simus, licèt insufficientes, in sede justitiæ constituti, unde jura sua servare tenemur singulis illibata, fraternitati tuæ, quam synceriùs amplexamur, cùm te inter fratres & coëpiscopos nostros honorabile membrum & in domo Domini columnam immobilem habeamus, non potuimus sine gravi offensa creatoris deferre. Nec nobis in hac parte potes aliquid imputare; cùm secundùm traditionem canonicam, quando non nisi peccando alicui consuli potest, tunc æstimare debet homo quid faciat non habere. In ipsis etiam legibus secularibus invenitur, ut quæ facta lædunt pietatem, æstimationem, verecundiam nostram, & generaliter quæ bonis moribus adversantur, nec posse nos facere sit credendum. Super eo quoque non sufficimus admirari, quòd cùm dicta Ecclesia jamdudum quasi lapis offensionis fuerit & petra scandali, pro qua nos & prædecessores nostri adversùs te tuósque prædecessores ita grauiter sumus moti, & viri religiosi pariter & prudentes monachi Can-

Siricius in epistola ad Himer. cap. 7.

ſui præfato Archiepiſcopo de conſilio fratrum diſtrictè præcepit ut quicquid fecerat in Eccleſia nominata euraret ſine dilatione qualibet demoliri; quod de inſtituendis Canonicis & aliis fuerat perperam attentatum, in irritum penitùs revocato: ubi ſive omiſſa fuerit præmiſſa indulgentia, vel etiam allegata, eorum non poterat ratione præmiſſa propoſitum impedire. Per ipſam verò compoſitionem, de qua præmiſimus, tanquam regio metu violenter extortam, partem ſuam in nullo gravari poſſe dicebant. Cùm enim dictus Clemens Papa prædeceſſor noſter pro ſedanda diſcordia inter Archiepiſcopum & monachos Cantuarien. exorta bonæ memoriæ Iohannem Anagninum tunc temporis tt. ſancti Marci Presbyterum Cardinalem, apoſtolicæ ſedis Legatum, poſtea verò Epiſcopum Præneſtinum, in Angliam ſpecialiter deſtinaſſet, poſtquam illuc transfretavit, factum fuit, dicto B. Cantuarien. Archiepiſcopo procurante, quòd apud portum Dovoriæ contra voluntatem ſuam per dies plurimos teneretur, quod in gravem Eccleſiæ Rom. injuriam redundavit, nec ante permiſſus fuit Cantuariam proficiſci, quàm per dictum Regem Anglorum, qui eodem tempore cum Epiſcopis ſuis Cantuariam venerat, in pace quam fecerunt cum Archiepiſcopo monachi vim paſſi fuerunt, & compulſi ſunt omnia ſuſtinere. Quod ideo cùm propè poſitus audiſſet, & poſtea præſens apud Cantuariam cognoviſſet, ſcripto mandare curavit, ut rei veritas omnibus innoteſceret, & quod factum fuerat, non generaret præjudicium juſtitiæ monachorum, & ſi Archiepiſcopus ipſe vel aliquis de ſucceſſoribus ejus ſcripturam ſuper forma pacis quandoque proferret, ſciretur ab omnibus eam fratribus jamdictæ Eccleſiæ nec conſentientibus nec ſcientibus fuiſſe confectam, nec ſibi exhibitam poſtulanti, quia d cauſam fuerat à Summo Pontifice deſtinatus. Vnde vel rem geſtam confirmare debuerat, ſi juſtitiæ concordaret; vel, ſi aliter facta fuerat, infirmare. Sic ergo cognoſcens intercesſiſſe illi facto violentiam manifeſtam, auctoritate qua fungebatur apoſtolica ſtatuit quòd nec concordia ſic facta valeret, neque compromiſſio violenter extorta, neque ſcriptum aliquod ſic conceptum, & quòd ipſis monachis in poſterum præjudicium non afferret, cùm omnia eo præſente ac contradicente fuerint adimpleta; ſicut in ſuis literis patentibus continetur, quas coram nobis fecimus recitari. Poſt hæc, cùm bonæ memoriæ Celeſtinus Papa prædeceſſor noſter omnia quæ per memoratum B. Archiepiſcopum circa monachos vi vel metu acta fuerant, auctoritate apoſtolica in irritum revocaret, nominatim ea quę Legato Rom. Eccleſiæ præſente & contradicente contra mandatum ſedis apoſtolicæ facta proponebantur, ſicut in authentico ejuſdem Legati, I. videlicet Anagnini quondam Presb. Cardin. ob cauſam ipſam in Angliam deſtinati, continebantur expreſſa, viribus carere decrevit, & quæcunque contra jus monachorum vel tenorem privilegiorũ apoſt. ſedis idem Archiepiſcopus impetrarat. Inſuper ſtatuens, ut nullus hominum quę malè geſſerat, ad conſequentiam traheret, nec ea quæ à ſede apoſtolica obtinuerat tacita veritate, juri monachorum vel privilegiis ullo unquam tempore in aliquo præjudiciũ generarent; quemadmodum nobis & fratribus noſtris ex ipſarum conſtitit continentia litterarum. Ex ipſa quoque majore loci diſtantia ſibi aſſerebant monachi majus præjudiciũ generatum: quia cùm in eorum defectũ, ſicut à ſuis nuntiis dicebatur, ſeculares Clerici fuerint evocati, vix puſſent per eos vicinos Cantuarienſis Eccleſię negotia monachis abſentibus procurari, quæ ipſis procul poſitis, & captata eorum abſentia, ſine monachorum conſcientia tractarentur, & eis penitùs inconſultis, unde Cantuarien. Eccleſia diſpendium incurreret & jacturam. Sic ergo per hoc nihil eis acceſſit, eadem contradictionis cauſa manente. Vltimum quoque reſcriptum dicti Celeſtini Papæ prædeceſſoris noſtri carere viribus aſſerebant, utpote per ſuppreſſionem veritatis ſurreptum: quoniam in eo nulla fiebat mentio mandatorum quæ ab Vrbano Papa & Clemente proceſſerant, nec etiam confirmationis illius quam ipſemet ſuper caſſatione compoſitionis prædictæ conceſſit; & præſertim cùm reſcriptum illud induſiſſe dicatur eo tempore quo eum infirmitas admodum prægravabat. Ad fundandam ſanè intentionem ſuam, prædictorum Vrbani, Clementis, & Celeſtini Rom. Pontificum reſcripta, necnon & noſtrum poſt illa, iidem monachi produ-

producebant: quibus urgentissimè mandabatur, ut quicquid de præfata capella fuerat attentatum, haberetur irritum & inane. Cùm autem quæ præmisimus & similia in nostra fratrúmque nostrorum præsentia prudenter essent à nuntiis allegata, nos, qui tempus accepimus justitiam judicandi, volentes illius vestigiis inhærere apud quem non est acceptio personarum, cujus locum licèt indigni tenemus in terris, & ita via regia prudenter incedere, ut non declinemus ad dexteram vel sinistram, prædecessores quoque nostros Vrbanum, Clementem, & etiam Celestinum credentes ampliùs imitandos, in illis maximè quæ deliberatione prævia statuerunt, de communi consilio fratrum nostrorum fraternitati tuæ per apost. scripta mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus omni contradictione & excusatione & appellatione cessantibus infra triginta dies post receptionem præsentium quicquid ædificatum est in Eccl. memorata, expensis tuis facias penitùs demoliri, eo non obstante si etiam absens ab Ecclesia tua exstiteris; (cùm cautum sit etiam legitima sanctione, ut si is cui fuerat opus novum nuntiatum, ante remissionem ædificaverit, deinde agere cœperit jus sibi esse ita ædificatum habere, sibi debeat actio denegari) reducens prorsùs in irritum quicquid de instituendis ibidem Canonicis & aliis ad ipsam Ecclesiam pertinentibus à te vel à prædecessore tuo cognoscitur ordinatum, eorum redditibus ad statum pristinum revocatis quos ab obligatione præstiti juramenti, pro eo quòd ibidem instituti fuerunt, auctoritate nostra per te denuntiari præcipimus absolutos. Cùm enim amodo non teneat principale, quicquid ex eo vel ob id secutum est, sub præmissa districtione decernimus irritandum, sicut sancitum est traditione canonica & civili. Clericos præterea qui in capella ipsa post inhibitiones apostolicas divina officia celebrarunt, sicut nos per alia scripta nostra mandavimus, tamdiu habeas pro suspensis, quousque super hoc satisfecerint competenter; & universa quæ in prædictorum monachorum sunt attentata gravamen, exeniotum videlicet & Ecclesiarum & aliorum invasione quæ ante appellationem habuerant, non differas dictis monachis resignare; ac de cetero circa statum monasterij contra prohibitionem nostram hujus occasione negotij non præsumas aliquid innovare. Si verò (quod non credimus) præceptum nostrum, sicut præmissum est, vel contempseris vel distuleris adimplere, à pontificali officio ex tunc noveris te suspensum, & pro contemptu mandati apost. ad nostram venire te volumus præsentiam responsurum. Venerabilibus quoque fratribus nostris Cantuarien. Ecclesiæ suffraganeis de consilio fratrum nostrorum in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mādamus quatenus nisi tu infra præmissum tempus mandatum nostrum duxeris ad effectum, ipsi nullam tibi impendant obedientiam vel reverentiam: quia justum est quòd ei non obediatur à subditis, qui suo contemnit obedire Prælato. Quòd si forte nec sic te poterimus ad bonum obedientiæ revocare, propter quod malum nunquam committitur, bonum autem debet sæpius intermitti, majorem tibi animadversionem noveris imminere; cùm ferro sint abscindenda vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam. *Siricius in epistola ad Himer. cap. 7.* Sanè super præmissis, in quibus salva conscientia non poteramus alio modo procedere, fraternitatem tuam rogamus nullatenus contristari: quia (teste Deo) non ex indignatione aliqua processerunt, sed quia cùm simus, licèt insufficientes, in sede justitiæ constituti, unde jura sua servare tenemur singulis illibata, fraternitati tuæ, quam synceriùs amplexamur, cùm te inter fratres & coëpiscopos nostros honorabile membrum & in domo Domini columnam immobilem habeamus, non potuimus sine gravi offensa creatoris deferre. Nec nobis in hac parte potes aliquid imputare; cùm secundùm traditionem canonicam, quando non nisi peccando alicui consuli potest, tunc æstimare debet homo quid faciat non habere. In ipsis etiam legibus secularibus invenitur, ut quæ facta lædunt pietatem, æstimationem, verecundiam nostram, & generaliter quæ bonis moribus adversantur, nec posse nos facere sit credendum. Super eo quoque non sufficimus admirari, quòd cùm dicta Ecclesia jamdudum quasi lapis offensionis fuerit & petra scandali, pro qua nos & prædecessores nostri adversùs te tuósque prædecessores ita grauiter sumus moti, & viri religiosi pariter & prudentes monachi Can-

tuarienſes, qui omnia dimiſerunt pro Chriſto, tot laboribus & doloribus, tot mortibus & periculis perſonas & res non dubitaverũt frequenter exponere,(quod proculdubio tam illi quàm iſti, ut dictũ eſt, non feciſſent, niſi cognoſcerent præmiſſa reſpicere in grave Cantuarien. Eccleſiæ detrimentum, ut de aliis omittamus) tu ſaltem pro vitando tam gravi ſcandalo proximorum ab hujuſmodi etiã tibi prohibitis non ceſſaſti; cùm ſacræ ſcripturæ teſtimonio debueris didiciſſe quòd licèt opera illa quæ ſine mortali peccato dimitti non poſſunt, non ſint pro vitando ſcandalo dimittenda, nec ea debeant pro vitando ſcandalo committi quæ ſine mortali peccato committi non poſſunt, ab his tamen quæ committi poſſunt ſine mortali peccato pariter & dimitti, ſit pro ſcandalo tollendo ceſſandum, & eis etiam pro vitando ſcandalo inſiſtendum. Vnde Apoſtolus dicit: *Si ſcandalizaretur frater, carnem non comederem in æternum.* Et Dominus in Evangelio contra eos qui ſcandali præſentant materiam: *Væ*, inquit, *homini illi per quem ſcandalum venit. Melius eſt ei ut ſuſpendatur mola aſinaria ad collum ejus, & demergatur in profundum.* Et licèt majorum ſcandalum ſit vitandum, præcipuè tamen vitandum eſt ſcandalum puſillorum, juxta teſtimonium Veritatis: *Qui ſcandalizaverit*, inquit, *unum de puſillis iſtis minimis qui in me credunt &c.* Finis ergo his quæ præmiſſa ſunt à te de cetero taliter imponatur, quòd præteritæ contradictionis rebellio per virtutem ſequentis obedientiæ valeat non immeritò expiari. Datum Lateran.* Kal. Decembris, pontificatus noſtri anno primo.

** Apud Gervaſium, XII.*

CANTVARIEN. ECCLESIÆ ſuffraganeis.

Epiſt. 413. Ne Archiepiſcopo ſuo obtẽperent, qui Summo Pontifici obedire contemnit.

CVm ex injuncto nobis apoſtolatus officio &c. *ferè in eundem modum uſque ad verbum* innovare &c. Sanè ſuper præmiſſis &c. *ferè in eundem modum uſque ad verbum* non immeritò expiari, *ut ſuprà*: Si verò (quod non credimus) &c. *uſque ad verbum* reſponſurum. Quocirca univerſitati veſtræ de conſilio fratrum noſtrorum in virtute obedientiæ diſtrictè præcipimus quatenus, niſi ſæpedictus Archiepiſcopus infra præmiſſum tempus mandatum noſtrum duxerit ad effectum, vos ei nullam obedientiam vel reverentiam impendatis: quia juſtum eſt ut ei non obediatur à ſubditis, qui ſuo contemnit obedire Prælato. pro certo ſcituri quòd ſi præcepto apoſtolico in hac parte præſumpſeritis obviare, nos auctore Deo inobedientiæ veſtræ curabimus animadverſione debita reſpondere. Quòd ſi fortè nec ſic eundem Archiepiſcopum poterimus ad bonum obedientiæ revocare &c. *uſque ad verbum* medicinam. Datum ut ſuprà.

APud Gervaſium monachum Cantuarienſem ſic legitur: Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Cantuarienſis Eccleſiæ ſuffraganeis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm ex injuncto nobis apoſtolatus officio &c. *ſicut ſuperius ſcriptum eſt uſque* fraternitatis veſtræ literas ſuper facto ejuſdem Eccleſiæ nobis ſub ſigillis omnium pariter deſtinatas cum debita benignitate recepimus; ſuper eo non modicùm admirantes, quòd, ſicut earum nobis ſerie intimaſtis, quibuſdam veſtrum viſum fuit nos fuiſſe multipliciter circumventos, quando literas noſtras eidem Archiepiſcopo & vobis ipſis ſuper eodem negotio curavimus deſtinare. Sanè, ſicut literæ veſtræ continebant, in præmiſſam opinionem eos qui de nobis talia æſtimabant, quatuor induxerant quæ ſequuntur. Quorum primum, ſecundum, & ultimum erant indulgentiæ piæ recordationis Vrbani, Gregorij, & Celeſtini Pontificum Romanorum, quæ in noſtra & fratrum noſtrorum fuerunt præſentia recitatæ. Tertium, compoſitio facta per cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ricardum illuſtrem Regem Anglorum & venerabilem quoque fratrem noſtrum Vv. Rothomagenſem Archiepiſcopum & quoſdam alios inter Archiepiſcopum & monachos memoratos. Quibus & aliis quæ à nuntiis præfati Archiepiſcopi allegata fuerunt, qualiter ex parte monachorum ratione prævia fuerit obviatum, ut cognoſcatis & approbetis pleniùs veritatem, univerſitati veſtræ præſentibus literis duximus explicandum. In primis ſiquidem præfati nuntij &c. *et ordine ſicut ſuperiùs ſcriptum eſt in literis Archiepiſcopi. In fine verò iſtarum additum eſt ita.* Quocirca &c. *ut ſuprà in Regeſto uſque ad verbum* revocare, propter quod malum nunquam committitur, bonum autem debet ſæpius intermitti, majorem ſibi animadverſionem noverit imminere; cùm ferro ſint abſcindenda vulnera, quæ fomentorum non ſentiunt medicinam. Datum Laterani XII. Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno primo.

LINCOLNIENSI ET HELIEN. Epiſcopis, & Abbati S. Edmundi.

Epiſt. 414. Vt ablata ab Archiepiſcopo Cantuarienſi monachis reſtituant cũ fructibus perceptis.

INter alia quæ venerabili fratri noſtro Cantuarienſi Archiepiſcopo ſuper negotio capellæ de Lamhee de fratrum conſilio, felicis recordationis Vrbani, Clementis, & Celeſtini prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificũ veſtigiis inhærentes, per apoſtolica ſcripta mandamus, illud ſpecialiter continetur, quòd Eccleſias monachorum cum fructibus medio tempore perceptis, exeniis, & aliis injuſtè ablatis, infra triginta dies poſt receptionem literarum noſtrarum, etiamſi abſens ab Eccleſia ſua fuerit, eis reſtituere non moretur. Volentes autem ut mandatum apoſtolicæ ſedis debitam obtineat firmitatem, nec alicujus negligentia retardetur, diſcretioni

vestræ per apostolica scripta districtè præcipimus quatenus nisi dictus Archiepiscopus infra præfixum sibi tempus curaverit quod mandavimus adimplere, vos omni contradictione, dilatione, & appellatione cessantibus Ecclesias ipsas cum perceptis fructibus dictis monachis restituere non tardetis; detentores ipsarum, si vobis in hac parte immo nobis ipsis præsumpserint obviare, pœna suspensionis & excommunicationis etiam, si opus fuerit, percellentes. provisuri ut Deum habentes præ oculis, sine personarum acceptione mandatum apostolicum taliter exequamini, quòd devotionem vestram & nos commendare possimus, & Deus debeat acceptare. Quòd si omnes his exequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani XI. Kal. Decembris.

RICARDO ILLVSTRI REGI *Anglorum.*

Epist. 415. Ne Rex istam restitutionem monachorum impediat.

INter alia quæ nos hortantur celsitudinis regiæ titulis congaudere, illud tanquam memoriale, quia personam tuam syncera caritate diligimus, multa gratiarum actione prosequimur, quod jamdudum nos regiis apicibus rogavisti ut pro nullo deberemus in his quæ agimus à justitiæ tramite deviare; nec illud fuit in eisdem literis prætermissum, unde circumspectionem regiam dignis laudibus commendamus, ut si fortè à nobis interdum aliquid postularet quod esset obvium rationi, nolebat aliquatenus exaudiri. Nos ergo, præter officij nostri debitum, ex quo cùm, licèt indigni, tempus acceperimus justitiam judicandi, universis & singulis in jure suo existimus debitores, regiæ prudentiæ salutaribus exhortationibus invitati, & volentes regia via prudenter incedere, nec declinare ad dexteram vel sinistram, nuper in præsentia nostra nuntiis venerabilis fratris nostri Archiepiscopi & dilectis filiis.. &.. monachis Cantuarien. constitutis, in facto capellæ de Lamhee de communi consilio fratrum nostrorum processimus sicut nobis fuit divinitus revelatum, & literæ quas eidem Archiepiscopo & venerabilibus fratribus nostris Cantuarien. Ecclesiæ Suffraganeis destinamus, continent evidenter. Vt autem mandatum nostrum, quod de pura conscientia Deo teste processit, liberiùs valeat adimpleri, serenitatem regiam prece qua possumus & affectione rogamus quatenus his quæ à nobis facta sunt benigniùs annuendo, non sit impedimento quò minùs debeant juxta rescripti nostri seriem effectui mancipari; quin potiùs, si quis se (quod vix credimus) duceret opponendum, ejus audacia quæsumus potestate tibi tradita reprimatur; ut mandata sedis apostolicæ debitam obtineant firmitatem. Alioquin, quantumcunque magnificentiam tuam in Domino diligamus, & sibi velimus, quantum cum Deo possumus, honestè deferre, contemptum apostolicæ sedis & nostrum non poterimus æquanimiter sustinere; sed eos qui se opponere nostris in hac parte jussionibus attentabunt, pœna magistra docere curabimus quàm durum sit contra stimulum calcitrare. Provideat igitur regia celsitudo quòd ita preces apostolicas in hac parte diligenter exaudiat, sicut petitiones suas apud sedem apostolicam cupit etiam in majoribus exaudiri, procurans attentiùs ut præfatos monachos, quos sub protectione nostra suscepimus, ne minores à majoribus opprimantur, dextera suæ potentiæ protegat & defendat; ut apud eum æternæ retributionis præmia consequatur qui juxta propheticum testimonium liberavit pauperem à potente, & inopem cui non erat adjutor. Datum Laterani XII. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno primo.

PRIORI ET CONVENTVI *Cantuarien.*

Epist. 416. Consolatoria epistola in causa Archiepiscopi & monachorum. Vide infrà epist. 514.

NIsi viri prudentes essetis, & sacrarum haberetis scientiam scripturarum, pro tribulationibus quæ invenerunt vos nimis, egeretis forsitan consolationibus aliorum. Sed imitatores Apostolorum effecti, ut relictis omnibus liberiùs sequi possitis Christum pauperem & egenum, amissionem temporalium, quæ debetis cum Apostolo reputare tanquam stercora, ut Christum lucrifacere valeatis, excipere cum gaudio vos oportet, nec pro ea, sicut ceteri hominum, contristari, ne per immoderatum dolorem, postquam manum misistis ad fortia, retro aspicere comprobemini, & manna contempto ad Ægypti pepones & allia & ollas carnium aspirare. Cùm itaque non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ

revelabitur in nobis, monemus universitatem vestram & exhortamur in Domino quatenus ad memoriam revocantes quod tribulatio patientiam operatur, patientia verò spem, spes autem secundum Apostolum non confundit, ex hoc ipso gratias agatis Altissimo, quòd illi de quibus indubitatam fiduciam habebatis, retribuentes mala pro bonis, vobis non cessant detrahere, quia sequimini bonitatem; & quanto mundus, qui vos odit, quia de mundo non estis, (alioquin quod suum esset diligeret) persecutiones vobis excitat graviores, tanto ampliùs patri luminum, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, in gratiarum actionibus insurgatis, qui vobis dedit patientiam in adversis. Despecta est enim confessio quam facit prosperitas, teste scriptura, quę dicit: *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* Sed illa magni momenti debet existere, quam non adimit vis doloris, ejus exemplo qui ait: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Nos autem, qui locum ejus licèt indigni tenemus qui juxta propheticum testimonium liberavit pauperem à potente, & inopem cui non erat adjutor, affectu paterno vestris doloribus condolentes, non attendimus contra vos vultum potentis, sed ut oppressionibus vestris finis debitus imponatur, spe sola retributionis æternæ Petri gladium exerimus ad justitiam faciendam; discretionem vestram rogantes attentiùs, & obsecrantes in Domino, quatenus hanc nobis retribuatis mercedem et apud misericordissimum judicem pro peccatis nostris preces & lacrymas effundatis, puras ad eum manus sine disceptatione levantes, ut injunctum nobis apostolatus officium ad laudem & gloriam nominis sui, ad honorem & profectum Ecclesiæ, & redemptionem & salutem animæ nostræ concedat & faciat adimplere. Datum Laterani XII. Kal. Decembris.

AIMERICO ILLUSTRI REGI & A. Reginæ Hierosolymitan.

Epist. 417. Regnum Hierosolymitanum sub protectione apostolica suscipit.

CVm terra sancta, in qua pedes Christi steterunt, & salutem nostram Deus Rex ante secula dignatus est operari, sub protectione semper debeat sedis apostolicæ permanere, quæ Domino disponente mater esse meruit generalis; licèt omnibus ad vindicandam injuriam Iesu Christi & ipsius terræ succursum accedentibus munimen protectionis apostolicæ largiamur, vobis tamen, qui terræ illi temporaliter præesse noscimini, tanto libentiùs favorem & gratiam apostolicam impertimur, quanto patrocinio & auxilio nostro ampliùs indigetis, & tam regnum vestrum quàm vos habemus inter alios mundi Principes cariores. Eapropter, carissimi in Christo filij, vestris justis petitionibus grato concurrentes assensu, personas vestras, regnum Hierosolymitanum, & cetera omnia quæ nunc rationabiliter possidetis, vel in antea justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani IV. Nonas Decembris.

Vide infrà epist. 518.

COMITI TRIPOLITAN.

Epist. 418. Vt Regi Cypri contra Sarracenos decertanti in conservando & gubernando regno auxilio sit.

IN afflictione terræ sanctæ, quam Dominus pretioso sanguine comparavit, nos vehementer affligimur, & dolor noster quotidie innovatur, donec eam pristinæ restitutam cognoverimus libertati. Sanè licèt instantia nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, præcipuum tamen ad liberationem dominici sepulchri nos & fratres nostri solicitudinis studium exercemus, ad subventionem ipsius cunctos assiduis exhortationibus invitantes. Nuper autem cùm literis plurium de partibus transmarinis sedi fuisset apostolicæ nuntiatum quòd carissimum in Christo filium nostrum Aimericum illustrem Regem Cypri tu & alij unanimiter elegeratis in Regem, per quem transmarinæ terræ tam ex districtione personæ quàm affluentia rerum creditis posse salubriùs provideri, eum à quo bonum omne procedit humiliter exoravimus ut Regem ipsum de inimicis Christiani nominis faciat triumphare. Cùm igitur prædictus Rex, sicut etiam in literis nobis transmissis perspicitur contineri, quietem regni Cypri dimiserit, & pro Christi nomine labores subierit transmarinos, & tibi & aliis omnibus summa sit solicitudine satagendum ut regnum Cypri non debeat aliqua tempestate turbari, sed tranquillitate gaudere, cùm de regno illo Hierosolymitan. regno, ut proponitur, multa sub-

ventionis commoda ministrentur, nobilitatem tuam rogamus, monemus, ac per apostolica scripta mandamus, quatenus præscripto Regi, si quando necesse habuerit, ad defensionem regni Cypri sic libenter & efficaciter, quantum salva defensione terræ sanctæ poteris, auxilium tuum impendas, quod idem Rex gratum merito habere debeat & acceptum, & tu tanquam catholicus Princeps ad ea quæ terræ Hierosolymitanæ commodum respiciunt & augmentum, videaris solicitus & attentus. Datum ut supra.

In e. m. nobili viro Principi Antiocheno. In e. f. m. Magistro & fratribus militiæ Templi. In e. f. m. Magistro & fratribus Hospitalis Hierosol.

VNIVERSIS HABITATORIBVS *Hierosolymitanæ provinciæ.*

Epist. 439. Ut hi quibus votum adeundi Hierosolymam admittitur, aliquam pecuniã ad bellum sacrum nihilominus dare teneantur.

LIcèt quisque teneatur Domino votum reddere quod emittit, voventis tamen est attendendus affectus potiùs quàm effectus, cùm ab executione voti necessitate retrahitur quod devotè disposuerat adimplere. Cùm enim ad vindicandam injuriam Iesu Christi, & terræ sanctæ succursum, universos assiduis exhortationibus invitemus, & illuc accedentibus de Dei confisi misericordia omnium peccatorum suorum veniam & vitam promittamus æternam, nullatenus reputamus indignum, si habitatoribus ipsius, qui vovent sanctorum limina visitare, de benignitate sedis apostolicæ in terra ipsa, quæ peccatis exigentibus & rerum penuria premitur & assiduis indiget defensoribus, damus licentiam remanendi, ne, quod absit, dum personis terra ipsa minuitur, & expensis etiam vacuatur, contra Christianos prævaleant Philistæi, & diù detineant sanctuarium Domini, quod ceperunt. Quia igitur votum, cùm requirit necessitas, potest & debet in pietatis opus aliud commutari, universitati vestræ auctoritate præsentium duximus indulgendum, ut si qui vestrum voverint sanctorum limina visitare, de auctoritate sedis apostolicæ à voti executione taliter se noverint absolutos, ut expensas, quas facturi erant in via, de religiosorum virorum consilio pro reædificatione murorum & stipendiis militum sine diminutione qualibet largiantur, & pro labore itineris dignum aliquid Domino recompensent. Datum ut suprà.

In eundem modum universis habitatoribus Antiochen. provinciæ.

EPISCOPO ACCONEN.

Epist. 440. Ne Canonicorum numerus augeatur ultra facultates.

LIcèt ad ampliandum divini nominis cultum in singulis Ecclesiis teneamur pastoralem solicitudinem adhibere, illum tamen modum in his sequi nos convenit & servare, ne minoratis Ecclesiarum facultatibus & multiplicatis expensis, ministrorum in eis numerus augeatur. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate præsentium fortiùs inhibemus, ne Acconen. Ecclesia, priusquam integritati, quam ante provinciæ orientalis occupationem habuerat, fuerit restituta, per quemquam majori fratrum numerositate gravetur quàm tempore suæ felicitatis habebat. Nulli ergo omnino &c. nostræ inhibitionis &c. Datum ut suprà.

SANCIO ILLVSTRI *Regi Portugalensi.*

Epist. 441. Recipitur ipse & regnum & omnia bona sua sub protectione sedis apostolicæ. Vide suprà epist. 99. & infrà epist. 448. & seq.

IN eminenti sedis apostolicæ specula disponente Domino constituti, sic nos convenit ad universos & singulos aciem nostræ considerationis extendere, ut propinqui & longè positi non remaneant apostolicæ benignitatis expertes, qui ab ea protegi cum devotione requirunt. Cùm enim Rom. Ecclesia te quadam dilectionis prærogativa inter alios mundi Principes amplexetur, & tu & prædecessores tui ei semper fideles extiteritis & devoti, petitionibus tuis, quoties offeruntur nobis, quantum cum Deo possumus, tanto libentiùs favorem apostolicum impertimur, quanto & personam tuam & regnum tibi commissum, ut pote quod est Rom. Ecclesiæ censuale, synceriori caritate diligimus. Eapropter, carissime in Christo fili, tuis justis precibus grato concurrentes assensu, personam tuam & regnum Portugalen. cum omnibus quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino &c. Datum ut suprà.

DECANO ET CAPITULO Abrincen.

Epist. 442. Vt lite & appellatione pendente attentata revocentur.

ACcedens ad apostolicam sedem dilectus filius, . de Aquila magister scholarum Abrincen. sua nobis insinuatione monstravit quòd cùm olim coram vobis nostram audientiam appellasset, ne ad alicujus electionem personæ nobis procederetis aliquatenus inconsultis, vel quia nihil certum statutum erat à nobis super translatione magistri W. Abrincen. electi, vel quia vos metu secularium in præjudicium libertatis ecclesiasticæ timebat aliquid attentare, aliásque causas rationabiles assignasset, appellatione ipsa in præsentia venerabilis fratris nostri Archiepiscopi & dilectorum filiorum Capituli Rothomagen. in scriptis & per nuncios postea innovata, cùm illuc accedere in persona propria non auderet, vos W. Tollermen. Clericum Senescalci Normanniæ infra sacros ordines tunc temporis, sicut dicitur, constitutum in fraudem ordinari fecistis, & in octavis sanctæ Crucis elegistis ipsum postquam dictus magister iter arripuit ad nos veniendi, licèt contra ipsum W. coram te, fili Decane, & quibusdam aliis de ipso Capitulo à dicto magistro fuerit specialiter appellatum, quia & prorsùs illiteratus erat, & propter alia multa minùs idoneus pontificali officio videbatur, & in eadem Ecclesia per intrusionem eligi laborabat. Cùm autem appellatione rationabiliter interposita secundùm constitutiones canonicas nihil sit innovandum, nos apostolicæ sedis contemptum & nostrum nolentes, sicut nec debemus, surdis auribus pertransire, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus aliquos ex vobis usque ad Dominicam quâ cantatur *Lætare Hierusalem* proximè venturam, remoto appellationis obstaculo, ad nostram præsentiam transmittatis, de præmissis excessibus responsuros: attentiùs provisuri ne circa præmissum factum procedere præsumatis, donec de his quæ præmisimus cognoscentes, de nostro beneplacito vos curaverimus reddere certiores. Datum Laterani VII. Idus Decembris.

ROTOMAGEN. ARCHIEPISC.

Epist. 443. Ejusdem ferè argumenti.

ACcedens &c. *usque ad verbum* innovandum; fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus circa præmissum negotium ad confirmationem cujusquam vel consecrationem appellatione remota procedere non attentes, donec à nobis deliberatum fuerit quid sit de his quæ præmisimus faciendum; cùm sine contemptu apostolicæ sedis & nostro contrarium fieri non valeret, nec nobis injurias velimus à nostris fratribus & coëpiscopis irrogari, qui jura eorum servare cupimus illibata. Datum Laterani Nonis Decembris.

UPSALEN. EPISCOPO.

Epist. 444. De illegitimis nõ ordinandis, nec ad dignitates eligendis.

AD nostram noveris audientiam pervenisse quòd cùm quamplurimi Suetiæ Clerici non sint de legitimo thoro suscepti, qui ob suæ generationis erubescentiam altioris gradus culmen appetere nulla præsumptione deberent, contra constitutionem in Lateran. Concilio provida deliberatione innovatam venire nullatenus metuentes, episcopatuum dignitates inverecundè nimium obtinere contendunt, cùm id fieri districtiùs in Concilio ipso vetetur; & quamvis adversùs hujusmodi præsumptores, sicut accepimus, venerabilis frater noster Archiepiscopus Lundensis sæpe comminationes indiderit, & arctiùs inhibuerit ne tale quid præsumeretur ulteriùs, nihilominus præsumunt agere perniciosiùs quod vetatur. Nuper etiam, sicut nostris est auribus suggestum, cùm tres Clerici de legitimo matrimonio non suscepti, in tribus Ecclesiis cathedralibus adversùs ea quæ superiùs annotavimus electi fuissent, bonæ memoriæ prædecessori tuo, cujus erant Ecclesiæ illæ jurisdictioni subjectæ, districtiùs vetuit ne illorum electionem ratam haberet, vel eis consecrationis munus impendere attentaret. Verùm ille constitutioni prædictæ ac inhibitioni ejusdem Archiepiscopi obviare non metuens, duos eorum in Episcopos consecravit. Quod præfatos Archiepiscopus nolens relinquere impunitum, Episcopos illos ab officio iniquè recepto & consecrationem tertij à complemento suspendit. Quia verò illius terræ homines sunt adhuc rudes in

fide, ac inter eos pro hujusmodi Clericorum excessibus antiqui hostis invidia stimulante, scandalum non modicum (sicut dicitur) est exortum, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus inquiras super præmissis omnibus veritatem; & si rem noveris ita esse, Episcopos illos à pontificali officio sublato appellationis & contradictionis obstaculo, servato juris ordine, nostra fretus auctoritate deponas, & electionem tertij decernas irritam & inanem; ex parte tua & nostra districtiùs inhibens ne aliqui personas hujusmodi in Pontifices præsumant aliquatenus nominare. Quod si fortè præsumpserint; tam electores quàm eos qui electionem præsumptuosè susceperint, ab officiis & beneficiis sine qualibet dilatione suspendas, & si restiterint contumaciter, ab eis reddas penitùs alienos. Si verò mandatum nostrum non duxeris effectui mancipandum, noveris nos prædicto Archiepiscopo dedisse firmiter in mandatis ut te in prædictorum executione cessante, ipse auctoritate nostra quod mandamus exequi sublato appellationis obstaculo non omittat. Datum Laterani Nonis Decembris.

Scriptum est super hoc Lunden. Archiepiscopo.

EPISCOPO PETRAGORICEN.

Epist. 445. Datur illi potestas visitandi cœnobia, & ecclesias constituendi, corrigendi abusus &c.

CVm nobis, licèt immeritis, in specula sedis ap. constitutis omnium Ecclesiarum sit generalis cura commissa, nos attentè convenit ac solicitè providere ut per studium nostræ solicitudinis in statu debito valeant conservari. Et quoniam ubique præsentia corporali adesse non possumus, per fratres & coëpiscopos nostros, qui sunt in partem solicitudinis evocati, ad rectum ordinem reduci volumus quæ in eis in ordinatè fuerint attentata, & in statum congruum reformari; ut personæ constitutæ in eis ad ecclesiastica obsequia prosequenda juxta doctrinam canonicam divinæ servitutis cultibus vigilanter intendant, & cunctis rectò progredientibus ordine Dominus & propitiator noster dignè in ministrorum suorum operibus collaudetur. Nos igitur, venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus grato concurrentes assensu, ut in Ecclesia sancti Stephani, in qua pontificalis administrationis officium assumpsisti, & in Ecclesia beati Frontonis, in qua curam geris Abbatis, super correctione ordinis & aliis ecclesiasticis constitutionibus cum majori parte Capituli, prout ipsis Ecclesiis expedierit, valeas ordinare seu statuere quod fuerit statuendum, & corrigere corrigenda, liberam tibi sublato appellationis obstaculo auctoritate apostolica tribuimus facultatem, nisi à paucioribus juxta constituta Lateranen. Concilij rationabile aliquid objectum fuerit & ostensum. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

EIDEM.

Epist. 446. Vt vagi monachi in cœnobia retrudantur.

AD audientiam apostolatus nostri pervenit quòd quidam monachi & Canonici regulares singuli per cellas singulas contra Lateranensis interdictum Concilij per tuam diocesim in Ecclesiæ scandalum demorantur. Super quo prudentiæ tuæ auctoritate præsentium indulgemus ut tales, nullius contradictionis vel appellationis obstaculo, auctoritate nostra compellendi liberam habeas potestatem ut ad claustrum suum redeant, vel tres aut duos ad minus de fratribus suis assumant, secum, sicut in eodem Concilio institutum esse dignoscitur, permansuros. Super eo verò quod præterea postulasti, ut cùm sæpius inter quoslibet sub examine tuo controversia suscitata, pro parte altera senes aut valetudinarij producantur, & timeatur ne deficientibus illis, partis illius debeat justitia deperire, tibi hujusmodi admittere liceat; fraternitati tuæ nihilominus duximus concedendum ut tales, sive partes præsentes fuerint, vel altera fortè contumaciter absens, sicut juris ratio postulat, contradictione & appellatione cessante, ad perhibendum testimonium veritati recipias, & admittas. Datum Laterani VI. Idus Decembris.

TVRONEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 447. Quòd Episcopos ad aliam Ecclesiam trásferre nemini liceat nisi Rom. Pontifici.

CVm fortius sit spirituale vinculum quàm carnale, dubitari non debet quin omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantùm judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem carnalis conjugij, quod est inter virum & feminam, suo tantùm judicio reservavit, præcipiens ut quos Deus conjunxit, homo non separet. Non enim humana

sed divina potiùs potestate conjugium spirituale dissolvitur, cùm per translationem, vel depositionem, aut etiam cessionem auctoritate Rom. Pontificis, quẽ constat esse Vicarium Iesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur. Et ideo tria hæc, quæ præmisimus, non tam constitutione canonica, quàm institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata. Sicut autem Episcopus consecratus sine licentia Rom. Pontificis suam non debet Ecclesiam derelinquere, sic electus confirmatus præter ejus assensum suam deserere nequit Ecclesiam, cui est matrimonialiter alligatus; cùm non debeat in dubium revocari, quin post electionem & confirmationem canonicam, inter personas eligentium & electi conjugium sit spirituale contractum. Quia licet inveniatur in canone, quòd si electus ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, nec ibi nec alibi consecrationis donum percipiat, non tamen intelligitur Ecclesia viduata, quasi sponsum non habeat; sed quia cùm sponsus ejus nondum sit consecratus, adhuc quoad quædam quasi viri manet solatio destituta. Nos ergo, qui sacra docente scriptura monemur ne nostrum alij demus honorem, quoniam apostolatui nostro multis referentibus innotuerat quòd tu magistrum W. de Chimeleio, qui electus fuerat in Abrincen. Episcopum, & per Metropolitanum suum postea confirmatus, diutiùs tam in spiritualibus quàm in temporalibus ministrarat, in Andegaven. Ecclesiam præter apostolicę sedis auctoritatem præsumpsisti transferre, & Episcopum consecrare, quem & venerabilis frater noster Rothomagen. Archiepiscopus præter apostolicæ sedis mandatum absolvit, & ei tribuit licentiam transeundi; venerabili fratri nostro Bituricen. Archiepiscopo, de quo plenam fiduciam obtinemus, dedimus in mandatis, ut inquisita super hoc pleniùs veritate, si rem gestam taliter inveniret, te & Rothomagen. Archiepiscopum, qui saltem apostolicam sedem super hoc consulere debuistis, à confirmatione pariter & consecratione Pontificum, memoratum verò W. ab executione pontificalis officij, nostra fretus auctoritate, suspenderet. Qui mandati nostri diligens executor, super quo devotionem ejus digna gratiarum prosequimur actione, cùm per confessionem spontaneam ei de veritate negotij constitisset, te & dictum Archiepiscopum juxta tenorem apostolici mãdati suspendit. Quia verò tu & dictus Archiepiscopus nobis humiliter & devotè per nuntios & literas supplicastis ut veniam dantes errori, quia non ex malignitate sed ex simplicitate peccastis, cùm id etiam & urgens necessitas & evidens utilitas Andegaven. Ecclesiæ postularet, quoniam in aliam personam idoneam non poterant convenire, vestris canis misericorditer parceremus, ne vitam in confusione ullatenus finiretis; Nos, qui personam tuam syncera caritate diligimus, & tuo, quantum cum Deo possumus, intendimus honori deferre, cùm te inter fratres & coëpiscopos nostros membrum honorabile reputemus, & confessionem spontaneam & supplicationem devotam benigniùs attendentes, de consueta Rom. sedis clementia pœnam inflictam duximus relaxandam; venerabili fratri nostro Bituricen. Archiepiscopo per apostolica scripta mandantes quatenus te & præfatum Rothomagen. Archiepiscopum à pœna suspensionis publicè denunciet absolutos. Datum Laterani III. Nonas Decembris.

Cap. Quoniam. 100. *Dist.* *Vide suprà epist.* 117. *& infrà epist.* 502. 532.

In eundem ferè modum Rothomagen. Archiepiscopo. Scriptum est super hoc Bituricen. Archiepiscopo.

REGI PORTVGALLIÆ.

IN eo sumus proposito constituti, ut personam tuam inter alios mundi Principes prærogativa dilectionis & gratiæ velimus, quantum cum Deo possumus, honorare. ad quæ nimirum illud, nec immeritò, specialiter nos inducit; quòd regnum tibi commissum ab inclytæ recordationis progenitoribus tuis Ecclesiæ Romanæ constitutum est censuale. unde per dilectos filios Iohannem Ovezi & Egeas Petri fratres Hospitalis Hierosolymitani pro annuo censu quatuor unciarum auri, quas magnitudo regia recognovit ratione temporis à Lateran. Concilio jam elapsi, quingentos & quatuor morabatinos ad suggestionem dilecti filij fratris Rainerij nuntij nostri nobis regia serenitas destinavit. quod debita prosequimur gratiarum actione. Quia verò de mille aureis à dicto patre tuo bonæ memoriæ Alexandro

Epist. 448. Vt promissum Rom. Ecclesiæ censum persolvat. *Vide suprà epist.* 441.

dro prædecessori nostro donatis, & decentum censualibus annuatim solvendis, es nescire professus veritatem, sed omnia discutienda nostro examini reservabas; nos volentes omnem ambiguitatem à tuo pectore penitùs amovere, rescriptum inclytæ memoriæ Alphonsi patris tui, sicut in registro ejusdem prædecessoris nostri, cui donatio facta fuit, de verbo ad verbum invenimus, celsitudini tuæ præsentibus inclusum literis fideliter destinamus. Quocirca nobilitatem regiam rogamus attentiùs & monemus quatenus parentum inhærens vestigiis, ut sicut es successor in regno, ita & voti successor existas, quæ pro salute sua pariter & suorum Christi Vicario concesserunt, liberaliter & sine difficultate qualibet persolvas. ex quo, præter æternæ remunerationis præmium, temporaliter quoque tibi & regno tuo per apostolicæ sedis protectionem & gratiam multa provenire poterunt incrementa. neque contrarium posses sine offensa creatoris efficere: qui etsi de aliarum Ecclesiarum injuriis graviter offendatur, tanto graviùs adversùs eos qui apostolicæ sedis jura illicitè detinent commovetur, quanto fortiùs peccare videntur qui ejus quæ caput est omnium & magistra, non sine præsumptione sacrilega jura invadere non formidant. Datum Laterani V. Idus Decembris.

FRATRI RAYNERIO.

Epist. 449. Vt Regem Portugalliæ ad persolvendum Ro. Ecclesiæ annuū censum adhortetur. Vide suprà epist. 441.

Sicut nobis per tuas literas intimasti, carissimus in Christo filius noster illustris Rex Portugalliæ nuper nobis pro annuo censu quatuor unciarum auri, quas coram te recognovit, quingentos & quatuor morabatinos fratri A. magistro Hierosolymitani Hospitalis in Hispania nostro nomine assignavit, quos idem Hospitalarius nobis nuper sine diminutione transmisit. Super aliis verò de quibus idem Rex se nescire professus est veritatem, & quæ nostro examini discutienda commisit, per rescriptum donationis bonæ recordationis Alexandro Papæ prædecessori nostro factæ ab inclytæ memoriæ Alphonso patre ipsius Regis, quod ipsi nostris inclusum literis destinamus, eum reddimus certiorem. Tu autem eundem diligentiùs moneas & inducas ut sicut in regno ita & in voto patri succedens, oblatum Vicario Iesu Christi sine qualibet diminutione persolvat quod non posset sine grandi sacrilegio retinere. Datum ut suprà.

ARCHIEPISCOPO LVNDEN.

Epist. 450. Vt eleemosynariū collectores pij & boni ordinentur, rejectis illis qui populum offendebant. Cap. Tuarum. De privilegiis.

Tuarum nos tenor literarum edocuit quòd fratres Hospitalis sancti Ioannis laici & illiterati ad partes illas mittuntur pro eleemosynis colligendis quas populus ex devotione pro sustentatione pauperum præfato loco mittere consuevit. Quia verò non sufficiunt per se loca omnia circumire, sibi Clericos, sacerdotes, laicos, etiam rudes, non religiosos, sed in nequitiis exercitatos assumunt, eorum pectoribus crucis characterem imponentes. Cùmque gulæ & ebrietati deserviant, se valde inhonestos in aliis ostendentes, Clerum & populum graviter scandalizant, cùm ipsi laici prioratuum fungantur officiis, & tam Clericis quàm sacerdotibus præponantur; & non solùm Episcopis inobedientes existunt, verùm etiam quasdam immunitates, tanquam ab apostolica sede sibi indultas, præsumunt sibi temerè vendicare. Cùm enim in quadam Ecclesia baptismali eis à tuo prædecessore collata quidam nuper percutiens vicarium sacerdotem, ipsam Ecclesiam sanguinis effusione fœdasset, usque ad reconciliationem divina ibidem interdixisti officia celebrari. Sed nihilominus ipsi divina in ea officia celebrarunt. Sacerdotes insuper undecunque venientes ad eos, de quorum etiam conversatione & ordinatione nulla certitudo prorsùs habetur, ad divinum officium sibi celebrandum recipiunt, Episcoporum assensu minimè requisito. alios etiam Presbyteros ab officio suspensos per Episcopos suos pro suorum exigentia meritorum, iidem, cùm sint laici, ad officia restituunt exequenda. Quidam præterea cum uxoribus suis in domibus propriis commorantur; quos, eò quòd eis de suis aliquid conferunt annuatim, ita emancipare contendunt, ut aliis secundùm leges terræ de sibi objectis respondere minimè teneantur. Verùm quia privilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur * libertate, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si quos Clericos seu sacerdotes aut laicos à prædictis fratribus pro colligendis eleemosynis cruce falsò signatos inveneris, his à quibus ipsos missos fuisse

** In Tertia Collect. potestate*

constiterit, per totam provinciam tuam, nostra fretus auctoritate, exhortationis hujusmodi officium interdicas; missos etiam, si laici fuerint, excommunicationis mucrone percellas; si Clerici vel Presbyteri fuerint, ab officio beneficióque suspendas. nullo prorsùs privilegij beneficio vel appellationis * refugio prævalente. Eos verò quos in prædicta Ecclesia lege tibi diocesana subjecta post interdictum tuum divina celebrasse cognoveris, ejusdem pœna suspensionis involuens, in ea, donec reconciliata fuerit, quemadmodum sacra præcipiunt instituta, officia non permittas divina celebrari. Presbyteros etiam suspensos ab Episcopis suis, & per dictos fratres ad officia sua temerè restitutos, in eandem suspensionis sententiam nostra fretus auctoritate reducas. Alios verò quos ad respondendum aliis secundùm legem terræ pro præmissa causa asserunt non teneri, nolumus excusari, quin eos ad respondendum sublato appellationis impedimento compellas. Datum ut suprà.

* In Tertia Coll. remedio

CANONICIS NOVARIEN.

Epist. 451. Significat se confirmasse sententiam pro ipsis latam contra Albertum Siccum. Cap. Causam. De sententia & re judicata. Vide suprà epist. 39. & seq.

Causam quæ inter vos & dilectum filium Albertum Siccum Clericum super præbenda Novarien. Ecclesiæ vertebatur, quæ quondam fuit venerabilis fratris nostri P. Novarien. Episcopi, de qua se dicebat idem Albertus per bonæ memoriæ C. Papam prædecessorem nostrum fuisse per annulum investitum, coram nobis diutiùs ventilatam, venerabili tandem fratri nostro Lauden. Episcopo de consensu partium appellatione remota commisimus terminandam. Qui, sicut ex literis ejus accepimus, utriusque partis rationibus pleniùs intellectis, pro vobis contra dictum Albertum diffinitivam sententiam promulgavit: à qua fuit ad nostram audientiam appellatum. Dicto igitur Alberto & magistro I. & V. procuratoribus Ecclesiæ vestræ in nostra propter hoc præsentia constitutis, idem Albertus probare multipliciter nitebatur sententiam ipsam iniquè latam fuisse, ac propter hoc debere non immeritò retractari: dictis procuratoribus vestris defendentibus sententiam, & eam petentibus confirmationis nostræ præsidio communiri. Nos igitur auditis quæ fuerant hinc inde proposita, & diligentiùs intellectis, habito etiam cum fratribus nostris super hoc diligenti tractatu, licèt ex parte ipsius Alberti fuisset propositum quòd contra formam mandati nostri dictus Episcopus sententiam promulgaverat, sicut per attestationes nitebatur probare, quia tamen judicis animus non semper ad unam probationis speciem inclinatur, & ipsa sententia nihil continebat iniquum, & eidem judici de communi assensu partium causa fuerat appellatione remota commissa, qui, ut sententiam ferret, post examinationem causæ ab utraque partium fuerat requisitus, sententiam ipsam de fratrum nostrorum consilio auctoritate curavimus apostolica confirmare, ac eam per venerabilem fratrem nostrum P. Portuen. Episcopum diffinivimus observandam. Decernimus ergo ut nulli omnino &c. Datum Laterani VI. Idus Decembris.

VRGELLEN. EPISCOPO.

Epist. 452. Renuntiationē Episcopatus approbat.

Sicut venerabiles fratres nostri Terraconen. Archiepiscopus & suffraganei ejus suis nobis literis intimarunt, inter multas tribulationes & angustias quæ invenerunt nos nimis temporibus tuis, & propter insufficientiam tuam, Ecclesiam Vrgellensem, nec possent facilè propter multitudinem enarrari, culpæ tuæ illud imputari & poterat & debebat quòd cum episcopatum ipsum (ut fama testatur) minus canonicè fueris assecutus, quod malè cœperas, deteriori exitu conclusisti; cùm difficile sit ut bono peragantur exitu quæ sunt malo inchoata principio. Verùm cùm tempore procedenre mala publicarentur in terra, nec imminentibus periculis opponere te auderes, ut tanquam murum te ipsum pro domo Israël ponens, ascenderes ex adverso, & in die Domini, sicut athleta Christi, fortiter dimicares, insalutatis fratribus clanculò recessisti; ut ex ipsis operibus mercenarium, qui videns lupum venientem dimittit oves, & fugit, te ostenderes, non pastorem; & ingressus monasterium de Aspirano ab apostolica sede licentia non petita, cui soli Episcoporum depositio, cessio, & translatio reservatur, Vrgellen. Canonicis per literas indicasti quòd propter insufficientiam & occultam tui corporis ægritudinem non posses ulteriùs ministrare: quibus, de rebus tuis condito testamento, & facta renuntiatione in scriptis, eligendi Pontificem & providendi Ecclesiæ

suæ facultatem liberam tribuisti. Post hæc autem ad suggestionem & instantiam quorundam Militum & etiam Clericorum, te ad episcopatum denuo proprio motu reverso, cùm in parte ipsius diocesis tanquam Episcopus ministrares, Aragones & Brabançones cũ vicinis Militibus in manu forti ad Vrgellen. Ecclesiam & hostiliter accedentes, eam bonis omnibus spoliarunt, pannos sericos, ornamenta omnia, calices, & cruces argenteas asportantes, & parochianis ducentis & ampliùs, Clericis, & Canonicis de gremio ipsius violenter eductis, & etiã captivatis, Ecclesiam ipsam homicidiis, adulteriis, & aliis variis immunditiis feritate diabolica polluerunt. quibus omnibus propter inutilitatem tuam te opponere minimè potuisti. Porrò videns his malis prævenientibus quòd Ecclesia eadem denuo ad extremam inanitionem penitùs devenisset, & sentiens te ad ipsius Ecclesiæ regimen inutilem & insufficientem existere, iteratò renuntians renuntiationem ipsam bonæ memoriæ Celestino Papæ prædecessori nostro & Terraconensi Ecclesiæ per literas indicasti, &, quantum in te fuit, Canonicis Vrgellen. eligendi sibi pastorem tribuisti denuo facultatem. Vnde pro his & aliis multis præfati Episcopi nobis per suas literas supplicarunt ut cessionem tuam ratam habentes, sicut etiam tu ipse à nobis per literas proprias postulasti, Canonicis sæpedictis liberam daremus licentiam eligendi. Cùm itaque secundùm Apostolum instantia nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum solicitudo continua, nos & necessitatibus Vrgellen. Ecclesiæ inclinati, quæ per te non posset de lacu miseriæ liberari, & tàm ejus quàm præmissorum Archiepiscopi & Episcoporum petitione devicti, renuntiationem tuam urgente necessitate suscepimus, & te à pontificali onere pariter & honore, quæ secundùm traditionem canonicam non sunt ab invicem regulariter separanda, sicut tu minùs providè facere satagebas; qui rejecta oneris sarcina honorem tibi retinere volebas, auctoritate præsentium de consilio fratrum nostrorum decernimus absolutum; ut in Ecclesia de Aspirano Deo valeas (sicut à nobis ex parte tua petitum) amodo deservire, facultatem tibi liberam concedentes. Nulli ergo omnino &c. Datum Laterani.

CAPITVLO VRGELLEN.

Epist. 453. Vt novum Ecclesiæ suæ Episcopũ præficiãt.

SIcut venerabilis frater noster Terraconen. &c. *ferè in eundem modum ut suprà usque ad verbum* concedentes. Nolentes igitur ut Ecclesia vestra, in medio nationis perversæ posita, pro defectu Prælati maneat ulteriùs desolata, & gregi dominico diù desit cura pastoris, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus convenientes in unum, & Spiritus sancti gratia invocata, talem vobis personam in Episcopum & pastorem animarum vestrarum canonicè præficere studeatis, qui Clero & populo sibi commisso & præesse noverit & prodesse. Datum ut suprà

TERRACONEN. ARCHIEPISC.

Epist. 454. Vt curet per Canonicos Vrgellenses dignũ aliquem virum eligi in Episcopum.

SIcut ex tenore tuarum literarum & suffraganeorum tuorum nobis innotuit, inter multa &c. *ferè in eundem modum ut suprà usque ad verbum* prodesse. Volentes igitur ut ipsi Vrgellen. Ecclesiæ metropolitico tibi jure subjectæ per solicitudinem & vigilantiam tuam salubriùs consulatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus Capitulum ejus ad concordem electionem & canonicam faciendam nostra tuáque auctoritate studiosiùs moneas & inducas; ne, quod absit, si eligentium se vota diviserint in diversa, Ecclesiæ afflictæ dudum major addatur afflictio, & sic contritione multiplici conteratur. Dat. ut suprà.

PISANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 455. De anno probationis monachorum, & quatenus in cœnobia conjuges recipiantur. Cap. Ad apostolicam. De regularibus & trans. ad religionem.

AD apostolicam sedem, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est & magistra, super diversis articulis quæstiones dubiæ referuntur; ut quod ab ea fuerit super earum solutione responsum, indubitanter ab omnibus teneatur. Ex parte siquidem tua tales nuper suscepimus quęstiones, quòd cùm monachum fieri ante unius anni probationem regularis institutio interdicat, monachi & moniales in tua diocesi constituti tam Clericos quam laicos utriusque sexus, sanos pariter & infirmos, religionis habitum volentes assumere, nutu etiam aliquo profitentes interdum absque omni professione recipiunt, quandoque professionem illico facientes. vnde multa mala noscuntur sæpius provenire, cùm infirmi ad mona-

ſterium jam tranſlati, & emiſſa profeſſione, poſtquam de infirmitatibus convaluerint, habitum religionis abjiciant, & ad propria revertantur. Contingit etiam tales in propriis domibus remanere, cùm monachi per eos, dum vivunt, nolint ſua monaſteria prægravari. Sani etiam ſic abſque probatione recepti, retro aſpicientes, matrimonia contrahunt, rejecto habitu regulari. De quibus, ſi habitum religionis aſſumant ante unius anni probationem, vel temporis competentis, utrum facta profeſſione à talibus vel omiſſa, monachi debeant reputari, & ſi conjugatus converti deſiderans ſit recipiendus in monachum, niſi uxor perpetuam continentiam repromittat, certificari à ſede apoſtolica poſtulaſti. Nos ergo quæſtionibus tuis taliter ex ordine reſpondemus, quòd licèt tempus probationis à ſanctis patribus ſit indultum, non ſolùm in favorem converſi, ſed etiam monaſterij, ut & ille aſperitates iſtius, & iſtud mores illius valeat experiri; (quod * utrinque diligenter eſt obſervandum, præſertim cùm ab utroque de reliquo certa notitia non habetur) quia tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, is qui converti deſiderat, habitum recipit, & profeſſionem emittit, Abbate per ſe vel per alium profeſſionem recipiente monaſticam, & monachalem habitum concedente, uterque renuntiare videtur ei quod pro ſe noſcitur introductum. ideóque obligatur quidem per profeſſionem emiſſam pariter & acceptam ad obſervantiam regularem, & verè monachus eſt cenſendus: quia multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent firmitatem. Prohibendum eſt tamen Abbatibus ne paſſim ante tempus probationis quoſlibet ad profeſſionem recipiant; & ſi contra formam præſcriptam quoſlibet indiſcretè receperint, animadverſione ſunt debita corrigendi, cùm in ſubſidium fragilitatis humanæ ſpatium probationis ſit regulariter inſtitutum. Cùm autem vir & uxor una caro ſint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti poſſit ad Dominum, & altera in ſeculo remanere; profectò non eſt alter conjugum recipiendus ad obſervantiam regularem, niſi reliquus perpetuam continentiam repromittat; neque vitam quoque debet mutare, niſi fortè ejus ſit ætatis, ut ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat remanere. Datum Laterani IX. Kal. Decembris.

*In Tertia Collect. utrumque

SIPONTINO ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 456. De pœna corũ qui falſis literis utuntur. *Cap. Accedens, De crimine falſi.*

ACcedens ad præſentiam noſtram P. Preſbyter lator præſentium ſua nobis inſinuatione monſtravit quòd cùm olim miſſus ab Archipreſbytero & Clericis de Caſali novo pro quibuſdam cauſis, ſuper quibus à te ſe fatebantur indebitè prægravari, ad noſtram præſentiam acceſſiſſet, nec poſſet, pro eo quòd tunc temporis nos eramus infirmitate gravati, ſuas literas obtinere, moram apud ſedem apoſt. faciendo, poſt paucos dies contigit ipſum etiam infirmari. Dum autem eſſet in lecto ægritudinis conſtitutus, acceſſit ad eum quidam Clericus de Caſali novo, Azo nomine, qui tunc temporis morabatur in Vrbe, & ſub ſpe dilectionis & gratiæ promiſit ei ſe quas à nobis poſtulabat literas obtenturum: qui credidit verbo ejus, & expenſas tribuit quas pro literis ipſis ſe expenſurum præfatus Clericus proponebat. Tandem ad eum quaſdam commiſſionis literas ad venerabilem fratrem noſtrum Tranenſem Archiepiſcopum & dilectum filium Abbatem de Coronata portauit: quas prædictus Preſbyter credens veras eſſe, & de noſtra conſcientia emanaſſe, ad judices detulit delegatos. Cùmque in præſentia ipſorum judicum tu literas argueres falſitaris, & ſacerdos ipſe & alij Clerici de Caſali novo eas veras eſſe proponerent, tu eaſdem literas ſub ſigillo prædictorum judicum ad noſtram præſentiam direxiſti: quas utique falſas eſſe deprehendimus manifeſtè. pro quo tibi per ſcripta noſtra mandavimus ut illum qui præfatas literas impetravit, officio beneficióque ſuſpenſum, ad noſtram præſentiam dirigeres puniendum. Verùm cùm ſacerdotem prædictum ſua redderet conſcientia innocentem, poſtquam tu eum officio & beneficio ſuſpendiſti, ad noſtram feſtinanter acceſſit præſentiam, ad ſuam innocentiam excuſandam. Sed cùm apud nos moram faceret longiorem, & à nobis miſericordiam poſtularet, præfatæ falſitatis omnimodam ignorantiam proponendo, ipſum tamen cum literis noſtris ad te duximus remittendum, ut miſericordiam inveniat quam precatur. Inde eſt quòd fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi præfatæ

literæ, in quibus fuit falsitas deprehensa, formam de simplici justitia habuerunt, cùm præsumi non debeat quòd pro talibus literis, quæ de facili possunt à quibuslibet obtineri, fraudem commiserit falsitatis, ab ipso Presbytero canonica purgatione recepta quòd conscius non fuerit falsitatis, nec literis illis usus est postquam eas falsas esse cognovit, tu ei diuinæ pietatis intuitu officium beneficiúmque restituas, & eum super hoc ulteriùs non molestes: quia sicut justum est excessus corrigere delinquentium, sic iniquum meritò reputatur, si severitas pœnæ puniat innocentes.

ABBATI ET CONVENTVI sancti Edmundi.

Epist. 457. De consecratione Ecclesiæ ipsorum.

CVm Ecclesia vestra Ecclesiæ Romanæ sit filia specialis, & ad eam nullo pertineat mediante, vos (unde prudentiam vestram dignis laudibus commendamus) ad apostolicam sedem tanquam ad caput vestrum in arduis ducitis recurrendum. Et quia Ecclesia ipsa nondum munus dedicationis accepit, super dedicatione ipsius à nobis licentiam postulastis. Nos ergo petitionibus vestris grato concurrentes assensu, postulatam licentiam indulgemus; concedentes etiam quòd cruces & sanctorum imagines, quæ præ magnitudine sui de ipsa Ecclesia non possent absque dispendio amoveri, in suis locis valeant remanere. Episcopis autem, quos ad dedicationem duxeritis invitandos, per apostolica scripta mandamus ut ad vocationem vestram veniant, quemadmodum postulastis. Datum Laterani Kal. Decembris.

CLERICIS SANCTI PAVLI de Castro Cervarij.

Epist. 458. Confirmat sententiam pro illis latam circa jus baptisterij.

EA quæ auctoritate apostolica ratione prævia statuuntur, ne in recidivæ quæstionis scrupulum relabantur, apostolico sunt munimine fulcienda. Ex literis siquidem dilecti filij nostri R. tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyteri Car. Casin. Abbatis nuper accepimus quòd cùm olim causam quæ vertebatur inter vos & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Castro Cervarij super baptismate, de communi assensu partium ipsi duxerimus committendam, idem visis utriusque partis rationibus & plenius intellectis, pro vobis sententiam promulgavit; Clericis prædictæ Ecclesiæ sanctæ Mariæ firmiter inhibens ne vobis molestiam vel gravamen inferrent quò minùs pueros parochianorum vestrorum liberè sic baptizare possetis, cùm vestra Ecclesia ipsi Ecclesiæ sanctæ Mariæ in nullo subjaceat, & iidem parochiani in Ecclesia vestra cetera percipiant ecclesiastica sacramenta. Nos igitur quod à prædicto Abbate factum est ratum habentes, sententiam ipsam, sicut rationabiliter lata est, vel legitimæ appellationis remedio sublevata, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo ut nulli &c. Datum Laterani V. Kal. Decembris.

PRIORI ET CONVENTVI Ecclesiæ Dunelmen.

Epist. 459. Vt majoribus in rebus Abbatis semper consensum sequantur.

IS est Prælatorum ad subditos & subditorum ad Prælatos suos dilectionis & concordiæ servandus affectus, ut nec illi qui præsunt, subjectorum jura perturbent, nec qui subsunt, justitiæ derogent præsidentium, vel attentent præter eorum assensum quæ cum ipsorum teneeur conscientia pertractare. Sanè cùm venerabilis frater noster P. Dunelmen. Episcopus inter vos vices gerat Abbatis, nec ei nocere debeat quòd episcopali præminet dignitate, in his ejus est à vobis requirendus assensus quæ præter Abbatis assensum vobis agere non liceret. Eapropter auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne præter conniventiam ejus vicem super hoc gerentis Abbatis Ecclesias assignare, alienare possessiones, vel conficere super alienationibus instrumenta, Priores instituere vel ministros, & alia quælibet in quibus Abbatis esset necessarius assensus, attentare aliquatenus præsumatis contra consuetudinem regularem. Quòd si præter consensum ipsius & inhibitionem præsentem aliquid (quod non credimus) super his duxeritis præsumendum, id irritum decernimus penitùs & inane. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis &c. Dat. Laterani VI. Idus Decembris.

PHILIPPO DVNELMEN. Episcopo.

Epist. 460. Quo tempore conferenda sint beneficia, &

VT negligentium quorundam desidiam prædecessores nostri Romani Pontifices ad solicitudinem excita-

quando ad superiorem devoluantur.

rent,& obviarent fortiùs cupiditati multorum, qui vacantes Ecclesias suis usibus applicabant, tam antiquis temporibus quàm modernis certum tempus Canonicis & *Conciliis præfixerunt ultra quod nec Ecclesiæ debeant nec ecclesiastica beneficia seu præbendæ vacare; non approbantes quòd tamdiu vacent, sed præcaventes ne diutiùs Ecclesia quælibet solito ministrorum obsequio defraudetur. Nos etiam ipsorum ac præsertim felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri statuta sequentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut si monachi Dunelmen. vel alij quilibet lege diocesana tibi subjecti Ecclesias vel præbendas ad suam donationem spectantes ultra tempus in Lateranen. Concilio diffinitum vacare permiserint, ex tunc, monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo, eas tibi liceat idoneis conferre personis. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

*Leg. Conventibus, aut Collegiis, aut Capitulis

Cap Nulla. De conceff. præb.

EPISCOPO CESENAT.

Epist. 461. De relaxando interdicto.

Rediens de partibus Marchiæ dilectus filius C. tt. sancti Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis, in quibus legationem sedis Apostolicæ habuerat, apostolatui nostro exposuit quòd pro eo quòd Cesenates cum Marchoardo juraverant,& sæpius requisiti ad fidelitatem Ecclesiæ redire noluerunt, terram ipsam interdicto supposuit. Quia verò, sicut tam per literas tuas quàm etiam populi Cesenat. nobis præsentatas accepimus, Marchoardi societatem penitùs reliquerunt, cum aliis civitatibus Romandiolæ conjurantes; tuis & ipsorum precibus inclinati, fraternitati tuæ per apost. scripta mandamus quatenus recepto à tot & talibus quot & quales pro societate Ravennat. de Cesenat. juraverunt, secundùm formam Ecclesiæ juramento quòd super his pro quibus interdicti fuerunt nostro debeant parere mandato, interdictum auctoritate nostra relaxes, reservans mandatum usque ad nostræ beneplacitum voluntatis. Datum Laterani Idibus Decembris.

RAD. PETRAGORICEN. Episcopo.

Epist. 461. Quòd laici decimas à Clericis exigere non possint.

Quoniam indignum est, & rationi contrarium, ut laici, qui personis ecclesiasticis decimas tenentur exolvere, eas à Clericis rerum ordine præpostera confusione turbato extorquere præsumant, ad petitionem tuam universis monasteriis, Ecclesiis, & Clericis tuæ diocesis duximus indulgendum, ut si fortè quilibet laici suo nomine decimas ab eis amodo consuetudinis obtentu longævæ vel aliis occasionibus duxerint exigendas, sit eis liberum quod ita postulabitur denegare. Si verò laici, suæ animositatis spiritu concitati, violenter aliquid voluerint adversùs præsentis indulti beneficium attentare, tua fraternitas appellatione remota eos ecclesiastico interdicto supponat. Datum Laterani XVIII. Kal. Ianuarij.

CAPITVLO ARELATENSI.

Epist. 461. Quædam statuta super vita ipsorum mutantur.

Quanto recentior est in Ecclesia vestra religionis introducta plantatio, tanto diligentiùs in ipsis primordiis est cavendum ne aliquid honestati contrarium nutriatur; quod cùm ex consuetudine fuerit confirmatum, ordinis claritatem obtenebret, & difficiliùs, postquam invaluerit, extirpetur. Cùm autem ubi regularis ordinis professio antecessit, una esse debeat mensa fratrum, & unum dormitorium eorundem, nisi aliquem quandoque infirmitas vel alia justa causa excludat, præsentis scripti pagina prohibemus ne aliquis vestrum, post factam professionem, nec etiam aliquis Canonicorùm seu Clericorum secularium, obtentu alicujus consuetudinis cibos, qui sibi ex administratione quotidiani stipendij apponuntur, extra claustrum vestrum de cetero audeat exportare; sed infra, in locis ad hoc specialiter deputatis, simul dormiant, & manducent. Statuimus insuper & auctoritate apostolica prohibemus ne aliquis Canonicus vel Clericus Capitulis vestris aliqua occasione nolentibus vobis intersit, nec quisquam ex ipsis vestibus rubeis vel viridibus seu capis manicatis vel aliis religioni contrariis uti aliqua insolentia seu temeritate præsumat. quod abjectæ secularitatis saperet vetustatem, & scandalum in populo generaret. Illi verò qui super præmissis culpabiles de cetero potuerint inveniri, secundùm Archiepiscopi vestri arbitrium canonicam subeant appellatione postposita ultionem. Constituimus etiam & præsentium auctoritate sancimus ut Clerici Ecclesiæ vestræ, qui non possunt, prout optarent, in ipsa Canonici fieri secula-

res, postquam fuerint ad alias translati Ecclesias, & in eis præbendas seu alia ecclesiastica beneficia consecuti, occasione attitulationis seu alia causa nihil sibi juris in Ecclesia vestra valeant vendicare, nec provisionem exposcere, nisi habitu religionis assumpto, cum aliis fratribus ibidem assiduè servituti. Nulli ergo &c. prohibitionis atque constitutionis &c. Datum Laterani IV. Idus Decembris.

ARELATENSI ARCHIEPISC.

Epist. 464. Vt Abbatem S. Gervasij ad obedientiam atque officium reducat. Vide infrà epist. 476.

INcumbit nobis ex debito pastoralis officij ut justa postulantibus audientiam cum efficacia præbeamus; maximè ubi eorum vota & pietas adjuvat, & explorati juris veritas non relinquit. Ad audientiam siquidem nostram te significante pervenit quòd Abbas sancti Gervasij de Fos excommunicatos & interdictos tuos pariter ad divina & sepulturam admittit, procurationes debitas, obedientiam, & reverentiam, prout de jure tenetur & debet, exhibere tibi penitùs contradicit. Nolentes igitur ut juri tuo per eundem Abbatem super hoc valeat derogari, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut in ipsum Abbatem, si in hac * parte duxerit persistendum, nullius contradictionis vel appellationis obstaculo censura possis ecclesiastica coërcere. Nulli ergo &c. Datum Laterani Nonis Decembris.

* *f.* pertinacia

RICARDO ABBATI & Capitulo Compendien.

Epist. 465. Ipsorum jurisdictio & privilegia confirmantur.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu jurisdictionem & potestatem quam super Clericos infra terminos Compendij habitantes usque ad hæc tempora rationabiliter habuistis, & nunc etiam justè & pacificè possidetis, vobis & per vos Compendien. monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Statuentes ut nulli &c. Datum Laterani XVIII. Kal. Ianuarij.

ARELATENSIS ECCLESIÆ suffraganeis.

Epist. 466. Vt Archiepiscopo suo obediant.

CVm secundùm doctrinam evangelicam, quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos eis eadem facere debeatis, eam reverentiam vos convenit præstare Prælatis quam vobis vultis à subditis exhiberi. Sanè cum venerabilis frater noster Arelaten. Archiepiscopus Metropolitanus vester illis studiis & meritis adjuvetur ut commendationibus non indigeat aliorum, fraternitati vestræ duximus auctoritate præsentium injungendum, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus ei tanquam patri & Episcopo animarum vestrarum devotè studeatis & humiliter obedire, ad vocationem ipsius, nisi evidens necessitas contradicat, secundùm traditionem canonicam sine difficultate qualibet accedentes. Datum Laterani IV. Idus Decembris.

ARCHIEPISCOPO & Capitulo Arelaten.

Epist. 467. Vt in Ecclesia Arelat. nullus recipiatur in Canonicū, nisi qui profiteri voluerit ordinē Canonicorum S. Augustini.

NIhil magis esse religioni contrarium credimus vel absurdum, quàm si in eadem Ecclesia in professione & ordine & religione ac moribus & vita & habitu servitorum diversitas nutriatur. Ne igitur in Ecclesia vestra, in qua regularis ordo noscitur institutus, hujusmodi ultrà confusio se perniciosè valeat immiscere, auctoritate præsentium districtiùs prohibemus ne in Ecclesia vestra de cetero cujuslibet meriti vel nobilitatis instinctu aliquis in Canonicum vel in Clericum admittatur, vel Præpositum, aut Decanum, aut aliquem officialium penitùs eligatur, nisi professione & habitu se regularem ostendat, & secundùm beati Augustini regulam in claustro & Capitulo regulariter conversetur; ne status religionis, qui jam ibi per Dei gratiam confirmatus esse dignoscitur, alicujus mutabilitatis dispendio subvertatur, & resilire paulatim à religionis proposito cujuslibet prætextu malitiæ compellatur. Datum Laterani Nonis Decembris.

CENADIEN. EPISCOPO.

Epist. 468. De infirmis excommunicatis ad cautelam absolvendis, donec revalescat.

LIcèt ecclesiasticis institutis, quæ provida deliberatio sanctorum patrum instituit, à nullo debeat obviari; tamen cùm justa contingit impedimenta concurrere, quæ institutorum ipsorum ex necessitate processum impediunt, juxta discretionem in medio residentis rigor est ecclesiasticus temperandus. Vnde nos tuæ justæ petitioni faventes, ut valetudinariis, senibus, & infirmis diocesana tibi lege subjectis, qui pro injectione manuum in personas ecclesiasticas in canonem latæ sententiæ incide-

runt, juxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis possis impendere, ita tamen quòd postquam infirmi suæ restituti fuerint sanitati, ad apost. sedem accedant, & alij pro itineris labore sibi dimisso dignum aliquid recompensent, plenam tibi usque ad triennium auctoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Laterani XVII. Kalend. Ianuarij.

EIDEM.

Epist. 469. Vt Clerici in majoribus ordinibus constituti, assumptas mulieres abjiciant.

QVidam Clerici tuæ diœcesis manifestè dicuntur doctrinæ Apostoli obviare: qui candorem ecclesiasticæ puritatis, quæ sine omni ruga & macula esse debet, & omne quod est irreprehensibile sibi eligit, suis spurcitiis depravantes, & dantes offensionem in populo, ministerium suum in vituperium damnosa præsumptione convertunt. Quidam etenim ex ipsis in Diaconatus & Subdiaconatus ordine constituti, uxores sibi (si tamen uxores sunt nominandæ) contra instituta canonica, ut dicitur, copularunt: qui postmodum dignitates ecclesiasticas assecuti, curæ student domesticæ potiùs quàm ecclesiasticæ imminere. Volentes igitur id per tuæ fraternitatis industriam emendari, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus quatenus si prædicti Clerici ad commonitionem tuam mulieres ipsas non prorsùs ejecerint, & de tanto excessu satisfecerint congruenter, licitum tibi sit ipsos auctoritate nostra ecclesiasticis redditibus, remoto appellationis obstaculo, spoliare. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

DVNELMEN. EPISCOPO.

Epist. 470. Confirmatur institutio præbendarum facta in Ecclesia sua.

EA quæ ad ampliandum cultum divini nominis in locis Deo dicatis à fratribus nostris & coëpiscopis statuuntur, præsertim cùm pietas præbet causam proposito, & ardor intimæ caritatis flagrat exteriùs, in effectu servare volumus illibata, & munimine confirmationis apostolicæ roborare. Ex caritatis siquidem, sicut credimus, fonte processit, quòd bonæ memoriæ prædecessor tuus, & tu post eum ipsius exempla secutus, in Ecclesia * de Deluton. præbendas & personatus providè statuistis; ut in eo honorabiliùs de cetero Domino serviatur, & Ecclesia ipsa in se ministrantibus liberiùs possit & meliùs providere. Nos igitur propositum tuum dignis laudibus in Domino commendantes, institutionem tam personatuum quàm præbendarum in eadem Ecclesia per te & eundem prædecessorem tuum hactenus factam, sicut rationabiliter & sine quorumlibet præjudicio facta est & servata, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

* de Dunelmo

ARCHIEPISC. ARELATENSI.

Epist. 471. De cavenda beneficiorum pluralitate.

CVm secundùm traditionem canonicam non liceat aliquem in duabus Ecclesiis titulari, sed quilibet debeat in Ecclesia, in qua ordinatus est, perpetuò permanere, ut secundùm Apostolum unusquisque maneat in ea vocatione, in qua dignoscitur esse vocatus; grave gerimus & indignum, quòd (sicut accepimus) Præpositus & Canonici Arelatenses, qui professi sunt observantiam regularem, mutationes reddituum cupiunt, & in diversis laborant Ecclesiis præbendari. unde contingit quòd & claustrum ipsum & episcopatus limites sæpius exeunt sine licentia Prælatorum. Cùm itaque nolimus ea viris religiosis permittere quæ in Ecclesiis etiam secularibus canonica reprobant instituta, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus præfatis Præposito & Canonicis ex parte nostra & tua studeas districtiùs inhibere ne beneficia sibi multiplicari satagant, vel in aliis Ecclesiis se faciant titulari, & ne limites episcopatus vel claustri sine licentia tua vel illius cui fratrum curam commiseris, exire temeraria facilitate præsumant. Alioquin tu eos ad id, appellatione frustratoria non obstante, per censuram ecclesiasticam compellere non postponas. Datum Laterani IV. Idus Decembris.

ARCHIEPISC. ET CAPITVLO Arelaten.

Epist. 472. Ne Præpositus absque consensu Capituli mutuum recipiat, vel fidejussionem præstet.

CVm ex apostolatus officio, quod licèt indigni suscepimus, Ecclesiarum omnium curam & solicitudinem gerere debeamus, nobis est attentiùs providendum, ne circa spiritualia vel etiam temporalia ulla detrimenta suscipiant, per illorum incuriam Clericorum qui quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, quærentes, utilitati communi præferunt specialem. Sanè, sicut nostro est apostolatui

reseratum,

reseratum, nonnunquam in partibus vestris propter insolentiam Prælatorum contingit Ecclesias debitis intolerabilibus prægravari, pro eo quòd earum negotia tanquam propria pertractantes, Clericorum assensum non exigunt in agendis. Cùm ergo quod omnes tangit, ab omnibus debeat approbari, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne Præpositus vester sine omnium vel majoris partis & sanioris assensu pecuniam recipiat mutuò, vel pro ea præstet fidejussoriam cautionem. Si verò (quod non credimus) contra prohibitionem nostram Ecclesiam præsumpserit aggravare, quod ab eo factum fuerit, decernimus non tenere. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

ARCHIEPISC. ET CAPITULO Arelaten.

Epist. 473. Vt Præpositus accepta & expensa rationem reddat.

CVm instantia nostra quotidiana sit, secundùm Apostolum, omnium Ecclesiarum solicitudo continua, summo studio satagere nos oportet quòd status earum in spiritualibus & temporalibus suscipiat incrementa, & in deterius (quod absit) aliquorum desidia non labatur. Sanè, sicut nostris est auribus intimatum, in Arelaten. Ecclesia id consuetudinis noscitur obtinere, quòd Præpositus ipsius Ecclesiæ coram Archiepiscopo & Capitulo administrationis suæ reddat statutis temporibus rationem, sicut à suis prædecessoribus fuit hactenus observatum. Cùm itaque consuetudinis usus, que longævi non sit vilis auctoritas, & præsertim quando rationi non obviat & canonicis institutis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus præfatum Præpositum ad præmissam consuetudinem observandam appellatione remota, sicut justum fuerit, compellatis. quod citra mandatum nostrum deberet efficere, si famam suam vellet servare apud homines illibatam; ne Iudæ notam sinistræ suspicionis incurreret, unde facta sua vellet fratribus & sociis occultare. Datum ut suprà.

ARCHIEPISC. ARELATEN.

Epist. 474. Vt de personatibus pro sua voluntate ordinare possit.

CVm Arelaten. Ecclesiæ personatus prædecessores tui dicatur de pontificalis mensæ redditibus statuisse, usque ad tempora ista ordinatio ipsorum ad Pontifices, qui fuerunt pro tempore, sicut nostro est apostolatui reseratum, nos- citur spectavisse. Cùm autem personam tuam syncera diligamus in Domino caritate, nec velimus pontificalia jura tuis temporibus minui, sed augeri; ut de jam dictis personatibus, sicut & prædecessores tui sine contradictione qualibet habuerunt, liberam habeas potestatem secundùm Deum & profectum commissæ tibi Ecclesiæ ordinandi, appellatione frustratoria non obstante, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

PRÆPOSITO S. IOHANNIS de Cimiterio, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 475. Suscipit eos sub protectione apostolica.

EFfectum justa postulantibus &c. *usque ad verbum* annuimus, & præfatam Ecclesiam sancti Iohannis de Cimiterio in Papien. suburbio sitam, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Lucij Papæ prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Statuentes &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Marci, quæ in parochia vestra fundata est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam sanctæ Mariæ, positam in porta aurea, cum pertinentiis suis. Ecclesiam sanctæ Mariæ, positam in castello Lanfranci, cum omnibus pertinentiis suis. & plebem quæ dicitur Rete, cum omnibus pertinentiis suis. Sanè cùm generale &c. Sepulturam quoque &c. Obeunte verò &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum &c. Datum Laterani per manum Raynaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, XVIII. Kalend. Ianuarij, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno primo.

ARELATEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 476. Vt Monasterium S. Gervasij instauret. Vide suprà epist. 464.

GRavem lapsum monasterij sancti Gervasij de Fos nostro noveris apostolatui reseratum, quòd cùm collegium ipsius propter insolentiam monachorum ad binarium sit redactum, duo monachi, qui supersunt, Dei timo-

re prorsùs abjecto non tanquam in monasterio, sed velut in prostibulo impudicè cum duabus mulieribus conversantur; de quorum conversatione religioni detractio evenit, & in populo grave scandalum generatur; & cùm monasterium ipsum de redditibus & possessionibus archiepiscopalis mensæ fundatum sit & ditatum, debitam tibi obedientiam dicti monachi denegant exhibere; quin potiùs etiam adversùs Rom. Ecclesiam calcaneum erigentes, interdictos & excommunicatos passim recipiũt ad divina, defunctis in excommunicatione sepulturam etiam impendentes. propter quod in partibus illis & contemptibiles habentur sententiæ Prælatorum, & justitia penitùs non servatur. Cùm autem in dicto monasterio & jus habeas patronatus, & lege tibi sit diocesana subjectum, (udne ipsius commodis & profectibus debes propensiùs imminere) fraternitati tuæ, quam synceriùs amplexamur, auctoritate præsentium indulgemus ut præfatum monasterium ad observantiam regularem & statum religionis antiquæ, vel, si poteris, meliorem, remoto appellationis obstaculo, valeas reformare. Abbates quoque tibi subjectos ad debitam obedientiam Arelaten. Ecclesiæ nunc & in posterum exhibendam compellendi tibi nihilominus concedimus facultatem. Decernimus ergo &c. Datum Laterani IV. Idus Decembris.

ABBATI AVREÆ VALLIS, *Archidiacono Pictavensi, & magistro G. Decano Asianen.*

Epist. 477. Vt precatios Pontificis in beneficiorum suorum possessione defendãt, nisi statutum de certo Canonicorum numero repugnet.

CVm simus omnibus ex injuncto nobis officio debitores, iis specialiter & præsertim providere tenemur qui vel à sede apostolica ordinem susceperunt, vel apud eam in obsequio nostro & fratrum nostrorum laudabiliter permanentes, nostram pleniùs meruerunt gratiam & favorem. Vnde cùm pro ignotis etiam Ecclesia Romana consueverit à personis ecclesiasticis in suis precibus tam celeriter quàm efficaciter exaudiri, non possumus non mirari si non audiamur pro illis quibus ad obtinendum quod petitur scientia suffragatur & mores, & qui nobis sunt & fratribus nostris accepti, & his quibus scribimus non ignoti. Sanè cùm pro dilectis filiis W. Rosio Subdiacono nostro, Clerico dilecti filii nostri Cent. S. Luciæ Diaconi Cardinalis, qui videlicet subdiaconus ex eo quòd felicis recordationis C. Papæ prædecessoris nostri tempore in camera nostra diutiùs laudabiliter deservivit, & magistro Const. Natal. qui, quoniam bonæ memoriæ I. Malabrancæ tunc sancti Theodori Diacono Cardinali diutiùs obsequium suæ devotionis impendit, nostram & fratrum nostrorum gratiam nec immeritò meruerunt, idem prædecessor noster venerabili fratri nostro Episcopo & Capitulo Xanctonen. primò ac secundò scripsisset ut eos in Canonicos suos reciperent, & stallum in choro & locum in Capitulo assignarent; quia Capitulum ipsum preces & mandata ipsius semel & iterum implere contempsit, bonæ memoriæ Ad. Episcopus, tunc Archidiaconus Pictavensis, & dilecti filii Decanus & Cantor sanctæ Radegundis Pictavensis, quibus executio mandati apostolici fuerat diligenter contradictione & appellatione postposita delegata, post frequentem commonitionem, cùm nihil proficerent monitis apud ipsos, procuratorem eorum de canonica Ecclesiæ Xanctonen. curaverunt auctoritate apostolica investire; dictis Episcopo & Capitulo eadem auctoritate mandantes ut eos permitterent canonicam ipsam pacificè possidere. Ceterùm quia Canonici ejusdem Ecclesiæ se contra hoc contumaces exhibebant in omnibus & rebelles, iidem executores (sicut ex eorum literis accepimus manifestè) in eos excommunicationis & in Xanctonen. Ecclesiam interdicti sententiam protulerunt. quam dicti Canonici nullatenus observantes, præsumpserunt divina nihilominus celebrare. Licèt idem Episcopus Xanctonensis, sicut ex literis suis nobis innotuit, apostolicis nolens contraire mandatis, super receptione ipsorum promptam habeat voluntatem. Iidem etiam Canonici ad sedem apostolicam nunciũ destinantes, suggesto quòd in Xanctonen. Ecclesia quadragenarius erat Canonicorum numerus institutus, & per sedem apost. confirmatus, (de quo nulla penitùs habita mentione dictus Subdiac. noster & magister Const. super receptione sua literas obtinuerant ab apost. sede impetratas à nobis prædictarum sententiarum processu nequaquam expresso) causam ipsam Abbati Sylvæ majoris

& Decano Burdegalen. committi, sic videlicet ut si constaret literas non habita mentione de constitutione & confirmatione prædictis pro eisdem Subdiacono nostro & magistro Const. ab eodem prædecessore nostro manasse, quicquid factum invenirent occasione literarum illarum post appellationem ad nos legitimè interpositam vel statutum denuntiarent penitùs non tenere, injungentes ipsis districtiùs ne occasione literarum illarum Xanctonen. Ecclesiam indebitè de cetero molestarent. Cùmque literæ hujusmodi ad prædictos judices pervenissent, dictus Subdiaconus noster ad ipsorum citationem in eorum præsentia constitutus proposuit quòd cùm excommunicati essent, illis respondere minimè tenebatur, & quòd voluntatem nostram volebat super hoc præsentialiter experiri; & ne ulteriùs in negotio ipso procederent, sedem apostolicam appellavit. Quia verò labori eorum compati volumus & debemus, ad devotionem & servitium ipsorum nec immeritò paternum respectũ habentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus nisi infra quadraginta dies à commonitione nostra auctoritate præsentium viva voce vel literis sibi facta, vobis per testes omni exceptione majores constiterit præfatum quadragenarium Canonicorum numerum fuisse in præfata Ecclesia institutum, vel si non habent plenum, ut duo desint de quadragenario constituto, vel post factam institutionem habuerint quandoque majorem, cùm ipsi factam institutionem non observaverint, ipsos in corporalem possessionem canonicæ ipsius appellatione postposita auctoritate freti apostolica inducentes, stallum in choro & locum in Capitulo secundùm Ecclesiæ consuetudinem assignetis, & Canonicos memoratos ad receptionem ipsorum per excommunicationis in personas & interdicti sententias in Ecclesiã Xanctonen. sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo cogatis; revocantes in irritum quicquid post susceptionem mandati ejusdem prædecessoris nostri in elusionem ipsius & eorundem Subdiaconi & magistri præjudicium in canonicis vel præbendis inveneritis attentatum. Taliter autem mandatum apostolicum impleatis ut obedientiam vestram commendare non immeritò debeamus & vestro & Ecclesiarum vestrarum profectui solicitiùs imminere, ac Cardinalis prædictus, quem inter fratres nostros speciali diligimus in Domino caritate, & idem Subdiaconus & magister propter hoc libentiùs intendant vestris commodis & honori, scituri quòd sicut gratum habebimus, si mandatum apostolicum fueritis efficaciter executi, sic ferre non poterimus non molestè si (quod non credimus) in hoc negligentes fueritis vel remissi. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, ut testimonium perhibeant veritati, per districtionem ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Nullis literis obstantibus, si quæ apparuerint harum tenore tacito à sede apostolica impetratæ. Quòd si omnes &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani XIV. Kal. Ianuarij.

DECANO ET CAPITULO *Eboracen.*

Epist. 478. Ut M. Petro de Corbolio præbendæ & archidiaconatus possessio tradatur.

SI eorum petitionibus apostulicum gratanter impertimur assensũ, quos gratiosos inter alios Clericos orbis & literarum scientia & morum reddit honestas, officij nostri, sicut credimus, debitam prosequimur actionem, & Deo in hoc & hominibus complacemus. Sanè licèt dilectum filium magistrum * P. de Corbolio, de cujus literatura & scientia in longinquis & remotis partibus prædicatur, suæ tantùm probitatis & honestatis intuitu habere debeamus in visceribus caritatis; cùm tamen ad memoriam reducimus nostram nos aliquando sub ipsius magisterio extitisse, & ab eo divinarum audisse paginam scripturarum, (quod utique non pudet nos dicere, immo reputare volumus gloriosum) ad dilectionem ipsius efficimur promptiores, & ejus libentiùs augmento intendimus & honori. Cùm igitur venerabilis frater noster Eboracen. Archiepiscopus præbendam Eboracen. Ecclesiæ cum archidiaconatu eidem magistro contulerit, sicut nobis per suas literas, ut proponitur, intimavit, nec vos unquam deceat talem ac tantum Clericum à societate vestra repellere, sed vocare, cùm de literatis & discretis personis Ecclesiis multa provenire consueverint incrementa, devotionem vestram rogamus, monemus, ac per apostolica scripta

* Fuit postea Archiepiscopus Senonensis.

diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus præfatum magiſtrum ad præbendam & arcbidiaconatum ſibi conceſſum tam libenter quàm liberaliter admittentes, faciatis eundem vel procuratorem ſuum præbeodam & archidiaconatum pacificè poſſidere; ut & idem magiſter in vobis ſe gaudeat fraternæ dilectionis ſolatium inveniſſe, & nos, qui pro ipſo puro corde & voluntate ſyncera ſcripta noſtra dirigimus, devotionem veſtram valeamus in Domino meritò commendare. Alioquin nos venerabili fratri noſtro Elien. Epiſcopo noveritis injunxiſſe ut præfato magiſtro præbendam & archidiaconatum, non obſtante contradictione vel appellatione cujuſlibet, ſi ei de canonica conceſſione conſtiterit, noſtra fretus auctoritate non differat aſſignare, & faciat pacificè poſſidere; illos cenſura eccleſiaſtica percellens qui ſe duxerint mandato noſtro temerè opponendos. Datum Laterani XVI. Kal. Ianuarij.

ELIEN. EPISCOPO.

Epiſt. 479. Ejuſdem argumenti.

SI eorum petitionibus &c. *ferè in eundem modum ut ſuprà uſque ad verbum* commendare. Ideóque fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus præfato magiſtro præbendam & archidiaconatum, non obſtante contradictione vel appellatioe cujuſlibet, ſi tibi de canonica conceſſione conſtiterit, noſtra fretus auctoritate non differas aſſigoare & facias pacificè poſſidere, illos cenſura eccleſiaſtica percellens qui ſe duxerint mandato noſtro temerè oppoonendos. Datum ut ſuprà.

RICARDO ILLVSTRI Regi Anglorum.

Epiſt. 480. Ejuſdem argumenti cum duabus præcedentibus.

CVm regnorum ſtatus per virorum prudentum conſilia de bono ſemper conſueverit in melius proſperari, qui ad ipſorum regimen Domino diſponente vocantur, viris prudeotibus & diſcretis favorem debent & gratiam libenti animo impertiri, & ipſorum, prout convenit, intendere incrementis. Cùm enim, ſicut credimus, magnificentia regia non ignoret qualiter dilectus filius magiſter P. de Corbolio inter alios Clericos orbis ſcientia literali præfulgeat, & ſua probitate & diſcretione ſit admodum commendandus, ad dilectionem ipſius prompta debes voluntate concurrere, & eum tam libenter quàm efficaciter exaudire. Cùm igitur venerabilis frater noſter Eboracen. Archiepiſcopus ei præbendam Eboracen. Eccleſiæ cum arcbidiaconatu contulerit, ſuper cujus poſſeſſione per dilectos filios Decanum & Capitulum Eboracenſe, prout dicitur, impeditur; pro ipſo, ſub cujus magiſterio nos aliquando extitiſſe recolimus & ab eo audiviſſe ſacrarum paginam ſcripturarum, puro corde, conſcientia bona, & voluntate non ficta ſerenitatem regiam duximus literis apoſtolicis exhortandam; rogantes attentiùs, & monentes, quatenus prædictum magiſtrum noſtrarum precum intuitu & ſuæ probitatis obtentu diligas propenſiùs & honores, & ad habendam poſſeſſionem pacificam archidiaconatus & præbendæ auxilium regiæ ſereoitatis exhibeas; ita quòd ipſe magiſter ad ſervitium magnitudinis regiæ fortiùs accendatur, & nos, cùm preces noſtras, præſertim quas de tam puro corde proferimus, cognoverimus exauditas, ad audiendum petitiones tuas poſſimus magis favorabiles inveniri. Datum ut ſuprà.

IOHANNI MINISTRO & fratribus S. Trinitatis.

Epiſt. 481. Conceditur regula juxta quā vivere debeant.

OPerante divinæ diſpoſitionis clementia in ſedis apoſtolicæ ſpecula conſtituti, piis debemus affectibus ſuffragari, & eos, cùm à caritatis radice procedunt, perducere ad effectum; præſertim ubi quod quæritur, Ieſu Chriſti eſt, & privatæ communis utilitas antefertur. Sanè cùm tu, dilecte in Chriſto fili frater Iobannes Miniſter, ad noſtram olim præſentiam acceſſiſſes, & propoſitum tuum, quod ex inſpiratione divina creditur proceſſiſſe, nobis humiliter ſignificare curaſſes, intentionem tuam poſtulans apoſtolico munimine confirmari; nos ut deſiderium tuum fundatum in Chriſto, præter quem poni non poteſt. ſtabile fundamentum, pleniùs noſceremus, ad venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum & dilectum filium Abbatem ſancti Victoris Pariſien. cum noſtris te duximus literis remittendum; ut per eos, utpote qui deſiderium tuum perfectiùs noverant, de intentione tua & intentionis fructu ac inſtitutione ordinis & vivendi modo inſtructi, aſſenſum noſtrum tibi poſſemus ſecuriùs & efficaciùs

impertiri. Quia igitur, sicut ex eorum literis cognovimus evidenter, Christi lucrum appetere videmini plus quàm vestrum, volentes ut apostolicum vobis adsit prædium, regulam juxta quam vivere debeatis, cujus tenorem dicti Episcopus & Abbas suis nobis inclusum literis transmiserunt, cum his quæ de dispositione nostra & petitione tua, fili Minister, duximus adjungenda, præsentium vobis & successoribus vestris auctoritate concedimus, & illibata perpetuò manere sancimus. Quorum tenorem, ut evidentiùs exprimatur, inferiùs jussimus annotari.

IN NOMINE sanctæ & individuæ Trinitatis. Fratres domus sanctæ Trinitatis sub obedientia Prælati domus suæ, qui Minister vocabitur, in castitate & sine proprio vivant. Omnes res, undecunque licitè veniant, in tres partes dividant æquales, & in quantum duæ partes sufficient, exequantur ex illis opera misericordiæ, cum sui ipsorum & eis necessariò famulantium moderata sustentatione. Tertia verò pars reservetur ad redemptionem captivorum qui sunt incarcerati pro fide Christi à paganis, vel dato pretio rationabili pro redemptione ipsorum, vel pro redemptione paganorum captivorum; ut postea rationabili commutatione & bona fide redimatur Christianus pro pagano secundùm merita & statum personarum. Cùm verò pecunia data fuerit, vel aliquid aliud, licèt specialiter & propriè detur ad aliquid, semper de consensu illius, qui dederit, tertia pars separetur, & aliter non recipiatur; exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus, ædificiis, nutrituris, & hujusmodi. Fructus enim inde exeuntes, deductis expensis, scilicet medietate remota pro expensis, in tres partes dividentur æquales; sed quæ paucas vel nullas recipiant expensas, omnes dividantur. Cùm verò panni vel calciamenta vel minuta hujusmodi, quibus necesse sit uti, quæ vendi vel conservari non expedit, data fuerint, vel à se ipsis habuerint, non dividantur, nisi Ministro domus & fratribus visum fuerit expedire. de quibus singulis dominicis diebus, si fieri potest, in Capitulo deliberetur. Si tamen prædicta, ut panni, terræ, nutrituræ, sive minuta venderentur, precium inde proveniens in tres partes ut suprà dividatur.

Omnes Ecclesiæ istius ordinis intitulentur nomine sanctæ Trinitatis, & sint plani operis. Fratres possunt esse in una cohabitatione, * tres Clerici, & tres laici, & præterea unus, qui procurator sit; qui non Procurator, sed Minister, ut dictum est, nominetur, ut *Frater N. Minister domus sanctæ Trinitatis*, cui fratres repromittere ac impendere obedientiam teneantur. Omnibus fratribus suis, sicut sibimet, Minister fideliter administret. Vestimenta sint lanea, & alba; & liceat eis habere pellicias singulis singulas, & bracas, quas jacentes non deponant. Iaceant in laneis; ita quòd plumea fulcra vel culcitras, nisi in ægritudine laborantes, in domibus propriis minimè habeant. Cervical verò ad sustentationem capitis permittantur habere. In cappis fratrum imponantur signa. Equos non ascendant, nec etiam habeant; sed asinos tantùm liceat ascendere, datos, vel accommodatos, vel de propriis nutrituris susceptos.

* *In codice privilegiorum ordinis ita legitur,* tam Clerici, quàm laici.

Vinum sumendum à fratribus taliter temperetur, ut sobriè sumi valeat. Iejunent ab Idibus Septembris, secunda, quarta, & sexta feria, & sabbato, nisi solennis festivitas intervenerit, usque ad Pascha: sic tamen ut ab Adventu usque ad Nativitatem Dominicam & à Quinquagesima usque ad Pascha, exceptis Dominicis diebus, in cibo quadragesimali jejunent, & alia similiter jejunia quę consuevit Ecclesia celebrare. Potest tamen quandoque Minister jejunium cum discretione relaxare propter ætatem, vel viam, & aliam justam causam, vel facultate inspecta etiam augmentare. Carnibus datis ab his qui foris sunt, vel sumptis de propriis nutrituris, vesci liceat tantùm in Dominicis diebus à Pascha usque ad Adventum Domini, & à Natali usque ad Septuagesimam, & in Nativitate & Epiphania Domini, & in Ascensione Domini, & Assumptione & Purificatione beatæ Mariæ, & in festivitate omnium sanctorum. Nihil emant ad victum, præter panem, & pulmentum, scilicet fabas, & pisa, & hujusmodi legumina, olera, oleum, ova, lac, caseos, & fructus. Sed neque carnes, neque pisces, sive vinum liceat emere, nisi ad necessitatem infirmorum, vel minutorum, vel pauperum, aut in magnis solemnitatibus. Liceat tamen nutrituras emere, & nutrire. Cùm verò in itinere sive pe-

regrinatione fuerint, liceat eis, ſed parcè, vinum emere, & piſces in Quadrageſima, ſi neceſſe fuerit; & ſi quid eis datum fuerit, inde vivant, & reſiduum in tres partes dividant. Tamen ſi fuerint in via profecti ad redimendum captivos, quicquid eis datum fuerit, totum debent ponere in redemptionem captivorum, præter expenſas. In civitatibus, in villis, ſive caſtellis, in quibus proprias domos habuerint, nihil omnino extra domos illas, niſi fortè in domo religionis, etiamſi à quovis rogentur, comedant, vel bibant, niſi fortè aquam in domibus honeſtis; nec pernoctare præſumant extra hujuſmodi domos. Nunquam in tabernis vel in hujuſmodi locis inhoneſtis habitent, comedant, vel bibant. Qui autem hoc præſumpſerit, juxta arbitrium Miniſtri gravi vindictæ ſubjaceat.

Talis ſit caritas inter fratres, Clericos, & laicos, ut eodem victu, veſtitu, dormitorio, refectorio, & eadem menſa utantur. Infirmi ſeorſum dormiant, & comedant: ad quorum curam habendam converſus aliquis, laicus, ſive Clericus, deputetur, qui ea quæ neceſſaria fuerint inquirat & miniſtret ſicut fuerit miniſtrandum. Moneantur tamen infirmi, ut lauta ſive nimium ſumptuoſa cibaria non requirant, commoda potiùs & ſalubri moderatione contenti. Cura hoſpitum & pauperum & omnium euntium & redeuntium uni de diſcretioribus & benignioribus fratribus injungatur, qui audiat eos, & ut expedire viderit, caritatis ſolatium adminiſtret. Requirat tamen ab illis quos crediderit admittendos, ſi eis quæ fratribus apponuntur velint eſſe contenti. Ad lauta quidem & ſumptuoſa cibaria non oportet quemquam admitti. Quæcunque tamen præſtanda ſunt, cum hilaritate præſtentur, & nulli maledictum pro maledicto reddatur. Si quis, & maximè religioſus, ad hoſpitandum advenerit, benignè ſuſcipiatur, & caritativè juxta poſſe domus illi ſubminiſtretur. Avena tamen vel aliud in loco avenæ hoſpitibus non detur, ſi fuerint in civitate, vel oppido, vel ubi venalis inveniatur; niſi fortè religioſi ſint hoſpites, vel tales qui ad manum non habeant, & non emere poſſint. Si autem hoſpites venalem non invenerint, & in domo qua ſuſcepti fuerint inveniatur, congruenter eis præbeatur. Nullus frater laicus vel Clericus ſit, ſi fieri poteſt, ſine proprio officio. Si quis verò laborare noluerit, & potuerit, locum ipſum deſerere compellatur, cùm Apoſtolus dicat: *Qui non laborat, non manducet.*

Silentium obſervent ſemper in Eccleſia ſua, ſemper in refectorio, ſemper in dormitorio. De neceſſariis tamen liceat loqui in aliis temporibus aptis, & remiſſa voce, humiliter, & honeſtè. & extra prædicta loca ubique ſermo eorum ſit honeſtus, & ſine ſcandalo. Similiter & eorum omnis ſtatus, geſtus, vita, actio, & omnia alia honeſta in eis reperiantur. Capitulum, ſi fieri poteſt, ſingulis dominicis diebus in ſingulis domibus Miniſter cum fratribus ſuis teneat, & de negotiis domus & domui ſive fratribus datis, ut ad redemptionem captivorum tertia pars deputetur, fratres Miniſtro & Miniſter fratribus rationem fideliter reddant. Non ſolùm fratribus, ſed & familiæ domus pro capacitate ſua ſimiliter ſingulis Dominicis diebus, ſi fieri poteſt, exhortatio fiat; & quid credere aut agere debeant, ſimpliciter moneantur. De omnibus rebus & clamoribus in Capitulo fratres judicentur. Nullus fratrum fratrem ſuum in publico accuſet, niſi benè poſſit probare. Qui autem hoc fecerit, pœnam ſubeat, quam reus ſubiret, ſi convinci potuiſſet, niſi Miniſter ex cauſa cum eo diſpenſare voluerit. Si qui ſcandalum vel aliquid hujuſmodi fecerint, vel (quod abſit) ſe invicem percuſſerint, juxta arbitrium Miniſtri majori vel minori vindictæ ſubjaceant. Si quis frater in fratrem peccaverit, id eſt, contra fratrem, id eſt, eo ſolo ſciente qui injuriam paſſus eſt, ſuſtineat patienter, licèt ſit innocens; & cùm quieverit commotio animorum, benignè & fraternè commoneat & corripiat eum uſque ter inter ſe & ipſum ſolum, & pœnitentiam agere de commiſſo, & à ſimilibus in poſterum abſtinere. Quòd ſi non audierit, dicat Miniſtro, & ille corripiat eum ſecretò ſecundùm quod viderit ſaluti ejus expedire. Qui verò ſcandalum movit, & per ſe emendare voluerit, totum ante pedes ſcandalizati petens veniam ſe extendat; & ſi ſemel non ſufficit, uſque ter illud idem faciat. Si verò hoc in publicum venerit, quæcunque ſecutura fuerit pœnitentia hæc ſit prior, ſcilicet ante pedes Miniſtri petendo veniam totius corporis extenſione, & poſtea ſe-

» cundùm ejus arbitrium emendetur. Generale Capitulum semel in anno celebretur. quod fieri debet in octavis Pentecostes. Si pro necessitate domus debitum aliquod fuerit contrahendum, priùs in Capitulo fratribus proponatur, & cum eorum fiat consilio & assensu; ut sic & suspiciones & murmurationes evitentur. Si quisquam de substantia domus violentiam fecerit, & ad judicem oportuerit referri, non antè hoc fiat quàm caritativè ille à fratribus primò, post ab aliis vicinis similiter moneatur.

» Electio Ministri per commune fratrum consilium fiat; nec eligatur secundùm dignitatem generis, sed secundùm vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Ille verò qui eligitur, sacerdos sit, vel clericus ordinibus aptus, & sit professus. Minister verò, sive major, sive minor, sacerdos sit. Major Minister confessiones fratrum omnium congregationum ejusdem ordinis audire potest. Minor verò Minister omnium fratrum suæ domus audiat confessiones; dummodo verecundia repetiti excessus occasionem minimè præbeat tardiùs Prælatis suis vel minùs purè quàm deceat confitendi. Solicitè verò Minister provideat ut præcepta regulæ, sicut ceteri fratres, per omnia teneat. Postquam verò electus fuerit, si ex culpa deponi meruerit, per majorem Ministrum convocatis tribus vel quatuor Ministris minoribus deponatur, & alius, qui dignus sit, loco ejus subrogetur. Si verò pro remotione terrarum vel alia causa rationabili major Minister hoc facere non poterit, Ministris minoribus magisque religiosis committat; & quod illi fecerint auctoritate majoris, ratum habeatur. Major verò Minister si proexcessibus corrigendus vel deponendus sit, per quatuor aut quinque Ministros ejusdem ordinis magis religiosos hoc fiat, qui tunc auctoritate generalis Capituli ad hoc eligi debent.

» Si quis hujus ordinis frater esse voluerit, primò per annum cum expensis suis, præter victum, habitu suo & omnibus suis retentis, in ordine pro Deo serviat; & post annum, si bonum & conveniens videatur Ministro domus & fratribus & illi, & locus vacaverit, recipiatur. nihil tamen pro receptione sua exigatur. Si quid tamen gratis dederit, recipiatur; dum tamen tale sit de quo non videatur Ecclesiæ litigium imminere. Si verò de cujusquam moribus visum fuerit dubitandum, prolixior de eo probatio habeatur. Si ante receptionem aliquis se intemperanter habuerit & impatiens disciplinæ, & ad arbitrium Ministri non emendaverit mores suos, tribuatur ei modestè licentia cum omnibus quæ attulit recedendi. In ordine verò aliquis non recipiatur antequam annum vicesimum compleverit. Professio verò in arbitrio Ministri relinquatur.

Pignora non accipiant, nisi decimas cum licentia sui Episcopi, de manu laici. Iuramenta non faciant, nisi in magna necessitate, & cum licentia Ministri, vel jussi ab Episcopo suo vel ab alio vices apostolicas gerente. & hoc pro honesta & justa causa. Si quod vitium in re quæ venditur notum fuerit, indicetur emptori. Depositum auri vel argenti vel pecuniæ non liceat eis suscipere. Ipsa die qua infirmus venerit, vel apportatus fuerit, de peccatis suis confiteatur, & communicet. Omni secunda feria, (præterquam in octavis Paschæ & Pentecostes & Nativitatis Domini & Circumcisionis & Epiphaniæ & præterquam in festivitatibus quæ ad colendum pronuntiantur) finita Missa pro fidelibus, fiat absolutio fidelium defunctorum in cœmiterio. Singulis quoque noctibus ad minus in hospitali coram pauperibus pro statu & pace sanctæ Romanæ Ecclesiæ & totius Christianitatis & pro benefactoribus & pro his pro quibus generalis Ecclesia consuevit orare, communis fiat oratio.

In regularibus horis morem beati Victoris observent; nisi fortè pausationes vel aliæ prolixitates vel vigiliæ, occasione laboris & paucitatis servientium, de consilio piorum & religiosorum virorum fuerint remittendæ. Propter paucitatem etenim suam tantas pausationes in psallendo facere non tenebuntur, nec ita tempestivè surgere. In rasura similiter ordinem sancti Victoris sequantur Clerici. Laici verò barbas non radant, sed eas crescere modestè permittant.

Nulli ergo &c. nostræ concessionis & constitutionis &c. Datum Laterani XVI. Kal. Ianuarij, anno incarnationis dominicæ millesimo centesimo nonagesimo octavo, pontificatus nostri anno primo.



G. PRÆPOSITO ALBENSI.

Epiſt. 482. Datur illi poteſtas conferendi cuſtodiam Albenſem.

INnotuit apoſtolatui noſtro per petitionem nobis ex tua parte porrectam, quòd cùm in Alben. Eccleſia quædam dignitas, quæ Cuſtodia dicitur, ad tuam donationem pertinens habeatur, cujus curæ ac ſolicitudini ornamenta ac privilegia ipſius Eccleſiæ & diadema etiam regium committuntur, eam perſonæ idoneæ conferre deſideras; ne fortè per imperitiam, aut infidelitatem, vel negligentiam Cuſtodis ipſius Eccleſia incurrat aliquod detrimentum, aut honor patriæ de corona aliquam læſionem ſuſtineat. Volentes igitur indemnitati Eccleſiæ præcavere, & tibi tuam juſtitiam conſervare, ut cuſtodiam ipſam, ſicut tui juris exiſtit, idoneæ perſonæ nullius appellationis obſtaculo conferas & aſſignes, liberam tibi damus auctoritate apoſtolica facultatem. Datum Laterani XII. Kal. Ianuarij.

PICTAVIEN. EPISCOPO.

Epiſt. 483. Vt monaſteria per ſuam diœceſim viſitet atque reformet.

SI ſuper commiſſo tibi grege ſic vigilare procuras ut eſſe de illis paſtoribus qui nato Domino ſuper grege ſuo noctis vigilias cuſtodiebant meritò comproberis, in tui executione officij ſemper cum diſcretione procedes, & de ſubditis tuis, tanquam de eis redditurus Domino rationem, plantare virtutes & extirpare vitia procurabis. Ad audientiam ſiquidem noſtram noveris perveniſſe quòd in Pictaven. diœceſi pro diutina paſtoris abſentia in religioſorum collegiis & aliis perſonis eccleſiaſticis multa quæ ſtatum perturbant religionis & ordinis ſunt præſumpta, ad quorum correctionem te oporteat propenſioris ſolicitudinis ſtudium exercere. Volentes igitur ut exceſſus liberiùs valeas corrigere delinquentium, cùm noſtra fueris auctoritate ſuffultus, tibi pagina præſenti mandamus quatenus ad abbatias & alia loca religioſa & Eccleſias tuæ diœceſis, quæ tibi ſunt diœceſana lege ſubjectæ, perſonaliter accedens, quæ tam in capite quàm in membris in eis corrigenda inveneris, ſecundùm Deum corrigas & emendes, & reformationi eorum taliter procures inſiſtere quòd de bona poſſis proviſione laudari, & Eccleſiarum ſtatus per te ſtudioſiùs reformetur. Datum ut ſuprà.

FVLCONI ABBATI monaſterij ſancti Petri Corbeien. quod in pago Ambianen. ſitum eſt, ejuſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Epiſt. 484. Eos in protectionē recipit, & elegantia vitæ atque morū præcepta relinquit.

APoſtolicæ ſedis auctoritate debitóque compellimur pro univerſarum ſtatu Eccleſiarum ſatagere & earum maximè quæ ſpecialiùs eidem ſedi adhærent, ac tanquam proprio jure ſubjectæ ſunt, utilitatibus providere. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & ad exemplar prædeceſſorum noſtrorum felicis memoriæ Nicolai, Benedicti, Leonis, Vrbani, Paſchalis, Innocentij, Eugenij, Adriani, Alexandri, Clementis, Celeſtini Ro. Pont. præfatum Corbeien. monaſterium in pago Ambianen. ſitum, quod ad jus & proprietatem beati Petri ſpecialiter pertinet, in quo eſtis divino obſequio mancipati, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti pagina privilegia communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes &c. *uſque ad verbum* vocabulis. Omnes parochias Corbeiæ, & parochiam pratorum, parochiam de Naurs, parochiam de Bus, parochiam du Thanes, & parochiam de Vſcia. Ad hæc adjicientes interdicimus ut poſſeſſiones ipſius Eccleſiæ & beneficia abſque Abbatis & fratrum conſenſu nullus hominum in vita ſive in morte aliis Eccleſiis dare vel alio quolibet modo alienare præſumat ab ipſa. Nec liceat Remen. Archiepiſcopo nec Ambianen. nec alicui Epiſcopo in Abbate & fratribus vel Clericis ſive famulis aut in laicis infra præfatas parochias conſtitutis dominationem aliquam exercere, aut eos excommunicare, vel interdicere, aut appellationes ab eis vel invicem vel contra eos ab extraneis factas aliquo modo recipere, vel pro emendatione criminum actiones quærere præmiorum, neque poteſtatem aliquam in poſſeſſionibus ad ipſum monaſterium vel cellas ejus pertinentibus vel in poſterum juſtè & rationabiliter acquirendis ſibi audeant vendicare. Prohibemus quoque ne Remen. Archiepiſcopi, vel Ambianen. Epiſcopi, aut alij, vel eorum Oeconomi, vel Archidiaconi, ſeu eorum nuntij, abſque veſtra vel veſtrorum fratrum gratuita vocatione ad monaſterium veſtrum vel loca prædicta accedant, aut moleſta-

Privilegium Leonis IX. editum eſt in Tomo VI. Spicilegij pag. 417.

molestationem aliquam seu perturbationem inferant, aut consuetudines pravas seu novas imponant. Chrisma verò &c. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem tantùm fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundùm Deum & beati Benedicti regulam de eodem collegio vel alterius cœnobij, si ibi aliquis ad hoc regimen dignus repertus non fuerit, providerint eligendum: qui, juxta antiquam Ecclesiæ vestræ consuetudinem, à quocunque malueritis Episcopo consecretur. Apostolica insuper auctoritate statuimus, & sub interminatione anathematis prohibemus, ne Abbates vestri, qui pro tempore fuerint, altaria, decimas, præbendas monachales, aliquo titulo alienare præsumant, nec alias possessiones monasterij seu thesauros vendere, obligare, aut infeudare, sine communi consensu Capituli vel majoris aut sanioris partis aliquatenus audeant. Ad hæc autem adjicimus, ne aliqui monachi seu conversi sub professione domus vestræ astricti, sine consensu Abbatis & majoris ac sanioris partis Capituli vestri pro aliquo fidejubeant, vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiant ultra precium Capituli vestri rationabili providentia diffinitum. quod si facere præsumpserint, non teneatur Conventus pro his aliquatenus respondere. Indictum autem, sicut hactenus Corbeien. monasterium celebrare consuevit, vobis confirmamus; & ne quis eos qui ad ipsum convenerint, in eorum bonis vel in personis offendere vel molestare præsumat, auctoritate apost. probibemus. Illis verò qui locum ipsum in hac die devotionis intuitu visitaverint, & beneficia ei contulerint, de injuncta eis pœnitentia quadraginta dies auctoritate apostolica relaxamus. Hospitali autem vestro, quod Portaria dicitur, decimas à catholicis ipsius loci Abbatibus & aliis Dei fidelibus rationabiliter concessas, auctoritate ap. confirmamus. Decernimus ergo &c. Salva sedis ap. auctoritate. Ad indicium autem quòd monasterium vestrum ad jus & proprietatem beati Petri pertineat, & perceptæ à Rom. Ecclesia libertatis, unciam auri nobis & successoribus nostris annis singulis persolvetis. Si qua igitu &c. Datum Later. per manum Raynaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, XV. Kal. Ianuarij, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCVIII. Pont. verò Domini Innocentij Papæ III. anno primo.

R. ILLVSTRI REGI Anglorum.

Epist. 485. Ne Cantuarienses monachos contra jus contraque rem judicatam & Romani Pontificis auctoritatem opprimat. Vide supra epist. 432. & seq.

CVm inter alios mundi Principes personam tuam sicut carissimi filij disposuerimus prærogativa dilectionis & gratiæ honorare, & tam tuis quàm tuorum utilitatibus paterna provisione diligenter intendere, miramur plurimùm & dolemus quòd hoc propositum nostrum, ex quo nimirum quantum magnitudini tuæ valeat honoris & utilitatis afferri, serenitatem regiam non credimus ignorare, pravis quorundam suggestionibus niteris impedire. Cùm enim negotium Cantuariensis Ecclesiæ dudû, solum Deum habentes præ oculis, studuerimus secundùm divinum beneplacitum terminare, (in quo, si personas vellemus accipere, vel munera forsitan acceptare, partem Cantuariensis Archiepiscopi proculdubio prætulissemus partibus monachorum) credebamus quòd factum nostrum celsitudo deberet regia gratiarum prosequi actione, quæ nos hactenus de justitia facienda sæpius exoravit, nec sustineret aliqua ratione quòd quisquam deberet in hac parte apostolicis jussionibus obviare; quin potiùs, si aliter fecissemus, præter offensam divinam & conscientiæ læsionem, plurimùm verebamur ne diceremur oppressores pauperum, & justitiæ contemptores. Verùm secus contigit quàm vellemus, vel etiam credere deberemus. Nuper enim accedentes ad præsentiam nostram dilecti filij nostri Prior & socij sui monachi Cantuarien. lachrymabili nobis & deflenda conquestione monstrarunt quòd cùm regia * sublimitas mandavisset de thesauro Ecclesiæ Cantuarien. redigendo in scriptis, & sigillo tam * regio quàm Archiepiscopi necnon & monachorum signando, neque hoc, unde ipsos in Domino commendamus, facere voluissent, sicut erat priùs in ipsorum perniciem cogitatum, spreta sedis apostolicæ reverentia, suis sunt rebus & possessionibus spoliati. unde ad sedem apostolicam eos laborare oportuit invitos pariter & dolentes. In quorum adventu renovatus est dolor noster: quia sustinuimus cùm Pro-

* Apud Gervas. Cantuar. potestas & sabl.
* Apud Gervas. Regis

pheta pacem, & non venit; quæsivimus bona, & ecce turbatio. Cùm enim veterem, sed nondum inveteratam, & per latam quęstionem sæpius ad apost. sedem crederemus nos penitùs extinxisse, (cujus occasione & religiosi viri & Deum timentes Honorius quõdam Prior & nonnulli Cantuarien. monachorum pro libertate ipsius Ecclesiæ animas posuerunt, & hi qui nuper ad nos venerunt, prædecessorum * nostrorum vestigiis inhærentes, malunt mori pro eadem, quàm videre mala gentis suæ & sanctorum) ecce quasi morbus pullulat recidivus, & facta sunt novissima ejus deteriora prioribus, quod tristes referimus & dolentes. Porrò quoniam auctoritatem apost. sedis, cui licèt immeriti præsidemus, vigorem volumus obtinere debitum, nec sustinere possumus nec debemus ut in suggillationem ejus aliquid debeat attentari, magnificentiam regiam de puro corde rogamus, monemus, hortamur, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus revocatis omnibus quæ contra eosdem monachos attentata noscuntur, & in pristinum statum reductis, quos pro reverentia sedis apost. apud sublimitatem tuam haberi volumus plurimùm commendatos; mandatum nostrum in ea causa quæ inter ipsos & præfatum Archiepiscopum vertebatur emissum non sustineas ab aliquo præteriri. Quod tanto fortiùs brachio potentiæ tuæ credimus effectui mancipandum, quanto ampliùs in tuis negotiis & tuorum à nobis desideras etiam in majoribus exaudiri. Neque super hoc circumspectionem tuam volumus dubitare quin, si præmissa studueris liberaliter adimplere, majorem ex hoc gratiam & favorem apud sedem valeas apostolicam promereri. Alioquin, quantumcunque personam tuam in Domino diligamus, & honori tuo velimus, quantum cum Deo possumus & honore nostro, deferre, contemptum nostrum, immo Dei, cujus locum licèt indigni tenemus in terris, non poterimus ulteriùs æquanimiter sustinere, sed in eos, quicunque fuerint, & terras eorum, qui nostræ dispositioni præsumpserint obviare, eam animadversionem sine differentia personarum curabimus exercere, quòd per exhibitionem operum ostendemus nos velle regia via prudenter incedere, nec cujusquam gratia vel favore declinare ad dextram vel sinistram, cùm omnem inobedientiam secundùm Apostolum prompti simus ulcisci. Si quis autem regiæ serenitati suggesserit quòd de ipsa quicquam sinistri à dictis monachis propositum fuerit coram nobis, fidem non adhibeas; cùm potiùs afflictiones & molestias suas plus alterò procurante quàm de voluntate credant regia processisse. Datum Laterani XI. Kal. Ianuarij.

* suorum

ROTHOMAGEN. ARCHIEPISC. & Episcopo Elien.

LAchrymabilem afflictionem dilectorum filiorum Prioris & monachorum Cantuarien & miserabilem apud sedem apost. toties teplicatam referre sine multa cordis amaritudine non valemus, cùm eis apost. sedis subsidium nihil videatur commodi attulisse, quin potiùs quanto eis ratione prævia magis adesse voluimus & prodesse, tanto adversùs eos manus hostilis in contemptum apostolicæ sedis est * diutiùs aggravata. Et cùm per carissimum in Christo filium R. Anglorum Regem illustrem oppressiones hujusmodi crederemus & violentias pro reverentia sedis apost. refrenari, cujus sæpius super hoc scripta recepit, è contra nunc ultimò in tantum profecimus quòd Prior & monachi, spreta sedis apost. reverentia, suis rebus & possessionibus spoliati, emisso edicto de thesauro Ecclesiæ consignando, quod hactenus fuit penitùs inauditum. Volentes autem adhuc maternis insistere lenimentis, & nolentes illius exemplo cujus vicem, licèt indigni, tenemus in terris, per singulos dies irasci, adhuc semel super eodem facto præfato Regi nostras literas destinamus. Vt autem preces & mandata nostra cordi regio tenaciùs quàm hactenus inprimantur, rogamus fraternitatem vestram attentiùs, & per apost. scripta præcipimus, quatenus literas nostras super hoc sibi transmissas, omni dilatione cessante, curetis ei fideliter explanare: quas si aure surda transierit, præter animadversionem debitam, quam in contemptores Ecclesiæ Ro. ac nostros non differemus ulteriùs jaculari, ejus instruemur exemplo qualiter suas suorúmque petitiones debeamus etiam in majoribus exaudire. Quòd si ambo &c. Datum ut suprà.

Epist. 486. Vt Pontificis literas Angliæ Regi offerant & interpretentur, causámque monachorum commendent. *Vide suprà epist. 432.*

* *f.* duriùs

AIMERICO ILLVSTRI REGI Hierosolymitano.

Epist. 417. Illum ad pietatem & modestiam hortatur, auxiliaque sua promittit.

VEnientem ad nos dilectum filium magistrum I. Clericum & nuntium serenitatis regiæ, qua decuit benignitate recepimus, & in his quæ nobis proposuit ex parte magnitudinis tuæ curavimus, quantum cum Deo potuimus, exaudire. Verùm quia, sicut Domino placuit, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, manum misisti ad fortia, & illius terræ administrationem & regimen assumpsisti in qua Dominus & redemptor noster operatus salutem nostram dorsum posuit ad flagella, & humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, regiæ magnitudini est summopere satagendum ut exemplo ejus qui cœpit facere & docere, in tribulationibus non deficiat quæ terram illam nimis exigentibus peccatis invenerunt; in quibus adjutor tibi aderit, si sustinueris patienter, fidelis Deus, qui neminem patitur tentari supra id quod poterit sustinere, sed facit cum tentatione proventum. Ejusdem quoque humilitatem studeas quantum poteris imitari, ut quanto major es, tanto te ampliùs in conspectu Domini humilies, ut exaltet te in tempore visitationis. Qui enim se humiliat, juxta scripturæ testimonium, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur. Neque * devotio debet aliquatenus dubitare, quin si per opera virtutum præmissarum & etiam aliarum studueris in lege Domini ambulare, tribuat tibi Dominus secundùm cor tuum, & mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion te tueatur; & cùm sit misericors & miserator, non continebit in ira misericordias suas, qui etiam in ulciscendo non obliviscitur misereri: qui si pro nobis fuerit & nobiscum, quis contra nos? Alioquin cùm renes & corda scrutetur, nisi conversus ad eum fueris, nec ipse ad te convertetur: sine quo nec tu quicquam facere poteris, nec nos tecum, qui quantum pro subsidio terræ sanctę dudum laboraverimus, & laboremus indesinenter, serenitatem tuam non credimus ignorare, cùm idipsum ferè noverint universi, & prædictus magister magnitudini regiæ poterit pleniùs indicare. Vt autem de solicitudine & labore nostro fructus proveniat exoptatus, rogamus magnificentiam tuam, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus in spiritu humilitatis & animo contrito susceptæ potestatis officium ità procures irreprehensibiliter exercere, quòd per auxilium gratiæ divinæ loca nativitatis & resurrectionis dominicæ, pristinæ valeant temporibus nostris restitui libertati. Nos enim sumus in eo proposito constituti, ut, quantum cum Deo poterimus, auxilio tuo & terræ adesse velimus jugiter & prodesse. Latorem autem præsentium, virum providum & fidelem, magnificentiæ tuæ reddimus commendatum. Datum Laterani XII. Kal. Ianuarij.

NOVIOMEN. EPISCOPO, S. Medardi Suessionen. & Compendien. Abbatibus.

Epist. 418. Vt injurias monasterij Corbeiensis prosequantur, & privilegia defendant.

SIgnificantibus dilectis filiis Abbate & monachis Corbeien. nos accepisse noscatis quòd cùm Ecclesia de Vicia in pago Tornacen. sita, sicut in eorum privilegiis continetur, ab episcopali sit jurisdictione exempta, nec debeat alij nisi præfato monasterio respondere, venerabilis frater noster Episcopus & dilecti filij Capitulum Tornacen. eam nituntur suæ jurisdictioni supponere, & Presbyterum ejusdem Ecclesiæ, cùm eis non liceat, excommunicare præsumunt, & in hoc monasterium ipsum molestatione indebita fatigare. Super quo licèt per eosdem Abbatem & monachos prædictus Episcopus ad sedem apostolicam fuerit appellatus, & terminus festum sancti Remigij appellationi prosequendæ præfixus, per eum nec per alium appellationem prosequi procuravit. Vnde nos eisdem per scripta nostra præcipimus ut ab ipsius molestatione indebita penitùs desistentes, super Ecclesia memorata contra privilegia sedis apostolicæ non præsumant ipsum lædere quomodolibet vel turbare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus eos à molestatione ipsius contra privilegia Romanorum Pontificum districtione qua videritis expedire sublato appellationis obstaculo compescatis. Nullis literis &c. Quòd si omnes &c. tu frater Episcope cum eorum altero &c. Datum ut suprà.

EPISCOPO ET CAPITVLO Tornacen.

Epiſt. 489. Vt ab injuriis dicto monaſterio inferendis abſtineant.

AMoleſtatione indebita monaſterij Corbeien. veſtram etiam ſine mandato noſtro deberetis taliter compeſcere voluntatem, quòd non videremini illud in ſuis juſtitiis contra privilegia ſedis apoſtolicæ fatigare. Significantibus ſiquidem nobis &c. *ferè in eundem modum ut ſuprà uſque ad verbum* turbare. Alioquin noveritis nos venerabili fratri noſtro Noviomen. Epiſcopo & dilectis filiis Compendien. & ſancti Medardi Sueſſionen. Abbatibus dediſſe firmiter in mandatis ut vos à moleſtatione ipſius contra privilegia Romanorum Pontificum, appellatione remota, qua expedire viderint diſtrictione compeſcant. Nullis literis &c. Datum ut ſuprà.

MAVRICIO EPISCOPO Nanneten.

Epiſt. 490. Ipſum transfert ad Eccleſiam Pictavienſem.

CVm ſedes apoſtolica à Deo plenitudinem ſuſceperit poteſtatis, nos, qui ei, licèt immeriti, divina favente clementia præſidemus, ſic convenit omnium Eccleſiarum proviſionibus cogitare, quòd illi qui ſupra ſe ipſum petrā ſtabili ſoliditate fundavit, de commiſſis nobis dignam valeamus reddere rationem, quia ſuper nos alium judicem non habemus. Licèt autem inter Eccleſiam & Epiſcopum eſſe ſpirituale matrimonium cognoſcamus, quod non poteſt nec debet humano judicio ſeparari; ipſe tamen Dominus noſter & magiſter ſoli beato Petro Vicario ejus, & per ipſum ſucceſſoribus ſuis, & nobis ipſis, qui, licèt indigni, locum tenemus ipſius, transferendi & deponendi Pontifices & eorum ceſſiones recipiendi, Eccleſiarum neceſſitate vel utilitate penſata, ſicut teſtatur antiquitas, & ſacrorum canonum aſſerunt ſanctiones, ſpeciali privilegio tribuit poteſtatem. Quod quidem provida & ſancta dignoſcitur deliberatione ſtatutum, ut quos Deus ſpirituali conjunctione ligavit, non homo, quia non Vicarius hominis, ſed Deus, quia Dei Vicarius, ſeparaet, ut non videatur contra doctrinam evangelicam attentari, in qua dicitur: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Intelleximus ſiquidem per literas venerab. fratrum noſtrorum Bituricen. & Burdegalen. Archiepiſcoporum, & Epiſcopi Xanctonenſis, & dilectorum filiorum Decani & Capituli Eccleſiæ Pictavenſis, necnon Abbatum & aliorum Prælatorum Eccleſiarum Pictaven. diœceſis noſtro apoſtolatui præſentatas, quòd defuncto bonæ memoriæ Ademaro quondam Pictaven. Epiſcopo, prædicti Decanus & Capitulum in perſonam tuam unanimiter convenerunt, te ipſis in Epiſcopum concedi à ſede apoſtolica poſtulantes. Nos verò cum fratribus noſtris deliberato conſilio, ad noſtram memoriam reducentes quantum Pictaven. Eccleſia poſt deceſſum felicis recordationis Willelmi quondam Pictaven. Epiſcopi pro ſubſtitutione Pontificis laboraverit, credentes etiam quòd per ſolicitudinis tuæ prudentiam Eccleſia ipſa in ſpiritualibus & temporalibus aſſiduum ſuſcipiat auctore Domino incrementum, cùm in talibus ſecundùm inſtituta canonum evidens utilitas & urgens neceſſitas conſiderari debeat & attendi, utile cognovimus & neceſſarium ut de minori civitate ad majorem, de populoſa diœceſi ad populoſiorem, & de nobili ad nobiliorem Eccleſiam apoſtolica debeas auctoritate tranſire, ubi talentum tibi creditum Domino tuo valeas reddere duplicatum. Sanctorum igitur patrum inſtitutionibus & prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, qui tranſlationes hujuſmodi, conſideratis Eccleſiarum utilitatibus & neceſſitatibus, facere ſæpius conſueverunt, ſupradictorum Decani & Capituli & Cleri Pictaven. petitioni clementer annuimus, & ut à Nanneten. ad Eccleſiam tranſeas Pictaven. de benignitate ſedis apoſtolicæ liberam indulgemus tibi auctoritate præſentium facultatem. Datum ut ſuprà.

BVRDEGALEN. ARCHIEPISC.

Epiſt. 491. De eadem re.

CVm ſedes apoſtolica &c. *ut ſuprà ferè in eundem modum uſque ad verbum* facultatem. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ipſum Epiſcopum ſicut venerabilem in Chriſto fratrem habeas, & fraterna benigniùs caritate pertractes, ut ipſe te in doctrina patrem & paſtorem ſuum, & in manſuetudine fratrem agnoſcat. Datum ut ſuprà.

DECANO ET CAPITVLO Pictaven.

Epist. 492. Ejusdem argumenti cum praecedentibus.

CVm fedes apoftolica &c. *ut suprà ferè in eundem modum usque ad verbum* facultatem. Ideóque uuiverfitati veftræ per apoftolica fcripta mandamus atque præcipimus quatenus eidem Epifcopo tanquam Prælato & paftori animarum veftrarum debitam obedientiam & reverentiam impendatis; ut cùm ipfe in vobis filialem devotionem inveuerit, benignus vobis & manfuetus exiftat, & vos & Ecclefiam veftram paterno benigniùs amplexetur affectu. Datum ut fuprà.

ABBATIBVS, ET PRIORIBVS, Præpofitis, & aliis Ecclefiarum Prælatis, & univerfis Clericis Pictaven. Ecclefiæ diœcefana lege fubjectis.

Epist. 493. Vt Epifcopo fuo obtemperent.

CVm fedes apoftolica &c. *ut suprà ferè in eundem modum usque ad verbum* facultatem. Cùm itaque prædicto Epifcopo veftro debeatis tãquam membra capiti cohærere, & ipfius falubribus monitis & mandatis devotè ac humiliter obedire, uuiverfitati veftræ per apoftolica fcripta maudamus atque præcipimus quatenus ei cum devotioue obedientiam & reverentiam impendatis, & de rationibus epifcopalibus curetis plenariè refpondere, ficque ipfi ad relevanda onera debitorum, quibus Pictaven. Ecclefia, ficut dicitur, prægravatur, grata fubventionis auxilia miniftretis, quòd ipfe vos tanquam bonos filios habeat femper in vifceribus caritatis, & veftris valeat utilitatibus imminere. Datum ut fuprà.

NARBONEN. ARCHIEPISCOPO, & fratri Raineiro.

Epist. 494. Epifcopi Carcaffonenfis refignationem approbat.

HAnc inter corporalia & fpiritualia conftat exiftere differẽtiam, quòd corporalia faciliùs deftruuntur, quàm conftruantur; è cou trario verò fpiritualia faciliùs conftruuntur, quàm deftruantur. Vnde juxta canonicas fauctiones Epifcopus folus dare honorem poteft, folus autem non poteft auferre. Ex parte fiquidem venerabilis fratris noftri Carcaffonen. Epifcopi fuit in audientia noftra propofitum, quòd in fuis adeo proceffit diebus, & propter fenium vigor uaturalis in ipfo defecit, quòd omniuo eft inutilis & infufficiens ad portaudam curam Carcaffouen. Ecclefiæ, immo ejus adminiftratio (ficut proponitur) animabus fibi commiffis perniciofa eft potiùs & damnofa, præfertim cùm non folùm in temporalibus, immo etiam in fpiritualibus, Ecclefia fuæ curæ commiffa cum ceteris diocefanis tantum lapfum iucurrerit, quòd humani generis iuimicus ferè univerforum corda iuiquitatis gladio penetravit, ut eos fecum in ignem perpetuæ gehennæ retrudat, & in tantum in ea diocefi virus prævaricationis hæreticæ penetravit, quòd diverfas & iuauditas fectas miniftri diabolicæ fraudis ibidem adinveniunt, & publicè profitentur, & populum qui fibi credat habeut; ita ut vox eorum angelica reputetur, nec fit inter eos qui ab ore miniftri verbum affectet quin immo non dedignetur evangelicæ prædicationis audire. Propter quod idem Epifcopus fuam infufficientiam recognofcens, à nobis humiliter poftulavit ut ei cedendi licentiam præberemus. Nos igitur tam fuper lapfu Ecclefiæ, quàm interitu animarum, quæ per incuriam paftoris in laqueum damnationis incidiffe creduntur, pio coudolentes affectu, & volentes fuper hoc congruæ provifionis remedium adhiberi, difcretioni veftræ per apoftolica fcripta mandamus quatenus fi præfatum Epifcopum propter impedimentum cordis vel corporis infufficientem effe noveritis ad gereudam folicitudinem paftoralem, vos auctoritate noftra ceffionem ejus admittere minimè poftponatis; & ea liberè ac fine pravitate recepta, Canonicis Ecclefiæ Carcaffouen. tribuatis licentiam idoneum Epifcopum eligendi, qui opere ac fermone fidei prævaricatores ad fidei revocet unitatem, & eradicato penitùs zizaniorum germine, frumentum cum multiplicato fructu faciat infpirante divina clementia pullulare. Vobis autem in virtute obedientiæ diftrictè præcipimus ut per vos ipfos & quofcunque alios ad præfatos hæreticos de Narbonen. provincia penitùs excludendos omne ftudium & operam, quam poteritis, tribuatis. Datum Laterani X. Kalend. Ianuarij.

ARCHIEPISC. ET DECANO Senonen.

Epist. 495. Vt Ecclefiam S. Martini Turonenfis ab injuriis defendat.

POteftatis apoftolicę plenitudo longè latèque diffufa, licèt ubique præfens poteutialiter habeatur, tamen

quia ea quæ ad tantum officium pertinent, per se, prout singulis expediret, non valet præsentialiter exercere, tam vos quàm alios ministros Ecclesiarum in partem solicitudinis advocavit, ut sic tanti onus officij per subsidiarias actiones commodiùs supporteetur. Inde est quòd cùm Ecclesia beati Martini Turonen. nostra filia specialis existat, nec ei possimus in quibuslibet necessitatibus suis præsentialiter, prout tenemur, adesse, nos ministerium nostrum, quod eidem impendi non potest, vestræ solicitudini committentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dilectis filiis Canonicis ipsius Ecclesiæ, quoties ad vos pro irrogatis sibi injuriis duxerint recurrendum, de malefactoribus suis constitutis in terra cariss. in Christo filij P. illustris Regis Franciæ, appellatione remota, nullatenus differatis justitiæ plenitudinem exhibere, ad id liberiùs faciendum, quemadmodum videritis expedire, monitione præmissa rigorem ecclesiasticum, prout justum fuerit, adhibentes. Datum ut suprà.

Scriptum est in eundem modum Episcopo & Decano Pictaven.

PICTAVEN. ET CENOMANEN. Episcopis, & Abbati de Fontana.

Epist. 496. Ejusdem argumenti.

POtestatis apostolicæ &c. *ut suprà usque ad verbum* committentes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ad eandem Ecclesiam accedentes, ea quæ tam in vestimentis Canonicorum inordinatis quàm divinis obsequiis, meditationibus, & firmis tempore residentiæ faciendæ, & aliis tam spiritualibus quàm temporalibus videritis corrigenda, cum consilio eorum quos in ipsa Ecclesia maturioris & sanioris consilij esse noveritis, auctoritate apostolica sublato contradictionis & appellationis obstaculo, Deum solum habentes præ oculis, corrigentes, eos quos vestris institutionibus contrarios inveneritis aut rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis; ita in hoc provisione solicita procedentes, quòd studium vestrum apud Deum & homines multipliciter appareat commendandum. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut suprà.

CONVENTRENSI EPISCOPO.

Epist. 497. De pœna simoniacorum.

VItium simoniacæ pravitatis quantum Deo sit odiosum, & quanta ex eo sequatur pernicies animarum, fraternitatem tuam credimus non latere. Inde est quòd cùm, sicut audivimus, plures Clerici de tua diocesi sua sint beneficia simoniacè assecuti, ita quòd ex hoc magnum scandalum in populo generetur, tibi præsentium auctoritate duximus injungendum ut illis qui legitimè convinci poterint ecclesiastica beneficia taliter obtinere, amotis, tibi ea liceat, appellatione remota, personis idoneis assignare; alios verò qui canonicè convinci non poterint, si fama publica noveris laborare, ad purgationem canonicam subl. appellationis diffugio nostra possis auctoritate compellere, ne scandalum in populo generetur. Vellemus autem quòd circa primordia promotionis tuæ majorem nobis & Ecclesiæ Romanæ reverentiam impendisses. Datum Laterani.

LITERÆ GUIDONIS Comitis Alverniæ ad Dominum Papam.

Epist. 498. Romanæ Ecclesiæ castrum donat, fratrisque sui causam commendat Pontifici.

DOmino Innocentio divina bonitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo & universali Episcoporum Episcopo Guido Comes Alverniæ salutem cum omni reverentia, & hominij fidelitatem debitam. A parentum meorum fide non degenerare laborãs, qui quoddam suum proprium castellum nomine* Vteo, Deo & sanctis Apostolis & Ecclesiæ sanctæ Romanæ sibique præsidentibus Domino Alexandro Papæ videlicet & successoribus suis delegarunt, aliud non minùs præcipuum castrum à me noviter ædificatum, & meo nomine nominatum, præfatæ sanctæ Rom. Ecclesiæ dono & concedo, aurique unciam pro mea recenti mutatione transmitto. Vestram itaque protectionem & defensionem super fratrem meum R. Claromonten. Episcopum exorare, sicut videtur, decrevi: quoniam idem frater meus præfatus Episcopus, conjunctis & adunatis sibi Coterellorum & Basclorum ruptis diversis, in præjudicium sui ordinis & prævaricationem totius juris, terram meam incendiis, homicidiis, & rapinis, & quibuscunque potest malitiis devastat. Vestræ

* *Leg. Ulsseri, ut monet Insulus in Probat. Historiæ Domus Turrianæ pag 40. Vide etiam pag 56. In vet. cod. Colbertiano legitur Vteo.*

itaque sanctitatis pedibus prostratus, preces fundo, ut eum à tanta injuria revocetis, & sententiam excommunicationis, quam in terram meam præter præfata mala tulit, amoveatis, & judices vel examinatores causæ nobis constituatis Dominos Archiepiscopum Burdegalen. & Præpositum Evaunen. qui ab universis Abbatibus viciois veritate cognita, remota appellatione, tantam injuriam terminare studeant. Precamur etiam ut latori præsentium super his & aliis quę intimaverit credatis.

COLOCEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 499. De reformatione monasterij S. Stephani de Keu.

CVm nobis, licèt immeritis, in apostolicæ sedis specula consistentibus sit universarum Ecclesiarum solicitudo commissa, de statu illarum solicitudinem nos convenit gerere diligentem, & providere attentè ut per fratres & coëpiscopos nostros, cùm non possimus ubique nostram præsentiam corporaliter exhibere, possint in melius reformari. Ex parte siquidem tua nostris est auribus intimatum quòd cùm bonæ memoriæ Andreas antecessor tuus monasterium S. Stephani protomartyris, situm in loco qui dicitur Keu, concessisset fratribus S. Abrahæ de Valle Ebron, monachis nigri ordinis propter dissolutionem suam remotis, & iidem fratres S. Abrahæ bona ejus dilapidando, & ducendo vitam nimiùm dissolutam, ipsum deduxissent ad nimiam paupertatem, bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster & nos etiam tibi dedimus in mandatis ut restitutioni ejusdem monasterij provideres; tuo committentes arbitrio, utrum prædicti fratres S. Abrahæ tolerandi, an monachi nigri essent in ipso monasterio reducendi. Tu verò (sicut accepimus) fratres S. Abrahæ propter dissolutionem suam inde penitùs abjecisti, & nos per petitionem tuam duxisti super provisione ipsius monasterij requirendos. Ideóque fraternitati tuæ per præsentia scripta mandamus quat. si per monachos Ecclesiam illam videris reformari non posse, in ipsa Ecclesia Canonicos instituas regulares, qui secundùm regulam beati Augustini devotum ibi Domino famulatum impendant, & per eorum religionem locus ipse in melius tuo faciente studio reformetur. Datum Laterani XI. Kal. Ianuarij.

ILLVSTRI REGI VNGARIÆ.

Epist. 500. Vt compellat Sclavos decimas persolvere.

SIgnificante venerabili fratre nostro Coloceo. Archiepiscopo ad audientiam apostolatus nostri noveris pervenisse quòd cùm in diocesi sua sint quamplures villæ, in quibus Sclavi habitant, iidem Sclavi præfato Archiepiscopo decimas exhibere contemnunt. Quoniam igitur de regia serenitate confidimus, & speramus ut Ecclesias & earum ministros diligas, & earum commodis exemplo progenitorum tuorum diligenter intendas, excellentiam tuam rogamus atque monemus, per apostolica scripta mandantes, quatenus memoratos Sclavos, ut decimas debitas præfato Archiepiscopo sine diminutione persolvant, tradita tibi potestate compellere non omittas. Datum ut suprà.

ABBATI ET CONVENTVI S. Petri Carnoten.

Epist. 501. Beneficia ecclesiastica nemini promittenda antè quàm vacent.

CVm monasterium vestrum multorum gravetur onere debitorum, ut vix ejus redditibus fratribus valeant necessaria ministrari, Abbates qui fuerunt pro tempore, sicut nostris est auribus intimatum, occasione promissionum de beneficiis non vacantibus tantis se pensionibus obligarunt, quòd si etiam, ut dudum, monasterium in temporalibus abundaret, eas solvere vix valeret. Cùm autem secundùm instituta canonum, antequàm vacent, non sint ecclesiastica beneficia promittenda, & quæ contra leges fiunt, haberi debeant pro infectis; vos & monasterium vestrum à præmissis promissionibus & pensionibus denuntiamus auctoritate præsentium absolutos; cùm nec regulariter valeat accessorium, ubi non obtinet principale. Datum Laterani III. Kal. Ianuarij.

EPISCOPO TRIPOLITANO.

Epist. 502. Eum transfert ad Ecclesiam Tripolitanam. Vide suprà epist. 10. & seq. & 117.

CVm ex naturalis legis præcepto, quod Dominus in Evangelio declaravit, quæcunque volumus ut faciant nobis homines, & nos eis facere debeamus, & ex eo quod legitur in Thobia, *Quod tibi odis fieri, alij ne feceris*, ab aliorum teneamur injuriis temperare, nos, qui sacra docente scriptura monemur ne alij nostrum demus honorem, & ex apostolatus officio, quod, licèt indigni, suscepimus, aliorum jura & præsertim

fratrum & coëpiſcoporum noſtrorum tenemur propenſiùs defenſare, ab eiſdem nolumus nobis injurias irrogari. Sanè cùm ad apoſtolatus noſtri notitiam luce clariùs perveniſſet quòd venerabilis frater noſter Antiochenus Patriarcha, prædeceſſoris ſui exempla ſecutus, qui motu propriæ voluntatis N. Tharſen. in Mamiſtan. dicitur transtuliſſe, te quondam Apamen. electum in Tripolitanam Eccleſiam tranſtuliſſet, non potuimus non moveri; præſertim cùm nec ei ſuffecerit dicti prædeceſſoris ſui præſumptionem ſolummodo imitari, quin potiùs in injuriam noſtram ipſius trangreſſus exceſſum, novo quodam mutationis genere parvificavit majorem, & magnum quodammodo minoravit, epiſcopare Archiepiſcopum, immo potiùs dearchiepiſcopare præſumens, cùm dictus prædeceſſor ejus dictum Archiepiſcopum de Tharſen. Eccleſia in Eccleſiam tranſtulerit ſimilis dignitatis. Licèt enim tu nondum fuiſſes conſecratus, confirmationis tamen munus receperas, & archiepiſcopalia, quantum tibi licuerat, miniſtraras; ſicut tua nobis relatione innotuit, qui te Valenien. aſſeruiſti Epiſcopum, cùm nuper conſtitutus eſſes apud ſedem apoſtolicam, confirmaſſe. Verùm cùm fortius ſit ſpirituale vinculum quàm carnale, dubitari non debet quin omnipotens Deus ſpirituale conjugium, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, ſuo tantùm reſervaverit judicio diſſolvendum; qui diſſolutionem carnalis conjugij, quod eſt inter virum & feminam, ſuo tantùm judicio reſervavit, præcipiens ut quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. Non enim humana ſed divina potiùs poteſtate conjugium ſpirituale diſſolvitur, cùm per tranſlationem, vel depoſitionem, aut etiam ceſſionem auctoritate Romani Pontificis, quem conſtat eſſe Vicarium Ieſu Chriſti, Epiſcopus ab Eccleſia removetur. Et ideo tria hæc, quæ præmiſimus, non tam inſtitutione canonica quàm inſtitutione divina ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata. Sicut autem Epiſcopus conſecratus ſine licentia Romani Pontificis ſuam nõ debet Eccleſiam derelinquere, ſic & electus confirmatus præter ejus aſſenſum ſuam deſerere nequit Eccleſiam, cui eſt alligatus; cùm non debeat in dubium revocari quin poſt electionem & confirmationem canonicam, inter perſonas eligentium & electi conjugium ſit ſpirituale contractum. Quia licèt inveniatur in canone, quòd ſi electus ultra quinque menſes per ſuam electionem retinuerit viduatam Eccleſiam, nec ibi nec alibi conſecrationis donum percipiat; non tamen intelligitur Eccleſia viduata, quaſi ſponſum non habeat, ſed quia cùm ſponſus ejus nondum ſit conſecratus, adhuc quoad quædam viri manet ſolatio deſtituta. *Vide suprà epist. 447.* Quamvis autem eidem Patriarchæ & aliis fratribus & coëpiſcopis noſtris, ut præmiſſum eſt, quantum cum Deo poſſumus, deferre velimus, præſertim cùm Eccleſia Rom. ſit Antiochenæ plus ceteris quaſi quadam germanitate conjuncta; ne tamen jure patriarchatus ad eum credatur Epiſcoporum mutatio pertinere, & hoc ipſum trahatur ad poſteros in exemplum, per quod apoſtolicæ ſedis privilegio, cujus jura tenemur præ ceteris conſervare, poſſet plurimùm derogari, pro præmiſſis exceſſibus eum ab electorum confirmationibus & conſecrationibus Epiſcoporum & te ab adminiſtratione pontificalis officij de communi fratrum noſtrorum conſilio duximus ſuſpendendos, donec ſuper hoc curaremus aliud ordinare. Per quod idem Patriarcha honori ſuo aſſeruit per literas ſuas plurimùm derogatum, cùm uſque ad tempora iſta Patriarchæ Antiocheni ſuſpenſio fuerit inaudita: quoniam & prædeceſſor noſter Leo Papa ſanctiſſimus Anatolium Patriarcham Conſtantinopolitanum, *Leo 1. epist. 51.* quamvis Patriarcham Antiochenum præſumpſerit conſecrare, nec ſuſpendit, nec excommunicavit, ſed redarguit, & ad melius mutavit. Ad excuſandum quoque quod fecerat, nonnulla in eiſdem literis ſuis exprimere procuravit, quibus nos plus ad miſericordiam quàm ad judicium ſuppliciter invitabat; ignorantiam ſcilicet, cùm nuſquam expreſſum fuerit, uſque ad noſtra tempora, de electo quod de Epiſcopis fuerat inſtitutum; perturbationem mentis, quæ pro tribulationibus quæ terram illam nimis peccatis exigentibus invenerunt, rationis acumen intueri acutiùs non ſinebat; idoneitatem perſonæ tuæ, quæ literatura & honeſtate ceteris illius terræ Clericis præminebat; & quòd Canonicorum vota in alium non poterant de facili convenire, qui ſi aliquatenus diſcordaſſent à domino terræ, pararo ad prædam, & de ſciſſuris mentium exultante, bona eccleſiaſtica eſſent

mira-

mirabiliter desolata. Et sicut venerabilis frater noster Conradus Maguntinus Archiepiscopus, Episcopus Sabinensis, cujus testimonium præmissis rationibus concordabat, suis nobis literis intimavit, tua prudentia circumspecta totius terræ statui plurimùm poterat existere fructuosa. Propter quæ circa factum tuum faciliùs poterat dispensari. Nos ergo super facto tuo cum fratribus nostris communem tractatum habentes, & subtiliter attendentes quòd consecratio tibi collata nec prioris Ecclesiæ te Pontificem fecerit, cùm ad eam non fueris consecratus, nec secundæ, ad quam prioris vinculo perdurante non poteras canonicè consecrari, cùm adhuc esses alteri conjugaliter alligatus, prædictis tamen rationibus ad dispensationis gratiam inclinati, quamvis secundùm sacrorum canonum instituta utraque carere deberes, de plenitudine potestatis à priori vinculo te solventes, auctoritate tibi præsentium duximus concedendum ut de benignitate sedis apostolicæ quasi novo consensu Tripolitanam Ecclesiam de cetero tanquam proprius Pontifex ad honorem Dei, utilitatem ipsius Ecclesiæ, tuamque salutem, & Cleri populique tibi commissi studeas gubernare, quatenus præveniente divina gratia & sequente plus prodesse velis & valeas quàm præesse, præsertim temporibus istis, cùm vix sit qui faciat bonum usque ad unum, opus est non mercenario, sed pastore. Datum Laterani II. Kal. Ianuarij.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENO.

Epist. 503. Ejusdem ferè argumenti.

CUm ex naturalis legis &c. *ut suprà ferè in eundem modum usque ad verbum* dispensari. Et quoniam suspensionis sententiam in te prolatam, sicut ex tuarum intelleximus continentia literarum, humiliter observasti; nos, qui personam tuam syncera caritate diligimus, & tuo, quantum cum nostro possumus, intendimus honori deferre, cùm te inter fratres nostros honorabile membrum & in domo Domini columnam immobilem reputemus, confessionem spontaneam & supplicationem devotam benigniùs attendentes, de consueta Rom. sedis clementia pœnam inflictam duximus relaxandam, à suspensionis sententia fraternitatem tuam auctoritate præsentium denuntiantes penitùs absolutam. Datum ut suprà.

LINGONEN. EPISCOPO.

Epist. 504. Ipsum ab officio suspendit, donec Capitulo suo super dilapidatione bonorum Ecclesiæ respondeat.

SIne dolore tibi & pudore scribere non valemus, cùm sedes apost. quod olim in te dignoscitur approbasse, nunc peccatis exigentibus cogitur improbare. Cùm enim ab ipso tuæ promotionis principio inter te & dilectos filios Canonicos Lingonen. multæ pullulaverint quæstiones, nec unquam, postquam tuo commissa fuit regimini, pacem habuerit Ecclesia Lingonensis, sicut fama refert publica, & quamplurium Prælatorum & religiosorum ipsarum partium literis nostro est apostolatui suggestum, non solùm mobilia sed etiam immobilia ipsius Ecclesiæ adeo distraxisti, quòd quæ olim inter Gallicanas Ecclesias nobilis fuerat & famosa, nunc habeatur ab his, qui in circuitu ejus sunt, in opprobrium & contemptum. Super quibus cùm à Lingonen. Capitulo coram venerabili fratre nostro Lugdunen. Archiepiscopo Metropolitano tuo delatus fuisses, ut ejus judicium declinares, apostolicæ sedis audientiam invocasti, festum beati Lucæ proximè præteritum, terminum appellationi prosequendę præfigens, quę Lingonen. Capitulum ad Dominicam qua cantatur *Iubilate Deo*, proximè præteritam, coartarunt. Quæ utique cùm tam per literas quàm nuntios utriusque partis ad nostram audientiam pervenissent, volentes tibi & eis pro intemperie aëris & caloris distemperantia paterna solicitudine providere, tibi per scripta nostra mandavimus ut hujus occasione discordiæ bona Lingonen. Ecclesiæ minimè dilapidare præsumeres, festum beati Michaëlis proximè præteritum sub peremptorio terminum assignantes, quo te nostro conspectui præsentares objectionibus Capituli responsurus, & propositurus contra ipsos si quid velles proponere quæstionis. Cùm autem Canonici Lingonenses, & illi præsertim quos personaliter ad petitionem tuam literis fecimus apostolicis evocari, ad nostram accessissent præsentiam, & nos tuæ volentes fraternitati deferre, ipsos diù detinuerimus, adventum tuum aliquandiu expectantes, comparuerunt tandem in præsentia nostra duo nuntii tui, quibus (licèt procuratores non essent) in consistorio nostram dedimus audientiam, & quæ ab eis proposita fuerunt, audivimus diligenter, facientes literas nobis * pro te * f. per

Oo

transmissas in nostro & fratrum nostrorum auditorio recitari: in quibus continebatur expressum, quòd in Cistercien. Capitulo, in multorum religiosorum & aliorum præsentia, signum vivificę crucis acceperas, vovens pro amore Iesu Christi ad partes accedere transmarinas. quod tamen post edictum peremptorium à te procuratum constitit esse factum. Et licèt ipsi Canonici sæpius reclamarent quòd in expectando plus debito gravarentur, sententiam tamen nostram usque in vigilia Nativitatis Domini proferre distulimus, credentes quòd tu venires, vel saltem sufficientem mitteres responsalem. Quantumcunque verò nobis sit molestum te in aliquo molestari, quia tamen nobis incumbit ex injunctæ administrationis officio corrigenda corrigere, & reformare in melius quæ circa Ecclesiarum statum noscuntur minùs licitè attentata, volentes etiam in judiciis juris ordinem observare, habito cum fratribus nostris super negotio ipso consilio, te pro contumacia manifesta & dilapidatione vulgata, quam non solùm ad aures nostras fama publica detulit, immo etiam Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum religiosorum virorum testimoniales literę demonstrarunt, te ab administratione totius Lingonen. episcopatus, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, omnino suspendimus; auctoritate tibi præsentium injungentes districtiùs, ut suspensionem procures inviolabiliter observare. Volentes autem (nisi fortè cedere fortè malueris, quod saluti tuæ magis credimus expedire) causam quæ inter te & dilectum filium Decanum Lingonen. pro Ecclesia vertitur, super dilapidatione & insufficientia, & aliis multis injuriis & gravaminibus per te ipsi Ecclesiæ irrogatis, examinari celeriùs, & canonico fine decidi, (ne, si fuerit diutiùs prorogata, cadat irreparabiliter Ecclesia Lingonen. quæ jam videtur ex parte maxima cecidisse) ipsam venerabili fratri nostro Parisien. Episcopo duximus committendam: per apostolica tibi scripta mandantes quatenus, cùm ab eo fueris requisitus, ipsius adire præsentiam non postponas, responsurus objectis, & objecturus quæ volueris contra Decanum agentem pro Ecclesia memorata. Si verò de utriusque partis voluntate processerit quòd per ipsum Episcopum diffinitiva sententia proferatur, ipse auditis hinc inde propositis, & ascitis sibi viris prudentibus, quos tanto negotio cognoverit expedire, causam ipsam fine canonico terminabit. Alioquin gesta utriusque partis redacta in scriptis, & sigilli sui munimine roborata, ad præsentiam nostram transmittet, præfigens partibus terminum competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Interim autem per dictum Parisien. Episcopum de procuratore idoneo Lingonen. Ecclesiæ præcipimus provideri. Datum ut suprà.

Scriptum est super hoc Episcopo Parisien.

PATRIARCHÆ HIEROSOLYM. & Canonicis Dominici Sepulchri.

Epist. 505. Hierosolymitanum Patriarcham hortatur ut Antiocheno Patriarchæ de certis querelis satisfaciat, vel causam coram Pontifice Romano prosequatur.

QVanto Antiochenam & Hierosolymitanam Ecclesias puriùs diligimus & intendimus ampliùs honorare, tanto ad amovenda ea quæ inter ipsas controversiæ atque rancoris cujusdam scrupulum pariunt, diligentiùs intendere volumus, ac quæstiones earum judiciali calculo diffinire; ut earum sopita discordia, fervent ad se invicem mutuæ dilectionis affectum, & in suis sibi curent necessitatibus subvenire. Sanè cùm inter prædictas Ecclesias super Tyren. & Perterten. archiepiscopatibus quæstio fuerit diutiùs agitata, quæ, sicut ex literis felicis recordationis Lucij Papæ prædecessoris nostri didicimus, vobis & prædecessoribus vestris quodammodo per negligentiam procurantibus finem non potuit debitum obtinere, cùm peremptorio multoties fueritis evocati, ac idem prædecessor noster bonæ memoriæ prædecessori tuo, frater Patriarcha, cùm proficisceretur in Galliam, mandaverit viva voce ut vel sufficientem responsalem transmitteret, vel ipse rediret ad ejus præsentiam responsurus; quia idem Patriarcha mandatum apostolicum non implevit, dictus prædecessor noster utrique parti peremptorium terminum assignavit; ad quem, sicut accepimus, nec venistis, nec misistis idoneos responsales. Quia verò, quantumcunque Hierosolymitanam Ecclesiam diligamus, quantumcunque etiam vobis & ipsi velimus in instanti necessitate deferre, quia tamen Antiochenæ Ecclesiæ justitiæ deesse non possumus, nec debemus, quæ etiam non est Sarracenicæ persecutionis immunis, licèt aliud statuere contra vos de ju-

ris rigore possemus, necessitatem tamen terræ orientalis diligentiùs attendentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenos à festo omnium sanctorum proximò venturo usque ad anoum, quod vobis peremptorio assignamus, ad respondeodum sufficienter instructi, nostro vos coospectui præsentetis per sufficientes & idoneos responsales. Quòd si nec ad præsentiam nostram accesseritis termino constituto, nec transactioni steteritis quę per felicis recordationis Eugeoium Papam prædecessorem nostrum ioter casdem Ecclesias intercessit, vel aliàs cum venerabili fratre nostro Patriarcha & dilectis filiis Canonicis Antiochen. curaveritis convenire, nos, coocedente Domino, sicut jostum fuerit, procedemus. Datum Lateraoi III. Nonas Ianuarij.

FRATRIBVS MILITIÆ Templi.

Epist. 506. Certorum bonorum emptionem auctoritate apostolica confirmat.

IVstis petentium &c. *usque ad verbum* assensu, stagnom de Cucullo cum omoibus pertinentiis suis, & totum mansum de Granoliis, quæ à Fulcrando Magalooensis Ecclesiæ Præposito de consilio & assensu venerabilis fratris oostri Magalonen. Episcopi rationabiliter comparastis, sicot ea justè ac pacificè possidetis, & in venditionis scripto continetur, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagioa communimus. Statuentes ut oulli &c. Datum Laterani IV. Nonas Ianuarij.

COMMENDATORI & fratribus domus militiæ Templi sitæ apud Montem Pessulanum.

Epist. 507. Transactionem inter ipsos & Præpositum atque Capitulum Magaloneo. olim initam confirmat.

EA quæ de maodato sedis apostolicæ concordia vel judicio statuuntur, firma debent & illibata consistere, & ne in recidivæ contentionis scrupulum relabaotur, apostolico conveoit patrocinio communiri. Sanè cùm controversiam quæ inter vos & dilectos filios G. Præpositum & Capitulum Magaloneo. super diversis capitulis vertebatur, bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster venerabili fratri nostro Archiepiscopo Arelatensi commiserit fine caonico decidendam, ipse, tanquam vir providos & discretus, partibus in sua præsentia constitutis, communicato multorum consilio, controversiam ipsam amicabili compositione sopivit. Nos itaque ad exemplar ejusdem prædecessoris nostri, compositionem ipsam, sicut ipsa sine pravitate facta est & ab otraque parte recepta, & in instrumento authentico exinde confecto pleniùs continetur, ratam habentes & firmam, eam auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagioa communimus. Et ut majorem obtioeat firmitatem, ipsam de verbo ad verbum huic præsenti paginæ duximus inserendam. cujus tenor talis est. IN NOMINE Domioi nostri Iesu Christi. Anoo incarnationis ejusdem MCXCVII. mense Aprili. Cùm omne profuturæ rei stabilimeotum, ne transeunte tempore evanescat, literarum oporteat testimonio præsignari, præsentium & futurorum memoriæ per hujus præsentis paginæ instrumentum dignum fuit demonstrare quòd causa qoæ inter Guidonem Præpositum & Capitulum Magalooen. ex una parte, & P. de Caprespioa Commendatorem domus militiæ Templi sitæ apud Montem Pessulanum & fratres ejusdem domus ex altera parte, super multis & variis capitulis, videlicet super oblatioaibus, vigiliarum perceptionibus, cæmiterij obvectionibus, decimis, Ecclesiarum novarum coostructionibus, possessionibus, damnis, injuriis, & iovasiooibus, & aliis multis querelis, coram Domino Hymberto Dei gratia Archiepiscopo Arelaten. à Domino Celestino bonæ memoriæ Papa tertio delegato hioc inde vertebatur, post multas & varias contentiones & altercationes ab eodem Archiepiscopo amicabili compositione de utriusque partis assensu, & auctoritate Deodati de Breisaco tunc temporis Magistri domorum militiæ Templi in Narbonen. & Arelaten. & aliis provinciis, in hunc modum fuit decisa. Prædictus itaque Archiepiscopus, assidentibus ei magistro Michaële Arelaten. Sacrista, P. Alberto causidico Aquensi, magistro Nicolao, R. de Mootiliis, P. Petito, communicato eorum & otriusque partis consilio definivit quòd de cetero Prior sancti Firmini & Caoooici Magalooen. tertiam partem omnium oblationum deoariorum, caodelarum, panis, vini, & aliorum, cujuscunque modi sint, sive sint oblatæ ad manum sacerdotis, sive ad altare in Ecclesia domus prædictæ, iotegrè & sioe diminutione percipiant. In præcipuis ve-

rò ſolennitatibus, ſcilicet Natalis Domini, beati Stephani, beati Iohannis Evangeliſtæ, Epiphaniæ, Ramis palmarum, ſancti Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Aſſumptionis & Purificationis beatę Mariæ, & omnium ſanctorum, medietatem percipiant. In candelis autem vigiliarum nihil accipiant. In omnibus verò cæmiterij obventionibus, & mortuorum legatis, ſeu relictis, cùm apud eos elegerint ſepulturam, omnium rerum tam mobilium quàm immobilium vel ſe moventium, cujuſcunque modi vel generis ſint, Prior & Canonici Magalonen. tertiam partem integrè percipiant, exceptis armis & armaturis & equis. Si verò decedens, pro armis vel equis emendis pecuniam vel terram vel aliam quamlibet rem prædictæ domui legaverit, vel reliquerit, in his omnibus, & etiam in obventionibus illorum quibus infirmantibus Templarij ſignum ſuæ religionis impoſuerint, pallium ſcilicet cum cruce, vel aliud, nihilominus dicti Canonici tertiam partem percipiant; niſi tales fuerint qui voto ſolenni & perpetuo cum voluntate morandi, ſi evaſerint, ſe domui Templi pro fratribus tradiderint, & qui ad domum ſine alterius perſonæ ſuſtentaculo pedites vel equites venire poterunt. In quorum obventionibus, etiamſi in illis ægritudinibus deceſſerint, & in obventionibus familiæ domus Templi ibi morantis, dicti Canonici nihil accipiant. Decimas quoque totius bladi & leguminum, cujuſcunque generis ſint, & vini in integrum in pace & ſine contradictione Canonici Magalonen. percipiant; & his contenti, nihil aliud quærere poſſint. In decimis verò novalium, in hortis, & arboribus, & pratis, & animalium nutrimentis, cujuſcunque generis ſint, dicti Canonici nihil percipiant. Item diffinivit Dominus Archiepiſcopus cum aſſeſſoribus prædictis, quòd Templarij apud Lunellum vel in tota dioceſi Magalonenſi Eccleſiam vel Oratorium non conſtruant, nec cæmiterium habeant ſine voluntate Epiſcopi & aſſenſu Eccleſiæ Magalonenſis, & illud Oratorium, quod apud Lunellum inceptum eſſe videbatur, omnino removeatur. Poſſeſſiones verò ſtagni de Cucullo cum pertinentiis ſuis, & manſum de Granolet cum pertinentiis ſuis, quæ quondam emerunt à Fulcrando quondam Præpoſito Magalonenſi, Templarij ſine inquietatione & vexatione aliqua in pace habeant & poſſideant. De damnis datis ſuper abductione pecorum & animalium domus militiæ Templi à Canonicis Magalonenſibus, & aliis damnis, injuriis, & invaſionibus hinc inde illatis, bonum finem & mutuam remiſſionem inter ſe tam Templarij quàm Canonici Magalonen. fecerunt. Præterea excommunicatos vel interdictos Magalonen. Eccleſiæ ad Eccleſiam vel ſepulturam Templarij nullo modo recipiant. Etſi Epiſcopus vel Prior parochialis Eccleſiæ populum ab aliis Eccleſiis convocare decreverit, tunc Templarij ad Eccleſiæ officium nullum admittant, donec aliæ Eccleſiæ populum recipiant. Et ego G. Magalonen. Præpoſitus, & ego P. de Agrifolio Archidiaconus, & ego Michaël, & ego G. de Altiniaco, voluntate & aſſenſu Magalonen. Capituli miſſi, omnia ſupradicta in perpetuum valitura laudamus, & confirmamus, & in proximo generali Capitulo Magalonen. laudari & confirmari faciemus, & hoc idem pro poſſe noſtro faciemus à Summo Pontifice confirmari. Et ego frater Deodatus de Breiſaco Magiſter domorum Templi in Narbonen. & Arelaten. & aliis provinciis, & ego frater P. de Capreſpina Commendator domus Montiſpeſſulani, & ego frater G. de Solario Commendator domus Arelatenſis, voluntate & aſſenſu fratris Pontij de Rigando Magiſtri in citramarinis partibus, omnia ſupradicta in perpetuum valitura laudamus, & confirmamus, & in proximo generali Capitulo Templi ea laudari & confirmari faciemus, & hoc idem pro poſſe noſtro faciemus à Summo Pontifice confirmari. Acta apud Arelatum in palatio Domini Archiepiſcopi, in præſentia & teſtimonio P. Malauræ Capntſcholæ, Privati Veſtiarij, W. Heliæ Infirmarij, G. Enguirāni Eleemoſynarij, G. de Berra, P. Hyſnardi, B. de Monins, Roſt. Capellani Domini Archiepiſcopi, Pon. Prioris Capellani ejuſdem, Hyſnardi de ſancto Amantio, Michaëlis Clerici Domini Archiepiſcopi, B. de Olivario, Aldeberti de Novis, G. Raymundi de Mol. P. Bruni, Pont. ſcutarij, Franceſchi, Iacobi, Columbi Notarij Regis Aragonen. P. Notarij Domini Archiepiſcopi, qui ſcripſit hæc.] Nulli ergo &c. Datum Laterani II. Kalendas Ianuarij.

SYRACVSANO EPISCOPO & Abbati de Sambucino.

Epist. 105. De subsidio terræ sanctæ. Vide supra epist. 352.

DE vestra discretione ac syncerita te confisi, etsi negotium laboriosum, meritorium tamen, & (sicut credimus) vobis propter Christum acceptum duximus commitendum, sperantes quòd illud tanto libentiùs impleatis, quanto per ipsum (vt sic loquamur) & restitutio Iesu Christi exulis & communis Christiani populi utilitas ampliùs procuratur. Vos autem mandati apost. tenore suscepto, nec parcentes laboribus, nec expensis, proposuistis populis Siciliæ causam Christi. Nec fuit labor vester inanis; cùm & multi de manibus vestris susceperint signum crucis, & plures tam in victualibus quàm aliis parati sint pro necessitatibus signatorum congruentia subsidia destinare. Verùm (sicut ex literis quas tu, fili Abbas, ad sedem apostolicam destinasti, didicimus) ibi circa subsidium terræ orientalis negligentiores existunt, qui subditos sibi populos ad id deberent exemplo & exhortationibus invitare, & liberalitas laicorum, quos ad succursum terræ orientalis mandavimus simpliciter commoneri, eos in devotione præcedit quibus id districtè præcipimus, certam pœnam eorum negligentiæ comminantes. Non enim (sicut per easdem accepimus) Archiepiscopi & Episcopi redditus suos ab aliis sustinent æstimari, nec ipsi eos aliquatenus taxant, ne secundùm proprias facultates necessitatibus Hierosolymitanæ provinciæ juxta tenorem literarum nostrarum cõgruentia destinare subsidia jubeantur. Scripsisti etiam quòd de consilio religiosorum virorum procedit vt in Missa singulis diebus in singulis Ecclesiis pro peregrinis dicatur oratio specialis, & semel in hebdomada pro tribulatione Missa populo decantetur. Insuper, quòd multi limina beati Iacobi Apostoli visitare se voverint, intimasti: qui præter oblationem altari beati Iacobi deputatam, quam illuc devotè transmittent, universas expensas itineris libenter impenderent, vel in stipendia signatorum, vel alias necessitates ultramarinæ provinciæ, dummodo à voto emisso auctoritate ap. solverentur; & quòd de consilio procedit quorundam, ut redditus vacantium præbendarum in usum orientalis provinciæ convertantur usque ad biennium, adjecisti. salua Vicariis solita pensione, ne interim Ecclesia suo servitio defraudetur. Vt monachi præterea, & alij religiosi extra claustra vagantes, auctoritate nostra reducantur ad claustrum, & peculium, quod inventum fuerit apud eos, erogetur in stipendia signatorum, procedere dixisti de consilio non paucorum. Volentes igitur quod de subventione terræ orientalis incepimus, quantum in nobis fuerit, Domino concedente complere, discretioni vestræ per ap. scripta mandamus quatenus tam Archiepiscopos & Episcopos, quàm alios Ecclesiarum Prælatos, ut secundùm proprias facultates terræ sanctæ justa æstimatione subveniant, diligenter inducere procuretis. Quòd si monitis vestris acquiescere forte noluerint, vos ipsi per viros idoneos & discretos eorum faciatis redditus justa æstimatione pensari; & nisi postmodum secundùm facultates suas & discretionem vestram terræ orientali curaverint subvenire, per vestras nobis literas intimetis. Volumus autem ut per universam Siciliam singulis diebus in Missa pro peregrinis oratio Domino porrigatur, & semel in hebdomada pro tribulatione Missa publicè decantetur. Eos autem qui se visitaturos limina beati Iacobi devotè voverunt, si salva oblatione altaris reliquas expensas in signatorum voluerint subsidium erogare, dummodo laborem etiam redimant quem sustinerent in via, auctoritate nostra suffulti, ab eo quod voverant absolvatis. Redditus verò præbendarum vacatium, si de assensu diocesani Episcopi & Clericorum illius Ecclesiæ, in qua præbenda vacaverit, processerit voluntate, ut usque ad biennium convertantur in subsidium terræ sanctæ, salvis Vicariorum stipendiis, sustinemus. Volumus nihilominus & mandamus ut monachos & alios religiosos extra claustra vagantes ad fratrum redire consortium, qui eos recipiant, salva ordinis disciplina, cogatis, & proprium quod inventum fuerit apud ipsos, nisi eis ex ea causa propter quam oporteat illud restitui forsan provenerit, in terræ orientalis subsidium convertatis. De bis qui manus injecerint in Clericos temerè violentas, quia severitatem canonicam nolumus enervare, nihil aliud vobis ad præsens duximus concedendum, quàm per priores vobis literas est concessum. Super capitulis autem pro qui-

bus inclytæ recordationis Constanciæ Imperatrici nos scribere postulastis, ipsa sublata de medio votum vestrum non potuimus adimplere. Datum Laterani Nonis Ianuarij.

SYRACVSANO EPISCOPO.

Epist. 509. Vt pullulantes hæreses extirpare conetur.

VErgente jam in senium seculo, & supercrescente malitia temporis, friget caritas, & in agro evangelici patrisfamilias zizania pullulant, & polluunt messes tritico rarescente, ac vulpes parvulæ jam in aperto præsumunt vineam Domini demolirj. Ecce etenim hæreses antiquæ suscitantur, ac innovatis veteribus, novi adinveniuntur errores, & fidem catholicam pravi nituntur interpretes depravare; non se conformantes legi divinæ, sed in favorem propriæ perversitatis doctrinam evangelicam, propheticam, & apostolicam pervertentes; ita ut novissimi dies videantur instare, secundùm Apostolum, qui in novissimis diebus mente prophetica talia prævidens eventura, cùm multa de hujusmodi prædixisset, adjecit: *Quemadmodum autem Iamnes & Mambres restiterunt Mosi, ita & hi resistent veritati; homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Vtinam autem, sicut ipse subjunxit, non proficiant ultra, sed insipientia eorum, sicut & illorum, fiat omnibus manifesta. Aliud etiam inconveniens specialiter in Siciliæ partibus dicitur evenire; cùm hi qui olim ex abnegato gentilitatis errore sacri baptismatis unda renati, fidem catholicam receperunt, nunc abeuntes retro, & ad vomitum redeuntes, pristinis involvuntur erroribus, & Christianæ fidei, quam professi fuerant, immo Christo potiùs adversantur. Cùm autem ad capiendas hujusmodi vulpes parvulas, species quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum, Salomon nos inducat in Canticis canticorum, ne mutis canibus latrare non valentibus comparemur, aut deformitatem vineæ Domini Sabaoth, ad quam etsi in hora ferè undecima, sumus tamen inter operarios, immo potiùs in operariorum magisterio deputati, negligere videamur, vel sub dissimulatione transire, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus ob timorem Domini & reverentiam apostolicæ sedis contra hæreticos, tanquam fidei Christianç zelator, assurgas; & si apud eos monitis obtinere non poteris ut redeant ad Ecclesiæ unitatem, ipsos, fautores, defensores, & receptatores eorum, pulsatis campanis, candelis accensis, per totam diocesim in qua fuerint, immo etiam per totam provinciam, singulis diebus dominicis & festivis excommunicatos publicè nuntiari facias, & bona eorum à Principibus publicari. Ad hęc, quia oblatum exigit, quod non exegerat offerendum, nec impune conceditur cuiquam à fide catholica resilire, volumus, & sub eadem tibi districtione mandamus, ut eos qui post susceptum sanctificationis lavacrum redire ad ritus Sarracenicos præsumpserunt, ut à suo revertantur errore, & catholicam fidem observent, frequenti ac diligenti exhortatione præmissa, & per te ipsum qualicunque poteris districtione compellas, & compelli facias per Principes seculares. Datum ut suprà.

S. COLOCEN. ARCHIEPISCOPO V. Geurien. & D. Zagabrien. Episcopis.

AD nostram noveritis audientiam pervenisse quòd cùm omnes communicantes in aliquo A. fratri carissimi in Christo filij nostri Vngarorum Regis illustris, qui scilicet vel literas sibi dirigerent, aut ab eo reciperent destinatas, vel eidem aliquod consilium vel auxilium exhiberent, vel ei in aliquo communicare præsumerent, de mandato bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri excommunicationis fuerint vinculo innodati, N. & A. post excommunicationem & inhibitionem apostolicam eidem communicare scienter, consilium & auxilium impertiri, & divina præsumpserunt etiam celebrare. Vnde propter hoc in Hydruntin. & Spalatin. Archiepiscopos, quamvis & illi excommunicationi subjaceant, ab eodem, loco remunerationis, contra juris ordinem in regiæ dignitatis præjudicium sunt promoti. Quia verò tantæ præsumptionis audaciam in injuriam Dei & contemptum sedis apostolicæ attentatam, impunitam relinquere non possumus nec debemus, fraternitati vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus super præmissis inquirentes diligentiùs veritatem, si rem ita noveritis se habere, præfatos N. & A. eo-

Epist. 510. Cassatur electio Archiepiscoporum Hydruntin. & Spalat.

rum electionibus, immo veriùs intrusionibus penitùs irritatis, excommunicatos publicè nuncietis, & usque ad condignam satisfactionem faciatis ab omnibus arctiùs evitari, districtiùs inhibentes, ne quis eis obtentu electionum fidelitatem, obedientiam, vel reverentiam audeat exhibere. Nullis literis &c. Quòd si omnes &c. Datum Laterani III. Kalend. Ianuarij.

ARCHIEPISCOPIS, Episcopis, & ceteris Ecclesiarum Prælatis in Vngaria constitutis.

Epist. 511. Ne quis in Vngariæ Regis Consiliarios facilè excommunicationis sententiam proferat.

CVm inter alios mundi Principes personam carissimi in Christo filij H. Vngariæ Regis illustris & regnum sibi commissum prærogativa dilectionis & gratiæ disposuerimus honorare, in admittendis petitionibus regiis, quoties nostro apostolatui porriguntur, tanto nos faciliores, quantum cum Deo possumus, volumus exhibere, quanto ad promovenda universa & singula quæ regia debeat serenitas acceptare, volumus existere proniores. Sanè postulavit nuper concedi sibi à nobis ad instar bonæ memoriæ Clementis Papæ prædecessoris nostri regia celsitudo, ut nullus Archiepiscopus, vel Prælatus quilibet, in familiares & Consiliarios suos, de quorum absentia & privatione tam regnum Vngariæ quàm persona Regis possit incurrere detrimentum, & præsertim in Genrien. Episcopum dilectum & familiarem suū, qui post mortem inclytæ recordationis B. progenitoris ejus tam in guerra quàm in pace in omnibus & præ omnibus fidelis sibi extitit & devotus, & inter fideliores fidelissimus est inventus, unde ipsum dignis in Domino laudibus commendamus, excommunicationis sententiam promulgaret. Quod si fuisset ab aliquo forsitan attentatum, per quem mallet Archiepiscopum vel Episcopum usque ad decem absolvi faceret, cujuslibet contradictionis & appellationis obice non obstante. Nos ergo de benignitate sedis apostolicæ magnificentiæ regiæ uberiorem volentes favorem & gratiam impertiri, universitati vestræ auctoritate præsentium duximus inhibendum, ut in Consiliarios & familiares ipsius, quorum in hac tempestate consilio & familiaritate sine magno sui dispendio carere non potest, nullus vestrum, nisi pro manifesta & rationabili causa, & canonica monitione præmissa, excommunicationis vel interdicti sententiam audeat promulgare. Quòd si aliter fuerit in elusionem mandati apostolici perperam per præsumptionem cujuslibet attentatum, decernimus non tenere. Nulli ergo &c. Datum Laterani VI. Idus Ianuarij.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENO.

Epist. 512. Dè conservanda ecclesiastica libertate, & ne à laicis Ecclesiæ exactiones imponantur & talliæ.

NE lædatur libertas ecclesiastica, vel ministri Ecclesiarum à perversis hominibus opprimantur, uobis, qui omnibus sumus ex injunctæ servitutis officio secundùm Apostolum specialiter debitores effecti, solicitiùs imminet providere. Nostris siquidem fuit auribus intimatum quòd cùm expensas in Antiochena civitate fieri pro aliqua necessitate contingit, communia ipsius civitatis Ecclesias, Clericos, & eorum homines, cujuscunque conditionis vel linguæ sint, in exactione talliæ contra antiquam consuetudinem aggravant, quam & recipere ac pro sua expendere voluntate præsumunt. Præterea tam te quàm Ecclesias tuas in multis aliis infestantes, omnes Clericos Antiochen. ad justitiam cuilibet laico exhibendam nituntur sub prætextu sui compellere juramenti. Possessiones etiam ecclesiasticas per judicium & consuetudines Græcorum tractare conantes, jura Ecclesiæ Latinorum consuetudinibus abusivè pervertunt. Nos igitur excessus hujusmodi in patientia sustinere nolentes, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne aliquis tibi, Ecclesiis, seu Clericis, vel hominibus vestris hujusmodi violentias vel gravamina de cetero inferre præsumat. Quòd si quis facere aliqua temeritate præsumpserit, licitum tibi sit in eum auctoritate apostolica censuram rigoris ecclesiastici promulgare. Nulli ergo &c. Datum Laterani Nonis Ianuarij.

TYREN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 513. Quatenus testes ad exceptionem probandam adhibiti, in causa principali testimonium dicere cogantur. Cap. 29. De testibus.

DE testibus qui ad exceptionem probandam à partibus inducuntur, tua nos duxit fraternitas consulendos, utrum cogendi sint super principali etiam negotio ferre testimonium veritati, & an illi sint, sicut ceteri testes, examinandi strictè, qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur. Super hoc igitur fraternitatem tuam plurimùm in Domino commendantes, quæ in dubiis apostolicæ sedis vult certifica-

ri rescripto, taliter ad proposita respondemus. Quòd si testes inducti jam sint ad exceptionem solummodo comprobandam, cùm super ea tantùm juraverint dicere veritatem, super principali nec debent audiri, nec cogi testimonium perhibere, utpote super quo deponerent non jurati. Si verò cùm ad probandam exceptionem peremptoriam ab alterutra partium inducuntur, reliqua pars super principali etiam eos deponere fortè petierit, & ut cogantur super toto negotio dicere veritatem, sacramento eos postulaverit obligari, ad id sunt sine dubitatione cogendi; nisi forsan sufficiens productio testium super principali facta jam fuerit, vel renuntiatum à partibus, vel depositiones testium fuerint publicatæ. Illi verò qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur, id solum tenentur juramento firmare, quòd veritatem eum credant juramento dicere qui purgatur. Datum Laterani IV. Nonas Ianuarij.

ARCHIEPISC. ET CAPITULO Tyren.

Epist. 514. Ne infideles conjuncti gradu prohibito, post baptismū separentur. Cap De infidelibus. De consanguin. & affinitate.

DE infidelibus ad fidem conversis nos consulere voluistis, utrum si ante conversionem suam, secundùm legis veteris instituta vel traditiones suas, citra gradus consanguinitatis à canone denotatos conjuncti fuerint, separari debeant post baptisma. Super hoc igitur devotioni vestræ duximus respondendum, quòd matrimonium sic ante conversionem contractum, non est post baptismi lavacrum separandum; cùm à Iudæis Dominus requisitus, si licet uxorem ex qualicunque causa relinquere, ipsis responderit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* per hoc innuens esse matrimonium inter eos. Datum Laterani III. Kal. Ianuarij.

TYREN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 515. Quod Patriarchæ & Primates Archiepiscoporū & Episcoporum subditos judicare in prima instantia non debeant. Cap Duo simul. De officio ordinarij.

DVo simul, consultationem scilicet, & querimoniam, unica tuæ fraternitatis petitio continebat: per quam à venerabili fratre nostro Hierosolymitano Patriarcha querebaris Clericos tuos tecum injustè gravari, qui eos, spreto tuo judicio, coram quo parati sunt de se querentibus justitiam exhibere, licèt ad eum per appellationem causa minimè deferatur, coram se respondere compellit: & utrum ad id possint de jure compelli, per nostras postulabas literas edoceri. Volentes igitur tibi super gravaminibus providere prædictis, & consultationibus tuis quod canones sanciunt respondere, cùm sit in canonibus diffinitum Primates vel Patriarchas nihil privilegij habere præ ceteris Episcopis, nisi quantum canones sacri concedunt, & prisca consuetudo illis contulit ab antiquo, ita ut secundùm Nicænas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis, præterquam si apostolica sedes aliquam Ecclesiam vel rectorem ipsius quolibet speciali privilegio decreverit honorare, de fratrum nostrorum consilio respondemus quòd quandiu Clerici tui coram te voluerint stare juri, compelli non debent judicium ejusdem Patriarchæ subire, nisi causa forsitan per appellationem ad ejus audientiam perferatur, aut, quod non credimus, aliquid ei à sede apostolica sit indultum. Datum Laterani Nonis Ianuarij.

Cap Conquestus. 9. q. 3.

Concil. Nic. c. 6.

In eundem ferè modum Acconensi Episcopo.

EPISCOPO SIDONIENSI, Beriten. & Biblien. Episcopis.

Epist. 516. De decimarum solutione. Cap. ult. de parochiis & alienis parochianis.

SIgnificavit nobis venerabilis frater noster Acconen. Episcopus, quòd cùm post recuperationem civitatis Acconen. ad inhabitandum in ea se contulissent quidam qui ante generalem occupationem terræ sanctæ in aliis civitatibus regni Hierosolymitani perpetuam elegerant mansionem, & in ea residentiam fecerant aliquantam, & adhuc etiam resideant in eadem, Prælati prædictarum civitatum eos ad solvendum sibi ecclesiastica jura, ecclesiastica districtione compellunt. Quia verò transgredi non debemus terminos à patribus constitutos, aut falcem in messem mittere alienam, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus prædictorum locorum Prælatos, ut sibi nullam in prædictos Acconen. habitatores jurisdictionem usurpent, nec ab eis temporalia exigant quibus spiritualia non ministrant, monitione præmissa, districtione qua convenit, compellatis: ita tamen quòd si de agris in eorum parochia constitutis fructus percipiunt, & in ultramarinis partibus ratione prædictorum decimæ persolvuntur, * de ipsis eis decimas cum integritate persolvant. Dicto verò Acconen.

* In secunda Collect. deinceps

tanquam

tanquam diocesano suo de ceteris respondere cogantur. Quòd si omnes &c. Datum Laterani X. Kalend. Ianuarij.

ACCONEN. EPISCOPO.

Epist. 517. Vt professus religionem, eam ingredi & servare compellatur. *Cap.* Sicut nobis. *De regularibus.*

SIcut nobis est ex tua parte propositum, quidam Clericus cùm ægritudine nimia laboraret, quasi de morte securus, & de recuperanda sospitate desperans, habitum Canonicorum regularium petiit, & accepit, ea in susceptione habitus exprimens ac promittens quæ solent in hujusmodi re promitti. sed nec ad Ecclesiam transiit, utpote infirmitate gravatus, nec bonis suis uti cessavit. Postmodū verò sospitate recepta, post * XV. annos & ultra, videntibus & scientibus venerabili fratre nostrò Archiepiscopo & dilecto filio Priore & Canonicis Ecclesiæ Nazarensis, à quibus habitum susceperat regularem, tu, licèt eo tempore quo habitum susceperat in Ecclesia Nazaren. Prioris solicitudinem exerceres, immemor eorum quæ facta fuerant circa ipsum, in Acconen. eum Canonicum suscepisti. Quia verò quid super hoc facere debeas, per nostras postulas literas edoceri, fraternitati tuæ duximus respondendum quòd si regularem habitum se postulante suscepit, & ad observationem religionis canonicæ sua se professione ligavit, ad resumendum habitum ecclesiastica est districtione cogendus; cùm quòd tanto tempore extra canonicam mansit, non in excusationem ejus, sed in majoris transgressionis augmentum meritò valeat allegari. Datum ut suprà.

* In Tertia Collect. XX.

HIEROSOLYMITANO Patriarchæ.

Epist. 518. Illum officij sui piè admonet, & propter sua delicta in ipsum jure animadversurum significat. *Vide suprà epist.* 437.

TActi sumus dolore cordis intrinsecus, & medullas etiam doloris immensitas penetravit, certis indiciis agnoscentes quòd laici, Clerici, subditi, & Prælati, & tu ipse adhuc in vos ac transmatinam provinciam immo etiam totum populum Christianum ultionem Domini odio, malevolentia, & detractionibus assiduis provocatis, quem potiùs orationibus, vigiliis, jejuniis, & aliis operibus caritatis, quantum in vobis esset, deberetis ad misericordiam inclinare. Super quo tibi tanto fortiùs condolemus, quanto subjectos tibi populos ad viam rectitudinis verbo invitare debuetas & exemplo, non doctrinam contrariam sermone vel facto eorum oculis vel auribus instillare. Recepimus enim literas illas quas in derogationem famæ venerabilis fratris nostri Tyren. Episcopi edere ac in quibus personam ipsius turpiter depingere voluisti, quia non expetita à te licentia navigarat in Cyprum. Sicut autem ex tenore literarum illarum perpendimus, cùm idem Archiepiscopus navigasset in Cyprum, & cariss. in Christo filium nostrum Aimericum tunc Cypri Regem illustrem ad cariss. in Christo filiæ nostræ Hierosolymitanæ Reginæ conjugium & Hierosolymitani regni regimen de consilio & voluntate ferè totius Christiani exercitus evocasset, ut eorum matrimonium impedires, affinitatis & incestus impedimentum, ferò tamen, objiciens, consentire in ejus copulam noluisti, postmodum verò voluntate mutata eos in Regem & Reginam coronasti conjunctos. in quo te tibi contrarium fuisse dolemus, & vel malè priùs contradixisse convincimus, vel malè postmodum consensisse. Super quibus cùm veritas nobis pleniùs innotuerit, contra te non poterimus non moveri, immo etiam statuere quod jus exegerit statuendum. Datum ut suprà.

FULCONI ABBATI Corbeien.

Epist. 519. Conceditur usus annuli.

AD hoc in Ecclesia Dei visibilis est sacramentorum species instituta, ut per exteriora quæ cernimus, ad interiora quæ intelligimus transmittamus. Inter ceteros siquidem sacramentales ornatus, Prælatis Ecclesiarum conceditur annulus, qui est signaculum fidei, juxta quod pater filio revertenti dari annulum in manu præcepit, ut videlicet Ecclesiam sibi commissam Prælatus ipsius intemerata fide custodiat, ad quam fideliter observandam per visibilem speciem jugiter admonetur. Cùm igitur monasterium Corbeiense, quod ad Ro. Ecclesiam nullo respicit mediante, syncera diligamus in Domino caritate, volentes ipsum in te alicujus dignitatis privilegio decorare, ut & Ecclesiæ Ro. magis existas obnoxius & devotus, & fortiùs & efficaciùs regimini commissi tibi monasterij debeas imminere, usum tibi annuli de benignitate sedis apostolicæ indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Laterani III. Kal. Ianuarij.

G. CONVENTREN. EPISCOPO.

Epist. 520. Vt à decessoribus alienata revoces.

SIcut nostro est apostolatui reseratum, nonnulli de prædecessoribus tuis, non attendentes quòd conditionem Ecclesiæ meliorem facere poterant, non pejorem, possessiones ad tuum episcopium pertinentes injustè alienare pro suæ voluntatis arbitrio præsumpserunt. unde ipsa Ecclesia grave dispendium proponitur incurrisse. Nos ergo nolentes quòd delictum personæ in damnum Ecclesiæ debeat redundare, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus ut quæ à dictis prædecessoribus tuis minùs legitimè alienata fuerunt, ad jus & proprietatem Ecclesiæ tuæ tibi liceat appellatione remota legitimè revocare. Nulli ergo &c. Datum Laterani VI. Idus Ianuarij.

EIDEM.

Epist. 521. Vt patronis in præsentando clericum idoneum discordantibus, Episcopus Vicarium durante lite instituat. Cap. Cùm propter *De jure patronatus.*

CVm propter laicorum discordias non debeat Ecclesiis præjudicium generari, grave gerimus & indignum quòd (sicut nostro est apostolatui reseratum) occasione dissensionis quæ de jure patronatus vertitur inter eos, Ecclesiæ plus debito remanent rectoribus viduatæ. quod in ipsarum grave dispendium noscitur redundare. Verùm quia secundùm Apostolum instantia nostra quotidiana est omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, volentes his quæ præmisimus ex debito pontificalis officij obviare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si de jure patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competit, infra quatuor menses non fuerit diffinitum, ex tunc Ecclesiam ipsam appellatione remota de persona non differas idonea ordinare: ita quòd illi ex hoc non debeat in posterum præjudicium generari, qui jus evicerit patronatus. Datum Laterani III. Idus Ianuarij.

ARELATEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 522. Injungitur illi ut inquirat de statu Episcopi Regensis, qui episcopatui renuntiare cupiebat. *Imbertus Episc. Regen. secessit in monasterium Lirinense.*

HAnc inter spiritualia & corporalia constat existere differentiam, quòd corporalia faciliùs destruuntur quàm construantur; è contrario verò spiritualia faciliùs construuntur quàm destruantur. Vnde juxta canonicas sanctiones Episcopus solus honorem dare potest, solus autem auferre non potest. Nimirum venerab. frater noster Regen. Episcopus, sicut ex ipsius & ven. fratris nostri Aquen. Archiepiscopi literis, quas nostro apostolatui destinarunt, nobis innotuit evidenter, quoniam Ecclesiæ suæ propter manifesta impedimenta non sufficit providere, unde ipsi Ecclesiæ populóque sibi commisso non leve timet imminere periculum, omnino cedere ac deponere onus sollicitudinis pontificalis affectat. super quo humiliter postulavit à nobis sibi licentiam indulgeri. Cùm igitur inter sacros ordines dignitas pontificalis excellat, de qua soli Petro reservatum est privilegium, volentes in hoc deliberatione provida & debita maturitate procedere, fraternitati tuæ per apost. scripta mandamus quatenus de statu Regen. Ecclesiæ ac personæ ipsius Episcopi veritatem indagatione sollicita perscruteris, & utrum ejus persona propter impedimentum cordis vel corporis insufficiens sit ad gerendam sollicitudinem pastoralem, veridica nobis relatione rescribas; ut per te certiores effecti, securiùs in negotio procedamus. Datum ut suprà.

BISVNTINO ARCHIEPISC. & suffraganeis ejus.

Epist. 523. Ne quis in Abbatem Luxoviensem eligatur, nisi fuerit monachus istius cœnobij. Cap. Cùm ad nostram, *De electione & electi potestate.*

CVm ad nostram nuper notitiam devenisset quòd Hu. qui pro se pro Abbate Luxovien. gerebat, non antea fuerit monachus quàm electus, nos attendentes quòd contra regulares traditiones istud fuerit attentatum, cùm nullus spem vel promissionem habens ut Abbas fiat, debeat monachari, electionem de ipso factam de consilio fratrum nostrorum curavimus irritare. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus tam monachis quàm aliis fidelibus monasterij memorati studeatis ex parte nostra districtiùs inhibere ne præfato H. ullam obedientiam vel reverentiam propter jamdictam electionem audeant exhibere; & si quid in eodem monasterio disponendo jam perperam attentavit, nullius robur habere volumus firmitatis, sed penitùs irritari. Quòd si contra interdictum nostrum curam monasterij usurpare præsumpserit, ipsum & qui ei faverint in hac parte, per censuram ecclesiasticam remoto appellationis obstaculo compescatis. Datum Laterani III. Idus Ianuarij.

ABBATI DE FLORE.

Epist. 524. Quòd professio absque habitu edita obliget. *Cap. Porrectũ. De regularibus.*

PORrectum nobis ex parte tua petitorium continebat quòd I. Canonicus Acheruntinus infirmitate gravatus, votum, ut fieret monachus, se asseruit emisisse. Vnde metuens ne voto decederet non completo, junctis manibus tibi se reddidit in monachum & in fratrem. Alij quoque in absentia tua sese in sacerdotum manibus monachos fieri devoventes, sani facti, ad vomitum redierunt. Et cùm familiares monasterij tui antea extitissent, quia non fuerunt ad antiquam familiaritatem admissi, adversarij facti sunt pro amicis. Vtrum ergo talium facta dissimulare valeas, ne fiant deteriores, an compellendi sint ad complenda promissa, per nos postulas edoceri. Nos ergo inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd cùm monachum faciat non habitus, sed professio regularis, ex quo à convertendo emittitur, & recipitur ab Abbate, talis ut fiat monachus & reddat Domino quod promisit erit utique non immeritò compellendus. Datum ut suprà.

I. CAPELLANO & S. Subdiacono nostris, apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 525. Illos ad Regem Dalmatiæ Legatos facit. *Vide infrà epist. 535. & lib. 2. epist. 176. & seqq.*

APostolicæ sedis auctoritas, quæ per diversas mundi partes plenitudinem obtinet potestatis, illius sequens vestigia qui beato Petro *Pasce oves meas* tertiò replicavit, in partem solicitudinis viros evocat providos & discretos qui gregem Domini & pabulo salutis reficiãt, & viam eis æternæ felicitatis ostendant. Ad quorum siquidem auxilium, & juvamen, ut ecclesiasticæ potestatis auctoritas in sua semper maneat firmitate, cùm requirit necessitas, aliquos à suo latere dirigit & transmittit, quibus legationis injungit officium exercendum. Hac itaque consideratione diligenter inducti, & carissimi in Christo filij V. illustris Regis Dalmatiæ & Diocliæ precibus inclinati, qui ut ad eum Legatos mittere deberemus instantissimè postulavit, vos, de quorum probitate nos & fratres nostri plenam fiduciam obtinemus, ad Dalmatiam & Diocliam provinciam duximus transmittendos, in provinciis ipsis vobis auctoritate præsentium legationis officium injungentes; ut quæ inveneritis corrigenda corrigatis, destruatis & evellatis superflua & nociva, ædificetis & plantetis utilia & honesta; quatenus cùm Domino dante reddetis talenta, vobis reddat is credita duplicata, & à nobis & fratribus nostris valeatis in Domino multipliciter commendari. Datum Laterani VI. Idus Ianuarij.

VVLCANO ILLVSTRI REGI Dalmatiæ & Diocliæ.

Epist. 526. Vt Legatos apostolicos reverenter accipiat, & officium suũ exequi permittat.

VT evidentiùs evangelica doctrina pateret, & in omnem terram, juxta verbum propheticum, sonus Apostolorum exiret, & in fines orbis terræ verba diffunderentur ipsorum, noster Dominus & magister, qui præbuit nobis exemplum ut sequamur vestigia ejus, discipulos suos per universas mundi partes ad prædicandum direxit, dicens eis juxta evangelicam veritatem: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quam siquidem observantes constitutionem providam & salubrem Rom. Pontifices, Vicarij Iesu Christi, qui in beato Petro Apostolorum principe ab ipso Domino receperunt plenitudinem potestatis, & constituti sunt super gentes & regna, ut juxta verbum propheticum evellant & destruant, ædificent & plantent, quia suam non possunt ubique præsentiam exhibere, per varia mundi climata à suo latere aliquos dirigunt & transmittunt, qui fideles in fide consolident, corrigenda corrigant, de agro Domini nociva destruant, & utilia plantare procurent. Intelligentes igitur per literas tuas nostro apostolatui præsentatas tuæ devotionis ardorem, quòd videlicet Rom. Ecclesiam matrem tuam super omnia post Deum diligere & honorare proponis, & mandatis nostris omnimodis inhærere, juxta quod à nobis tua nobilitas postulavit, dilectos filios Io. Capellanum & Simonem Subdiaconum nostros, de quorum scientia & probitate nos & fratres nostri plenam fiduciam obtinemus, de fratrum nostrorum consilio ad partes tuas duximus dirigendos; per apostolica tibi scripta mandantes quatenus eos tanquam apostolicæ sedis Legatos benignè recipias, & honestè pertractes, & quæ secundùm Deum in partibus ipsis duxerint statuenda suscipias humiliter, & sine refragatione conserves; ut cùm ad nos Domino dante redierint, nobis referre valeant tuæ de-

votionis affectum, & Rom. Ecclesia tuis efficaciùs possit intendere incrementis. Nos enim eis dedimus in mandatis ut apostolicam in te confirmantes doctrinam, reforment quidquid invenerint reformandum, & tanquam membra capiti apostolicæ sedi conforment, in ipsius devotione pariter & obedientia solidantes: per quos etiam Pallium, plenitudinem scilicet pontificalis officij, venerab. fratri nostro Dioclien. Archiepiscopo transmittimus, ut in partem nostræ solicitudinis evocatus, sine defectu valeat officij sui debitum adimplere. Datum ut suprà.

Scriptum est super hoc in eundem ferè modum uxori ejusdem Regis. In e. f. m. nobili viro S. magno Iupano. In e. f. m. uxori ejusdem S. magni Iupani.

Epist. 527. *In eundem ferè modum Dioclien. Archiepiscopo usque ad verbum* adimplere. Quibus etiam pro nobis & successoribus nostris fidelitatis juramentum, quod tibi sub Bulla nostra mittimus inclusum, devotè studeas & humiliter exhibere.

Epist. 528. *In eundem ferè modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ecclesiarum Prælatis, & aliis Clericis per Dalmatiam & Diocliam in regno carissimi in Christo filij nostri Vulcani illustris Regis Diocliæ & Dalmatiæ constitutis, usque ad verbum* solidantes.

EPISCOPO ET CAPITULO Tripolitan.

Epist. 529. Vt Raimundo primò vacaturum canonicatum & præbendam conferant.

CVm ex apostolatus officio, quod, licèt indigni, suscepimus, ad universos extendere curam provisionis apostolicæ teneamur, specialiùs illis adesse volumus & debemus qui clericali militiæ deputantur: inter quos illos duximus non immeritò præferendos, de quorum meritis laudabilis conversatio & contracta nobiscum familiaritas, dum essemus in minori officio constituti, nos efficit certiores. Hinc est quòd dilectum filium Raimundum Clericum Ecclesiæ vestræ, quondam familiarem nostrum, universitati vestræ solicitè commendantes, rogamus attentiùs, & per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus quatenus eum pro reverentia beati Petri & nostra in Canonicum vestrum & fratrem tam libenter quàm liberaliter admittatis, cum præbenda stallum eidem in choro & locum in Capitulo tanquam uni de vestris Canonicis, occasione, contradictione, & appellatione cessantibus, assignantes. Sic autem has primitias precum nostrarum reverenter admittere studeatis, ut devotionem vestram debeamus proinde commendare, & vos in vestris petitionibus efficaciùs exaudire. Alioquin venerabili fratri nostro Patriarchæ Antiocheno dedimus in mandatis ut vobis cessantibus efficere quod mandamus, ipse id, remoto appellationis obstaculo, exequatur, contradictores quoslibet ecclesiastica censura percellens. Datum Laterani II. Kal. Ianuarij.

Scriptum est super hoc Patriarchæ Antiocheno.

UNIVERSO CLERO & populo Cremonensi.

Epist. 530. De S. Homoboni vita, miraculis, & canonizatione. Vide Baronium ad diem 13. Novembr.

QVia pietas promissionem habet vitæ quæ nunc est & futuræ, justus & misericors Dominus fideles suos, quos prædestinavit ad vitam, frequenter in hac vita glorificat, & semper in futura coronat; quibus & per Prophetam promittit: *Dabo vos in laudem, gloriam, & honorem in cunctis populis.* & per se pollicetur: *Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum.* Mirabilis enim in seipso Dominus, mirabilis in sanctis, mirabilis in omnibus operibus suis, verum nobis exhibet suæ virtutis indicium, & frigescentem jam in pluribus caritatis igniculum, mirabilium suorum signis accendit, assumptis in gloriam suam qui certaverunt legitimè in hoc mundo, ad memorias eorum innovat signa, & mirabilia juxta Prophetam immutat; ut qui sanctus est apud ipsum, sanctus etiam ab hominibus habeatur; & in hoc præsertim hæreticorum confundatur perversitas, cùm ad catholicorum tumulos viderint prodigia pullulare. Licèt autem, juxta testimonium Veritatis, sola finalis perseverantia exigatur ad sanctitatem animæ in Ecclesia triumphanti, quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; duo tamen, virtus videlicet morum, & virtus signorum, opera scilicet pietatis in vita, & miraculorum signa post mortem, ut quis reputetur sanctus, in militanti Ecclesia requiruntur. Nam quia frequenter angelus Satanæ se in lucis angelum transfigurat, & quidam faciunt opera sua bona, ut videantur ab

hominibus, quidam etiam coruſcant miraculis, quorum tamen vita meritò reprobatur, (ſicut de Magis legitur Pharaonis) & etiam Antichriſtus, qui electos etiam, ſi fieri poteſt, inducet miraculis ſuis in errorem, ad id nec opera ſufficiunt ſola nec ſigna, ſed cùm illis præcedentibus iſta ſuccedunt, verum nobis præbent indicium ſanctitatis; nec immeritò nos ad ipſius venerationem inducunt quem Dominus ſuus oſtendit miraculis venerandum. Hæc autem duo ex verbis Evangeliſtæ pleniùs colliguntur, ubi de Apoſtolis loquens ait: *Illi autem profecti prædicabant ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* in eo namque quod ait *cooperante*, eos operatos eſſe demonſtrans; & in eo quod ſequitur *ſequentibus ſignis*, eos exponens immo Dominum in eis miraculis claruiſſe. Hoc etiam Dominus uſque hodie operatur in ſanctis, & potentiam ſuam ſignis evidentibus manifeſtat, dum vivorum curat ægritudines ad memoriam mortuorum, & eos plus poſſe poſt mortem, & feliciùs vivere mortuos, qui in Domino moriuntur, quàm qui vivunt in mundo demonſtrat. Sanè veniens ad præſentiam noſtram venerabilis frater noſter Epiſcopus veſter, multis viris religioſis & aliis honeſtis perſonis de ſua dioceſi comitatus, cujuſdam beati viri, & re & nomine Homoboni, vitam & actus necnon & modum tranſitus ejus humiliter nobis aperuit: in quibus & ſanctæ ipſius degnſtavimus converſationis odorem, Deúmque mirabilem & omnia opera ejus in fide cognovimus & prædicavimus glorioſa. Idem etenim ſanctus, tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dat in tempore ſuo, prout eorundem nobis aſſertio facta tam viva voce quàm aliorum plurium honeſtorum literis patefecit, adeo in lege Domini meditabatur die ac nocte, ut ei ſerviens in timore & ſecundùm Prophetam media nocte ſurgens ad confitendum ei, matutinis ſemper laudibus intereſſet. Miſſæ quoque officium & alias horas cum ſumma devotione frequentans, ita aſſiduis orationibus inſiſtebat, ut in certis horis aut inceſſanter oraret, aut horas ipſas aliquando præveniret; niſi fortè ipſum ſolicitudo, quam ſuper pace reformanda per civitatem tanquam pacificus vir gerebat, aut occaſio eleemoſynæ pro pauperibus acquirendæ, ſeu alia juſta cauſa in aliis operibus miſericordiæ detineret. Qui nimirum ante crucem dominicam ex aſſuetudine ſe proſternens, opus quodlibet faciendo, ſtando, ſedendo, jacendo, ad orationem labia movere continuò videbatur. Inter alia verò pietatis opera quæ tam circa pauperes, quos ſecum in domo propria tenebat, curabat, & pariter procurabat, quàm circa alios indigentes, quibus viventibus humanitatis officium, mortuis ſepulturæ beneficium conſueverat devotius impendere, diligentiùs exercebat, ipſe à ſecularium hominum conſortio ſegregatus, inter quos vivebat quaſi lilium inter ſpinas, hæreticorum, quorum pernicies partes illas inficit, auſterus extitit aſpernator. Deducto autem ſic vitæ ſanctæ curriculo, cùm ad matutinale officiū, prout dictum eſt, in feſtivitate ſancti Bricij ſurrexiſſet, circa Miſſæ primordia idem ſe ante crucem dominicam more ſolito in oratione proſternens, dum cantaretur hymnus angelicus, beato fine quievit. Quæ verò, quot, & quanta miracula fuerint ſubſecuta, & quot advenientibus ad ſepulchrū ejus ſanitatis beneficia ſint impenſa, cùm longum ſit enumerare per ſingula, unum inter cetera ad aſſertionem catholicæ fidei duximus expreſſiùs annotandum. Cùm enim quædam dæmoniaca mulier ad ſepulchrum ejus deducta fuiſſet, ne aliqua fraus lateret, eadem primò fuit aquâ non benedictâ reſperſa: quæ ſe patienter aſpergi permittens, aquam ſecundò reſpuit benedictam. Et ut res evidentiori experimento pateret, oblatam non conſecratam abſque aliqua præſcientia ſibi recipiens præſentatam, eucharistiam conſecratam ſubſequenter abhorruit, nec recepit: quæ & meritis ejuſdem ſancti liberata receſſit. Ut autem virtus morum, prout eſt ſuperiùs prælibatum, licèt omnis dubitatio amoveri ex ſubſecutione ſignorum per divinum judicium videretur, fide apud nos clareſceret pleniori, ne miraculorum etiam virtus aliqua fraude poſſet vel figmento juvari, veritatem rei ſolicitiùs duximus inquirendam. Fidem namque, quā ſuper converſatione ipſius abſque figmento hypocriſis fraudulento divinum judicium, ut dictum eſt, manifeſtè oſtendere videbatur, per teſtimonium dilecti filij Oſberti Preſbyteri ſancti Ægidij Cremonenſis præſentis cum Epiſcopo

Vide Notas ad Lupum Ferrar. pag 481 & Notas ad Agobard. pag 56. & ſeqq.

memorato, recepto ab eo firmavimus juramento: ſub cujus obteſtatione videlicet juramenti ipſe, qui patrinus ejus exiſtens per XX. annos & ampliùs confeſſionem ejus ſæpe receperat, quæ de illius ſancti converſatione præmiſimus, cum ipſo Epiſcopo & aliis ſupradictis juratis ſimiliter aſſeruit eſſe vera, & de obedientia quam in orationibus, vigiliis, & aliis pœnitentiæ fructibus, quæ ſibi ab eo impoſita erat, plus injuncto ſatisfaciens exhibebat, nos reddidit certiores. Ea etiam quæ de miraculis ipſis fuerant nobis expoſita, per juramentum omnium prædictorum, qui propter hoc venerant, fide ſuſcepimus pleniori; aſſertione ipſius Epiſcopi ſub firmo verbo ſacerdotis requiſita in virtute obedientiæ concurrente: ut ſic divinum & humanum ſecuti judicium, cum majori procedere ſecuritate poſſemus. Cùm igitur hæc omnia, tam de probitate morum, quàm virtute ſignorum, ad favorem petitionis, pro qua Epiſcopus memoratus & alij ſupradicti ex parte veſtra vehementer inſtabant, concurrere videremus, de fratrum noſtrorum conſilio, poſt multam deliberationem habitam cum eiſdem Archiepiſcopis & Epiſcopis, quos ſuper hoc ad conſilium noſtrum admiſimus, de divina miſericordia & ejuſdem ſancti meritis confidentes, ipſum ſanctorum catalogo duximus aſcribendum; ſtatuentes ut in die depoſitionis ipſius, ejuſdem feſtivitas devotè à vobis & aliis Chriſti fidelibus annis ſingulis de cetero celebretur. Inde eſt quod univerſitatem veſtram rogamus in Domino & monemus, per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus ejuſdem ſancti memoriam, prout dictum eſt, cum celebritate debita venerantes, ejus apud Deum ſuffragia humiliter imploretis; per cujus merita ad gaudia æterna pertingere valeatis. Datum Laterani II. Idus Ianuarij.

ARCHIEPISCOPO SIPONTINO.

Epiſt. 531. Habens literas falſas ignoranter, venia dignus eſt.

EX literis dilectorum filiorum I. Archipreſbyteri, P. & L. Primiceriorum Eccleſiæ Sipontinæ, accepimus quòd cùm ſuper accuſatione quam contra Abbatem ſancti Benedicti Sipont. falsò R. Clericus, Iohannes Sacerdos, & Bartholomæus Diaconus intendebant, ad eos mandatum apoſtolicum emanaſſet, licèt iidem eum nomine monachorum & oblatorum ipſius monaſterij ſancti Benedicti ſuper multis criminibus, videlicet ſuper dilapidatione, adulterio, perjurio, & falſitate, impeterent, proponentes quòd ſuper his omnibus fuerat coram te convictus, & cauſa ipſa uſque ad ſententiam diffinitivam deducta, ipſos tamen Clericos mendaces & Abbatem innocentem in his omnibus invenerunt. Veruntamen idem Abbas fuit in tua præſentia proprio ore confeſſus quòd quaſdam literas, quas à ſede apoſtolica impetrarat, in manu tua reſignavit: quas cùm falſas eſſe conſtaret, tu ipſum ab officio tamdiu decreviſti manere ſuſpenſum, donec noſtro ſe conſpectui præſentaret, mandato noſtro per omnia pariturus. Vnde videlicet dicti Clerici eundem Abbatem, licèt nec monachi ſint ejuſdem monaſterij nec oblati, ſumpſerunt materiam accuſandi. Sed ipſe Abbas illius falſitatis innoxium & inculpabilem ſe oſtendit, conſtanter affirmans quòd nunquam ad conſcientiam vel notitiam ejus de illarum literarum falſitate pervenerat, ſed eas pro veris habuerat uſque ad tempus quo ipſas, ut dictum eſt, reſignavit. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ab eodem Abbate cum tertia manu purgatione recepta quòd ei de falſitate literarum illarum non conſtitit, ipſum ab hujuſmodi infamia denunties abſolutum, & eidem officium auctoritate noſtra reſtituere non omittas; prædictos Clericos per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione ceſſante, monitione præmiſſa, compellens ut ab ipſius Abbatis de cetero moleſtatione indebita conquieſcant. Datum Laterani XIX. Kal. Februarij.

DECANO ET CAPITVLO Andegaven.

Epiſt. 532. Tranſlatio Epiſcoporum ad ſolum Romanũ Pontificem pertinet. *Cap. Inter corporalia. De tranſlat. Epiſc.*

INter corporalia & ſpiritualia eam cognovimus exiſtere differentiam, quòd corporalia faciliùs deſtruuntur quàm conſtruantur, ſpiritualia verò faciliùs conſtruuntur quàm deſtruantur. Vnde juxta canonicas ſanctiones Epiſcopus ſolus honorem dare poteſt, ſolus autem auferre non poteſt. Epiſcopi quoque à Metropolitanis ſuis munus conſecrationis recipiunt, qui tamen non poſſunt niſi per Romani Pontificis ſententiam condemnari. Cùm ergo fortius ſit ſpirituale vinculum quàm carnale, dubi-

tari non debet quin omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantùm judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem carnalis conjugij, quod est inter virum & feminam, suo tantùm judicio reservavit, præcipiens ut quod Deus conjunxit, homo non separet. Non enim humana sed divina potiùs potestate conjugium spirituale dissolvitur, cùm per translationem, vel depositionem, aut etiam cessionem, auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Iesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur. Et ideo tria hæc, quæ præmisimus, non tam constitutione canonica quàm institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata. Sicut autem Episcopus consecratus, sine licentia Romani Pontificis suam non debet Ecclesiam derelinquere; sic & electus confirmatus, præter ejus assensum suam deserere nequit Ecclesiam, cui est matrimonialiter alligatus; cùm non debeat in dubium revocari quin post electionem & confirmationem canonicam, inter personas eligentium & electi conjugium sit spirituale contractum. cui profectò episcopalis dignitas nihil addit, cùm quis episcopali præditus dignitate, nullius tamen Ecclesiæ possit Episcopus esse; quemadmodum de illo contingit qui oneri pontificali renuntiat, non honori. Vnde cùm non majus sit vinculum Episcopi ad Ecclesiam quàm electi, maximè cum fuerit confirmatus, immo idem penitùs, & non aliud, idem juris obtinet in utroque. Sicut ergo Episcoporum translatio, vel etiam depositio, sic & electorum cessio post confirmationem ratione spiritualis conjugij soli est Romano Pontifici reservata. Licèt usque ad tempora ista quod cautum fuerat de Episcopis, expressum non fuerit de electis; propter expressam tamen similitudinem vel identitatem potiùs, nemini poterat videri dubium subtiliter intuenti, cùm idem judicium de similibus sit habendum. Sed neque illud quod in canone legitur de electo, ut si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, nec ibi nec alibi consecrationis donum percipiat, immo Metropolitani sui cedat judicio, aliter intelligentibus poterat suffragari, cùm non intelligatur Ecclesia viduata, quasi sponsum non habeat, sed quia cùm sponsus ejus nondum sit consecratus, adhuc, quoad quædam, quasi viri manet solatio destituta. sicut juxta communem modum loquendi illa dicitur Ecclesia viduata, quæ licèt Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere. Nec quod de cessione subsequitur, & statutum fuit ad pœnam, trahi debet ad gratiam; ut sicut Metropolitani judicio electus dejicitur, ita etiam ad aliam Ecclesiam possit transferri; præsertim cùm nec sine auctoritate Romani Pontificis fiat cessio vel dejectio memorata, qui, ut possent ex canone illo, Metropolitanis indulsit. Vnde si circa translationem idem fieri voluisset, quod de cessione dixerat & de translatione poterat expressisse. & quod non est sanctorum patrum decreto sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum; præsertim cùm * nonnunquam intelligatur prohibitum quod non invenitur expressum. Sanè nos, qui sacra docente scriptura monemur ne nostrum alij demus honorem, quoniam apostolatui nostro multis referentibus innotuerat quòd venerabilis frater noster Turonen. Archiepiscopus magistrum W. de Chimeleio, qui electus fuerat in Episcopum Abrincensem & per Metropolitanum suum postea confirmatus, qui aliquandiu tam in spiritualibus quàm in temporalibus ministrarat, in Ecclesiam vestram præter apostolicæ sedis auctoritatem transferre præsumpsit, & Episcopum consecrare, quem & venerabilis frater noster Rothomagensis Archiepiscopus præter apostolicæ sedis mandatum absolvit, & ei tribuit licentiam transeundi, venerabili fratri nostro Bituricen. Archiepiscopo, de quo plenam fiduciam obtinemus, dedimus in mandatis ut inquisita super hoc pleniùs veritate, si rem gestam taliter inveniret, tam memoratum Turonensem quàm ipsum Rothomagensem Archiepiscopos, qui saltem apostolicam sedem super hoc, quod novum emerserat, præsertim cùm juxta traditiones canonicas majores ecclesiasticæ causæ ad sedem apostolicam sint referendæ, consulere debuerunt, à confirmatione pariter & consecratione Pontificum, memoratum verò W. ab executione pontificalis officij nostra fretus auctoritate suspenderet. Qui mandati nostri diligens executor, super quo devotionem ejus digna gratiarum prosequimur actione, cùm per

Vide Marcam lib. 7. De concordia cap. 26. §. 5.

Vide suprà epist. 447.

* *In Tertia Collect.* nunquam

Vide suprà epist. 117.

confeſſionem ſpontaneam eidem Bituricen. Archiepiſcopo de veritate negotij conſtitiſſet, dictos Archiepiſcopus & Epiſcopum juxta tenorem mandati noſtri ſuſpendit. Et quamvis iidem Archiepiſcopi Turonen. & Rothomagen. tanquam majores plus exceſſerint in præmiſſis, præfatus verò Epiſcopus minùs, utpote illorum, tanquam majorum, errorem ſecutus; nos tamen intellecta per literas & per nuntios eorundem Archiepiſcoporum confeſſione ſpontanea & ſupplicatione devota, veniam errori dedimus, quia non ex malignitate ſed ex ſimplicitate peccarunt. Et quoniam præfatus Epiſcopus, qui & minùs peccaverat, &, ſicut ex præmiſſis apparet, ſeveriùs fuerat caſtigatus, ad apoſtolicam ſedem licèt ſpontanea voluntate, non tamen ſine multis laboribus & expenſis acceſſit, reatum ſuum recognoſcens, humiliter & devotè miſericordiam poſtulans, & judicium non requirens; nos ſuper facto ejus cum fratribus noſtris communiter tractatum habentes, & ſubtiliter indagantes quòd licèt munus ſibi conſecrationis impenſum nec prioris Eccleſiæ ipſum Pontificem fecerit nec ſecundæ, cùm ad primam non fuerit conſecratus, & ad ſecundam, prioris vinculo perdurante, non potuerit canonicè conſecrari, adhuc alteri alligatus conjugaliter; illud tamen providè attendentes, quòd & urgens neceſſitas & evidens utilitas Eccleſiæ veſtræ, quoniam non poteratis in aliam perſonam idoneam convenire, diſpenſationis gratiam requirebant, eo de plenitudine poteſtatis tam à vinculo prioris Eccleſiæ quàm à pœna ſuſpenſionis penitùs abſoluto, de benignitate ſibi apoſt. ſedis duximus concedendum ut priore conſenſu hactenus perdurante, ſicut per literas perſonarum Eccleſiæ veſtræ nobis eſt intimatum, Andegaven. Eccleſiam tanquam proprius Pontifex ad laudem & gloriam nominis Dei, ad honorem & exaltationem ipſius, & ad ſalutem & utilitatem ſuam & tam Cleri quàm populi ſibi commiſſi ſtudeat gubernare; ut præveniente divinà gratia & ſequente plus prodeſſe velit & valeat quàm præeſſe; præſertim temporibus iſtis, quibus cùm abundet iniquitas, & peccatis exigentibus multorum caritas refrigeſcat, opus eſt non mercenario, ſed paſtore. Quocirca vobis per apoſt. ſcripta præcipiendo mandamus quatenus ipſum Epiſcopum tanquam patrem & paſtorem animarum veſtrarum recipientes humiliter & devotè, reverentiam ei debitam, honorem, & obedientiam impendatis; ut ipſe in vobis filialem devotionem inveniat, & vos in eo paternum reperiatis affectum. Datum Laterani XII. Kal. Februarij.

*MONTANARIO SUBDIACONO noſtro.

* In vet. cod. MS. Colbert. MONTANO. Epiſt. 533. Ipſi Prioratum ſancti Savini, ad quem electus erat, confirmat.

CUm ſuper Prioratu ſancti Savini de Plano Spoleti inter te & Philippum Iohannis Pelagalli quæſtio verteretur, & ob hoc ad ſedem apoſtolicam veniſſetis, dilecto filio noſtro G. ſancti Adriani Diacono Cardinali cauſam ipſam commiſimus fine debito terminandam; in cujus præſentia quòd Prioratus ipſe ad te pertineret probare per electionem canonicam ſatagebas; cùm à Canonicis ipſius Eccleſiæ primò fuiſſes electus, qui ab annis quinquaginta Priores in dicta Eccleſia ſine contradictione qualibet elegerunt. Verùm præfatus Philippus, quòd idem Prioratus ſibi potiùs deberetur, ea nitebatur oſtendere ratione, quia per venerab. fratr. noſtrum Matthæum Spolet. Epiſcopum ibidem fuerat inſtitutus, ad quem inſtitutionem ipſam ſpectare firmiter aſſerebat. Ad hæc ergo probanda teſtibus utriuſque partis receptis, & eorum depoſitionibus publicatis, cùm ſuper eis ſufficienter eſſet utrinque, prout jus expoſtular, diſputatum, antequam diffinitiva ſententia proferretur, præfatus Cardinalis pro Eccleſiæ negotiis fuit à nobis in regnum Siciliæ deſtinatus, in cujus locum ſubſtituimus dilectos filios noſtros Augoſtinum ſancti Euſtachij & G. ſancti Nicolai in carcere Diaconos Cardinales. Qui cùm, rationibus & allegationibus partium diligenter inſpectis, & de cauſæ meritis habita notitia pleniùs, quæ præmiſſa ſunt nobis fideliter retuliſſent; quia conſtitit nobis, per confeſſionem etiam præfati Epiſcopi, quòd dictus Philippus in præſcripta Eccleſia per eum non fuerat inſtitutus, tibi adjudicavimus ipſius Eccleſiæ Prioratum, ab impetitione præfati Philippi, cui ſuper quæſtione præmiſſa ſilentium perpetuum impoſuimus, re ſententialiter abſolventes. Nulli ergo &c. noſtræ diffinitionis &c. Datum Laterani X. Kal. Februarij.

PETRO

PETRO COLIMBRIENSI Episcopo.

Epist. 534. Ea quæ decessores justè hactenus possederāt, ipsi confirmat.

SAcrosancta Romana Ecclesia &c. *usque ad verbum* inclinati, personam tuam & Colimbriensem Ecclesiam, cui auctoreDeo præesse dignosceris,cum omnibus bonis &c. *usque ad verbum* suscipimus. Specialiter autem Ecclesias de Covilian.& de terminis ejus ad exemplar bonæ memoriæ C. Papæ prædecessoris nostri, & omnes possessiones laicales quas tam prædecessor tuus quàm tu in prædictis villis & ejus terminis acquisistis,sicut ea juste possidetis & quietè,tibi & per te præfatæ Colimbriensi Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani VII. Idus Ianuarij.

I. CAPELLANO & S. Subdiacono, familiaribus nostris, apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 535. Pallium non conceditur nisi Metropolitanis. *Vide supra epist. 525.*

POst dies aliquot ex quo à nostra præsentia recessistis, ex relatione quorundam & inspectione libri censualis cameræ nostræ nobis innotuit quòd Antibaren. Ecclesia inter suffraganeas Ragusan. metropol. numeretur. Vnde cùm tu fili I. librum illum inspexeris, miramur quòd facta tibi copia libri præmissi, nobis non aperuisti expressiùs veritatem. Quia verò non est nostræ intentionis statum Ecclesiarum evertere, devotioni vestræ auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne Antibaren. electo Palleum aliquatenus concedatis,nisi vobis constiterit ejus prædecessores fuisse Palleis decoratos, & dignitatem metropoliticam habuisse. Ne autem iter vestrum & legationis processus valeat aliquatenus impediri, eisdem personis, quibus per vos apostolica scripta dirigimus, sub eodem tenore literas nostras transmittimus, dempto capitulo quod faciebat de Palleo mentionem; ut utrasque penes vos babentes, vel primas vel secundas, prout opus fuerit, præsentetis. Datum Laterani VII. Kalend. Februarij.

ARCHIPRESBYTERO & Canonicis basilicæ principis Apost.

Epist. 536. Suam erga illos benevolentiā & munificentiam declarat.

DErivata in nos ab Apostolorum principe per ipsius merita potestatis ecclesiasticæ plenitudo & apostolatus successio, non ratione carnis per hominem legitimè procreata, sed per Deum ipsius gratia canonicè facta, inter ceteras solicitudines cordis nostri & occupationes, quibus quotidie premimur, utpote quibus solicitudo universarum Ecclesiarum incumbit, ad honorandam ejusdem principis Apostolorum basilicam specialiter nos inducunt, ut cum Propheta psallamus: *Domine, dilexi decorem domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ.* Sanè cùm Dominus noster in beato Petro, cui nos licèt immeritos constituit successores, in spiritualibus prætulerit universis, & Ecclesiam in temporalibus etiam dilatarit, conveniens esse dignoscitur ut eidem beato Petro in vobis,immo Christo in eo qui nobis exhibuit universa, etsi modicum, tamen aliquid tribuere studeamus, affectum nostrum in effectum humiliter perducentes. Dignum est etenim ut quia variis pressi negotiis,dum circa lapsum religionis nobis propositum in melius reformandum intendimus, dum justitiæ consulimus oppressorum, dum singulorum consultationibus respondemus, dum ad reformandum inter discordantes pacis concordiam & pro diversis Ecclesiarum & provinciarum necessitatibus Legatos à latere nostro dirigimus, dum de terræ orientalis subventione pensamus, principis Apostolorum basilicam dignis obsequiis frequentare non possumus, aliquibus munusculis honoremus; nihil in hoc Apostolorum principi largientes de proprio, sed de suo potiùs rependentes. Verùm cùm decor Ecclesiarum & earum thesaurus præsertim pendeat ex personis quæ ipsis deserviunt & Domini laudes horis intonant constitutis, psallentes ei tam ore quàm corde; vos, qui ad honorem Apostolorum principis in ejus Ecclesia Domino jugiter deservitis, invocantes nomen ipsius, & voce consona modulantes laudes ejus, * immo beatum Petrum in vobis tenui devotionis nostræ munusculo decrevimus honorare; sperantes quòd qui minuta viduæ pauperis acceptavit, nostræ quoque humilitatis acceptabit affectum; non quid, sed ex quo potiùs tribuamus, attendens. Ea- propter, dilecti in Domino filij, tam redditum, quem de signis plumbeis sive stagneis Apostolorum Petri & Pauli imaginem præferentibus, quibus eorum limina visitantes in augmentum propriæ de-

* Deest hic aliquid.

Qq

votionis & testimonium itineris consummati seipsos insigniunt, prædecessores nostri & nos ipsi percipere consuevimus, quàm auctoritatem fundendi ea, vel quibus volueritis fusoribus concedendi, qui vobis tantùm de ipsis respondeant, vobis & per vos canonicæ vestræ præsentium auctoritate concedimus, & præsentis scripti pagina communimus. Ad hæc, sub pœna excommunicationis districtiùs inhibemus ne quis ea præter assensum & concessionem vestram aliquatenus formare præsumat. Decernimus ergo &c. nostræ confirmationis, concessionis, & inhibitionis &c. Datum Laterani XV. Kal. Februarij.

PHAREN. EPISCOPO.

Epist. 537. Vt cum aliquot Canonicis Romam, causam suæ translationis dicturus, veniat.

MIrari cogimur & moveri quòd (sicut à multis accepimus) tu regimen Ecclesiæ Iadertin. sine mandato sedis apostolicæ irreverenter assumere præsumpsisti. Licèt enim Clerici Ecclesiæ Iadertinæ cum suæ civitatis nuntiis ad nostram præsentiam accessissent, & nobis tam ex relatione ipsorum quàm literarum inspectione, quas tulerant, patuisset quòd in Iadertin. Archiepiscopum electus fueras, immo veriùs postulatus; quia tamen etsi de modo postulationis possemus reddi per easdem literas certiores, de persona tua nobis non poterat fieri certa fides, nec examinare debebamus absentem, eis de consilio fratrum nostrorum decrevimus respondere ut aliqui de Canonicis ejusdem Ecclesiæ nostro se conspectui præsentarent; ut de studiis postulantium & de meritis postulati certiores effecti, securiùs in ipso negotio procedere valeremus, adjicientes, quòd licèt Episcoporum translatio ad solum pertineat Rom. Pontificem, quia tamen ad venerab. fratrem nostrum Patriaccham Graden. consecratio Iadertin. electi noscitur pertinere, cùm de beneplacito nostro procederet ut tibi Palleum conferremus, & tu nobis juramentum fidelitatis præstares, te procul dubio faceremus dicto Patriarchæ Graden. professionem canonicam & debitam obedientiam exhibere. Sed ipsi nuntij tales noluerunt literas reportare. quibus reversis, sine mandato nostro Ecclesiæ Iadertinæ diceris regimen assumpsisse, & in ea tam temporalia quàm spiritualia ministrare. Quia verò grave nimis est quod de tua præsumptione proponitur, nec subitò volumus damnationis sententiam jaculari, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus infra duos menses post susceptionem præsentium cum competenti numero Canonicorum Ecclesiæ Iadertinæ iter arripias ad sedem apostolicam veniendi, redditurus nobis super excessu, quem prædiximus, rationem; ita quòd si culpabilis inventus non fueris, cùm nobis de postulatione canonica & personæ tuæ idoneitate constiterit, translationis gratiam & usum Pallei recipere merearis; postmodum debitam nobis fidelitatem, & dicto Patriarchæ professionem canonicam, impensurus. Alioquin ex tunc te noveris ab officio pontificali suspensum, & nos Canonicis Iadertinæ Ecclesiæ dedisse firmiter in mandatis ut aliam personam idoneam canonicè sibi eligant in pastorem. Datum Laterani III. Nonas Decembris.

Vide infrà lib. 2. epist. 291. & seq.

Epist. 538.

Scriptum est Iadertinis Canonicis in eundem ferè modum usque ad verbum suspensum. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si prædictus Episcopus præceptum nostrum contempserit adimplere, vos aliam personam idoneam vobis eligatis canonicè in pastorem. Datum ut suprà.

DVCI ET POPVLO Venetorum.

Epist. 539. Ne Sarracenis arma & subsidium submministrent prætextu mercaturæ.

Concil. Later. sub Alex. 3. c. 24.

IN favorem orientalis provinciæ, præter peccatorum veniam quam in suis illuc expensis proficiscentibus pollicemur, & apostolicæ protectionis gratiam, quam eidem terræ subvenientibus indulgemus, illud etiam Lateranen. Concilij constitutum curavimus innovare, quod eos qui Sarracenis arma, ferrum, lignamina galearum ministrare præsumpserint, & in galeis & piraticis eorum navibus curam gubernatoris & regimen exercere, ab Ecclesiæ communione præcidi, & excommunicationi pro sua iniquitate subjectos rerum suarum per Principes seculi catholicos & Consules civitatum privatione multari, & capientium servos, si capti fuerint, fore decernit, ad exemplar felicis recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri omnes illos excommunicationis sententiæ supposuimus qui cum eis de cetero habere consortium vel per se vel per alios, navibus seu alio quocunque ingenio aliqua re-

rum suarum subsidia impedere vel transmittere attentaverint, quandiu inter nos & ipsos guerra durarit. Verùm accedentes nuper ad apostolicam sedem dilecti filij nobiles viri Andreas Donatus & Benedictus Grilion nuntij vestri nobis exponere curaverunt quòd ex constitutione hujusmodi civitati vestræ proveniret non modicum detrimentum, quæ non agriculturis inservit, sed navigiis potiùs & mercimoniis est intenta. Nos igitur paterno dilectionis affectu, quem ad vos specialiter habemus, inducti, sub districtione anathematis probibentes ne in ferro, stupa, pice, acutis pironibus, funibus, armis, galeis, navibus, & lignaminibus paratis, vel imparatis, vendendo, donando, vel commutando Sarracenis ministra... subsidium præsumatis, sustinemus ad tempus, donec super hoe aliud dederimus vobis in mandatis, ut in regnum Ægypti vel Babylonis alia inituri commercia, cùm necesse fuerit, transfretetis; sperantes quòd propter hanc gratiam in subsidium Hierosolymitanæ provinciæ debeatis fortiùs animari; provisuri ne quid in fraudem circa statutum apostolicum præsumatis: quia dubium esse non debet eum divina ligari sententia, qui contra propriam conscientiam in elusionem hujus mandati fraudulenter aliquid attentabit. Datum ut suprà.

EPISCOPO GEURICENSI & Abbati de Boccan.

Epist. 140. De pœna eorū qui crimen falsi committūnt. Vide infrà epist. 149.

INauditum falsitatis genus tam novitate nocendi quàm præsumptionis audacia nniversa ferè hactenus inventa genera falsitatis excedens, perpetratum prædecessorum nostrornm temporibus, nostris est auribus revelatum. Sanè proposuerunt nobis dilecti filij magister R. Præpositus Colocen. & magister I. Archidiaconus Seghedien. quòd magister L. Tarvisinus olim ad apostolicam sedem accedens, de regesto felicis recor. Alexandri Papæ prædecessoris nostri quandam cbartam dolosè surripuit, quam in ea parte dolosè abscidit, qua tribus aliis chartulis, qnia fuerat in quaterno medio, jungebatur, filo integro remanente. Cùm autem idem Præpositus eandem nobis chartulam præsentasset, ex eo rem sic se habere cognovimus, quòd in proximò præcedenti chartula ejusdem regesti quarundam habebatur principium literarum, qnas eadem pagina terminabat, & rursum circa finem ipsius paginæ quædam literæ fuerant inchoatæ, quæ finiebantur in folio subsequenti. Cùm igitur hujusmodi falsitatis vitium tanto ampliùs persequi debeamus, quanto majus posset scandalum generare, cùm pro literis de quibus dubium est an à sede apostolica emanarint, ad regestum de consuetudine recurratur, cùm etiam vix posset aliquis ampliùs Rom. Ecclesiam offendere quàm si ei regesta & alios libros surriperet in quibus tam ipsius quàm aliarum Ecclesiarum privilegia continentur, discretioni vestræ per apost. scripta mandamus atqne præcipimus quatenus magistrum P. Strigonien. Præpositum & magistrum Robertum Anglicum & Azonem Presbyterum, quos hujus iniquitatis * consocios esse audivimus, ad vestram præsentiam evocantes, ab eis sub jurejurando veritatem diligentiùs exquiratis, quo mandante, cujus consilio, quo conscio, & quo procurante tantæ falsitatis crimen fuerit attentatum. Confessionem autem ipsius sub jurejurando factam, redactam in publicam manum, ae vestris sigillis signatam, ad nos sine dilatione aliqua transmittatis. Volumus autem, & sub eadem districtione mandamus, ut tam eos, quàm alios, qui hujus iniquitatis participes fuisse dicuntur, ad ueritatis asserrionem, monitione prævia, per suspensionis & excommunicationis sententiam appellatione postposita compellatis. Datum Laterani III. Kaleudas Februarij.

* conscios

Scriptum est super hoc ferè in eundem modum Patriarchæ Gradensi.

P. DE CASTRONOVO Archidiacono Magalonensi.

Epist. 141. Ipsi archidiaconatum confirmat. Vide suprà epist. 167.

CVm olim bonæ memoriæ Magalonensis Episcopus, habito dilectorum filiorum P. de Agrifolio Archidiaeoni & B. Prioris claustralis assensu, te ad vacantem archidiaconatum ejusdem Ecclesiæ nominasset, Præposito ut nullus ibi, nisi priùs duplici voce sibi concessa, institueretur, per appellationem interpositam inhibente, Episcopus, tum quia contra antiquam Magalonen. Ecclesiæ consuetudinem & commune jus canonum esse dicebat aliquem sibi vocem duarum personarum in eadem Ecclesia vendicare, tum quia ex indulgen-

tia bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri, quam in Capitulo præsente Præposito legi fecit, sibi probabat indultum ut vacantem archidiaconatum vel sacristiam, si contra personam ab ipso nominatam aliquid rationabile & canonicum non posset legitimè objici & probari, non obstante contradictione vel appellatione conferret, te de præfato archidiaconatu per annulum investivit, in locum ejusdem corporaliter te inducens. Vnde nominatus Præpositus invidiæ stimulis agitatus, alium ad eundem archidiaconatum præsumpsit postmodum nominare. Cujus facti occasione te & dicto Præposito ad sedem apostolicam accedentibus, nos in minori tunc officio constitutos & dilectum filium nostrum B. tituli sancti Petri ad vincula & bonæ memoriæ M. tituli sanctorum Iohannis & Pauli Presbyterum Cardinales habuistis in vestris quæstionibus auditores. Cùmque multa hinc inde allegata fuissent, tandem dictus prædecessor noster quod ab utraque parte factum fuerat, pro sua voluntate cassavit, sententiando pronuntians quòd aliquibus de provincia scriberet ut tam Episcopum quàm personas ad ordinandum concorditer archidiaconatum monerent, & eorum forte monitis non admissis, hoc ipsi auctoritate apostolica exequi non differrent. Post hæc verò Geraldo Ioanuino, qui nondum ad diaconatus erat promotus officium, præter conscientiam tuam, cùm tunc apud sedem apostolicam pro Episcopo morareris, ipsum archidiaconatum contra propriã pronuntiationem (sicut credimus) contulit circumventus. Nos igitur inhærentes vestigiis prædecessorum nostrorum dicentium sententiam Romani Pontificis posse in melius commutari, cùm aliquid fuerit subreptum, quod de prædicto G. factum fuerat, non obstante donatione quam à venerabili fratre nostro Magalonen. Episcopo in illusionem donationis apostolicæ dicitur recepisse, de communi fratrum consilio in irritum revocavimus, & ei, licèt absenti, cùm liquidò nobis de subreptione constaret, & in manifestis juxta canonicas sanctiones non sit rigor judiciarius observandus, super dicto archidiaconatu perpetuum silentium imponentes, prædicto Episcopo & dilectis filiis Archidiacono & sacristæ Magalonen. dedimus in mandatis ut nullius contradictione vel appellatione obstante, infra unius mensis spatium post literarum nostrarum susceptionem sæpedictum archidiaconatum de persona cui nihil obviaret de canonicis institutis, plena omnium qui præsentes essent interveniente concordia, ordinarent, ne, si fortè iterum suboriretur discordia, fierent novissima deteriora prioribus, & error novissimus esset pejor priore. Venerabili etiam fratri nostro Archiepiscopo & dilecto filio Decano Arelaten. dedimus in mandatis ut ipsis in executione mandati nostri cessantibus, idem nullius contradictione vel appellatione obstante illud exequi non tardarent. Cùmque prædicti Episcopus, Archidiaconus, & Sacrista mandatum nostrum infra dictum terminum differrent & negligerent adimplere, prædictus Arelaten. Archiepiscopus attendens personam tuam ad hoc officium non indignam, tibi (sicut ex literis ejus accepimus) archidiaconatum ipsum auctoritate nostra canonicè contulit, & te de ipso per annulum investivit. Cùm igitur nobis de tuæ constet idoneitate personæ, quod de te per eundem Archiepiscopum auctoritate mandati nostri legitimè factum esse dignoscitur, ratum & firmum habentes, archidiaconatum ipsum tibi auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani VI. Kal. Februarij.

Vide caput Cùm olim. De sent. & re judicata.

PRIORI ET FRATRIBVS de Grandimonte.

Epist. 541. Ipsos ad concordiam & mutuam caritatem hortatur.

CVm dilectus filius noster B. frater vester, orta olim inter fratres Grandimontis dissensione non modica, cum .. tunc Priore suo & aliis multis fratribus ad sedem apostolicam accessisset, quia tunc controversia ipsa non potuit plenè sopiri, idem B. se transferens ad partes Provinciæ, in Avinionensi diocesi, in terra dilecti filij nobilis viri R. Comitis Tolosani, de concessione bonæ memoriæ R. Avinionen. Episcopi, ordinis vestri domum construxit, & in ea cum .. fratre vestro tunc & suo & aliis, quos de novo recepit, fratribus est moratus. quanquam à morte prædicti Prioris, & post substitutionem alterius, lite quoque per auctoritatem sedis apostolicæ jam sopita, non videatur posse rationabiliter excusari, quòd usque nunc ad

obedientiam vestram accedere non curavit. Volentes autem, sicut tenemur, matri filiam & membra capiti counire, cùm & vos circa receptionem fratrum vestrorum vos non debeatis exhibere difficiles, sed benignos, ut eos Christo lucrifacere valeatis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus eundem B. ad vos humiliter redeuntem, & fratres, quos ipse recepit, suscipiatis humiliter, & fraterna caritate tractetis, & inter Ecclesias vestras suscipiatis Ecclesiam quam construxit. Verùm quia de voluntate venerabilis fratris nostri Avinionen. Episcopi & patroni ejusdem Ecclesiæ procedit affectu ut eidem Ecclesiæ in Priorem Clericus præferatur, cùm & vos quibusdam cellis vestris Clericos duxeritis præferendos, volumus nihilominus & mandamus ut vel eidem Ecclesiæ Clericum præferatis, per quem secundùm regularem observantiam vestri ordinis salubriter gubernetur, vel dictum B. & memoratum fratrem ipsius, qui ex facta vobis professione tenentur, à jugo obedientiæ absolvatis, ut ibi de cetero absque inobedientiæ culpa valeant Domino famulari. Quòd si neutrum facere volueritis, ne ipsis perditionis materiam præbeamus, aliter saluti eorum curabimus dante Domino providere. Datum Laterani III. Kal. Februarij.

CONSTANTIEN. EPISCOPO.

Epist. 545. Nisi appellatio intra decē dies interponatur, sententia transit in rem judicatam.

QVid ad consultationem, quam nobis nuper fecisti de duabus partibus decimæ frugum feudalium, quas laici tanquam feudum suum religiosis domibus volunt conferre, Presbyteris reclamantibus & invitis & ad suas Ecclesias, unde laici percipiunt sacramenta, decimas ipsas asserentibus pertinere, debeat responderi, per decretalem epistolam ad aliorum postulationem in simili casu dudum à nobis emissam, cujus rescriptum fraternitati tuæ de verbo ad verbum duximus transmittendum, perpendere poteris evidenter. Ei autem quod à nobis similiter postulasti, utrum appellationi sit Clerici deferendum, qui purgationem, indictam sibi per sententiam, & ad ipsius receptionem terminum competentem, puta viginti dies vel ampliùs, sine contradictione recipiens, & ad diem veniens, consequenter appellat, causam non exprimens appellandi, nec sit locus, nisi suscipiendæ purgationi, & executioni sententiæ, à cujus latione ac purgatione injuncta ultra * decennium dicitur effluxisse, taliter credimus respondendum, quòd cùm post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit, cùm per hoc videatur per interpretationem juris latæ sententiæ paruisse; præsertim ubi causa non redditur appellandi. sed nec executionem ipsius sententiæ ideo convenit retardari, licèt ad hoc agendum quadrimestre tempus regulariter sit statutum; quia id arctari potest nonnunquam à sedente in medio, & etiam prorogari; & qui ab initio sponte recepit terminum breviorem, imputare sibi potest & debet, cùm ex hoc videatur amplioris beneficium contempsisse. unde talis non audietur appellans, nisi fortè adversùs eum modus executionis canonicus excedatur. Datum Laterani III. Idus Ianuarij.

* f. decem dies

VVACIEN. ET CENADIEN. Episcopis, & Abbati Siricen.

Epist. 544. Committit cognitionem controversiæ inter Episcopum & Abbatem.

CVm dilecti filij S. Abbas de Felduar & magister Obertus nuntius venerabilis fratris nostri Quinqueeclesien. Episcopi pro quæstione quæ vertitur inter eundem Episcopum & ipsum Abbatem, ad nostram præsentiam accessissent, nos eis dilectum filium nostrum G. sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Card. concessimus auditorem. In cujus audientia Abbas proposuit memoratus, quòd cum esset in procinctu itineris ad Romanam Ecclesiam veniendi, & supradictus Quinqueeclesien. Episcopus ad monasterium suum hospitandi causa venisset, privilegium quod claræ memoriæ B. quondam Rex Vngariæ super Ecclesiæ suæ libertate concesserat, quam à jurisdictione prorsùs Episcopi exemptā esse proponit, & pecuniam, quam paraverat ad expensas itineris, illi abstulit violenter, ipsúmque in quodam claustro Cistercien. ordinis carceri mancipavit, ne posset vel ad Regem ire, vel Romanam Ecclesiam visitare. Subsequenter verò cùm ad abbatiam suam eum dictus Episcopus remisisset, & coram Rege proposita super hoc querimonia fuisset inficiatus se privilegium ejus & pecuniam accepisse, dictus Abbas, ut suis & Ecclesiæ

suæ gravaminibus provideret, vocem ad nos appellationis emisit, & festum sancti Lucæ proximè præteritum appellationi præfixit: quam appellationem licèt Episcopus ipse admiserit, & promiserit se venturum in termino constituto, post multos dies in eum excommunicationis sententiam promulgavit. E contrario præfatus magister Obertus respondit quòd memoratus Episcopus, pro eo quòd dictus Abbas super falsitate duorum privilegiorum apud eum accusatus fuerat & convictus, & crimen suum ore proprio manifestè confessus, eum non appellantem nec contradicentem deposuit, & misit ad monasterium de Sicodor ad pœnitentiam peragendam: de quo cùm fuisset egressus pœnitentia non peracta, monasterium de Felduar invasit per potentiam laicalem, & Ecclesiam quandam ad ipsum Episcopum pertinentem parochianis propriis spoliavit, Clericos ejus ejiciens domibus propriis verberando. super quibus cùm pluries citatus fuisset, quia contumax apparebat, Episcopus eum excommunicationi subjecit; sed ipse post excommunicationem divina officia celebrare, & bona monasterij violenter rapere, ac dilapidare præsumpsit. Cùm igitur prædictus Card. nobis hæc omnia retulisset, de consensu partis utriusque negotium ipsum vestro duximus examini committendum, & memoratum Abbatem ad majorem cautelam de benignitate sedis apostolicæ fecimus juxta formam Ecclesiæ à vinculo excommunicationis absolvi. Verùm quia idem Abbas ex duplici causa se proposuit injustè gravatum, quoniam & propter monasterij libertatem illius jurisdictioni non suberat, & propter appellationis remedium ab eo tutus esse debebat, cùm super his nobis plena fides facta non fuerit, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super præmissis & aliis, si qua fortè alterutra partium duxerit proponenda, diligentius veritate, si legitimè vobis constiterit de libertate monasterij memorati, præfato Episcopo super hoc silentium imponatis, ad ablatorum restitutionem, & privilegij maximè, auctoritate ipsum apostolica per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellentes, & reformantes in statum debitum quicquid post recessum Abbatis circa monasterium inveneritis immutatum, alioquin cùm dictum monasterium in Quinqueclesien. diocesi sic constructum, ad exhibendam eidem Episcopo debitam reverentiam compellatis; & sententiam depositionis, quam idem Episcopus in præfatum Abbatem asseruit protulisse, nisi post appellationem ad nos legitimè interpositam vel ex alia causa constiterit iniquè prolatam, sicut rationabiliter lata est, appellatione remota faciatis inviolabiliter observari. Si verò post appellationem ad nos interpositam jamdictum Episcopum in memoratum Abbatem condemnationis & excommunicationis sententiam inveniritis in contemptum sedis apostolicæ dictavisse, ipsum tamdiu nuntietis ab officio pontificali suspensum, donec super hoc per nos aliud fuerit ordinatum. Nullis literis obstantibus, præter assensum partium, si quæ apparuerint à sede apostolica impetratæ. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani III. Kal. Februarij.

CANONICIS S. LAVRENTII de Spello.

QVæstionem Prioratus inter vos & Albericum Priorem sancti Laurentij de Spello diutiùs agitatam dilectis filiis nostris C. tituli sancti Laurentij in Lucina & I. tituli sanctæ Priscæ Presbyteris Cardinalibus jamdudum commisimus terminandam: qui cùm eidem non possent intendere, majoribus occupati, duobus judicibus de Spello eam de consensu partium commiserunt: à quibus ad Cardinales ipsos eodem Abbate provocante, causa fuit venerabili fratri nostro Spoletano Episcopo & suo conjudici R. delegata. Sed cùm ab eis non fuerit in ipsa quæstione processum, à dilectis filiis nostris S. tituli sanctæ Praxedis Presbytero & G. sanctæ Mariæ in Aquiro Diacono Cardinalibus commissa fuit venerabili fratri nostro Perusino Episcopo. Quam nimirum commissionem ratam habentes, eidem dedimus in mandatis ut dictam causam deberet infra duorum mensium spatium diffinire. à cujus præsentia dictus Albericus sedem apostolicam appellavit. Ipso ergo & sindico vestro in nostra præsentia constitutis, dilecto filio nostro G. sancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali causam ipsam commisimus fine debito terminandam: in cujus præsentia contra ipsum Priorem dictus sindicus vester multa

Epist. 145. Confirmat sententiam Cardinalis super Prioratu S. Laurentij.

propoſuit, quibus eum amovendum à Prioratu oſtendere conabatur. Dicebat enim electionem ipſius canonicam non fuiſſe; cùm & tunc temporis laicus fuerit, & Alexandro ejuſdem Eccleſiæ Priore vivente intruſus ſimoniacè ibidem fuerit per potentiam laicalem; electionis quoque tempore de ipſius Eccleſiæ gremio non extiterat; nec datus volentibus, ſed invitis; ad cujus electionem non omnes fuerunt Canonici convocati; quem etiam C. quondam Duci Spoleti, quòd ad mandatum ejus teneret Eccleſiam, * vitaſſe firmiter proponebat; & quòd de genere illorum fuerat ac ſocietate qui Soperclum Priorem ejuſdem Eccleſiæ interficere præſumpſerunt. Præmiſſis itaque rationibus dictum Abbatem * dicebat Prioratu Eccleſiæ memoratæ. Verùm pars altera electionem ſuam multis nitebatur rationibus roborare; proponens quòd dictus Alexander promotionis ſuæ tempore laicus ſimiliter fuerat, filios habens, & etiam concubinam; & cùm Prioratum voluntate propria reſignaſſet, vos eum unanimiter elegiſtis, & per quinquennium tenuiſtis eum exinde pro Priore: cujus quidem electio non ſolùm à venerabili fratre noſtro Spoletano Epiſcopo, verùm etiam à bonæ memoriæ Celeſtino Papa prædeceſſore noſtro fuit poſtea confirmata. Intentionem itaque ſuam fundare jamdictis rationibus ſatagebat. Quibus fuit à præfato B. taliter obviatum, quòd cùm renuntiatio Alexandri præmiſſa, per vim extorta fuerit & obtenta, nullum vobis poterat præjudicium generare; præſertim cùm neque coram judice ſuo facta fuerit, & tempore illo dictus Alexander vobiſcum pariter poſſeſſione tam Eccleſiæ quàm rerum ipſius eſſet penitùs ſpoliatus. His ergo & ſimilibus coram dicto Cardinale prudenter à partibus allegatis, ipſe allegationibus & rationibus hinc inde productis auditis, & pleniùs intellectis, habito prudentum virorum conſilio, ſæpedictum Albericum à memorato Prioratu removendum ſententialiter diffinivit. Nos ergo ſententiam ejus, ſicut rationabiliter lata eſt, ratam habentes, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Kal. Februarij.

* ſ. juraſſe

* ſ. deiiciebat

STRIGONIENSI ARCHIEPISC.
Patavien. & Cenadien Epiſcopis.

Epiſt. 146. Vt cognoſcant de accuſatione Capituli Varadienſis contra ſuũ Epiſcopum.

CVm venerabilis frater noſter Epiſcopus & dilecti filij B. Præpoſitus, M. Cantor, S. & M. Canonici Waradien. eſſent in noſtra præſentia conſtituti, ex parte Canonicorum fuit propoſitum coram nobis, quòd conquerentibus eis in præſentia venerab. fratris noſtri Colocen. Archiepiſcopi ſuper quibuſdam injuriis ſibi ab ipſo Epiſcopo irrogatis, Epiſcopus in vocem appellationis erupit, & ipſi nihilominus eum de crimine ſimoniç ad noſtram audientiã appellarunt. Vtraque verò parte poſt annum & dimidium ad ſedem apoſt. accedente, cùm in eodem propoſito memorati Canonici permanentes, perjurij & ſimoniæ ipſum Epiſcopum reum facere in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia niterentur, ex parte ipſius Epiſcopi fuit propoſitum ex adverſo quòd cùm ſuper his citatus non fuerit, nec propter hoc venerit, & ideo jus remeandi domum haberet, non tenebatur ſuis adverſariis reſpondere. Cùmque ſuper his & aliis eſſet ab eis in auditorio noſtro diutiùs litigatum, nos habito cum fratribus noſtris conſilio, volentes parcere laboribus partium & expenſis, cùm & nos plus ſolito variis ſimus occupati negotiis, eas ad vos duximus remittendas, per apoſtolica ſcripta mandantes quatenus juris ordine per omnia conſervato cauſam ipſam diligenter examinantes, & uſque ad diffinitivam ſententiam procedentes, geſta omnia ſigillorum veſtrorum munimine roborata nobis fideliter tranſmittatis, diem aſſignantes partibus competentem, quo recepturæ ſententiam noſtro ſe conſpectui repræſentent. ad quem ſi qua earum venire contempſerit, nos nihilominus, quantum de jure poterimus, procedemus. Quia verò ſupradicti Canonici ſe queruntur à jamdicto Epiſcopo contra juſtitiam ſpoliatos, volumus & mandamus quatenus, ſi rem ita inveneritis ſe habere, ſecundùm quod eidem Epiſcopo dictus Colocen. Archiepiſcopus ſub debito juramenti dicitur præcepiſſe, ablata omnia eis, appellatione remota, reſtitui faciatis; providentes ut eidem Epiſcopo faciatis ab ipſis Canonicis obedientiam, reverentiam, & obſequium debitum exhiberi. Si verò idem Epiſcopus aliquid proponere voluerit contra Ca-

nonicos memoratos, audiatis illud, & appellatione remota fine debito terminetis. Nullis literis &c. Datum III. Kal. Februarij.

ABBATI MONASTERII Francarum Vallium, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 547. De confirmatione privilegiorum & bonorum.

Religiosam vitam eligentibus &c. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem Cistercien. fratrum &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. grangiam de mala musca. grangiam de Argentia. grangiam de Campignola. grangiam de Rocetta.grangiam de Sornellis.quicquid habetis in Avinione. quicquid habetis in Cavellione. quicquid habetis in Bellicadro. quicquid habetis in Lunello. quicquid habetis in tenimento villæ sancti Ægidij. quicquid habetis in Cavomonte, & aliis locis. Sanè laborum vestrorum &c. Prohibemus insuper ut nulli fratrum &c. Ad hæc etiam prohibemus ne aliquis monachus &c. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus Episcopus &c. Si verò Episcopus, in cujus parochia &c. Pro consecrationibus verò altarium &c. Quòd si sedes &c. Quia verò interdum &c. Porrò si Episcopi &c. Paci quoque &c.Præterea omnes libertates &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur &c. *usque in finem*. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, Kalen.Februarij,Indictione secunda,incarnationis dominicæ anno M CXCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno primo.

PRIORISSÆ COENOBII de Curto Rivo, ejúsque sororibus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 548. De eodem argumento.

Prudentibus virginibus &c. In primis si quidem statuentes ut ordo monasticus,qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem Cistercien. fratrum in cœnobio vestro &c. *usque ad* vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum cœnobium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Corvatam Don Garnier, quam Hu. de Illidio Miles dedit vobis laude & assensu heredum suorum in omni usu habendam. & campum Olrici cum integritate.& quicquid in molendino & batarino de Gunencort habetis. & terram quæ est juxta pratum sancti Martini. & illud quod habetis in molendino & batarino ex dono Ginardi Pohiers, ex dono Sybillæ, & filij ejus Arnulfi.tria jugera terræ sita inter campum Olrici & Hugonis, & pratum Daven. & sedem batarini, in quo molendinum ædificastis. & tertiam partem de cultura in territorio de Brenvilla ex dono Galteri de Solafcort, & partem Everardi de Irrumceria in eisdem territoriis,tam in nnmmis,quàm in segetibus, & partem Alberti Corelli similiter vobis ab ipso concessam, & usum in territorio de Brenvilla.Ex dono Hugonis de Ambleio, unam falcatam de prato sub burgo sanctæ Mariæ, & tertias de Mannia, quas *vobis Rainerius de Pares de cultura suorum hominum dedit vobis.Et ex dono Humberti de Doncuria, unum pratum super ripam Mosæ. Sanè laborum vestrorum &c. Liceat quoque vobis &c. Prohibemus insuper ut nulli sororum &c. Paci quoque &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur &c. *usque in finem*. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis,III. Kalend. Februarij,Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno M CXCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo.

* f. nobilia

HEN. ILLVSTRI REGI Vngariæ.

Epist. 549 Ne testes super falsitate cujusdam examinandi impediantur verum dicere. Vide suprà epist. 540.

Inauditam hactenus speciem falsitatis, quam oculis nostris vidimus, serenitati tuæ, quia id expedire credimus, duximus referendam. Cùm enim dudum (sicut moris est apostolicæ sedis) registrum felicis record. Alexandri Papæ prædecessoris nostri cuidam fuisset exhibitum, tanquam rescriptum aliquod inspecturo, ut conceptam iniquitatem pareret, de medio quaterno duo folia est furatus, sicut indiciis deprehendimus manifestis. cújus facinoris testes & conscij perhibentur in regno Vngariæ permanere. Quia verò graviter peccat, & qui loquitur mendacium, & qui subticet veritatem, & publicè interest quòd maleficia non remaneant impunita, magnificentiam

ficentiam tuam rogamus attentiùs, per apostolica scripta mandantes, quatenus, ne testibus illis, qui super jamdicto facinore nominati fuerint, ut perbibeant testimonium veritati, quisquam de regno tuo noceat, aut impedimentum præstare præsumat, eos potenter protegas, & defendas. Datum Laterani II. Nonas Februarij.

LINCOLNIEN. ET VVINTON. Episcopis, & Abbati sancti Edmundi.

Epist. 550. Vt cognoscant causam Episcopi Conventrensis & monasterij.

EX insinuatione venerabilis fratris nostri Conventrensis Episcopi nostris est auribus intimatum, quòd cùm bonæ memoriæ W. prædecessor suus de claustro monachorum ad pontificalem assumptus fuerit dignitatem, voluntatibus Conventren. monachorum usque adeo condescendit, quòd ferè ab omni episcopali jure ipsos exemit in successorum suorum grave præjudicium & jacturam. Possessiones etiam & beneficia quædam Lachefeldensis Ecclesiæ ad sustentationem Clericorum ibidem Deo servientium deputata, & diutiùs in pace possessa, eis absentibus & irrequisitis sub prætextu cujusdam compositionis, quam tamen ipsi monachi non servarunt, alienare præsumpsit, in grave ipsius Lachefelden. Ecclesiæ læsionem. Exinde verò præfati monachi, tacito quòd in episcopalis dignitatis & Episcoporum Conventren. detrimentum esset factum præfati Episcopi attentatum, compositionem ipsam per subreptionem obtinuerunt à felicis memoriæ Alexandro Papa prædecessore nostro postea confirmari. De qua nimirum compositione successores Episcopi memorati videntes tam sibi quàm ipsi Ecclesiæ Lachefelden. enorme periculum imminere, ne adversùs eos præscriptio curreret, cùm non possent naturaliter, civiliter eam interrumpere curaverunt. Cùm ergo Ecclesiarum jura ex apostolatus officio teneamur propensiùs defensare, nec quibusdam velimus consulere cum injuriis aliarum, de voluntate nuntiorum utriusque partis causam ipsam vobis duximus committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus vocatis ad vos qui fuerint evocandi, & tam super episcopali jure quàm alienatis possessionibus & beneficiis ecclesiasticis inquisita diligentiùs veritate, quod canonicum fuerit remoto appellationis obstaculo statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam à partibus inviolabiliter observari. Nullis literis obstantibus, si quæ apparuerint, barum mentione non habita, à sede apostolica impetratæ. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani III. Nonas Februarij.

GAVDEMARIO ABBATI Boscaudonen. monasterij, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 551. De confirmatione privilegiorum.

REligiosam vitam eligentibus &c. *usque ad verbum* statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem Cistercien. fratrum in eodem monasterio &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. abbatiam de Pratis, abbatiam de Lura, quas ædificastis, cum possessionibus suis. Lavercum, cum possessionibus suis. domum sancti Mauricij, cum pertinentiis suis. vineas de Romonolo. vineas de Capdenaso. vineas de Moilatio. grangiam de Paillairols, cum omnibus quæ in illo territorio habetis. grangiam de Villario Roberti, & quicquid ibi habetis, & possidetis. grangiam de Cantalupa, & quicquid ibi possidetis. præterea, quicquid Ebreduni habetis, & possidetis. Sanè laborum vestrorum &c. Liceat quoque vobis &c. Prohibemus insuper ut nulli fratrum &c. Illud districtiùs inhibentes, ne terras &c. Si quæ verò donationes &c. Ad hæc etiam prohibemus, ne aliquis monachus &c. Licitum prætera sit vobis in causis propriis &c. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus Episcopus, in cujus parochia &c. Illud adjicientes, ut in recipiendis professionibus &c. Pro consecrationibus verò &c. Quòd si sedes diocesani, &c. Quia verò interdum &c. Porrò si Episcopi &c. Paci quoque &c. Præterea omnes libertates &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur &c. *usque in finem*. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, III. Nonas Februarij, indictione secunda, incarnationis dominicæ anno M CXCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo.

Rr

IOHANNI MINISTRO domus ſanctæ Trinitatis Cervi frigidi, ejúſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Epiſt. 552. Ipſos & ipſorũ domum recipit ſub protectione apoſtolica. *Vide ſuprà epiſt. 252.*

OPerante patre luminum, à quo eſt bonum omne datum optimum & omne donum perfectum, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, etiam diebus noſtris, in quibus peccatis exigentibus abundat iniquitas & multorum caritas refrigeſcit, nonnulli faciente cum eis Domino ſignum in bonum, (unde inter alia beneficia, quæ nobis miſericorditer impertitur, ad gratiarum actiones propenſiùs invitamur) poſteriorum obliti, ad anteriora cum Apoſtolo ſe extendunt, & exuentes veterem hominem cum actibus ſuis, & novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induentes, in vitæ tranſeunt novitatem; cùm relictis pro Deo quæ poſſident, & non quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti quærentes, voluntariam eligunt paupertatem, & divinæ ſe ſubjiciunt ſervituti : quorum deſideriis tanto eſt propenſiùs annuendum, quanto per opera pietatis gratiorem præſtant altiſſimo famulatum. Licèt autem ſecundùm Apoſtolum neque qui plantat, neque qui rigat, ſit aliquid, ſed qui incrementum dat Deus, plantationem tamen veſtram nonnullo apoſtolicæ protectionis præſidio diſpoſuimus irrigare; quatenus Deo præſtante miſericorditer incrementum, fructum proferat exoptatum. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam domum ſanctæ Trinitatis Cervi frigidi, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus: ſtatuentes ut quaſcunque poſſeſſiones &c. *uſque ad verbum* vocabulis. Locum ipſum in quo eadem domus veſtra ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis. Eccleſiam de Planellis, cum omnibus pertinentiis ſuis. Domum Burgi Reginæ, cum omnibus pertinentiis ſuis. Sanè novalium veſtrorum &c. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos &c. Prohibemus inſuper ut nulli fratrum &c. Chriſma verò &c. Cùm autem interdictum terræ &c. Obeunte verò &c. Paci quoque &c. Decernimus ergo &c. Salva ſedis apoſtolicæ auctoritate, & diœceſani Epiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur &c. *uſque in finem.* Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, III. Nonas Februarij, Indictione ſecunda, incarnationis dominicæ anno MCXCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo.

EPISCOPO ET MAGISTRO P. de Corbolio Canonico Pariſien.

Epiſt. 553. Vt controverſiam Capituli Lingonenſis contra ſuum Epiſcopum pertractent.

CVm olim dilecti filij Decanus & Canonici Lingonen. contra Epiſcopum ſuum, ad citationem noſtram ad petitionem ipſius Epiſcopi procuratam, ad ſedem apoſtolicam acceſſiſſent, expectavimus ſi Epiſcopus idem, qui perſonaliter citatus fuerat, noſtro ſe conſpectui præſentaret. Qui cùm nec veniſſet, nec miſiſſet idoneos reſponſales, habito cum fratribus noſtris ſuper negotio ipſo conſilio, ipſum pro contumacia manifeſta & dilapidatione vulgata, quam non ſolùm ad aures noſtras fama publica detulit, immo etiam Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum religioſorum virorum teſtimoniales literæ demonſtrarunt, ab adminiſtratione totius Lingonen. epiſcopatus tã in ſpiritualibus quàm temporalibus omnino ſuſpendimus; ei literis apoſtolicis diſtrictiùs injungentes, ut ſuſpenſionem ipſam curaret inviolabiliter obſervare. Volentes autem (niſi fortè cedere mallet. quod ſaluti ſuæ meliùs expediret) cauſam quæ inter ipſum Epiſcopum & dilectum filium Decanum Lingonen. pro Eccleſia vertebatur ſuper dilapidatione & in ſufficientia & aliis multis injuriis & gravaminibus ipſi Eccleſiæ per eundem Epiſcopum irrogatis, examinari celeriùs, & canonico fine decidi, ne ſi prorogaretur diutiùs, caderet irreparabiliter Eccleſia Lingon. quæ jam videtur in parte maxima cecidiſſe, ipſam tibi, frater Epiſcope, duximus committendam, per apoſtolica ſcripta mandantes quatenus partibus convocatis, ſi de utriuſque partis voluntate procederet quòd per te diffinitiva ſententia proferretur, auditis hinc inde propoſitis, & aſcitis tibi viris prudentibus, quos tanto negotio cognoſceres expedire, cauſam ipſam fine canonico terminares. Alioquin geſta utriuſque partis redacta in ſcriptis, & ſigilli tui munimine roborata, ad præſentiam noſtram tranſmitteres; præfigens partibus terminum compe-

tentem, quo receptutæ sententiam nostro se conspectui præsentarent. Interim autem in procuratore idoneo Lingonensi Ecclesiæ præcepimus provideri. Cùm autem prædictus Decanus & socij ejus cum prædictæ commissionis literis recessissent, dilectus filius E. Archidiaconus Lingonen. advenit: ad cujus instantiam te fili magister P. duximus eidem negotio adjungendum; cùm in primis literis esset expressum, ut tu, frater Episcope, viros tibi prudentes ascires. Volentes igitur ut tenorem prædictæ commissionis inviolabiliter observetis, licèt ex abondanti, ad multam tamen instantiam Archidiaconi memorati, discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus quatenus si dictum Episcopum per judicium inveneritis innocentem, ipsum non solùm ab interdicti sententia, verùm etiam ab impetitione Decani & Capituli super objectis appellatione postposita penitùs absolvatis. Personales autem quæstiones, si quas idem Episcopus & tam prædictus quàm major Archidiaconus adversùs Decanum vel aliquos Canonicorum habueriot, audiatis, & sublato appellationis obstaculo curetis fine debito terminare; talem in procuratorem ipsius Ecclesiæ interim deputantes, qui neutri parti esse debeat de ratione suspectus. Datum Laterani IV. Idus Februarij.

COLIMBRIENSI ET ALIIS Episcopis in regno Portugalliæ constitutis.

Epist. 554. Differentiam inter edictum generale & particulare declarat. Cap. Cùm in partibus. *De verborum significatione.*

CVm in partibus vestris, peccatis exigentibus, sæpius contingat diversa loca interdicto supponi, quando generale vel particulare dici debeat interdictum, apud vos accepimus in dubium revocari; cùm illi qui ab Ecclesia Romana decorari privilegio meruerunt, videlicet, ut cùm generale interdictum terræ fuerit, liceat eis clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressa voce divina officia celebrare, interdicto particulari se asserant non arctari, asserentes illud interdictum generale duntaxat, quando regnum vel saltem provincia tota subjicitur interdicto. propter quod & justitia sæpius deperit, & Prælatorum sententiæ contemnuntur, cùm in aliis interdictis provinciis divina celebrent, & suspensis organis aliorum, ipsi pulsatis campanis, & apertis januis, quoslibet passim recipiant ad divina. Ne autem diversa interpretatio discordiæ causam iotet vos ulteriùs & odij fomitem valeat ministrare, vel quod interdictum dici debeat generale, amodo in dubium revocetur, significatione vobis præsentium intimamus, quòd cùm in privilegiis de regno vel provincia nihil expresè dicatur, nomine terræ non solùm regnum vel provinciam intelligi volumus, verùm etiam villam & castrum; ut & in his locum habeat quod de generali dicitur interdicto; videlicet, ut cùm villa vel castrum generali subjicitur interdicto, præscripta privilegij forma debeat observari. Datum Laterani VII. Idus Februarij.

ARCHIEPISC. ET CAPITVLO Pisano.

Epist. 555. Vt cives suos hortētur illam pacem atque concordiam servare, quam reliqui ordines Thusciæ servabant.

CVm apostolica sedes Ecclesiam & civitatem Pisanam multùm dilexerit hactenus, & in multis studuerit honorare, sicut operis exhibitio, quæ probatio est dilectionis, evidenter ostendit; nos, qui, licèt indigni, ad apostolatus officium sumus Domino faciente promoti, prædecessorum nostrorum & præcipuè sanctæ memoriæ Innocentij Papæ volentes vestigiis inhætere, si quādo nobis occurrunt per quæ honori Ecclesiæ vestræ ac civitatis debeat derogari, ab eis vos & cives vestros curamus propensiùs revocare; quemadmodum vice versa vos & ipsos ad exequenda illa libentiùs intendimus adhortari, unde possit communis utilitas provenire. Sanè cùm bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri temporibus Legati apostolicæ sedis civitatem Pisanam supposuerint interdicto, pro eo quòd cives Pisani à generalibus institutis patriæ deviabant; quia tamen forma tractatus illius nobis primitus oblata non placuit sub eo tenore, ad petitionem & instantiam Pisanorum interdictum duximus relaxandum; ut si, correctione adhibita, forma concordiæ nobis placeret in posterum, eam nobiscum pariter reciperet tenerentur. alioquin civitas ipsa reduceretur in sententiam interdicti. Exinde verò dilecti filij Prior & alij civitatum rectores ad nostram præsentiam accedentes, tractatum concordiæ nobis & fratribus nostris pariter obtulerunt: in quo, post correctionem adhibitam, nihil invenimus quod in ecclesiastici juris vel cu-

Vide suprà epist. 56.

jusquam minoris vel majoris personæ præjudicium redundaret. Nec ista dicimus ideo quin concordia illa possint malè utentes abuti, cùm vix contingat in rebus humanis aliquid tam salutiferum inveniri, unde per culpam abutentium aliqua sinistra non valeant provenire: quoniam & Apostolus aliis fuit odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem; & ipse Christus lapis offensionis nonnullis extitit, & petra scandali, positus in ruinam & in destructionem multorum. Et licèt omnis potestas à Domino Deo sit, teste scriptura; ea tamen præminentes nonnunquam peccatis exigentibus abutuntur. Nos autem prædictos rectores solicitis exhortationibus curavimus admonere quatenus initam concordiam & firmatam ita providè administrent, quòd per eam & ipsi à gravaminibus liberentur, & aliis gravamina non infligant. Ne igitur in verbis nostris inveniremur mendaces, & in operibus inconstantes, dilectis filiis Potestati & populo Pisano per apostolica scripta meminimus injunxisse ut tractatum concordiæ receptum à nobis & ipsi reciperent, ne communem totius patriæ viderentur impedire profectum. Alioquin per dilectum filium nostrū P. Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, civitatem Pisanam in interdicti sententiam mandavimus monitione præmissa reduci. Quod cùm idem Cardinalis effectui mancipasset, quia Pisanos ipsos audivimus fuisse conquestos quòd correcti capitularis eis copiam non exhibuit, & quòd eos præter formam mandati, non solùm interdicto, sed etiam maledicto subjecit, eidem per iterata scripta præcepimus ut competentes eis daret inducias, infra quas copia correcta capitularis exhibita deliberaretur, ut mandatum apostolicum adimplerent. Vos tamen positum interdictum pro reverentia sedis apostolicæ, humiliter servavistis, & servatis. Consequenter verò rectores omnium civitatum Thusciæ ad sedem apostolicam venientes, de civibus vestris gravissimè sunt conquesti, quòd ipsi soli, omnibus aliis ad unitatem & concordiam jam inductis, tanquam hostes patriæ imminere omnium excidio viderentur; quòd cùm civitas ipsa maxima sit inter Thusciæ civitates, ex parte illa posset toti patriæ * provenire; & nisi mutato consilio reciperent quod tota Thuscia jam recepit, id non possent ulteriùs æquanimiter sustinere, quin potiùs ad gravamen civitatis illius totis viribus laborarent, quam satius esset perire duntaxat quàm patriā totam trahere in ruinam. Nos igitur affectione paterna volentes Pisanos ipsos, tanquam carissimos in Christo filios, ad quorum profectum Deo teste libenter intendimus, ad viam rectitudinis revocare, cùm turpis sit omnis pars suo non congruens universo, universitatem vestram monemus attentiùs, hortantes in Domino, & per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus ipsos monere pariter & inducere satagatis ut pacem & concordiam, inventam, non ad injuriam cujuslibet, vel jacturam, sed ad totius patriæ libertatem tuendam, & excutiendum jugum gravissimæ servitutis, quam ferè universi & singuli de Thuscia receperunt, humiliter recipiant, & observent; (in cujus tractatu, quem cautè eis præcipimus exhiberi, ne jurare ipsos oporteat quod ignorant, nihil, ut credimus, invenimus quod oporteat solicitiùs præcavere) ne dum in suo sensu nimis abundant, & reprobant quod alij approbarunt, & nos ipsi cognovimus approbandum, de nostro videantur judicio non sine culpa sacrilegij dubitare. Si autem (quod non credimus) monitis & præceptis nostris duxerint, sicut hactenus, contumaciter resistendum, nos, si quid eis & vobis pariter sinistrè contigerit, erimus de cetero apud Deum & homines excusati, qui quod ad nostrum officium pertinebat, opportunè & importunè non cessavimus exercere, animam nostram liberare volentes, & vobis ipsis à malis imminentibus præcavere. Quia verò multa sæpe beneficia præstantur invitis, cùm eorum non voluntati sed utilitati consulitur, ut juxta verbum dominicum compellantur intrare, manus nostras, non ex odio, sed ex amore, curabimus in eos duriùs aggravare. Ut autem eorum honori pariter & profectui consulatur, valde quidem expedire cognovimus ut ad id exequendum magis nostra quàm aliena districtione cogantur.

Scriptum est in eundem ferè modum Potestati & populo Pisano.

* damnum vel periculum

ILLVSTRI REGI NAVARRÆ.

Epist. 556. Quòd extortū & inhonestum iuramentum nō sit seruandum. *Cap.* Ad audientiam. *De iureiurando in Tertia Collect.*

AD audientiam nostram noveris pervenisse quòd cùm Castellæ & Aragoniæ Reges illustres anno præterito regnum tuum cum suis exercitibus introissent, de illo capiendo & dividendo ad invicem tractaverunt. Cùmque ibidem duobus castris per violentiam occupatis, tam Ecclesias quàm privatorum terras multipliciter afflixissent, quòd deteriora in posterum facerent minabantur, si suum possent propositum adimplere. Vnde totus populus metuens vehementer, quò se verteret nesciebat, vel qualiter imminentem posset effugere tempestatem. Interim autem dictus Rex Aragoniæ suos ad te nuntios destinavit, de componendis treugis tecum pariter tractaturos, secretò per eosdem requirens ut sororem tuam sibi traderes in uxorem. Tu verò attendens quòd vel sic saltem eorum posses instantiam evitare, tam de treugis quàm de contrahendo matrimonio respondisti quòd suam perficeres voluntatem, priùs tamen quàm de regno tuo exirent, nihil horum duceres ad effectum. Post hæc autem ad Reges ipsos dicti nuntij redeuntes, responsum quod eis dederas, retulerunt. Præfatus autem Rex Castellæ metuens ne si à regno exirent, ab his quæ promiseras resilires, respondit se à terra tua nullatenus egressuros, nisi priùs iurares quæ nuntiis promiseras te firmiter servaturum. Cùmque hoc tibi per eosdem nuntios intimassent, tu confiderans quòd in necem & exheredationem tuam, si fieri posset, præfati Reges intendere satagebant, iurasti coactus pariter & invitus quod à te fuerat de treugis & matrimonio postulatum, quamvis soror tua præfato Regi Aragoniæ consanguinitatis gradu tertio conjungatur. Nos igitur attendentes quòd iuramentum non ut esset iniquitatis vinculum fuerit institutum, & quòd in malis promissis fides sit * penitùs rescindenda, serenitati tuæ districtiùs inhibemus ne, si vera sunt quæ præmisimus, occasione iuramenti præmissi, quod periurium est veriùs nominandum, procedas ad incestuosam conjunctionem complendam. Datum Laterani III. Idus Februarij.

* *In Tertia Collect. potius*

PANORMITANO, REGINENSI, Capuano, Montis-Regalis Archiepiscopis, & Episcopo Troiano, familiaribus regiis.

Epist. 557. Vt necessariam contra hostes regni pecuniam sine mora trāsmittant. *Vide Gesta Innocentij III.*

SI diligenter attendiris, ut debetis, quot & quanta pro honore Regis & statu regni Siciliæ ab obitu illustris memoriæ Constanciæ Imperatricis solicitè gessimus, & agere non cessamus, per effectum operum potestis evidenter agnoscere quòd tutelam Regis & regni balium nobis ab eadem Imperatrice relicta non tam verbo quàm facto recepimus, & studiosissimè procuramus. Priùs enim quam dilecti filij magister B. Subdiac. noster & L. judex ipsius Imperatricis & Regis ac vestra nobis scripta tulissent, ad defensionem regni accingebamur viriliter & potenter, & ad resistendum Dei Ecclesiæ inimicis milites in expensis Ecclesiæ miseramus. Licèt autem ex pusillanimitate hominum de sancto Germano, non ex potentia hostium, castrum sancti Germani traditum fuerit in manu hostili, militibus nostris se recipientibus in monasterium Cassinense, plus tamen in hoc vobis Dominus & toti regno contulit quàm fragilitas humana speraret. Nam Marcoualdo circa obsidionem Cassinen. monasterij inaniter occupato, Comites, Barones, cives, & alij Regis & regni fideles ex magna parte in singulis provinciis convenientes in unum ad resistendum ei, sibi mutuò subvenire juramento firmarunt, immunita munientes, & villas & casalia reducentes ad civitates & loca munita, & contra eum etiam exercitum congregarent. Interim etiam non cessavit manus Domini flagellare tyrannum, cùm milites nostri sæpius in exercitum Marcoualdi facientes insultum, multos ex eis occiderint, multos ceperint, plures etiam vulneravetint, & obsessi de obsidentibus frequenter victoriam reportarint. Nec cessavit etiam manus nostra super eum effundere vasa iræ, non solùm spiritualiter, sed etiā temporaliter nostram super eum immo divinam potiùs potentiam exercendo; cùm per dilectum filium nostrum I. tituli sanctæ Priscæ Presbyterum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, tota ferè terra quam idem Marcoualdus habuerat in Marchia, sit divino munere in manu forti & brachio extento ad dominium Ecclesiæ revocata, munitionibus

ejus, in quibus ſpem ſuam poſuerat, redactis in cinerem & favillam. Nos etiam theſauris noſtris in nullo pepercimus; immo etiam non modicam pecuniæ quantitatem ab aliis mutuantes, dilectum filium I. tituli ſanctæ Pudentianæ Presbyterum Cardinalem, apoſtolicæ ſedis Legatum, & cum eo dilectum filium O. Subdiaconum conſobrinum noſtrum cum eadem pecunia in Marchiam ad Comites, Barones, & alios Regis & regni fideles duximus deſtinandos, qui jam validum cœperunt exercitum congregare. Fecimus quoque à multis Comitibus, Baronibus, civibus, & aliis multis cariſſimo in Chriſto filio noſtro Friderico illuſtri Regi Siciliæ innovari fidelitatem, & nos ſuper tutela ipſius & regni balio per eorum reddi juramenta ſecuros. Licèt autem vobis per literas noſtras dederimus in mandatis ut in cuſtodia Regis & cura regni uſque ad adventum Legati fungeremini vice noſtra; ut meliùs tamen vobis benigna intentio noſtra pateret, dilectum filium G. ſanctæ Mariæ in porticu Diac. Cardinalem, apoſt. ſedis Legatum, in Siciliam duximus deſtinandum, qui, ſicut vir providus & diſcretus, vices noſtras exerceat in utroque. Cùm igitur pium mentis noſtræ propoſitum, quod circa tutelam Regis & regni quietem gerimus, per nos non debeat retardari, & prædicta Imperatrix ad reſiſtendum turbatoribus regni de theſauro Regis & regni proventibus ſufficientem nobis mandaverit pecuniam miniſtrari, &, juxta quod ex relatione nuntiorum veſtrorum accepimus, vos id parati ſitis implere, cùm meliùs ſit ſimul & ſemel expendere quàm expenſas amittere ſucceſſivas, ut Rex & regnum ab ejus defendantur incurſu qui non ſolùm rerum & bonorum excidium, verùm etiam perſonarum periculum meditatur, fraternitatem veſtram rogamus, monemus, & per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, & diſtrictè præcipimus, quatenus cùm negotium dilationem non capiat; & tutiùs & faciliùs obvietur principiis, quantamcunque pecuniam poteritis tanto negotio neceſſariam per diſcretos, fideles, & providos nuntios tranſmittatis, in ſtipendia exercitus & alia quæ inſtantis neceſſitatis articulus poſtulat convertendam. Si enim ſoliciti procuratores exiſtitis & canti cuſtodes, non debetis parcere rebus, ubi periculum vertitur perſonarum, nec cauſas dilationis innectere, ubi gladius non ceſſat hoſtilis. Noſtis enim, non ſolùm per auditum, ſed etiam per experientiam, tyrannidem Marcualdi. Noſtis qualiter eo procurante non ſolùm ejuſdem regni Principes ſeculares, verùm etiam majores Eccleſiarum Prælati damnati fuerint exilio, & vinculis ferreis alligati. Noſtis etiam, & notitiæ hujus memoria veſtris oculis jugiter inculcatur, qualiter nobiles veſtri facti ſunt membrorum mutilatione deformes. Scitis quòd ſi Marcoualdus priori potentatu uſque hodie potiretur, nec ſemen etiam nobilium in regno reliquiſſet, nec ætati, nec ſexui, ſicut inceperat, pepercìſſet. Scitis etiam qualiter viros eccleſiaſticos & alios quoſdam vivos fecerit flamma torreri, quoſdam ſagimine liquenti peruri, quoſdam in maris præcipitari profundum; & ex præteritis qualiter futurus ſit vobis & regno, ſi eam, quam eredimus, diſcretionem habetis, intelligitis manifeſtè, qui juſto Dei judicio in eos ampliùs & crudeliùs dæſevivit qui ei in regni proditione ampliùs ſervierunt. Experti eſtis aſtutiam ejus, & frequentiam pejerandi; & quòd fidem non ſervet, fideli teſtimonio didiciſtis. Providete igitur Regi & regno, immo etiam vobis ipſis, & juxta mandatum Imperatricis ejuſdem, quæ talia futura quaſi præſcia mente prævidit, tantam pecuniam miniſtretis, quòd prædictus Mar. hoſtis Dei, Eccleſiæ inimicus, perſecutor regni, qui cum omnibus familiaribus & participibus ſuis excommunicationis eſt vinculo innodatus, non ſolùm prævalere non poſſit, immo nec fugere valeat, & nunc taliter conteratur quòd de cetero regnum ab ejus ſit vexatione ſecurum. Oportet enim vos ſolicitos & ſtudioſos exiſtere, ut exacta diligentia procuretis quod homines regni ad reſiſtendum ei potenter ac viriliter ſe accingant, & ſano pariter ac concordi conſilio dirigantur: ne ſi fortè vos & ipſi ex illa parte remiſſi aut otioſi fueritis, ſtudium noſtrum ex hac parte, quod circa multa verſatur, minùs efficax habeatur; propter quod culpa non levis in caput veſtrum debeat retorqueri. Speramus autem quòd hæc & alia, quæ imminent facienda, fideliter adimplebitis; tum ex debito fidelitatis, quo nobis & Eccleſiæ Rom. tenemini, & etiam ipſi Regi, tum ex officio quod vobis incumbit. ad quod utiliter exequen-

dum favor apostolicus vobis non deerit opportunus. quin etiam ad honorem & profectum vestrum, si solicitam fidem & fidelem solicitudinem in vobis experti fuerimus, ut speramus, efficaciter intendemus. Nos autem interim assiduè procuramus ut de Lombardis, Tuscis, Romanis, Campanis, & aliis adjacentibus provinciis validus exercitus congregetur, per quem dictus Marcoual. vel fugetur quàm citiùs, vel irreparabiliter conteratur. Ad quæ procuranda rectores Tusciæ apud Urbem fecimus convenire: cum quibus ita procuravimus, quòd duo millia militum, vel ad minus mille quingentos, nobis sine solidis, in moderatis tamen expensis, similiter & pedites & archarios, quot necessarij fuerint, ad mandatum nostrum in regni subsidium destinabunt: per quos, dante Domino, nisi per vos steterit, reportabimus de inimicis regni triumphum. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut nos super tutela * regni balio ante omnia vestro reddatis juramento securos, & juxta providum dicti Legati consilium, tam nostras quàm Regis per universum regnum literas per nuntios idoneos destinetis; ut omni dilatione & excusatione cessante, vestrum imitantes exemplum, id debeant adimplere. Datum Laterani VIII. Kal. Februarij.

* Leg. Regis &

CLERO, BARONIBUS, Judicibus, Militibus, & universo populo Capuano.

Epist. 558. Ut pro patria contra hostes fortiter decertent.

LIcèt circa statum regni Siciliæ ex generali debito pastoralis officij solicitudinem gerere teneamur, ex eo tamen quòd regnum ipsum ad proprietatem Ecclesiæ pertinet, & nobis ex inclytæ recordationis Constanciæ Imperatricis legitimo testamento carissimi in Christo filij Friderici illustris Siciliæ Regis est cura commissa, tanto ampliùs ad quietem ipsius intendimus & augmentum, quanto ad id rationibus pluribus invitamur. Unde cùm non sine magnis expensis Ecclesiæ ad ipsius defensionem intenderimus hactenus, & adhuc etiam intendamus, eos quos fideles fuerimus & constantes in articulo necessitatis instantis experti, curabimus, nec eis aut regno aliqua deerimus ratione. Illos verò qui regni meditantur excidium, & Marcoualdi dominationem affectant, redigemus dante Domino in perpetuam servitutem, ut pater proditor in filiis etiam perpetuò puniatur. Licèt autem castrum sancti Germani à Marcoualdo & sequacibus ejus potiùs ob pusillanimitatem hominum ipsius castri quàm ipsius Marc. potentiam fuerit occupatum, plus tamen nobis & toti regno divino munere castri amissio contulit quàm dicto M. & suis ejus occupatio profuisset; cùm ipso Mar. circa obsidionem monasterij Casinen. inaniter occupato, vos & alij regni fideles contra ejus incursum vos duxeritis fortiùs muniendos. Nos autem, ne quid ex contingentibus omittere videremur, dilectum filium G. sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, in Siciliam duximus destinandum, qui nobis in pecunia & aliis quæ necessaria fuerint, propter imminentem regni necessitatem curet liberaliter subvenire. Dilectum autem filium I. tt. sanctæ Pudentianæ Presb. Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, & cum eo dilectum filium Octavianum Subdiaconum & consobrinum nostrum, cum non modica pecuniæ quantitate ad dilectos filios P. Celanen. & R. Teatin. & alios Comites & Barones ejusdem provinciæ misimus, qui non solùm in regni subsidium & fidelium ejusdem Regis & devotorum Ecclesiæ Rom. succursum, sed in exterminium Marc. validum exercitum coadunent; & in proximo dante Domino convenient cum exercitu qui est in Apulia congregatus, & ad debellandum eundem Marc. & exercitum ejus in omnipotentis Domini exercituum in manu forti & brachio extento procedent. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, ac per apostolica scripta vobis mandamus, quatenus in fidelitate Regis ejusdem & devotione sedis apostolicæ firmiter persistentes, fortiter & viriliter resistatis inimicis Ecclesiæ, persecutoribus regni, qui vos, sicut hactenus, servituti supponere moliuntur, bona diripere, mutilare personas, & coram viris uxores, & patribus filias, & fratribus dehonestare sorores: quibus, cùm soli fideles nostri de Marchia ipsum & complices suos de terra fugaverint, & modicum quod sibi remanserat, jam penè penitùs occuparint, nisi homines regni mens effeminet muliebris, non solùm est leve resistere, immo etiam de ipsis vobis non est difficile triumphare, cùm eos spoliorum vestrorum cupiditas,

Vide Gesta Innocentij III.

vos autem juſtitia moveat ad pugnandum. Illi enim ut in ſervitutem vos redigant, vim vobis inferre nituntur : vos autem violentiam repellitis, ut veſtram tueamini libertatem. Præterea, cùm ipſi nec occaſionem etiam habeant Regem & regnum & vos ipſos taliter moleſtandi, defenſioni veſtræ juſtitia præſtabit effectum, quos ad reſiſtendum viriliter præteritarum injuriarum memoria debet fortiùs animare. Noſtis enim qualiter quidam nobiles veſtri fuerint macerati exilio, quidam membris honorabilioribus mutilati, quidam flammis traditi, quidam poſt liquentis aduſtionem ſaginis, vivêres in mari receperint ſepulturam, facti cibus piſcium, & marinarum eſca modica beluarum. Noſtis qualiter omnes in poſſeſſionibus fueritis & pecunia diminuti, qualiter Teutonicorum promiſſionibus defraudati; & ut comprehendamus breviter univerſa, vix eſt aliquis in toto regno, qui in ſe vel ſuis, perſona, vel rebus, conſanguineis, vel amicis, grave non incurrerit per Teutonicos detrimentum. quod ex majori parte procuratum eſt per aſtutiam Marcoualdi; quẽ nos jamdudum cum participibus & fautoribus ſuis excommunicationis vinculo innodavimus, & à vinculis juramenti, quo ſibi tenentur, abſolvimus univerſos. Nos igitur hujuſmodi præcaventes, ad defenſionem veſtram potenter intendimus; &, ſi quid opus eſſet, eandem peccatorum remiſſionem concederemus omnibus qui Marcoualdi & ſuorum violentiam expugnarent, quam concedimus omnibus qui contra Sarracenorum perfidiam ad defenſionem orientalis provinciæ accinguntur, *quin per eum impediatur terræ ſanctæ ſuccurſus.

* *f.* quòd

ARCHIEPISCOPIS, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & univerſo clero per Calabriam & Apuliam conſtitutis.

Epiſt. 159. Ejuſdem ferè argumenti cum epiſtola præcedenti.

IS qui beatum Petrum in fluctibus ambulantem, ne mergeretur, erexit, & pro eo rogavit ne deficeret fides ejus, ipſius naviculam, licèt magnis fluctibus jactetur interdum, non patitur naufragari; ſed tempeſtatem in tranquillum convertens, & aquilonem in auſtrum, tunc eam mirabiliùs ſuæ potentiæ dextera gubernat, cùm penè mergi fluctibus, penè ventorum videtur impetu conquaſſari, juxta verbum Prophetæ dicentis: *In tribulatione dilataſti me.* Qui enim eidem Apoſtolorum principi potentiam calcandi ſuper ſcorpiones indulſit, ipſe ab Eccleſiæ facie prava in directa & aſpera in vias planas immutans, omnia ſubjicit ſub pedibus ejus, & eam de humili exaltat in altum. Sanè qualiter diebus noſtris & veſtris perſecutio invaluerit contra eam, qualiter viſa fuerit conculcari, & qualiter Domino faciente cum ea ſignum in bonum inſtantia fuerit perſecutoris eluſa, & ipſa in ſtatum redierit felicitatis antiquæ, ac in eo augmentum ſuſceperit in quo videbatur diſpendium incurriſſe, patet omnibus manifeſtè. Innovator etenim veterum & inveterator novorum Dominus Ieſus Chriſtus veterem Eccleſiæ Rom. ac regni Siciliæ unitatem, quæ quodammodo fuerat paſſa ſciſſuram, innovare ac roborare diſponens, & innovatam & roboratam in longævæ dirigere ſecula vetuſtatis, inclytæ recordationis Conſtanciæ Imperatrici pium inſpiravit affectum, ut cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fridericum Siciliæ Regem illuſtrem noſtræ tutelæ committeret, & regni balium nobis relinqueret teſtamento; ſicut & vos ipſi audiſtis, & nos certiores reddidit ipſius tranſmiſſi nobis inſpectio teſtamenti. Vnde cùm de ſalute Regis ejuſdem & regni ſtatu ſit à nobis ſolicitiùs cogitandum, & propter hoc regnum ingredi diſponamus ut ad introitum noſtrum pax ipſi reddatur, immo præveniat potiùs noſtrum ingreſſum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtrictè præcipimus quatenus in fidelitate Regis ejuſdem & devotione ſedis apoſtolicæ firmiter perſiſtatis, inimicis regni & Eccleſiæ juxta debitum pontificalis officij reſiſtentes, & ad reſiſtendum viriliter inducentes laicos veſtræ juriſdictioni ſubjectos. Exponite ſingulis & per univerſam parochiam veſtram faciatis exponi tyrannidem Marcoualdi: cujus conſilio nobiles veſtri paſſi exilium, & ferreis vinculis alligati, facti ſunt membrorum mutilatione deformes: quo procurante magnates veſtri, etiam Clerici, fuerunt ignis ardore conſumpti, quidam aduſti liquenti ſagimine, quidam undis ſubmerſi: qualiter omnes & ſinguli vel in perſonis vel rebus plurimùm prægravati, & prægravandi ulteriùs, ſi (quod abſit) in eis poterit prævalere. Vt enim urbes in villas redigat, nobiles & potentes ſubjiciat ſervituti,

servituti, personas rapiat & bona diripiat impotentum, patribus filias surripiat violenter, & maritis uxores, immo etiam ut indigenas universos ejiciat, & alienos in indigenarum labores inducat, ne ipsum denuo de regno contingat expelli, regnum denuo est ingressus, & prioribus pejora committit. Cùm autem jampridem propter suos excessus eum universis fautoribus & participibus suis à nobis excommunicationis vinculo fuerit innodatus, volumus nihilominus & sub eadem districtione mandamus ut ipsum & universos complices ejus singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis extinctis, excommunicatos publicè nuntietis. Vniversos etiam qui ei vel in occupatione regni vel aliis favere præsumpserint, vel qui literas vel nuntios ejus in Regis & regni susceperint detrimentum, vel suas ei præsumpserint destinare, eadem sententia innodetis; universas civitates, castella, villas, & Ecclesias, ad quas fortè devenerit, eo præsente subjacere denuntietis sententiæ interdicti. Ad hæc, ea quæ venerabilis frater noster Tarentinus Archiepiscopus, vir utique providus & fidelis, qui tam Ecclesiæ quàm regni diligit incrementum, vobis ad commodum utriusque duxerit proponenda, indubitata fide credatis.

COMITIBVS, BARONIBVS, civibus, & universo populo in Apulia & Calabria constitutis.

Epist. 560. Ejusdem argumenti cum duabus præcedentibus.

Satis hactenus manus Teutonica tegnum turbaverat, satis attriverat opes ejus, satis ipsum viribus & viris exhauserat, ut non denuo moliretur excidium, nec quieti ejus & paci aliquatenus invideret. Verùm Marcoualdus Dei & Ecclesiæ inimicus, antiquus regni Siciliæ persecutor, qui quondam Imperatoris animum ad cædem nobilium, pauperum oppressionem, mutilationem potentum, & magnatum exilium iniquitatis suæ* inducebat, qui muros & munitiones civitatum, ne à se jugum possent excutere servitutis, redigebat in pulverem & favillam, ut quod tunc ejus proposito defuit, iniquè valeat consumere, ut videlicet urbes convertat in villas, & earum augeat servitutem, regnum iterum est ingressus, & prioribus pejora committit, pessima commissurus, si (quod absit) potuerit prævalere: contra quem universos habitatores regni præcedens ejus iniquitas, sicut credimus, sufficienter inducit; utpote cùm vix in regno vel unus etiam valeat inveniri, qui eo procurante in se vel in suos gravaminis causam non senserit, & adhuc etiam materiam habeat deplorandi. Debent enim homines regni ad memoriam revocare qualiter quidam eorum in exilium ducti, membrorum facti sunt mutilatione deformes, qualiter quidam igniti sagiminis liquore perusti, quidam flammis traditi, quidam in maris præcipitati profundum, ad colla eorum molari lapide alligato; qualiter civitates sint muris discinctæ, qualiter divites pauperes cum Ecclesiis spoliati, & ad rantæ crudelitatis memoriam non solùm ipsum persequi, sed & nomen ejus & contra eum unanimiter convenire. Scientes autem fidelitatis vestræ constantiam, quæ inter adversa semper magna eluxit, prædicto M. nullatenus consentire, universitatem vestram monemus, rogamus, & exhortamur attentiùs, ac per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus in carissimi in Christo filij nostri F. Siciliæ Regis illustris fidelitate ac devotione sedis apostolicæ solita fortitudine persistentes, eidem Marcoualdo, qui cum omnibus fautoribus & participibus suis excommunicationis est vinculo innodatus, potenter & viriliter resistatis, nec residuum libertatis vestræ patiamini suffocari. Nos enim, si super hoc nostris parueritis monitis & mandatis, ad honorem & profectum *dante Domino intendemus. Illud autem vos nullo modo deterreat, quòd Burgum sancti Germani noscitur occupasse, cùm non suæ virtutis sed habitatorum ipsius timiditati sit penitùs ascribendum, qui eum deseruerant ex toto. Milites enim omnes abierunt illæsi, & apud Montem Casinum, locum utique munitissimum, & necessariis abundantem, intrepidi perseverant: contra quos cùm exercitus Marcoualdi fecisset insultum, sicut accepimus, turpiter est fugatus, multis occisis, & pluribus vulneratis; & fortè divina factum est providentia ut illic inaniter occupetur, ut interim vos & alij contra eum vires vestras fortiùs præparetis. Volumus igitur & mandamus ut, ne qui falsis rumoribus seducantur, hæc per regnũ faciatis publicè nuntiari. Nos autem licèt hactenus contra eum milites studuerimus congregare, nunc tamen de Imperatricis dispositione certiores effecti

*Deest hic aliquid.

* vestrum

Vide Gesta Innocentij III.

Sf

per scriptum nobis à venerabilibus fratribus Panormitano, Capuano, Reginensi, Montis Regalis Archiepiscopis & Trojano Episcopo sub ejusdem Imperatricis bulla transmissum, ad defensionem regni tanto ampliùs aspiramus, quanto plus præter debitum officij pastoralis de statu & quiete ipsius tenemur specialiùs cogitare. Verùm ne quid ex contiogentibus omittamus, dilectum filium nostrum I. tituli sanctę Pudentianæ Presbyterum Cardinalem & apostolicæ sedis Legatum ad dilectos filios nobiles viros P. Celanen. & R. Teatin. Comites, quos verè fideles regni & Ecclesiæ Rom. devotos invenimus, cum non modica pecunię quantitate in stipendia militum eroganda dirigimus, ut per eos & militum nostrorum subventio & defensio regni celeriter & utiliter procuretur. Studete igitur omnes & singuli taliter præparari, ut pro regni defensione resistatis violentię Marcoualdi, qui perpetuæ vos nititur tradere servituti.

Vide suprà epist. 557.

ARCHIEPISCOPIS, *Episcopis, & universis Ecclesiarum Prælatis in Sicilia constitutis.*

Epist. 561. De eodem argumento.

PRæter generale debitum &c. *usque ad verbum* mandavit. Licèt autem ad suscipiendam tutelam Regis ipsius & regni balium assumendum ad regni jugiter præparemur ingressum, quia tamen negotium dilationem non capit &c. *in eundem ferè modum usque ad verbum* assistatis, & nos ad honorem Regis ipsius super ejus tutela & regni balio assicuretis, sicut dicta disposuit Imperatrix; nt ex hoc fides, quam circa eundem Regem & nos ipsos habetis, manifestiùs elucescat, & nus ad honorem vestrum intendere non immeritò debeamus. Nos enim &c. *usque ad verbum* Attendentes igitur qualiter Regi teneamini memorato &c. *usque ad verbum* curetis adesse, quòd ex hoc nos vobis constituatis quodammodo debitores. Præcavete vobis &c. *usque in finem.*

G. SANCTÆ MARIÆ *in porticu Diacono Cardinali, apostolicæ sedis Legato.*

Epist. 562. Ipsi gubernationem Regis minoris & regni Siciliæ committit.

COnstantiam tuæ mentis, prudentiam, dispositionem in arduis negotiis apostolicæ sedis experti, certi etiam de fortitudine quam in negotiis regni Siciliæ pro statu & honore ipsius manutenendo immo etiam promovendo in melius tam nostris quàm prædecessorum nostrorum temporibus habuisti, quod ad præsens circa tutelam carissimi in Christo filij nostri F. Siciliæ Regis illustris & regni dispositionem implere per nos ipsos persooaliter non valemus, tibi fiducialiter duximus committendum; scientes quòd in his, sicut & aliis negotiis tuæ curæ commissis, honorem sedis apostolicæ * utiliter & efficaciter promovebis. Hac igitur consideratione inducti, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut in negotiis solicitudini tuæ commissis, quæ vel ad tutelam Regis vel regni dispositionem pertinere cognoveris, vice nostra sublato appellationis impedimento, prout melius videris expedire, procedas.

* *f.* viriliter

NOBILI VIRO *L. de Aquila Comiti Fundano.*

Epist. 563. Ut Legatis apostolicis obtemperet, & consilio atque auxilio sit.

QVòd in obsequio & fidelitate inclytæ recordationis Constanciæ Imperatricis fortiter perstitisti, quòd inimicis regni restitisti viriliter, & eos etiam expugoasti, gaudemus plurimùm, & ex hoc futuræ devotionis tuæ sumimus argumentum; speraotes, immo etiã pro certo tenentes, quòd jam nunc in regni tuitione fortiùs perseveres, cùm ad nos præter id quòd regnum Siciliæ ad jus & proprietatem Ecclesiæ pertinet, specialiùs ipsius defensio spectare noscatur. Siquidem Imperatrix prædicta legitimum condidit testamentum, quo nobis carissimi in Christo filij nostri F. Siciliæ Regis illustris tutelam & curam regni concessit; ac postmodum vigesimo septimo die mensis Novembris viam est universæ carnis ingressa. Vnde cùm de fratrum nostrorum consilio regnum dante Domino ingredi disposuerimus, ad ipsum solidandum in ejusdem Regis fidelitate ac obsequio, & tranquillitate, pace, ac justitia conservandum, dilectum filium nostrum I. tituli sancti Stephani in Cœlio Monte Presbyterum & G. sancti Adriani Diaconum Cardinales, quos inter fratres nostros syncero prosequimur dilectionis affectu & specialis benevolentiæ brachiis amplexamur, ante faciem nostram duximus præmittendos: qui & adventum nostrum prænuntient, & de benevolentia & gratia, quam ad eundem Regem & regnum gerimus, vos efficiant certiores. Ideóque nobilitatem tuam ro-

gamus, monemus, & per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus Cardinales ipsos tanquam Legatos apost. sedis suscipiens humiliter & devotè, vel ad ipsos vocatus accedens, quæ tibi ex parte nostra duxerint proponenda, humiliter audias, & efficaciter prosequaris. Ad obsequium etiam nostrum & regni defensionem taliter accingaris, ut cùm mandatum nostrum ad te iterum emanarit, nihil te prorsùs detineat, quin, si necesse fuerit, nos sequaris, vel ad resistendum inimicis regni & Ecclesiæ juxta dispositionem nostram procedas.

PANORMITANO, CAPUANO, Regin. & Montis Regalis Archiepiscopis, & Episcopo Trojano.

Epist. 564. Ejusdem argumenti.

PRæter generale debitum officij pastoralis, per quod universis Christi fidelibus & singulis provinciis, in quibus nomen colitur Christianum, solicitè cogitare tenemur, illa prærogativa dilectionis & gratiæ, quam prædecessores nostri circa regnum Siciliæ præteritis temporibus habuerunt, & fidei ac devotionis synceritas, quam idem regnum & Principes ejus ferè semper exhibuerunt apostolicæ sedi, ad providendum eidem regno specialiter nos inducunt: quibus nunc causa potior & urgentior supervenit, cùm inclytæ recordationis Constancia Imperatrix carissimi in Christo filij nostri Friderici Siciliæ Regis illustris tutelam & regni balium nobis testamento reliquit, & nos super utroque ab omnibus assecurari mandavit. Licèt autem testamentum Imperatricis ejusdem nobis expectemus per vestros nuntios destinari, quia negotium dilationem non capit, cùm Marcoualdus Dei & Ecclesiæ inimicus, persecutor regni, non dormiat, sed regnum perturbare immo etiam occupare cum suæ iniquitatis fautoribus moliatur, dilectum filium nostrum G. sanctæ Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, virum utique providum & discretum, verum & veterem regni Siciliæ amatorem, qui pro honore ipsius nullius erubuit faciem potestatis, quem inter fratres nostros speciali diligimus caritatis affectu, in Siciliam duximus destinandum, vices nostras ei tam super hoc quàm aliis negotiis cō- mittentes. Credimus enim quòd per *dispositionem & providentiam ejus in fidelitate Regis ipsius & devotione nostra regnum solidabitur universum, & malignantium perfidia confundetur. Ideóque fraternitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur attentiùs, ac per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus Legatum eundem tanquam personam nostram recipientes humiliter & devotè, taliter ei super nostris & ejusdem Regis negotiis assistatis, quòd in hoc manifestiùs appareat fides vestra, & ex eo tam piam Imperatricis dispositionem de vestro, sicut jam credimus, cognoscamus processisse consilio, quòd eam non patiamini effectu debito defraudari. Nos enim nec labor personæ nec ulla negligentia revocabit ab illis quæ nos facere deceat, & tanto videantur negotio expedire. Attendentes igitur qualiter nobis & Regi teneamini memorato, ad honorem & salutem ipsius & nostram utiliter & efficaciter eidem Legato curetis adesse, dispositionem & statuta ipsius velut nostra recipientes humiliter, & inviolabiliter observantes, cùm de synceritate ac industria vestra indubitatam fiduciam habeamus. Præcavere vobis & regno ab insidiis Marc. qui licèt aliud mentiatur, regnum tamen non Regi sed sibi usurpare contendit, & in vos & alios Teutonicorum cædes & suam & suorum injuriam vindicare: de quo non est aliquatenus diffidendum, cùm etsi contingeret eum in regnum procedere, non tamen proficeret immo potiùs deficeret labor ejus; præsertim si Sicilia fideliter in ejusdem Regis fidelitate ac Ecclesiæ Rom. devotione persistat. Nos autem contra eum validum exercitum destinamus.

** f. dispensationem*

ILLUSTRI REGI Siciliæ.

Epist. 565. Consolatoria super morte patris & matris.

QUòd prima primi lactis pocula tibi Dominus ab initio miscuit, quod vix bene balbutientem infantiam quasi continuata reddidit lamentatione disertam, & recenti pueritiæ non solùm recentem sed & repetitum amaritudinis calicem propinavit, tibi tanquam speciali apostolicæ sedis filio specialiter condolemus, & tecum pariter & in te propinatæ tibi amaritudinis violentiam experimur. Recepimus enim per dilectos filios magistrum G. Subdiaconum nostrum & L. judicem nuntios tuos, viros peritos, providos, & discretos, tuæ serenitatis literas, doloris & gemitus expres-

fivas: quibus & patris decessum, & matris obitum, ætas tenertima deploravit, utpote quæ primùm utrumque flere didicit, quàm elementis plenè alterum nominare. Nondum enim regalis infantia super morte patris consolationem acceperat, & dolorem antiquum superveniens doloris novitas innovavit, & pueritiæ tuæ primitias eorum deputavit exequiis quorum obsequiis secundùm naturæ jura juvari debuerat & solicitiùs & diligentiùs enutriri. Verùm pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, nobis & tibi super hoc consolationem obtulit salutarem, & in eo tibi consuluit in quo te visus fuerat aliquantulum asperè visitare. Sanè ne, si parceret virgæ, te secundùm Salomonem videretur odisse, aut si te non corriperet, à dilectione sua infantiam tuam ostenderet alienam, cùm juxta testimonium sacræ scripturæ, quos amat arguat & castiget, ut quòd te in primis infantiæ tuę annis in filium adoptaret ostenderet, ætatis tuę primitias misericorditer visitavit, qui castigat omnem filium quem recipit, & facit in tentatione proventum. Vt autem id evidentibus indiciis evidentiùs demonstraret, Vicarium suum ad tutelam tuam misericorditer deputavit, patris defectum patre tibi digniore secundùm miserationum suarum multitudinem recompensans, & matrem tibi meliorem restituens pro matre defuncta, eam scilicet sub cujus capite læva ejus, & dextera ejus, sicut in Canticis legitur, amplexatur: ut dum ipsa te sicut filium foverit, eum à quo castis confovetur amplexibus, ad tutelam tuam & protectionem inducat. Nos igitur, qui præter debitum officij pastoralis, quo sumus singulis & præsertim pupillis & orphanis debitores, te tam ea ratione quòd inclytæ recordationis Constancia Imperatrix mater tua nostræ te tutelæ commisit, quàm eò quòd regnum Siciliæ ad patrimonium Ecclesiæ pertinet, diligere volumus & fovere, ad honorem & incrementum regiæ celsitudinis, statum regni, & fidelium tuorum profectum dante Domino efficaciter intendemus, & circa te paternam curabimus solicitudinem exercere. Monemus igitur serenitatem tuam, & exhortamur in Domino, quatenus omni penitùs mœrore deposito, effugatis tristitiæ tenebris, exultes in Domino, & in eo consolationis suscipias medicinam qui pro temporali spiritualem tibi patrem providit, & in matris obitu matrem Ecclesiam materna solicitudine tuæ indoli deputavit; ut factus postmodum vir, & in regni solio solidatus, eam ampliùs venereris, per quam te cognoveris exaltatum. Dictos autem nuntios tuos serenitati tuæ propensiùs commendamus, quos magnificentiæ tuæ fideles & in commissis sibi negotiis exequendis solicitos summos & diligentes experti; rogantes celsitudinem tuam, & monentes, ut eos intuitu benigno respicias &c.

PANORMITANO *Archiepiscopo.*

Epist. 566. Curam & instaurationem monasterij Panormitani committit.

CIrca statum Ecclesiarum, in quibus est ordo regularis statutus, in melius reformandum solicitum te credimus & attentum ut, in eis ordo deperditus restauretur. Sanè significavit nobis dilectus filius nobilis vir R. Comes de Agello, quòd bonæ memoriæ M. Cancellarius pater ipsius monasterium quoddam in civitate Panormitana fundavit, & in eo fratres Cistercien. induxit: quibus exinde recedentibus, Teutonici monasterium ipsum per laicalem potentiam occuparunt. Volentes igitur ut eidem monasterio tua solicitudine succurratur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si res ita se habet, amotis inde Teutonicis commoratis, abolitum inde ordinem Cistercien. fratrum reformes. Quod si regula non patitur, pro eo quòd in civitate inter hominum frequentias est constructum, cum consilio & assensu ejusdem Comitis & fratrum suorum fratres alterius ordinis in eo nostra fretus auctoritate instituas, qui Domino in eo jugiter famulentur, & regularia servent in perpetuum instituta. Datum Laterani VI. Idus Februarij.

MAGISTRO ET FRATRIBVS *Hierosolymitani Hospitalis.*

Epist. 567. Vt causam suā contra fratres militiæ Templi juie, non vi, prosequantur.

IN totius Christianitatis dispendium, apostolicæ sedis opprobrium, & animarum vestrarum periculum controversia quæ inter vos & dilectos filios nostros fratres militiæ Templi, super quibusdam possessionibus constitutis in tenimento Margati & Valeniæ, vertebatur, nocendi magnitudine ferè universas hujus

temporis controversias excedebat: utpote quæ toti erat Christianitati damnosa, injuriosa nobis, mortifera partibus, utilis inimicis fidei Christianæ, quibus & nocendi audaciam & detrahendi materiam ministrabat. Armaverat in se invicem Christianos, religiosos (si religiosi tamen dici debeant qui nimis injuriosè proprias injurias persequuntur) in gravem religiosorum perniciem excitarat, & manus contulerat in se ipsas, quæ in Christianorum defensionem acies consueverant Sarracenicas expugnare. Non enim sufficiebat partibus disceptare judicio, sed sibi in propria causa * dicentes, violentiam sibi mutuò irrogare & vim vi repellere, non solùm non servato moderamine inculpatæ tutelæ, sed etiam transgressæ ultionis excessu, temerè contendebant, & qui consueverant in hostes fidei Christianæ communes copias communiter congregare, terga vertentes hostibus, non solùm verbis, sed & factis, & scriptis, se invicem graviter offendebant. Cùm autem propter controversiam ipsam dilecti filii Disigius Prior Baroli & Og. Præceptor Italiæ fratres vestri, & ex parte adversa Pettus de Villaplana & Terricus fratres militiæ Templi, ad nostram præsentiam accessissent, præsentato nobis arbitrio quod inter partes protulerant peregrini cum ultramarinæ terræ Prælatis; licèt plenè nobis de jure liqueret, maluimus tamen etiam personaliter ad pacem intendere, ac causam ipsam amicabili compositione sopire, quàm judicio terminare. Fratres igitur tam eorum quàm vestros convocantes in unum, ac de compositione tractantes, de voluntate ipsorum, præsente ac consentiente Seguino Milite, dictas possessiones cum fructibus inde perceptis plenè restitui de fratrum nostrorum consilio fratribus militiæ Templi mandavimus: ita tamen ut postquam ipsi per mensem pacificam possessionem habuerint, eidem Militi, qui proponit ad se possessiones illas de jure spectare, vel filiis ejus post citationem vestram teneantur in vestra curia respondere; sic scilicet quòd vos de principatu Antiochien. & de Comitatu Tripolitano viros idoneos ad judicium convocetis, qui fratribus militiæ Templi esse non debeant de ratione suspecti. Quòd si forsitan eorum aliquos de jure suspectos habuerint, ipsos eis liceat sine malitia recusare, ut judicium penitus sine suspicione procedat; præsertim cùm ipsis sub obtentu gratiæ nostræ dederimus in mandatis ut nullum sine certa ratione recusent. Quòd si, prout diximus, citati venire contempserint, ex tunc Militem ipsum vel filios ejus in possessionem causa rei servandæ mittatis. Viri autem vocati juramento firmabunt quòd odio, gratia, & timore postpositis, sine aliqua personarum acceptione, causam audient, & secundùm approbatam terræ consuetudinem terminabunt. Quòd si fortè noluerint, venerabilibus fratribus nostris Patriarchæ Antiocheno, Archiepiscopo Nazareno, & Valeniensi Episcopo dedimus in mandatis ut eos ad præstandum hujusmodi juramentum per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant, nec liceat partibus ab eis ante sententiam appellare. Si verò post sententiam alterutra partium duxerit appellandum, cùm appellationem fuerit interpositam prosecuta, nos, ut per eos causa eadem meliùs terminetur quibus meliùs poterunt ejus merita ex locorum vicinitate liquere, ipsam aliquibus de provincia, appellatione postposita, committemus; qui, pensata consuetudine, causam ipsam justitia mediante decident, quorum sententiam faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Per hoc autem quod pro bono pacis hac vice mandavimus, nullum alterutri partium volumus præjudicium generari. Ceteræ verò quas habetis vel habituri estis ad invicem quæstiones, secundùm compositionem inter vos & eos antiquitus initam, & à bonæ memoriæ Alexandro Papa prædecessore nostro & à nobis postmodum confirmatam, tractentur, concordia vel judicio terminandæ. Ideóque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, & sub obtentu gratię nostrę, excommunicationis interminatione, in virtute Spiritus sancti, & sub obtestatione divini judicii districtè præcipimus quatenus vos ad invicem diligentes, tam causam ipsam quàm alias honestè, sicut condecet, pertractetis; non per violentiam, vel injuriam, contendentes, sed quæ pro utraque parte videtur facere, in judicium rationabiliter deducentes. Scituri quòd si qua partium contra tam expressam inhibitionem venire præsumpserit, nos super eam durissimè manus nostras curabimus aggravare. Datum ut suprà.

* jus

PRIMICERIO ET CLERO Mediolanensi.

Epist. 168. Quòd Legatis & Nuntiis apostolicis ab omnibus justa procuratio debeatur. Cap. Cùm instantia De censibus.

CVm instantia nostra quotidiana sit, secundùm debitum apostolicæ servitutis, omnium Ecclesiarum solicitudo continua, quoties ipsarum negotiis promovendis non possumus personaliter imminere, per fratres nostros ea expedire compellimur, quos à nostro latere destinamus; illius exemplum in hac parte secuti qui discipulis suis in mundum universum transmissis, ipse in mediu terræ salutem fuit personaliter operatus. Hinc est quòd cùm nuper dilectum filium B. tituli sancti Petri ad vincula Presbyterum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, pro negotiis Ecclesiæ in Lombardiam duxerimus destinandum, & is civitatem vestram ingressus procurationes à vobis exigeret, quæ consueverunt apostolicæ sedis Legatis & Nuntiis exhiberi; vos non attendentes quòd dicitur ab Apostolo, *Si vobis spiritualia seminavimus, non est magnum si carnalia vestra metamus*, ne vos ad onus procurationis arctaret, nisi à Canonicis majoris Ecclesiæ se faceret antea procurari, sedem apostolicam appellastis, &c, sicut idem Cardinalis per suas nobis literas intimavit, in aliis etiam non modicùm injuriosi fuistis. Propter quod dilecti filij Præpositus sancti Nazarij & A. Canonicus sancti Stephani sindici & procuratores vestri cum dilecto filio Abbate sancti Vincentij ad sedem apostolicam venientes, ut super his statueremus ordinem & mensuram ex parte vestra supplicitер postulabant. Licèt autem pro eo quòd prædicto Cardinali vel potiùs nobis in ipso contumaciter resistentes, (juxta verbum dominicum: *Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit*) necessaria denegastis, non pro vobis sed contra vos potiùs meruerint exaudiri; quia tamen paternam affectionem, qua nobis est * proprium de Romanæ sedis clementia misereri semper & parcere, offensi etiam deponere non valemus, de consilio fratrum nostrorum taliter in hujusmodi duximus respondendum. Quòd cùm omnes Ecclesiæ Legatis & Nuntiis apostolicæ sedis procurationes impendere teneantur, ab earum præstatione nullam prorsùs volumus haberi excusatam, nisi fortè per speciale privilegium sedis apostolicæ (quod non credimus) sit exempta, etiamsi longissimo tempore procurationis obsequium non impenderit; cùm in talibus præscriptio sibi locum nequeat vendicare; cùm nos à provisione pastoralis solicitudinis circa omnes Ecclesias nunquam omnino cessemus. Sanè in his exigendis eum modum & ordinem volumus observari, ut nulla Ecclesia vel Prælatus se indebitè prægravari rationabiliter conqueratur. Si verò de communi collecta Legatorum & Nuntiorum nostrorum expensas duxeritis faciendas, quod vobis non duximus inhibendum, ex hoc nobis & nostris nullum præjudicium volumus generari quò minùs possint à quocunque maluerint procurationes sibi debitas postulare: ita quòd si exactus ultra suam gravatus fuerit facultatem, sibi ab aliis restauretur, nuntiis tamen nostris in necessariis exhibendis pareat quicunque fuerit requisitus humiliter & devotè: ita tamen quòd in fraudem nihil penitùs attentetur, nec per communes ministros procurationis obsequium, si noluerint, recipere compellantur. Qui verò contumaciter eis duxerit resistendum, omni prorsùs appellatione remota per ecclesiasticæ districtionis sententiam compescatur. Super injuriis autem dicto Cardinali temerè irrogatis volumus & mandamus quatenus ei satisfactionem congruam impendatis; ad quam, si fortè contemseritis exhibere, ipse vos appell. remota compellat. Datum Laterani XII. Kal. Martij.

* In Tertia Collect. perpetuum

Scriptum est super hoc B. tt. S. Petri ad vincula Presbyt. Cardin. apostol. sedis Legato.

*ABATI DE * CERRETO*

* In Tertia Collect. CERRECO.

Epist. 169. Ut Mediolanensium causam, quare procurationem Legatis negarint, cognoscat. Cap. Accedentes. De præscriptionibus.

ACcedentes ad præsentiam nostram dilecti filij Præpositus sancti Nazarij & A. Canonicus sancti Stephani sindici & procuratores dilectorum filiorum Primicerij & Cleri Mediolanensis, de ordinariis majoris Ecclesiæ nobis graviter sunt conquesti, quòd cùm ipsi Legatos & Nuntios apostolicæ sedis devotè recipiant & procurent, dicti ordinarij & procurare ipsos renuunt, & procurantibus ad expensas subsidium impertiri. unde Clericis Mediolanen. grave querebâtur præjudicium generari. Cùm enim per civitatem ipsam sæpe contin-

gat transitum facere nostros Nuntios & Legatos, quanto in eorum procurationibus faciendis pauciores existunt, tantò facientes ampliùs prægravantur; & quanto per plures onus esset procurationis divisum, tanto à facientibus faciliùs portaretur. Qui siquidem ordinarij, cùm pro eis & aliis vigilare jugiter non cessemus, & spiritualia, sicut Dominus dederit, omnibus ministrare, cur in hujusmodi speciali se jure satagant rueri, non videtur; præsertim cùm & Apostolus dicat, *Si vobis spiritualia seminamus, non est magnum si carnalia vestra metamus*, & instantia nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum solicitudo continua, sicut pleniùs norunt præsentes pariter & remoti. Volentes autem ut quod omnibus imminet, ab omnibus comportetur, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus prædictis ordinariis ad tuam præsentiam convocatis, nisi per speciale privilegium apost. sedis à præstandis procurationibus ostenderint se immunes, etiamsi longissimo tempore procurationis obsequium non impenderint, cùm in talibus sibi præscriptio locum nequeat vendicare, ipsos ad procurationis sarcinam ordine debito subeundam appellatione remota teneri decernas. Si quid etiam aliud dicti sindici contra præfatos ordinarios habuerint quæstionis, audias illud, & remoto appell. obstaculo justitia mediante decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Lat. VII. Kal. Martij.

MAGISTRO ET FRATRIBUS Hospitalis quod Theutonicum appellatur.

Epist 570. Ordinationem novam ab illis factam confirmat.

SAcrosancta Romana Ecclesia &c. *usque ad verbum* suscipimus. Specialiter autem ordinationem factam in Ecclesia vestra juxta modum Templariorum in Clericis & Militibus, & ad exemplum Hospitalariorum in pauperibus & infirmis, sicut providè facta est, & à vobis recepta, & hactenus observata, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis & confirmationis &c. Datum Laterani XI. Kal. Martij.

*PATAVIENSI EPISCOPO.

*In Tertia Collect. PITAVIENSI

Epist. 571. Vt prava judicandi consuetudo rescindatur

Cap. 3. extra de consuetudine.

AD nostram noveris audientiam pervenisse quòd in tua diocesi etiam in causis ecclesiasticis consuetudo minùs rationabilis habeatur, quòd cùm aliqua causa tractatur ibidem, allegationibus & querelis utriusque partis auditis, à præsentibus, literatis & illiteratis, sapientibus & insipientibus, quid juris sit, quæritur; & quod illi dictaverint, vel aliquis eorum præsentium consilio requisito, pro sententia teneatur. Nos igitur attendentes quòd consuetudo quę canonicis obviat institutis, nullius debeat esse momenti, cùm sententia à non suo judice lata nullam obtineat firmitatem, ut in causis ecclesiasticis subjectorum tuorum, postquam tibi de meritis earum constiterit, sententiam proferre valeas, sicut ordo postulat rationis, auctoritate tibi præsentium, præmissa consuetudine non obstante, concedimus facultatem. Nulli ergo &c. Datum Laterani XII. Kalendas Martij.

PATAVIENSI EPISCOPO.

Epist. 572: Datur illi potestas absolvendi incendiarios.

In margine epistola 23. remisimus lectorem ad epist. 572. Sed erratum est in numero. Vide epist. 577.

SIcut ex parte tua nostro fuit apostolatui referatum, prædecessores nostri felicis recordationis Clemens & Celestinus & devotionem tuam & gentis tibi subjectæ duritiam attendentes, ut absolvere ac judicare posses incendiarios in tua diocesi constitutos fraternitati tuæ de benignitate sedis apostolicæ indulserunt. Nos igitur tibi, quem inter fratres & coëpiscopos nostros syncera diligimus in Domino caritate, abundantiorem deferre volentes honorem, & illud nihilominus attendentes, quòd ex hoc vita hominum faciliùs corrigatur, ad exemplar eorundem prædecessorum nostrorum potestatem incendiarios tuæ diocesis absolvendi devotioni tuæ auctoritate præsentium indulgemus; nisi fortè tantus sit aliquorum excessus, ut eos oporteat ad sedem apostolicam destinari. Nulli ergo &c. Datum Laterani XI. Kal. Martij.

HENRICO DIACONO.

Epist 573. Ipsi Ecclesiam litigiosam cōfert, adversarióque silentiū imponit.

CVm inter te & Albertum Clericum de Tetingin super Ecclesia sancti Calixti quæstio verteretur, partibus in nostra præsentia constitutis dilectum filium nostrum G. sancti Nicolai

Diaconum Card. deputavimus auditorem: coram quo cùm fuisset aliquandiu litigatum, & idem nobis quod invenerat fideliter retulisset, nos rationibus utriusque partis diligenter auditis & cognitis, tibi adjudicantes Ecclesiam nominatam, ad quem de jure spectabat, te ab impetitione prædicti adversarij tui prorsùs absolvimus, perpetuum super hoc sibi silentium imponentes. Nulli ergo &c. nostræ diffinitionis & absolutionis &c. Datum Laterani XIII. Kalendas Martij.

C. QVONDAM HILDESEMEN. *Episcopo.* [Sine salutatione.

Epist. 574. Ne quis propria auctoritate, sine consensu Papæ, ex una Ecclesia in aliā migret. Vide suprà epist. 315.

QVòd tibi apostolicæ salutationis alloquium denegamus, non ex malevolentia nostra procedit; sed cùm olim præter auctoritatem apostolicæ sedis, ad quam cessiones, depositiones, & translationes Episcoporum spectare noscuntur, ad Herbipolen. Ecclesiam ab Ecclesia præsumpsisses Hildesemen. transire, Archiepiscopis & Episcopis Alemanniæ ac tibi ipsi (si tamen ad te literæ nostræ pervenerunt) & tam Herbipolen. quam Hyldesemen. Capitulo contra te literas curavimus destinare: quas cùm ad eos ad quos mittebantur, sicut ex relatione cursorum nostrorum accepimus, noverimus pervenisse, ab ipsis juxta tenorem ipsarum in te credimus fuisse processum. Sanè non erat nobis tutum in hoc articulo dissimulare apostolicæ sedis injuriam, aut privilegiorum nostrorum æquanimiter sustinere jacturam, ne dissimulatio in approbationem & taciturnitas in consensum posset ab aliquibus allegari. Vnde maluimus in te, licèt olim dilectum nobis, cùm in minori essemus officio constituti, aliquam exercere vindictam, quàm impunitus excessus trahe-retur à posteris in exemplum. Miramur autem non modicùm, & non sine ratione movemur, quòd contra nos ausus es ponere os in cœlum, asserens quòd contra te nec citatum nec convictum non fuerat sententia proferenda. Sed ecce, in quo alterum judicas, te ipsum condemnas, cùm tuum non fuerit de superiori temerè judicare, & in eo quod in excusationem tuam immo potiùs accusationem nostram allegas, tertium membrum omiseris, cùm in manifestis non sit ordo judiciarius requirendus. Verùm utrum excessus tuus fuerit manifestus, conscientiæ tuæ relinquimus discernendum, cùm non potuerit esse occultum quod tam publicè factum fuit & per totam Teutoniam publicatum. Tu etiam confessus videris de crimine, cùm in literis ad nos directis, quas adhuc apud nos in testimonium reservamus, Herbipolen. te præsumpseris Episcopum appellare. Nec credere de facili debuisses quòd in odium tuum aut in exaltationem alicujus & depressionem alterius duximus procedendum, cùm te dilexerimus hactenus, & adhuc etiam (nisi forsan tu ipse impedias) diligimus; & non gloriosum, sed periculosum, nobis existeret, in favorem alicujus in te proferre sententiam, aut aliquem ex malevolentia condemnare. Omni ergo excusatione cessante, si apud nos desideras gratiam invenire, mandatum studeas apostolicum adimplere; non rediens ad Hildesemen. Ecclesiam, & ab Herbipolen. recedens; ut tunc tandem, quem circa te in hoc etiam geramus affectum, evidenter agnoscas.

NOBILI VIRO VV. COMITI *Casertan.*

Epist. 575. Vt captos Regis & regni Siciliæ hostes diligenter custodiat, séque modestè gerat.

LIcèt hactenus inter ceteros Principes regni Siciliæ specialem de nobilitate tua fiduciam haberemus, nunc tamen prudentiam tuam in opere manifestissimè sumus experti, quæ talia nuper per Dei gratiam procuravit ex quibus honor Regis & noster ac regni defensio ad tuum magnificè proveniet incrementum. Accepimus enim, & pro certo tenemus, quod Duibuldum, occultum olim nunc autem manifestum persecutorem Regis & regni, non sine magnâ discretione ac prudentia captum vinculis tradidisti, qui potentior erat in regno quàm Marcoualdus Dei & Ecclesiæ inimicus, immo etiam sine cujus favore dictus Mar. nec ingressum nec progressum in regnum aliquatenus habuisset. Cùm igitur te & posteritatem tuam securam in hoc Dominus prævideritexaltandam, nobilitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & sub obtentu gratiæ nostræ ac debito quo carissimo in Christo filio nostro F. illustri Regi Siciliæ teneris, districtè præcipimus quatenus facta tibi à Domino gratia prudenter utaris, nec des honorem tuum alij, nec gloriam tuam participes alienis. Nos enim tam in honoribus quàm terra & aliis quæ à nobis duxeris postulanda, nobilitatis tuæ potentiam dante Domino

Domino curabimus dilatare. Tu verò, ficut caram habes gratiam nostram & Regis, memoratum D. & alios quos cum ipso cepisti, tam cautè, tam diligenter, & arctè facias custodiri, quòd nec fugere possint, nec circumvenire valeant tuæ industriam probitatis. Nec te Marcoualdi aut suorum minæ deterreant, nec preces demulceant, nec munera frangant, nec promissiones emolliant, aliquorum juramentis aut obligationibus qnibuscunque omnino non credens, donec de terris, personis, & rebus ita providè cum nostro consilio disponatur, ut per hoc & Regis honos & regni tranquillitas & tuus profectus per nos magnificè procuretur; pro certo confidens quòd nos ultra fortè quàm credas tuum procurabimus incrementum. Quoniam si, quod absit, semel tuas manus evaderet, in te ac terram tuam perpetuò desæviret. Volumus autem ut super hoc nobis consilium tnum pleniùs & voluntatem exponas; ut cognita intentione quam habes, possimus expressiùs respondere.

PE. COLIMBRIENSI Episcopo.

Epist. 576. Vt omnes jura episcopalia suo Episcopo persolvant.

FRatrum & coëpiscoporum nostrorum justitiæ consulere volumus, & eorum gravaminibus præcavere; ne si nostro fuerint subsidio destituti, gravem sentiant læsionem. Sanè significasti nobis in nostra præsentia constitutus, quòd quidam in tua dioecesi commorantes, eò quòd in Canonicorum sanctæ Crucis vel aliorum privilegiatorum sunt fraternitate recepti, jura tibi episcopalia non persolvunt. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut quandiu confratres hujusmodi moram fecerint in domibus suis in habitu seculari, & ab Ecclesiis tuis ecclesiastica receperint sacramenta, sicut priùs, tibi jura episcopalia solvere teneantur. Nulli ergo &c. Datum Laterani XIII. Kal. Martij.

STEPHANI BALUZII TUTELENSIS

ADMONITIO AD LECTOREM.

SEquentes epistolæ non extant in superioribus editionibus. Sed ex diversis locis conquisitas, cùm pertineant ad primum annum pontificatus Innocentij, heic vice appendicis edendas esse censuimus. Et fidelitates quidem Petri Præfecti & Comitis Ildebrandini editæ fuerant à Materno Cholino in fine libri secundi, loco non suo. Epistolam verò ad Oddonem Episcopum & Capitulum Pinnense suppeditavit tomus septimus Italiæ sacræ Ferdinandi Vghelli, reliquas Chronicon Gervasij monachi Cantuariensis.

IVRAMENTVM FIDELITATIS Innocentio III. præstitum à Petro Præfecto Vrbis.

Epist. 577. Vide suprà epist. 23. & Gesta Innocentij III.

IN nomine Christi. Ego Petrus Vrbis Præfectus juro quòd terram, quam mihi Dominus Papa procurandam commisit, fideliter procurabo ad honorem & profectum Ecclesiæ, non vendam, nec locabo, nec infeudabo, nec impignorabo, nec aliquo modo alienabo quicquam ex ea. Iustitias & rationes Ecclesiæ Romanæ studiosè requiram & recipiam, & jura ipsius recuperare studebo, & recuperata & habita conservabo & defendam, quandiu mihi procurationem dimiserit. Stratam custodiam, & justitiam exercebo. Ad custodiam munitionum diligens studium & operam efficacem impendam ut ad honorem & mandatum Ecclesiæ Romanæ bene custodiantur. Castellanos & servientes nec mutabo nec alios introducam, nec mutari faciam nec alios introduci, præter mandatum Domini Papæ. Fideles & vassallos de patrimonio Ecclesiæ sine speciali mandato Romani Pontificis ad fidelitatem & dominium meum non recipiam, & ex ea non faciam mihi affidatos teneri, nisi procuratione durante. In terra meæ procurationi commissa munitiones ædificari non faciam sine speciali mando Domini Papæ. Quandocunque fuero requisitus per Dominum Papam aut nuntium vel litteras ejus, reddam rationem de procuratione fideliter. Et quandocunque jussus à Domino Papa vel ab Ecclesia Romana, integrè & liberè resignabo. Hęc omnia juro me fideliter servaturum sine fraude pro posse meo. Salvo in omnibus mandato Domini Papæ. Sic

Te

me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.

IURAMENTUM COMITIS Ildebrandini.

Epist. 578. EGo Comes Ildebrandinus ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro & Domino meo Papæ Innocentio ejúsque successoribus canonicè intrantibus & sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Non ero in facto, neque in dicto, neque in consilio, aut in consensu, ut vitam perdant aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium quod per se vel per suum nuntium aut per suas literas mihi manifestaverint, ad eorum damnum me sciente nulli pandam. Si eorum certum damnum sciero, si possum, remanere faciam; sin aurem, aut per me aut per meũ nuntium vel per talem personam, quam pro certo credam eis dicturam, significabo. Papatum Romanum & regalia beati Petri, & nominatim Montem altum, & quicquid aliud teneo de ipsis regalibus, adjutor ero ad retinendum, quæ non habet ad recuperandum, & recuperata ad retinendum & defendendum contra omnes homines. Cùm autem à Domino Papa fuero requisitus per literas ejus aut per nuntium suum certum, ad præsentiam ejus accedam, ubi securus possum accedere, & in manibus ejus ligium hominium ei faciam. Hæc omnia bona fide sine fraude & malo ingenio observabo. Sic me Deus adjuvet & sancta hæc evangelia.

ODDONI EPISCOPO & Capitulo Pennens.

Epist. 579. Confirmat cõpositionem factam inter Episcopum Pennensem & monasterium S. Viti de Furca.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Oddoni Episcopo & dilectis filiis Canonicis Pennensibus salurem & apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramire non discordant effectu prosequente complere. Eapropter vestris justis postulationibus * impartientes assensum, quæ inter bonæ memoriæ Odorisium Pennensem Episcopum & Odolerium Priorem sancti Viti de Furca, super justitiis quas Pennensis Ecclesia in Ecclesia sancti Viti de Piscaria, quæ memoratæ Ecclesiæ sancti Viti de Furca noscitur esse subjecta, diocesana lege tanquam matrix Ecclesia vindicabat, amicabiliter intercessit, sicut legitimè facta est & ab utraque parte recepta, & hactenus observata, ut in scripto authentico confecto exinde continetur, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum XIII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno primo.

* benignum

REGI ANGLIÆ.

Epist. 580. Scribit pro monachis Cantuariensibus.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei illustri Regi Angliæ salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam de regia celsitudine spem certam & fiduciam obtinemus ut Ecclesias & ministros ecclesiasticos dignè satagat honorare, ipsósque suæ defensionis & protectionis munimine confovere, regalem magnitudinem ad hæc libenti animo apostolicis exhortationibus invitamus, & animum tuum ad ea volumus inducere per quæ Regi Regum, cujus propitiante gratia regni obtines dignitatem, dignis operibus valeas complacere, ipsiúsque tibi conciliare favorem. Nos itaque pro dilectis filiis nostris monachis Cantuariensis Ecclesiæ preces apostolicas porrigimus, magnificentiam ruam rogamus, monemus, & in Domino attentiùs exhortamur, quatenus ipsos & eorum Ecclesiam propensiùs habeas commendatos intuitu precum nostrarum, & ob reverentiam gloriosi martyris Christi Thomæ, qui sanguine martyrij Cantuariensem Ecclesiam illustravit, & à malignantium propulsione defendas, & eis sua jura illibata studeas & integra conservare. Datum Romę apud sanctum Petrum Non. Martij, pontificatus nostri anno primo.

SUFFRAGANEORUM Cantuariensis Ecclesiæ ad Innocentium Papam.

Epist. 581. Rescribunt in causa capellæ de Lambee. Vide suprà epist. 432.

REverendo Patri & Domino Innocentio Summo Pontifici suffraganei Cantuariensis Ecclesiæ salutem. Gratias agimus gratiæ largitori, qui suam fundans Ecclesiam supra petram, in Petro & per eum in successoribus ejus fratres suos confirmandos esse prædixit. Vnde & cùm de beatæ recordationis Celestini Papæ III. obitu essemus perturba-

ti, superveniens nuntius electionis vestræ nubilum nostræ tristitiæ desiderabiliter serenavit. Non reliquit nos orphanos, qui pro patribus filios, qui loco sanctorum suscitat Nazareos. Congratulamur gratiæ Dei, qui vos à primitivis adolescentiæ motibus ita erudivit & informavit ad tantæ mysterium dignitatis, ut Ecclesiæ incolumitas tota post Deum de vestræ potestatis auctoritate pendeat, & quæ in aliquibus membris suis infirmata est, sub indulto nobis Innocentio ad justitiam & innocentiam convalescat. Noveritis igitur quòd susceptis paternitatis vestræ literis ad venerabilem patrem nostrum Cantuariensem Archiepiscopum & nos directis, quarum vobis transcripta transmisimus, ad mandatum prædicti patris & Metropolitani nostri Cantuariæ infra XXX. dies susceptionis illius cum omni devotione convenimus, carissimo fratri nostro Conventrensi Episcopo manum consecrationis una cum eodem Archiepiscopo impositori, & super his quæ à vestra sanctitate in mandatis accepta fuerant communi deliberatione & consilio tractaturi. Nos autem ibidem pro his & ad hæc specialiter constituti, prædictum patrem & Archiepiscopum nostrum devotum invenimus, ut in his quæ injuncta fuerant, licèt gravia viderentur, vestræ dispositionis imperio juxta mandati formam & nostræ universitatis consilium obediret. Cùm autem satis exacta deliberatione super his invicem tractaremus, quibusdam nostrum scilicet, quibus rei gestæ series pleniùs quàm ipsi Archiepiscopo innotuerat, constanter asserentibus, multis etiam viris magnis & prudentibus & fide dignis id ipsum assertivè protestantibus, pariter advertimus religionem vestram ex suppressione veritatis multipliciter circumventam. Primò, quòd cum capella, de qua agitur, de speciali indulgentia piæ recordationis Vrbani Papæ in honore beatorum martyrum Stephani & Thomæ à bonæ memoriæ B. Archiepiscopo constructa fuerit, sicut eam beatus martyr Thomas plurimique ipsius prædecessores in honorem Protomartyris Stephani præconceperant construendam, nec in litteris Vrbani Papæ, quæ de eadem capella demolienda dicuntur emanasse, nec in præscriptis vestræ sanctitatis apicibus, quæ ipsius Vrbani Papæ litteris maximè videntur inniti, de prædicta indulgentia mentio facta fuit. unde nec ipsius indulgentiæ vigor per has vel illas videbatur infirmari. Secundò, quòd inclitæ recordationis Gregorius Papa indulsit ut per literas Domini Vrbani prædecessoris sui à tribus mensibus ante obitum suum contra Archiepiscopum B. & Clericos suos directas, nisi de novo mandato, minimè procederetur. Vnde cùm litteræ ejusdem Vrbani per indulgentiam ejusdem Gregorij suspensæ fuerint, & nulla Clementis Papæ vel alterius post illum inhibitio super hoc innotuerit, nihil in apostolicæ prohibitionis contemptum circa præfatam capellam videtur attemptatum. Tertiò, quòd cùm monachis Cantuariensibus in causa dicta procedendi facultas non suppeteret, eò quòd Vrbani litteras Gregorij indulgentia suspendisset, interventu Domini R. illustris Regis Angliæ & venerabilis W. Rothomagensis Archiepiscopi, necnon & Dunelmensis, Wintoniensis, Saresberiensis, Conventrensis, Roffensis Episcoporum, & Cancellarij Angliæ tunc Eliensis electi, iisdem monachis instantibus in Capitulo Domino & illustri Regi Angliæ & Abbate Cisterciensi multisque aliis & magnis præsentibus recitata, super hæc ita convenit, ut capella quæ prope muros Cantuariæ fabricata fuit, in locum remotiorem, quemcumque delegisset Archiepiscopus, sine subsecutura reclamatione liberè transferretur. Sed & iidem monachi omnibus aliis querelis spontanea voluntate renuntiaverunt, séque dispositioni Archiepiscopi sui per omnia subjecerunt, &, sicut à quibusdam fratrum nostrorum audivimus, Archiepiscopus & monachi sui se invicem in pacis osculo receperunt. Quartò, quòd cùm bonæ memoriæ Celestino Papæ processus totius negotij innotuisset, præfato Archiepiscopo nostro de prædicta Capella & præbendis ejus ad indemnitatem Cantuariensis Ecclesiæ liberè disponendi facultatem indulsit, & sic statum capellæ confirmavit. Vnde postmodum memoratis Archiepiscopo & monachis super eadem dispositione tractatum habentibus, unanimi assensu complacuit per nuntios utriusque partis ad sedem

Vide cap. Quoniam ad Episcoporum. De rescriptis, in secunda Collectione.

apostolicam destinandos sedis ipsius consilium super hoc expetere & expectare, Archiepiscopo id consilio Domini Papæ committente, ut in ejus esset dispositione sub quibus cautionibus, manente capella, Cantuariensis Ecclesiæ provideretur indempnitati. Nuntiorum autem prædictorum iter duo de monachis Cantuariensibus prævenientes, præter conscientiam vel Archiepiscopi vel Prioris & Conventus, sicut idem Conventus in Capitulo super hoc requisitus viva voce protestatus est, à claustro clanculò recedentes, & ob hoc ab Archiepiscopo non immeritò secundùm regularem disciplinam sententia sunt excommunicationis innodati; qui tacita veritate vel egressus eorum vel sententiæ quam justè super hoc exceperant, iidem eorum quæ suprà meminimus litteras prædictas ad ipsum Archiepiscopum & nos impetraverunt. His rationibus cùm universitati nostræ videretur esse juri consentaneum vestræque paternitati placiturum litterarum executioni supersederi, donec super rei veritate vestra instrueretur religio; dictus etiam Archiepiscopus, ne quid mansuetudinis & humilitatis omitteret, ex abundanti tam per se quàm per nos instanter obtulit ut de electis quos monachi Cantuarienses vellent Episcopis vel cujuscunque ordinis viris religiosis de omnibus quæ præcesserant, & de hujus mandati executione acceleranda vel differenda, eorum pareret arbitrio. Monachis autem hæc voluntariè magis quam justè recusantibus, præmissis moti rationibus ipsum Archiepiscopum ad hoc induximus, ut ipso interim subsistente, de solita sedis apostolicæ clementia confidentes, totum negotium ad vestram excellentiam referremus; supplicantes attentiùs ut ita super hoc vestra disponat prudentia, ne inter regnum & sacerdotium in Anglia jam orta dissensio invalescat. Turbati sunt enim vehementer ex hoc mandato Rex & regni magnates, eò quòd jure canonico videatur licitum, & hactenus consuetudine Anglicana obtentum, ut tam Archiepiscopi, quàm Episcopi, quàm etiam laici, auctoritate diocesani Episcopi possint Ecclesiam conventualem in suo construere fundo. Vos igitur, Pater in Christo carissime, quod super hoc expedire videritis, veritate cognita disponatis. scituri profectò quia quod statueritis Dominus Archiepiscopus & nos debito & devoto exequemur affectu. Quòd si sanctitati vestræ testimonium nostrum videatur minùs sufficere ad fidem, placeat vobis pleniorem hujus veritatis inquisitionem aliis quos elegeritis demandare, quorum relatione vestra sublimitas edocta, quod altissimo magis placere noverit, diffiniendo decernat.

ABBATVM CISTERCIENSIVM regni Angliæ ad Papam.

Epist. 152. De eodem argumento.

Reverendo Domino & Patri Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, suæ sanctitatis filij & servi devotissimi, E. Rievallis, R. de Boxeleia, I. de Forda, B. de Straford, W. de Ponte Roberti, H. de Stanlege, & W. de Basinguvas Abbates, totusque Cisterciensium Abbatum de Anglia Conventus, salutem debitam, cum humili subjectione, reverentiam & obedientiam. Cùm sacrosancta Romana Ecclesia, cui Domino disponente præestis, mater sit omnium Ecclesiarum in Christo, in multiplicandis eis, enutriendis, ac defendendis materna caritate atque sedulitate uti consuevit, & sic de adulta jam sobole gratulari, ut novam quotidie procurare non desinat. Quòd si in tot filiis ejus duo aliqui se in utero ipsius aliquando collidunt, materna gravitate atque prudentia litem hanc dirimere novit, & in id ipsum reducere dissidentes, ne & ipsi ab invicem consumantur, & ipsa utroque orbetur filio una die. Hinc est quòd pro beati Thomæ martyris Ecclesia, quæ ac si recens purpura totam vestit & ornat Ecclesiam Dei, quanta possumus gemituum ac precum profusione paterna viscera pulsamus, ut convertamini aliquatenus, & clementius aliquid cogitetis super eam. Securis enim apostolica jam ad radicem plantationis hujus novellæ, quod gementes dicimus, posita est. Sed si terram non occupat, si fructum facit, si denique fructum plurimum, securim vestram vel ad modicum suspendi humiliter supplicamus. Sanè non sine nutu divinæ dispensationis beatus martyr in loco nativitatis suæ memoriam sibi elegisse videtur; præ-

fertim cùm diffinitione Regum ac Principum, cum consilio Episcoporum ac totius Cleri, cum denique exultatione universæ terræ fundata, ipsorum etiam monachorum Cantuariensium, quæcunque ipsi vestræ majestati suggesserint, solennem in audientia publica gratiam & assensum meruerit. Denique si monachis illis contra Prælatum suum talem tantúmque Prælatum ad tam pium opus demoliendum res ad vota cesserit, numquid nos deinceps tam perniciosi virus exempli omnem cœtum Religiosorum inficiet, & cornua increscent omnibus inobedientiæ filiis, ut levi occasione insurgant & impingant in parentes suos? Omnis jam domus rupto pacis & obedientiæ vinculo desolabitur; & ubi tanti auctoritas mali convaluerit, unusquisque vorabit carnem brachij sui. Quidque ad loci hujus venerationem cum beati martyris illustri gloria præclara sui merita fundatoris accedunt, qui de nostro grege ad tanti officij cultum assumptus, magni illius mensuram gradus, ut mundus testis est, glorificè adimplevit, & in priori nihilominus humilitate & in multa omnium admiratione perseveravit. Et vir quidem ille, & vita venerabilis, & doctrina incomparabilis, & signis illustris, omnibus inter se & monachos suos illos solenniter consopitis, peragrè consummatus est, Christianæ fidei pietati tam pretiosa morte quàm vita eximia testimonium reddens. Non moveat, quæsumus, sanctitatem vestram livor istorum, nec post fata quiescens, quibus ignoscat Deus; quòd quem vivum inexorabiliter sunt persecuti, & veteres post mortem inimicitias in operum ejus reliquiis demoliendis dissimulare non possunt. Reverendo proinde successori cjus Domino nostro nunc Cantuariensi Archiepiscopo, contra quem præfati monachi suum levavere calcaneum, etiamsi ora humana tacuerint, opera ejus testimonium perbibent de illo, cùm luceant prorsùs omnibus qui in domo sunt. In viis ambulat gloriosorum prædecessorum suorum; qui, si veteres & novi revoluuntur annales, similia à suis monachis pertulisse invenientur. Iudicem eum esse incorruptissimum personarum prorsùs & munerum acceptione deducta nemo est in regno Anglicano qui dubitet. Benedictio proinde parvulorum pauperum, pusillorum, ac viduarum super eum continua ac copiosa descendit. Religiosi omnes non dominum eum vel judicem, sed patrem inveniunt & advocatum. In camera ejus non solùm ad colloquium, sed passim & indifferenter ad hospitij gratiam suscipit eos. De conscientia denique bona constans ei atque fidele testimonium perhibemus, quia ipse est unica ac potentissima Ecclesiæ Anglicanæ columna. Qui sicut in omnibus causis suis, ita & in hac tantam exhibuit patientiam, lenitatem, atque modestiam, quanta nec nos scripto ad præsens concipere possumus, & illi vobis pleniùs poterunt enarrare qui à latere ejus ad vos missi, ore ad os vobis loqui merebuntur. Sed de patientia ejus illi semper ad impatientiam crescunt; & lenitate ejus atque modestia abutentes, contumaciores atque immitiores efficiuntur in dies. Cadat ergo in conspectu vestro universitatis nostræ humilis supplicatio, ut respondeat ei hodie ante tribunal vestrum justitia sua, cui tot & tanta merita sua & gloriæ beati martyris pia æmulatio & totius Angliæ communia vota suffragantur. Vnum est quod precibus nostris adicimus, ut si nos in commendatione unius alteriúsve personæ timore seu gratia excessisse timetis, consulere dignemini testimonium universæ terræ, & eos, si placet, præcipuè qui de nigro sunt ordine, cùm in his utique non debeant esse de jure suspecti; & invenietis nos servos vestros fideles in omnibus partibus parciùs fuisse locutos. Valeat in Domino sancta paternitas vestra.


MONACHORVM ECCLESIÆ Cantuariensis ad Papam.

INnocentio Dei gratia Summo Pontifici Conventus Cantuariensis Ecclesiæ salutem. Multa & diversa immo & quædam sibi adversa sanctitati vestræ quandoque significamus; quia talia sunt quæ nos premunt. Sed in hoc confundimur, quòd ea quæ verè fiunt & non scribuntur, dum loquimur, dum auditis, fortè in contrarium mutata sunt. adeo non simpliciter operantur qui nos affligunt, ut vel ita apud vos de men-

Epist. 581. Exponunt afflictiones suas. Huic epistolæ respondet Pontifex epistola 436.

dacio non poſſint arguere, vel quòd uno aliquo non prævalent, mulris nos poſſint vulneribus immurare. unde & modò feriunt, modò ictum ſuſpendunt, & iterum, anrequam ſciſſa coëant, repercutiunt. Eapropter non levitati, quæſumus, impureris quòd diverſa vel ſibi diſſona nuntiamus, qui utique majeſtati veſtræ decrevimus non mentiri, ſed nec omnia ſuggerere quæ patimur in veritate. Nunc autem quia ſubſtantia ſpei noſtræ apud vos eſt, & caſus urget quem ſilere non poſſumus, ſanctitati veſtræ ſignificandum duximus, quòd omnibus poſſeſſionibus noſtris quaſi de Regis mandato jam tertiò ſpoliati ſumus poſtquam ad audientiam veſtram confugimus jus noſtrum ſub judicio veſtro poſtulare, nullius delicti nobis conſcij, niſi quòd in cauſa eccleſiaſtica jus nobis dici perimus ab eo cui commiſſa eſt ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Itaque, ſanctiſſime Pater & Domine, ſi quid poteſtis, adjuvate nos. Omnia enim poteſtis pro juſtitia, ſicut Apoſtolus de ſe ait. Nos autem pauperes Chriſti non rerum momenta ſumus pro quibus debear dignatio veſtra cum Principibus dimicare. Sed officij veſtri, ſi placet, memores eſtote; & ſicut egregiè Deo inſpirante cœpiſtis, ipſo adjuvante ſpecialis filiæ veſtræ Cantuarienſis Eccleſiæ miſerias lamovete. Valeat & vigeat in Chriſto ſemper ſanctitas veſtra, ut per eum noſtra deleatur miſeria. Amen.

FINIS LIBRI PRIMI.





EPISTOLARVM SIVE REGESTORVM INNOCENTII III. ROMANI PONTIFICIS LIBER SECVNDVS.

CLERO, CONSVLIBVS, & populo Viterbien.

Epist. 1. De persecutione & pœna hæreticorum. Cap. Vergẽtis De hæreticis.



ERGENTIS in senium seculi corruptelam non solùm sapiunt elementa corrupta, sed etiam dignissima creaturarum ad imaginem & similitudinem condita conditoris, prælata privilegio dignitatis volucribus cœli & bestiis universæ terræ testatur, nec tantùm eo quasi deficiente jam deficit, sed & inficit & inficitur scabra rubigine vetustatis. Peccat enim ad extremum homo miserrimus; & qui non potuit in sui & mundi creatione in paradiso consistere, circa sui & orbis dissolutionem degenerat, & pretij suæ redemptionis circa fines seculorum oblitus, dum variis ac vanis quæstionum se nexibus ingerit, * seipsum laqueis suæ fraudis innectit, & incidit in foveam quam paravit. Ecce etenim inimico homine messi dominicæ superseminante semen iniquum, segetes in zizania pullulant, vel potiùs polluuntur, triticum arescit, & evanescit in paleas, in flore tinea, & vulpes in fructu demoliri vineam Domini moliuntur. Nova siquidem sub novo testamento Achor progenies ex spoliis Iericho lingulam auream palliolúmque furatur, & Abiton, Dathan, & Chore soboles detestanda, novis thuribulis fermentatum thymiama novis volunt altaribus adolere, dum nox nocti scientiam indicat, dum cœcus præbet cœco ducatum, dum hæreses pullulant, & quem divinæ reddit hereditatis expertem, suæ constituit hæreticus hæresis & damnationis heredem. Hi sunt caupones, qui aquam vino commiscent, & virus draconis in aureo calice Babylonis propinant, habentes secundùm Apostolum speciem pietatis, virtutem autem

* In Tertia Collect. additur, & ingessit,

ejus penitùs abnegantes. Licèt autem contra vulpes hujusmodi parvulas, species quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum, diversa prædecessorum nostrorum temporibus emanaverint instituta, nondum tamen usque adeo pestis potuit mortificari mortifera, quin sicut cancer ampliùs serperet in occulto, & jam in aperto suæ virus iniquitatis effundat, dum palliata specie religionis & multos decipit simplices, & quosdam seducit astutos; factus magister erroris, qui non fuerat discipulus veritatis. Ne autem nos, qui licèt circa horam undecimam inter operarios immo veriùs super operarios vineæ Domini Sabaoth sumus à patrefamilias evangelico deputati, & quibus ex officio pastorali sunt oves Christi commissæ, nec capere vulpes demolientes vineam Domini nec arcere lupos ab ovibus videamur, & ob hoc meritò vocari possimus canes muti non valentes latrare, ac perdamur cum malis agricolis, & mercenario comparemur, contra defensores, receptatores, fautores, & credentes hæreticorum aliquid severius duximus statuendum: ut qui per se ad viam rectitudinis revocari non possunt, in suis tamen defensoribus, receptatoribus, & fautoribus, ac etiam credentibus confundantur; & cùm se viderint ab omnibus evitari, reconciliari desiderent omnium unitati. De communi ergo fratrū nostrorum consilio, assensu quoque Archiepiscoporum & Episcoporum apud sedem apostolicam existentium, districtiùs inhibemus, ne quis hæreticos receptare quomodolibet vel defendere, aut ipsis favere, vel credere quoquomodo præsumat; præsenti decreto firmiter statuentes ut si quis aliquid horum facere fortè præsumpserit, nisi primò secundòve commonitus à sua super hoc curaverit præsumptione cessare, ipso jure sit factus infamis, nec ad publica officia vel consilia civitatum, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis; nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi cogatur super quocunque negotio respondere. Quòd si forsan judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit Advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitùs sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur. In similibus etiam idem præcipimus observari. Si verò Clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur; ut in quo major est culpa, gravior exerceatur vindicta. Si quis autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, contempserit evitare, anathematis se noverit sententiam incurrisse. In terris verò temporali nostræ jurisdictioni subjectis, bona eorum statuimus publicari. Et in aliis idem fieri præcipimus per Potestates & Principes seculares; quos ad id exequendum, si fortè negligentes extiterint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compelli volumus & mandamus. Nec ad eos bona ipsorum ulteriùs revertantur, nisi eis ad cor redeuntibus & abnegantibus hæreticorum consortium aliquis voluerit misereri; ut temporalis saltem pœna corripiat, quem spiritualis non corrigit disciplina. Cùm enim, secundùm legitimas sanctiones, reis læsæ majestatis punitis capite, bona confiscentur ipsorum, eorum filiis vita solummodo ex misericordia conservata; quanto magis, qui aberrantes in fide * Deum Dei filium Iesum Christum offendunt, à capite nostro, quod est Christus, ecclesiastica debent districtione præcidi, & bonis temporalibus spoliari, cùm longè sit gravius æternam quàm temporalem lædere majestatem. Nec hujusmodi severitatis censuram orthodoxorum etiam exheredatio filiorum, quasi cujusdam miserationis prætextu, debet ullatenus impedire, cùm in multis casibus etiam secundùm divinum judicium filii pro patribus temporaliter puniantur, & juxta canonicas sanctiones quandoque feratur ultio non solùm in auctores scelerum, sed & in progeniem damnatorum. Decernimus ergo &c. nostræ inhibitionis & constitutionis &c. Datum Laterani VIII. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

* In Tertia Collect. Domini Dei fil.

MELFIENSI EPISCOPO.

Epist. 1. Vt sponsalia inter impuberes contracta, si puberes facti consenserint, consummētur.

ALiquo dubitationis scrupulo emergente, ea quæ incerta videntur sancti patres ad sedis apostolicæ decreuerunt oraculum referenda. Quorum siquidem vestigia laudabiliter imitatus, à nobis

nobis inquirere studuisti, utrum inter duos parochianos tuos matrimonium quod, puella probante infra nubiles annos se ductam à viro fuisse, de consilio dilecti filij nostri P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legati, per divortij sententiam diremisti, possis redintegrare licenter, cùm eadem puella jam nubilem ætatem attingens consensum adhibeat, & nullus ex eis ad alia vota se duxerit transferendum. Ad quod tibi taliter respondemus, quòd nisi aliam causam rationabilem intervenire cognoveris, securus ad copulam ipsius matrimonij tibi patet absque aliqua hæsitatione processus. Datum Laterani II. Idus Martij.

GVID. ABBATI MONASTERII sanctæ Mariæ de Lundors, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 3. De confirmatione privilegiorum.

Religiosam vitam eligentibus &c. *usque ad verbum* ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium à dilecto filio nobili viro David Comite fratre carissimi in Christo filij nostri W. illustris Scotiæ Regis constructum est, cum omnibus pertinentiis suis, per suas rectas divisas, & liberam curiam in terra vestra, & firmam pacem infra divisas ipsius villæ de Lundors, sicut charta dicti Comitis protestatur. Ecclesiam quoque ejusdem villæ de Lundors, cum omnibus pertinentiis suis, scilicet capellas de Bundamor, & terram ad prædictam Ecclesiam pertinentem, per suas rectas divisas, & alias terras in eadem villa, sicut in charta ejusdem Comitis continetur. Insulam quæ vocatur Redinche, & Piscarias in They, juxta prænominatam insulam. Molendinum de Lundors, cum omni secta sua, & multura. Ecclesiam quoque de Dunde, cum omnibus pertinentiis suis, & terram ad eandem Ecclesiam pertinentem, & unum tostum in burgo de Dunde liberum & quietum ab omni servitio & exactione. & unam carrucatam terræ in villa de Neutile. & in villa de Pert, terram quæ vocatur Insula ultra Mineth Fintreth per suas rectas divisas cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam ejusdem villæ cum pertinentiis suis. In Garviah, Lethgavel, & Malind, cum omnibus pertinentiis suis per suas rectas divisas. Ecclesiam de Rocheth cum capellis suis, scilicet Inveturin, & Munchegin, & aliis pertinentiis suis. Ecclesiam de Durnah, Ecclesiam de Prame, Ecclesiam de Rathmuriel, Ecclesiam de Inchemabanin, Ecclesiam de Culsamuel. In episcopatu Lincolnien. Ecclesiam de Cuningrone, Ecclesiam de Wissinden. In episcopatu de Stratheren, Ecclesiam de Mòthel, Ecclesiam de Chelalcmund, cum capellis prædictarū Ecclesiarum & terris & decimis ac omnibus earum pertinentiis ad proprios usus monachorum concessis, & unum plenarium tostum in burgo de Inverurin liberum & quietum ab omni servitio & exactione. Decimas omnes quas habetis in terra prædicti Comitis, & extra. Ex donatione quoque Regis Scotiæ unum plenarium tostum in burgo de Berruic, & aliud plenarium tostum in burgo de Strivelin, plenarium tostum in burgo de Carel, plenarium tostum in burgo de Pert. plenarium tostum in burgo de Forfar, plenarium tostum in burgo de Munros, & unum plenarium tostum in burgo de Aberden. & terram unam in villa de Pert. in libero burgagio. Sanè novalium vestrorum &c. Prohibemus insuper ut nulli &c. Cùm autem generale interdictum &c. Crisma verò &c. Sepulturam præterea &c. Prohibemus insuper ut infra fines &c. Ad hæc etiam inhibemus, nequis in vos &c. Obeunte verò te &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate, & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, XIII. Kalend. Aprilis, indictione I. incarnationis dominicæ anno M CXCVIII. Pont. verò Domini Innocentij Papæ III. anno II. [*Legendum*, Indict. II. incarn. dom. anno M CXCIX.

CONSVLIBVS ET POPVLO Esinis.

Cum apostolicæ sedis jurisdictio spiritualis nullis terminis coarctetur, immo super gentes & regna sortita sit potestatem, in multis etiam per Dei gratiam ejus extenditur jurisdictio temporalis: quæ licèt aliquando visa fuerit propter quorundam violentiam coar- Epist. 4. Vt in reducenda Marchia ad obedientiam Pontificis diligenter laboret.

ctari, nunc tamen eo faciente nobiſcum ſignum in bonum qui imperat ventis & mari, & facit tranquillum, qui deponit potentes, & exaltat humiles, violentia * per ſe ipſum humiliata, redit in potentatum antiquum, & de die in diem ampliùs dilatatur; non homine pugnante pro nobis, ſed Deo potiùs reſpiciente humilitatem noſtram, & violentiam ab Eccleſia repellente. Ecce etenim per Dei gratiam ad fidelitatem Eccleſiæ cum Peruſin. Tudertin. Caſtellan. & aliis adjacentibus civitatibus, munitionibus, & caſtellis Ducatus rediit Spoletanus, & magna pars Thuſciæ, quæ in noſtris privilegiis continetur. Ecce etenim univerſa ferè Marchia, præter Camarinen. & Eſculan. civitates, quas tamen ſperamus in proximo redituras, faciente Domino, ac veſtro ſtudio procurante, devotè rediit ad fidelitatem Eccleſiæ, ac fideliter per Dei gratiam in ipſius devotione perſiſtit; quæ verè per ſe dicere poteſt: *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* jugum ſanè quod juvat, & onus quod non onerat, ſed honorat. jugum etiam quod inexperti fortiter diligunt, & experti fortiùs concupiſcunt. onus quod neſcit ſarcinam gravitatis, ſed exonerat potiùs oneratos. Nos itaque ſtudium & ſolicitudinem veſtram ſolicitiùs attendentes, univerſitati veſtræ copioſas gratiarum exoluimus actiones, quòd quàm citiùs ſe obtulerit opportunitas, ad fidelitatem ſedis apoſtolicæ matris veſtræ humiliter rediiſtis, & alios ad dominium Eccleſiæ revocandos dilectis filiis noſtris C. tituli ſancti Laurentij in Lucina & I. tituli ſanctæ Priſcæ Presbyteris Cardinalibus, tunc apoſtolicæ ſedis Legatis, quos ad partes veſtras circa novitatis noſtræ primordia deſtinavimus, aſtitiſtis viriliter & potenter, nec perſonis nec rebus parcentes; ſicut evidentiùs operis evidentia manifeſtat, & nuper dictus ſanctæ Priſcæ Presbyter Cardinalis ad præſentiam noſtram revertens, nobis & fratribus noſtris viva voce pleniùs intimavit. Vt igitur laudabile fidelitatis veſtræ principium finis laudabilior ſubſequatur, rogamus diſcretionem veſtram, monemus, & exhortamur in Domino, ac per apoſtolica ſcripta vobis mandamus quatenus in incepta fortitudine perſiſtentes, ad revocandas civitates prædictas ad noſtri fidelitatem dominij detis operam efficacem, ut cùm tota Marchia, dante Domino, fuerit in fidelitate ſedis apoſtolicæ ſolidata, ipſius promiſſionis præſidio & noſtra protectione lætetur. Nos enim ad honorem totius Marchiæ ac civitatis veſtræ profectum dante Domino efficaciter intendemus. Datum Laterani XVI. Kal. Aprilis, pont. noſtri anno II.

* *f.* perverſorũ

R. EPISCOPO S. ANDREÆ.

Epiſt. 5. Niſi intra tempus juris Eccleſiarum patroni præſentent, devolvitur ad ſuperiorem. Cap. Sicut. De ſupplenda negligentia Prælator.

SIcut nobis tua fraternitas intimavit, monachi quidam & Canonici regulares, Eccleſias quæ ad eorum præſentationem pertinent, in tuo epiſcopatu habentes, propriis uſibus deputare nituntur, nec ibi volunt ad eas, cùm vacaverint, perſonas idoneas præſentare, quin potiùs occaſione conceſſionis quorundam Epiſcoporum Vicarios in eis pro ſua inſtituunt & deſtituunt voluntate, admiſſos ita penſionibus onerantes quòd nec Eccleſiis competenter poſſunt præ paupertate nimia deſervire, nec Epiſcopo in epiſcopalibus reſpondere, nec hoſpitalitatem, ſicut convenit, tranſeuntibus impertiri. Nolentes autem ut ſtatus Eccleſiarum debitus & antiquus per alicujus inſolentiam ſubvertatur, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus niſi à juriſdictione tua exemptæ ſint Eccleſiæ ſupradictæ, præmiſſos exceſſus ſtudeas rationabiliter emendare; & niſi præfatæ perſonæ infra tempus in Lateranenſi Concilio conſtitutum ad Eccleſias vacantes tibi perſonas idoneas præſentaverint, ex tunc tibi liceat appellatione remota in eiſdem ordinare rectores, qui eis & præeſſe noverint & prodeſſe; ita quòd ex hoc nullum patronis in poſterum præjudicium generetur. Datum Laterani VI. Kal. Martij, pont. noſtri anno II.

R. EPISCOPO S. ANDREÆ.

Epiſt. 6. Creſcente numero parochianorum, novam licet extruere Eccleſiam.

SIcut nobis tua fraternitas intimavit, cùm in parochia ſancti Andreę pauci homines antiquitus fuerint & rari habitatores, unicam tantùm matricem & parochialem Eccleſiam devotio ſibi fidelium fabricavit. Nunc autem, divina gratia faciente, uſque adeo multitudo excrevit in eadem parochia populorum, quòd ad animarum evitanda pericula, quæ ibidem proponuntur ſæ-

pius imminere, alia sit Ecclesia necessariò construenda. Cùm itaque damnis rerum temporalium sint animarum pericula præferenda, fraternitati tuæ, de qua indubitatam fiduciam obtinemus, committimus, qualiter sit super his quæ præmisimus procedendum: ut si utilitati fidelium noveris expedire, Deum habens præ oculis, sine contradictione cujuslibet novam valeas Ecclesiam fabricare; provisurus attentiùs, ut concessa tibi non abutaris licentia, ne fortè privilegium merearis amittere, si permissa tibi abusus fueris potestate. Datum Laterani IV. Nonas Martij.

MATTHÆO CENETENSI Episcopo.

Epist. 7. Ne feuda & res Ecclesiæ alienentur absque ceremoniis juris. Cap. Quæ in Ecclesiarum. De Constitut. *In Tertia Collect. additur legem

QVæ in Ecclesiarum & ecclesiasticorum virorum præjudicium attentantur, firmitatem sortiri non decet, sed ad Ecclesiarum indemnitatem debent potiùs infirmari. Sanè pervenit ad audientiam nostram quòd Tervisin. & Coneglanen. constituendi * sibi, & utinam sibi tantùm, jurisdictionem temerè usurpantes, impietatem palliant sub nomine pietatis, & dum quibusdam ex alieno gratiam exhibere nituntur, Ecclesiis sunt & viris ecclesiasticis onerosi. Constituerunt siquidem, sicut accepimus, quòd si quis se ad inopiam vergere probabiliter allegaverit, alienandi feudum quod ab Ecclesia vel aliis tenet, per officiales ad hoc à Tervisinis civibus & Coneglanen. deputatos liberam habeant facultatem, nec emptor priori teneatur domino respondere, nisi tantummodo in sexta parte pretij, quam ipsi, si recipere voluerit, exhibebit. ex quo ecclesiastica non modicùm jura læduntur. Volentes igitur Ecclesiarum indemnitati consulere, & hujusmodi gravaminibus providere, constitutionem hujusmodi & venditiones feudorum ecclesiasticorum factas sine legitimo ecclesiasticarum personarum assensu, occasione constitutionis immo veriùs destitutionis vel destructionis istius, præsentium auctoritate cassamus, & vires decernimus non habere. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ cassationis &c. Datum Laterani X. Kalend. Aprilis.

AQVILEGIEN. PATRIARCHÆ, & Episcopo Ferrarien.

Epist. 8. Vt curam & instaurationem Cenetensis Ecclesiæ auctoritate apostolica suscipiant.

VTilitas & necessitas dispensationem inducunt, & repentini casus, etsi non nova, non tamen usitata remedia nos excogitare compellunt. Sanè cùm apostolica sedes super universis Ecclesiis non humani sed divini muneris largitate magisterium susceperit & primatum, & nobis licèt immeritis ad ipsius regimen evocatis, super cunctis fidelibus sollicitudo sit credita pastoralis, sic ad eorum statum nos decet aciem apostolicæ provisionis extendere, ut & obviemus violentiæ iniquorum, & * eorum necessitatibus consulamus. Accepimus siquidem, venerabili fratre nostro Cenetensi Episcopo intimante, quòd Ecclesiá Ceneten. & villa in planitie sunt fundatæ: quas, propter loci debilitatem & raritatem inhabitantium, ab iniquorum incursibus tueri non potest, immo usque adeo incursui expositæ sunt hostili, ut nuper villa eadem à Tervisinis destructa fuerit, & Ecclesia cathedralis cum aliis duabus combusta, altaria diruta & dejecta, nec licuit relinqui reliquias in solo, altaribus desolatis, nec meruerunt esse Tervisinorum reliquiæ reliquiæ martyrum & sanctorum. Vt igitur uno & eodem remedio & malignis malignandi tollamus materiam, & eidem Ecclesiæ in necessitatibus consulamus, cùm idem Episcopus Ecclesiam ipsam vel ad castrum Ceneclan. quod populosum dicitur & munitum, vel ad aliam partem ejusdem villæ tutiorem de licentia nostra transferre disponat, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus accedentes ad locum, in castro prædicto, vel in eadem villa Cenete in loco magis munito, prout utilitati ejusdem Ecclesiæ magis videritis expedire, auctoritate nostra suffulti, cùm id vobis ex vestra non liceat, transferendi sedem & fundandi eandem Ecclesiam Episcopo memorato, sublato appellationis obstaculo, concedatis liberam facultatem. Datum Laterani VIII. Kalend. Aprilis, Pont. nostri anno II.

* f. aliorum

ILLVSTRI MIRAMOLINO Regi Marrochetan. & subditis ejus, ad veritatis notitiam pervenire, ac in ea salubriter permanere.

Epist. 9. Significatur institutio facta super redemptione captivorum paganorũ à Christianis & Christianorum à paganis.

INter opera misericordiæ quæ Iesus Christus Dominus noster fidelibus suis in Evangelio commendavit, non minimum locum obtinet redemptio captivorum. Vnde personis illis, quæ circa talia occupantur, favorem debemus apostolicum impertiri. Sanè viri quidam, de quorum existunt numero præsentium portitores, nuper divinitus inflammati, regulam & ordinem invenerunt, per cujus instituta tertiam partem proventuum omnium, quos vel nunc habent, vel in futurum poterunt obtinere, in redemptionem debent expendere captivorum; & ut meliùs valeant suum propositum adimplere, cùm sæpe faciliùs per commutationem quàm per redemptionem de captivitatis ergastulo valeant liberari, ut paganos captivos à Christianis rediment est concessum, quos pro liberandis Christianis debeant commutare. Ceterùm quoniam opera quæ præmisimus & Christianis expediunt & paganis, hujusmodi vobis duximus per apost. literas intimanda. Inspiret autem vobis ille qui via, veritas est, & vita, ut agnita veritate, quæ Christus est, ad eam venire quantocyus festinetis. Datum Laterani VIII. Idus Martij, Pont. nostri anno II.

Vide suprà lib. 1. epist. 481.

CAPITVLO XANTONEN.

Epist. 10. Confirmatur constitutio de quadragenario numero Canonicorum.

COnstitutionibus quæ in Ecclesiis factæ, canonicis non obviant institutis, cùm ab apostolica sede suæ robur confirmationis expectant, favorem apostolicum libentiùs impertimur; ut ea quæ pro ipsarum utilitatibus ordinantur, inconvulsa maneant firmitate, & quæ stabilita ratio comitatur, aliquorum temeritas non infirmet. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, institutionem quam de quadragenario Canonicorum numero cum assensu venerab. fratris nostri Episcopi vestri, consentiente & assistente bonæ memoriæ W. Archiepiscopo Burdegalensi, & piæ recordationis Henrico quondam Albanensi Episcopo tunc apostolicæ sedis Legato approbante idipsum, in Ecclesia vestra fecistis, sicut rationabiliter facta est, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus, auctoritate apostolica districtiùs inhibentes ne aliquis ad receptionem alicujus ultra numerum constitutum qualibet vos temeritate, salvo in omnibus apostolicæ sedis mandato, compellat, nisi fortè Ecclesiæ facultates in tantum excreverint, quòd earum proventus pluribus sufficere dignoscantur. Decernimus ergo &c. nostræ confirmationis &c. Datum Laterani VI. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

PICTAVEN. EPISCOPO.

Epist. 11. Ne monachis liceat sine Abbatis licentia in alium ordinem transire.

PRoposita nobis dilectorum filiorum Abbatis & Conventus sancti Rufi querimonia demonstravit quòd A. Iordani eorum Canonicus habitu regularium Canonicorum rejecto, sine Abbatis sui licentia in monasterio Malleacen. suscepit ordinem & regulam monachorum. Cùm igitur juxta canonicas sanctiones religiosi Canonici non credantur à consortio sanctorum monachorum sejuncti, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si tibi constiterit de præmissis, jamdictum Canonicum ad Ecclesiam redire priorem, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, ubi & memorialem cucullam eum deferre facias, & ultimum in choro maneat; ut exemplo ejus alij similia non attentent. Datum Laterani XIII. Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

MARTINO PRIORI & fratribus Camaldulen.

Epist. 12. Quadraginta annorum possessio valet.

POstulastis nuper à bonis ut heremo Camaldulensi & Ecclesiis aliis ad ipsam spectantibus super decimis & possessionibus, quas per annos XL. pacificè possederunt, paterna vellemus in posterum solicitudine providere, quatenus nullius temeritas possit possessionem eorum quæ præmisimus impedire. Nos igitur volentes justis petitionibus vestris favorem apostolicum impertiri, districtiùs auctoritate præsentium inhibemus, ne vos vel Ecclesias vestras super illis quæ bona fide per annos XL. continuè possedistis, aliquis præsumat de cetero molestare. Nulli ergo &c. nostræ prohibitionis &c. Datum Laterani VI. Idus Martij, pontificatus nostri anno secundo.

MUTINEN. EPISCOPO.

Epist. 13. Temerariæ appellationes non sunt recipiẽdæ.

BEnignitate juris plurimi hodie abutentes, in sui erroris defensionem assumunt quod in gravaminum fuerat relevationem inventum; & ut suorum superiorum correctionem eludant, sine causa frequenter ad apostolicam sedem appellant. Sanè ad audientiam apostolatus nostri pervenit quòd quidam Clerici Mutinen. diocesis turpia usurarum lucra captantes, fornicationibus, & adulteriis, & aliis criminibus dediti, clericalem honestatem inhonestè vivendo diffamant: in quos si quando canonicè animadvertere fortè volueris, ad audientiam apostolicæ sedis appellant. Quia verò appellationis remedium est inventum non in diffugium malignantium, sed in remedium oppressorum, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus ut ad talium correctionem canonicam, si eorum crimina fuerint manifesta, omni appellatione remota; si verò non manifesta fuerint, appellatione frustratoria non obstante procedas. Nulli ergo &c. Datum Laterani VII. Idus Martij.

ARGENTIN. EPISCOPO.

Epist. 14. Ne incendiarij & excommunicati in Ecclesia sepeliantur.

AD audientiam nostram noveris pervenisse quòd in tua diocesi, contra sanctiones canonicas & consuetudinem hactenus approbatam, excommunicati propter crimen incendij per violentiam laicalem traduntur sepulturæ ecclesiasticæ. Quia verò id redundat in Ecclesiarum omnium & juris ecclesiastici læsionem, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus ex parte nostra districtè inhibeas, ne qui excommunicatos hujusmodi in cæmiterio audeant ecclesiastico tumulare. Quòd si secùs (quod non credimus) fuerit fortè præsumptum, tam præsumptores quàm defensores eorum in tua diocesi constitutos, monitione premissa, usque ad satisfactionem condignam excommunicationis sententia sublato appellationis obstaculo innodare procures. Quòd si nec sic à sua voluerint præsumptione cessare, terras eorum subjicias sententiæ interdicti. Tumulatos verò, qui ob dictam causam excommunicati, non percepto absolutionis beneficio decesserunt, à cæmiterio facias Christiano expelli. Illis autem qui resipuerint, & condignam voluerint agere pœnitentiam, si propter inevitabiles casus ad sedem apostolicam accedere non valuerint, recepto publicè juramento quòd super hoc nostro debeant parere mandato, beneficium absolutionis impendas. Taliter super prædictis mandatum apostolicum impleturus, quòd aliorum culpa in pœnam tuam non debeat retorqueri. Datum Laterani XVI. Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Vide suprà lib. 1. epist. 172.

*In eundem modum Archiepiscopis & * Episcopis per Teutoniam constitutis.*

* In codice Colbertiano & Prælatis.

PRIORI ET CLERICIS sancti Petri extra portam Spoleti.

Epist. 15. Quòd sententiam inter ipsos & Episcopum Spoletanum à Cardinali latã confirmavit.

CUm inter venerab. fratrem nostrum B. Spoletanum Episcopum ex una parte, & vos ex altera, super plebe sancti Bricij cum capellis suis, & Ecclesia sancti * Gregorij in Xenodochio, quæ pro parte media utrinque mutuò petebatur, & capellis sancti Pauli de Azano & sancti Angeli de Naci, controversia verteretur, eam dilecto filio nostro G. sancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali commisimus terminandam. Ipse verò, auditis rationibus partium, & pleniùs intellectis, habito consilio quorundam de fratribus nostris & aliorum prudentum virorum, pro vobis sententiam de nostro mandato apud sedem apostol. promulgavit, quemadmodum in suis literis pleniùs continetur. Nos ergo sententiam ipsam, sicut rationabiliter lata est, ratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus &c. Salvo quatuor solidorum illius monetæ quæ tunc in civitate Spoletana currebat per annos singulos Episcopo memorato, quod bonæ memoriæ M. prædecessor ejus in prædicta plebe sibi noscitur reservasse, sicut in authentico factæ vobis donationis ab ipso reperitur expressum. Nulli ergo &c. Datum Laterani XVI. Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

* In codice Colbertiano Georgij

R. ABBATI S. JULIANI, & I. Priori S. Gregorij Spoletani.

Epist. 16. Ut in possessionem rei adjudicatæ inducatur.

CUm inter venerabilem fratrem nostrum &c. *ut suprà ferè in eundem modum usque ad verbum* continetur. Ut autem nihil moræ vel difficultatis

rectis diſpoſitionibns afferatur, per apoſtolica vobis ſcripta mandamus quatenus jamdictum Priorem in corporalem prædictarum* poſſeſſionem, quæ ſibi adjudicatæ ſunt per ſententiam Cardinalis, & rerum ad eas ſpectantinm appellatione remota mittere procuretis; contradictores, ſi qui apparuerint, cenſura eccleſiaſtica coërcentes. Quòd ſi ambo &c. alter &c. Datum Laterani XII. Kalend. Aprilis, pontificatus noſtri anno ſecnndo.

*Eccleſiarum

DONATO ALADEN.
Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Epiſt. 17. De privilegiorum confirmatione.

IN eminenti apoſtolicæ ſedis ſpecula, licèt immeriti, diſponente Domino conſtltuti &c. *uſque ad verbum* vocabulis. Locum ipſum in quo præfata Aladen. Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis. Inſulam Gedig. Corbali, Cellarloch, Senheni, cnm inſula Dori, Glenngallrigi, Glenech, Cellardub. Achad, Gunnig, Drognechan, Carnamalgaid, Raith, Cœman, Caſſel, Bernach cnm ſuis pertinentiis: Dumaaiſſ, Imbertrach, Cillialid, Munirvadoig, Rathneogid, & Raithcerna. quæ omnia ad menſam epiſcopalem pertinent. Drumart, Scrinadanmani, cum pertinentiis ſuis. Cellbroccada, Cellcorechach, Laſſariani cnm Vſvavio cum pertinentiis ſuis. Cellmagſalgam, Ceſlglaſſi, Cellanli, & Cellnagarvan, cnm pertinentiis ſuis. Roſeric. cum pertinentiis ſuis. Ardomain cum pertinentiis ſuis. Arrdachad Vſvanig cum pertlnentiis ſuis. Innıſlaig, Dorimenniainni cum ſuis pert. Olenaclaſſi, Orvidlachacon cum pertinentiis ſuis. & Dargavillachon cnm pertinentiis ſnis. Maggamnach, cum pertinentiis ſuis. Drumnanagel cnm ſuis pert. Cellerannan, cum pertinentiis ſuis. Celldariuled. cnm ſuis pert. Croſrechig. cum ſuis pert. Inniſgluaribrandam cum pertinentiis ſuis. Cathir cum pert. Cellchoman cum pertinentiis ſuis. Dunfini cum pertinentiis ſuis. Cellbrigdi, cum pertinentiis ſuis. Lecu cum ſuis pertinentiis. Olechutrialacha cum pertinentiis ſuis Baliſchrinıutrialacha, Baliſcrini, Magneglan, Cellcumin cum pertinentiis ſuis. Cellgoban cum pertinentiis ſuis. Cellalad cum pertinentiis ſuis. Cellcormich cnm pertinentiis ſuis. Cellro cum pertinentiis ſuis. Croſpatrai cum pertinentiis ſuis. & Domnachinor. Prohibemus inſuper ne interdlctos &c. Libertates præterea &c. Decernimus ergo &c. Salva in omnibus apoſtolicæ ſedis auctoritate, & Tuamen. Archiepiſcopi debita reverentia. Si qua igitur &c. Datum Laterani, per mannm Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, III. Kalend. Aprilis, indictione ſecunda, incarnationis dominicæ anno M CXCVIII. pont. verò Domini Innocentij Papæ III. anno ſecundo.

DECANO ET CAPITVLO Abrincen.

INter corporalia & ſpiritualia &c. *ut ſuprà in lib. primo epiſt. DXXXII. in literis Decano & Capitulo Andegaven. directis, ferè in eundem modum, uſque ad verbum*, Et quamvis factum iſtud ratione canſarum & etiam perſonarum tam celebre fuerit & ſolenne, ut cùm in partibus illis ab omnibus ferè ſciretur, à vobis non potuerit vel debuerit ignorari, præſertim cùm per aſſertionem dilecti filij magiſtri N. de Aquila, in Eccleſia veſtra ſcholarnm magiſterium obtinentis, certificati fueritis de præmiſſis, & per confeſſionem nuntiorum veſtrorum in auditorio noſtro factam nobis conſtiterit quòd ſuſpenſio præfati electi octo diebns electionem præceſſerit memoratam; vos tamen nihilominus ad Eccleſiam tunc temporis non vacantem W. Tollem. poſt appellationem etiam ab eodem magiſtro ad ſedem apoſt. interpoſitam eligere præſumpſiſtis, contra quem multa fuerunt in auditorio noſtro propoſita quæ ad reprobandam ipſius electionem citra præmiſſa impedimenta ſufficere videbantur. vel qnòd primo electo nondum rite tranſlato, ſe in locum ipſius tanquam viventis intrudi non debuit conſentire. quod cùm non fecerit, ſecundùm canones ab eccleſiaſtica debuit communione depelli; cùm & contra eum eſſet ſpecialiter appellatum, qni propter ignorantiam literarum, & qnia de gremio non erat Eccleſiæ, niſi ejus Clericis antea reprobatis non poterat poſtulari; præſertim cùm inter vos plerique idonei haberentur. In ſubſcriptionibus etiam literarum veſtrarum quædam repugnantia videbatur, aliis aſſerentibns ſingulos ſubſcripſiſſe, aliis quòd præfatus magiſter ſcholarnm cauſas frivolas aſſignando pro ſua receſ-

Epiſt. 584. Vt propter commiſſum in electione priori vitium, nunc rectè aliam eligant Epiſcopū. *Vide ſuprà lib. 1. epiſt. 117. 447.*

ferit voluntate. Et cùm viginti sint Ecclesiæ vestræ Canonici, absente parte tertia, & nihil de ipsa electione sciente, XIX. Canonicorum subscriptiones ibidem inventæ fuerunt. Vnus etiam de præsentibus, nepos scilicet venerabilis fratris nostri Andegaven. Episcopi, minor XIV. annis, nec locum in Capitulo nec stallum habebat in choro. Alius etiam se tunc fuisse absentem, & quòd contradixerit facto vestro, & appellaverit ante factam electionem, in auditorio nostro est publicè protestatus. unde crimen falsi committentes poterant formidare. Cùmque hujusmodi & similia objicerentur præfato W. tanquam reus delatos ante sententiam honores non poterat postulare, cùm & secundùm Canones valde grave sit & indecens ut vir, de quo talia referuntur, cùm antè discuti & disquiri debeat, honoretur. Ad hæc accedit, quòd idem W. astrictus curiæ nexibus perhibetur, & cùm filios habeat undecnoque, fraudulenter proponitur in Diaconum ordinatus. His igitur & similibus contra factum vestrum in nostro & fratrum nostrorum auditorio allegatis, cùm nobis de veritate negotij constitisset, attendentes quòd non statim qui accusatur reus est, sed qui convincitur criminosus, quamvis multa contra præfatum W. fuissent proposita, quia tamen nulla probata fuerunt, communicato fratrum consilio non ob impedimentum personæ, sed propter electionis vitium, quod à vobis factum fuerat circa præmissam electionem duximus irritandum, universitati vestræ per apostolica scripta mandantes quatenus convenientes in unum, & Spiritus sancti gratia, sicut moris est, invocata, in patrem & Episcopum animarum vestrarum talem personam canonicè ac concorditer eligatis, quæ tam præesse noverit quàm prodesse, per cujus circumspectionem providam & providentiam circumspectam Abrincen. Ecclesia, præveniente divina gratia & sequente, in spiritualibus & temporalibus valeat salubriter gubernari. Datum Laterani XVI. Kaleod. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

ABBATI SANCTÆ MARIÆ de Casanova, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 19. De confirmatione privilegiorum.

Religiosam vitam eligentibus &c. *usque ad verbum* ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem Cistercien. fratrum in eodem monasterio &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Ex dono nobilis viri Berardi Comitis Laureti, terras cultas & incultas, vineas, & sylvas, quæ his finibus concluduntur, videlicet à pede fluminis qui dicitur Scaone usque ad rivum Camardellæ, & ascendunt per ipsum rivum Camardellæ usque ad viam publicam quæ vadit super sanctum Stephanum, & transit per ipsam viam, & revertitur in prædicto flumine Scaonis. Culturam Comitis Laureti, quæ jacet in valle S. Stephani super viam & subter viam cum pertinentiis suis. Vineam de Castro Celere cum pertinentiis suis, & locum qui dicitur campus sacer cum suis pertinentiis. Sanè laborum &c. Liceat quoque vobis &c. Prohibemus insuper &c. Illud districtiùs inhibentes, ne terras &c. Ad hæc etiam prohibemus, ne aliquis monachus &c. Licitum prætereà sit vobis in causis propriis &c. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus Episcopus in cujus parochia &c. Illud attendentes &c. Pro consecrationibus verò &c. Quòd si sedes &c. Quia verò interdum &c. Porrò si Episcopi &c. Paci quoque &c. Præterea omnes libertates &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, XVI. Kalend. Aprilis, indictione secunda, incarnationis dominicæ anno M CXCVIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno II.

LVGDOLFO MAGDEBVRGENSI Archiepiscopo.

Epist. 20. Ipsi dat facultatem beneficia ecclesiastica conferendi, & Prælatos ad obsequii cogendi.

Superna providentia, quæ populum humanum per diversa rectorum officia statuit in rectitudine gubernandum, pontificalem ad hoc tibi contulit dignitatem, ut per congruam executionem

officij tibi crediti ſis aliis virtutis ſpeculum & exemplar. Et licèt omnium tibi ſubditorum cura generalis incumbat, tamen circa Eccleſias & eccleſiaſticas conſtitutiones tibi ſolicitudo imminet ſpecialis; ut per tuam diligentiam Eccleſiæ ipſæ, prout convenit, ordinentur, & rite ſingulis ordinatis in eis divini cultus obſequia celebrentur. Nos igitur in his, in quibus cum Deo poſſumus, tibi favorem apoſtolicum impertiri volentes, ut officium tibi commiſſum valeas liberiùs exercere, tibi auctoritate præſentium liberam concedimus facultatem ut prælationes, dignitates, præbendas, & cetera beneficia Eccleſiarum illarum quæ ſunt tibi metropolitico jure ſubjectæ, appellatione ceſſante valeas idoneis conferre perſonis, ſi juxta conſtitutionem Lateranen. Concilij illi, ad quos pertinent, ad commonitionem tuam ea neglexerint ordinare. Tibi præterea pagina præſenti concedimus ut Prælatos tuæ juriſdictioni ſubjectos per cenſuram eccleſiaſticam auctoritate noſtra prævia ratione compellas ad conſueta & debita tibi obſequia exhibenda. Nulli ergo &c. Datum Laterani VII. Idus Aprilis, pontificatus noſtri anno II.

DECANO MAIORIS ECCLESIÆ Magdeburgen.

Epiſt. 22. Ipſi indulget ut Decanatum Magdeburgenſem retineat.

SAcroſancta Romana Eccleſia &c. *uſque ad verbum*, fili, ſuper inopinato caſu tuæ cœcitatis tibi plurimùm condolentes, & gerentes erga te piæ compaſſionis affectum, perſonam tuam, cum omnibus quæ in præſentiarum rationabiliter poſſides, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem Decanatum ipſum Magdeburgenſis Eccleſiæ, ſicut ipſum juſtè ac pacificè poſſides, devotioni tuæ auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti pagina communimus; mandantes ut quod per te non poteris adimplere, per idoneum vicarium exequaris. Nulli ergo &c. Datum Laterani VI. Kal. Aprilis, pont. noſtri anno II.

IN veteri codice MS. Illuſtriſſimi viri Ioannis Baptiſtæ Colberti ſuperior epiſtola, non ad Decanum tantùm, ſed ad Decanum & Capitulum ſcripta dicitur, hoc modo: DECANO *& Capitulo Magdeburgenſi. Recipiuntur ipſi & bona &c. ut ſuprà,* hoc eſt, ſub protectione S. Petri & ſedis apoſtolicæ.

ABBATI ET CONVENTVI ſancti Rufi.

Epiſt. 22. Vt ſententia Lugdunenſis Archiepiſcopi pro ipſis lata firma ratáque maneat.

SEntentia quæ ex delegatione ſedis apoſtolicæ ratione prævia promulgatur, firma debet & illibata conſiſtere; & ne in poſterum aliquorum temeritate valeat perturbari, apoſtolico eſt munimine roboranda. Eapropter, dilecti in Domino filij, veſtris poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, ſententiam quam venerabilis frater noſter Rain. Lugdunen. Archiepiſcopus in cauſa quæ inter vos ex una parte & Hoſpitalarios ex altera ſuper Eccleſia ſancti Iacobi de Valentia vertebatur, ex delegatione ſedis apoſtolicæ noſcitur promulgaſſe, ſicut juſtè lata eſt, nec legitima appellatione ſuſpenſa, & in ipſius Archiepiſcopi authentico pleniùs continetur, ad exemplar bonæ memoriæ Celeſtini Papæ prædeceſſoris noſtri auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Idibus Martij, pontificatus noſtri anno II.

P. SANCTÆ MARIÆ in via lata Diac. Card. apoſtolicæ ſedis Legato.

Epiſt. 23. Ipſius induſtria in concordandis Gallorum & Anglorum Regibus laudat.

SOlicitudinem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, quã nec difficultas itineris, nec infirmitas corporis, nec debilitas ægritudinis revocare potuit, aut etiam retardare, quò minùs feſtinares ad mandatum apoſtolicum adimplendum, & ſemen verbi dominici ac verbum pacis cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Ph. Francorum & R. Anglorum Regum illuſtrium auribus tam ſapienter quàm ſalubriter inſtillares. Dedit autem Dominus, qui eſt in ſe ſperantium fortitudo, affectibus tuis in te noſtris effectum, & eorundem corda Regum, indurata priùs, ad vocem prædicationis tuæ miſericorditer emollivit; ut etſi nondum plenam pacem ſtatuere potueris, inter ipſos treugas ſaltem quinquennes receperint, & à multis de veræ pacis concordia per tuum ſtudium ineunda ſperetur. Vt autem ad ſervandas treugas jam initas & ſtatuendam plenam pacem meliùs valeas coërcere rebelles, diſcretioni tuæ auctoritate præſentium facultatem liberam indulgemus quicquid vel in Reges ipſos, vel in terras eorum, aut alios, & terras

terras ipsorum, Ecclesias, & Ecclesiarum Prælatos propter hæc vel aliqua quæ istorum aliqua vel utrumque contingāt, statuendum videris, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo liberè statuendi, & transgressores ac contumaces feriendi districtione qua noveris expedire. Quia verò quosdam nobiles de utroque regno, qui signum dominicæ crucis assumpserant, à bonæ memoriæ *Cle. Papa prędecessore nostro per falsitatis expressionem, vel suppressionem veritatis, absolutionis indulgentiam accepimus impetrasse, cogendi tales ad implendum votum peregrinationis emissum, non obstante indulgentia per subreptionem obtenta, cùm mendax precator carere debeat impetratis, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet facultatem. Decernimus ergo &c. Datum Laterani Kal. Aprilis.

* f. Celestino

PH. ILLVSTRI REGI Francorum.

Epist. 24. [illegible] inter ipsum & Anglorum Regem treugas approbat, & hortatur ipsum ut eas fortiter observet.

QVi operatus est Petro in apostolatu, nobis per ipsum operari & cooperari dignatus est, dum ad adventum dilecti filij nostri P. sanctæ Marię in via lata Diaconi Cardinalis, apost. sedis Legati, terra cordis tui venientem super se imbrem devotè suscepit, & sulcata vomere prædicationis ipsius, semen verbi dominici & recepit hilariter, & in fructum uberiùs pullulavit. Ne autem fructus ipse, qui adhuc quasi viret in flore, inimico homine superseminante zizania (quod absit) valeat suffocari, ne semen supra petram cecidisse credatur, si antequam ad plenam veniat maturitatem, arescat, cùm secundùm Apostolum non auditores legis, sed factores, justi sint apud Deum, & alibi auditor verbi, & non factor, viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo comparetur, nec sufficiat incipere bonum, nisi & perseveretur in ipso, qnoniam non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; oportet magnificentiam regiam cavere præcipuè consilia detractorum, qui pacis consilium odientes, scandala suscitant, & nutriunt suscitata, qui lætantur cùm malè fecerint, & in rebus pessimis gloriantur. Cùm igitur, sicut ex literis ejusdem Legati & tuis accepimus, inter te & carissimum in Christo filium nostrum R. Anglorum Regem illustrem treugæ firmatæ sint pariter & receptæ quinquennes, nos treugas ipsas juxta mandati nostri tenorem initas & firmatas, ratas habemus, & præcipimus inviolabiliter observari: serenitatem tuam rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, & in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus & treugas observes prædictas, & ad tractatum pacis eidem Legato nostro auditum præbeas facilem & benignum; ut sicut inclytæ recordationis Ludovicus pater tuus pacem colere videaris, & Romanam Ecclesiam honorare. Noveris autem nos eidem Cardinali auctoritatem plenariam indulsisse, ut quicquid super treugis jam initis, & concordia ineunda, seu aliis quæ contingunt utrumque vel alterum prædictorum, vel in coactione contumacium, vel pœna transgressorum, & aliis quibuslibet ad hoc pertinentibus viderit statuendum, statuat appellatione remota, & faciat inviolabiliter observari. Vniversis etiam Archiepiscopis & Episcopis constitutis tam in regno Franciæ quàm Anglorum districtè præcipiendo mandamus ut omnia quæ prædictus Cardinalis propter prædicta statuerit, humiliter recipiant, & appell. postposita studeant observare. Alioquin sententiam quas in eos tulerit, ratam habebimus, & faciemus dante Domino inviolabiliter observari. Datum Laterani VII. Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno II.

In eundem ferè modum scriptum est, districtè præcipiendo, universis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis tam in regno Franciæ quàm in regno Angliæ constitutis.

P. SANCTÆ MARIÆ in via lata Diacono Card. apost. sedis Legato.

Epist. 25. Declarat treugas per ipsum initas inter Gallorum & Anglorum Reges sibi placere.

QVæ auctoritate nostra per Legatos sedis apostolicæ providè statuuntur, firma volumus & illibata servari; ne vel revocentur in dubium, vel temeritate cujuslibet irritentur. Ea propter, dilecte in Domino fili, syncceritatem devotionis & fidei, quam in exequendo creditæ tibi legationis officio adhibere dignosceris, attendentes, ac de tua discretione confisi, quinqnennes

treugas inter carissimos in Christo filios nostros Phil. Francorom & R. Anglorum Reges illustres juxta mandati nostri tenorem ioitas & firmatas auctoritate apostolica confirmamus &c. Decernimus ergo &c. Datum Laterani III. Kal. Aprilis.

MANTVANO EPISCOPO.

Epist. 16. Quod Capitulũ Tarvisinum decernat absolutum ab impetitione super Præpositura.

MEminimus nos olim venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis Capitulo Tarvisio. oostris dedisse literis in mandatis, ot Præposituram Ecclesiæ Tarvisinæ, quæ oltra duodecim annos vacaverat, cujus etiam donatio ad nos auctoritate Lateran. Coocilij fuerat devolota, dilecto filio B. Subdiac. nostro sine aliqua difficultate conferrent. Tibi etiam, si beoe recolimus, auctoritate fuit apostolica mandatum ut prædictis Episcopo & Capitulo in executione mandati nostri cessaotibus, oon obst. sacramento quod dicebaotur de ooo eligeodo Præposito præstitisse, cùm id exequi eorum non esset juramento contrarium, & jnramentum ipsum videretur minùs fuisse discretum, sublato appellationis obstaculo de prædicta Præpositura eundem B. noo differres aliquatenus iovestire, & in possessiooem ioducere corporalem. Sanè prædicti Episcopus & Capitulum dilectos filios Walpertum Subdiaconnm nostrnm & Tolbertum Canonicos Tarvisinos ad nostram postmodum præsentium destioantes, nobis exponi feceruot quòd literæ illæ ad falsam fueraot suggestiooem obtentæ. Super hoc enim mentio facta non fuerat, quòd cùm per quosdam Præpositos, qoi curam bonorum canooicæ Tarvisinæ gerebant, eadem usque adeo districta fuisset, quòd vix poterant io eis prædicti Canonici coogruè sustentari, ad tantum iocommodum removendum iidem Canonici cum booæ memoriæ C. eorum Episcopo & quibusdam aliis prædecessoribus communiter statuerunt ut unum de Caoonicis ipsis assumerent annuatim, qui vice Præpositi ad ipsorum commodum bona ejusdem canonicæ dispensaret, & viginti fratres in eadem Ecclesia semper esse debereot Domino militantes. Quam constitutiooem felicis recordationis Alexander, Lucius, Vrbanus, & Clemeos prædecessores nostri auctoritate apostolica coofirmarunt, sicut ex privilegiis eorundem nobis innotuit manifestè. Cùm igitur nostræ voluntatis vel propositi noo existat ot antecessorum nostrorum privilegia vel indulta suggestiooe cujuslibet violentur, præsertim cùm mendax precator carere debeat impetratis, nósque ipsi Subdiacooo, qoi, sicut credimus & speramus, statum illud penitùs ignorabat, alias congruè fecerimus provideri, fraternitati tuæ per apostolica scripta maodamus quatenus prædictos Episcopom & Capitulum, quos ab impetitione prædicti Subdiacooi duximus penitùs absolvendos, nostra fretus auctoritate denunties penitùs absolutos, in irritum appellatione cessaote reducens quicquid occasione literarom illarum per te contra ipsos factum est vel statntnm. Datum Laterani III. Nonas Aprilis.

Scriptum est Episcopo & Canonicis Tarvisinis in modum indulgentiæ.

POTESTATI ET POPVLO Tarvisinis. [Sioe salutatione.

Epist. 17. Hortatur eos quòd redeant ad Ecclesiam, & facinora eorum emendent.

NOn meritã vestra, qnæ demerueruot penitùs gratiam sedis apostolicæ, nos inducunt, sed movet & monet potiùs debitum officij pastoralis, ut cootumaciam vestram solicitare literis procuremus, si forsan adjiciatis resurgere, oec, sicut hactenus, semper io deterius corruatis, vel si in cœpta malitia duxeritis persistendum, admonitiooem ultio debita subsequatur, & ferro curentur vuloera quæ fomentorum non sentiunt medicinam. Expectavimus etenim hactenus, si forsan patieotia nostra vos ad pœnitentiam revocaret, ut accusante coscientia per vos ipsos dijudicaretis ac condemnaretis actus vestros, & taodem resipisceotes à malo, Deum vobis per condignæ satisfactionis opera placaretis, & Romanam Ecclesiam, quam læsistis. Verùm patieotia nostra vobis hactenus (sicut apparet ex opere) visa est tribuisse materiam malignandi, ita quòd indurato corde, nec accusaotium vos interiùs cogitatiooum aculeos sentiatis, nec fomeotum ecclesiasticæ disciplinæ, quæ ad correctiooem vestram civitatem Tarvisio. supposuit senteotiæ interdicti: sic ut de vobis jam dicere valeamus: *Curavimus Babylonem, & non est sanata. Peccator enim dum venerit in profundum vitiorum, contemnit.* Olim siquidem (sicut accepimus) civitatem Feltren, ad Fel-

trensem pertinentem Ecclesiam penitùs destruxistis, combussistis Ecclesias, & tam bonæ memoriæ Episcopum quàm homines civitatis ejusdem stare mandato vestro juramenti vinculo astrinxistis; & cùm Feltren. Belunenen. ac Ceneten. dioceses ferè penitùs vastassetis, & curiam sancti Pauli de Medates ad Aquilegien. pertinentem destruxissetis omnino, castro de Caneva quindecim diebus obsesso, ac pluribus nobilibus interfectis ibidem, & devastatis omnibus circumquaque, bonæ memoriæ G. Aquilegien. Patriarcha Consules & Consiliarios vestros excommunicationis & civitatem vestram interdicti sententia innodavit. Sed bonæ memoriæ Vrbanus Papa prædecessor noster gratiam impendere volens ingratis, & secundùm Apostolum vincere in bono malum, simplici solummodo super præstanda satisfactione promissione accepta, per eundem Patriarcham latam in vos obtinuit sententiam relaxari. Vos autem ex hoc deteriores effecti, & in Ecclesiam insurgentes, episcopatum Belunenen. & Ceneten. manu intrastis armata, & multipliciter afflixistis. Licèt autem in compositione inter F. quondam Imperatorem & Lombardos habita prædictas dioceses ad nos nullatenus pertinere fuerit diffinitum, & vos juri, si quod in eis habueratis, quod tamen nullum erat, abrenuntiaveritis per publicum instrumentum, ac postmodum idem Imperator per privilegia sua episcopatus prædictos à jurisdictione ac potestate vestra decreverit absolutos; vos hæc omnia contemnentes, castra & possessiones ad Belunenen. Ecclesiam legitimæ venditionis titulo devolutas, ab his ad quos non pertinebant illicitè comparastis, possessione ipsorum per violentiam occupata, & appellatione contempta quæ ad apost. sedem & Imperium fuerat interjecta, & hostiliter Feltren. ac Belunenen. episcopatum intrantes, omnia circumquaque vastastis, ducentos de melioribus locorum illorum captos ducentes usque ad civitatem vestram, quos diù detinuistis carceri mancipatos. Quāvis etiam postmodum super possessionibus ipsis pro Belunenen. Ecclesia tertiò lata fuerit sententia per judices delegatos, & per sedem apostolicam confirmata, & vos postmodum per Veronensium & Mantuanorum arbitrium, ad quod servandum vos juramentis, pignoribus, & obsidibus obligastis, ad restitutionem possessionum ipsarum faciendam Ecclesiæ Belunenen. fueritis condemnati, prędictis episcopatibus à violentia vestra penitùs absolutis, ac vobis promittentibus hæc omnia inviolabiliter observare, in præconcepta tamen malitia persistentes, in simulata pace bonæ memoriæ Belunenen. Episcopo paravistis insidias, & eum captum & vinctum quasi latronem per nemora die noctúque trahentes, tandem acclamante populo *Moriatur*, ipsum nequiter occidistis; &, quasi non id vobis sufficeret, castrum Opitergij & tertiam partem Belunenen. Ecclesiæ possessionū per violentiam occupastis. Propter quod bo. me. Celestinus Papa prædecessor noster civitatem vestram supposuit sententiæ interdicti, & principales hujus iniquitatis auctores excommunicatos mandavit publicè nuntiari, evitari præcipiens vos & civitatem vestram in commerciis à vicinis. Tandem verò circa nostræ promotionis initia, cùm quidam vestrum ad sedem apostolicam accessissent, ut gratiam vobis, licèt immeritis, faceremus, venerabilibus fratribus nostris A. sanctæ Rom. Eccl. Cardinali Veronen. & H. Ferrarien. Episcopis dedimus in mandatis ut à vobis sufficienti cautione recepta quòd tam super nece Episcopi memorati, quàm super occupatione & detentione possessionum, mandatis apostolicis parerētis, latam in vos relaxarent sententiam interdicti, & cognoscentes de causa, partes cum suarum testimonio litterarum ad nostram præsentiam destinarent. Verùm nec prædicti nuntij literas sedis apostolicæ receperunt, nec vos ad eorundem judicum præsentiam accessistis; sed inimicos sedis apostolicæ vos dicentes, constitutionem dilecti filij nostri G. sanctæ Mariæ in porticu Diac. Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legati, contra hæreticos promulgatam, nec voluistis recipere, nec servare. Nuper etiam cùm Vicentin. & Veronen. conjurantes & cum multo exercitu irruentes in diocesim Cenetensem, licèt servare firmam treugam eidem Episcopo jurassetis, villam ipsam Ceneten. & tam matricem quàm alias Ecclesias combussistis, profanis manibus diruentes altaria, & sanctorum reliquias asportantes, & vastantes possessiones ad eundem Episcopum & suos spectantes in villis aliis constitutas. Cùm itaque contumaciam vestram

diſſimulare de cetero non poſſimus, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, & ſub obteſtatione divini judicij diſtrictè præcipimus, quatenus ſuper prædictis omnibus Deo & Eccleſiæ Romanę, quam principaliter offendiſtis, ſatisfacere procuretis, ablata omnia reſtituentes Eccleſiis antedictis, & de moleſtiis, damnis, & injuriis irrogatis venerabilibus fratribus noſtris P. Patriarchæ Aquilegien. Feltren. Belunenen. & M. Ceneten. Epiſcopis & aliis temporali eorum juriſdictioni ſuppoſitis, quos læſiſtis, condignam coram venerabili fratre noſtro Patriarcha Graden. & Epiſcopo Glugienſi, quibus ſuper hoc noſtras literas deſtinamus, ſatisfactionem ſine dilatione ac contradictione qualibet exhibentes, ita ut prædicti Patriarcha & Epiſcopi pro vobis apud nos intercedere teneantur. Alioquin, quoniam in Eccleſiam Dei conjuraſſe videmini, & Epiſcopos de civitate in civitatem fugare, ut in eo, in quo delinquitis, ſentiatis rigorem eccleſiaſticæ diſciplinæ, civitatem veſtram pontificali privabimus dignitate, & vos mandabimus tam à rectoribus quàm univerſis civitatibus Lombardiæ in commerciis, colloquiis, & aliis evitari, ac mercatores veſtros, ubicunque inventi fuerint, capi per Principes ſeculares, & publicatis bonis eorum, perſonas etiam ſub arcta cuſtodia detineri. Aliàs etiam in vos manus noſtras tam ſpiritualiter quàm temporaliter aggravare curabimus; ita quòd quantus ſit veſter exceſſus in pœna cognoſcatur evidentiùs, quàm in culpa. Interim autem eiſdem Graden. Patriarchæ & Epiſcopo Glugien. diſtrictè præcipimus ut latam in terram veſtram interdicti & perſonas principalium auctorum & fautorum necis Epiſcopi memorati excommunicationis ſententias innovent, & curent ſolenniter publicare. Ad vos ergo cum Propheta clamamus. Redite prævaricatores ad cor, & ante oculos veſtros diſtrictum Dei judicium ſtatuatis; ut fugere valeatis ab ira ventura quæ jam contra vos incepiſſe videtur, qui peccatorum tenebris interiùs excæcati, ad exteriores inferni tenebras properatis, nec Deum timentes, nec reverentes Eccleſiam, immo, ut obſtinati, de miſericordia deſperantes. Agite igitur pœnitentiam, cùm locus eſt pœnitendi, ne tandem fruſtra pœniteat noluiſſe vos pœnitere. Datum Laterani VII. Kalend. Aprilis, pontificatus noſtri anno ſecundo.

ILLVSTRI REGI ARAGONVM.

Epiſt. 28. De vera moneta & pondere præcipit. Cap. Quanto, De jurejurãdo.

QVanto perſonam tuam inter alios Principes Chriſtianos ſynceriori caritate diligimus, tanto ſerenitati regiæ diligentiori ſolicitudine volumus præcavere ne quid ei, quod abſit, immineat, quod vel in periculum animæ aut in detrimentum terrę valeat redundare. Ex tenore ſiquidem literarum tuarum & plurium Prælatorum necnon & aliorum multorum in tuo regno conſiſtentium nobis innotuit quòd cùm adversùs inimicos Chriſtianitatis, qui præ magnitudine ſuæ potentiæ terram Hiſpaniæ tunc temporis occupabant, in auxilium cariſſimi in Chriſto filij noſtri Caſtellæ Regis illuſtris eum armatorum multitudine feſtinares, quidam Conſiliarij tui, quin immo potiùs deceptores, tuum animum induxerunt ut jurares, irrequiſito aſſenſu populi, uſque ad certum tempus patris tui conſervare monetam, quæ tamen circa mortem ipſius fuerat legitimo pondere defraudata. Quoniam autem eadem moneta eſt adeo diminuta, & minoris valoris effecta, quòd grave propter hoc in populo ſcandalum generatur; tu quod egeras indiſcretè cupiens revocare, ac neceſſitati populi ſatisfacere, ab obſervatione juramenti prædicti, ex quo tibi & regno tuo metuis grave periculum imminere, * poſtulaſti ſupliciter à nobis abſolvi. Super quo diligens indagator veritate comperta potuiſſet facilè intueri, quòd non tam erat abſolutio neceſſaria, quàm interpretatio requirenda. Quoniam cùm juramentum feciſti, monetam aut falſam aut legitimã eſſe credebas. Si falſam, (quod de Regis ſerenitate non credimus) juramentum fuiſſet illicitum, & nullatenus obſervandum, & pro eo tibi eſſet pœnitentia injungenda, eùm juramentum, ut eſſet iniquitatis vinculum, non fuerit inſtitutum. Si verò ipſam legitimam eſſe credebas, juramentum licitum fuit, & uſquequaque ſervandum. Et ut irreprehenſibiliter obſervetur, conſulimus & mandamus, ut reprobata moneta, quæ à legitimo pondere fuerat diminuta, alia ſub nomine patris tui moneta cudatur, quam ad legitimum pondus reducas, ſecundùm eum ſtatum quem tempore patris tui habuit meliorem: ita quòd & an-

* In Tertia Collect. ſupplicaſti humiliter

tiqua moneta, quæ ab illo statu falsata non fuerat, cum ea pariter expendatur: per quod & dispendium vitari poterit, & juramentum servari. Veruntamen si fortè monetam ipsam in præstatione juramenti credebas à legitimo pondere diminutam, & tua super hoc conscientia te remordet, venerabili fratri nostro Episcopo Cæsaraugustanensi, cui super hoc scribimus, tuum humiliter confitere reatum, & satisfactionem, quam indixerit tibi pro illicito juramento, devotè suscipias & studeas adimplere. Datum Laterani Nonis Aprilis.

Scriptum est super hoc Cæsaraugustan. Episcopo.

EPISCOPO S. ANDREÆ.

Epist. 19. De pœna falsariorum.

SIcut nobis tua fraternitas indicavit, peregrini quidam ab Vrbis partibus redeuntes, sub apostolica Bulla literas sæpe reportant ad judices delegatos, pro quorum imperitia, in regno Scotorum multa nonnunquam proveniunt detrimenta; præsertim cùm literæ taliter impetratæ, manifestam falsitatis suspicionem prætendant, & illa sæpe contineant quæ nulli consuevit sedes apostolica indulgere. Nos ergo nolentes ut maleficia remaneant impunita, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si ad manus tuas hujusmodi scripta quandoque pervenerint, auctores eorum prudenter investigare labores, & inventos tamdiu facias in custodia detineri, nisi propter fidejussoriam vel aliam securitatem idoneam ipsos fidei propriæ duxeris committendos, donec & literas ipsas nobis transmittas, & quod de ipsarum auctoribus & illis qui eis scienter usi fuerint efficere debeas, per responsum nostrum valeas edoceri: provisurus attentiùs, ne hujus occasione mandati præter culpam suam aliqui graventur injustè. Datum Laterani V. Idus Martij.

DE CELLA S. PETRI & * Mitren. Abbatibus, & Præposito * Vverden.

*In Tertia Collect. Nytrien. *in Tertia Collect. Vercellensi. Epist. 30. Electio Scaffusen Abbatis ipsis committitur examinanda. Cap. Cùm inter dilectum. De elect.

CVm inter dilectum filium R. seniorem & R. juniorem super abbatia Scaffusen. quæstio verteretur, eis in nostra præsentia constitutis dilectos filios G. sanctorum Cosmæ & Damiani & G. sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconos Cardinales dedimus auditores. In quorum præsentia pro R. seniore fuerunt proposita quæ sequuntur. Quòd cùm H. quondam Abbas ipsius cœnobij onus regiminis invito Capitulo suo spontaneè resignasset, & ab obedientia sua monachos absolvisset, ipsi prædictum R. seniorem, etiam dicto H. consentiente, sibique obediente cum aliis, in Abbatem unanimiter elegerunt. Postea verò electus diocesano Episcopo præsentatus, munus ab eo benedictionis accepit, & Ecclesiam ipsam per biennium & ampliùs, sicut Abbas proprius, administrans. Verùm quoniam moniales sanctæ Agnetis ejusdem villæ, quæ peccandi materiam junioribus monachis ministrabant, arctiori custodiæ mancipavit, exinde occasione inventa, juvenes monachi contra ipsum alios concitarunt, tanquam prædicti H. resignatio minùs canonica extitisset. Quod audiens Episcopus antedictus, ad locum accessit, causam dissensionis requirens, & prædictum H. paternè redarguens, tanquam odij fomitem in Ecclesia seminasset, accepit ab eo quòd per ipsum talia non fiebant. Et cùm quidam de monachis, ipso Episcopo præsente, se dicerent ab obedientia præfati H. nullatenus absolutos, idem H. quòd eos absolverat est professus. Et ut omnem à se suspicionis materiam amoveret, cum jurejurando vehementer asseruit coram Episcopo antedicto quòd neque illam nec aliam habere vellet ulteriùs abbatiam. Monachi verò post recessum Episcopi ad artes solitas nihilominus recurrentes, coram dicto Episcopo & Capitulo Constantien. adversùs eundem R. controversiam agitarunt, tanquam minùs canonicè dictus H. dimiserit abbatiam. Cùmque dictus R. paratus esset de justitia sua in continenti probare, monachi defectum causæ suæ videntes, in nullo gravati, sedem apostolicam appellarunt, & per literas infra terminum appellationis per subreptionem obtentas, contra ipsum R. per nuntios appellantem iniqua sententia promulgata, ejus fuit adversarius restitutus. Ipse verò R. appellationem interpositam per nuntium prosequens, & termino constituto commissionis literas ad certos judices impetravit: ut quod occasione prioris commissionis contra eum judicatum fuerat, ad statum debitum revocato, & ei restituerent abbatiam,

& à monachis sibi facerent debitam reverentiam exhiberi. Sed monachis obstinatis, & sibi obedire nolentibus, ambæ partes ad sedem apostolicam accesserunt: quibus à bonæ memoriæ Celest. Papa prædecessore nostro nos ipsi, dum in minori eramus officio constituti, & dilectus filius noster I. tt. sancti Stephani Presbyrer Cardinalis dati fuimus auditores. Et cùm utrinque coram nobis esset diutiùs allegatum, & eidem prædecessori nostro per nos esset processus negotij declaratus, ipse prædictum R. sententiam cum instantia postulantem ad componendum coëgit invitum. & sic abbatiæ renuntians, de manu ejus Custodiam & etiam Priorarum recepit, ab eo, dum viveret, sine quæstione qualibet possidendos. Huic autem ordinationi licèt invitus consentiret, domum tamen reversus, adversariis compositionem ipsam in nullo volentibus observare, non potuit quæ sibi concessa fuerant obtinere, quin potiùs in eum, quod deterius est, manus injecerunt postea violentas. Sed adjutus ab ipsius loci hominibus, & monachorum manus evadens, ad appellationis subsidium convolavit. Interim verò dilectus filius noster P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, ad partes illas accedens, pro jamdictis & aliis multis excessibus & suspendit monachos, & monasterium interdixit. ipsi verò contempta sententia Cardinalis, divina promptiùs quàm antea celebrarunt. & in hac suspensione prædictus adversarius ejus de medio est sublatus. quo comperto, ad Ecclesiam venit; & cùm vellet prædictæ compositioni parere, parte altera hoc nolente, ne ad electionem Abbatis procederetur, quousque quæstio inter eos finiretur, obicem provocationis objecit. Sed monachi per omnia contumaces, & dictum R. juniorem pariter eligentes, ipsum benedicendum diocesano Episcopo præsentarunt: qui post appellationem interpositam benedixit eum, & in Ecclesia interdicta. Vnde idem R. iterarò ad sedem apostolicam accedens, à nobis literas *impetravit, ut quod post appellationem legitimè interpositam perperam fuerat à monachis attentatum, ad statum debitum revocaro, si constaret à suspensis & interdictis electionem factam fuisse, denuntiarent eam penitùs non tenere. Super restitutione verò ipsius R. senioris, & aliis quæ utrinque ducerent proponenda, statuerent, appellatione remota, quod ordo posceret rationis. Ceterùm judices delegati literis his receptis, partes ad suam præsentiam citaverunt; & cùm monachi per suggestionem falsi probare vellent literas imperratas, judicibus nolentibus ipsarum probationem recipere, sedem apostolicam appellarunt. Delegati verò, quia remota erat in literis appellatio, in causa nihilominus procedentes, cùm per depositiones testium eis de veritate negotij constitisset, pro sæpedicto R. seniore sententiam protulerunt, adjudicantes ei Ecclesiam memoratam. Petebat itaque quod factum erat ex delegatione apostolicæ sedis, per nos obtinere debitam firmitatem; ut repressa contumacia monachorum, pacifica ipsius abbatiæ possessione gauderet. Ceterùm contra eundem R. seniorem fuit ex parte altera taliter allegatum, quòd cùm dictus H. quondam Abbas minùs legitimè resignasset, & monachi de electione tractarent, senior R. fraude adhibita procuravit quòd cùm vesperæ cantarentur, & die sequenti esset electio celebranda, homines burgi ad Ecclesiam accedentes, ipsum R. ferè omnibus monachis reclamantibus ibidem per violentiam intruserunt. Monachi verò postea cognoscentes renuntiationem præfati H. minimè tenuisse, pariterque pensantes quòd sub ejus conversatione laudabili monasterium proficere posset, ipsum tanquam Abbatem proprium requirebant. Vnde factum est quòd post multas altercationes & commissiones factas, tandem de utriusque partis assensu commissio est obtenta, quòd si de informi resignatione H. & inutili substitutione R. senioris constaret judicibus delegatis, R. remoto, sæpedicto H. restituerent abbatiam. & ita fuit effectui mancipatum. Post hæc ipso R. nihilominus murmurante, ambo pariter ad prædecessoris nostri præsentiam accesserunt: qui, sicut jam præmisimus, nos & præfatum Presb. Cardinalem eis tribuit auditores. & tandem causa diutiùs actitata, per eundem prædecessorem nostrum de utriusque partis assensu fuit compositio taliter celebrata, quòd H. abbatiam, R. verò Priorarum & Custodiam obtineret. propter quod ipsi H. obedientiam repromisit. Sic ergo eis reversis ad propria, præfatam com-

* Addendum, ad judices, aut aliquid simile.

positionem. Idem R. coram diocesano Episcopo approbavit. Sed ab ipso Abbate postea requisitus tertiò si Custodiam & Prioratum vellet habere, post trinam citationem veniens dixit quòd non per eum sed per Rom. Pontificem volebat habere præmissa. unde nullam obedientiam ei volnit exhibere. Recedens igitur absque Abbatis licentia, cùm extra monasterium moram faceret longiorem, ab ipso H. de fratrum consilio fuit excommunicationis vinculo innodatus, & cùm per longum tempus non rediret ad monasterium, Abbas dicta officia, consulentibus fratribus, aliis assignavit, qui, quandiu Abbas vixit, ea pacificè tennerunt. Abbate verò defuncto, frattes convenerunt in unum, nonnullis Abbatibus & aliis viris religiosis præsentibus qui ad defuncti convenerant sepulturam, & R. juniorem, seniore absente, in Abbatem nnanimiter elegerunt: quem præsentatum sibi diocesanus Episcopus confirmavit, & benedixit. Consequenter verò senior R. ad præsentiam nostram accedens, literas ad remotos per dietas qnatuor judices & suspectos monachis per mendacium impetravit. ad quos pars monachnrum ante aliquam citationem accedens, copia commissionis obtenta, literas per falsi suggestionem proposuit impetratas, pro eo quòd dicebatur in eis compositionem sibi non fuisse servatam, monasterium interdictum, & se appellasse priusquam R. junior electus fuerit in Abbatem. qnæ falsa penitùs asserebat. Tacnir etiam se excommunicatum ab hoc Abbate defuncto, & alia quædam, quibus expressis literas ipsas nullatenus impetrasset. Cùmque omnia quæ præmisimns sufficienter probare vellent, & judices eotum probationes recipere, tanquam demandatum eis non fuerit, recusarent, ipsi monachi ante ingressum judicij appellarunt, sicnt ex depositionibus testium est probatum. Delegati verò nihilominus procedentes, & recipientes testes partis adversæ, seniorem R. instituendnm sententialiter decreverunt. quorum factnm, tanqnam iniquum, irritari à nobis monachi suppliciter postulabant. Cùm autem quæ præmissa sunt & alia quædam præfati Cardinales nobis & fratribus nostris prudenter & fideliter retulissent, nos (attendentes qnòd ex consensu compositionis receptę, quam prædecessor noster etiam confirmaverat, jus, si quod sibi competierat, R. seniur amisisset, ac per hoc ne monachi ad electionem procederent, appellare de jure minimè potuisse, cùm, nisi quorum interest, andiri non soleant appellantes) de consilio fratrum nostrorum appellationem illam dicimus legitimam non fuisse. unde per eam electio non potuit impediri. Quia verò constitit nobis monachos anre litis exordium rationabiliter appellasse, pro eo quòd super falsi suggestione probationem nolebant admittere delegati, & per consequentiam eo ipso quòd bene appellatum fuerat, jnrisdictionem judicum expirasse, quicquid ab eis perperam attentatum, vel de recipiendis anre litem contestatam restibus, vel de sententia proferenda, denuntiamus sententialiter non tenere. Sanè quamvis dilecti filij P. Præpositus & Capitulnm Constantien. de interdicto præmisso * ad Cardinalem, qui posuerat illud, suis literis inseruerint, quia ramen per id quod R. juniori diocesanus Episcopus munus benedictionis impendit, ei videtur quod præmisimus obvlare, unde vel scriptura facto vel factum scripturæ præjudicat, nec probatnm fuit, licèt objectum, quòd ab interdictis electio fuerit celebrata, ipsam non potuimus irritare; præsertim cùm contra personam electi nihil fuerit intentatum. ideóque cansam ipsam sub ea forma vobis duximus de consensu partium committendam, ut si constiterit quòd electio fuerit facta à suspensis, ea omnino cassata, ipsi monasterio, post satisfactionem condignam, suspensionis & interdicti sententia relaxata, de persona idonea consulatur. Alioquin, ne utilitas monasterij retardetur, præmissam electionem per vos appellatione remota volumus confirmari, & R. juniorem abbatiæ pacifica possessione gaudere, alinm verò Custodiam & Prioratnm, quę sibi fuerāt à suptamemorato prædecessore nostro concessa, non obstante donatione ab H. quondam Abbate facta de ipsis, volumus & mandamus sine contradictione qualibet nbtinere. Testes autem &c. Nullis literis præter assensum partium &c. Quòd si omnes &c. Datum Laterani VII. Idus Aprilis.

*In Tertia Collect. à Car.

VV. ABBATI DE DEREFORDIA, ejúſque fratribus tam præſentibus quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum.

Epiſt. 51. De privilegiorum confirmatione.

RElligioſam vitam eligentibus &c. *uſque ad verbum* ordo canonicus, qui ſecundùm Deum & beati Auguſtini regulam atque Præmonſtraten. fratrum inſtitutionem in eodem monaſterio &c. *uſque ad verbum* vocabulis. Locum ipſum in quo prefatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis, ſicut terminorum deſignat appoſitio, & molendinum quod Henricus Clericus tenuit, cum pertinentiis ſuis, & decimam pedagij de Herting. in denariis & in portis, & totam decimam caſei ſui, præter unam peſam, quæ ad Eccleſiam ejuſdem loci dicitur pertinere, & terram de Vura, ex dono Henrici Hoſati ſecundi augmentum terræ & nemoris, ſcilicet à via Londonien. quæ tendit de Dereſordia versùs Sing. uſque ad diviſam Hamteſir & Suſerxię, & capellam de Standena cum pertinentiis ſuis, & xxxvj. acras terræ in Vulgaſton. & molendinum de Hagedebed. cum pertinentiis ſuis, & decimam domus ſuæ, ſcilicet de pane, & carne, & piſce, & terram quàm Robertus de Sanda tenuit cum pertinentiis ſuis. Ex dono Clementiæ uxoris ſuæ aſſenſu Domini ſui xx. ſol. cenſuales in civitate Wintoniæ, & terram de Albedeſton. Ex dono Iocelini fratris quondam .. Reginæ unam virgatam terræ in Ecchiete. Ex dono W. de Braoſa unum tunellum vini rubei ad Miſſas celebrandas in villa de Sorahan, & unam ſalmam. Ex dono H. Comitiſſæ Gloeceſtriæ terras quas T. de Witru. & Matthæus & Robertus tenuerunt, & ſedecim acras in eſſartis de Nutſtede. Ex dono Hugonis Hoſati duas virgatas terræ in Berithon, cum pertinentiis ſuis. Ex dono Galfridi Hoſati medietatem terræ quam emit de Gualtero de Selca, in Edboldinton. Ex dono Vv. de Suneuverda unam virgatam terræ apud Holt. Ex dono R. de Meſnil & Iordani de Vualchervilla terram quam Reginaldus filius Vlſi tenuit in Subreton. Ex dono R. Capellani de Saldeford, unum maſagium in Geldeford. Ex dono Hugonis de Bernier unum maſagium apud Deviſas. Ex dono Vv. de Eleſtede terram de Vvihus. Ex dono Alani de S. Georgio quinque ſolidatas redditus in manerio de Tradinchon. Ex dono Vualteri Hoſati terram de Scartorp. Sanè novalium &c. Liceat quoque vobis &c. Prohibemus inſuper ut nulli fratrum &c. Ad hæc, præſenti decreto ſtatuimus, ne quis vos &c. Prohibemus inſuper ut infra fines &c. In parochialibus autem &c. Chriſma verò &c. Licitum &c. Cùm autem generale interdictum &c. Sepulturam præterea &c. Paci quoque &c. Libertates &c. Decernimus ergo &c. Salva ſedis apoſt. auctoritate & diœceſani Epiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, VI Idus Aprilis, Indictione ſecunda, incarnationis dominicæ anno M CXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno II.

CORCAIEN. EPISCOPO, ejúſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Epiſt. 52. De confirmatione privilegiorum.

EX injuncto nobis apoſtolatus officio &c. *uſque ad verbum* vocabulis. Locum ipſum in quo præfata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis & libertatibus intra & extra civitatem. Eccleſiam S. Mariæ in monte, & Eccleſiam beati Michaelis, & cœmiterium in quo poſitæ ſunt, & arria circumquaque poſita. Eccleſiam S. Neſſani, Eccleſiam S. Brigidæ, Eccleſiam S. Sepulchri, Eccleſiam S. Johannis in civitate, Eccleſiam S. Trinitatis, & Eccleſiam S. Petri in civitate, cum molendino Corcaiæ, quod eſt inter inſulam & rupem, cum piſcatura Vadubgaill, & piſcaturam Macmoelpoil, & ceteras piſcaturas juratas Eccleſiæ tuæ cathedrali S. Barri, Achadnanhos, Duneulinn, Clochan, Nabulain, Duoles, Vchonduban, Balinagerranach, Ardachad, Baliugiphan, Baliudunchada, Leſnacdenao, Baluſobedi, Cellmagimchrinn, Duobetheig, Leſadhdibeccam, Celludri, Cellcroman, Cellcul, Ardinor, Durnſguill, Celleſcop, Mellan, Celleſcoplappan, Cellcunran, Cullecha, Dnbtulach, & alias terras S. Barri in Vturp, & totum Vmacciar, in terris, Eccleſiis, aquis, & poſſeſſionibus. Terram ſancti Barri in Ciarrigi, in Iſpich, cum pertinentiis ſuis. Roſbech, Cellnaclerech, Cellimeclan, Aeſgabri, Hucubmachino, Cellinelaig, Cullen, cum pertinentiis ſuis. Nochoengbail, Cennſali, cum

cum pertinentiis suis. Techsachsan, cum pertinentiis suis. In Iseoganan, CellMœsenoch Cellbrogan, Cellmathnain, Midisel, Achadmeleitig, Cellsinchili, cum pertinentiis suis. Techmolaggi cum pertineotiis suis, Domnachior, Cellisaeleah, Ciseicerum, cum pertinentiis suis. Inisduni cum pertinentiis suis. Magalaid, Glennberchio, Cellarchadangli, Acchaddun, cum pertinentiis suis. Cellmugana, Cluamechi, Cellcilhn, Cellcohi, cum suis pertinentiis. Scol cum suis pertinentiis. Celloran, Celimolaggi, Cellmua, Durrus cum pertinentiis suis. Insscuingi cum suis pertinentiis. Cellmochomoc, Cellechdach, Cellmana, Cellchatthigern, Celimacceogam, Dramdalach, Fanlohais, Magatia, Dissaert, Saergussa, Cennech, Clnannached, Dunusci, Cennmugi, Magalaid, Disert mort cum pertinentiis suis. Disertanaeda cum pertinentiis suis. Rathen cum pertinentiis suis. Chaennabur cum pertinentiis suis, cum Cennmugi, & aliis pertinentiis suis, Athbruaoni, Ardmacchfaelan, Tulachrata, Cellia, Clnanpruches, Corcachbet & Archadfadda. Prohibemus iosuper ne interdictos &c. Præterea libertates &c. Decernimus ergo &c. Salva in omoibus apost. sedis auctoritate, & Casselen. Archiepiscopi debita reverentia. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, II. Idus Aprilis, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno M CXCIX. Pontificatus verò Domioi Innocentij Papæ III. anoo II.

EPISCOPI ET POTESTATIS Castellanensis ad Papam.

Epist. 31. Mittunt tributum, Pontificisque opem postulant adversùs Aretinos.

Pio Patri & Domino Innocentio divina gratia sanctæ Rom. Ecclesiæ Summo Pontifici R. Castell. Ecclesiæ humilis servus, & Bonus Comes civitatis Castell. Potestas, cum ejusdem terræ majoribus & minoribus, debiti obsequij devotissimum famulatum. Cùm pristinâ memoriâ terra nostra, immo vestra, ad patrimonium S. Rom. Ecclesiæ communi ac privato jure spectare noscatur, & nuper sanctitatis vestræ solicitâ curâ antiqua statuta inde sint innovata, dignum duximus ad præsens debitum canonem, scilicet per unamquanque domum denarium, colligere, & in signum nostræ fidei per præsentium latorem nobilem virum ad pedes vestræ sanctitatis dirigere: cujus facti humilis devotio nos corroborat, & in quibus iodigemus à sanctitate vestra protectionem quærere confortat. Aretini cives, nobis aliis proximiores, Castellan. episcopatus fines invadere conantur; & cum Marchionibus confœderati, qui contra præceptum vestrum de destructione montis sanctæ Mariæ acriter doluerunt, aliud castrum Castellan. Ecclesiæ expugnare, & memoratum montem post Pascha reficere ordinavernnt. Subveniat ergo famulis suis vestræ sanctitatis benignitas, & jamdictos Aretinos ab hujusmodi vexationibus imperiosè compescat; & adjacentes vicinos, scilicet Perusinos, & Massanos, ut nobis subveniant, vestræ paternitatis providentia, si placet, inducat.

EBREDUNEN. ARCHIEPISC.

Epist. 34. V. Vencienfem Episcopum publicè excommunicatum denuntiet.

Sicut nobis tua fraternitas suis literis intimavit, cùm bonæ memoriæ C. Papa prædecessor noster tibi & ven. fratribus nostris Dignen. & Senecen. Episcopis dedisset firmiter in mandatis ut pro enormibus quæ sibi de Vencien. Episcopo fuerant nuntiata, ipsum, si rei veritas taliter se haberet, ab officio beneficióque suspensum, ad sedem apostolicam mitteretis, vos diligenter quæ vobis injuncta fuerant exequentes, cùm illis & deterioribus præfatum Episcopum invenentis maculatum, præcepistis eidem ut suspensus apostolico se conspectui præsentaret: qui neque ad Ecclesiam Romanam accessit, neque propter suspensionem episcopatum desiit ordinare. Nolentes autem ut quæ, de mandato maximè apostolicæ sedis, à venerabilibus fratribus nostris rationabiliter disponuntur, alicujus debeant temeritate convelli, fraternitati tuæ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus præfatum Episcopum, qui suspensionis sententiam in se latam observare contempsit, excommunicatum publicè nunties, & facias ab omnibus arctiùs evitari, donec ad præsentiam nostram cum tuarum testimonio literarum accedat rediturus, si poterit, de suis actionibus rationem, cui, volente Domioo, in nostra & fratrum nostrorum præsentia sua justitia respondebit. Datum Laterani VI. Idus Aprilis.

AVINIONEN. ET TRISCASTR. Episcopis.

Epist. 35. Vt Templarios oratorium sibi construere patiantur.

CAusam quę inter dilectos filios fratres militiæ Templi ex una parte, & Præpositum & Canonicos Sistaricen. ex alia, super constructione oratorij vertebatur, super qua post commissiones plurimas ab apostolica sede obtentas, à venerab. fratrib. nostris Dien. & Dignen. Episcopis & dilecto filio Abbate de Boscaldun fuerat sententia promulgata, utraque parte in nostra præsentia constituta, dilectis filiis G. sanctæ Mariæ trans Tyberim Presbytero & H. sancti Eustachij Diacono Cardinalibus commisimus audiendam: qui, auditis utriusque partis rationibus, nobis & fratribus nostris fideliter quæ audierant retulerunt, in scriptis allegationes partium præsentantes. Nos autem auditis omnibus & diligenter inspectis, cum fratribus nostris deliberato consilio, quia dutum admodum videbatur quòd privilegia felicis recordationis Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum & nostra concessa Templariis debita firmitate carerent, volentes quòd & privilegia tam prędecessorum nostrorum quàm nostra illibata serventur, & sententia prædictorum judicum, quæ per bonæ memoriæ Celest. Papam prædecessorem noscitur confirmata, in sua remaneat firmitate, taliter duximus super ipso negotio statuendum, ut Præpositus & Capitulum Sistaricense, si voluerint, à Templariis sufficientem infra duos menses recipiant cautionem quòd de oratorio illo damnum aut præjudicium matrici Ecclesiæ nullatenus generetur; & sic, secundùm quod in eorum habetur privilegiis, habeant facultatem præfatum oratorium consummandi. Quòd si fortè prædicti Præpositus & Canonici cautionem ipsam non duxerint admittendam, ut sic latæ sententiæ pareatur quòd privilegiis indultis minimè derogetur, Templariis ipsis auctoritate dedimus apostolica potestatem, ultra locum illum in quo construere inceperunt, sicut per sententiam est inhibitum ne ulteriùs in ipso procedant, ubicunque maluerint, duntaxat in suo solo, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, juxta privilegiorum suorum tenorem oratorium fabricandi. Inde est quòd fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus præfatos Præpositum & Canonicos, ut sibi & Sistaricen. Ecclesiæ à Templariis præcaveant, ut prædiximus, & constructionem oratorij jam incepti non impediant, moneatis attentiùs, & inducere procuretis. Quod si facere fortè noluerint, ne Templarios super constructione oratorij ultra locum illum (ut superiùs est distinctum) contra concessam eis libertatem à nobis impedire præsumant, ipsos per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellatis. Datum Laterani VI. Idus Aprilis.

BVRDEGALEN. ARCHIEPISC. Agennen. Episcopo, & Abbati Sylvæ majoris.

Epist. 36. Vt in Ecclesia Vasatensi tot instituãtur Canonici, quot licebit per facultates Ecclesiæ.

EX parte venerabilis fratris nostri Vasaten. Episcopi fuit in audientia nostra propositum quòd cùm in novitate promotionis suæ de ordinatione Vasaten. Ecclesiæ tractatus inter ipsum & Canonicos haberetur, per mendacium confinxerunt quòd in ipsa Ecclesia non fuerant ab antiquo nisi decem & octo præbendæ, nullam ei super hoc scripturam authenticam exhibentes, & falsis persuasionibus ejus animum induxerunt ut super statuendo numero decem & octo Canonicorum, qui tamen essent in Ecclesia residentes, & ibidem assiduè deservirent, suum præberet assensum; & licèt proventus ipsius Ecclesiæ xxiv. Canonicis congruè sufficere valeant, non etiam sunt xij. Canonici qui Ecclesiæ servitium suum impendant; & iidem lucrum suum potius quàm Ecclesiæ commodum attendentes, ut proventus Ecclesiæ in suos usus convertant, in substituendis Canonicis nec volunt nec student esse concordes. Quoniam igitur quod per fraudem vel mendacium obtinetur, effectum habere non debet, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si præmissis veritas suffragatur, non obstante constitutione prædicta super numero xviij. Canonicorum facta per fraudem in Ecclesiæ detrimentum, secundùm quod Ecclesiæ poterunt sufficere facultates, sub convenienti numero Canonicos eligi absque appellationis obstaculo & institui faciatis; qui continuam ibidem residentiam facientes, devotum in ea Domino exhibeant famulatum; districtiùs compescentes, si qui vobis super his te-

merè præsumpserint refragari. Nullis literis &c. Quòd si omnes &c. Datum Laterani II. Idus Aprilis.

PH. MEDIOLANENSI *Archiepiscopo.*

Epist. 17. Quæstio inter eum & Abbatẽ sancti Donati de Scozula sententiando definitur. Cap. Inter dilectos. *De fide instrumentorũ.*

INter dilectos filios Gerardum Abbatem sancti Donati de Scozula ex una parte nomine monasterij, & W. Balbum Mediolanen. Canonicum procuratorem tuum nomine Mediolanen. archiepiscopatus ex altera, super subjectis articulis diù fuit in nostro auditorio litigatum. Petebat siquidem dictus Abbas nomine monasterij sancti Donati de Sexto à præfato procuratore tuo nomine Mediolanen. Ecclesiæ restitui monasterio memorato portum Scnzulæ sive Sexti, cum honore, districtu, & jurisdictione præfati loci & castellantiæ, dicens ad monasterium hæc omnia pertinere, hoc ipsum dicens de hominibus qui habitant in curte Baveni, & tenent res monasterij memorati, scilicet in Gralia, Carpuneno, Vesterpeno, Cadempleno, Baveno, & Insula superiori, Bolgerate, ac Lisia. Petens etiam ut Mediolan. Archiepiscopus cessaret ab inquietatione hominum qui habitant in loco Baveni super manso de Curte, de quibus monasterium obtinuerat in judicio possessorió per sententiam Episcopi Veronen. Item ut cessaret ab inquietatione vicariorum, id est, communium & tertarum in territorio Sexti sive Scozulæ & in ejus castellantia positarum, ab inquietatione quoque albergariæ prædicti loci Scozulæ sive Sexti, & illius etiam castellantiæ. Rursus, ut non inquietaret monasterium antedictum in possessione vel quasi possessionem piscariæ totius aquæ Ticini usquè ad raviam Castelleti, vel Pigaroli. Et hæc omnia petebat cum omnibus fructibus inde perceptis, salvo in omnibus jure addendi, vel minuendi, satagens multipliciter comprobare omnia quæ præmissa sunt, ad suum monasterium pertinere. Primò per privilegiũ Luitardi Comitis quondam Episcopi Ticinensis, qui monasterium ipsum fundaverat, & ei quæ præmissa sunt donaverat universa. Secundò per instrumentum sententiæ Asperti quondam Mediolan. Archiepiscopi, quam ex delegatione Lodoici Imperatoris tulit pro monasterio sæpedicto super his contra * Nottingum præfati Luitardi nepotem, qui super eis molestabat monasterium. Tertiò per privilegia Rom. Imperatorum, & præsertim Henrici, qui præmissa omnia monasterio confirmabant & conferebant. Quartò per instrumenta locationum quas fecerant diversis personis Abbates monasterij memorati. Testes quoque produxerat, per quos nitebatur probare quòd monasterium à * sexaginta annis infrà & à quinquaginta annis & suprà tenuerat & possederat omnia supràdicta, & quòd fama publica erat ea omnia præfato monasterio à jamdicto Luitardo fuisse donata. Sed contra privilegium * donationis à præfato procuratore tuo multa fuerunt objecta. Primò, quia ibi maximè apparebat consumptum, ubi potuisset falsitas faciliùs deprehendi, videlicet in annotatione indictionis. Secundò quia cùm charta vetustissima videretur, recentior apparebat scriptura, tanquam non illo tempore facta fuisset. Tertiò, quia falsum sigillum vitiosè videbatur appositum, eò quòd à media parte sigilli apparebat quædam imago, non cum mitra in capite, sed cum pileo, nec induta pontificalibus, sed regalibus, tenens in manu non baculum pastoralem, sed quasi sceptrum regale, cujus facies non apparebat integra, sed dimidia, tanquam in alia medietate * respiceret aliam, quæ tamen tota vacua remanebat; sed quædam imago videbatur ex ea fuisse deleta, quia cera in ea parte nec in colore nec in planitie reliquæ parte similis apparebat. unde non Episcopi, sed Imperatoris, videbatur fuisse sigillum, quod in una medietate Cæsaris imaginem exprimebat, & in altera medietate pręsumebatur vel filij vel conjugis imaginem habuisse. Nam & in ipso sigillo nullæ aliæ literæ apparebant, nisi quæ nomen proprium cum hac adjectione *Dei gratia* designabant. Sed cùm proprium nomen ipsius Episcopi fuerit Luitardus, in nomine proprio, quod exprimebat sigillum, deletæ fuerant duæ literæ, secunda, quæ fuerat inter L & T, & sexta, quæ fuerat inter R & V; ita quòd si secũda fuisset O, & sexta fuisset I, proculdubio non Luitardus sed Lotarius legeretur. Quod etiam inde * cognosci poterat; quia secundùm dispositionem aliarum literarum inter L & T non erat spatium nisi quod potuisset unam literam continere, cùm secundum integritatem hujus nominis *Luitardus*, inter L

Vide suprà lib. 1. epist. 17.

* *In Tertia Coll. t. A.*

* *In Tertia Coll. XL. errore librarij haud dubiè.*

* *In Tertia Coll.* donationis

* *In Tertia Coll.* reciperet

* *In Tertia Coll.* conici

& T, duæ literæ sint diversæ. Præterea, inter R & V tam modicum erat spatium, ut in eo non hæc litera D, quæ majus occupat spatium, sed hæc litera I, quæ minimum occupat, videretur formata fuisse. Rursus, cùm cera sigilli ab interiori parte vetustissima esset, cera quæ posita erat ab exteriori parte, quasi ad conservationem sigilli, recens erat & mollis. Quod cùm diligenter investigatum fuisset, certo certiùs est compertum quòd sub vetusto sigillo charta fuerat perforata, & per glutinum novæ ceræ, quæ fuerat posita exteriùs quasi ad conservationem sigilli, vitiosè fuit ipsi chartæ conjunctum. Eadem falsitatis specie, per vitiosam videlicet appositionem sigilli, cetera ferè privilegia Rom. Imperatorum, præter privilegium Henrici, vel falsa reperta sunt, vel falsata. Sed & ipsum Henrici privilegium ad fidem astruendam non videbatur sufficere: quia nec erat publica manu confectum, nec sigillum habebat authenticum, eò quòd erat ex media ferè parte consumptum, nec plus de nomine proprio, nisi ultima medietas, videlicet *icus* nec de ceteris literis nisi hæc adjectio, *Dei gratia*, comparebat; ita quòd ex literis ipsis non magis poterat comprobari fuisse sigillum Henrici quàm Ludoici. Instrumentum quoque sententiæ multis modis inveniebatur suspectum: tum quia quædam in ipso apparebant lituræ, tum quia subscriptio notarij videbatur alterius manus fuisse quàm conscriptio instrumenti; cùm tamen notarius in subscriptione profiteretur se instrumentum manu propria conscripsisse. Litera quoque recentior videbatur quàm charta, & aqua videbatur encaustum infectum, ut antiquius appareret. In omnibus etiā imperialibus privilegiis, quæ posteriora fuerant, nulla prorsùs est habita mentio de illa sententia: quamvis in eorum aliquibus mentio facta fuerit Luitardi, qui dicebatur donationem fecisse. Porrò si legitimum esset & verum instrumentum sententiæ, per illam tamen sententiam nullum Mediolan. archiepiscopatui præjudicium poterat generari, cùm ipsa sententia lata fuerit inter alios, & res inter alios acta alij non præjudicet, nec attestationes quæ continebantur in instrumento sententiæ, per quas legitima donatio Luitardi videbatur esse probata, poterant eidem archiepiscopatui nocumentum aliquod irrogare, cùm inter alias personas & in alio judicio receptæ fuissent. Ceterùm memoratum Henrici privilegium, quod non solùm confirmationis sed etiam donationis videbatur fuisse, unde rerum dominium donatarum intelligi fortè poterat monasterio acquisitum & traditum, quamvis ex forma petitionis, quæ in ipso privilegio declaratur, & quibusdam aliis verbis quæ ponuntur in ipso, confirmatorium tantùm videretur fuisse, ut tamen intelligatur eo modo quo magis posset valere, distinguendum utique videbatur, ut idem Henricus alia donaverit, & alia confirmaverit, cùm eadem legitimè nequivissent & confirmari pariter & donari; confirmari, tanquam priùs habita, & possessa; donari, tanquam tunc tradita, & concessa. Donaverit inquam illa quæ ipse intra trium miliarium spatium monasterio concedebat. Confirmaverit autem quæ priùs ipsi monasterio concessa fuerant & donata, inter quæ illa continebantur quæ deducta sunt in judicium. ac per hoc illa non poterant intelligi per privilegium illud donata, sed confirmata, cùm juxta legitimas sanctiones, quod meum est, ex alia causa meum fieri non possit, nisi desierit esse meum; præsertim cùm pars monasterij * nixa fuerit comprobare, tum per privilegium concessionis, tum per instrumentum sententiæ, quòd illa legitimè fuerint à Luitardo donata, & illi donationi per totum judicium est innixa, unde post donationem hujusmodi eadem eidem non poterant redonari. Cùm ergo confirmatorium tantùm extiterit, saltem quoad illa quæ deducta sunt in judicium, si principale non tenuit, nec accessorium quod ex eo vel ob id dignoscitur esse secutum. Pari modo cetera privilegia Rom. Imperatorum, etiamsi vera fuissent, & sine suspicione, ad probationem tamen invalida probarentur. Per instrumenta verò locationis nec est utcunque probata proprietas, nec etiam plenè possessio, cùm juxta legitimas sanctiones ad probationem rei propriæ, sive defensionem, non sufficiat facta locatio. Licèt autem his & aliis modis sæpedictus procurator tuus intentionem Abbatis videretur elidere, cautùmque sit in jure civili quòd actore non probante, is qui convenitur, etsi nihil præstiterit, obtinebit, ad ostendendam tamen evi-

* In Tertia Collect. visa

dentiùs justitiam tuæ partis, per testes videbatur probare quòd Mediolanen. Archiepiscopus omnia quæ præmissa sunt à sexagiota aonis infrà possederat inconcussè. Verùm contra præscriptiones hujusmodi dictus Abbas interruptionem medij temporis civilem pariter & naturalem objecit. Olim enim Gozovio quondam Comite à Federico Imp. super his judice delegato, cùm post citationes legitimas Mediolan. Archiepiscopus se contumaciter absentasset, pro monasterio fuit lata sententia, & ipsius nomine corporalis possessio assignata, quam per sex annos & ampliùs habitam An. 1161. in bello Mediolan. amiserat. per quod allegabat præscriptionem civiliter & naturaliter interruptam. Porrò ad exceptiooem præmissam sæpedictus procurator tuus taliter replicabat, quòd bonæ memoriæ Io. Anagninus sanctæ Mariæ io porticu Diac. Cardinalis, postea sancti Marci Presbyter, & tandem Episcopus Prænestineosis, tunc apostolicæ sedis Legatus; attendeos quàm barbarica feritate & insatiabili odio Ecclesiam & civitatem Mediolan. Federicus Imperator funditus vellet evertere, atque in supremam redigere servitutem, quicquid ipse vel aliquis judex seu ministerialis ejus in Ecclesias, Clericos, vel cives Mediolan. statueraot tempore illo, in irritum revocavit. cujus factum felicis recordationis Alexander Papa prædecessor ooster approbans, coofirmavit. unde quod à præfato Comite factum fuerat in odium Mediolanensium, quos dictus Imperator acriùs infestabat, Mediolaoensi Ecclesiæ præmissa ratione non poterat præjudicium geoerare. Porrò ratiooem hujusmodi pars adversa frivolam reputabat, cùm factæ causæ nulla juris constitutione fieri possint iosectæ. Cùm autem super his quæ præmisimus in nostra & frattum nostrorum præsentia fuisset diutiùs litigatum, quia legitimè probatum oon fuerat ea quæ petebantur ad monasterium pertinere, de communi fratrum oostrorum consilio ab impetitione ipsius præfatum procuratorem tuum nomioe tuo & Mediolan. Ecclesiæ sententialiter, duximus absolvendum: quoniam cùm obscura sunt jura partium, consuevit contra eum qui petitor est judicari. Super manso verò de Curte Baveni, quod ab antedicto Episcopo Veronen. fuit ipsi monasterio per diffinitionis calculum in possessorio judicio attributum, nos quoque eidem cœnobio procuratorem ipsum oomine tuo & Mediolaoensis Ecclesiæ in petitorio judicio auctoritate judiciaria condemnamus, cùm liquidò sit probatum quòd dictum monasterium mansum ipsum longissimo tempore quietè possedit, in ea parte perpetuum sibi sileotium imponentes. Ceterùm auctoritate apostolica districtiùs inhibemus oe tu vel tuorum quilibet successorum ad res & possessiooes & jura prædicti monasterij manus extendat, præter id qnod de portu, honore, districtu, & jurisdictiooe à nobis est sententialiter diffinitum. Nulli ergo &c. absolutionis, inhibitionis, & diffinitionis &c. Datum Lateraoi XVI. Kal. Maij.

In eundem ferè modum scriptum est G. Abbati de Scozula.

CONVENTVI DE CONCHIS.

Epist. 58. Quæstio inter eos & Abbatem monasterij de Conchis sententiando diffinitur. Cap. Cùm super. De off. jud. deleg.

CVm super abbatia monasterij vestri inter vos & S. quondam Abbatem olim fuisset quæstio diutiùs agitata, partibus taodem ad oostram præsentiam accedeotibus dilectum filium nostrum H. sancti Eustachij Diac. Card. dedimus auditorem: in cujus præsentia pro ipso S. taliter fuit allegatum, qnòd cùm dilectus filius noster I. tt. sanctæ Pudentianæ Presbyter Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legatus, intrasset Normanniam, & super statu ipsius abbatiæ cum Abbate ac fratribus inquisitiooem habuerit diligentem, nihil reprehensione dignum invenit ibidem; sicut ex literis bonæ memoriæ C. Papæ prædecessoris oostri evidenter apparet, quibus ipsius Cardinalis coofessio est inserta. Eo verò postmodum ab ipso monasterio recedente, literæ ipsius ad dilectos filios Troarnensem Abbatem & Priorem sanctæ Barbaræ fraudulenter obtentæ fuerunt super ioquisitione Abbatis & totius mooasterij facienda, nulla data inquisitoribus potestate in Abbatem aliquid statuendi, quemadmodum ex testimonio ejusdem Card. colligitur evidenter. Prædictis ergo inquisitoribus accedentibus ad monasterium memoratum, & volentibus fines mandati excedere in facienda inquisitione, juris ordioe oon servato, idem Abbas, antequam ioquisitio sortiretur effectum, sedem apost. appellavit, & quamvis iter arripuisset ad

Rom. Eccleſiam veniendi, dicti tamen inquiſitores, nec appellationi rationabiliter interpoſitæ neque ipſius abſentiæ vel excuſationibus aliquibus deferentes, deſtitutionis in eum ſententiam contra juris ordinem promulgarunt, licèt non prounutiaudi poteſtas eis eſſet conceſſa, ſicut ex multorum Prælatorum literis liquidò declaratur. Memorato igitur Abbate ad dicti prædeceſſoris noſtri præſentiam accedeute, poſtquam de inordinata deſtitutione ſua eum reddidit certiorem, omnibus irritatis quæ contra juris ordinem à dictis inquiſitoribus fuerant ordinata, eundem Abbatem ſententia ſua reſtituit, executione ſola venerabili fratri noſtro Epiſcopo & dilectis filiis L. & H. Archidiaconis Ebroicenſibus demandata. Die verò à ſolo Epiſcopo partibus aſſignata, & ad terminum utraque partium veniente, cùm expectaret Abbas reſtitutionem fieri ſibi ſecuudùm apoſtolici mandati teuorem, eam non potuit obtinere; quia potiùs precibus, minis, & terroribus eum Epiſcopus inducere laboravit ut in ipſum, non ſuper reſtitutione facienda, quod erat principale negotium, compromitteret, ſed ſuper executione tantummodo differenda. & quoniam pars adverſa cum armis illuc acceſſerat & multitudine armatorum, factum eſt quòd in dictum Epiſcopum, ſicut præmiſſum eſt, compromiſit, fide in manu ipſius præſtita, & reſtitutionis literis depoſitis apud eum, non tradendis parti adverſæ, ſed diligenter ſervaudis, & reſtituendis ſibi tempore opportuno. ipſe verò Epiſcopus contra id quod promiſerat venire non metuens, adverſariis Abbatis literas reſtituit memoratas. ſicque compromiſſo ex parte ipſius Epiſcopi & adverſariorum pariter violato, monachi bonæ memoriæ Melioris tt. ſanctorum Iohannis & Pauli Preſbyteri Cardinalis, tunc apoſtolicæ ſedis Legati, præſentiam adeuntes, ad I. quondam Rothomagen. Decanum ſuper gravamine compromiſſi commiſſionis litteras impetrarunt. ad cujus primam citationem monachus à dicto Abbate tranſmiſſus captus fuit ab adverſariis, & vinculis ferreis mancipatus. ad ſecundam verò citationem idem Abbas accedēs, per impreſſionem coactus fuit compromittere in Decanum, non ſuper abbatia, de qua ſub eo nulla quæſtio vertebatur, ſed pro quibuſdam bladi redditibus minuendis. Parte autem altera ſuper compromiſſo ſervando fidem, ſicut convenerat, non ſervante, dictum S. iterum oportuit ad ſedem apoſtolicam laborare: ubi à nobis tam ſuper principali quàm incidenti etiā quæſtione ad venerab. fra. noſt. Lexovien. Epiſcopum & dilectum filium Abbatem Vallis Richerij literas impetravit ut ſuper his quæ nobis fuerant intimata ſtuderent elicere veritatem, & ſtatuerent quod ſecundùm Deum viderent rationabiliter ſtatuendum, juris ordine per omnia obſervato: ita quòd alter ſine altero adeſſe nolente, vel etiam non valente, mandatum apoſtolicum adimpleret, mentione facta in literis ipſis de fide violenter, ſicut idem S. aſſerebat, extorta, & non ſuper monaſterio abjurando, ſed reſtitutione, ut dictum eſt, tantummodo differenda; ne, his omiſſis, tacita veritate commiſſio videretur obtenta. Partibus verò coram delegatis judicibus conſtitutis, pars illius quem dixit intruſum, præfatum Epiſcopum duabus de cauſis ſibi dixit eſſe ſuſpectum; tum quia ſuper Eccleſia quandam cauſam habebat cum monaſterio memorato; tum etiam quia ipſum à Romana curia redeuntem ad pacis oſculum non admiſit: unde neque coram illis neque coram illorum altero juri ſtare voluit, quamvis nihil diceret in Abbatem. ſed appellans fruſtratoriè, ſe contumaciter abſentavit. Verùm dicti executores appellationi, quæ nulla fuerat, minimè deferentes, habito multorum prudentium virorum conſilio, ſententiam à dicto prædeceſſore noſtro prolatam executioni mandarunt, reſtituentes prædicto S. abbatiam, & præfato intruſo perpetuum ſilentium imponentes. Cùmque ad eorum ex parte apoſtolica juſſionem diœceſanus Epiſcopus ſæpius requiſitus ipſum S. in corporalem poſſeſſionem inducere recuſaret, id exequendum quibuſdam Diaconibus mandaverunt: qui nedum quòd admiſſi fuerunt, verùm per monachos & fautores eorum afflicti verberibus, carcerali ſunt cuſtodiæ mancipati. Quapropter in intruſum, monachos, & fautores eorum à delegatis fuit ſecundùm apoſtolici mandati tenorem excommunicationis ſententia promulgata. Sed ob hoc intruſus & monachi non dimiſerunt divina officia celebrare: qui etiam ipſo intruſo defuncto alium excommunica-

tum eligere præſumpſerunt, ſicut ex delegatorum literis perpenditur evidenter. Cùmque nec ſic poſſent ad frugem melioris vitæ reduci, ſæpedictus S. iter arripuit ad ſedem apoſtolicam veniendi. Sed prævenientes eum nuntij monachorum, de benedictionis munere illi quem elegerant impendendo fraudulenter literas impetrarunt, quas ad partes ſuas miſerunt feſtinantiùs quàm deberent. Petebat itaque dictus S. monachos ipſos (qui cuidam prædeceſſorum ſuorum amputare linguam & oculos eruere præſumpſerunt, in alium ſedentem ad menſam cum gladiis & fuſtibus impetum facientes, alium ſolum in Eccleſia dimittentes Miſſam celebrare paratum) animadverſione condigna puniri, & poſſeſſionem abbatiæ plenariè ſibi reſtitui, ſicut à dicto prædeceſſore noſtro ſtatutum fuerat, & à delegatis poſtea judicibus ordinatum, intruſo, qui poſt latam in eum ſententiam excommunicationis aſſumptus fuerat, per ſilentium perpetuum condemnato. Ceterùm pro vobis ita fuit propoſitum ex adverſo, quòd cùm præfatus I. Cardinalis in partibus illis legationis officio fungeretur, & cauſam ipſam ſuper dilapidatione ipſius S. & incontinentia pariter præfatis Abbati Troarnen. & Priori ſanctæ Barbaræ commiſerit terminandam, ipſi cognita veritate, & ordine juris per omnia obſervato, in eum depoſitionis ſententiam protulerunt, quæ à dicto prædeceſſore noſtro fuit poſtea confirmata. Ipſe autem S. eidem prædeceſſori noſtro, quòd abbatia ipſa injuſtè ſpoliatus fuerit, intimavit; præfato Cardinali etiam aſſerente non fuiſſe intentionis ſuæ quòd ad depoſitionem Abbatis procederent judices delegati: quamvis & hoc eſſet eis commiſſum, ſicut in eorundem literis reperitur. Vnde ſæpedictus prædeceſſor noſter eum non reſtituit altera parte abſente, ſed reſtituendum mandavit Epiſcopo & Archidiacono memoratis: quia tacitum eis fuerat quòd præfatus Cardinalis dictis Abbati & Priori deponendi etiam conceſſerit facultatem. Convenientibus igitur partibus ad diem & locum ſibi à delegatis ſedis apoſtolicæ aſſignatum, dictus S. in manu Epiſcopi, quòd ejus ſuper cauſa ipſa ſtaret arbitrio, fide data firmavit: qui partes ipſas, ut ad ea quæ pacis ſunt intenderent, monuit diligenter: inter quas talis compoſitio interceſſit, ut dictus S. in perpetuum cederet abbatiæ. quam ceſſionem ratam delegati judices habuerunt; & idem S. (ſicut in delegatorum literis continetur) juramento firmavit ſe illam firmiter ſervaturum. Et cùm ſuper reſtitutione ſua duplices literas ejuſdem prorsùs continentiæ impetraſſet, facta compoſitione, quam ſæpedictus prædeceſſor noſter poſtea confirmavit, alteras reſignavit, alteras retinuit fraudulenter. Proceſſu verò temporis compoſitione ab eo aliquandiu obſervata, per jamdictum Meliorem Cardinalem quondam Rothomagen. Decano eandem fecit cauſam committi; fuitque in ejus præſentia & venerabilis fratris noſtri Rothomagen. Archiepiſcopi prima compoſitio innovata, ubi præfatus S. abbatiam denuo abjuravit, & quòd compoſitionem ipſam deinceps obſervaret, corporaliter præſtitit juramentum, ſicut in ipſius Rothomagen. Archiepiſcopi literis continetur, & multis poſſet teſtibus approbari. Fuerunt autem iſta coram Rothomagen. facta, ea præcipuè ratione, quoniam Prioratus quem ipſe S. debuit obtinere, in Rothomagen. erat dioceſi conſtitutus: quem cùm per biennium detinens, inhoneſtè vivendo ferè omnia conſumpſiſſet, ad alia bona monaſterij ſe violenter extendit. Et tandem ad præſentiam noſtram accedens, & quædam de præmiſſis exprimens, alia verò reticens, ad præfatos Lexovien. Epiſcopum & Abbatem Vallis Richerij noſtras literas reportavit, ut diligenter inquirerent de omnibus veritatem, & ſtatuerent quod juſtitia poſtularet. Ipſi verò partibus ad ſe citatis, quamvis Epiſcopus pro memoratis cauſis, & quoniam R. Abbati reſpondit quòd ſi poſſet ſibi noceret, eſſet alteri parti ſuſpectus, & ab eo fuerit recuſatus, velletque coram conjudice, qui ſuſpectus non erat, vel coram arbitris electis à partibus id probare; dicto Abbate Vallis Richerij admittere hoc nolente, ante ingreſſum cauſæ fuit ab illis duobus poſtmodum appellatum, ipſi nihilominus eundem S. reſtituendum ſententialiter decreverunt, adverſario ejus ſuper abbatia perpetuum ſilentium imponentes. Cùm igitur quæ præmiſſa ſunt & alia quædam prædictus Cardinalis nobis & fratribus noſtris prudenter & fideliter retuliſſet, (quia conſtitit nobis per literas

Horrenda, ſi vera.

judicum prædictorum Episcopi & Archidiacon. Ebroicen. quibus super restitutione ipsius S. à dicto prædecessore nostro fuerat causa commissa, de utriusque partis assensu compositionem sub eo tenore factam fuisse quòd Prioratus sancti Stephani cum omnibus pertinentiis suis & alia quædam sibi concessa fuerunt, dum viveret, possidenda, & ipse à lite spontanea voluntate recessit, & instrumenta sua fracto sigillo, quo usus fuerat, in manibus eorundem judicum resignavit, & quòd abbatiam abjuraverit memoratam, ex literis jamdicti Rotbomagen. Archiepiscopi perpendimus evidenter) nolentes per nos, qui punimus perjuria, viam perjuriis aperiri, cùm & ipse recipiendo compositionem hujusmodi renuntiaverit abbatiæ, communicato fratrum nostrorum consilio ab impetitione ipsius S. vos & monasterium vestrum absolvimus, perpetuum ei super quæstione ipsa silentium imponentes. non obstante quod factum est ab ultimis delegatis; cùm ex his appareat evidenter ipsos, (ut de aliis taceamus) si eis de præmissis constitit, minùs legitimè processisse, restituentes illum qui non habebat jus aliquod repetendi. Et quamvis solus Abbas, antequam appellaretur ab eo, juxta formam literarum nostrarum procedere potuisset: quia tamen ex eo quòd cum ipso Episcopo interlocutus est, appellationem non tenuisse de jure sine ipso, dum posset & vellet negotio interesse, per consequentiam confessus est se non posse mandatum apostolicum adimplere, nec suæ intentionis extitit ut sine conjudice suo aliquid diffiniret, & cum eo, qui jam judex esse desierat, aliquid super præmisso negotio rite disponere non valebat, voluntate ac potestate sibi mutuò adversantibus, cùm noluerit quod potuit, & quod voluit adimplere nequiverit, quod à duobus factum fuit, effectum de jure non potuit obtinere. Nulli ergo &c. Datum Laterani Idibus Aprilis.

LOCEDIEN. ABBATI.

Epist. 39. Vt pacem inter Placentinos & Parmenses facere laboret.

CVm plenitudo legis secundùm Apostolum sit dilectio, profectò dissensio divinæ legis hominem constituit transgressorem: quæ sæpius ex odii radice procedit, & eliminatis virtutibus, copiam generat vitiorum, dum unus ut in alterum suas injurias vindicet, dum ut de inimico triumphet, nec divinam offensam, nec homicidij crimen, nec reatum perjurij expavescit. Hæc enim naturalis legis jura confundens, quod sibi non vult, alij per violentiam nititur irrogare. Hæc dum persequitur proximū, nec Deum nec proximum diligere comprobatur. Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Hujus autem incommoditates pleniùs Veritas, quæ mentiri non novit, attendens, in Evangelio protestatur, *Omne* (inquiens) *regnum in se ipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Ceterùm, quamvis in libro scripturæ satis dissensionis incommoda prænotentur, manifestiùs tamen diligenter inspicientibus in libro experientiæ quotidianæ patebunt. Nam (ut non longè petantur exempla) quot ex dissensione quæ inter Placentin. & Parmen. super burgo sancti Domnini vertitur, mala contigerint, quot sint pericula (nisi Deus aliter providerit) proventura, tua discretio non ignorat. Ecce enim invicem sanguinem suum sitiunt, & esuriunt mutuò stragem suam; nec sufficit utrisque per se contra alteros dimicare, sed universam Lombardiam commoverunt ad arma & alteri, cum universis fautoribus suis, alteris & omnibus eorum complicibus generale prælium indixerunt. Quia verò nos, licèt insufficientibus meritis, vicem ejus tenemus in terris qui nascens ex virgine, per cœlicos cives pacem bonæ voluntatis hominibus nunciavit, & resurgens, & ascensurus in cœlum, pacem legavit discipulis, ut & ipsi ejus imitantes exemplum, pacem aliis prædicarent, ne si ventum fuerit ad conflictum, multis hinc morientibus fiat hæc dissensio immortalis, ne etiam præter stragem corporum incurrant insuper periculum animarum, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ sub quantacunque possumus districtione præcipimus, quatenus cum venerabilibus fratribus nostris Mediolan. Archiepiscopo, & Vercellen. Bergomen. Lauden. Brixien. Cremon. Regin. Placentin. & Parmen. Episcopis, quibus super hoc etiam scribimus, per te, & alios quos ad hunc necessarios cognoveris esse tractatum, ad eorum concordiam & pacem intendas, & ut imminentia mala vitentur,

tur, indefesso studio & solicitudine diligenti procures; ita quòd apud Deum æternæ retributionis mercedem, & apud nos dignas gratiarum actiones valeas promereri. Si verò desuper datum non fuerit ut per admonitionem & exhortationem ipsorum & tuam impleri valeat quod mandamus, tu per excom. Potestatum, Consulum, & Consiliariorum, & principalium fautorum tam Placent. quàm Parmen. ipsos Placen. & Parm. ad subeundum judicium nostrum sufficientissima in manibus tuis hinc inde præstita cautione, vel Parmen. ut burgum ipsum nomine nostro in manibus tuis tenendum assignent restituendum per nos eis quibus de jure fuerit assignandum, omni occasione, excusatione, dilatione, appellatione, & recusatione cessantibus, nostra fretus auctoritate compellas; & eis insuper commineris, quòd nisi mandatis paruerint apostolicæ sedis, manus nostras super eis curabimus aggravare. Quòd si competentiorem modum, dum tractaveris super his cum partibus, poteris invenire, secundùm eum procedere non omittas. Novit enim Dominus, qui renum & cordium est scrutator, quòd super hoc ex puritate procedimus, non ut alterutri partium cum alterius dispendio placeamus, sed ut officij nostri debitum exequentes, sopiamus dissensionem ipsam concordia, vel judicio terminemus; cùm in simili casu Reges & Principes, sicut te latere non credimus, ecclesiastica districtione duxerimus compellendos. Cùm enim inter alias orbis provincias præsertim simus de Lombardiæ statu soliciti, communi Lombardorum utilitati consulere cupimus, & gravaminibus præcavere; ne si (quod absit) inter se processerint ad conflictum, præter alia pericula, strages exinde non modica subsequatur. Sufficienti verò cautione ab utraque parte quòd judicio vel mandato nostro pareat, & à Parmen. possessione receptis, si per publicam famam vel alias legitimè tibi constiterit Parmen. ipsos possessionem temeritate propria Placentinis per violentiam abstulisse, possessionem ipsam restituas Placentinis, cùm id ordo juris exposcat; ita tamen quòd priùs tibi sufficienter caveant, ut si quid postmodum propositum fuerit, mandato nostro sint & judicio parituri. Datum Laterani V. Kal. Maij.

VV. REMEN. ARCHIEPISC. sanctæ Sabinæ Cardinali.

Epist. 40. Quòd absolvat Comitem Flandriæ ab excommunicatione, & terram ejus ab interdicto.

CVm ex injuncto nobis apostolatus officio simus secundùm Apostolum sapientibus & insipientibus debitores, & omni petenti justitiam facere teneamur, mirum esse non debet aliquibus vel molestum, si ad ea corrigenda quæ noscuntur contra justitiam attentata, manum apostolicæ correctionis apponimus, & ad juris tramitem studemus, sicut convenit, revocare. Sanè ad audientiam nostram dilecto filio nobili viro B. Comite Flandrensi significante pervenit, quòd cùm olim apud Vernonem cum carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Franciæ quasdam conventiones inisset, quas se promisit juramento interposito servaturum; quia tamen homines suos inducere non potuit ad observationem ipsarum, ab ipso Rege postulavit absolvi: qui eum apud Compendium, coram multis viris prudentibus & discretis, ab ipsis denuntiavit conventionibus absolutum. Cùmque postmodum idem Rex instrumentum super conventionibus ipsis confectum, quod penes se post factam absolutionem retinuit, fecisset felicis recordationis Celestino prædecessori nostro cum literis testimonialibus præsentari, absolutionis prædictæ non habita mentione, ipse prędecessor noster conventiones illas auctoritate apostolica confirmavit, & prçcepit inviolabiliter observari. Postmodum verò cùm per insinuationem præfati Comitis & virorum religiosorum testimonium, qui absolutioni factæ interfuisse dicuntur, eidem prædecessori nostro de absolutione illa pleniùs constitisset, ipse præfatum Comitem tam à conventionibus ipsis; sicut eas ipsi memoratus Rex asseritur remisisse, quàm à juramento super earum observatione præstito, confirmatione sedis apostolicæ seu literis aliis nequaquam obstantibus, reddidit penitùs absolutum; sicut in rescripto ejusdem absolutionis sigillis dilectorum filiorum nostrorum Electi, Præpositi, Decani, & Capituli Cameracensis, & de Gamberon, sancti Dionysij, sancti Gilleni, de Crispinio, de sancto Amando, de sancto Iobanne de Vallencenis, de Asnonio, de Aquicincto, de Marchenis, sancti Auberti, & sancti Sepulchri in

Cameraco Abbatum signato perspeximus contineri. Nos etiam, si bene recolimus, rescriptum conventionum ipsarum nobis ex parte regia præsentatum inspeximus diligenter, & eas, sicut prædecessor noster confirmaverat, auctoritate duximus apostolica confirmandas, tibi per scripta nostra mandantes ut ipsum Comitem ad observationem earum per excommunicationem personæ, & interdictum terræ, compellere non tardares. Cùmque tu postmodum juxta mandatum nostrum velles ipsum Comitem excommunicare, & terram ipsius interdicto supponere, ipse per nuncios suos asserens literas illas per suppressionem veritatis obtentas, quia in eis absolutionis factæ mentio non fiebat, ab interlocutione tua nostram audientiam appellavit. Cùm ergo rescriptum per suppressionem veritatis vel expressionem falsitatis obtentum vigorem habere non debeat firmitatis, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si præmissis veritas suffragatur, infra viginti dies post susceptionem præsentium ipsum Comitem ab excommunicatione ac terram ejus ab interdicto sublato appellationis obstaculo absolvere non postponas; cariss. in Christo filio nostro Ph. illustri Francorum Regi ex parte nostra significans, ne id molestum accipiat; cùm ex injuncto nobis servitutis officio sine personarum acceptione nulli debeamus justitiæ debitum denegare. Alioquin noveris nos venerabilibus fratribus nostris Ambianen. & Tornacen. Episcopis, & dilecto filio Aquicinctin. Abbati, literis nostris districtiùs injunxisse, ut cùm eis legitimè constiterit de præmissis, ipsumComitem ab excommunicatione & terram ejus ab interdicto nullius contradictione vel appellatione obstante denuntient penitùs absolutos. Datum Laterani VI. Kal. Maij.

Vide supra lib. 1. epist. 130.

Epist. 41.

Scriptum est super hoc Ambianen. & Tornacen. Episcopis, & Aquicinctin. Abbati, ferè in eundem modum ut suprà usque ad verbum absolutos. Nullis literis, harum mentione non habita &c. Quòd si ambo &c. tu, frater Ambianensis, cum eorum altero &c.

PH. ILLUSTRI REGI Francorum.

Epist. 42. Super eodem.

CVm ex injuncto nobis &c. *ferè in eundem modum ut suprà usque ad verbum* absolutos. Rogamus igitur magnificentiam regiam & exhortamur in Domino quatenus te non moveant aliquatenus vel perturbent quæ secundùm Deum & justitiam super ipso duximus negotio statuenda: quia licèt te, tanquam carissimum nostrum & specialem Ecclesiæ filium & Christianissimum principem amplexemur arctiùs in visceribus caritatis, & tuis, quantum cum Domino possumus, velimus intendere profectibus & augmentis, in nostri tamen executione officij apparere nolumus concedente Domino negligentes, cùm illius vicem in terris gerere dignoscamur qui judicat populos in æquitate, & cuique vult suam justitiam conservari. Datum ut suprà.

VV. REMEN. SANCTÆ SABINÆ Cardinali & Senonen. Archiepiscopis, Antisiodoren. & Nivernen. Episcopis.

Epist. 43. Quòd cogat Comitem Flandriæ ad observationem juramenti præstiti.

SIgnificante nobis dilecto filio nobili viro B. Flandren. Comite ad nostram noveritis audientiam pervenisse quòd cùm inter patrem ipsius Comitis & dilectum filium nobilem virum Comitem Nivernen. super matrimoniis contrahendis taliter fuerit interposito juramento statutum, quòd ipse pater Comitis filiam suam I. nomine eidem Comiti Nivernen. traderet in uxorem, & ipse filiam suam, cùm ad annos nubiles perveniret, Philippo præfati Comitis Flandriæ fratri, vel Henrico fratri ejus, si fortè præmoreretur Philippus, matrimonialiter copularet, & ad complementum ipsius contractus cariss. in Christo filius noster illustris Rex Franciæ ex condictu unanimi deberet utrumque compellere, necnon vos illum per excommunicationem personæ & interdictum terræ cogeretis qui à pacto matrimonij resiliret, sicut in literis ejusdem Regis & vestris, fratres Episcopi, dicitur manifestiùs contineri; idem Nivernen. Comes quod tam solenniter factum est adimplere negligit & recusat, licèt ei fit ab altera parte super contractu matrimonij plenariè satisfactum. Cùm igitur, tanquam vir nobilis & discretus, illæsam debeat famam sui nominis conservare,

ut non possit super eo quod licitè dicitur jurasse meritò reprehendi, ipsum Comitem attentè monentes per literas nostras mandavimus ut juxta quod juramento fuit interposito compromissum, complere matrimonium, quantum in ipso fuerit, non postponat, ut videatur juramenta tam à se quàm hominibus suis exhibita, sicut convenit, observare, & ad id exequendum quod per se potest laudabiliùs adimplere, per alium non cogatur. Ideóque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus sæpedicto Comite ab executione mandati nostri cessante, ipsum ad observationem juramenti, sicut de jure tenetur, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Datum Laterani V. Kalend. Maij.

Scriptum est super hoc Comiti Nivernensi.

Epist. 44. *Super eodem scriptum est Philippo illustri Regi Francorum, ferè in eundem modum ut suprà usque ad verbum* appellatione remota compellant. Quia verò magnificentia regia fideles suos ad ea debet exequenda inducere in quibus non offendatur Deus, & fama boni nominis non lædatur, rogamus magnificentiam tuam & exhortamur in Domino quatenus non impedias quò minùs præfatus Comes adimpleat quod juravit: quia cùm ejus licitum sit juramentum, ab observatione ipsius non debet retrahi, sed compelli. Datum ut suprà.

BALDOINO COMITI FLANDR. & Mariæ uxori ejus.

Epist. 45. Recipiuntur sub protectione apostolica.

APostolica sedes, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est generalis, licèt omnes teneatur paterno affectu diligere, in eos tamen uberiùs gratiam suæ dilectionis effundit quos ad exhibenda sibi grata devotionis obsequia invenit promptiores. Attendentes igitur dilectionis fervorem quam prædecessores vestri ad Rom. Ecclesiam habuisse noscuntur, & devotionem nihilominus quam vos ad personam nostram habere proponitis, firmo gerimus in proposito voluntatis personas vestras oculo benigniori respicere, & syncerioris dilectionis & gratiæ brachiis amplexari, ac in his quæ à nobis secundùm Deum duxeritis requirenda, gratanter vobis assensum apostolicum impertiri. Eapropter volentes vos, tanquam speciales Ecclesiæ filios, protegere pariter & tueri, personas vestras cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum &c. *usque ad verbum* suscipimus, auctoritate præsentium districtiùs inhibentes ne aliquis sine manifesta & rationabili causa in personas vestras excommunicationis aut in terras vestras interdicti præsumat sententias promulgare. Ad hæc adjicientes statuimus, ut si vos in aliquo præsenseritis aggravari, liberè vobis liceat sedem apostolicam appellare. Si quis verò post appellationem ad nos legitimè interpositam in vos vel terras vestras excommunicationis aut interdicti sententias promulgaverit, ipsas decernimus non tenere. Nulli ergo &c. protectionis, inhibitionis, & institutionis &c. Datum Laterani IV. Kal. Maij.

THEOBALDO PRESBYTERO Canonico Cameracensi.

Epist. 46. Confirmatur sententia lata pro eo contra I. Presbyterum super præbenda Cameracensi.

NE fiant controversiæ litigantium immortales, si sopitæ judicio quæstiones in antiquæ contentionis scrupulum reducantur, sententias per fratres nostros ex delegatione nostrâ canonicè promulgatas apostolicæ confirmationis præsidio consuevimus roborare; ne si pateret partibus à lata sententia resiliendi facultas, non litigantes litigia sed litigia potiùs fugerent litigantes, dum non nisi eis expirantibus expirarent. Sanè cùm inter te & dilectum filium I. Presb. de Landreceis super præbenda Cameracen. Ecclesiæ, de qua te felicis record. Celestinus Papa prædecessor noster post preces & mandatum dilectis filiis Capitulo Cameracen. porrecta, & executorem tibi ab ipso concessum, cassata collatione ipsius præbendæ dicto Presb. facta per Capitulum Cameracense, sicut ex literis ejus accepimus, curaverat investire, & super qua idem Presbyter, eam sibi asserens canonicè fuisse collatam, ad venerab. fratrem nostrum Episcopum & dilectos filios Decanum & Cantorem Atrebaten. commissionis literas impetrarat, qui eum, postquam iter aggressus fueras ad sedem apostolicam veniendi, causa rei servandæ in possessionem miserunt; quæstio verteretur, nos tibi & dilecto filio G. procuratori Presbyteri memorati constitutis in præsentia nostra dilectum filium Hugonem tt.

sancti Martini Presbyterum Card. concessimus auditorem. Coram quo cùm super causa ipsa fuisset diutiùs disceptatum, ipse tenore literarum inspecto, quas prædecessor ipse noster pro te Cameracen. Capitulo & bonæ memoriæ Decano Remen. transmiserat, & earum etiam quas nos circa nostræ promotionis initia venerabili fratri nostro Cathalaunen. Episcopo miseramus, intellecto etiam ex literis ejusdem Episcopi qualiter de mandato nostro in tantum processerat quòd à Capitulo fueras receptus in fratrem, & in corporalem ipsius præbendæ possessionem inductus, inspectis insuper literis quas dictus Presbyter ad memoratos Episcopum & Decanum & Cantorem Atrebaten. à sede apostolica impetrarat, & totius causæ meritis, rationibus, & allegationibus intellectis, auctoritate nostra de consilio venerab. fratris nostri Albanen. Episcopi & dilectorum filiorum G. tt. sanctæ Mariæ trans Tyberim & S. tt. sanctæ Praxedis Presbyterorum Cardinalium formavit sententiam, & nobis priùs retulit quàm proferret, ac postmodum formatam & expositam nobis sententiam de mandato nostro promulgans; super eadem præbenda silentium imposuit Presbytero memorato, & procuratori ejusdem, & eam tibi per sententiam diffinitivam adjudicare curavit. Nos igitur sententiam ipsam, sicut per eundem Cardinalem de mandato nostro lata est, auctoritate apost. confirmantes, præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani VIII. Kal. Maij.

PRÆPOSITO ET DECANO & Capitulo Cameracensibus.

Epist. 47 De eodem argumento.

CVm inter dilectos filios Theobaldum Concanonicum vestrum & I. Presbyterum de Landreceis &c. *ferè in eundem modum ut suprà usque ad verbum* curavit: quam nos postmodùm, sicut per eundem Cardinalem de mandato nostro lata fuerat, auctoritate duravimus apostolica confirmare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus sententiam ipsam studeatis inviolabiliter observare. Alioquin noveritis nos venerabili fratri nostro Cathalaunen. Episcopo districtiùs injunxisse ut eam faciat per censuram ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter observari, contradictores, tam vos, quàm alios, eadem districtione compescens. Nullis literis obstantibus, latæ sententiæ & confirmationis nostræ tenore tacito &c. Datum ut suprà.

Scriptum est super hoc Cathalaunen. Episcopo.

DECANO, V. CANCELLARIO, & C. Canonico Laudunen.

Epist. 48. In dubio sæpe præsumitur pro judice & pro illius sententia. Cap. Sicut nobis. De sententia & re judicata.

SIcut nobis vestris literis intimastis, cùm causa quæ inter Henricum Subdiaconum & Huardum Presbyterum sancti Clementis super quinque frumenti modiis vertebatur, qui dicebantur ipsi Henrico per annos singulos exsolvendi, ex delegatione nostra vobis commissa fuisset, & partibus in vestra præsentia constitutis, idem Henricus restitutionem sibi fieri postularet, adversarius se ad hoc non teneri respondit, cùm alia vice super hoc coram judice conventus fuerit, & sententialiter absolutus. quod ostendere voluit duorum testimonio sacerdotum; ex quorum depositionibus vobis constitit quòd magister A. ex parte venerabilis fratris nostri Episcopi Laudunen. Huardum Presbyterum per judicium absolvit ab impetitione Subdiaconi memorati. Verùm quia testimonium ipsorum quasi nudè prolatum fuerat; cùm de allegationibus, testibus, & rationibus quæ judicem movere solent ad sententiam proferendam, nihil se scire dixissent, variatum fuit inter jurisperitos à quibus consilium postulastis, aliis asserentibus tale testimonium non valere, aliis sentientibus quòd valeret. Vnde in hac ambiguitate, quid tenendum sit, sedem duxistis apostolicam consulendam. Cùm autem in plerisque locis, in quibus copia prudentum habetur, id moris existat, quòd causæ quæ judicem moverant, non exprimantur in sententiis proferendis, vobis taliter respondemus, quòd cùm ex depositione testium prædictorum constiterit vobis sententiam à judice suo fuisse prolatam, propter auctoritatem judiciariam præsumi debet omnia legitimè processisse. Datum Laterani II. Kalend. Aprilis.

MAR. EPISCOPO,
Castellan.

Epist. 49. Quòd non liceat alicui Presbytero absque suo consensu celebrare, vel confitentes recipere ad pœnitentiam.

FRatrum & coëpiscoporum nostrorum postulationibus, quæ ratiooi consonant, & noo devians ab honesto, taoto gratiùs & libentiùs assensum apostolicum impertimur, quanto eos ad postulandum quod petitur, oon ob proprium commodum, sed Ecclesiæ sibi commissæ utilitatem, induci credimus & moveri. Espropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus aonuentes, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne cui Presbytero vel alij in quocuoque officio constituto fas sit in tua dioceſi præter tuum assensum (quem tamen nolumus malitiosè cuiquam denegari) officia celebrare divina, ad pœnitentiam recipere coofitentes, vel quæcunque sacramenta ecclesiastica exercere, nisi necessitatis articulus id exposcat. Nulli etiam Metropolitano vel Episcopo liceat in Ecclesiis lege tibi diocesana subjectis auctoritate propria Clericos instituere, vel institotos etiam te inscio promovere, vel parochianos in tuum præjudicium tradere sepulturæ. Saluis in omnibus supradictis consuetudinibus approbatis, & tam iodulgeotiis quàm privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc, ut decimas, quas prædecessores tui hactenus in Romaniæ partibus justè ac pacificè perceperunt, exigere ac percipere liberè possis, auctoritate tibi apostolica indulgemus. Nullus ergo &c. inhibitioois & concessionis &c. Datum Laterani VI. Kal. Maij.

FERRARIENSI EPISCOPO.

Epist. 50. An hæresis matrimonium contractum dirimat.
Cap. Quanto. *De divortiis.*

QVanto te magis novimus in canonico jure peritum, taoto fraternitatem tuam ampliùs io Domino commendamus, quòd in dubiis quæstionum articulis ad apostolicam sedem recurris, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est & magistra; ut opinio quam in eis quondam habueras, dum alios canonici juris peritiam edoceres, vel corrigatur per sedem apostolicam, vel probetur. Sanè tua nobis fraternitas suis literis intimavit, quòd altero conjugum ad hæresim transeunte, qui relinquitur ad secunda vota transire desiderat, & filios procreare: quod utrum possit de jure fieri, per easdem nos literas duxisti consulendos. Nos igitur consultationi tuæ de communi fratrum nostrorum consilio respondentes distinguimus, licèt quidam prædecessorum nostrorum sensisse aliter videantur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur; vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim; vel decidat in geotilitatis errorem. Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo vel saltem non absque blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relioquitur ad secunda, si voluerit, vota transibit. & in hoc casu intelligimus quod dicit Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat. frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi.* & canonem etiam in quo dicitur quòd contumelia creatoris solvit jus matrimonij circa eum qui relinquitur. Si verò alter fidelium coojugum vel labator in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, oon credimus quòd in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare; licèt in hoc casu major appareat contumelia creatoris. Nam etsi matrimonium verum quidem inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles aotem verum quidem & ratum existit. Quia sacramentum fidei, quod semel admissum ounquam amittitur, ratum efficit conjugij sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo duraote perduret. Nec obstat quod à quibusdam forsan objicitur, quòd fidelis relictus oon debeat soo jure sine culpa privari, cùm in multis casibus hoc contingat, ut si alter conjugum incidatur. Per hanc autem responsiooem quorundam malitiæ obviatur, qui in odium coojugum, vel quando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipsa conjugibus nubentibus resilirent. Per hanc ipsam responsionem illa solvitur quæstio, qua quæritur, utrum ad eum qui vel ab hæresi vel ab infidelitate revertitur, is qui permansit in fide redire cogatur. Datum Laterani Kalend. Maij.

Cap. Si infidelis. 28 q. 2.

AVRELIANEN. EPISCOPO.

Epist. 51. Ut D. de Corbolio primò vacatura præbenda conferatur.

PRo dilecto filio D. de Corbolio paupere Subdiacono, nullum adhuc ecclesiasticum beneficium assecuto,

ad preces dilecti filij magistri P. de Corbolio, quem syncera diligimus in Domino caritate, fraternitati tuæ scripsisse recolimus, ut præbendam Ecclesiæ tuæ pro reverentia beati Petri & nostra sibi liberaliter assignares. Tu verò (unde valde miramur) non curasti precum nostrarum primitias & mandatum apost. adimplere: quin potiùs antequam idem Subdiaconus à te posset obtinere responsum, multis fuit expensis & laboribus fatigatus. Post hæc verò nuntij tui ad sedem apost. accedentes, ut te ab impetitione præfati Clerici absolvere curaremus, instantiùs postularunt. quod non. potuerunt aliquatenus obtinere. Nolentes autem quod pro Deo de provisione præfati Subdiaconi laudabiliter incepimus relinquere imperfectum, fraternitati tuæ per iterata scripta mandamus atque præcipimus quatenus si qua præbenda nunc vacat in Ecclesia tua, eam sibi non differas assignare, stallum eidem in choro & locum in Capitulo conferendo. Alioquin quam primò vacare contigerit, nostræ donationi præcipimus reservari, personæ idoneæ conferendam: de qua si quid à te fuerit ordinatum, decernimus non tenere. Dilectis quoque filiis Decano & Capitulo Aurelianen. dedimus in mandatis, ne aliquem ad institutionem tuam recipiant in Canonicum & in fratrem ad præbendam primitus vacaturam. Datum Laterani IV. Kal. Maij.

Scriptum est super hoc Decano & Capitulo Aurelianen.

HUGONI NUCERINO *Episcopo.*

Epist. 52. Ut restauret monasterium de Valdo.

SIc nos de singularum Ecclesiarum statu decet esse solicitos, ut & utilitatibus consulamus ipsarum, & gravaminibus obviemus, ne creditam nobis solicitudinem postponere præsumamur. Attendentes igitur qualiter monasterium de Waldo, quod ad Rom. Ecclesiam nullo pertinet mediante, in spiritualibus dissolutum sit, & in temporalibus diminutum, qualiter etiam à vicinis undique molestetur, ipsum tibi personaliter de fratrum nostrorum consilio committimus, quantum Dominus tibi permiserit, restaurandum in temporalibus, & spiritualibus reformandum, facultatem tibi corrigendi quæ in eo corrigenda fuerint, & statuendi quæ statuenda cognoveris, auctoritate præsentium liberam indulgentes; ita tamen quòd ex hoc libertas ipsius monasterij non lædatur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum Laterani IV. Nonas Maij.

MAGISTRO ET FRATRIBUS *Ord. de Calatrava tam præsentibus quàm futuris secundùm ord. Cistercien. fratrum viventibus.*

Epist. 53. Recipiuntur sub protectione sedis apostolicæ.

QUoties à nobis petitur &c. *usque ad verbum* annuimus, & felicis record. Alexandri & Gregorij prædecessorum nostrorum Rom. Pont. vestigiis inhærentes, præfatum locum de Calatrava, & locum de Salvaterra, in quo ad serviendum Deo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. In primis siquidem statuentes ut institutio quam Abbas & fratres Cistercien. vobis in eodem loco morantibus, non ut familiaribus, sed ut veris fratribus fecisse dicuntur, perpetuis temporibus ibidem inviolabiliter observetur, videlicet ut militaribus armis accincti, contra Sarracenos pro tuitione Christiani populi fideliter dimicetis. Præterea ea quæ de victu & vestitu vestro præfati Abbas & fratres Cistercien. & universum Capitulum ejusdem ordinis à vobis regulariter observanda sanxerunt, vobis nihilominus confirmamus, videlicet, ut lineis in femoralibus tantùm vobis liceat uti. Vestes quoque moderatas, honestas, & commodas secundùm consilium Morimunden. Abbatis & Magistri vestri cum scapulari pro habitu religionis habebitis. Vestiti & cincti dormietis: & in oratorio, dormitorio, refectorio, & in coquina silentium jugiter tenebitis. Cavebitis autem ne in qualicunque veste aut superfluitatis argui, aut curiositatis notari possitis. Tribus verò in hebdomada diebus, id est, feria tertia, quinta, & die dominica, cum præcipuis solennitatibus, vobis carnibus vesci licebit. uno tantùm ferculo, & unius generis, quantum ad carnes pertinet, contenti eritis. & ad mensam ubique silentium tenebitis. Ab exaltatione quoque sanctæ crucis usque ad Pascha tribus diebus, scilicet secunda feria, quarta, & sexta, præter Natale Domini, Epiphaniam, Hypa-

panti, & festivitates omnium sanctorum & Apostolorum, omnes qui præsentes domi fuerint, in septimana qualibet jejunabunt. Qui autem in castris militiæ fuerint, pro Magistri arbitrio jejunia observabunt. Præterea quascunque possessiones &c. *usque ad verbum* vocabulis exprimenda. Calatrava cum * pertinentiis suis, & quintis, & omnibus pertinentiis suis. Castellum de Caracui cum omnibus pertinentiis suis. Castellum Dolarcus cum pertinentiis suis. Castellum de Benevento cum omnibus pertinentiis suis. Castellum de Suffera cum pertinentiis suis. Castellum de Malagon cum portaticis, & aliis pertinentiis suis. Castellum de Gualdaferza cum pertinentiis suis. Domum de Nombroca cum pertinentiis suis. Domos de Toleta cum tendis, molendinis, vineis, terris, & hortis. Ecclesiam S. Romani ultra Tagum cum pertinentiis suis. Domos de Talaveira cum vineis, olivetis, hortis, molendinis, canalibus, & puteis, & cum aldeis, & aliis pertinentiis suis. Domos de Salamancella cum pertinentiis suis. Domos de Macheda cum vineis, hortis, terris, & aliis pertinentiis suis. Mendeno cum suis pertinentiis. Sotello cum suis pertinentiis. Castellum de Assecha cum suis pertinentiis. Casasola cum suis pertinentiis. Alfondega cum suis pertinentiis. Figarola cum suis pertinentiis. Castellum de Cyrol cum suis pertinentiis. Castellum de Sorita cum portaticis, quintis, aldeis, & aliis pertinentiis suis. Castellum de Almogera cum portaticis, quintis, aldeis, & aliis pertinentiis suis. Balaga cum pertinentiis suis. Almonacir cum suis pertinentiis. Pengia cum suis pertinentiis. Onnon cum pertinentiis suis. Casas de Collado, de Verniges, & Ova, cũ pertinentiis suis. Medietatem de Moracella cum pertinentiis suis. Castellum de Cogolludo cum aldeis & pertinentiis suis. Hereditatem de Mollin. cum domibus suis, & cum aldea de Merla, & pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Salvatoris de Soria. Ecclesiam sanctæ Mariæ de Villares pardos, cum omnibus domibus, aldeis, vineis, & earum pertinentiis. Castellum de Alcobella cum suis pertinentiis. Berezosa cum Baldalbin, Ecclesiis, & pertinentiis suis. Castellum rubeum cum omnibus pertinentiis suis. Villam de Valvert cum pertinentiis suis. Burgell in Navarra, cum Ecclesia & aliis pertinentiis suis. Formella cum pertinentiis suis. Hospitale de Bellota, cum Ecclesia & pertinentiis suis. Domum de Formosella, cum hereditatibus & pertinentiis suis. Quintanella de Borona cum suis pertinentiis. Hereditatem de Alvellos cum domibus & suis pertinentiis. Villas de Perros & Canones in campo de Monnio cum suis pertinentiis. Terradellos ibidem cum suis pertinentiis. Fontodra juxta Amaia cum pertinentiis suis. Palatia in ripa de Pisorga cum suis pertinentiis. Medietatem de Auarcha cum Ecclesia ipsius loci, & pertinentiis suis. Famuscu in rivo de Asageva cum pertinentiis suis. Vallorabona in episcopatu Palentin. cum pertinentiis suis. Sanctam Mariam domino Echa super rivum de Pisorga, & villam Ramira in Alcordutella, & hereditates in termino de Courel cum pertinentiis suis. Padellam cum Ecclesia sanctæ Mariæ, & pertinentiis suis. Ravanal cum Ecclesia juxta castrum Vert. & Val. in ripa de Stola, & navam cum pertinentiis suis. Caso cum pertinentiis suis in Asturus, cum Ecclesia & pertinentiis suis. Villester juxta Bamba, Pallos in ripa de Doira, & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Zamorra cum pertinentiis suis. Pinos in Gallitia & Congeli in Gallitia juxta Allariz, domum de Allariz, domos de Troncoso, & Minium cum vineis, terris, & pertinentiis suis. Domum de Benevento super Orvegnn cum pertinentiis suis. Vannexandines in terra de Astorga cum domibus & pertinentiis suis. Ecclesiam de Majorica cum domibus & pertinentiis suis. Elpererij inter civitatem Rodrogo & Tronchoso cum omnibus possessionibus & pertinentiis suis. Domos de Segobia cum tendis, vineis, & aliis pertinentiis suis. Erigerum cum omnibus pertinentiis suis. In Portugal, in civitate quæ dicitur Estora, duos alcazarel, vetus, & novum, cum omni hereditate regia, & aliis pertinentiis suis. Castellum de Guluce cum pertinentiis suis. Domos de Scaren cum hereditate regia de Ortalogon, & pertinentiis suis. Castellum de Alcanethet, Alpedriz, Benamesi, Iurumenia, Albofeira, Malfora, & casas de Vlixbona, cum vineis & aliis pertinentiis suis. Cazaraboton, sanctum Vincentium, Bolvaidi, Oriz. In Aragona, Castellum de Alcaniz, cum villa sua, aldeis, & aliis pertinentiis suis. Medietatem de

* f. portaticis

Maella, cum olivetis & pertinentiis suis. Pomer cum pertinentiis suis. Salvamterram, Castellum de Domnisronda, sanctum Sylvestrum, medietatem de Veilozeil, Contai, & Enforlopes. Castrum lege Ferraira, Cameles, & Ort. cum pertinentiis suis. Quintanella de Redostesnos, S. Felicem, & Losbattos cum pertinentiis suis, & S. Nicolaum de Lamina, & Sequela cum pertinentiis suis. Sanè laborum &c. Liceat quoque vobis Clericos &c. Prohibemus insuper ut nulli &c. Cùm autem generale &c. Liceat etiam vobis in locis vestris sine manifesto dispendio vicinarum Ecclesiarum oratoria construere, in quibus fratres & familiæ vestræ divinum audire officium & Christianam habere valeant sepulturam. Clerici quoque ordinis vestri Clericum Priorem habeant, cui professionem faciant, reverentiam ac subjectionem impendãt. Nihilominus verò præsenti decreto sancimus, ut si quis in aliquem fratrum vestrorum temerarias manus injecerit, nisi rationabilis causa obsistat, excommunicationis sententia sit astrictus, & illud pro tutela vestra tam in sententia quàm in pœna servetur quod sub Innocentio Papa de Clericorum tuitione noscitur institutum. Regulares & antiquas consuetudines ordinis vestri à prædecessoribus vestris & à vobis hactenus observatas aliquà levitate mutari, seu etiam possessiones domorum vestrarum alienari, nisi de Magistri providentia fiat cum consensu Capituli vel majoris & sanioris partis, auctoritate apost. prohibemus fieri. Prohibemus insuper ut infra fines parochiarum vestrarum, quas à Sarracenis acquisistis, uel in posterum acquiretis, capellas, vel oratoria, seu Ecclesias nullus audeat sine assensu vestro construere, si vos pro necessitate populi duxeritis construendas; in quibus, cùm constructæ fuerint, liceat vobis Clericos eligere, & Episcopo præsentare; quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Præterea novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, aliisve ecclesiasticis secularibúsve personis, vobis omnino fieri prohibemus. Chrisma verò &c. Inhibemus adhuc, ne interdictos &c. Paci quoque &c. Ad hæc, libertates &c. Decernimus ergo &c. Salva in omnibus sedis apost. auctoritate. Si qua igitur &c. Datum Lateran. per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, IV. Kalend. Maij, Indict. II. incarnat. verò dom. anno MCXCIX. pont. verò Domini Innocentij Papæ III. anno II.

CAPITULO HILDESHEMENSI.

Epist. 54. Quòd eligant personam idoneam Ecclesiæ eorum vacanti per translationem Episcopi Hildeshemẽsis propria auctoritate. Vide suprà lib. 1. epist. 315.

Cum in negotiis ecclesiasticis studiosa sit discretio adhibenda, ex institutione sanctorum patrum summa providentia prælationis ecclesiasticę dispositioni debetur; & si quid in illa contra ea quæ sunt certis decretorum expressa capitulis alicujus fuerit auctoritate præsumptum, Romanæ Ecclesiæ, quæ inter alias sortita est à Domino principatum, solicitiùs imminet corrigendum. Et ne apostolicæ sedis auctoritas super his quæ contra dignitatem ejus attẽtata noscuntur, honoris sui dispendium patiatur, nos, qui, licèt immeriti, ejus sumus regimini deputati, debemus omnimodis præcavere. Sanè cùm vobis quondam nostris dedissemus literis in mandatis, ut quia Hildeshemensis olim Episcopus, relicta Hildeshemensi Ecclesia, cui fuerat spirituali conjugio copulatus, ad Herbipolen. sine auctoritate Romani Pontificis propria temeritate transivit, ipsum tedire volentem recipere nullatenus deberetis; idem tale mandatum contra se sentiens emanasse, suas ad vos literas destinavit, ut nullatenus procederetis ad electionem aliquam faciendam; alioquin omnes Ecclesiæ redditus in tantum distraheret, quòd successor ipsius nec episcopalem habere poterit sustentationem, nec Episcopus nominari. Asseruit etiam quòd cùm ejus nuntius à sede apostolica rediisset, & de literis nostris non fecisset ei aliquam mentionem, arguebat illas literas falsitatis; & quia nuntij ejus, qui apud sedem apostolicam commorantur, nihil de his intellexerant, pro constanti habebat quòd literæ illæ non ex æquo libramine sed ex aliquorum suorum æmulorum invidia fuerant impetratæ. Nos igitur ejus volentes contumaciam reprimere, sicut decet, ne aliis fortè hujusmodi præsumptio vergeret in exemplum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus, ne ipsa Ecclesia diutiùs maneat viduata pastore, ad electionem canonicè de persona

ſona idonea faciendam, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo, procedatis. Nos enim dilectis filiis Corbeien. & de Herſued. Abbatibus & Decano Paderbornen. dedimus in mandatis, ut poſtquam ad electionem juxta mandatum apoſt. proceſſeritis, vel ſi jam forſitan proceſſiſtis, ipſi tam formam electionis quàm perſonam electi diligenter examinent; & ſi eam canonicè & de perſona idonea invenerint celebratam, ipſam ſublato appellationis obſtaculo auctoritate noſtra non differant confirmare; laicis ſub pœna excommunicationis firmiter inhibentes, ne ampliùs quàm conſenſum debitum in electione præſumant aliquatenus uſurpare. Eiſdem etiam firmiter auctoritate noſtra præcipimus, ut prædictum quondam Epiſcopum per diſtrictionem eccleſiaſticam compellant quòd bona Hildeſemen. Eccleſiæ, quæ per ipſum ſunt impedita, non differat expedire, & tam vos quàm Eccleſiam veſtram ab ipſius & fautorum ſuorum gravamine tueantur. Provideatis autem ut taliter quæ mandamus curetis effectui mancipare, quòd non videamini mandati apoſtolici contemptores, & de inobedientia, per quam fuit primus caſus hominis procuratus, argui non poſſitis. Datum Laterani II. Nonas Maij.

CORBEIEN. ET DE HERSVED. Abbatibus, & Decano Paderbornenſi.

Epiſt. 55. De eodem argumento.

CVm in negociis &c. *ferè in eundem modum ut ſuprà uſque ad verbum* gravamine tueri curetis. Nullis literis veritati & juſtitiæ &c. Quòd ſi omnes &c. duo veſtrum &c. Datum ut ſuprà.

CI. LVBVSSEN. EPISCOPO.

Epiſt. 56. Ex laxiori ordine monaſtico ad arctiorem tranſire licet, non contrà.

REferente dilecto filio fratre B. Hoſpitalario, noſtro eſt apoſtolatui reſeratum quòd cùm à tempore juventutis ſuæ ſecundùm inſtitutiones Canonicorum regularium Arrouvaſien. Eccleſiæ beati Auguſtini regulam profeſſus fuiſſet, & in ea ultra decennium permanens, ſacros ordines uſque ad ſacerdotium ſuſcepiſſet, juventute poſtmodum impellente, curioſitate potiùs quàm religionis amore devictus, terram Hieroſolymitan. & alias videre deſiderans, ab Abbate ſuo non tam voluntariam ſub eadem conditione licentiam obtinuit quàm extortam ut ſi bonæ me. Alexandrum Papam prædeceſſorem noſtrum inveniret in via, cauſam itineris ſibi exponeret, & juxta mandatum ejus vel procederet, vel rediret. Verùm ipſe neglecta conditione procedens, ſuſcepit habitum Hoſpitalis, in cujus ſervitio uſque ad hæc tempora fideliter laboravit. Sed cùm ordo præmiſſus diſtrictioris ſit obſervantiæ quàm ſecundus, prudenter attendens quòd de laxiore aſcendendum ſit ad ordinem arctiorem, non autem de arctiore ad laxiorem ſit ratione aliqua deſcendendum, ad ſe Domino inſpirante reverſus, ad bonum redire deſiderat quod dimiſit. Cùm itaque non mediocriter erret qui minus bonum majori bono præponit, fraternitati tuæ per apoſt. ſcripta mandamus quatenus inquiſita ſuper præmiſſis diligentiùs veritate, ſi rem inveneris ita eſſe, præfato fratri B. licentiam auctoritate apoſtolica præbeas ad primum ordinem redeundi. Datum Laterani VIII. Idus Maij.

R. ANGLIÆ REGI ILLVSTRI.

Epiſt. 57. Quòd reſtituat bona Archiepiſcopo Eboracenſi, & permittat ipſum adminiſtrationis officium liberè exercere. *Vide Roger. de Houeden. ad an. 1198. fol. 446. edit. London.*

APoſtolica ſedes univerſorum Chriſti fidelium mater & magiſtra non ab homine ſed à Deo potiùs conſtituta, tunc veræ matris affectum & magiſterij redolet diſciplinam, cùm ad benignitatem gratiæ diligit filios, & diſcipulos ad juſtitiæ dirigit æquitatem. Non enim poteſt vel diſſimulare matrem, vel magiſterium qualibet occaſione negligere, quæ à Domino in ſignum dilectionis oves dominicas paſcendas in beato Petro recepit, & ligandi & ſolvendi ab eodem & in eodem obtinuit poteſtatem. Ad id autem juxta paſtoralis officij debitum exequendum circa noſtræ promotionis initia regia ſerenitas per literas, quas penes nos in tuæ ſerenitatis teſtimonium reſervamus, efficaciter nos induxit; dum ut benignè tractaremus ſubditus, & in cauſis ſine perſonarum acceptione procedere curaremus, nec declinantes ad dextram nec ad ſiniſtram, per eaſdem literas & conſuluit ſalubriter & humiliter poſtulavit, addens quòd ſic poſſemus cervices ſublimium & ſuperborum colla calcare. Et paſtoralis igitur officij ſolicitudine provocati, & regalis conſilij continentiam recolentes, venerabili fratri noſtro G. Eboracen. Archiepiſcopo ad ſedem apoſtolicam recurrenti nec voluimus nec debuimus audientiam vel juſtitiam denegare. Conquerebatur enim ſe per magnificentiam tuam temporali-

bus ſui archiepiſcopatus redditibus deſtitutum, & quòd longo fuerat afflictus exilio, & in injuriam totius Cleri mendicare coactus, ſupplex & humilis proponebat. Volentes itaqne ipſum tanquam fratrem noſtrum & Eccleſiæ filium diligere ad gratiam, & te tanquam catholicum Principem & apoſtolicæ ſedis filium ſpecialem ad juſtitiam dirigere conſervandam, immo directum potiùs exbortari, cùm incontemptum ejus cujus exiſtit miniſter, & apoſtolicæ ſedis injuriam, quæ ipſum in partem ſolicitudinis evocavit, & tuam etiam (ut proſequamur verum) verecundiam, cujus eſt frater, redundet miniſtrum Dei ſolicitudinis noſtræ cooſortem & regali ſtirpe progenitum mendicare, ſerenitatem regiam omni qua poſſumus affectione rogandam duximus & monendam quatenus tam nos quàm te ipſum ab hujus onere difficultatis abſolvas, & à labiis liberes detractorum, qui non ſolùm quæ perperam attentantur ad detractionem aſſumunt, ſed etiam ſecundùm Propbetam exacueruut ut gladium linguas ſuas, tetenderunt arcum rem amaram, ut ſagittent innoxios io occultis. Attendas igitur quanta oos infamia, quanta te detractio ſequeretur, ſi vel juſta petitio exulis oon introiret in aures noſtras, vel te fratris exilium oon moveret, & eundem Archiepiſcopum ob reverentiam apoſtolicæ ſedis, quæ te tanquam filium diligit ſpecialem, & in boc & majoribus de celſitudinis tuæ ſynceritate confidit, in plenitudinem gratiæ regalis admittas, & diligas ſicut fratrem, & velut Chriſti miniſtrum bonores: ut in uno eodémq; negocio Deum tibi reddas propitium, conſulas apoſtolicæ ſedis honori, tuæ ſaluti provideas, & fratri ſubvenias exulanti. Memor eſto ſalubris conſilij quod oobis per tuas literas (ut diximus) præbuiſti; & dum ſecundùm illnd nos agere recognoſcis, quod agimus approbes, & regaliter exequaris; ne qni nos juſtè in omnibus procedere ſuggeſſiſti, ſecundùm juſtitiam agentibns te opponas, ſed taliter ad exbortationem ooſtram cures cum eodem Archiepiſcopo convenire quòd jura ejus auferre vel minuere minimè videaris & ipſe contra ſuam & Eccleſiæ non veniat honeſtatem. Ad id autem laudabiliùs & celeriùs exequeodum venerab. fratrem noſtrum Rothomagen. Archiepiſcopum & dilectum filium Abbatem de Perſagnia, de quorum diſcretione plenè confidimus, dnximus deputandos, qui honeſtum modum pacis inveniant, & eundem Archiepiſcopum regiæ benevolentiæ reconciliare ſtndeant, & in tuæ ſerenitatis devotione ac obſequio ſolidare. Quòd ſi fortè (quod abſit) per eos tractatus pacis juxta votum noſtrum & deſiderium non poterit conſummari, eundem Archiepiſcopum ad temporalia reſtituere ooo omittas, oec impedias quò minùs in ſpiritualibus creditæ ſibi diſpenſationis officium exequatur; ſciturus nos dilecto filio P. ſanctæ Mariæ io via lata Diacono Cardinali, apoſtolicæ ſedis Legato, dediſſe firmiter io mandatis ut apud te monitis & exbortationibus diligenter inſiſtat quòd eidem Archiepiſcopo poſſeſſiones ſubtractas ſine dilatione & difficultate reſtituas univerſas, & de proventibus inde perceptis & damois illatis ſatisfacias competenter. Ita quòd ſi ipſe aliquid ſerenitati regiæ tenetur exoluere, tibi cum integritate perſolvat. niſi forſao qnod tibi debebatur, de ipſius proventibus à te vel aliis tuo nomine ſit perceptum. Datum Laterani IV. Kal. Maij.

Scriptum eſt ſuper hoc Rothomagenſi Archiepiſcopo & Abbati de Perſagnia ferè in eundem modum ut ſuprà uſque in finem, & hoc plus. Volumus autem nihilominus & mandamus ut literas noſtras, quas eidem Regi pro dicto Arcbiepiſcopo deſtinamus, ipſi præſentetis, & reſpooſum ejus curetis dicto Cardinali per vos vel per literas veſtras pleniùs intimare. Quòd ſi ambo &c. alter &c. Datum ut ſuprà. Epiſt. 58.

R. ANGLIÆ REGI ILLVSTRI.

APoſtolica ſedes &c. *uſque in finem, & hoc plus.* Alioquin cùm ſerenitatem tuam ſuper hoc ſemel & iterum & rogaverimus efficaciter & monnerimus diligenter, etſi moleſtius nobis quàm tibi futurum exiſtat, ſi te occaſione qualibet moleſtemus, quia tamen à prædicto tuæ ſerenitatis conſilio declinare nec volumus nec debemus, ne culpa tua nobis & in præſenti ad detractionem & in futuro imputetur ad pœnam, eidem Cardinali dedimus io mandatis ut magnificentiam tuam ad boc per ioterdictum totius Eboracenſis provinciæ appellatione remota compellat. Et ſi nec ſic infra tempus quod idem Legatus tibi ſtatuerit, effe- Epiſt. 59. De eodem argumento.

ceris quod mandamus, ex tunc totam Angliam sublato appellationis obstaculo subjiciat sententiæ interdicti. Eligas igitur sicut vir providus & discretus in nobis potiùs matris affectum quàm magistri experiri rigorem, qui sine multa molestatione nostra te molestare non possumus, & in his etiam salutem tuam solicitè procuramus; nec nobis causam vel occasionem aliquatenus tribuas, per quam fervorem illum tepescere facias, quo non mediocriter sumus ad tuum promovendum honorem accensi. Datum ut suprà.

Scriptum est super hoc P. Sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, apostolicæ sedis Legato.

P. SANCTÆ MARIÆ IN VIA lata Diac. Card. apostolicæ sedis Legato.

Epist. 60. Ut quicunque beneficia in archiepiscopatu Eboracensi cõtra Archiepiscopi voluntatem acceperũt, destituantur.

O Via diversitatem corporum diversitas sæpe sequitur animorum, ne plenitudo ecclesiasticæ jurisdictionis in plures dispensata vilesceret, sed in uno potiùs collata vigeret, apostolicæ sedi Dominus in beato Petro universarum Ecclesiarum & cunctorum Christi fidelium magisterium contulit & primatum: quæ, retenta sibi plenitudine potestatis, ad implendum laudabiliùs officium pastorale, quod omnibus eam constituit debitricem, multos in partem solicitudinis evocavit, sic suum dispensans onus & honorem in alios, ut nihil suo juri subtraheret, nec jurisdictionem suam in aliquo minoraret. Cùm autem ex susceptæ auctoritatis officio singulis, tanquam singulorum mater, justa petentibus justitiam nec possit nec debeat denegare, cùm justitia & judicium sit præparatio sedis ejus, nos, qui ad ejus regimen sumus, licèt insufficientes, assumpti, fratribus & coëpiscopis nostris ad nos clamantibus non possumus in justitia non adesse, aut quod justè postulaverint non audire; ne si forsan circa exhibendam eis justitiam fuerimus inventi remissi, ipsi quoque negligentes inveniantur in reddendis juribus subditorum, & commissam sibi nostræ solicitudinis partem minùs laudabiliter exequantur, si, quod absit, nos viderint vel declinare à jure, vel non audire justitiam postulantes. Hac autem ratione diligenter inducti; venientem ad apostolicam sedem venerab. fratrem nostrum G. Eboracen. Archiepiscopum benignè recepimus, & multiplices ejus curavimus querelas audire. Conquerebatur autem inter cetera, quòd cùm ad eum in Eboracen. Ecclesia & in aliis Ecclesiis suis collatio pertineat præbendarum, tempore suspensionis ipsius, & postmodum etiam, quidam se præter ejus auctoritatem in ipsas intruserant, & in hoc & aliis juri ejus non modicùm derogarant. Quidam etiam in quasdam abbatias diocesis Eboracen. post interpositam ad nos appellationem irrepserant, qui ab eo nec confirmationis munus nec benedictionis gratiam postularunt. Volentes igitur eidem Archiepiscopo per tuæ solicitudinis industriam provideri, de fratrum nostrorum consilio discretioni tuæ per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus eos qui præbendas vel dignitates Eboracen. Ecclesiæ vel aliarum Ecclesiarum ad donationem ejus spectantes præter auctoritatem ipsius acceperunt, ad eas resignandas moneas diligentiùs & inducas, cùm eas non possint salva conscientia detinere. Quòd si monitis tuis acquiescere fortè noluerint, eos ad id per excommunicationis sententiam & subtractionem aliorum beneficiorum suorum, non obstante confirmatione à sede apostolica obtenta sub forma communi, quæ confirmat beneficia & præbendas, sicut justè ac pacificè possidentur, appellatione remota compellas; nisi forsan aliqui præbendas ipsas vel ex speciali mandato apostolicæ sedis vel auctoritate Lateran. Concilij ab Eboracen. Capitulo sunt adepti; sic tamen ut tempus suspensionis in sex mensibus nullatenus computetur, cùm illa Lateran. Concilij constitutio contra negligentes tantùm & desides fuerit promulgata, & tunc, si voluerit, non tamen valuerit, Archiepiscopus ipse in conferendis præbendis uti propria potestate: à qua etsi fuerit sua culpa suspensus, non tamen ad ipsum Capitulum ex illa culpa præbendarum erat donatio devoluta, sed ad illum tempore suspensionis ipsius præbendarum donatio pertinebat qui propter ejus negligentiam & desidiam poterat præbendas donare. Tempus etiam quo ad apostolicam sedem accessit, apud illam permansit, vel recessit ab ipsa, infra sex menses nullatenus computetur. Semestre quoque tempus non à tempore vacationis præbendarum, sed notitiæ potiùs ipsius Archiepiscopi & commo-

nitionis ad personam ejus à Capitulo factæ, cùm in privilegio quod à prædecessore nostro idem Capitulum dicitur impetrasse, fiat mentio de commonitione canonica præmittenda, volumus computari. Illud autem omnino frivolum reputamus, si qui fortè se dicant ex donatione regia quasdam ex illis obtinuisse præbendis, quasi regalis sublimitas tempore suspensionis Archiepiscopi præbendas ipsas sua potuerit auctoritate conferre. Abbates autem prædictos, si post appellationem ad nos legitimè interpositam confirmationis & benedictionis beneficium susceperunt, canonicè punias, ne alij eorum exemplo contra Prælatos suos supercilium elationis assumant. Datum ut suprà.

ABBATI SANCTI ANDREÆ.

Epist. 61. Quòd excommunicatus, in quo fuerunt signa pœnitentiæ, & per eum non stetit quin reconciliaretur Ecclesiæ, habendus est pro absoluto. Cap. A nobis. *De sententia excommunicat.*

A Nobis est sæpe quæsitum, utrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit quò minùs reconciliaretur ecclesiasticæ unitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus, & utrum pro tali recipienda sit eleemosyna, & à fidelibus sit orandum. Vt autem quod intendimus per suppositionem exempli apertiùs exprimamus, quidam Presbyter & Canonicus regularis, sicut per tuas nobis literas intimasti, cùm publica laboraret infamia quòd ad quandam conjugatam accederet, maritus mulieris & consanguinei ejus in eum manus injecerunt temerè violentas. propter quod per Episcopum denuntiati sunt excommunicationis sententiæ subjacere. Verùm ipsi postmodum ad eundem Episcopum accedentes, præstito in manus ejus quòd parerent judicio Ecclesiæ corporaliter juramento, in mandatis receperunt ab ipso quòd propter hoc apostolico se conspectui præsentarent. Cùmque unus illorum se ad iter accingeret veniendi, à quibusdam suis æmulis est peremptus, & extra cœmiterium Ecclesiæ tumulatus. Et licèt contra interfectores amici & consanguinei interfecti graviter sint commoti, eis tamen omnem rancorem remitterent & offensam, dummodo interfecti cadaver traderetur ecclesiasticæ sepulturæ. Videretur igitur forsan in hoc casu quibusdam, quòd cùm sacramentum non necessitatis articulus sed contemptus religionis excludat, & judicium Ecclesiæ divinum debebat judicium imitari, cùm etiam in interfecto prædicto manifesta pœnitentiæ signa præcesserint, & propter hoc absolutus apud Deum esse credatur, absolutus etiam ab Ecclesia sit habendus. Sed è contrario, cùm ex sola culpa ligetur quis, quoad Deum, apud triumphantem Ecclesiam, ex sola verò sententia ligetur, quoad hominem, apud Ecclesiam militantem, quando vinculum culpæ remittitur, absolvitur apud Deum, sed apud homines non absolvitur, nisi quando vinculum sententiæ relaxatur. Alioquin Ecclesiæ absolutio nullatenus necessaria videretur, si in sola cordis contritione, præter sacerdotale officium, rigor relaxaretur ecclesiasticæ disciplinæ. Nos igitur consultationi tuæ de communi fratrum nostrorum consilio breviter respondemus, quòd judicium Dei veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur: judicium autem ecclesiæ nonnunquam opinionem persequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli. propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus. Vinculum ergo quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissolvitur. Illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cùm sententia remittitur, relaxatur. quod in suscitatione Lazari sermo evangelicus manifestat, quem priùs Dominus suscitavit, & Apostolis præcepit postmodum solvere suscitatum. Vnde quantumcunque prædictus se, juramento præstito quòd Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantæcunque in eo pœnitentiæ signa præcesserint, quia tamen morte præventus absolutionis non potuit beneficium obtinere, quamvis apud Deum absolutus fuisse credatur, nondum tamen apud Ecclesiam habendus est absolutus. Potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri; scilicet ut cùm de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat quòd Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi & solvendi homines super terram, tanquam non possit solvere & ligare sub terra sepultos, & quod legitur, *Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo*; cùm etsi communicatum non fue-

rit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus religionis sed necessitatis articulus impedivit, & in certis casibus à canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos & solvisse. Vt autem in uno pariter eodémque negotio & servemus rigorem & mansuetudinem ostendamus, statuimus ut illius mortui absolutio à sede apostolica requiratur, qui, cùm viveret, ab apostolica sede fuerat absolvendus. Aliorum autem absolutionem ex præmissa causa ceteris indulgemus, à quibus, cùm viverent, fuerant absolvendi. Absolutionis autem forma servetur, ut fiat cum pœnitentiali Psalmo, & tam oratione dominica quàm alia consueta. Heredes tamen ipsius ad satisfaciendum pro ipso, si commonitione præmissa noluerint, per districtionem ecclesiasticam compellantur. Datum Laterani II. Nonas Maij.

NOBILI VIRO L. DE MONTE Longo consobrino nostro.

Epist. 62. Vt inventum thesaurum conservet, donec Pontifex suam voluntatem declaret.

CVm gratiam nostram, quam tibi potes cognoscere multipliciter fructuosam, universis debeas hominibus anteferre, & neminem quantum personam nostram diligere & vereri, de discretione tua cogimur admirari quòd, sicut dilectus filius G. aurifex Alatrinus in nostra præsentia constitutus asseruit, tu ab eo xj. libras argenti puri, quas filij sui in dotem receperant à quodam homine Montis S. Iohannis, qui thesaurum invenisse proponitur, abstulisti, & permisisti eum ab aliis taliter molestari, quòd coactus est iiij. marchas & unam unciam nuncio dilecti filij nobilis viri Iohannis de Cettan. persolvere, ac totidem marchas Pelagio Alatrino, Matthæo Adenulphi, & Philippo unam libram & decem uncias, decem étiam & novem uncias Consuli Alatrinensi; cùm ignorare non debeas, quòd sic inventus thesaurus, dispositioni nostræ debuit reservari. Inde est quòd discretioni tuæ sub obtentu gratiæ nostræ præcipiendo mandamus quatenus omni mora & excusatione postpositis, argentum prædictum, qualitercunque expensum sit, studeas rehabere, ipsúmque reserves fideliter, donec nostræ recipias beneplacitum voluntatis. Illos autem qui argentum ipsum habuisse noscuntur, nisi tibi celeriùs curaverint resignare, auctoritate nostra confidens, & eorum præsumptionem cum fidelibus studeas, sicut convenit, castigare: quia sic nostra jurisdictio deperiret, si in patrimonio Ecclesiæ, quod nostrum est, alij præsumptione qualibet occuparent. Illos etiam qui thesaurum invenisse noscuntur, ad assignandum illum dispositioni nostræ quanta potes districtione compellas, eis ex parte nostra promittens quòd si paruerint humiliter & devotè, congruè sibi * providere. Datum Lat. V. Idus Maij.

SENONEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 61. Vt Decanus Nivernensis de hæresi suspectus se purgare eámque abjurare cogatur. Cap. Inter solicitudines. De purgatione canonica.

INter solicitudines nostras illa debet esse præcipua, ut capiamus vulpeculas quæ moliuntur vineam Domini demoliri, species quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum. Hi sunt namque caupones, qui aquam vino commiscent, qui virus draconis in aureo calice Babylonis propinant, qui juxta verbum propheticum arcum rem amaram intendunt, ut sagittent innoxios in occultis, quorum error serpit ut cancer, ita quòd nisi botrus in flore lædatur, fructum non solùm amarum sed etiam pestiferum germinabit. Hos Apostolus egregius prædicator in epistola sua prophetico sermone describit & docet omnibus modis evitandos: contra quos sacerdotes tubis argenteis clangere debent, ut conclamante populo, arca fœderis præcedente, muri corruant Hierico, quæ jam fuerat perpetuo anathemate condemnata; ita quòd si quis ex ea vel regulam auream furari præsumpserit, cum Achor filio Charmi lapidibus obruatur. Tu ergo, sicut vir providus & discretus, veri pastoris adimples officiū, & super grege tibi commisso purè ac plenè solicitudinem pastoralem exerces, dum & legem Christi zelaris, & hæreticorum impugnans errorem, in fautores ipsorum exeris gladium canonicæ ultionis. Vigilans enim vigilas super grege tuo, ne relicto veri pastoris ovili, quod est unum, oves aberrent, post vestigia gregum, qui non sunt ex eo, temerè abeuntes; vel ne lupus eas rapiat, & dispergat, quas veritas in eodem ovili sub uno pastore fidei catholicæ counivit. Inter præcipuos quidem vineæ domini Sabahot agricolas deputatus, vulpeculas, quas descripsimus, non pateris ejus speciem demoliri; sed eas vel capere potiùs satagis, vel fugare. Sanè, sicut ex literis

Vide cap. Literas. De præsumptionibus.

tuæ fraternitatis accepimus,cùm ad preces venerabilis fratris nostri Altisiodoren. Episcopi ad villam quæ Charitas dicitur accessisses, præsentibus eodem & venerabilibus fratribus nostris Nivernen. & Melden. Episcopis, in unum fecisti ejusdem villæ populum congregari: ubi de hæreticis, & eorum dogmatibus inquisitione diligenti habita, inter alios quos super hæretica pravitate reperisti publicè infamatos, Decanum Nivernen. communi didicisti opinione gravari, & in eo & per eum non modicum fuisse scandalum catholicorum animis declaratum. Vnde propter vehementem infamiam, & grave scandalum, ipsum ob officio & beneficio suspendisti, apud Altisiodorum ei diem certum assignans, quo tuo se conspectui præsentaret,ab objecto crimine defensurum. Cùmque statuto termino ad tuam præsentiam accessisset, præsentibus dictis Altisiodoren. & Nivernen. Episcopis,ac pluribus in utroque jure peritis, cùm certus accusator contra eum minimè compareret, tu ex officio tuo testes tam pro ipso quàm contra ipsum recipi ac diligenter examinari fecisti, & attestationes etiam publicari. Cùmque postmodum se non ad concessum ei diem tuo se conspectui præsentasset, cùm facultatem ei liberam indulsisses in testes ac eorum dicta dicendi ac proponendi suas in medium rationes, quibusdam propositis probationibus & allegationibus tandem renuntians, sententiam postulavit. Tu verò cum venerab. fratr. nostris Trecen. ac dictis Altisiodoren. & Nivernen. Episcopis secedens in unum, inspectis attestationibus diligenter, & adhibito plurium consilio sapientum, quia crimen contra eum liquidò probatum non erat, ipsum non duxisti de hæresi condemnandum. Verùm quoniam ex dictis testium multa erat præsumptio contra eum, utpote cùm esset manifestè probatum eum familiaritatem hæreticorum non solùm habuisse,sed etiam captasse scienter,cùm publica etiam laboraret infamia, & tantum suscitatum esset scandalum contra ipsum quòd non posset canonica purgatione deleri, nec ipsum absolvere nec purgationem, quam obtulerat ab initio & tunc etiam offerebat, recipere voluisti, sed ipsum cum literis tuis ad sedem duxisti apostolicam destinandum, intelligens quòd ex concessa nobis plenitudine potestatis citra pœnam canonicam dispensare possimus, & ultra eam rigorem severitatis augere. Ceterùm ei postmodum in nostra præsentia constituto communem audientiam in consistorio nostro concessimus: ubi se multipliciter nixus est excusare, illud præsertim allegans, quòd cùm non apparente accusatore legitimo purgationem offerret, testes contra eum non fuerant aliquatenus admittendi. Nos igitur literarum scientiam & honestatem morum in te pariter attendentes,licèt ecclesiastica constitutio tales ab officio tantùm usque ad purgationem canonicam doceat suspendendos, quòd tamen etiam eum à beneficio propter immanitatem criminis, ut credimus, suspendisti, nolumus improbare; nec illud etiam propter causam improbamus eandem, quòd licèt nullus contra eum legitimus accusator compareret, ad detegendam tamen hujus mortiferæ pestis immo pestiferæ mortis radicem, ex officio tuo fama publica deferente voluisti pleniùs inquirere veritatem. Attendentes autem vulgatam infamiam, grave scandalum, & vehementem suspicionem ex testium dictis obortam, quæ contra eundem Decanum facere videbantur, cùm propter eorum quodlibet ei esset purgatio injungenda, & servantes & mollientes rigorem, de consilio fratrum nostrorum, Archiepiscoporum etiam & Episcoporum apud sedem apostolicam existentium, purgationem quartædecimæ manus sui ordinis ei duximus indicendam. Ipsum igitur ad te cum literis apostolicis remittentes, ut ibi purgetur ubi noscitur infamatus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ascitis tecum dicto Nivernen. & venerabili fratre nostro Parisien. Episcopis, indictam ei à nobis purgationem accipias. Ita tamen ut qui ad ejus purgationem processerint comprobandam, sint fide catholici & vita probati, qui conversationem & vitam ipsius non tam moderno tempore noverint quàm transacto. Purgatione verò recepta, beneficium ei restituere non postponas, ne cogatur in cleri opprobrium mendicare. In pœnam autem familiaritatis illius quam cum hæreticis scienter habuisse dignoscitur, eum ab officio volumus manere suspensum, donec scandalum sopiatur; ita tamen ut publicè familiaritatem hæreticorum abjuret. Præ-

cipias insuper ipsi districtè, ut in prædicta & aliis villis circumpositis profiteatur & prędicet fidem catholicam, ac confundat & detestetur hæreticam pravitatem, sic deinceps vitam suam bonis adornans operibus, ut infamia convertatur in famam, & omne scandalum & suspicio de catholicorum mentibus deleatur. Quòd si forsan in purgatione defecerit, eum ecclesiasticæ districtionis mucrone percellas, & ab officio beneficióque depositum ad agendam pœnitentiam in arctum monasterium retrudere non omittas. Datum Lat. Nonis Maij.

OXOMENSI EPISCOPO.

Epist. 64. Confirmantur statuta facta per eum in Ecclesia sua.

ORdinem religionis plantare, ac fovere plantatum, ex officij nostri debito provocamur; & sic religiosis locis apostolicum nos convenit præbere patrocinium & favorem, quòd sub regimine ac gubernatione nostra assiduis proficere valeant incrementis. Intelleximus siquidem per scriptum authenticum sigillo tuo & venerabilis fratris nostri Toletan. Archiepiscopi communitum, quòd tu de communi consensu totius Capituli Oxomensis, auctoritate præfati Archiepiscopi, consensu etiam & consilio cariss. in Christo filij nostri A. Regis illustris Castellæ, deliberatione provida statuisti, ut secundùm præceptum felicis record. Alexandri & Lucij Rom. Pontificum in Oxomen. Ecclesia sint de cetero Canonici regulares, nec aliquis in portionarium vel secularem Canonicum recipiatur. deinceps in eadem. quædam etiam alia capitula statuisti, quæ in eodem scripto perspeximus contineri. Volentes igitur quod à te videtur pia deliberatione statutum, debita firmitate gaudere, constitutiones ipsas, (quas possemus restitutiones potiùs nominare, cùm à longis retro temporibus hoc ipsum de Oxomen. Ecclesia fuerit, sicut asseris, à Rom. Pontificibus ordinatum) sicut ipsæ à te rationabiliter factæ sunt, & à tuo receptæ Capitulo, auctoritate apost. confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani V. Idus Maij.

OXOMEN. EPISCOPO.

Epist. 65. Concubinarij publici puniantur, clancularis indicatur purgatio.

TVa nos duxit fraternitas consulendos, si de Clericis publicè concubinas habentibus, qui quando conveniuntur à te se esse concubinarios diffitentur, nec apparet contra eos legitimus accusator, credendum sit testimonio bonorum virorum inter quos vivere dignoscuntur. Nos igitur consultationi tuæ taliter respondemus, quòd si crimen eorum ita publicum est ut meritò debeat appellari notorium, in eo casu nec accusator nec testis est necessarius, cùm hujusmodi crimen nulla possit tergiversatione celari. Si verò publicum est, non ex evidentia, sed ex fama, in eo casu ad condemnationem eorum sola testimonia non sufficiunt, cùm non sit testimoniis, sed testibus, judicandum. Sed si de Clericis illis talis habeatur suspicio, ut ex ea scandalum in populo generetur, licèt contra ipsos non apparuerit accusator, tu tamen eis canonicam potes purgationem indicere: quam si præstare noluerint, vel defecerint in præstanda, eos canonica poteris animadversione punire. Datum Laterani V. Idus Maij.

Cap. Tua nos. De cohabitatione Clericorum & mulierum.

VRATIZLAVIEN. EPISCOPO.

Epist. 66. Consultanti respondetur super pluribus articulis. Cap. Nuper. De sentent. excommunicationis.

NVper à nobis tua fraternitas requisivit, quid sit de illis laïcis sentiendum qui Clericos violenter, sine læsione tamen, in custodia detinent publica vel privata, vel etiam detrudunt in vincula, utrum in canonem sententiæ latæ incidant, ut ipso facto sint vinculo excommunicationis innodati, sicut illi qui manus in Clericos injiciunt temerè violentas; & utrum qui nominatim excommunicatis scienter communicant, absolvi ab excommunicatione possint per confessionem à simplici sacerdote, vel Episcopi seu * Archipresbyteri sit ab eis absolutio expetenda; & si post actam pœnitentiam cum illis valeas dispensare qui etsi bigami de jure non sunt, de facto saltem bigami nominantur; eò quòd in sacris ordinibus constituti, more nuptiali secundas in contubernium sibi mulierculas adjunxerunt. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter duximus ex ordine respondendum, quòd in primo consultationis articulo non credimus laïcos pœnam excommunicationis evadere, quamvis eorum factum corporalis læsio non fuerit subsecuta, citra quam violentia sæpius circa Clericos nequiter perpetratur. In secunda verò quæstione credimus distinguendum, an is qui nominatim excommunicato scienter communicat, in crimine communicet criminoso, ei consilium impendendo, auxilium, vel

* In Tertia Collect. Archiepiscopi

favorem, aut aliàs in oratione, vel osculo, vel orando secum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cùm talis & communicet crimini & participet criminoso, ac per hoc, ratione damnati criminis videatur in eum delinquere qui damnavit, ab eo vel ejus superiore meritò delicti tunc erit absolutio requirenda, cùm, juxta canonicas sanctiones, facientes & consentientes par pœna constringat. In secundo verò casu, à suo Episcopo vel proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere. Quãvis enim & tunc non judicis sed juris sententia excommunicato communicans sit ligatus; quia tamen conditor canonum solutionem ejus sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Is autem qui juxta primum modum excommunicato communicat, cum juramento debet absolvi. Qui verò juxta secundum modum illi participat, reconciliari poterit sine juratoria cautione. Verùm si difficile sit ex aliqua justa causa quòd ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo ut præstita juxta formam Ecclesiæ cautione quòd excommunicatoris mandato parebit, à suo absolvatur Episcopo, vel proprio sacerdote. Tertius & ultimus inquisitionis articulus videbatur habere non modicum quæstionis: quoniam cùm in matrimoniis contrahendis, non juris affectus, sed animi destinatio attendatur, unde illum comitatur infamia qui duas simul habet uxores, quod partim ad factum convenit retorqueri, sicut & quod in canone legitur de Presbytero qui non legalibus nuptiis detinetur, eadem censura tales inter bigamos videntur reputandi; licèt obviet ex adverso quòd opinioni sit veritas præferenda, & quòd juxta præmissa, qui nullam uxorem habuit, foret bigamus reputandus. quod contingeret, si quis de facto contraheret cum diversis, quibus de jure non posset matrimonialiter copulari. Nos autem in hac quæstione taliter respondemus, quòd cum hujusmodi Clericis, qui, quantum in ipsis fuit, secundas sibi mulieres matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum bigamis non licet dispensari, licèt in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto. Datum Laterani XVII. Kal. Iunij.

Cap. Nuper. De bigamis non ordinandis.

Cap. Presbyterum, Dist. 28.

HISP. DECANO TOLETANO.

SAcrosancta Romana Ecclesia &c. *usque ad verbum* suscipimus. Specialiter autem decanatum Toletanæ Ecclesiæ, sicut illum justè possides & quietè, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus, statuentes ut si te in aliquo gravari præsenseris, liberè tibi liceat sedem apostolicam appellare. Decernimus ergo &c. Datum Laterani XVI. Kal. Iunij.

Epist. 67. Recipitur sub protectione B. Petri & sedis apostolicæ.

HISP. ARCHIDIACONO de Colera.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, archidiaconatum de Colera, quem in Segobien. Ecclesia dilectus filius G. sancti Angeli Diaconus Cardinalis, dum in partibus Hispaniæ legationis fungeretur officio, cum omni jure ac pertinentiis suis tuæ tibi contulit intuitu probitatis, sicut illum justè possides & quietè, & in ejusdem Cardinalis authentico continetur, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani XVI. Kal. Iunij.

Epist. 68. Confirmatur sibi dictus archidiaconatus.

IOANNI ABBATIS SANCTI Michaëlis Villæ Majoris, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

RElìgiosam vitam eligentibus &c. *usque ad verbum* ordo canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam atque institutionem Præmonstraten. fratrum in eodem loco &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum in quo dicta Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, videlicet Rodam cum omnibus pertinen. suis. Ecclesiam sancti Iohannis, cum omnibus pert. suis. Ecclesiam sancti Cypriani de Patella, cum omnibus pert. suis. & jus quod habetis in Masallos. Ius quod habetis in Ecclesia Alba. Ecclesiam sancti Pauli, cum pert. suis, & Ecclesiam sancti Clementis, cum villa quæ dicitur de Fabar, & Ecclesiam sancti Stephani de Ques. Ecclesiam sanctæ Mariæ de Spinola, cum pert. suis. Ius quod habetis in villa quæ dicitur Sorita, & jus quod habetis in flumine quod dicitur Pizorga. Sanè laborum vestrorum &c. Liceat quoque vobis &c. Prohibemus

Epist. 69. Recipiuntur sub protectione sedis apostolicæ.

mus insuper ut nulli fratrum &c. Ad hæc etiam inhibemus, ne cui Episcopo &c. Cùm autem generale interdictum &c. Chrisma verò &c. Prohibemus insuper ut infra fines &c. Ad hæc novas &c. Sepulturam quoque &c. Obeunte verò &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate, & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agenris, XIII. Kal. Iunij, Indictione secunda, incarnationis Dominicæ anno MCXCIX. pont. verò Domini Innocentij Papæ tertij anno secundo.

EPISCOPO ABVLENSI.

Epist. 70. Vt Sarraceni solvant decimas Ecclesiæ parochiali.

EX parte dilectorum filiorum Capituli Abulensis fuit in audientia nostra querimonia recitata, quòd cùm homines tuæ diocesis in castris & in ipsa civitate morantes, de tribus partibus frugum totius agriculturæ suæ, molendinorum etiã & hortorũ, & ruricolæ de quarta parte parochialibus Ecclesiis, à quibus ecclesiastica percipiunt sacramenta, decimas solvere teneantur, licèt ministri Ecclesiarum ipsarum ferè nullos habeant redditus præter decimas unde valeant sustentari, domini prædictorum hortorum & molendinorum ipsa tradunt Sarracenis in grave detrimentum Ecclesiarum & præjudicium excolenda, qui nolunt Ecclesiis, sicut olim Christiani solebant, freti potentia & favore illorum à quibus illis excolenda traduntur, decimas exhibere. Volentes igitur ipsis Ecclesiis & earum ministris super hoc, prout convenit, providere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus nisi Sarraceni illi ad commonitionem tuam cum ea integritate, qua Christiani solebant, prædictas decimas Ecclesiis volnerint exhibere, eis facias communionem à Christianis super mercimoniis rerum venalium & aliis penitùs denegari; Christianos illos, qui talibus contra formam mandati apostolici communicare præsumpserint, à sua præsumptione per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescens. Datum Laterani XII. Kal. Iunij.

LINCOLNIEN. ET ELIEN. Episcopis, & Abbati sancti Edmundi.

Epist. 71. Vt controversiam inter Archiepiscopum Cantuariensem & monasterii componere studeant. Vide suprà lib. 1. epist. CXI.

INter venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum & prædecessores ejus ex una parte, ac dilectos filios Priores & monachos Cantuarien. ex altera, super quibusdam capellis, quas ipsi Archiepiscopi laborarunt in præjudicium partis alterius, sicut monachi proponebant, jamdudum grandis & gravis quæstio pullulavit, pro qua prædecessores nostros & nos ipsos sæpius oportuit apostolicas litteras destinare. Verùm cùm in ipso negotio auctoritate litterarum nostrarum usque adeo processum sit ut capella de Lamhee diruta sit penitùs & consumpta, præfatus Archiepiscopus prædecessorum suorum volens laudabile propositum adimplere, capellam ad honorem gloriosorum martyrum Stephani & Thomæ, in qua Canonicos præbendarios institueret, de novo fundare volebat de nostra licentia speciali. quod sibi per nuncios & procuratores suos de communi jure competere asserebat, contradictione partis alterius non obstante, cujus indemnitati per idoneam & sufficientem cautionem poterat provideri. Sed neque per demolitionem capellæ præfatæ de Lamhee suum dicebat desiderium retardandum: cujus opus ea potissimùm ratione fuerat condemnatum, quòd post denuntiationem novi operis, inhibitionem prædecessorum nostrorum, & appellationem ad sedem apost. interpositam, fuerat attentatum. Ceterùm pro monachis fuit propositum ex adverso, quòd cùm mandatum nostrum ad ipsum Archiepiscopum & vos directum circa exeniorum Ecclesiarum & aliorum restitutionem adhuc non fuerit adimpletum, nec sopitum scandalum ex ea causa subortum, nec constaret adhuc de præjudicio in posterum auferendo, eadem contradictionis causa durante non erat præfati Archiepiscopi petitio admittenda. Cùm autem hæc & similia fuissent utrinque in nostro auditorio allegata, nos volentes utrique partium pastorali solicitudine providere, de communi fratrum nostrorum consilio causam eandem sub ea forma vobis duximus committendam, ut ante omnia inter ipsos amicabiliter componere laboretis. Quòd si fortè desuper datum non fuerit, vos facta priùs restitutione plenaria monachis memoratis eorum quæ ob hanc causam fuere subtracta, inquiratis super his quæ præmisimus remoto appellationis obstaculo pleniùs veritatem; & si de partium voluntate processerit, ad diffinitivam sententiam

procedatis; facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam à partibus inviolabiliter obſervari. Alioquin geſta omnia in ſcriptis fideliter redigentes, ad nos ea ſub litterarum veſtrarum teſtimonio tranſmittatis; diem aſſignantes partibus competentem, quo recepturæ ſententiam noſtro ſe conſpectui repræſentent: ad quem ſi qua earum venire contempſerit, nos nihilominus in cauſa ipſa, quantum de jure poterimus, procedemus. Ad hæc, volumus & mandamus ut ad locum ipſum pariter accedentes, ſuper ſtatu Cantuarien. Eccleſiæ tam interiori quàm exteriori inquiratis, appellatione remota, pleniùs veritatem; & quicquid ſuper his inveneritis, nobis fideliter intimetis; ut per relationem veſtram certiores effecti, quod ſtatuendum fuerit ſtatuamus. Nullis litteris obſtantibus præter aſſenſum partium &c. Quòd ſi omnes &c. duo &c. Datum Laterani XIV. Kal. Iunij.

ABBATI ET CONVENTVI de Certeſeia.

Epiſt. 72. De confirmatione decimarum.

CVm à nobis petitur &c. *uſque ad verbum* aſſenſu, decimas de Certeſies, de Eggeh. de Torp. & de Chabehan. ad opera veſtri monaſt. deputatas, ſicut eas juſtè ac ſine controverſia poſſidetis, auctoritate vobis apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij.

EISDEM.

Epiſt. 73. De privilegiorum confirmatione.

EX paſtoralis officij debito provocamur religioſam vitam eligentibus apoſtolicum &c. Eapropter, dilecti in Domino filij &c. *uſque ad verbum* ſuſcipimus. Ad hæc, ut devotiùs piis operibus inſiſtatis, vobis auctoritate præſentium indulgemus ut non liceat alicui in vos vel in monaſterium veſtrum ſine manifeſta & rationabili cauſa excommunicationis aut interdicti ſententiam promulgare. De novalibus verò quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, aut de veſtrorum animalium nutrimentis, ſive de hortis, & virgultis, aut piſcationibus veſtris, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præſumat, ſed eas eleemoſynæ aut pauperibus monaſterij veſtri, juxta quod tu, fili Abbas, poſtulaſti à nobis, præcepimus aſſignari. Decernimus ergo &c. Datum ut ſuprà.

VGONI ABBATI MONASTERII ſancti Petri de inſula Arben. ejúſque fratribus tam præſentibus quàm futuris monaſticam vitam profeſſis in perpetuum.

Epiſt. 74. De confirmatione privilegiorum.

PIæ poſtulatio voluntatis &c. *uſque ad verbum* ordo monaſticus, qui ſecundùm Deum & beati Benedicti regulam &c. *uſque ad verbum* vocabulis. Locum ipſum in quo præfata Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis & appendiciis ſuis, & terminis, qui ſic diſtinguuntur. Primitus à capite maceriæ à monte uſque ad rivum deſcendendo, per rivum uſque ad mare, & per mare ad molendina; & aſcendendo per montis verticem, & eundo per illum uſque in priora confinia. Eccleſiam ſancti Cypriani, cum pertinentiis & appendiciis ſuis, & terminis, qui ſic diſtinguuntur. A valle obſcura uſque in vallem de Fraſinu, aliæ tres partes mare circumdant, una cum manmena omnibúſque ſcopulis, ad iſtud promontorium ſubjacentia, & valles quæ ſunt apud ſanctum Cyprianum, & aliæ quæ ſunt apud ſanctum Petrum, inter quas ſalinæ veſtræ & piſcariæ conſiſtunt. Sanè novalium &c. Liceat quoque &c. Prohibemus inſuper &c. Cùm autem generale &c. Sepulturam quoque &c. Salva tamen &c. Obeunte verò &c. Libertates &c. Decernimus &c. Salva apoſtolicæ ſedis auctoritate, & dioceſani Epiſcopi canonica juſtitia. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, VIII. Kal. Iunij, Indictione ſecunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno ſecundo.

COMPOSTELLANO ARCHIEpiſcopo, & univerſis Epiſcopis in regno Legionen. conſtitutis.

Epiſt. 75. Vt per excommunicationis & interdicti ſententiam Rex Legionis & Regis Caſtellæ filia, in gradu prohibito copulati, ſeparentur.

Cap. Etſi neceſſe. De donat. inter vir. &

ET ſi neceſſe ſit ut ſcandala veniant, væ tamen eſt homini illi per quem ſcandalum venit. Quot enim turbationes & ſcandala diebus noſtris orbi ſupervenerint univerſo, hodie plus experimur in facto, quàm ſcriptum reperiamus in libro. Neceſſe eſt autem ut veniant ſcandala, non ſolùm ſcilicet inevitabile, ſed & utile: quoniam in quo deficit malus, proficit bonus, & aurum in fornace probatur. Inter cetera verò in quibus ſcandalizatur hodie populus Chriſtianus,

præcipuum est persecutio paganorum: quæ tam in Oriente, quàm in Occidente, peccatis exigentibus, invaluit ultra modum: contra quam utrobique simile quodam modo putaverunt remedium invenire; sed quia Deum ante suum non proposuere conspectum, quod inventum est in remedium, in periculum est conversum. Sanè in Oriente una duobus fuit incestuosè conjuncta, in Occidente verò unus sibi duas præsumpsit jungere per incestum. Et incestui quidem in Oriente commisso non solùm consensus sed & auctoritas Clericorum ibi consistentium intercessit. Sed in detestabili copula in Occidente contracta, licèt non absque quorundam ecclesiasticorum virorum assensu fuerit forsitan attentata, auctoritas tamen ecclesiastica nullatenus intervenit. Volens autem Deus majus peccatum vindicare celeriùs, & à similibus alios deterrere, tam Conradum quondam Marchionem, qui ... Reginæ Hierosolymitanæ priùs adhæserat per incestum, gladio, quàm Henricum quondam Campaniæ Comitem, qui ei & in culpa quodammodo & in pœna successit, præcipitio, utrumque verò morte improvisa peremit. Nondum autem in hujus iniquitatis auctores in Occidente suam exercuit ultionem. Sed quanto longanimiùs sustinet, tanto forsan severiùs vindicabit. Licèt autem apostolica sedes quod super hoc fuerat in Oriente commissum, propter malitiam temporis & persecutionem urgentem dissimulare sit visa, ad vindicandum tamen quod in Occidente fuerat attentatum, rigore canonicæ districtionis est usa. Nam cùm ad bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri audientiam pervenisset, quòd Rex Legionen. filiam carissimi in Christo filii nostri Portugalliæ Regis illustris incestuosè sibi præsumpserat copulare, tam Regem ipsum Portugalliæ quàm incestuosè conjunctos excommunicationis sententia innodavit, & Legionen. ac Portugalliæ regna sententiæ supposuit interdicti. unde quod illegitimè factum fuerat, est penitùs revocatum. Verùm dictus Rex Legion. ad deteriora manum extendens, sicut is de quo dicit Scriptura, *Væ homini illi qui post se trahit peccatum quasi longam restem*, & *Impius, cùm venerit in profundum vitiorum, contemnit*, filiam carissimi in Christo filii nostri Regis illustris Castellæ, neptem videlicet propriam, impudenter sibi contra interdictum Ecclesiæ copulare præsumpsit. Quod cùm ad nostram notitiam pervenisset, dilectum filium fratrem Rainerium, virum scientia & religione pariter reverendum, Deo & hominibus obtentu scientiæ & honestatis acceptum, in Hispaniam duximus destinandum; ut juxta verbum propheticum dissolveret colligationes impietatis, solveret fasciculos deprimentes: qui per Dei gratiam ab omni munere manus excussit; ita ut quod legitur, de ipso possit verè referri: *Non fuit qui ditaverit Abraham.* Ipse igitur cùm in Hispaniam pervenisset, dictum Regem Legionen. semel & iterum ex parte nostra commonuit diligenter ut à tam detestabili & nefanda copula resiliret, universis colligationibus dissolutis quæ fuerant pro ipsa copula consummanda contractæ. Sed cùm apud eum nihil prorsùs monitis profecisset, certum ei diem assignavit & locum; & cùm ipsum etiam ultra terminum expectasset, in eum se contumaciter absentantem juxta formam mandati nostri excommunicationis sententiam promulgavit, & regnum Legionen. interdicto generali conclusit. In memoratum verò Regem Castellæ vel terram suam in nullo processit, cùm idem Rex se mandatis ejus exponeret, & quòd reciperet filiam suam, si sibi redderetur, proponeret assertivè. Quod utrum ex animo fecerit, ille plenius novit qui scrutator est cordium & cognitor secretorum. Nuper autem venerabiles fratres nostri Toletanus Archiepiscopus & Episcopus Palentinus ex parte ipsius Regis Castellæ, & ex parte Legionen. venerabilis frater noster Zamorensis Episcopus, ad sedem apostolicam accedentes, postulabant ut cum eodem Rege Legion. & filia dicti Regis Castellæ deberemus super tam incestuosa copula dispensare. propter quod, nisi specialis illa gratia, quam ad devotionem dicti Regis Castellæ habemus, motum nostri animi temperasset, in ipsos ita curassemus severitatem ecclesiasticâ exercere, quòd nulli de cetero temporibus nostris ad nos repudiatas toties & damnatas petitiones afferrent; cùm ipsi etiam noverint quòd id ab eodem prædecessore nostro sæpius postulatum fuerit, & ab eo inhibitum, non indultum. Tandem verò intelligentes Archiepiscopus & Episcopi memorati quòd non solùm in-

Vide suprà lib. 1. epist. 92. 93. 125.

dulgentiam super hoc à nobis sed vix etiam possent à nobis audientiam impetrare, interdictum in terram dicti Regis Legionen. prolatum tandem à nobis postulavere remitti, asserentes quòd ex eo triplex toti regno periculum ab hæreticis, Sarracenis, & Christianis etiam imminebat. Ab hæreticis: quia cùm per interdictum ipsum clausa essent in partibus illis ora pastorum, non poterant fideles per eos contra hæreticos instrui, & ad resistendum eis aliquatenus informari. unde cùm ex hoc, tum quia Rex Legionen. ab Ecclesia se asserens aggravatum, eis minimè resistebat, invalescebant contra fideles hæretici, & in regno ipso hæreses variæ pullulabant. A Sarracenis: quoniam cùm per exhortationes & remissiones Ecclesiæ Hispaniarum populus consuevisset ad expugnationem paganorum induci, cessante prædicatorum officio, populi etiam devotio tepescebat: quia cùm se cum Principe suo, quo ad interdictum, eidem videret pœnæ subjectum, à culpa, cui vel tacendo consenserat, fortè se non credebat immunem, propter quod minùs circa debellationem Sarracenorum fervebat, ne decederet in peccato. A catholicis: quia cùm Clerici laïcis spiritualia ministrare non possent, laïci Clericis temporalia subtrahebant, oblationes, primitias, & decimas detinentes. unde cùm Clerici ex his pro majori parte in partibus illis consueverint sustentari, eis subtractis non solùm mendicare, sed fodere, & servire Iudæis in Ecclesiæ & totius Christianitatis opprobrium cogebantur. Videbatur autem difficile petitioni eorum annuere, & sententiam ex animo, ordine, & causa latam canonicè sine satisfactione congrua relaxare. Ex animo siquidem: quia, sicut Deus perhibet testimonium conscientiæ nostræ, ad hoc non nisi justitiæ & honestatis obtentu processimus; cùm ex contrario potiùs contra nos oriri præsumptio potuisset, si tam detestabile facinus duxissemus in patientia tolerandum. Ex ordine: quia dictus frater R. post commonitiones & dilationes legitimas, tandem districtione percussit ecclesiastica contumacem. Ex causa, exemplo, divino videlicet, & humano. Divino: quia cùm David in populi numeratione peccasset, Dominus in populum vasa sui furoris effudit. unde idem David dixisse legitur, peccatum suum domino confitendo: *Ego sum qui peccavi, ego qui iniquè egi. Isti, qui oves sunt, quid fecerant? Auferatur, obsecro, facies tua, Domine, à populo tuo.* Humano; cùm jamdictus prædecessor noster (ut non longè petantur exempla) in prædictos Portugalliæ & Legionen. Reges & regna ipsorum prædictas sententias curaverit promulgare. Esset insuper res mali exempli: quia si forsan in alia regna similem nos contingeret promulgare sententiam, similis à nobis gratia peteretur: quam si forsitan negaremus, apud nos esse videretur acceptio personarum. Ex hoc etiam de nobis posset apud aliquos oriri suspicio, præsumentibus fortè quibusdam quòd ad id moveremur ex causa latenti. Licèt igitur ex causis præmissis non videretur dicta petitio admittenda, quia tamen ubi est multitudo in causa, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas syncera subveniat, in eo ad petitionem prædictorum Archiepiscopi & Episcoporum gratiam de communi fratrum nostrorum consilio duximus faciendam, ex quo videbantur impedimenta expressa superiùs provenire. Relaxavimus ergo non in totum, sed in una parte solummodo, interdictum, nec perpetuò, sed ad tempus, quandiu scilicet nobis placuerit, & viderimus expedire; ut probemus interim spiritus, si ex Deo sint, & an (sicut iidem Archiepiscopus & Episcopi asseverant) sperata inde utilitas sequeretur; sic videlicet, ut in regno ipso divina celebrentur officia; sed decedentium corpora sepulturæ ecclesiasticæ non tradantur. in quo tamen Clericis gratiam facimus specialem, in eo videlicet, ut in cœmiterio ecclesiastico, cessante solennitate solita, tumulentur. Quod licèt aliquibus posset absonum fortè videri, ut officio restituto sepultura ecclesiastica denegetur, quia, juxta canonicas sanctiones, cui communicavimus vivo, communicare deberemus & mortuo; rectè tamen intelligentibus nihil ex hoc incongruitatis occurrit, cùm juxta Lateranen. instituta Concilij decedentes ex torneamentis, etsi per pœnitentiam reconcilientur Ecclesiæ, Christiana tamen sepultura priventur. Vt autem non remittere pœnam sed commutare potiùs videamur, dictum Regem Legionen. & memoratam filiam Regis Castellæ ac omnes principales eorum consiliarios & fautores excommu- *Concil. Lateran. sub Alex. III. cap. 20.*

nicationis curavimus sententia innodare; mandantes ut ad quamcuoque civitatem, oppidum, vel villam devenerint, nullus ibidem eis præsentibus divina præsumat officia celebrare. Dicto autem Regi Castellæ & cariss. in Christo filiæ nostræ Regioæ nxori ejus dabimus in mandatis, ut quòd stent mandatis nostris juratoriam exhibeant cautionem, & vel exprimant in juramento quòd ad dissolveodam tam illegitimam copulam dent operam efficacem, vel id nos eis faciemus præstito juramento mandari. nec credimus quòd super hoc se aliquatenus nobis exhibeant contumaces, cùm quòd starent mandatis Ecclesiæ, in manibus prædicti fratris R. (sicut ex literis ejusdem Regis apparet) firmiter promisissent, & impendissent caosam sufficientem ad copulam hujusmodi consummandam. Quòd si forsan (quod non credimus) mandatis nostris ooloerint obedire, ipsos & principales eorum coosiliarios & fautores excommunicari mandabimus, & quocnoque deveneriot, divina prohibebimus officia celebrari, ut sic saltem ad mandatum Ecclesiæ revertantur, juxta quod legitur in Psalmista: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Quia verò castra quædam, quæ idem Rex Legiooen. dictæ filiæ Regis Castellæ io dotem tradidisse proponitur, ita ut si eam aliqua occasione relinqueret, ipsa cederent in jus ejus, impedimentum præstare videntur hujusmodi copolæ dissolvendæ, cùm castra ipsa non tam ob turpem quàm ob nullam potiùs causam sint data, utpote cùm inter eos matrimonium oon existat, & ideo nec dos oec donatio propter dotem, ne ad commodum ei cedat quod debet in pœnam ejus potiùs retorqueri, castra ipsa restitui volumus; & ad id puellam ipsam per excommunicationis sententiam coarctari; auctoritate apostolica decernentes, ut si ex tam incestuosa & damnata copula proles est vel fuerit quæcunque suscepta, spuria & illegitima penitùs habeatur, quæ secundùm statuta legitima in bonis paternis nulla prorsùs ratione succedit. Quòd si nec sic prædicti Rex Legionen. & filia Regis Castellæ à se invicem juxta mandatum apostolicum discedere matûrarint, in eos districtionem curabimus gravissimã exercere, quam ad cautelam præsentibus non duximus literis explicandam. Ideó que fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus factam vobis ab apostolica sede gratiam gratiùs prosequentes, sic utamini permissione nostra in celebrandis officiis, ut decedeotium corpora, nisi Clerici fuerint, tumulare nullatenus præsumatis. Si quos autem post latam in regnum ipsum sententiam interdicti ante susceptionem præsentium divina inveoeritis officia celebrasse, singuli vestrum in sua diocesi talium præsumptionem auctoritate freti apostolica, sublato appellationis obstaculo, canonica districtione percellant. Si verò aliquis vestrum, fratres Episcopi, in hoc deliquerit, excepto Salamantinensi, cujus correctionem sedi apostolicæ reservamus, tu, frater Archiepiscope, animadversione ipsum canooica non differas castigare. Volumus autem nihilominus & districtè vobis præcipiendo mandamus quatenus ad quamcuuque civitatem, villam, oppidum, vel Ecclesiam dictus Rex Legionen. & supradicta filia Regis Castellæ, vel principales fautores & consiliarij eorum, fortè deveoerint, diuina ibidem officia, quandiu ipsi præseotes fuerint, nullatenus celebrentur. Si quis autem cootra boc venire præsompserit, divina eis officia celebrando in civitatibus, villis, castellis, oppidis, aut Ecclesiis, vel ubicunque ipsi præsentes extiterint, vos temeritatem ipsorum, appellatione postposita, oon differatis canonica districtione ferire. Datum Laterani ut suprà.

VV. PRIORI ECCLESIÆ Sagien. ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

QVoties à nobis petitur &c. *usque ad verbum* ordo canooicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertioentiis suis, omnes oblationes quæ ad manus sacerdotum in Sagiensi Ecclesia offeruntur; & medietatem Pentecostes, & medietatem omnium legatorum & confratriæ, & medietatem omnium asportationum quæ ad Ecclesiam ipsam proveniunt vel provenire debent, his exceptis, auro, serico, & candelis quæ in die Purificationis beatæ Mariæ & in die cinerum & in die cœnæ Domini offeruntur, quæ integrè

Epist. 76. De confirmatione privilegiorum.

ad Episeopum loci pettinere noſcuntur. Bodevillam, cum pertinentiis ſuis. Eccleſiam de Soroudon. Eccleſiam de manſo Vvidonis. Eccleſiam de Alneto. Eccleſiam de Challoci, cum jure epiſcopali, excepto divortio matrimonij. Eccleſiam de Alodio, cum omnibus decimis. Eccleſiam de Corteveſque. Eccleſiam de Meſnilberat cum eremitagio. Eccleſiam de Bona fide, & illud quod babetis in Eccleſia ſancti Aniani ſuper Spartum, & illud quod babetis in Eccleſia ſanctæ Scholaſticæ, videlicet de feudo de Eſſeio. & illud quod habetis in Eccleſia de Taleriis, videlicet de feudo Guilhelmi de Pleſſei. Eccleſiam de Columberiis. Ecceleſiam de Froc. Eccleſiam de Landa de Goul. Eccleſiam de Franchevillis. Eremiragium de Blancbalanda. Eccleſiam de Flureio. Apud Cornelium, xij. acras terræ, cum duabus garbis decimæ. In civitate Sagien. altare in ercifixo, medietatem nundinarum ſanctę crucis in Maio. In prætorio Epiſcopi Sagien. lx. ſol. Cenomanen. In parochia ſancti Petri de Caſtallo, duas garbas de feudo Epiſcopi Ab Epiſcopo Sagieo. xij. procurationes ſingulis annis reddendas. In molendino de Pochou, in anniverſario Frog. Epiſcopi, xx. ſol. Cenomanen. In pago Oximen. Eccleſiam de Pinu, Eccleſiam de Aveſnes, Eccleſiam de Arenis, Eccleſiam de Vercevillis, Eccleſiam de Neers, Eccleſiam de Eſtreis, Eccleſiam de Condeio ſuper Leiſon, Eccleſiam de Toſtis, Eccleſiam de Voire. In Eccleſia de Nealpha unum preſbyteratum, & duas garbas decimæ de feudo Vu. Bordon. apud Eſtias. In pago Humen. Eccleſiam de Caſtelleis, Eccleſiam ſancti Gervaſij de Meſſeio, Eccleſiam de Croſmenil, Eccleſiam de Meſnilian, & eremitagium cum omnibus appendiciis ſuis, Eccleſiam de Batille, Eccleſiam de Meſſheudin, Eccleſiam ſancti Martini Languilon. Eccleſiam de Landa de Loge, Eccleſiam de ſancto Salvatore, eremitagium de Monte Tobard, Eccleſiam ſanctæ Margaritæ cum capella ſancti Iacobi de Quarrog, cum omnibus pertinentiis ſuis. In pago Belıſmon. Eccleſiam ſancti Juliani de Merula, Eccleſiam de Barvillis, Eccleſiam ſancti Iohannis de Foreſta, Eccleſiam ſancti Quintini parvi. In pago Corbonen. Eccleſiam ſancti Quintini de Bago. De Sagienſi, Hulmenſi, & Oxomen. Archidiaconibus tertiam partem de circatis & ſynodis. De Corben. Archidiacono tertiam partem de ſynodis. De Beliſmen. Archidiacono tertiam partem de ſynodis. In epiſcopatu Cenomanen. Eccleſiam de Banuo. In parocbia de Dampere, & de campo Segrei, duas partes totius decimæ de feudo Vu. de Aunei, capellam quæ eſt in grangia veſtra de Bodevilla, & meſtruas de archidiaconatu Beliſmen. In molendino Barvillæ decimam, & partem Vu. Carrel. Militis, eum piſcatoria, & quicquid Gaufridus Lemorel in decimis parocbiæ de Bavilla & ſancti Iuliani habebat, & duas garbas totius decimæ ſancti Iuliani, cum capella cœmiterij. Redditus archidiaconatuum vacantium, ſicuti habetis vel babere debetis Arcbidiaconis viventibus, & totam decimam de Flureio, eremitaginm de Martellaio, & manſuram quæ eſt de feudo Vu. de Chantapia, & duas garbas de feudo Vu. de Pleſſeio. In parochia ſancti Germani veteris, duas partes decimæ de feudo Guidonis de Campo Milonis In parochia de Meſnilletros, duas garbas decimæ de feudo Teobourdorum. In parochia de Gaſpreia, duas garbas decimæ de feudo Hugonis de Franchavilla, & capellam quæ eſt in Meſſeio. In molendino de Pervers, illam partem quæ eſt de feudo Gaufridi de Fontibus, aſtreas quondam Canonicorum ſecularium, cum omnibus pertinentiis, conſuetudinibus, & libertatibus ſuis, & terram Bogarel. In Argentonio, ſex libras Cenoman. & x. ſol. & vj. denarios. In Faleſia, lxv. ſol. Cenomanenſes. In Oximis, cv. ſol. Cenoman. & quinque de teloneo Regis. In Anglia, decem libratas terræ in manetio Regis, videlicet de Bentona, ſcilicet Britalmeton, quæ eſt membrum ipſius manerij, eum omnibus conſuetudinibus, libertatibus, & quietudinibus. In foreſta de Eſcoves, paſcuagium quitum, & xxij. fagos abſque aliqua traditione annuatim, quando volueritis, accipiendos. In parocbialibus autem Eccleſiis veſtris liceat vobis proprios ſacerdotes eligere &c. Libertates præterea &c. Decernimus ergo &c. Salva ſedis apoſtolicæ anctoritate, & dioceſani Epiſcopi canonica juſtitia. Siqua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Dñi Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, VIII. Kal. Iunij, Indictione ſecũda, incarnationis dominicæ ann. MCXCIX. pont. verò Domini Innocentij Papæ III. an. ſecũdo.

TVRONEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 77. Quòd Archiepiscopus suffraganeorum suorum consecrationem potest committere. Cap. Quòd sedem De officio ordinarij. Vide infrà epist. 284. hujus libri.

QVòd sedem apostolicam consulis super his quæ dubia tibi existunt, gratum gerimus & acceptum, & tua exinde fraternitas videtur meritò commendanda, cùm lex divinæ constitutionis eandem sedem totius posuerit orbis terrarum magistram, ut quicquid dubitatur ab aliquo, ab ea tandem ejusdem ratio requiratur. Nos siquidem decrevisti providè consulendos, utrum si fortè aliqua infirmitate vel alia causa justa detentus, aliquem suffraganeorum tuorum consecrare non posses, alicui coëpiscoporum tuorum vices tuas licitum committere tibi esset, & utrum electus, qui pro consecratione instaret, ab eo, cui vices tuas taliter commisisses, deberet licitè consecrari. In quo tale damus tuæ consultationi responsum, quòd in tali articulo constituto & tuas vices, ut dictum est, committere tibi licet, & consecrandus debet munus consecrationis ab eo recipere cui eas duxeris committendas; dummodo catholicus habeatur, & impedimentum ex subtractione gratiæ sedis apostolicæ non obsistat. Datum Laterani X V I. Kal. Iunij.

EPISCOPO CIVITATIS Castellanæ.

Epist. 78. Vt civitas Castellana ab interdicti sententia liberetur.

ACcedentes nuper ad præsentiam nostram dilecti filij P. Quintavall. de Conversan, & M. Aldebr. ex parte populi civitatis Castellanæ, electioni factæ de nobili viro B. de Fordevolie, quem sine conscientia nostra elegerant in rectorem, publicè renuntiare, sicut in mandatis receperant, curaverunt; & idem B. nostro super hoc jurans stare mandato, ei nihilominus renuntiare curavit. Vnde suppliciter postularunt ut cessante causa pro qua subjecta erat civitas interdicto, & effectus de medio tolleretur, divinis officiis eidem populo restitutis. Nos ergo prædictorum civium justis postulationibus annuentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus & interdictum denunties relaxatum, & in civitate ipsa, fretus auctoritate nostra, divina liberè facias officia celebrari. Datum Laterani IV. Kal. Iunij.

RAINERIO ABBATI ET Conventui S. Petri Eugubini.

Epist. 79. De confirmatione privilegiorum. Cap. Cùm olim. De Privil. & indulg. Extat rursum infrà epist. 286. hujus libri.

CVm olim essemus apud Perusium constituti, tu, fili Abbas, ad nostram præsentiam accessisti, privilegium bonæ memoriæ Lucij Papæ prædecessoris nostri nobis humiliter repræsentans, & postulans illud suppliciter innovari. quod propter contradictionem venerabilis fratris nostri Marci Eugubini Episcopi, qui tunc temporis supervenit, asserentis hoc in suum præjudicium redundare, non fuit effectui mancipatum. Cùmque alter vestrum de altero in nostro auditorio quereretur, venerabili fratri nostro Assisinati Episcopo causam sub eâ forma commisimus audiendam, ut vos & jamdictum Episcopum curaret ad concordiam revocare. alioquin audiret utrinque proposita, & omnia in scriptis redigens, nobis processum negotij fideliter referaret. Qni cùm indulra vobis à sede apostolica privilegia inspexisset; intellecto quòd monasterium vestrum ad Romanam Ecclesiam specialiter pertineret, in causa non duxit ulteriùs, sicut accepimus, procedendum. Consequenter verò ad venerabilem fratrem nostrum Callen. Episcopum & dilectum filium Ar. Abbatem sanctæ Mariæ Vallis pontis ad postulationem præfati Episcopi Eugubini literæ nostræ fuerunt super mutuis quæstionibus destinatæ. Sed quia pendente judicio, Iohannes monachus privilegia, chartas alias, & thesaurum monasterij vestri rapuit, te, Abbas, ad nostram oportuit præsentiam iterum laborare: ubi literas impetrasti, quòd per excommunicationis sententiam, qui de amissione privilegij scirent aliquid, cogerentur dicere veritatem. Sed quoniam neque sic amissa potuisti privilegia reperire, ad nos denuo es reversus. Te igitur cum testibus tuis & præfati Episcopi Eugubini procuratoribus in nostra præsentia constitutis, dilecto filio nostro Pand. basilicæ duodecim Apostolorum Presbytero Cardinali dedimus in mandatis ut super amissione ac tenore privilegiorum testes reciperet diligenter, quos duceres producendos. Qui mandati nostri diligens executor, præsentibus præfatis procuratoribus, fideliter redegit in scriptis depositiones decem testium juratorum: quorum depositionibus publicatis, jamdicti procuratores ad

producendos testes Episcopi, per quos inductos à parte adversa repellerent, inducias postularunt: quas præfixo termino peremptorio sub eo tenore illis duximus concedendas, ut apud apostolicam sedem probarent quæ vellent, ubi onus probationis pars altera subijsset. Cęterùm quoniam infra datum terminum & receptum in producendis testibus defecerunt, nos tam per depositiones testium quàm per assertiones quotundam fratrum nostrorum liquidò cognoscentes talem dicti privilegij fuisse tenorem; quòd videlicet ipsum cœnobium nullo mediante ad Rom. Eccl. pertineret, & quòd non liceret alicui Episcopo eidem monasterio & ejus Ecclesiis excommunicationem indicere, ut fratres illic Domino servientes, ab omnium potestate liberi, Ecclesiæ Rom. libertatis gratia potirentur, & quòd nulla in eo mentio diocesani Episcopi habebatur; illud etiam nihilominus attendentes, quòd, sicut ex dictis quorundam testium intelleximus evidenter, & plerique de nostris fratribus tempore illo præsentibus recolebant, cùm tu, fili Abbas, tempore bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri ad ipsius præsentiam accessisses, ipse inspectis Ecclesiæ tuæ privilegijs, te, licèt excommunicatus ab Eugubino Episcopo dicereris, tanquam non ligatum admisit ad osculum, (quod præsumitor non fecisse, nisi monasterium vestrum cognovisset ad Rom. Ecclesiam specialiter pertinere) de communi fratrum nostrorum consilio pronuntiandum decernimus privilegium illud bonæ memoriæ Lucij Papæ prædecessoris nostri, quod sine omni reprehensione bullæ, chartæ, vel literæ apparebat, quando fuit nobis ostensum, illius fuisse tenoris, cujus per depositiones testium & assertiones fratrum nostrorum pręmisimus extitisse. Decernimus ergo &c. nostræ pronuntiationis &c. Datum Laterani II. Kal. Iunij.

ABBATI DE FIRMITATE, G. & F. Archidiaconis Cabilonensibus.

Epist. 80. Committitur ipsis cognitio causæ inter Ecclesiam Eduensem & monasterium Balmense. Extat rursum infrà epist. 187.

EXpositam nobis Eduen. Ecclesiæ accepimus quæstionem, quòd cùm causam quæ inter eam & Balmen. monasterium vertebatur super terris & Ecclesijs in valle Polliniaci constitutis, fel. record. Celestinus Papa prædecessor noster venerab. fratri nostro Cabilonen, Episcopo & dilecto filio B. quondam Abbati de Firmitate commisisset fine debito terminandam, monachi Balmen. ab ipsis judicibus appellarunt. Ille verò qui Abbas ejusdem monasterij dicebatur, se simulans ad prosequendam appellationem accedere, semel tantùm apostolico se conspectui præsentavit, & sic illicentiatus recessit, de appellatione interposito nullam faciens mentionem. Cùmque post paucos dies Ecclesiæ Eduen. nuncius pro appellatione prosequenda transmissus, fuisset apud sedem apostolicam diutiùs commoratus, idem prædecessor noster monachos antedictos peremptoriè citavit, per literas suas eis sub pœna excommunicationis injungens ut ille qui se gerebat Abbatem, cum aliquibus ejusdem monasterij monachis in festo beati Lucæ jam secundò præterito ad ejus præsentiam accederent sufficienter instructi Eduen. Ecclesiæ plenariè responderе, & satisfacere sedi apostolicæ de contemptu. Ipsi verò licèt juxta quod eis injunctum fuerat non venissent, quidam tamen monachorum ad Rom. Ecclesiam accesserunt, quos nuncius Eduen. Ecclesiæ apud apostolicam sedem inuenit: sed de suo negotio diffidentes, ante causæ cognitionem, vt magis Eduen. aggravarent Ecclesiam, recesseront, ad venerabilem fratrem nostrum Bellicen. Episcopum & dilectos filios Abbatem de Balerna & Priorem Boniloci per suppressionem veritatis, ignorante præfato nuncio Eduen. Ecclesiæ, litteras, ut dicitur, reportantes. Postmodum autem cùm jamdicto nuncio Eduen. se quidam Balmen. monachus objecisset, & ne posset obtinere litteras impediret, eis dilectos filios I. tt. sancti Stephani in Cœlio monte Presbyterum & G. sancti Adriani Diaconum Cardinales concessimus auditores: in quorum præsentia cùm soper causa illa fuisset aliquandiu litigatum, & eis scripta & allegationes ab utraque partium assignatæ, monachus ipse illicentiatus recessit, & noluit sententiam expectare. Quæ omnia cùm ad nostram audientiam pervenissent, nolentes aliquem de fraude sua commoditatem reportare, ven. fratri nostro Episcopo & dilecto filio Decano Matisconen. per scripta nostra mandavimus ut convoeatis ad præsentiam suam partibus, si eis constaret Eduen. Ecclesiam prædictis terris & Ecclesiis à præ-

fatis monachis fuisse præter juris ordinem spoliatam, ipsi ei auctoritate nostra terras ipsas & Ecclesias cum fructibus perceptis ex eis non obstante contradictione vel appellatione cuiuslibet resignarent, prædictis literis nequaquam obstantibus, quas etiam morte præfati prædecessoris nostri credimus expirasse; post restitutionem verò integram ablatorum & expensarum quas Canonici Eduen. Ecclesiæ in prosequenda monachorum appellatione, quam ipsi monachi prosequi non curarunt, se rationabiliter fecisse probarent, audirent ipsi judices si quid emergeret quæstionis, & illud fine debito appellatione postposita terminarent. Quòd si ambo his exequendis interesse nequirent, prædictus Episcopus nihilominus quod mandavimus adimpleret. Cùm autem, sicut in literis ejusdem Episcopi perspeximus contineri, utraque parrium in ejus esset præsentia constituta, & pars Eduen. Ecclesiæ juxta mandati nostri tenorem restitutionem ablatorum & expensarum cum instantia postularet, Balmen. monachi se ad ea nolle respondere nec de jure debere asserebant, eò quòd ad suggestionem falsi à nobis ipsæ literæ fuerant impetratæ. Ceterùm è contra Eduen. Canonici respondebant, quòd illa falsitatis suggestio principale negotium, pro quo jamdicti Canonici literas impetrarunt, non poterat impedire. & ideo monachorum Balmen. allegatio in casu ipso non erat aliquatenus admittenda. Et cùm prædictus Episcopus paratus esset in ipso negotio justè procedere ac canonicè, & nullum monachis contra justitiam gravamen inferre, ipsi, pro eo quia Decanus Eduen. Ecclesiæ filius erat fratris Episcopi memorati, ab examine ipsius nostram audientiam appellarunt: qui factæ appellationi, licèt in literis nostris appellatio esset inhibita, detulit, & octavas nativitatis Domini proximò præteritas terminum appellationi prosequendæ præfixit. Ad cujus prosecutionem appellationis licèt nuncius Eduen. Ecclesiæ accesserit termino constituto, pro parte tamen alia nullus prorsùs comparuit responsalis. Voleutes igitur quòd ipsi causæ finis debitus imponatur, nec prorogetur ulteriùs per fraudem vel insolentiam aliquorum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus Eduen. Ecclesiam in possessionem terrarum & Ecclesiarum in valle Poliniaci positarum, quibus eam vobis constiterit per Balmen. monachos præter juris ordinem spoliatam, cum fructibus inde perceptis, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, auctoritate apostolica inducatis, à molestatione ipsius super possessione Balmen. monachos per censuram ecclesiasticam compescentes. Quòd si non potuerint tali districtione compesci, & possessionem eorum præsumpserint impedire, venerabili fratri nostro Bisuntin. Archiepiscopo & suffraganeis ejus ex parte nostra firmiter injungatis ut sententiam quam in dictos monachos rationabiliter duxeritis promulgandam, faciant auctoritate nostra suffulti inviolabiliter observari. Volumus autem nihilominus & mandamus ut expensas quas Eduen. Ecclesia in prosequendis appellationibus à monachis interpositis se rationabiliter fecisse probabit, ipsi Ecclesiæ faciatis à Balmen. monasterio cùm integritate persolvi, nec eos super quæstione proprietatis, si litigare voluerint, audiatis, donec juxta mandati nostri tenorem terras prædictas & Ecclesias restituerint & expensas. super quibus omnibus eis penitùs appellationis remedium interdicimus; nec à vobis appellationem eorum, si objecerint, audiri volumus vel admitti. Post factam verò restitutionem integram ablatorum & expensarum, audiatis si quid emerserit quæstionis, & illud appellatione remota fine debito terminetis. Taliter autem in nostri procedatis executione mandati, quòd solicitudinem vestram debeamus in Domino commendare, nec audiamus super his ulteriùs quæstionem. Testes autem &c. Nullis literis &c. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IV. Kal. Iunij.

CONVENTVI MONASTERII sancti Leufredi de Cruce.

INter monasterium sancti Audoëni Rothomagen. & vestrum super modo eligendi Abbatem in dicto monasterio vestro jamdudum fuit quæstio agitata: pro qua partibus ad sedem apostolicam accedentibus, venerabilem fratrem nostrum Octavianum Episcopum Hostiensem & dilectum filium G. sancti Georgij ad velum aureum Diaconum Card. dedimus auditores. In quorum

Epist. 51. Sententia secunda contra primam lata, si ab ea non appelletur, jure tenet. Cap Inter monasterium, *De sent. & re judicata.*

præsentia propositum fuit pro monasterio vestro, quòd cùm abbatia ipsa olim pastore vacaret, vos convenientes in unum, Riccardum monacbum* virum religiosum secundùm beati Benedicti regulam & Ecclesiæ libertatem apostolico etiam privilegio roboratam, de gremio ipsius Ecclesiæ in Abbatem vobis per electionem canonicam assumpsistis, electum ipsum ad benedictionis munus obtinendum diocesano Episcopo præsentantes: qui per dilectum filium Gaufridum Abbatem præfati monasterij sancti Audoëni prohibitus, quod postulatum fuerat non concessit. Vos ergo videntes vestrum propositum retardari, ne aliquid in præjudicium monasterij vestri fieret, sedem apostolicam appellastis: à qua postmodum ad venerabilem fratrem nostrum Henr. Episcopum & dilectos filios Hen. Cantorem & R. Archidiaconum Baiocen. sub eo tenore per nuncios vestros commissionis litteras impetrastis, ut partibus ad suam præsentiam convocatis, inspecto privilegio & rationibus omnibus quas utrinque ducerent proponendas, caussam ipsam, appellatione remota, concordia vel judicio terminarent, nullis litteris obstantibus ipsarum mentione non habita à sede apostolica impetratis. Quòd si omnes interesse non possent, Episcopus eum eorum altero ea nihilominus exequeretur. Cùm igitur partes in præsentia prædictorum Episcopi & Præceotoris Baiocen. constitutæ, Archidiacono collega ipsorum ex certa caussa & necessaria excusato, non possent ad concordiam revocari, parte vestra volente testes suos omni exceptione majores producere ad probandam electionem canonicè celebratam juxta teoorem privilegij bonæ memoriæ Lucij Papæ prædecessoris nostri super electione facienda indulti, R. monachus procurator dicti Abbatis sancti Audoëni eis ven. fratris nostri Rotomagen. Archiepiscopi, Episcopi Ebroicen. & dilecti filij R. Ebroicen. Archidiaconi patentes litteras præsentavit, ne in caussa procederent inhibentes, pro eo quòd super ejusdem caussæ discussione mandatum se dicebant apostolicum recepisse. Verùm quia tenor mandati litteris illis non erat insertus, nec procurator, licèt sæpius requisitus, originale ostendere voluit vel rescriptum, eorum prohibitione postposita, probationem vestram oblatam sæpius super electione canonica decreverunt pariter admittendam. Sed procurator jamdictus probationi obviare contendens in electione præmissa, monasterium sancti Audoëni spoliatnm fuisse cujusdam juris sui possessione dicebat, quam usque ad creationem Abbatis illius loci novissimi obtinuerat inconcussè, qui de congregatione sancti Audoëni à monachis de Cruce postulatus fuerat & electus. Eo igitur id probare volente, testes vestros super electione canonica, procuratores verò super spoliatione opposita receperunt: quorum depositiones cùm post diligentem examinationem disponerent publicare, ad instantiam dicti procuratoris secundæ productioni testium, qua se dixit fore contentum, diem alteram assignarunt. Cùmque partes ad diem & locum pariter convenissent, requisitus procurator ab ipsis judicibus de testibus producendis, ipse quasi testium productioni renuntians, dilectorum filiorum de Bellebec & de Mortuomari Abbatum & Prioris de Bellebec litteras eis porrexit, ne in caussa procederent inhibentes. Dicebant enim se suscepisse mandatum primo præjudicans, cujus tenorem suis litteris adjunxerunt. Ceterùm cùm primi judices, rescripto diligenter inspecto, cognoscerent illud per falsi suggestionem & veritate tacita impetratum, cùm in secundo mentio facta non fuerit apostolici privilegij, ut in primo, ex quo electio fortiebatur præcipuam firmitatem, & ipsi judices in secundis litteris à monachis sancti Audoëni dicerentur certa ratione suspecti, quod ostendere non potuit procurator, caussis quibusdam suspicionis satis frivolis allegatis, ab eis cootumaciter nulla expectata interlocutione recessit. Attendentes igitur judices recusationem hujusmodi & allegationem dictæ suspensionis feram & supervacuam extitisse, præsertim post litem inchoatam & testes utrinque productos, quæ fortè ante litis ingressum colorem aliquem poterat habuisse, considerantes etiam idem mandatum non plenè sed perfunctoriè prioris fecisse mentionem, prohibitioni posteriorum judicum, sicut nec priorum, acquiescere noluerunt, magis volentes jussionibus apostolicis obedire quàm inferiorum mandatis indebitam reverentiam exhibere; multis, qui aderant, jurisperitis

* f. vestrum.

sentientibus cum eisdem quòd cùm sæpedictus Abbas sancti Audoëni primò ad priores judices litteras impetrasset, quarum non habebatur mentio in secundis, carere debebat beneficio utrarumque, vel si deberet mandatum alterum alteri prævalere, primo esset parendum potiùs quàm secundo, in quo non habebatur mentio de priore, cùm nec primum, ab eodem Abbate sancti Audoëni obtentum, de illo faceret mentionem quod pars altera impetrarat. Præscriptis itaque rationibus moti, & usi consilio discretorum, publicatis etiam attestationibus partium, & earum rationibus & allegationibus subtiliter intellectis, prædictam electionem auctoritate mandati nostri ratam habuerunt & firmam, super illa molestatione ipsius electi perpetuum Abbati & monachis sancti Audoëni silentium imponentes: quos condemnarunt etiam in expensis centum librarum Andegavensium, licèt pars altera de ducentis vellet sacramento præstito declarare. Pars igitur vestra petebat à nobis factum delegatorum judicum confirmari, & electo munus benedictionis impendi. Ceterùm pars altera proposuit ex adverso, sæpedictum monasterium vestrum à primordio constructionis suæ in tantum ex consensu diocesani Episcopi alteri fuisse subjectum, ut non aliunde assumeretur ibi aliquis in Abbatem, nisi de monasterio sancti Audoëni, dummodo in eo posset aliquis idoneus ad hoc reperiri. Correctio quoque monachorum & Abbatis de Cruce, si negligens esset, fuit S. Audoëni Abbatibus reservata. & ita obtinuit à longis temporibus, quorum memoria non habetur. Et hæc siquidem institutio, & usus ipsius, à bonæ memoriæ Alexandro Papa prædecessore nostro proponitur confirmata. Vnde cùm quondam monachi sancti Leufredi Abbatem quendam aliunde quàm de sancti Audoëni gremio elegissent, Abbas sancti Audoëni hæc comperiens appellavit; & per sententiam delegatorum apostolicæ sedis electum renuntiare oportuit abbatiæ: qui cùm facta professione Abbati sancti Audoëni per dies aliquot in ipso monasterio resedisset, per Abbatis concessionem datus fuit præfatis monachis in Abbatem. Ceterùm Abbate novissimo adhuc monasterium detinente, à quo regio metu compulsus fecessit ad tempus, & monachis se in libertatem volentibus vendicare, atque ad electionem procedere insuetam, Abbas sancti Audoëni hoc præsentiens, sedem apost. appellavit, sicut Ric. tunc electus vester in judicio est confessus, adjiciens tamen se primitus appellasse. Verùm sæpedicti monachi eum eligentes nihilominus in Abbatem, ad jamdictos Hen. Episcopum Baiocen. & collegas suos rescriptum apostolicum impetrarunt: quorum judicium, ut suspectum, Abbas sancti Audoëni cupiens declinare, ad præfatos Abbatem & Priorem litteras revocatorias impetravit: qui post inhibitionem priorum judicum, qui eis tenorem mandati apostolici per suas litteras intimarunt, & postquam procurator Abbatis eis authenticum præsentavit, asserentes litteras illas per falsi suggestionem obtentas, quia privilegij partis adversæ in eis mentio non fiebat, post appellationem quoque ab eodem procuratore interpositam, in causa nihilominus processerunt: quorum factum pro monasterio sancti Audoëni petebant in irritum revocari. His igitur & similibus quæ jam dicti Episcopus & Cardinalis nobis ac fratribus nostris prudenter ac fideliter retulerunt pleniùs intellectis, cùm constiterit nobis primam commissionem non fuisse per ultimam revocatam, tum quia causæ suspicionis in jure propositæ frivolæ videbantur, quas etiam tanquam dilatorias ante litis ingressum opponere debuissent, quibus coram delegatis eisdem subeundo judicium renuntiasse videntur, tum etiam quoniam de privilegio apostolicæ sedis & processu negotij usque ad publicationes testium coram primis judicibus nihil in secundis litteris dicebatur, quod si fuisset expressum, obtineri minimè potuissent, non obstante sententia quæ pro monasterio sancti Audoëni dicebatur fuisse prolata, quæ tamen nobis ostensa non fuit, cùm si prædictis judicibus fuerit ostensa, ea posthabita contrarium statuissent, alioquin est quòd eam objicientibus imputetur, cùm sub prætextu novorum instrumentorum lites non debeant instaurari, communicato fratrum nostrorum consilio factum priorum judicum ratum & firmum habuimus; & eorum sententiam approbantes, ipsam auctoritate apostolica confirmavimus, & electo à vobis postmodum nos ipsi munus benedi-

ctionis, salvo jure diocesani Episcopi, curavimus exhibere. Nulli ergo &c. confirmationis &c. Datum Laterani III. Nonas Iunij.

BATHOLOMÆO TVRONEN. Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 81. De subjectione Episcopi Dolensis. Vide supra lib. 1. epist. 161.

LIcèt primum & præcipuum Ecclesiæ fundamentum sit unigenitus Dei filius Iesus Christus, juxta quod dicit Apostolus, *Quia fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus*, secundum tamen & secundarium Ecclesiæ fundamentum existit beatissimus Apostolus Petrus, ad quem Veritas ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: qui sicut à Christo petra dictus est Petrus, ita etiam à Christo capite vocatus est caput, ipso sibi dicente, *Tu vocaberis Cephas*, ut per hoc universi fideles agnoscerent quòd ad ipsum, tanquam ad fundamentum & caput, majores debeant Ecclesiarum caussæ referri, quatenus quod ab ipso tanquam à capite principali fuerit auctoritate statutum, in ipso tanquam in fundamento stabili firmitate consistat. Nobis ergo, qui, licèt indigni, locum ejus in apostolica sede tenemus, incumbit ex debito pastoralis officij de universali Ecclesia scandala tollere, ac jurgia resecare, & tam emergentes de novo quæstionum articulos, quàm caussas ab antiquo tractatas, sed adhuc in antiquæ contentionis scrupulo remanentes, judicialis sententiæ calculo terminare. Inter ceteras verò caussas veteres ac modernas, vetus illa quæstio, quæ inter Turonen. & Dolen. Ecclesias vertebatur, Ecclesiam non modicùm usque ad hæc moderna tempora conturbabat: ad quam vel sopiendam concordia, vel judicio terminandam, post multas prædecessorum nostrorum citationes, nos tandem dilecto filio Iohanne Dolen. electo ad sedem apostolicam accedente, termino utrique partium à bonæ memoriæ Celestino Papa prædecessore nostro præfixo, cùm tu non nisi nuncios minùs sufficienter instructos pro sola dilatione petenda misisses, partem citavimus Ecclesiæ Turonensis, mandantes ut quicquid de te quocunque modo contingeret, pars eadem per se vel per procuratores idoneos ad apostolicam sedem accederet, nostræ dispositionis formam vel justæ diffinitionis sententiam receptura, alioquin ex tunc nos ad horum alterum procedere curaremus. Dicto igitur electo, Iuliano, Rodulpho, & Hugone Canonicis Dolen. cum litteris de procuratione ipsis super hac caussa specialiter ab Ecclesia Dolen. concessis, & dilectis filiis Gaufrido Cancellario, Senoreto, Iohanne, Ernaudo Canonicis Turonen. & Gaufrido de Ioviaco cum litteris de ratihabitione datis eis tam à te quàm Ecclesia Turonensi, in nostra præsentia constitutis, frequenter per nos, interdum etiam per fratres nostros, audientiam plenam & benignam indulsimus, & quæ fuerunt hinc inde proposita intelleximus diligenter. Fuit autem propositum ex parte Dolen. Ecclesiæ, quòd cùm eadem Ecclesia longissimo tempore fuerit in possessione metropoliticæ dignitatis, sicut ex gestis quorundam sanctorum & aliis scriptis apparere dicebat, tandem cùm temporibus bonæ memoriæ Nicolai Papæ prædecessoris nostri Festiniano tunc in Archiepiscopum Dolen. promoto usum Pallei à sede apostolica postulasset, licèt idem Nicolaus quod petebatur ei non duxerit concedendum, quia litteras apostolicæ sedis, quas prædecessores ejus prædecessoribus ipsius Festiniani in Pallei collatione transmiserant, ei non fecerat præsentari, non tamen quod petebatur negavit expresse, sed partes ad suam præsentiam convocavit, mandans Erardo tunc Archiepiscopo Turonen. ut ad ipsum suum legatum transmitteret, cum quo & Dolensis Ecclesia suos nuncios destinaret, ut utriusque partis coram eo æqua lance caussa librata, quæ esset sedes metropolitica pleniùs appareret. Scripsit etiam idem Nicolaus, sicut ex authentico ipsius apparet, Salomoni tunc Regi Britannorum, & uxori ejus, ut idem Festinianus idoneum mitteret ad Rom. Ecclesiam ex proprio clero legatum, qui scripta fidei catholicæ documenta deferret, & eundem Festinianum ita credere & servare de cetero juramento firmaret. quod, nisi Palleum ei dispostuisset per eundem legatum transmittere, non mandasset. Verùm eodem Nicolao sublato de medio, cùm nuncij Dolen. Ecclesiæ ad apostolicam sedem accessissent, bonæ memoriæ Adrianus Papa eidem Festiniano Palleum cum privilegio destinavit, quod pars Dolen.

In Actis Concilij Tullensis apud Tusiacum vocatur Fastcarius.

Ecclesiæ per scriptum authenticum non probavit. Præterea, quòd temporibus Ioannis VIII. Ecclesiæ Dolensi Archiepiscopus præsideret, nixa est pars eadem comprobare per litteras ejus, quas Mayn. Archiepiscopo destinavit & ceteris Episcopis per Britanniam constitutis. Ceterùm cùm quidam juvenis felicis recordationis Gregorio VII. consecrandus fuisset à Dolen. Ecclesia præsentatus, ipse juvene illo propter minorem ætatem repulso, I. tituli S. Melanij Abbatem in Dolen. Archiepiscopum consecravit, ei & successoribus ejus Pallei usum indulgens, & mandans Episcopis Britanniæ ut ei tanquam Archiepiscopo reverentiam & obedientiam exhiberent. Quæ quoniam authentica non habebat, per Vrbani II. litteras voluit edocere. Felicis enim record. Vrbanus II. Rotlando Dolen. Archiepiscopo (juramento ab ipso recepto quòd memoratus G. prædecessor ipsius prędecessori ejusdem R. & successoribus ejus usum Pallei concessisset, sicut in transcripto litterarum ipsius Gregorij, quarum authenticum se habere juravit, erat expressum) munus Pallei ex apostol. sedis liberalitatē concessit, licèt ipsi mandasset, ut exhibere se nullatenus recusaret ad discutiendam querimoniam quam Turonen. Archiepiscopus de subjectione Dolen. Ecclesiæ & obedientia sibi negata tam apud ipsum quàm prædecessores ejus fecerat sæpe proponi. Idem etiam eum in litteris quas Principibus & populo Dolen. Ecclesiæ destinavit pro justitiis ejusdem Ecclesiæ, duxit Archiepiscopum nominandum; sicut per scriptum authenticum pars eadem demonstravit. Piæ quoque memorię Paschalis II. Baldrico Dolen. Archiepiscopo à Gerardo tunc Engolismen. Episcopo auctoritate sedis apostolicæ instituto Palleum, plenitudinem scilicet officij pastoralis, indulsit, ut eo secundùm consuetudinem prædecessorum suórum uteretur. Præterea in synodo à bonæ mem. Calixto Papa celebrata Remis, B. Dolen. Archiepiscopus cum duobus suffraganeis suis interfuisse legitur, & ad ipsam priùs tanquam Archiepiscopus evocatus. Honorius insuper cùm prædictum G. tunc Engolismen. Episcopum tanquam Legatum suum & ap. sedis Vicarium destinaret, inter alios legitur B. Archiepiscopo Dolen. scripsisse ut eum reverenter susciperet, & ipsi humiliter obediret. qui etiam B. quatuor suffraganeos habuisse probatur. Ad hæc, felicis me. Innocentius Papa prædecessor noster G. Dolen. Archiepiscopum & suffraganeos ejus ad Concilium, quod Pisis postea celebravit, legitur evocasse, & ad querimoniam ejus citasse Archiepiscopum Turon. ut super subjectione, quam à Dolen. petebat, justitiam ostenderet Ecclesiæ Turon. & eidem Dolen. de Aleten. diœcesi responderet. In quo etiam piæ me. Cel. eundem prædecessorem suum Innocentium est secutus. Et licèt bonæ me. Lucius Papa II. præd. noster contra Dolen. Ecclesiam pro Turon. sententiam promulgarit, semper tamen Dolen. Ecclesia in libertatis possessione permansit; cùm, sicut in scripto etiam ab adversa parte inducto perspicitur contineri, concessum fuerit ut G. tunc Dolen. Archiepiscopus, quandiu Ecclesiæ præesset eidem, usum Pallei non amitteret, nec alij quàm Ro. Pontifici subjaceret. Idem etiam G. cùm ad Capuanæ sedis metropolim aspiraret, in via cum Turonensi Archiepiscopo dicitur collusisse, nec bene defendisse caussam Dolen. Ecclesiæ, à qua tam corpore quàm animo discedebat, cùm statim post sententiam transierit ad Ecclesiam Capuanam. Oliverius quoque successor ipsius electus, eosdem suffraganeos, quos G. præd. ejus habuerat, habuit, & in Dolen. Ecclesia ministravit, sicut per plures testes fuerat comprobatum. Adjecit etiam pars Dolen. quòd processu temporis bonæ me. Eugenius Papa prædecessor noster felicis record. B. Clarevallen. Abbatem ad sopiendam inter easdem Ecclesias controversiam destinavit: cujus statutum servare noluit Ecclesia Turonensis. Ceterùm cùm H. postmodum Dolen. electus propter illiteraturam suam apostolico se timeret conspectui præsentare, cum Cantore & quatuor aliis Canonicis Dolensibus Andegavis, quasi cum Turonensi compositurus, accessit; & exinde contra prohibitionem Cantoris & alterius Canonici senioris, cum tribus junioribus Turonen. adiit civitatem; & corruptis aliis tribus Canonicis per collationem præbendarum, & salvo jure Dolen. Ecclesiæ jurare inductis se servaturos quod oblata eis chartula continebat, à Turonen. Archiepiscopo munus consecrationis accepit. Quòd autem idem H. tres

juvenes memoratos corruperit, uni scilicet archidiaconatum, alteri præbendam conferens, tertio præbendam susceptam de manu laïcali confirmans, quòd Cantor & socius ejus eidem H. ne Turonis accederet curaverint districtiùs inhibere, quòd iidem juvenes salvo Dolen. ecclesiæ jure juraverint, quòd idem H. adulterinum sigillum habuerit, eadem pars per suos testes sufficienter asseruit fuisse probatum. Adjectum est etiam, quòd litteræ nomine Dolen. Capituli super ipsius H. præsentatione confectæ, veræ non essent; utpote in quibus nomen præmittebatur Decani, cùm Decanus nullum haberet in eadem Ecclesia personatum, sed Cantor primum locum potiùs obtineret. Idem etiam H. in professione quam fecit Archiepiscopo Turonen. se non Episcopum sed Archiepiscopum nominavit. Ceterùm cùm idem H. propter prædicta non fuisset à Dolen. receptus, ad apostolicam sedem accedens, à bonæ memoriæ Adriano Papa prædecessore nostro ab obedientia fuit, quam Turon. Archiepiscopo in consecratione sua promiserat, absolutus. Sed hoc non potuit pars eadem per litteras authenticas demonstrare. Cui cùm Dolen. Ecclesia ab eodem Adriano Papa usum Pallei, tum ex tenore concordiæ quam inter se & Turon. Archiepiscopum factam fuisse confitebatur, tum ex antiqua consuetudine, postularet; nuncij verò Turon. Ecclesiæ compositionem quandam factam per Abbatem de Fontanis, in qua Dolen. Ecclesiam suffraganeis renuntiasse dicebant, peterent confirmari, addentes quòd sic fuerat à præfato Lucio Papa prædecessore nostro de fratrum consilio per sententiam diffinitum, parte Dolen. Eccl. prædictam compositionem & sententiam non tenere dicente, cùm is qui in Dolen. Ecclesia tunc præsulatus gerebat officium, dolum adhibuisset & fraudem, utpote qui cùm jam ad Capuanam metropolim aspiraret, nihil ad commodum Dolen. Ecclesiæ allegavit, cùm & Dolen. Ecclesia præsens in examinatione negotij non fuisset, idem etiam Adrianus prædictam compositionem omnino cassavit, & eam vires censuit non habere, eidem H. Pallei usum indulgens; ac E. tunc Archiepiscopo Turonen. præcipiens ut aut cum eo super suffraganeis conveniret, aut usque ad festum sancti Michaëlis proximò tunc venturum plenam ei exhibiturus & recepturus justitiam apostolico se conspectui præsentaret, interim autem ipsum vel Clericos ejus excommunicationis vel interdicti sententia non præsumeret aggravare. Iterum etiam idem Adrianus ad festum omnium sanctorum citavit partem Ecclesiæ Turonen. & eundem H. frequenter in litteris suis Archiepiscopum nominavit, quod ex scriptis authenticis pars eadem demonstravit. Insuper bonæ memoriæ Alexander Papa eundem Adrianum prædecessorem suum postmodum imitatus, dictum H. nominavit Archiepiscopum, & te non semel sed & sæpius & tandem peremptoriò evocavit, ut ad apostolicam sedem accederes, Roll. tunc Dolen. electo de suffraganeis responsurus. Asseruit etiam idem Alexander in suis litteris, sicut ex earum inspectione patebat, quòd dictus Adrianus prædecessor ipsius quæstionem illam, quæ inter Turon. & Dolen. Ecclesias per sententiam terminata fuerat, cœperat retractare. Vnde volens pleniùs super caussa ipsa cognoscere veritatem, cùm utraque parte præsente à Roll. tunc Dolen. electo restes recepisset inductos, & depositiones eorum super quibusdam capitulis admisisset, G. tunc Senonen. H. Baiocen. & Abbati sanctæ Genovefæ & Decano Baiocen. tam testes, quos ipse receperat super quibusdam aliis capitulis audiendos, quàm alios ab alterutra partium inducendos, recipiendos, & audiendos super possessione subjectionis, in qua te tu, frater Archiepiscope, esse dicebas, vel libertatis, in qua se idem tueri nitebatur electus, super capitulis certis commiserit, quem Lucius etiam successor ipsius in hoc imitatus Cenoman. Decano, I. de Veteriponte Arcbidiacono Rothomagensi, Ianuen. Præposito sanctæ Mariæ de Castell. per suas litteras idem injunxit: qui juxta mandatum apostolicum procedentes, receperunt testes super prædictis capitulis inductos à partibus, & eorum depositiones redigentes in scriptis, sub sigillis suis ad sedem apostolicam transmiserunt. Ex his ergo concludens Dolen. Ecclesia postulabat, ut cùm in libertatis semper possessione fuisset, dictum electum Iohannem per dilectum filium nostrum Ior. tituli sanctæ Pudentianæ Presbyterum Cardinalem, tunc apostolicæ

Vide Notas.

sedis Legatum, auctoritate apostolica confirmatum, consecrare in Archiepiscopum & ei usum Pallei curaremus de solita sedis apostolicæ benignitate conferre. Ceterùm ex parte Turonen. Ecclesiæ fuit ad prædicta responsum, quòd cùm olim tota Britannia fuisset Turonen. Ecclesiæ tanquam metropoli suæ subjecta, Britannis tandem conspirantibus contra Regem Francorum, & proprium sibi constituentibus Regem, occasione beati Sansonis quondam Eboracen. Archiepiscopi, qui, dum in partibus Britanniæ pateretur exilium, in Dolen. Ecclesia cum archiepiscopalibus insignibus ministrarat, Doleo. Ecclesia contra Turonensem supercilium elationis assumpsit, Britannis volentibus sibi novum Archiepiscopum, sicut novum Regem creaverant, suscitare. Vnde bonæ memoriæ Nicolaus Papa prædecessor noster Salomoni tunc Regi Britanniæ scribens, quòd omnes Episcopi regni ejus suffraganei essent Ecclesiæ Turonen. per litteras suas expressit, adjiciens tandem; ut si contentiosus agere vellet, ad sedem ap. destinaret; ut quæ esset sedes metropolitica, per ejus judicium appareret. In aliis etiam litteris directis eidem Turon. Ecclesiam metropolim esse Dolen. Ecclesiæ, sicut ex prædecessorum suorum monimentis & exemplis priorum patere dicebat, asseruit, & Festiniano Dolen. Antistiti scribens, quòd Turon. Ecclesia metropolis ejus esset se comperisse, sicut ex litteris ejus apparet, rescripsit; necessarium esse adjiciens, ut eam Dolen. Episcopi sequerentur, & ipsam in negotiis suis adirent, nec exquirere ipsius judicium detrectarent, sicut per monimenta prædecessorum suorum & exempla priorum dicebat ostendi; addito, ut idem Festinianos se Metropolitanum nullatenus appellaret, quousque scripta Romanorum Pontificum, quæ in acceptione Pallei ejus antecessores acceperant, destinaret; cùm in regestis Siri & Adriani nullatenus invenisset quòd Bestovaldo & Iunemeno prædecessoribus ejusdem Festiniani, sicut scripserat, usum Pallei concessissent. Præterea Iohannes Papa prædecessor noster Episcopis Britanniæ interdixit, ne joti Ecclesiæ Turon. resisterent super omnibus quæ Turon. Archiepiscopus ad suam pertinere metropolim asserebat, donec utraque partium ad apostolicam sedem accederet, ut ibidem eadem caussa finiretur; adjiciens quòd si aliter agerent, se scirent excommunicationis sententiæ subjacere, & ab omni ecclesiastico beneficio esse suspensos. Quem piæ record. Leo Papa successor ipsius postmodum imitatus, se in scriptis veterum reperisse asseruit omnes Episcopos Britanniæ Turonen. Archiepiscopo subjacere; adjiciens quòd cùm ad eum in Remeo. Concilio super hoc quæstio delata fuisset, statuerat ut Doleo. pseudoarchiepiscopus cum suis subjectis Rom. Concilio interesset, non solùm super hoc, sed etiam de simonia responsurus. quod quia implere contempsit, eum & omnes Episcopos qui ei adhæserant excommunicationis sententia innodavit; sic scilicet, ut nec peragerent divinum officium, nec audirent, nec etiam benedicere attentarent. Tandem verò cùm utraque partium super hoc coram felicis record. Gregorio Papa VII. prædecessore nostro diutiùs litigasset, idem Gregorius post longam discussionem in Romana synodo, utraque parte præsente, & caussa non sine multo labore discussa, contra Dolen. Ecclesiam sententiam promulgavit; ut nisi fortè Britanni à subjectione ejusdem Ecclesiæ se possent authentica sedis apostolicæ auctoritate tueri, Turonen. Ecclesiam matrem suam & metropolim recognoscerent, & eam quam decet Metropolitanum subjectionem & obedientiam Turonen. Archiepiscopo exhiberent; usu Pallei tunc Dolen. electo reservato, sic tamen ut nullus successor ejus ad dignitatem hujusmodi aspiraret, sed tam ipsi quàm ceteri Episcopi Britanniæ sub Turonen. Archiepiscopi magisterio perpetuò permanerent. Ad quod melius cognoscendum idem Gregorius Legatos sedis apostolicæ in provinciam destinavit: qui congregato Concilio Xaoctonis, auditis propositis, cùm Dolensis Ecclesia nullum ad suæ defensionis præsidium apostolicæ sedis privilegium induxisset, sed quasdam litteras potiùs sub nomine Adriani Papæ confectas, quas P. Clericus Dolen. antistitis ipso audiente ac tacente in regesto Rom. Ecclesiæ se mentitus fuerat reperisse, & quas idem Antistes falsatas esse in versiculo, in quo de datione Pallei fiebat mentio, recognovit, quod Gregorius sub conditione statuerat purè curaverunt & simpliciter diffinire; scilicet, ut

Hanc Leonis IX. epistolam edidit Ioann. Cordesius in appendice epistolarum Hincmari.

tam idem Dolen. quàm ceteri Britanniæ Epiſcopi perpetuam deinceps ſubjectionem & obedientiam exhiberent Archiepiſcopo Turonenſi. quod prædictus Dolenſi. in manu dicti Gregorij Papæ poſt datum judicium promiſerat ſe facturum. Quamvis autem prædictorum Iohannis, Leonis, Gregorij, & Legatorum ejus pars eadem authentica non haberet, ea tamen authentica eſſe per bonæ memoriæ Vrbani II. authenticum demonſtravit. Cùmque poſtmodum R. Doleo. Epiſcopus memorati Vrbani Papæ ſe conſpectui præſentaſſet, juramento firmavit quòd prædictus Gregorius præd. ejus, ſalva querimonia Turonen. Eccleſiæ, Pallei uſum conceſſerat, ſic tamen ut ſi etiam Dolen. Eccleſia in cauſſa fuccumberet, uſum Pallei nihilominus retineret. quod per quaſdam litteras ejuſdem Gregorij oſtendere nitebatur. Propter quod Vrbanus ei Pallium indulſit. Ceterùm cùm R. Turonen. Archiepiſcopus ad ejus præſentiam acceſſiſſet, & quod per eundem Gregorium & Legatos ejus diffinitum fuerat demonſtraſſet, idem Vrbanus de conſenſu partium certum terminum partibus aſſignavit: ad quem ſi qua partium non veniret, cauſſæ ſuæ periculum ſuſtineret. Vnde Turonenſi ad terminum veniente, Dolenſi verò per nuncium ſuum excuſationes ſolummodo prætendente minùs legitimas, cauſa cognita, de conſilio fratrum ſuorum ſancivit ut tam Dolenſis quàm ceteri Epiſcopi Britanniæ Turonen. Eccleſiam ſuam eſſe metropolim recognoſcerent, & debitam ei reverentiam exhiberent, nec ullo ulteriùs tempore poſt Roll. obitum ad uſum Pallei Dolen. Epiſcopus aſpiraret; ſicut in ejus authentico perſpeximus contineri. Idem etiam Vrbanus Epiſcopis Britanniæ ſuam ſententiam denuntians, præcepit ut Turonen. ſicut Archiepiſcopo ſuo in poſterum obedirent. Cùm autem poſtmodum tempore bonæ memoriæ Lucij Papæ ſecundi cauſſa eadem fuiſſet ad apoſtolicæ ſedis audientiam procurante Dolen. Eccleſia revocata, ipſe utraque parte præſente latam ab eodem Vrbano Papa ſententiam confirmavit, & Turonen. Eccleſiam ſuper Dolenſis & aliorum Epiſcoporum Britanniæ obedientia per baculum inveſtivit; præcipiens ut tam Dolenſis quàm ceteri Epiſcopi Britanniæ Turon. Eccleſiæ tanquam propriæ me-

Factum iſtud in Concilio Claromontano.

tropoli ſubjacerent, & ei debitam obedientiam & reverentiam exhibere curarent; hac tamen moderatione habita, ut G. tunc Dolen. Epiſcopus retineret uſum Pallei, quoad viveret, & Romano tantùm Pontifici ſubjaceret, ſed poſt ipſum nullus Dolen. Epiſcopus ad uſum Pallei aſpiraret; ſicut in oſtenſo nobis ipſius authentico privilegio continetur. Qui etiam Brioceo. & Trecor. Epiſcopos ab obedientia Dolen. abſolvit, & ut Turonenſi Archiepiſcopo reverentiam & obedientiam exhiberent, injunxit; adjiciens, quòd ſi mandati eſſent apoſtolici contemptores, ſententiam quam Turonenſis proferret in eos, ratam haberet, & faceret inviolabiliter obſervari. Mandans etiam Comiti & Baronibus Britanniæ, ut ſententiæ nullatenus obviarent, ſed eam paterentur executioni mandari. alioquin ratam haberet ſententiam quam Turonenſis Archiepiſcopus in contradictorem quemlibet promulgaret. Hanc autem ejuſdem Lucij ſententiam Eugenius & Anaſtaſius ſucceſſores ipſius auctoritate apoſtolica confirmarunt, & idem Eugenius ratam habuit excommunicationis ſententiam quam in Dolenſes & Brioceuſes Clericos E. tunc Turon. Archiepiſcopus propter eorum inobedientiam promulgarat. Tandem verò Dolenſi Eccleſia ſententiæ parere coacta, Hugonem tunc electum ſuum conſecrandum per X. Dolen. Canonicos & Clericos cum decreto Capituli ſubſcriptiones Canonicorum omnium continente, abſolutione recepta ab Archiepiſcopo Turon. eidem Archiepiſcopo præſentavit, & ei profeſſionem fecit, ſicut alij ſuffraganei Archiepiſcopo ſuo facere conſueverunt, ac rediens à Clero & populo Dolen. fuit cum proceſſione receptus. Et licèt idem H. poſtmodum, ſicut ab adverſa parte proponitur, Pallium & abſolutionem obedientiæ, quam in conſecratione ſua exhibuerat Eccleſiæ Turonenſi, tacita de latis ſententiis veritate, & falſitate ſuggeſta, ſcilicet quòd ille qui tunc in Dolen. Eccleſia præſulatus gerebat officium, fraudem adhibuerat, nec ſufficienter partem Dolen. Eccleſiæ defenderat, à ſede apoſtolica impetraſſet, rediens tamen eidem Archiepiſcopo debitam obedientiam exhibere curavit, & ſe teneri recognovit eidem, ad Concilium ejus vocatus acceſſit, & tam ei quàm I. ejuſdem Archie-

piscopi successori obedientiam, sicut suo Metropolitano, reverenter impendit, sicut per testes fuerat legitimè comprobatum. Qui cùm tandem, quia transgressus fuerat proprium juramentum, ab eodem I. fuisset excommunicationis vinculo innodatus, tandem cœcitate percussus, pœnitens, & de perjurio sponte confessus, absolutionis ab eo beneficio impetrato, annulum etiam ei resignavit. quod totum per testes fuerat comprobatum. Idem quoque Adrianus in litteris quas pars adversa super Pallio eidem H. concesso inducit, inter cetera protestatur quòd quia super controversia proposita plenam non poterat cognitionem habere, cùm altera pars in negatione consisteret, & se non habere mandatum penitùs affirmaret, nihil ab eo fuerat super eodem negotio terminatum. Felicis etiam recordationis Alex. Papa prædecessor noster de sententia Lucij, confirmatione Eugenij & Anastasij, concordia H. & Pallio ipsi H. ab Adriano Papa concesso habita mentione, Turonensi Ecclesiæ in Dolensem jus metropoliticum reservavit, mandans Dolen. Capitulo ut si forsan in personam idoneam convenisset, eam Turonensi Archiepiscopo confirmandam & consecrandam, si electionem factam inveniret canonicè, præsentaret, & consecraturus ei debitam obedientiam & reverentiam secundùm Ecclesiæ consuetudinem exhiberet; adjiciens, quòd si per Legatos sedis apostolicæ eorum esset electio confirmata, & electus etiam consecratus, nihilominus ad eundem Archiepiscopum vocatus accederet, & ei obedientiam exhiberet. Quòd si forsan ab eo vocatus, ad præsentiam ejus infra tres menses accedere non curaret, ex tunc idem Alexander ipsum ab administratione temporalium & executione officij, quod post electionem susceperat, suspendebat; sicut per ejus authentica patuit manifestè. Nec nocuit nec nocere potuit Ecclesiæ Turon. quòd idem Alexander fortè in favorem Dolen. electi citavit partes, testes recepit, & aliis recipiendos commisit, cùm non in præjudicium alterutrius partium id intelligatur egisse; præsertim cùm tibi etiam ad Turon. metropolim evocato, Dolen. diocesis in pulsatione campanarum & causarum delatione detulerit, & Abbas sancti Iacuti, qui est de Dolen. diocesi, ad

Vide Robertum de Monte in appendice ad Sigibertum, ad an. 1161.

Concilium tuum vocatus accesserit, & tibi etiam curaverit obedientiam exhibere. Nos ergo diligenter auditis quæ fuerunt hinc inde proposita, & rationibus & allegationibus partium cum instrumentis & attestationibus sufficienter inspectis, de fratrum nostrorum & tam Archiepiscoporum quàm Episcoporum existentium apud apostolicam sedem consilio petitionem Dolen. Ecclesiæ interlocuti sumus non esse aliquatenus admittendam, cùm probatum non esset Dolen. Ecclesiam in libertatis possessione, sed Turonensem potiùs in subjectionis ipsius possessione manere. Ad abundantiorem autem cautelam, ab eodem electo coram fratribus nostris quæsivimus si Dolen. Ecclesia jam probasset vel adhuc posset probare dolum quem præfatus G. Dolen. Archiepiscopus dictus est commisisse, per quem pars Dolen. Ecclesiæ remansisse proposita fuerat indefensa. Qui respondit quòd dolus ille nec probatus fuerat, nec poterat comprobari; cùm sæpedictus G. & qui cum eo venerant in Apuliam transeuntes; nunquam postea remearint. Et quamvis caussa non super proprietate, super qua sæpe fuerat sententialiter diffinitum, sed super possessione tantùm subjectionis & libertatis commissa sub certa forma fuisset, ad omnem tamen occasionem tollendam, liberam ei concessimus facultatem, ut ex his quæ acta fuerant adhuc summatim de proprietate proponeret, si quid posset rationabiliter allegare. Audientia ergo sibi propter hoc publica in consistorio bis indulta, quia præter præmissa nihil ad commodum partis suæ potuit allegare, cùm quasi prænosceret quòd deberet in causa succumbere, electioni renuntiare voluit in manibus nostris, & à commissa sibi & sociis suis à Dolen. Capitulo super eadem caussa procuratione cessare. Nos autem nolentes hominum malitiis indulgere, nec renuntiationem recepimus, nec passi fuimus ut à commisso sibi & sociis suis à Dolen. Ecclesiæ super eadem causa procuratoris officio resiliret. Ipso igitur nihil quod ad caussam suam faceret postmodum proponente, cùm ipsum negotium diù quidem cum multa diligentia nos & fratres nostri sufficientissimè discussetimus, præmissis & aliis multis rationibus per idoneos advocatos ab utraque parte prudenter inductis, quas

propter prolixitatem superfluam in hac pagina prætermisimus annotare, de communi fratrum nostrorum consilio, auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra, utraque parte præsente, prædictas prædecessorum nostrorum sententias confirmantes, decernimus, statuimus, & sancimus ut Dolen. Ecclesia perpetuis semper temporibus suffraganea plenè subjaceat Ecclesiæ Turonen. & debitā ei tanquam suæ veræ metropoli reverentiam & obedientiam cum aliis suffraganeis Ecclesiæ Turon. impendat, nec unquam Dolen. Episcopus ad Pallei usum aspiret. Et ne causa toties diffinita de cetero valeat in contentionis scrupulum refricari, si qua posthac instrumenta vel argumenta pro parte Dolen. Ecclesiæ possent quomodolibet inveniri, nos auctoritate apostolica nihil ea penitùs valitura censemus. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notatij, Cancellarij vicem agentis, Kal. Iunij, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno secundo.

ARCHIEPISCOPO ET Capitulo Turonensi.

Epist. 83. De eodem argumento.

AD convincendam malitiam & improbitatem eorum qui contra rationes & jura venire non metuunt, sedes apostolica consuevit rigorem & severitatem aliquoties temperare, ut vincens in bono malum, omnem auferat materiam murmurandi. Hoc enim quidam prædecessorum nostrorum in caussa quæ vertebatur inter Turon. & Dolen. Ecclesias fecisse noscuntur, qui contra res judicatas & per sententias sedis apostolicæ sæpius diffinitas Dolensi audientiam in judicio præstiterunt, cùm contra res judicatas nullo juris remedio valeat attentari; ita quòd & judicis inferioris sententia, quæ legitima non est appellatione suspensa, postquam in rem transierit judicatam, ut contra jus litigatoris prolata, retractari de jure non debet, ut sic finis litibus imponatur. Nos quoque postquam causam illam, quæ commissa fuerat à bonæ memoriæ Alexandro & Lucio prædecessoribus nostris inter ipsas Ecclesias super possessione tantùm subjectionis & libertatis, rationibus utriusque partis & allegationibus cum instrumentis & attestationibus diligenter auditis & cognitis, pro Turonensi contra Dolensem canonicè terminavimus, ad abundantiorem cautelam benignam adhuc ipsis Dolensibus indulsimus facultatem, ut quoniam in examinatione illius causæ multa fuerunt in diversis articulis coram nobis & fratribus nostris utrinque de proprietate proposita, summatim, non quasi litem contra priores sententias contestando, sed ut ex his quæ fuerunt actitata, de proprietate, si possent, aliquid pleniùs & efficaciùs allegarent, per quod fortè posset ostendi an aliquid fuerit omissum, sicut ipsi frequentiùs asseruerant, propter quod ipsa Dolen. Ecclesia in prioribus judiciis remanserit aliquatenus indefensa. Sed cùm præter illa quæ priùs multipliciter allegaverant, nihil postea commodiùs allegārent, nos ex allegationibus ipsis nihil penitùs audientes quod contra vires priorum sententiarum animum nostrum posset aut deberet aliquo modo movere, dictas prædecessorum nostrorum sententias confirmavimus, statuentes ut Dolen. Ecclesia tanquam suæ veræ metropoli perpetuis semper temporibus suffraganea plenè subjaceat Ecclesiæ Turonen. nec unquam Dolen. Episcopus ad Pallij usum aspiret. Et ad omnem malitiam convincendam decrevimus ut ne lis toties diffinita posset ulteriùs refricari, si qua post hæc argumenta vel instrumenta pro parte Dolen. Ecclesiæ contingeret inveniri, tanquam nihil penitùs valitura, omni prorsùs utilitate carerent. Vt autem de ordine processus istius nulla possit in posterum dubitatio suboriri, has vobis literas ipsum processum compendiosiùs continentes duximus in testimonium concedendas. Datum Laterani IV. Nonas Iunij.

REGI FRANCORVM.

Epist. 84. De eadem re.

VEntilata diutiùs & quasi frustra sæpius sopita contentio, quæ inter Turonen. & Dolen. Ecclesias vertebatur, usque adeo statum generalis Ecclesiæ hactenus molestavit, ut non solùm Dolen. doleret Ecclesia, & metropolis Turon. turbaretur, sed prædecessorum nostrorum aures utriusque sæpius querela pulsaret, & ipsi frustra quodammodo visi fuerint laborasse. Nam etsi frequenter ad Romanam curiam quæstio ipsa

perlata fuisset, & per multos prædecessores nostros non tantùm semel sopita, sed sæpe, nihilominus tamen super ea nos oportuit laborare; nec fuit per Dei gratiam labor noster inanis, sed principium nostrum finis est debitus subsecutus. Siquidem cùm utraque partium ad citationem nostram apostolico se conspectui præsentasset, auditis quæ fuerunt hinc inde proposita, rationibus, allegationibus, & attestationibus, & instrumentis partium diligenter inspectis, de communi fratrum nostrorum consilio sententiam dictavimus pro Ecclesia Turonensi, auctoritate apostolica decernentes ut Dolen. Ecclesia suffraganea semper existat Ecclesiæ Turonensis, & ei tanquam suæ veræ metropoli reverentiam, honorem, & subjectionem semper impendat, nec ullo unquam tempore ad usum Pallij Episcopus Dolensis aspiret. Ideóque serenitatem regiam monemus & exhortamur attentiùs; ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus latam à nobis sententiam, quantum in te fuerit, & tu ipse conserves ulteriùs, & facias ab aliis observari, eandem Ecclesiam Turon. in suis justitiis & manutenens & defendens. Datum Laterani II. Kal. Iunij.

Epist. 85. *In eundem modum Comitissæ & A. filio ejus, & universis Baronibus Britanniæ, usque ad verbum* observari; Turon. Ecclesiam vestram recognoscentes metropolim, & ad eam, in quibus necesse fuerit, devotè & humiliter currentes. Alioquin sententiam quam in vos propter hoc canonicè tulerit Ecclesia Turonensis, ratam habebimus, & faciemus auctoritate nostra inviolabiliter observari. Datum eadem.

Epist. 86. *In eundem modum Clero & populo Dolen. usque ad verbum* aspiret. Ideóque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus latæ à nobis sententiæ devotè ac sine omni contradictione parentes, Turonen. Ecclesiam, videlicet metropolim vestram; curetis humiliter revereri, & ad eam in quibus necesse fuerit, & jus metropolitanum postulat, recurratis. Alioquin sententiam quam in vos propter hoc canonicè tulerit, ratam habebimus, & faciemus auctoritate nostra inviolabiliter observari. Datum eadem.

Epist. 87. *In eundem modum Capitulo Dolen. usque ad verbum* recurratis. Volumus etiam, & sub eadem sententia districtè præcipimus, quatenus dilectum filium electum vestrum consecrandum venerabili fratri nostro Turon. Archiepiscopo, omni appellatione, contradictione, & occasione cessantibus, præsentetis: qui ei more suffraganeorum Turon. Ecclesiæ professionem faciat, & obedientiam promittat. Quod nisi infra duos menses, postquam requisiti fueritis, volueritis adimplere, sententiam quam propter hoc idem Archiepiscopus in vos canonicè tulerit, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Epist. 88. *In eundem modum Archiepiscopo Rothomagen. & suffraganeis ejus usque ad verbum* aspiret. Ideóque fraternitati vestræ per ap. scripta mandamus quatenus latam à nobis sententiam, quantum in vobis fuerit, & vos observetis ulteriùs, & faciatis ab aliis observari, nec alicui de Dolen. diœcesi chrisma vel alia sacramenta ecclesiastica ministretis, nisi de consensu Ecclesiæ Turonensis. Sententiam insuper quam venerabilis frater noster Archiepiscopus Turonen. in dilectos filios electum & Capitulum Dolen. propter contumaciam seu inobedientiam eorum canonicè tulerit, usque ad satisfactionem congruam per diœceses vestras ratam faciatis & firmam haberi. Datum ut suprà.

PRIORI ET CONVENTVI de Nostlat.

Epist. 89. De confirmatione privilegiorum. CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, de Felechiurche, de Fedrestam, de Batteleya, & de Warnefeld Ecclesias; quas monasterio vestro bonæ me. B. Eboracen. Archiepiscopus canonicè contulit, sicut eas justè ac pacificè possidetis, & in authentico ipsius Archiepiscopi pleniùs continetur, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apo. confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani II. Nonas Iulij.

PRIORI ET CANONICIS de S. Osuvaldo.

Epist. 90. Ejusdem argumenti. IVstis petentium &c. *usque ad verbum* assensu, Ecclesias de Boolton, de Sudcherchebi, de Rouvelle, & de Felechurche, sicut eas justè ac pacificè possidetis; ad exemplar felicis recordationis C. Papæ prædecessoris nostri, vobis & per vos

Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani III. Idus Iunij.

MASSILIEN. ET AGATEN. Episcopis.

Epist. 91. Vt curam susci piant restaurãdi monasteria in insulis Arearum. *Cap.* Cùm dilectus. *De his quæ vi metúsve causa fiu it.* Vide suprà lib. 1. epist. 274.

CVm dilectus filius Abbas de Floreia nuper ad nostram præsentiam accessisset, nobis exposuit diligenter, & hoc ipsum Abbatis insularum & aliorum quorundam litteræ continebant, quòd in insulis Arearum fratres Cistercien. quondam fuerant commorati; sed eis in captivitatem paganorum deductis; quoniam locus mari erat vicinus, illuc se quidam regulares Canonici transtulerunt, qui licèt jam per annos triginta Canonicorum regularium habitum portavissent, opera tamen contraria regularibus faciebant, sed ad se Domino inspirante reversi, monasticum ordinem ibidem plantari volebant secundùm Cistercien. instituta. quod etiam diocesanus Episcopus affectabat. Vnde nos ad Abbatis ipsius instantiam venerabili fratri nostro Arelaten. Archiepiscopo dedimus in mandatis, ut si diocesani Episcopi & eorundem fratrum in idipsum desideria convenirent, Cistercien. monachos institueret in insula memorata, facturus de Canonicis quod crederet expedire secundùm canonicam honestatem. His igitur litteris impetratis, idem Abbas de Floreia reversus ad propria, priùs quàm eas ad dictum Archiepiscopum detulisset, cum venerabili fratre nostro Tolonen. Episcopo ad locum memoratum accessit, & omnium fratrum ibidem manentium in tantum obtinuerunt assensum pariter & favorem, quòd Abbas insularum claves domus & seipsum in manibus alterius Abbatis tradidit, professione facta cum quibusdam ex Canonicis de Cistercien. ordine in posterum observando. quod & quidam Canonicorum in manu ejusdem Abbatis de Floreia sacramento præstito firmaverunt, osculo dato eidem, quòd usque in finem in eodem ordine permanerent. aliis promittentibus per juratoriam cautionem quòd per se vel alios contra factum istud de cetero non venirent, jurantibus reliquis quòd super provisione sua starent arbitrio Episcopi memorati, & nobilis viri G. de Fossa Sacristæ, qui aberat, assensu probato per testes. quod postmodum rediens est confessus. Consequenter verò idem Episcopus & Abbas de Floreia dicto Archiepiscopo Arelaten. per suas litteras intimarunt quòd diocesanus Episcopus & Canonici memorati translationem Cistercien. fratrum illuc fieri unanimiter appetebant. quod acceptans Archiepiscopus memoratus, factum eorum auctoritate qua fungebatur apostolica confirmavit, vices suas eis in hac parte committens, ut quæ bene inceperant de instituendo ibi ordine Cisterciensi, vice ipsius perducerent ad effectum. Cujus mandatis parentes humiliter & devotè, quæ ipsis injuncta fuerant curaverunt ducere ad effectum, dantes generali Cisterciensi Capitulo in mandatis ut in prædicto loco suum ordinem instituere procurarent. Petebatur itaque pro jamdicto Abbate de Floreia translationem factam ratam à nobis haberi, & auctoritate sedis apo. confirmari, transgressores etiam & contradictores omnes, qui contra vota & juramenta præstita nitebantur quod ab eis factum fuerat impedire, canonica pœna percelli. Ceterùm F. Sacrista, P. Warardi, & P. Guil. coram venerabili fratre nostro P. Portuen. Episcopo, quem ipsis & parti alteri dedimus auditorem, processum negotij aliter proponebant. Cùm enim prædicto Arelaten. Archiepiscopo causa fuerit à nobis sub forma, quam præmisimus, delegata, præfatus Abbas accedens ad locum cum Episcopo Tolonen. priùs quàm literas nostras Archiepiscopo præsentasset, qui juxta tenorem ipsarum de singulis debebat inquirere diligenter, motu proprio cum socia multitudine insulam occupavit, constanter affirmans quòd eis volentibus, vel nolentibus, locus idem purè ac simpliciter à nobis sibi fuerat assignatus. Cùmque se in his gravari sentirent, Abbate ipsorum eis omne auxilium denegante, qui contra quosdam de Canonicis odium dicebatur & ingratitudinem concepisse, (unde in ipsorum dispendium super munitione armatos ponere non expavit, amota inde scala, ne facultas esset Canonicis ascendendi) sedem apostolicam appellarunt. Sed dicti Abbates nihilominus ab incepta violentia desistentes, cùm quosdam ex ipsis non possent corrumpere pecuniæ sponsione, quod super his starent mandatis Episc.

copi Tolonensis per violentiam cogere voluerunt. Cùm autem nec quindecim dierum possent inducias obtinere, quas quidam ex ipsis ad deliberandum plenariè postularant, jurare compulsi fuerunt mandato dicti Episcopi & G. de Fossa laïci, qui eis arduæ rupis præcipitium fuerat comminatus, se super præmissis quæstionibus parituros. Alij promiserunt in manu Abbatis, probatione sibi annua reservata, quòd regulam Cistercien. observarent. Aliqui verò nec juraverunt, nec promissionem aliquam facere voluerunt. Hotum ergo tacita veritate, nominati Episcopus & Abbas de Floreia dicto Archiepiscopo suggesserunt quòd diocesanus Episcopus & omnes loci Canonici super institutione Cistercien. unanimiter concordabant. & ita fuit ejus confirmatio impetrata. Sed cùm paucis diebus elapsis præfati Canonici Archiepiscopo cuncta quæ gesta fuerant intimassent, ipse quod in præjudicium eorum factum fuerat, ipsis compatiens, revocavit, restituens eos ad omnia quæ habuerant tempore illo quo literæ fuerant impetratæ, licèt postmodum possessionem eorum prætermisso juris ordine sequestrarit, contradictores omnes excommunicationis gladio percellendo. Et cùm, Canonicis ad restitutionem instantibus, confessiones & attestationes utriusque pàrtis audisset, ad nos duxit ipsum negotium remittendum. Partibus itaque apud sedem apost. constitutis, Canonici spoliati sæpedictum Abbatem de Floreia multipliciter arguebant. Primò, quòd literas à nobis per veritatis suppressionem & expressionem falsitatis studuerat impetrare. Suppressum enim fuerat in illis, quòd Ecclesia de insulis Arearum ad Ro. Ecclesiam solummodo pertineret; sicut ipsius privilegia, quorum ad nos transcripta præfatus Archiepiscopus destinavit, indicant evidenter. Falsitatis verò suggestio inde perpenditur, quòd omnes Canonici translationem ordinis cum diocesano Episcopo pariter affectabant, quod aliter esse ipsorum contradictio liquidò arguebat. Sed neque sæpedictus Tolonensis Episcopus diocesanus erat ipsorum, qui nullo mediante ad Ro. Ecclesiam pertinebant. unde ipsius consensus in hac parte pro nullo erat penitùs reputandus. Secundò, quòd per vim & dolum eos seduxit pariter & coëgit ut quidam eorum votum emitterent, alij juramenta præstarent. Nos ergo rationibus & allegationibus partium per jamdictum Episcopum Portuensem, * qui eas in scriptis nobis exhibuit, pleniùs intellectis, quia constitit nobis de voto emisso & præstito juramento à Canonicis Insularum quòd regulam Cistercien. observarent, vel quòd ordinationem hujusmodi nullatenus impedirent, cùm, utrumque servatum non vergat in dispendium salutis æternæ, nolentes viam perjuriis aperiri, non obstante violentia quæ proponebatur illata, cùm neque metum mortis continuerit neque corporis cruciatum, & ideo non debuerat cadere in constantes, nec obstante dolo quo se proponebant fuisse seductos, cùm talis dolus non tam ad circumventionem Abbatis quàm ad fatuitatem eorum debeat retorqueri, super restitutione petita silentium eis de consilio fratrum nostrorum duximus sententialiter imponendum. Verùm quoniam sæpedicti Episcopus & Abbas de Floreia, fines mandati per suæ temeritatis audaciam excedentes, quod per jamdictum Arelaten. Archiepiscopum, cui causa fuerat delegata, fieri debuisset, per se ipsos facere præsumpserunt, & quia litteræ per suppressionem veritatis & falsitatis expressionem fuerant impetratæ, factum ipsorum tanquam minùs legitimum per sententiam duximus irritandum. Et quia secundùm Apostolum instantia nostra quotidiana est omnium Ecclesiarum solicitudo continua, ne occasione præmissæ discordiæ locus idem remaneat destitutus, & delictum personarum in damnum Ecclesię convertatur, fraternitati vestræ per ap. scripta mandamus atque præcipimus quatenus Deū habentes præ oculis, ad ordinationem ipsius Ecclesiæ vice nostra solicitiùs intendatis; in qua per viros ejusdem ordinis, si fieri poterit, regularium Canonicorum professionem & ordinem volumus reformari. Alioquin, ne locus idem remaneat deformatus, per fratres Cistercien. ordinis eundem reformari volumus & mandamus, correctione prædictorum excessuum nobis in hoc articulo reservata: ita quòd si per solicitudinem & providentiam vestram locus idem Cisterciensibus fuerit assignatus, nullum, quoad jus proprietatis, Ecclesiæ Romanæ præjudicium generetur. quod. In plerisque monasteriis ejusdem ordinis novi-

* In tertia Collect. additur, eisdem auditorem concessum à nobis,

mus obſervari. Taliter autem mandatum apoſtolicum exequamini, ut fraternitatem veſtram, de qua plenè confidimus, debeamus meritò commendare. Quòd ſi præmiſſum locum Ciſtercienſibus duxeritis conferendum, Canonicis memoratis in locis idoneis per vos provideri volumus competenter. Nullis literis &c. præter aſſenſum partium &c. Datum Laterani IV. Idus Iunij.

EISDEM.

Epiſt. 92. [illegible] privilegiorum.

CVm à nobis petitur &c. *uſque ad verbum* aſſenſu, Eccleſiam de Cucheuvald. cum capell. de Silton. & de Brudeford, & omnibus aliis pertinentiis ſuis, ſicut eam juſtè ac ſine controverſia poſſidetis, vobis & per vos Eccleſiæ veſtræ auctoritate apoſtolica confirmamus &c. Decernimus ergo &c. Datum Laterani II. Idus Iunij.

M. PRIORI ET CANONICIS de Novo Burgo.

Epiſt. 93. De confirmatione privilegiorum.

IVſtis petentium &c. *uſque ad verbum* aſſenſu, Eccleſiam de Hovingham, cum omnibus pertinentiis ſuis, ſicut eam juſtè ac ſine controverſia poſſidetis, ad exemplar felicis recordationis C. Papæ prædeceſſoris noſtri vobis & per vos Eccleſiæ veſtræ auctoritate apoſtolica confirmamus &c. Decernimus ergo &c. Datum ut ſuprà.

MAGISTRO ET FRATRIBVS Militiæ Templi.

Epiſt. 94. Pronuntiatur pro illis adverſùs Canonicos ſancti Quintini.

CVm ex conqueſtione veſtra jampridem ad audientiam ſedis apoſtolicæ perveniſſet quòd Canonici ſancti Quintini vobis quaſdam ſubtrahebant de illarum præbendarum oblationibus portiones quas decedentibus Canonicis, ſeu quocunque modo cedentibus, percipitis annuales, felicis recordationis Lucius Papa prædeceſſor noſter cauſam ipſam ſub hac forma venerabili fratri noſtro Arrebaten. Epiſcopo delegavit, ut inſpectis litteris quas ſuper illis annualibus habebatis, ſi qua contra ipſarum continentiam ſubtracta exſtiterent, ea vobis omni appellatione poſtpoſita faceret reſignari, & jamdictis Canonicis inhiberet diſtrictiùs ne quid de proventibus, quos percipere in Eccleſia ipſa debetis, ſubtrahere aliquo modo præſumerent; quod ſi aliquatenus attentarent, ipſos diſtrictione canonica coërceret. Epiſcopus verò, ſicut ex authentico ipſius cognovimus, per authentica veſtra cognovit quòd quocunque modo præbendæ illius Eccleſiæ de perſona ad perſonam tranſirent, earum annualia in integrum percipere debeatis, & in uſus veſtros perpetuò poſſidere. Canonici verò quaſdam obventiones, quas vocant panem, vinum, capones, & quadrageſimam, exceperunt, occaſione cujuſdam tranſactionis quam inter eos & quendam fratrem veſtrũ interceſſiſſe coram Sanſone bonæ memoriæ Remen. Archiepiſcopo affirmabant. Ad quod probandũ licèt teſtes plurimos induxiſſent, utrum tamen frater ille poteſtatem vel auctoritatem habuerit tranſigendi, vel excipiendi, quod ex parte veſtra conſtantiſſimè negabatur, probare minimè potuerunt. Epiſcopus autem, licèt ex abundãti, nihilominus tres ex vobis bonæ opinionis viros tactis ſacroſanctis evangelijs jurare fecit prædictum fratrem ſic tranſigendi vel excipiendi poteſtatem vel auctoritatem nullatenus habuiſſe, nec quòd litteras de ratihabitione habuerit, per dictos teſtes dictum fuerat, vel probatum. Vnde Epiſcopus ipſe totam integritatẽ ipſorum annualiũ vobis auctoritate apoſtolica adjudicavit, vos in adjudicatæ rei poſſeſſionem inducens: à cujus ſententia, licèt in commiſſione appellationis fuiſſet ſubterfugiũ interdictum, Canonici tamẽ nihilominus appellarunt. Cùmque poſtmodum iidem fratres ad ſedem apoſtolicam acceſſiſſent, felicis recordationis Vrbanus Papa prędeceſſor noſter bonæ memoriæ Boboni ſancti Angeli Diacono Cardinali ipſum commiſit negotium audiendum, ac poſtmodum fine debito terminandum. Qui intellecta & cognita veritate, quòd in commiſſionis litteris appellatio interdicta, nec ſuam Canonici fuerant perſecuti, immo ei ex parte ipſorum interpoſito ſacramento fuerat renuntiatum, jamdictam ſententiam Epiſcopi de mandato & auctoritate apoſtolica roboravit. Ne igitur ſedatum litigium ulteriùs malignitate aliqua ſuſcitetur, nos Epiſcopi memorati ſententiam, ſicut à prædicto Cardinale de mandato eſt apoſtolico confirmata, ad exemplar memorati Vrbani Papæ prædeceſſoris noſtri ratam eſſe decernimus, & præſentis ſcripti pagina communimus, ſtatuentes ut nulli omnino hominum &c. Datum Laterani Idibus Iunij.

P. SANCTÆ MARIÆ IN VIA lata Diac. Cardinali, apostolicæ sedis legato.

Epist. 95. Electio Cameracen. Episcopi cassatur.

CUm enormes excessus relinqui non debeant impuniti, ne forte trahantur à præsumptoribus in exemplum, nos, qui, licèt indigni, speculatoris officium super universam Ecclesiam exercemus, summo debemus studio providere ne quod contra disciplinam ecclesiasticam enormiter attentatur, in confusionem ipsius remaneat segniter incorrectum: quia quod contra leges præsumitur, per leges dissolui meretur. Sanè cùm olim nobis denuntiatum fuisset quòd H. Cameracen. electus electionis suæ tempore in minoribus esset ordinibus constitutus, & quòd post electionem suam per venerab. fratrem nostrum Remen. Archiepiscopum sanctæ Sabinæ Cardinalem confirmatam, de mandato ipsius per venerab. fratrem nostrum Atrebaten. Episcopum fuerat in Acolythum & Subdiaconum ordinatus, & quòd viduam duxerat in uxorem, de qua filium susceperat qui in Præpositura sancti Petri Duacen. ei nullo mediante successit, & quòd ita incurvus existeret quòd de jure non posset aliquatenus promoveri, venerabili fratri nostro Episcopo Parisiensi dedimus in mandatis ut vocatis ad præsentiam suam quos nosceret evocandos, & inquisita tam super præmissis omnibus quàm publica fama diligentiùs veritate, quod inveniret, per suas nobis litteras intimaret. Mandavimus etiam ei, ut Cameracen. Capitulo ex parte nostra districtiùs inhiberet, ne si etiam dictus electus electioni renuntiaret spontaneus, ad nominationem vel electionem procedere attentarent; cùm in eo essent meritò puniendi, in quo videbantur taliter deliquisse. Dicto etiam Atrebaten. Episcopo dedimus in mandatis, ut hujusmodi veritatem negotij per suas litteras nobis intimaret. Ceterùm memoratus Parisiensis Episcopus mandati nostri diligens executor, inhibitione facta Cameracen. Capitulo juxta formam apost. mandati ne ad electionem procederent, etiamsi idem electus voluntate propria resignaret, ipsius electi confessionem audivit, testium depositiones recepit, & omnia redacta in scriptis sub sigillo suo ad nostram curavit præsentiam destinare: quæ ad majorem cautelam sub bulla nostra tibi duximus remittenda. Nos igitur cum fratribus nostris super hoc deliberatione habita diligenti, de ipsorum consilio discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus cùm, sicut ex litteris ipsius Parisien. tibi plenè patebit, per ipsius electi confessionem constiterit quòd electionis suæ tempore solam Clerici tonsuram habuerit, & ex litteris dicti Atrebaten. Episcopi nobis constiterit quòd ipse eum de mandato dicti Archiepiscopi post confirmationem ipsius in Acolythum & Subdiaconum ordinaverit, &, sicut ex depositionibus testium paruit, non in jejuniis quatuor temporum, sed potiùs eodem die dominico, cùm etiam idem electus confessus fuerit quòd de vidua filium suscepisset, qui ei per electionem Capituli sancti Petri Duacen. in Præposituram nullo successerat mediante, cùm ex inspectione corporis ejus, ipsius sit incurvitas manifesta, etsi tanta non sit quin posset sine reprehensionis vitio promoveri, si alia non obstarent, cùm ipse etiam electionis suæ tempore fuerit protestatus quòd quia solam tonsuram habebat, & erat corpore debilis, eligi non poterat nec debebat, cum conscientia dicti Parisien. Episcopi, cui volumus, quia prudenter processit in inquisitione, deferri, memoratum electum & Capitulum Cameracen. ad locum convoces competentem, & si electus ipse vel venire distulerit, vel veniens infra triduum cedere sponte noluerit, electionem ipsius omni prorsus contradictione & appellatione cess. denunties irritam & inanem. Inhibens districtiùs Capitulo memorato, ne ad electionem procedere ulla prorsùs occasione præsumant, cùm in eo sint puniendi, in quo peccarunt. Postmodum verò personam aliquam scientia & honestate perspicuam, per quam Cameracen. Ecclesia in spiritualibus proficere valeat, & in temporalibus reformari, ei appellatione remota præficias in pastorem; tam Canonicos quàm homines Cameracen. Ecclesiæ ad impendendam ei reverentiam & honorem per censuram ecclesiasticam appell. remota compellens, & compescens districtione simili resistentes. Datum Laterani XIII. Kal. Iulij.

ILLVSTRI REGI VNGARIÆ.

Epist. 96. Vt Episcopo Vaciensi de

INter universi orbis provincias apostolica sedes regnum Vngariæ speciali

ablatis ex Ecclesia thesauris satisfaciat.

quadam prærogativa dilexit ob merita Regum ipsius, ac præcipuè ob ferventis devotionis constantiam, & inviolabilis sinceritatis affectum, quem inclytæ recordationis Bela Rex Vngariæ pater tuus circa sacrosanctam Rom. Ecclesiam matrem suam ferè semper exhibuit, ad exaltationem ipsius, augmentum Ecclesiarum regni sui, & honorem omnium Clericorum, tam humiliter quàm potenter intendens. Nos etiam sperantes quòd in filio paternæ vigeat devotionis affectus, & tua regia celsitudo sic eidem patri tuo in proposito sicut in regno, sic in voluntate sicut in dignitate succedat, ad integritatem regni tui & tui honoris augmentum efficaciter intendimus hactenus, & adhuc intendere non cessamus; sperantes quòd & tu eò fortiùs in nostra & Ecclesiæ Rom. devotione persistas, quò ampliùs nostram circa te ac regnum tuum expertus fueris gratiam & favorem fratrum. Verùm quanto sinceriùs regiæ serenitatis diligimus incrementum, tanto ampliùs contristamur, quando ea de tuis actibus ad nostram audientiam perferuntur, quæ circa te provocent divinæ indignationis offensam, & in injuriam apostolicæ sedis & tuæ videantur famæ dispendium redundare. Sanè pervenit ad audientiam nostram, quòd in prima transactæ observanriæ quadragesimali hebdomada, quarta feria quatuor temporum, circa crepusculum noctis, venerabili fratre nostro Warienſi Episcopo cum Canonicis suis completorium decantante, accedens ad Ecclesiam Watiensem, claves sacrarij exhiberi tibi, & Episcopum de Ecclesia egredi præcepisti. Cùmque ipse positas sibi formidans insidias, cùm ipsa hora ei multæ suspicionis certius ingereret argumentum, obtemperare jussioni regiæ recusaret, ostium sacrarij mandasti violenter infringi; & cùm idem Episcopus & Canonici propter hoc conversi ad Dominum cum lachrymis decantarent, *Aspice Domine de cœlo sancto tuo, & cogita de nobis*, tu quasi molestè ferens quòd divinum auxilium implorabant, irruens in Episcopum, ipsum à summo gradu, quod est ante altare, usque in pavimentum violentis manibus attraxisti, & pavimento allisum tradidisti non minùs violentis tuorum manibus de Ecclesia extrahendum. Ipso igitur de Ecclesia violenter ejecto, & relicto quodammodo semivivo, fracto sacrarij ostio, & scriniis violatis, thesaurum Ecclesiæ occupasti, & patrimonium ejusdem Episcopi, quod domui cuidam religiosæ, quam ipse de novo fundaverat, concesserat intuitu pietatis, fecisti pro motu voluntatis propriæ confiscari. Postmodum verò cùm idem Episcopus propter hoc in Ecclesia sua taliter violata divina prohibuisset officia celebrari, tu decimas sibi denegari fecisti, ac vetuisti nunciis ejus sub pœna privationis oculorum, ne regnum tuum egredi attentarent, quasi tacitè prohibens ne ad apostolicam sedem accederent super his querimoniam delaturi. Quia igitur saluti tuæ consulere cupimus, & potiùs animæ quàm corpori providere, cùm nobis non constiterit de prædictis, serenitatem regiam monemus & exhortamur in Domino, & in remissionem injungimus peccatorum, per apost. scripta mandantes, quatenus taliter quæ prædicta sunt corrigas per te ipsum, taliter Episcopo satisfacias memorato, immo potiùs sedi apostolicæ, quam læsisti, taliter Watien. Ecclesiæ damna restaures, quòd nos ad id severitatis ecclesiasticæ manum apponere non cogamur. Alioquin, quantumcunque personam tuam in Domino diligamus, quia tamen potiùs Deo quàm homini volumus complacere, dissimulare non poterimus quin in te & terram tuam exerceamus canonicam ultionem. Certè priorum exempla te potuerant ab hujusmodi revocare, & à tanta præsumptione tuam debuerant compescere voluntatem. Legisti enim, vel forsan audivisti, quòd cùm Heliodorus ærarium, quod erat Hierosolymis, spoliaret, percussus ab Angelo expirasset, nisi pia ei subvenisset oratio sacerdotis. Baltasar, dum spoliato templo vasis sacris in convivio uteretur, articulos manus regni sui terminum notavit in pariete depingentis. Pompeius, non quia spoliavit, sed quia intravit solummodo sancta sanctorum, de semper victore victus effectus, commissum jugulo expiavit. Sano igitur ductus consilio, per condignæ satisfactionis effectum tantæ præsumptionis reatum studeas abolere; ne præter canonicæ districtionis rigorem, quem debes meritò formidare, Deus ultionum dominus, qui reddit retributionem superbis, in te ac regnum tuum injurias dicti Pontificis immo suas potiùs graviter

Vide Tacit. lib. 5. Hist.

graviter ulciscatur. Datum Laterani XI. Kalendas Iulij.

Epist. 97. *In eundem ferè modum scriptum est Colocen. Archiepiscopo usque ad verbum* cogamur. Ideóque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus Regem ipsum ad implendum mandatum apostulicum salubriter moneas, & tam efficaciter quàm diligenter inducas. Quòd si nec mandatis nostris nec monitis tuis acquiescere fortè voluerit, tu cum suffraganeis tuis, si unquam fieri poterit, id studeas ad honorem apostolicæ sedis & nostrum & tam prædicti Episcopi quàm Ecclesiæ Watien. utiliter emendare. Quòd si per studium & solicitudinem tuam id fieri fortè non poterit, præsentium tibi auctoritate in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut postpositis gratia & timore, solum Deum habens præ oculis, sicut de tua discretione confidimus, inquiras de prædictis omnibus diligentiùs veritatem, & quod inveneris per tuas nobis cures litteras intimare; ut re cognita, apostolicum à nobis procedat edictum, per quod tantæ præsumptionis audacia districtione canonica feriatur. In hoc enim proposuimus experiri, si magis terrenum Regem metuas quàm cœlestem, & an honorem Ecclesiæ gratiæ Regi anteponas. Datum ut suprà.

ABBATI SANCTÆ CRUCIS & sancti Leufredi Confessoris, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 98. De confirmatione privilegiorum.

PIÆ postulatio voluntatis &c. *usque ad verbum* statuentes ut ordo monasticus, qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem loco institutus &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum in quo Ecclesia memorata sita est, cum omnibus adjacentiis quæ ad eandem Ecclesiam pertinent. Ex dono Auduini quondam Ebroicen. Episcopi, Ecclesiam sancti Petri de Fontanis, cum decimis & manso Presbyteri & aliis quæ ad eandem Ecclesiam pertinent. Ecclesiam sancti Germani de Escardenvilla, cum decimis suis & triginta solidis solitæ pensionis. Ecclesiam sancti Pauli de Cruce, cum medietate ejusdem villæ, decimis, & annua pensione quindecim librarum Andegavensium. Ecclesiam sancti Remigij de Calliaco, cum eadem villa, & appendiciis suis, cum decimis, & annua pensione quadraginta solidorum. Ecclesiam de Grovilla, cum decimis, & uno manso. Ecclesiam de Wivilla, cum decimis in toto feudo de Monteforti, excepto dominico Thomæ de Planca, & dominico Rug. de Wivilla, quantum pertinet ad mensam eorum. Ecclesiam de Trunco, cum decimis suis in feudo Galerani de Mara, & uno manso, & xx. sol. Andegaven. solitæ pensionis. Ecclesiam de Alpegart, cum decimis de feudo Willielmi de Essarris, & de feudo Hugonis Militis, & uno manso, & aliis quatuor hospitibus. Ecclesiam de Campenart, cum eadem villula, & pertinentiis suis, & pensione solidorum quinque Andegavensium. Ecclesiam de Mersi, cum decimis suis. Ecclesiam de Allega, cum decimis suis. Ecclesiam de Cahaniis, cum decimis suis, & tribus partibus hospitum. Ecclesiam de Dardeis, cum decimis suis, & pensione x. solidorum Andegavensium. Ecclesiam de Venabulis, cum decimis suis, & terris eidem Ecclesiæ pertinentibus. Ecclesiam sancti Albini de Vvallon, cum decimis suis. Ecclesiam de Bruolio, cum decimis & pertinentiis suis. Ecclesiam de Salleio, cum decimis & terris eidem pertinentibus. Ecclesiam de Tonaio, cum medietate Altenag. terris, & decimis de feudo Ric. ejusdem villæ domini. Ecclesiam sancti Georgij de Esserra, cum eadem villa & pertinentiis suis, & xx. sol. sterlingorum annuæ pensionis. Capellam sanctæ Mariæ in eadem parochia sitam. Ecclesiam sancti Remigij de Besu, cum hospitibus, terris, & decimis de feudo Iohannis de Giforz, & aliis hospitibus, & terris, & nemore allodiariorum Reg. Ecclesiam sancti Albini de Besu, cum terris ei pertinentibus. Capellam sanctæ Austrebertæ, cum pertinentiis suis. Capellam sancti Dionysij de Bansicort, cum decimis de feudo Osmundi monnarij apud sanctum Eligium. Decimam de feudo Hugonis de Seusei apud Nenuillam. Decimam Vvll. de Maudiut apud Ludervillam, de feudo Williel. Peler. apud Aamercort. decimam de feudo Matthæi de Gamachiis apud Manevillam. Duas partes decimarum de feudo Pagani de sancto Luciano, & de feudo Orselli, & de feudo Flooldi. In parochia sancti Dionysij de Formam, Ecclesiam ipsam cum parte decimarum. Ecclesiam sancti An-

dreæ de Autuliolo, cum tertia parte decimæ, & pensione duorum sol. Eleemosynam de insula quæ dicitur Guernere, quartam partem oblationum de feria, & de festo sancti Christophori de Roilli. Decimam de Heudiervilla & de Sessevilla in feudo Autulij. Decimam de Boëleio in feudo Roberti filij Vvl. Decimam de Mesnilla in feudo Hugonis de Lace, & decimam de Buison in feudo Hug. Bigot. Quartam partem decimæ de Autulio. Decimam de feudo Almarici Doesnel apud Vvatevillam. Totam decimam Essarrorum de Loviers de feudo Galerani Comitis Mellotcn. Ex dono Galerani Comitis, centum solidos sterlingorum annuatim reddendos in Dorserta apud Scellentonam, & decimam denariorum suorum de Cruce. Ex dono Vvllielmi Alliacen. medietatem Escardenvillæ in eleemosynam. Decimam quam habetis in feudo Galterij Arou de Anesus cum aliis decimis. Possessiones præterea, terras, vineas, nemora, prata, molendina, furnos, aquas, piscarias, redditus, & alia quæ superiùs expressa sunt, & quæ à quadraginta annis usque ad hæc tempora justè & sine controversia tenuistis, & nunc pacificè possidetis. Sanè novalium &c. Liceat quoque vobis &c. Prohibemus insuper ut nulli fratrum &c. In parochialibus verò Ecclesiis &c. Libertates etiam &c. Immunitates à Rothomagen. Archiepiscopis, Ebroicen. & aliis Episcopis vobis pia devotione indultas, & usque ad hæc tempora sine controversia conservatas, ratas habemus, & auctoritate apostolica confirmamus. Cùm autem generale interdictum &c. Sepulturam præterea &c. Obeunte verò te &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate, & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Acherontin. electi, Cancellarij vicem agentis, XIII. Kal. Iulij, Indict. secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pont. verò Domini Innocentij Papæ tertij anno secundo.

P. SANCTÆ MARIÆ IN VIA Lata Diacono Cardinali, apostolicæ sedis Legato, & Episcopo Parisien.

Epist. 99. Vt Nivernensis Abbas hæreticus & depositus, carceribus monasterij includatur.

QVod legimus in Apocalypsi prædictum, ecce nunc videmus impletum, quia de fumo putei abyssi exierunt locustæ similes equis paratis in prælium, facies quidem habentes humanas, sed caudas similes scorpionum, & aculei sunt in caudis earum. Hi sunt hæretici, qui de puteo confusionis egressi, non ut ipsi confusionem evadant, sed ut alios in confusionem inducant, faciem prætendunt humanam, ut seducant incautos, quibus randem in similitudinem scorpionum damnationis infligunt aculeum, dum eis juxta scripturæ sententiam fel draconis in aureo calice Babylonis propinant. In tantum autem jam eorum excrevit audacia, ut velut equi parentur ad prælium, cùm in aperto suæ falsitatis doctrinam disseminare præsumant: contra quos nisi gladius exeratur ecclesiasticæ disciplinæ, ut jam non solùm capiantur sed exterminentur vulpeculæ quæ vineam Domini demoliri moliuntur, verendum existit, ne, quoniam error eorum serpit ut cancer, pars etiam sincera trahatur. Nuper enim, sicut ex tenore literarum venerabilis fratris nostri Senonen. Archiepiscopi & relatione dilectorum filiorum R. & B. nuntiorum ejus nobis innotuit, multa de hæreticis & eorum sectis in partibus Gallicanis, quæ ab hujusmodi fæce prorsùs olim intactæ manere solebant, increbrescente jam vehementer infamia, cùm idem Archiepiscopus ad villam quæ Charitas appellatur, in qua plurimi dicebantur professores hæreseos delitescere, rogatus à venerabili fratre nostro Antisiodoren. Episcopo, in cujus diocesi prædicta villa consistit, accessisset perscrutaturus diligentiùs veritatem, Clero & populo convocatis, post diligentem indagationem, præter alios quamplures qui erant ibi de hæresi publicè infamati, Rainaldum quondam Abbatem S. Martini Nivernen. comperit hujusmodi contagione respersum, & publica super hoc infamia laborantem. Et quoniam in eo plurimùm scandalizabatur & populus & Clerus, de consilio prædicti Antisiodorensis, Meldensis, & Nivernensis Episcoporum, qui aderant, & plurium prudentum virorum, eum officio beneficióque suspendit, diem apud Antisiodorum illi præfigens, ubi coram eo fortè, si posset, se de tanto crimine tueretur. Cùmque die præfixa suam coram eodem Archiepiscopo exhibuisset præsentiam, assistentibus prædictis Antisiodoren. & Nivernen. Episcopis, multisque aliis viris dis-

vide supra epist. 66.

creti, & Prior Ecclesiæ S. Martini de hæresi, adulterio, & usura, & quibusdam aliis eum intenderet & paratus esset protinus accusare, ante litis ingressum, licèt nullum inferretur ipsi gravamen, sedem apostolicam appellavit: cujus appellationem frustratoriam quoniam propter infamiam & publicam notam criminis dictus Archiepiscopus non admisit, & præfatus Prior paratus fuit in continenti objecta probare, spontaneus causam subiit, & objecta crimina penitùs denegavit. Prior autem confestim quosdam ex Canonicis suis testes produxit: qui cùm à præfato Archiepiscopo recepti canonicè ac diligenter examinati fuissent, & attestationibus, prout debuit fieri, publicatis, ipsi etiam R. postulanti copiā earum sufficienter exhibitis, ei dies esset apud Senon. assignata, ut in Concilio suffraganeorum exciperet, si vellet, contra testes & eorum dicta, & suæ defensionis proponeret rationes, die præfixa & loco etiam assignato suis liberè ac plenariè propositis rationibus, interrogatus pluries si pro se vellet aliquid aliud allegare, probationibus & allegationibus omnino renuntians, sententiam postulavit, & postmodum sæpedicto Archiepiscopo pariter cum venerabilibus fratribus nostris Trecensi, Antisiodorensi, & Nivernensi Episcopis aliisque prudentibus viris secretæ deliberationis tractatum habente, Advocatus prædicti R. sine illo ad Concilium eorum intravit, & proposuit ipsam appellationem, quam ante litis ingressum interposuerat, ratam habere, & eam iterum innovare. Cùmque postmodum ad ferendam sententiam exeuntes comperissent pro certo eum clanculò recessisse, dictus Advocatus ejus, sicut fecerat in secreto, appellationem denuo publicè innovavit. Vnde memoratus Archiepiscopus, quamvis non fuisset appellationi hujusmodi deferendum, noluit eum de hæresi condemnare. Pro adulterio tamen & aliis quæ in damnationem ejus erant manifestiùs divulgata, & quoniam propter infamiam hæresis & scandalum, quod in populo fuerat inde subortum, nullatenus etiam ad tempus in administratione abbatiæ sine omnimoda desolatione monasterij poterat tolerari, de communi consilio coëpiscoporum & aliorum prudentum qui aderant, ipsum in perpetuum per sententiam diffinitivam officio privavit Abbatis, & Canonici sancti Martini de licentia ejus quendam alium elegerunt. Ceterùm idem Archiepiscopus attestationes contra eum receptas nobis transmisit redactas in scriptis; ex quibus duo gravia satis probata esse videntur; videlicet, eum seriò & assertivè dixisse disputando, & defendēdo hæreticorum errorem, quòd Corpus Domini mittitur in secessum, & juxta verbum Origenis omnes tandem fore salvandos. Allegationes autem & rationes prædicti R. (de quibus sæpedictus Archiepiscopus in suis litteris fecerat mentionem) nobis per literas vel per nuntios exponere non curavit. Propter quod diutiùs expectavimus, si fortè alij nuntij super hoc instructi pleniùs advenirent. Quoniam igitur causam transmisit ad nos minùs sufficienter instructam, & ex hoc nobis scrupulus non modicæ dubitationis emersit, maximè cùm sit plena maturitate in tam arduo negotio procedendum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus Deum habentes præ oculis, & catholicæ fidei veritatem tam attestationibus quæ contra prædictum R. nobis transmissæ fuerunt, quas vobis sub bulla nostra transmittimus, quàm etiam allegationibus & rationibus sæpedicti R. quas coram præfato Archiepiscopo proposuisse proponitur, attentè ac diligenter inspectis, publica quoque fama nihilominus inquisita, nisi ex eis aliquid perpendere poteritis quod à ferenda condemnationis sententia contra eum meritò animum vestrum debeat retardare, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, ut in eo puniatur in quo peccavit, ipsum à sacerdotali officio deponatis. Et quoniam metuendum est ne in laqueum desperationis incidens, & ad perfidorum hæreticorum infidelitatem ex toto conversus, eorum prævaricationibus contaminet gregem intactum, retrudi eum in districto monasterio faciatis, & ibi ad agendam pœnitentiam sub arcta custodia detineri; attentiùs provisuri, ut ita mandatum apostolicum exequamini, quòd devotionem vestram debeamus meritò commendare. Nullis litteris &c. harum tenore tacito &c. Quòd si ambo &c. alter &c. Tu verò fili Card. diligens studium & operam efficacem impendas, sicut de tua discretione confidimus, ut per diligentiam & solicitudi-

nem tuam, ascitis tecum quos noveris necessarios, hæretica pravitas extirpetur, & hæretici cum suis falsis dogmatibus confundantur. Quod ut meliùs & pleniùs possis efficere, plenam tibi super hoc app. remota concedimus potestatem. Datum Laterani XIII. Kal. Iulij.

ABBATI SANCTÆ MARIÆ de Canneto, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 100. De confirmatione privilegiorum.

PIÆ postulatio voluntatis &c. *usque ad verbum* ordo monasticus qui secundùm Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Andreæ Apostoli in insula quæ vocatur Minerva, cum tota insula. Ecclesiam sancti Bartholomæi quæ est in civitate Polan. cum redditibus suis. Ecclesiam sancti Laurentij de Camponoso, cum campis, vineis, pascuis, pratis, montibus, vallibus, aquariis, & omnibus ad eam pertinentibus. Ecclesiam sanctæ Mariæ Banran. cum omnibus possessionibus suis, & Ecclesiam sancti Blasij Savinian. cum omnibus pertinentiis & possessionibus suis. Ecclesiam sancti Pauli, & locum Barcilian. cum montibus, vallibus, habitationibus, pascuis, aquariis, sylvis, arboribus fructiferis & infructiferis, piscariis, atque ripis ad eundem locum pertinentibus, & Piscariam de Muccla de mezo, locum Valbendonij cum habitationibus, terris cultis & incultis, arboribus, olivis, praris, & omnibus pertinentiis suis. Piscariam portus Valbendonij. Locum Florian. cum olivis, terris cultis & incultis, habitationibus, domibus, curtibus, & omnibus pertinentiis suis. Sancti Georgij & sancti Nicolai Ecclesias, cum omnibus pertinentiis & possessionibus. Locum Philippani, cum mansibus, curtibus, pascuis, terris, aquariis, sylvis, campo de puteo, terris Carsæ planæ & Cisterneolæ. Fundum Volasij, cum molendino. Ecclesiam sancti Laurentij, cum tota valle, turri, curia, gurgo, & omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Leonardi, cum horto majori, & curia quæ est ante portam monasterij, cum omni circuitu suo. Terram de Ducende, & terram de Bagnole, cum omnibus pertinentiis suis. Sanè novalium &c. Liceat quoque vobis &c. Prohibemus insuper &c. Cùm autem generale interdictum &c. Libertates præterea &c. Sepulturam quoque &c. Obeunte verò te &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis ap. auctoritate, & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua verò &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, XI. Kal. Iunij, Indictione II. incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

GOSTADIGIN. FUNDATRICI & fratribus ac sororibus Ecclesiæ beatæ Mariæ de Rocca majori sitæ in loco qui dicitur Puteus de Chartariis.

Epist. 101. De confirmatione privilegiorum.

CVM à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, Ecclesiam ipsam, & personas ibidem divinis obsequiis mancipatas, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum eadem Ecclesia rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Ad indicium autem perceptæ hujus à sede apost. protectionis, unam libram ceræ nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Nulli ergo &c. Datum Lat. Kal. Iulij.

ROMANO ARCHIPRESBYTERO & Clericis sanctorum martyrum Sergij & Bacchi, tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

Epist. 102. De confirmatione privilegiorum.

LIcèt omnium Ecclesiarum sit nobis cura & solicitudo commissa, illis tamen quæ in Vrbe consistunt tanto solicitiùs nos convenit providere & earum jura illibata servare, quanto ampliùs ad jurisdictionem nostram noscuntur specialiùs pertinere. Eapropter, dilecti &c. *usque ad verbum* annuimus, & præfatam Ecclesiam beatorum martyrum Sergij & Bacchi, in qua divino &c. *usque ad verbum* vocabulis. Medietatem arcus triumphalis, qui totus in tribus arcubus constat, de quo unus de minoribus arcubus propinquior est vestræ Ecclesiæ, supra quem una ex turribus ædificata esse videtur, & medietatem de arcu majori qui est in medio, cum caminatis juxta minorem arcum, cum introitibus & exitibus suis & aliis omnibus suis pertinen-

tiis, quæ sub his finibus concluduntur. A primo latere est altera medietas ejusdem arcus triumphalis, juris heredum Cimini; à secundo latere est aliud claustrum suprascripti Cimini, & curtis; & via publica; à tertio latere est curtis Ecclesiæ vestræ; & à quarto latere est via publica, quæ pergit ante supradictam Ecclesiam; sicut in instrumento locationis factæ à bonæ memoriæ Gregorio ejusdem Ecclesiæ Diacono Cardinali plenius continetur. Ecclesiam Salvatoris de Statera, cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Laurentij positam sub Capitolio, cum casis, cryptis, hortis, & omnibus aliis suis pertinentiis. Omnes domos positas in Gallicis, quæ his finibus concluduntur. A duobus lateribus tenet Ecclesia vestra, à tertio tenet Ecclesia sanctæ Martinæ, à quarto latere via publica quæ pergit ante dictam Ecclesiam. Omnes domos quæ sunt positæ in regione Piri, cum casalinis, & hortis, & aliis pertinentiis suis, præter unum casalinum juris sancti Sabæ, & unam domum Pantalei addextratoris. Domum unam positam in regione sancti Adriani juxta columnas sancti Iohannis ante portam Latinam. Domum unam positam juxta domum Iohannis de Ascesa. Quatuor cryptas, cum casalinis ante se, usque ad viam publicam post Ecclesiam Salvatoris de Statera, quas emistis ab heredibus Petri de Ascesa. Vnum casalinum in regione sancti Theodori in pede Canapariæ. Duo casalina juxta columnam perfectissimam. Vnum casalinum juxta domum Rogerij de Rozo, & juxta domum Vrb. turrim in casale Barbarian, cum terris, vineis, sylvis, pratis, montibus, collibus, pascuis, salictis, arboribus fructiferis & infructiferis, puteis, fontibus, rivis, ædificiis parietinis, & aliis suis omnibus pertinentiis, quæ infra subscriptos terminos continentur. A primo latere rivus de Luzan, & tenimentum heredum Fusci de Berta, & tenimentum sanctæ Anastasiæ: à secundo latere via publica Ardeatina usque ad fossatum sancti Nicandri: à tertio latere idem fossatus inter vos & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Aventin. & tenimentum sancti Georgij & quatuor sanctorum Coronatorum: à quarto latere tenimentum sanctæ Mariæ Majoris, & tenimentum monasterij sanctæ Mariæ in Campo Martis, usque ad prædictum rivum Luzan. Quatuor vinealia juxta Cantarum Albau. terram quam habetis in territorio Aricia supra lacum de Nemo. Duo fila salinarum in Bordanaria, in loco qui dicitur Caput bovis, juxta filum sancti Pancratij. Tenimentum Tusculani vobis & Ecclesiæ sanctæ Mariæ in Porticu à felicis recordationis Celestino Papa prædecessore nostro concessum, quod infra hos fines concluditur. A primo latere via Cavonis: à secũdo latere fossatus qui ascendit ad columnam felleris usque in caput pantani: à tertio latere super caput pantani usque ad limitem majorem, & per eundem limitem usque ad fossatum Berardi Anagnini: à quarto latere per idem fossatum usque ad viam Cavonis. Inferioris verò camellariæ parochiam, & ejusdem camellariæ proprietatem; ita quòd nulla injuria inferatur habitatoribus ipsius camellariæ ab habitatoribus superioris camellariæ. Hortum quoque sancti Laurentij, sive supra sanctum Laurentium. Terram quæ quondam fuit olivetum à cava usque ad Salvatorem. Terram supra olivetum usque ad balneariam, sive vascam. Hortum sancti Sergij, sive post sanctum Sergium, & hortum inter columnas usque ad Abscidam, & usque ad custodiam mamortinam: super quibus inter vos & Ecclesiam sanctæ Mariæ de Capitolio quæstio diutiùs fuerat agitata, & ex delegatione felicis memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri per dilectos filios I. tt. sancti Stephani in Cœlio Monte & Sofr. tt. sanctæ Praxedis Presbyteros Cardinales amicabili compositione sopita, sicut in scripto eorundem Cardinalium exinde confecto pleniùs continetur, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Duas insuper petias vinearum in vivario infra muros Vrbis, & unam extra portam sancti Pauli in Castannola, & aliam petiam foris portam Latinam, cum cryptis, torcularibus, & aliis earum pertinentiis, vobis nihilominus confirmamus. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, VI. Nonas Iulij, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno M C X C I X. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ I I I. anno secundo.

PETRO COMPOSTELLANO Archiepiscopo.

Epist. 103. Decernit episcopatus Vlixbonensem & Elborensem esse subjectos Archiepiscopo Compostellano.

IN caussa duorum episcopatuum, videlicet Vlixbonen. & Elborensis, quæ inter te ac venerabilem fratrem nostrum Bracaren. Archiepiscopum vertebatur, cujus examinationem plenariam, sola sententiâ sedi apostolicæ reservatâ, felicis recordationis Vrbanus Papa prædecessor noster Vicedomino Brixiensi & Magistro I. Bergomen. commisit in Hispaniam destinatis, te coram ipso Vicedomino, altero jam collega post citationem defuncto, contra dictum Archiepiscopum in initio proposuisse cognovimus: quòd Bracaren. Archiepiscopus post litteras citationis receptas, post appellationem & inhibitionem à te interpositas ne in prædictis episcopatibus aliquid in tuum præjudicium attentaret, electos illius temporis consecravit. Vnde te offensum graviter querebaris. Vbi à te nihilominus fuit propositum contra ipsum, quòd ante invasionem barbaricam Vlixbona & Elbora civitates ad Emeriten. metropolim pertinebant; sed ea postmodum captivata, & ipsæ cum ea captivæ fuerunt, donec dignitas ejus cum omni jure suo in Compostellanam Ecclesiam est translata. Dictæ quoque civitates Christianorum cultui sunt faciente Domino restitutæ: de quibus usque ad tempora jamdicti prædecessoris nostri non fuit in dubium revocatum quin ad Compostellanam Ecclesiam pertinerent; licèt Rex Portugal. ad suggestionem Bracaren. Ecclesiæ jus Ecclesiæ Compostel. pluries molestarit: pro cujus prohibitione secundus Elboren. electus in tantum distulit consecrari, quòd absque consecratione decessit: cujus successor, & tertius Vlixbonen. electus, præfato Rege vivente non fuerunt ab aliquo consecrati. Hujus autem violentiam successor filius superavit, cogens Bracaren. Archiepiscopum, cogi volentem, ut jamdictos electos, quod pater nunquam fecerat, consecraret. Contra quod ex parte tua priùs fuerat ad sedem apostolicam appellatum: à qua commissionem, de qua præmisimus, impetraras; proponens coram dicto Vicedomino Brixien. te illos duos episcopatus possidere ac possedisse, atque ad tuam ipsos Ecclesiam pertinere; petens nihilominus ut Bracaren. Archiepiscopus tibi de illatis injuriis satisfaceret, & cohiberetur de cetero ne in prædictis episcopatibus te liberè uti jurisdictione metropolitica impediret, quos ad Ecclesiam tuam indubitatè spectare per apostolicæ sedis privilegia, Concilia quoque, divisiones, & historias, & publicam famam, sicut in caussa quatuor episcopatuum feceras, ostendere nitebaris; parte altera respondente Bracaren. Ecclesiam illos duos episcopatus & possidere tunc & ab eo tempore possedisse quo per gratiam Dei & virtutem A. Regis Portugalen. duæ civitates prædictæ de manu paganorum fuerant liberatæ, atque ad cultum fidei Christianæ per Bracaren. Archiepiscopi prædicationem reductæ, & jure suo sic usum Archiepiscopum Bracaren. asserebat tibi aliquatenus injuriam non fecisse. Ex his ergo circa injuriarum possessionis & proprietatis articulos intentionem tuam asserebas esse fundatam, & ad singulos articulos partem alteram respondisse; ad injurias quidem & possessionem expressè, ad proprietatem verò latenter; cùm juxta canonicas sanctiones quicunque ad suam cathedram pertinentia loca lucrari negligunt in catholicam unitatem, si post tempus canonicum id moniti non effecerint, ad eum perveniant qui poterit ea sua prædicatione lucrari. 16. q. 3. Cap. Placuit. Porrò Bracaren. Archiepiscopus respondebat, quòd cùm in præmisso judicio satisfactio tantùm injuriarum petita fuisset, & ut cohiberetur Archiepiscopus Bracaren. ne impediret te uti jurisdictione metropolitica in illis duobus episcopatibus, sicut ex forma libelli conjicitur manifestè, profectò nec proprietatem nec possessionem ab eo jam petere poteras in præsenti judicio, præsertim cùm te diceres possessorem, unde proprietatem vel possessionem ab eo petere non valebas, quæ non nisi à possidentibus repetuntur, adjungens quòd etsi ad proprietatem vel possessionem aliquid pertinens à parte sua coram nobis fuerit allegatum, cùm jus suum fuerit protestata, non debebat in ejus dispendium redundare. Interdictum quoque Vti possidetis, quod in hoc casu locum videbatur habere, cùm utraque partium se possidere diceret, tibi non competere proponebat, cùm te, sicut dicebat, non probaveris possessorem, nec interdicto illo alius agere valeat quàm possessor: in quo ille debet per sententiam obtinere, qui

Vide Marianâ lib. 10. Rer. Hispan. c. 5.

nec vi, nec clam, nec precario ab altero possidet. Tu verò possessionem Ecclesiæ tuæ multipliciter ostendere satagebas, tam per confessiones adversæ partis, quàm per electorum & Episcoporum recognitiones & professiones, & obedientiam eorùndem, quàm etiam per executiones Rom. Pontificum. quæ singula tam instrumentis quàm testibus asserebas esse probata. Interrogatus enim in jure G. Bracaren. Archiepiscopus proximus antecessor istius, si credebat aliquem prædecessorum suorum hos episcopatus aliquando possedisse, respondit: Quidam dicunt sic, quidam non, & ideo nescio quibus credam. & addidit postea: Nec inde certus sum, nec incertus. Quæ verba in id eum videbantur inducere, ut nullum prædecessorum suorum crederet possedisse. Primus autem post liberationem Vlixbonen. Episcopus G. nomine, necnon & Alvarus successor ipsius, professionem fecerunt in scriptis & etiam manualem Compostellan. Archiepiscopo, & ei sicut Metropolitano suo reverentiam & obedientiam impenderunt. Tertius quoque, qui superest, dum adhuc esset electus, idem cum tota sua Ecclesia recognovit, veniens ut confirmationem electionis & munus consecrationis reciperet ab Archiepiscopo memorato, nisi de medio ferè itineris per prohibitionem Regis sui fuisset ad propria revocatus; sicut per multos testes asserebas esse probatum. Executiones quoque Rom. Pontificum, videlicet Alexandri, Lucij, & Celestini, qui possessionem quam te habere, licèt cum perturbatione, credebas, declarare voluerunt, demonstrant quòd te in plenum jurisdictionis usum inducere curaverunt, facultatem tibi liberam tribuentes suspendendi, excommunicandi, & electionem cassandi, præcipientes etiam sententias à te latas inviolabiliter observari, sicut in eorundem litteris continetur. Pro jurisdictionis autem executione liberè obtinenda in Elboren. episcopatu punitus est Bracaren. Archiepiscopus in episcopatibus Gallæciæ tibi per sedem apostolicam assignatis, sicut in litteris bonæ memoriæ Alexandri Papæ contineri dicebas. Ex litteris etiam Vlixbonen. Episcopi, quas ostendebas bullatas, ostendere nitebaris quòd Elboren. Episcopus sententiam à te latam in ipsum inceperat observare. Bracaren. autem Archiepiscopus respondebat professiones prædictas non esse per testes approbatas, quandam ipsis testibus de ratione temporis impossibilitatem objiciens, asserens etiã quòd per professiones hujusmodi elàm ignorante Bracaren. Archiepiscopo factas non potuit Ecclesia Bracaren. sua possessione privari; cùm & quædam earum factæ fuisse probentur cùm Vlixbonen. Episcopus exulabat; possessionem suam multò pleniùs & efficaciùs satagens comprobare, cùm omnes Episcopi à liberatione civitatum illarum in illis duobus episcopatibus per Bracaren. Archiepiscopum fuerint consecrati, qui ei tanquam suo Metropolitano reverentiam & obedientiam impenderunt, venientes ad Concilia Bracaren. tanquam proprij suffraganei, & querelas suas coram eodem Archiepiscopo proponentes, sicut per multos testes asserebat & tuæ partis quædam etiam instrumenta sufficienter esse probatum. Litteras autem bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri super eodem negocio pro te contra Bracaren. Ecclesiam impetratas in nullo sibi posse præjudicare dicebat, cùm lite pendente fuerint impetratæ, quando non licet etiam supplicare. Tu verò præter præmissa fortiùs allegabas quòd cùm G. Bracaren. Archiepiscopus & M. Canonicus & Clericus tuus olim essent in præsentia bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri pariter constituti, eodem M. Clerico tuo firmiter proponente quòd Bracaren. Archiepiscopus plures de suffraganeis tuis, & præcipuè Vlixbonen. & Elboren. Episcopos, occupaverat, dictus Archiepiscopus è contra respondens asseruit quòd præfatos Episcopos nullatenus detineret, nec ab eis obedientiam vel reverentiam aliquam exigeret, nec etiam quomodolibet impediret quò minùs tibi & Ecclesiæ tuæ obediant & subjectionem impendant. Adjecit etiam quòd cùm nobilis vir Dux Portugalen. civitatem Elboren. cepisset, ne in paganismum rediret, instantia ejus.... prædecessor suus ibidem Episcopum consecravit, sed tamen ab eo nullam obedientiam vel reverentiam requisivit, immo ut Ecclesiæ Compostellanæ obediret mandavit: qui nondum propter paupertatem, & quia nimium remotus est, ad tuam accessit Ecclesiam. De aliis verò episcopatibus quos idem M. Clericus

tuus dicebat ad tuam Ecclesiam pertinere dixit quòd ad Ecclesiam suam spectant, & sibi jure metropolitico debent subesse, & super hoc privilegia Rom. Pontificum multa produxit. Cùmque ab eodem nuncio tuo idem prædecessor noster instantiùs requisisset si qua exinde privilegia Ecclesia tua haberet, & ipse asseverasset se id omnino nescire, statuit ut Episcopi quos Bracarensis non recognovit ad te pertinere, asserens ad Ecclesiam suam ipsos spectare, ei & Ecclesiæ suæ, quousque hoc judicio diffiniretur, obedientiam & reverentiam impendant, & ipse prædictos duos Episcopos liberè tibi & Ecclesiæ tuæ obedire permittat. Licèt autem Bracaren. Archiepiscopus contra prædictas litteras allegaret quòd illa confessio sibi præjudicare non poterat, cùm in jure facta non fuerit, eò quòd præfatus M. non procurator aut responsalis, sed Canonicus tantùm & Clericus in illis litteris appellatur, quia tamen sæpedictus Bracaren. Archiepiscopus illas litteras impetravit, & eis pro se usus est in judicio, magnúmque de illis commodum acquisivit, & tu quod per eundem M. Canonicum & Clericum tuum super hoc factum fuit ratum habes & approbas; (unde jam ille non potest objicere quòd nullus pro parte tua ibi fuerit procurator. Nam & quod per falsum procuratorem agitur in judicio valet utique, si postea per dominum approbatur, tum etiam præsumendum sit pro facto Rom. Pontificis. Vnde conjicitur quod coram Alexandro Papa, qui statutum illud emisit, lis fuerit contestata) Nos attendentes quòd forma petitionis, quam tu in hoc judicio porrexisti, eadem est cum forma constitutionis quam dictus prædecessor noster Alex. Papa fecisse probatur, cum forma quoque aspectionis, quam Bracaren. Archiepiscopus coram eodem Alex. fecisse dignoscitur, super quo testes in hoc judicio producti fuerunt, & attestationes etiam publicatæ, necnon & super ipsis attestationibus disputatum, rationibus & allegationibus utriusque partis diligenter auditis & cognitis, attestationibus quoque ac instrumentis visis & intellectis, habito fratrum nostrorum consilio de communi deliberatione decernimus & sententialiter diffinimus ut Bracaren. Archiepiscopus vel Ecclesia Bracaren. nullatenus te vel Ecclesiam Compostellan. impediat quò minùs in prædictis duobus episcopatibus plenè ac liberè jurisdictionem metropoliticam valeas exercere. Nulli ergo. &c. diffinitionis &c. Datum Laterani VI. Nonas Iulij.

CANTVARIENSI *Archiepiscopo.*

Epist. 104. Adversùs Simoniacos. Cap. In tantum. De simonia.

IN tantum peccatis exigentibus corda quorundam simoniaca pravitas depravavit, ut in exterminium canonicæ sanctionis, & elusionem quodammodo divini judicij, lucris turpibus inhiantes, ac dicentes in corde suo, *Non est Deus*, simoniam sub honesto nomine pallient, quasi mutato nomine culpa transferatur & pœna. Verùm nec Deus secundùm Apostolum irridetur, nec tales Simonis sectatores, etsi temporalem in præsenti forsan eludant, in futuro pœnam effugient sempiternam, cùm nec honestas nominis criminis malitiam palliabit, nec vox poterit abolere reatum. Sanè pervenit ad audientiam nostram quòd cùm olim quidam suffraganei tui pro chrismate contra canonicas sanctiones certam accipere consueverint pecuniæ quantitatem, metuentes pœnam canonicam, & correctionem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ solutionis anticipant, recipientes in media quadragesima quod recipere consueverunt post Pascha; & ut caussam accipiendi dissimulent, nomen etiam variarunt, denarios, quos priùs chrismales, secundò paschales dicebant, consuetudinem mediæ quadragesimæ nuncupantes. Quidam verò nec tempus solutionis nec solvendorum nomen in aliquo variarunt, veterem per omnia consuetudinem imitantes. Quia verò expressiùs exprimit venditionis speciem qui priùs percipit pretium quàm rem conferat pretiosam, quàm qui tempus recipiendæ mercedis dissimulando distulerit, & dissimulaverit differendo, licèt utrumque in talibus periculosum existat, cùm gratis gratia conferenda sit ne ipsam contingat & rem & nomen gratiæ demereri, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus auctoritate nostra fretus & tua taliter excessus corrigas supradictos, suffraganeos tuos & eorum officiales monitione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato appell. obstaculò à tam illicita exactione compescens, quòd ad nos de

cetero

cetero super hoc querimonia deferri oon possit, nec aliorum culpa tibi ob tuæ negligentiæ meritum imputetur ad pœnam. Eadem quoque auctoritate suffultus pravam illam coosuetudinem de tua provincia studeas abolere, per quam pro Ecclesiarum investitura Archidiaconi marcam argenti, minores verò Decani vaccam albam sibi dari postulaot, vel certam solvi pecuniæ quantitatem. Datum Laterani VI. Kal. Iulij.

BRACAREN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 105. Quòd sententia lata pro Archiepiscopo Compostellano, non præjudicet Bracarensi.

CVm simus in sede justitiæ disponente Domino constituti, quæstiones quæ perferuotur ad sedem apostolicam terminandæ, subtili nos oportet examinatione discutere, justóque judicio diffinire: quia sicut ejus sententia non potest ab alio retractari, sic aliis formam tribuit judicandi. Saoè inter alias controversias quæ inter Compostellan. & Bracaren. Ecclesias vertebantur, super sententia quoque lata pro Compostell. metropoli super episcopatu Zamoren. non levis fuit quæstio veotilata: pro qua te ac venerab. fratre nostro Compostellaoo Archiepisc. in oostra præsentia constitutis, quòd idem episcopatus ad tuam Ecclesiam pertineret, senteotiam super eo latam pro Compostellan. Ecclesia petendo penitùs iofirmari, ostendere nitebaris. Olim eoim à paganis capta Valentia civitate, Valentin. Episcopus per terræ Principem impetravit ut ad susteotationem suam ab Astoricen. Episcopo Zamora, quæ pars erat Astoricensis diocesis, cum quibusdam aliis locis & terminis sibi daretur, ubi tanquam Episcopus pontificalia cœpit officia exercere, obediendo Archiepiscopo Toletano, cujus extiterat suffraganeus, & à quo fuerat consecratus. Videns autem hoc Astoricen. Episcopus, ad quem Zamoram cum locis prædictis pertinere dicebas, ad Deusdedit Presbyterum Cardinalem, tunc apostolicæ sedis Legatum, accessit, tam de Archiepiscopo Toletano quàm de ... tuoc Episcopo Zamoren. proponens in ejus auditorio quæstionem: per cujus solicitudinem taliter proponebas fuisse compositum inter partes, quòd dictus Episcopus honore Zamoren. Ecclesiæ, dum viveret, uteretur, nisi de auctoritate apostolicæ sedis loco mutatò transiret ad sedem aliquam quæ vacaret. quod si contingeret, Zamoren. Ecclesia & campus tauri Astoricen. Ecclesiæ modis omnibus redderentur. alioquin, eo defuncto, idem peoitùs servaretur. Cùm autem in eodem loco multitudo populi excrevisset, dictus Toletaous & Princeps terræ nepos bonæ memoriæ Calixti Papæ prædecessoris nostri, qui tunc sedi apostolicæ præminebat, rogaverunt eum ut sæpedictum Episcopum io Zamoren. Præsulem confirmaret: quorum precibus acquievit, dans eidem Episcopo in mandatis ut interim nulli professionem faceret, nec Ecclesiam sibi commissam permitteret alij subjugari, donec instrueretur ab ipso quid eum facere oporteret. Audieos autem hoc Archiepiscopus Toletanus, ad apostolicam sedem juxta tuam assertionem accessit: ubi de obedientia sibi à Zamoren. Episcopo impendeoda litteras, ut dicebas, apostolicas impetravit: qui post obitum primi Episcopi etiam alium ibi Episcopum consecravit. Propter quod ... tunc Archiepiscopus Bracareo. ad felicis recordationis Eugenium Papam prædecessorem nostrum accedens, multis argumentis & rationibus asseveravit Zamoren. Ecclesiam ad Bracaren. metropolim pertinere. Vnde ab eodem citatus fuit Archiepiscopus Toletanus: in cujus præsentia utraque partium constituta, eorum auditis rationibus & pleniùs intellectis, de consilio fratrum prædictam Zamoren. Ecclesiam perpetuò subjectam esse decrevit Ecclesiæ Bracarensi, sicut in authentico senteotiæ continetur, maodans Episcopo, Clero, & populo Zamoren. ut Bracaren. Archiepiscopo ejúsque successoribus tanquam Metropolitano proprio debitam obedientiam & reverentiam exhiberent. Cujus auctoritate senteotiæ, à piæ record. eodem Eugeoio, Adriano, & Alexaodro Romaois Pontificibus confirmatæ, quòd à Bracarensi Archiepiscopo apprehensa fuerit possessio corporalis, per depositiones testium & rescripta quædam ostendere satagebas. Consequenter verò Compostellanus Archiepiscopus, qui à tempore Calixti semper tacuerat, ut dicebas, ad eundem Alexandrum accessit, & veritate tacita, cum instantia nimia commissiooem satis insolitam impetravit, ut Zamoreo. Episcopum ad exhibitionem justitiæ de subjectione Zamoren. Ecclesiæ, quam sibi vendicare volebat, pro debito cogeret officij pastoralis. Quamvis enim Braca-

renſis Archiepiſcopus tempore patris & prædeceſſoris ſui Eugenij Papæ per ſententiam ejus contra Toletan. obtinuerit ſubjectionem Eccleſiæ Zamorenſis, quia tamen poſſeſſionem non habuit,& res inter alios acta aliis non præjudicat,in conſcientia ſua idem Alexander Papa de conſilio fratrum ſuorum invenit quòd Compoſtellanus Archiepiſcopus convenire poſſet Epiſcopum Zamorenſem, & Epiſcopus deberet ei ſecundùm juris ordinem reſpondere. Vnde Tiraſonenſi, Abulenſi, & Purtugalen. Epiſcopis mandando præcepit ut Epiſcopum Zamoren. monere curarent & ipſius auctoritate compellere, quòd de ſubjectione ſuæ Eccleſiæ Compoſtellano Archiepiſcopo ſub eorum examine, occaſione & contradictione ceſſantibus, non differret juſtitiæ plenitudinem exhibere. Bracarenſi quoque auctoritate apoſtolica nuntiarent, ut ſi ſuæ voluntatis exiſteret, eundem Epiſcopum coram eis ab ipſius Compoſtellani, ſi quo modo de jure poſſet, ſtuderet impetitione tueri. Qui ſi à Zamoren. non vocatus ad cauſſam duceret appellandum, propter hoc cognitionem & deciſionem ipſius cauſſæ inter Compoſtellanum & Zamoren. prætermitti vel differri nolebat. Si verò Portugalenſis exequendis præmiſſis nollet vel nequiret adeſſe, alij duo ea nibilominus adimplerent. Has ſiquidem litteras commiſſorias de ſuggeſtione falſitatis, iniquitate formæ, ac inæqualitate mandati tu coram nobis arguere ſatagebas. Suggeſſerat enim Compoſtellanus Archiepiſcopus quòd non habueras poſſeſſionem Eccleſiæ Zamorenſis. quod falſum fuiſſe per atteſtationes oſtendere nitebaris. Mandabatur etiam delegatis judicibus, ut ſi Bracarenſis à Zamorenſi non vocatus ad cauſſam duceret appellandum, deciſio cauſſæ nullatenus tardaretur. quod iniquum admodum prima facie videbatur; cùm quorum intereſt, audiri ſoleant appellantes. Et ſi Portugalenſis,qui erat ſuffraganeus Bracarenſis, nollet cauſæ vel non poſſet adeſſe, alij duo procedere non differrent. quod in ſuffraganeo Compoſtellanæ Eccleſiæ non mandabatur aliquatenus obſervandum, ut ſcilicet in ejus abſentia reliqui duo poſſent aliquid diffinire. Contra proceſſum quoque delegatorum judicum allegabas, quòd cùm tres judices locum idoneum partibus communiter aſſignaſſent, duo ex ipſis, ſuffraganei ſcilicet Eccleſiæ Compoſtellanæ, aliúſque tanquam medius delegatus in abſentia tertij, qui erat ſuffraganeus Bracarenſis, mutato loco communi deliberatione proviſo, alium ferè inacceſſibilem partibus aſſignarunt. Qui cùm eſſet in Sarracenorum faucibus conſtitutus, & per decem dietas diſtaret ab Eccleſia Bracarenſi,propter Regum diſcordias & alia multa impedimenta illuc ire non potuit Archiepiſcopus Bracaren. petens per duos de ſociis ſuis cum litteris excuſationis ad eoſdem judices deſtinatos ut loco mutato alium aſſignarent partibus competentem. Quod cùm facere noluiſſent, iidem nuntij ſedem apoſtolicam appellarunt; ſicut etiam idem Archiepiſcopus per ſuas litteras appellabat. Sed ipſi judices appellatione contempta, in cauſſa nihilominus proceſſerunt, Zamoren. Eccleſiam per iniquitatem & colludium, ut dicebas, Compoſtellano Archiepiſcopo aſſignantes. Quorum ſententiam aſſerebas multipliciter irritandam, propter manifeſtam ſuſpicionem duorum judicum, qui ſine tertio pro loco idoneo inacceſſibilem elegerunt, nec receperunt excuſationes & appellationem Eccleſiæ Bracarenſis, tam arduum negocium in momento temporis decidentes, cùm etiam in cauſſis minimis dilationes variæ poſtulantibus non negentur. Vnde propter hæc & ſimilia, tam coram ipſo Vicedomino priùs propoſi- *Vide ſupra epiſt. 103.* tam quàm poſtmndum coram nobis, petebas præmiſſam ſententiam infirmari, & conſequenter quicquid ex ea vel ob eam fuit poſtea ſubſecutum. Ceterùm præfatus Compoſtellanus Archiepiſcopus pro Eccleſia ſua factum aliter proponebat, Zamoram ab antiquo partem epiſcopatus Salamantini aſſerens extitiſſe, cùmque Salamantina civitas poſt paganorum perſecutionem reſtituta fuiſſet cultui Chriſtiano, dioceſis illa, ſicut nunc pertinet ad Epiſcopum Zamorenſem, fuit Salamantino Epiſcopo totaliter reſtituta. Cujus ſubjectionem, mediantibus Hieronymo, Geraldo, & Munione Salamantinis Epiſcopis, Compoſtellana Eccleſia facta metropolis noſcitur habuiſſe. Quod, ſicut ipſe dicebat, multa documenta, fama publica, & recens memoria hominum proteſtantur. Proceſſu verò temporis in tantum excrevit in loco eodem hominum multi-

tudo, quòd per studium Regis proprius fuit ibi Episcopus institutus, & ad instantiam regiam per Toletanum tunc Legatum totius Hispaniæ consecratus: qui mandatum à Calixto Papa recepit, sicut est superiùs prælibatum, quòd nulli professionem faceret, donec super hoc sibi denuo scriberetur. in quo tamen, tum pro debito consecrationis impensæ, tum propter legationis officium, Toletanus cœpit sibi speciale aliquid usurpare, qui successorem primi Episcopi similiter consecravit. Accidit autem quòd tempore illo, prout Compostellanus dicebat, in caussa primatiæ condemnatus Bracarensis Archiepiscopo Toletano, compulsus fuit ab Eugenio Papa debitam illi obedientiam recognoscere. Propter quod ei amicabiliter sociatus, sperare cœpit quòd episcopatum Zamoren. per ipsum posset evincere, ad cujus metropolim non spectabat. Vnde in ejusdem Papæ præsentia propter caussam Zamoren. episcopatus dictis Archiepiscopis constitutis, nihil fuit contra Bracaren. à Toletano responsum, quod ipsius propositum impediret, sicut ex tenore sententiæ declaratur. In his autem omnibus defuerat Zamoren. qui de mandato apostolicæ sedis secundùm assertionem Compostellani Archiepiscopi pro libero se gerebat. Vnde in ipsius præjudicium, sicut neque adversùs Compostellanam Ecclesiam indefensam tunc temporis & absentem, nulla sententia vel rescriptum impetrari poterat cum effectu. Ex qua tamen sententia non fuit possessio acquisita. Cùmque postea Bracarensis resiliret ab obedientia Toletani, & ipse suspensus fuit, & ab ejus obedientia omnes suffraganei absoluti. Vnde per factum vel mandatum ipsius possessio spiritualis, & quæ ad sacramenta spectabant, secundùm assertionem Compostellani Archiepiscopi non potuit obtineri. Sed cùm successor ipsius contra Zamoren. Episcopum executionem sententiæ sæpius postularet, responsum accepit quòd nisi priùs acquiesceret sententiæ de primatia, hoc nullatenus impetraret. Vnde usque ad tempora bonæ memoriæ Alexandri Papæ remansit negotium in suspenso. In cujus præsentia præsens Compostellanus præsentem Zamoren. compelli petiit, ut dicebat, sibi de subjectione Zamoren. Ecclesiæ respondere. Verùm quia idem Alexander sententiæ

Eugenij III. de ea re literas edidit Didacus Fonseca Episcopus Tirason. in c. 2. de Primatu Toletana.

latæ ab Eugenio Papa præsentialiter interfuerat, nec contra factum ipsius venire volebat, rationibus tamen inductus, de fratrum consilio plena tandem deliberatione statuit, prout idem Compostellanus dicebat, ut quia res inter alios acta aliis non præjudicat, non obstante priori sententia Zamorensis teneretur de subjectione sua Compostellano Archiepiscopo respondere. Sic ergo sub certa forma, quæ superiùs est expressa, fuit commissio impetrata. Cùmque per litteras ipsius Alexandri non fuisset in caussa processum, successor ejus Lucius commissionem innovavit eandem: cujus tenore judices denuntiaverunt viva voce Archiepiscopo Bracarensi, & duo ex ipsis, Tirasonensis scilicet & Salamantinus, diem & locum eidem per litteras intimarunt, tertio rescribente duobus quòd non poterat interesse, quemadmodum Compostellanus Archiepiscopus referebat. Convenientibus autem tam duobus prædictis judicibus quàm partibus ad diem & locum, neque Bracarensis comparuit, neque ejus aliquis responsalis. Et cùm Zamorensis judicibus respondisset quòd ipsum ad defensionem sui vocare nunquam voluerat nec volebat, ipsi juxta formam commissionis procedentes in caussa, sicut Compostellanus Archiepiscopus proponebat, inspectis rationibus partium & pleniùs intellectis, quòd ecclesia Zamoren. de cetero Compostellanæ tanquam suæ metropoli esset subjecta sententialiter decreverunt. Cùm autem ab Vrbano Lucij successore latæ sententiæ confirmatio peteretur, propter contradictionem Bracaren. Archiepiscopi non potuit obtineri; non quòd super ipso episcopatu possessionem vel proprietatem ejus petendo Compostellanam Ecclesiam conveniret, sed super sola sententia confirmanda, vel infirmando in ea si quid existeret infirmandum, litteras ad Brixien. Vicedominum, quem pro hac caussa & aliis quæ inter Compostellanam & Bracaren. Ecclesias vertebantur, destinaverat in Hispaniam, impetravit. Ipse verò inter alia super possessione Zamoren. episcopatus & lata sententia super ipso duabus vicibus multos testes productos ab Archiepiscopo Bracaren. recepit, qui de proprietate dixit neminem eorum scire aliquid, ut credebat; verùm si quis inde aliquid diceret, juri suo renuntiare

nolebat, quamvis Compostellanus Archiepiscopus testes præfatos, non super possessione Zamoren. episcopatus, sed super sententia tantùm diceret admittendos, super qua sola commissio à parte altera impetrata, & in receptione suorum testium de Zamoren. episcopatus possessione non fuerat in forma juramenti expressum aliquid, ut dicebat. Et quoniam dictus delegatus usque ad sententiam diffinitivam procedens, gesta omnia sub sigillo suo ad sedem apostolicam destinavit, prætaxatam sententiam tanquam canonicè latam confirmari à nobis Compostellanus Archiepiscopus requirebat, non obstante quòd contra commissionem de falsi suggestione vel aliis fuerat intentatum, cùm nec ante sententiam objectum fuerit, nec si veritas illa fuisset expressa, commissionem nullatenus impedisset: nec Bracaren. interrerar appellare, cùm sibi per ea non fieret præjudicium quæ inter alios agebantur; sicut nec ultimam clausulam literarum, quæ à forma communi & solita, non sensu, sed verbis tantummodo discrepabat. Nos ergo rationibus & allegationibus, attestationibus quoque ac instrumentis utriusque partis diligenter auditis & intellectis, visis, & cognitis, post longam discussionem & examinationem perfectam, de communi fratrum nostrorum consilio decernendo pronuntiamus, & pronuntiando decernimus, sententiam illam in nullo prorsùs obsistere tibi vel Ecclesiæ Bracarensi. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. Datum Laterani III. Nonas Iulij.

MARTINO BRACAREN. Archiepiscopo.

Epist. 106. Concordiam inter ipsum & Compostellanum Archiepiscopum initam confirmat.

SÆpe contingit ex contentionibus litigantium, quòd in tantum se partes laboribus aggravant & expensis, ut non solùm quæ vincitur, sed quæ vincit, tandem pœnitcat litigasse. Nos ergo, qui sollicitudine pastorali singulorum tenemur gravaminibus præcavere, ne præ multitudine ac magnitudine quæstionum quæ inter te ac venerabilem fratrem nostrum Compostellanum Archiepiscopum vertebantur, importabile vobis gravamen incumberet, super quæstione de usu crucis aliquandiu ventilata vos ad concordiam duximus invitandos: qui nostris acquiescentes consiliis, in hunc modum concorditer convenistis, ut uterque per provinciam alterius universam, crucem ante se faciat sine contradictione deferri. Volentes igitur ut hæc forma concordiæ nostro mediante studio procurata inter vos & successores vestros inviolabiliter observetur, eam auctoritate sedis apostolicæ confirmamus, statuentes ut nulli omnino hominum &c. Datum Laterani II. Nonas Iulij.

In eundem modum Petro Compostellano Archiepiscopo.

PRÆPOSITO S. SEVERINI, Decano, & L. Canonico majoris Ecclesiæ in Euphurdia.

TRansmissam nobis dilecti filij H. magistri scholarum Wirseburgen. recepimus quæstionem, quòd Canonici sancti Iohannis contra Turonensis statuta Concilij stipendia quatuor Clericorum personis sexdecim assignarunt; ea conditione adjecta, ut quatuor ramdiu essent stipendio uno contenti, donec tot morerentur quòd quilibet posset integrum beneficium obtinere. quod dilecti filij nostri P. tituli sanctæ Cæciliæ & Iohannes tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyteri Cardinales, tunc in partibus illis legationis officium exercentes, sicut decuit, irritarunt. Iidem quoque Canonici præbendam unam Vu. & A. Clericis sub eo tenore dederunt, ut alter succederet proximò morienti. Cùm itaque successorium edictum à sanctuario Domini sit exclusum, nec illa sint in Clericis sustinenda quæ ipsæ quoque leges reprobant seculares, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus præfatis donationibus & concessionibus, tanquam juri contrariis, penitùs irritatis, præfatos Canonicos ad faciendam ordinationem canonicam & de personis idoneis monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quod si omnes &c. duo &c. Datum Laterani V. Nonas Iulij. Epist. 107. Sectiones beneficiorum & successiones vetantur.

ERMILINDÆ ABBATISSÆ monasterij S. Mariæ Aquilegiensis, ejúsque sororibus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

PRudentibus virginibus &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum Epist. 108. De confirma-

tione privilegiorum. in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Præterea specialiter proventus decimarum de insula, tam olei, quàm aliarum rerum omnium, quas illustris memoriæ Engelbertus Comes de Goriza à Tergestin. Ecclesia in fendum habuit, & in manibus bonæ recordationis Vlrici Patriarchæ tunc apostolicæ sedis Legati resignavit, sicut eas recolendæ memoriæ.... quondam Tergestinus Episcopus monasterio vestro rationabiliter contulit, & prædictus Aquilegiensis Patriarcha confirmavit, & vos sine controversia possidetis, nos denuo ad instar felicis recordationis prædecessorum nostrorum Alexandri, Lucij, Vrbani, & Celestini Romanorum Pontificum, secundùm compositionem quæ facta est propter controversiam quæ inter bonæ recordationis Aldigerum Iustinopolitanum Episcopum & vestram Ecclesiam super præfatis decimis postea vertebatur, sicut ex utriusque partis consensu in præsentia felicis memoriæ Gotefridi Aquilegien. Patriarchæ terminatum esse ejusque scripto confirmatum fuisse dignoscitur, vobis & per vos monasterio vestro in perpetuum auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate, & diocesani Episcopi canonica justitia. Siqua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, VIII. Idus Iulij, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

ABBATI ET CONVENTVI S. Crucis de VValthan.

Epist. 109. De confirmatione privilegiorum.

IVstis petentium &c. *usque ad verbum* assensu, institutiones Ecclesiarum de Nesinges & de Netlesuville factas vobis & concessas per Archidiaconum, cùm sedes episcopalis vacaret, substituto Episcopo concessionem ipsius postmodum approbante, quæ utique Ecclesiæ in fundis vestris constructæ sunt, & in quibus patronatum antea babebatis, sicut eædem institutiones vobis justè concessæ sunt, & vos ipsis hactenus rationabiliter ac pacificè usi estis, salvo tamen jure canonico diocesani Episcopi, sicut hucusque solitus est habere, ad exemplar bonæ memoriæ C. Papæ prædecessoris nostri auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani Nonis Iulij.

ABBATI ET FRATRIBVS Ecclesiæ sanctæ Crucis de VValthan.

Epist. 110. De eadem re.

LIcèt ex injunctæ nobis administrationis officio universas Ecclesias oculo debeamus benigniori respicere, & earum tranquillitati & paci studio intendere pietatis, circa provisionem tamen illarum quæ ad jus beati Petri nullo mediante pertinent, eò majorem diligentiam habere nos convenit, quò specialiùs ad nostrum regimen pertinere noscuntur. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & felicis recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, Ecclesiam vestram, in qua divino mancipati estis obsequio, quæ beati Petri juris existit, sub ipsius & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam in eadem Ecclesia noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Statuimus autem ut quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum justis modis præstante Domino poterit adipisci, vobis & Ecclesiæ vestræ firma & illibata permaneant. Statuentes insuper ut quicunque in ejus Ecclesiæ fuerit Abbatem electus, postquam munus benedictionis receperit, se non alienaturum bona ipsius Ecclesiæ, juramento promittat; sicut ru, fili Abbas, fecisse dignosceris, cùm à bonæ memoriæ Lucio Papa prædecessore nostro benedictionis gratiam recepisti. Sanè cùm possessionum vestrarum Ecclesiæ, quarum vobis præsentatio competit, decedente pastore vacaverint, vos Presbyteros, qui in eis ministrent, diocesano Episcopo præsentetis, qui ei in spiritualibus, vobis autem in temporalibus debeant respondere. Interdicimus insuper & auctoritate apostolica prohibemus ne aliquis in Ecclesias vestras indebitas exactiones vel gravamina contra statuta Rom. Pontificum, & præcipuè Lateran. Concilij, exercere præsumat. Cùm verò generale interdictum

cetræ fuerit, liceat vobis clausis januis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Nulli ergo &c. protectionis, confirmationis, constitutionis, & prohibitionis &c. Datum Laterani VI. Idus Iulij.

CRIM. PLACENTINO ELECTO.

Epist. 111. Electionem ipsius confirmat.

ACcedentes ad præsentiam nostram dilecti filij Hugo Vicedominus majoris Ecclesiæ, magister Alb. sancti Antonini Canonicus, & Al. Prior sancti Savini Placentin. cum litteris dilectorum filiorum Archidiaconi, Cleri, & populi Placentini, sua nobis relatione monstrarunt, & hoc ipsum præmissæ litteræ continebant, quòd defuncto bonæ memoriæ Episcopo Placentino, Clerici ejusdem civitatis convenientes in unum, & de substituendo pastore longum tractatum habentes, randem faciente illo qui divisa congregat, & congregata conservat, in re vota sua unanimiter contulerunt, suppliciter postulantes ut electionem de te canonicè factam ratam habentes, eam curaremus auctoritate apostolica confirmare. Nos ergo volentes de forma electionis fieri certiores, sicut moris est approbati, de processu ipsius per venerabilem fratrem nostrum I. Albanen. Episcopum & dilectum filium I. tt. sanctæ Priscæ Presbyterum & G. sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinales inquiri fecimus diligenter; & tam per examinationem nunciorum ipsorum, quàm ex decreti tenore nobis exhibiti, cognovimus evidenter electionem canonicam extitisse. Verùm quoniam in hujusmodi duo tanquam potissima requiruntur, quòd scilicet electio sit, & idonea sit electi persona, quorum primum eligentium factum, secundum autem electi meritum respicit, & ob hoc duplex sit examinatio necessaria, electionis videlicet & electi; licèt per examinationem præmissam de forma electionis canonicæ redditi fuerimus certiores, tuam tamen personam, velut absentem, examinare nequivimus. Ceterùm quia quorundam fratrum nostrorum assertio, qui te pleniùs cognoverunt, super vita pariter & scientia laudabile tibi testimonium perhibebant, & hoc ipsum præsumi poterat evidenter ex eo quòd in ordine Cistercien. & ad prioratus officium & ad abbatiæ regimen assumptus fuisti, & in utroque laudabiliter conversatus, nos tam tuæ personæ quàm Ecclesiæ Placentinæ ampliorem volentes gratiam exhibere, de consilio fratrum nostrorum electionem ipsam, sicut canonicè facta est, approbantes, eam duximus auctoritate apostolica confirmandam; confidentes in Domino & in potentia virtutis ejus quòd cum honoris augmento virtutum tibi dabitur divinitus incrementum, quibus potenter adjutus, feliciter majora procures, qui minoribus hactenus laudabiliter insudasti. Et quoniam ad episcopale onus pariter & honorem non duxisti absque nostra licentia transeundum, ne gregi dominico diù desit cura pastoris, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ad regimen Ecclesiæ Placentinæ, tanquam sponsæ tibi divinitus præparatæ, securus accedens, auctoritate apostolica præmunitus, circa utilitatem Cleri & populi tibi commissi solicitudinem vigilantem impendas & operam efficacem; ut sub regimine tuo plus per Deum quàm per hominem, sicut creditur, procurato, præfata Ecclesia, quam prædecessoris tui obitus ad vesperam contristavit, de promotione tua lætitia matutina recepta, spiritualibus & temporalibus proficiat institutis. Datum Laterani V. Idus Iulij.

Scriptum est super hoc in eundem ferè modum Clero & populo Placentin. usque ad verbum institutis. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus eidem electo, tanquam patri & pastori animarum vestrarum, debitam obedientiam & reverentiam impendentes, tam circa spiritualia quàm etiam temporalia sibi pareatis humiliter & devotè, recipientes firmiter & tenentes ipsius salutaria monita & præcepta, ut subsidio vestræ devotionis adjutus, divina præcedente gratia & sequente, ad honorem Dei, salutem suam, utilitatem vestram, & profectum Ecclesiæ Placentinæ, injunctum sibi officium valeat feliciter consummare. Datum ut suprà. Epist. 112.

ALDIGERIO DECANO & Canonicis Aquilegien.

Epist. 113. Deciditur controversia Decani & Capituli Aquilegiensis contra suum Præpositum.

ORta nuper inter vos & dilectum filium Poponem Præpositum Aquilegien. super administratione possessionum Aquilegien. Ecclesiæ ad Canoni-

cos pertinentium contentione non parva, cùm propter hoc utraque partium ad nostram præsentiam accessisset, nos vobis & ipsi Præposito dilectum filium nostrum S. tt. sanctæ Praxedis Presb. Cardinalem concessimus auditorem: coram quo fuit ex Præpositi parte propositum, quòd vacante præpositura Ecclesiæ Aquilegien. vos eum absentem in Præpositum purè ac simpliciter elegistis, & electionem venerab. fratri nostro Aquilegiensi Patriarchæ secundùm consuetudinem præsentantes, postulabatis eam secundùm tenorem cujusdam transcripti, quod sumptum esse dicebatis ex privilegio Ol. bonæ memoriæ Aquilegien. Ecclesiæ Patriarchæ, auctoritate metropolitica confirmari. Cùmque ipse deliberatione præmissa requisisset à vobis utrum justè in Præpositum fuisset electus, vobis respondentibus electionem fuisse de ipso canonicè celebratam; se purè recipere quod sibi justè offerebatur adjecit, tenoris ejusdem privilegij & præcedentis Canonicorum status ignarus. Requisitus autem postmodum ut vobis juramento caveret ne vos ultra id quod in privilegio prædicti Patriarchæ continebatur, aliquatenus molestaret, quòd id si Simoniacum esset asseruit, renuntiationi vobis faciendæ renuntians, & se negans super hoc cautionem vobis aliquam præstiturum. Deinde Patriarcha prædictus electionem ipsius simpliciter confirmavit, & præcepit ei locum secundùm prædecessorum suorum consuetudinem assignari. Accepto verò postmodum à ministerialibus suis quòd ad eum de jure præposituræ administratio pertineret, ad villas Ecclesiæ Aquilegien. accessit, & officiales eum in Præpositum humiliter receperunt, juramentum ei super fideli villicatione præstantes. Cùmque postmodum regressus Aquilegiam, sibi vellet administrationem cellarij vendicare, quasi possessionem ejus per seram; quia clausum erat cellarium, apprehendit. Propter quod postmodum quidam vestrum & ipse cum eis ad nostram audientiam appellarunt, appellatione ab utraque parte denuo postmodum innovata. Ceterùm cùm utraque partium in Patriarchæ fuisset præsentia constituta, licèt Patriarchæ quærenti si contra vos aliquid vellet proponere, quòd nibil proponeret respondisset, sed paratus esset potiùs respondere quia esse se in administrationis possessione credebat, nuncius vester ab impetitione ipsius vos postulavit absolvi; & vos postmodum Præposito regresso Aquilegiam, vetuistis ne vos aliquatenus aggravaret, & super hoc ad ejusdem Patriarchæ audientiam appellastis. Qui Patriarcha cùm Præpositum vellet inducere ne administrationi se aliquatenus immisceret, ipse ad nostram audientiam vocem appellationis emisit. unde dictam administrationem sibi dari, sicut antecessores sui eam habuerant, postulabat. Verùm ad hoc fuit ex parte vestra responsum, quòd Ol. quondam Aquilegien. Ecclesiæ Patriarcha, volens necessitati Canonicorum & ipsius Ecclesiæ consulere honestati, auctoritate felicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri & legationis, qua fungebatur, & sua, in eadem Ecclesia communem vitam instituit, & proventus Ecclesiarum & prædiorum, quæ priùs ad præposituram spectaverant, necnon & Obedientiarum redigi statuit in usus communes; Præposito omni prorsùs jurisdictione, potestate, ac utilitate in eisdem bonis sublata; cui tamen vassallos, ministeriales, & ipsorum beneficia reservavit, sicut in ipsius privilegio continetur. Hanc autem ipsius Patriarchæ institutionem & possessionem prædictorum bonæ memoriæ Lucius Papa prædecessor noster auctoritate vobis apostolica confirmavit. Postmodum verò cùm G. secundùm formam privilegij memorati electus fuisset in Præpositum, & etiam confirmatus, quosdam Canonicorum precibus, quosdam verò terroribus adeo circumvenit, magistro scholarum à consanguineis ejusdem G. Præpositi jurare coacto quòd se ipsi super administratione non opponeret obtinenda, quòd administrationem ipsi salva institutione prædicta & confirmatione ipsius personaliter commiserunt; sic tamen quòd in administratione non prædecessorum suorum sequeretur exempla, sed præfixam sibi à Capitulo formam potiùs observaret. quod idem Præpositus se fideliter impleturum fide data in manu Patriarchæ firmavit. Eò verò viam universæ carnis ingresso, ad petitionem Patriarchæ ipsius dictum P. secundùm formam institutionis prædictæ in Præpositū elegistis, & electióne cum institutionis transcripto Patriarchæ postmodum præsentata, & in præsentia ipsius P. lecta,

& exposita in Theutonico idiomate diligenter, idem P. requisitus à Patriarcha si secundùm formam ejusdem rescripti electionem recipere vellet, secessit in partem, & institutionis tenore perlecto, per venerab. fratrem nostrum Episcopum Concordiem. respondit quòd cùm esset patrimonio dives & ecclesiasticis beneficiis abundaret, de præpositura ipsa nomen volebat solummodo & honorem, adjiciens per se ipsum, quòd præposituram recipere volebat secundùm institionis prædictæ tenorem; & secundùm hoc ab eodem Patriarcha de præpositura fuit postmodum investitus. Deinde verò licet institutionis auctoritate prædictæ administrationem & possessionem prædictorum omnium haberetis, ea tamen ad majorem cautelam de Patriarchæ, qui nunc residet, manibus suscepistis: qui etiam institutionem communis vitæ ante litem motam suo privilegio roboravit. Veniens verò Præpositus Aquilegiam, postulavit à vobis ut beneficium ei aliquod conferretis. Et cùm ad respondendum certum terminum statuissetis eidem, possessiones vestras invadere voluit, & officiales vestros contra formam juramenti vobis præstiti jurare coëgit. Propter quod provisor vester ad sedem apostolicam appellavit; eodem provisore possessiones retinēte, ut priùs, & administrationis officium exercente. Verùm Præpositus ad cellarium vestrum cum armatis accedens, ipsum frustra nixus est occupare; ac cùm iterum Ecclesiam intrasset armatus, ex parte vestra fuit ad nostram audientiam appellatum. Tandem verò idem Præpositus ad memoratum Patriarcham accedens, & appellationi & invasioni, quam fecerat, in manibus renuntiavit ipsius. Cùm autem idem Patriarcha ex delegatione dilecti filij nostri S. tt. Sanctæ Praxedis Presb. Card. tunc apostolicæ sedis Legati partes ad suam præsentiam convocasset, & dixisset eidem Præposito ut proponeret si quid adversùs vos quæstionis haberet, eo respondente quòd nihil contra vos proponere vellet, sed paratus esset potiùs proponentibus respondere, vos ab impetitione ipsius postulastis absolvi, & ne possessiones vestras invaderet, ad sedem apostolicam appellastis. Quòd autem hæc sibi obesse non possent pars Præpositi nixa est multiplici ratione monstrare, asserens institutionem illam Ol. Patriarchæ in ipsius non debere præjudicium retorqueri, cùm obtenta fuerit contra jus commune, consuetudinem Ecclesiæ Aquilegiensis, & institutionem Patriarchæ Poponis, & in præposituræ læsionem enormem facta fuerit præpositura vacante. Contra jus commune: quia ex jure communi procedit ut Præpositus bona Ecclesiæ, cujus est Præpositus, administret. Contra consuetudinem Aquilegien. Ecclesiæ: quoniam per centum annos & ultrà Præpositus administrationem bonorum ejus habuerat, à tempore videlicet Patriarchæ Poponis usque ad tempus Olrici. In enormem læsionem præposituræ ipsius: quia per ipsam jus præposituræ usque adeo fuerat decurtatum, ut non nisi nomen & onus relictum Præposito videatur. Præterea si etiam institutio memorata teneret, juri Præpositi non obesset, cùm per ipsam non fuerit Præposito administratio expressè sublata, & post eam prædecessor ipsius usque ad hæc tempora administrationem habuisse probetur. Nec nocet nec nocere potest quòd in eadem institutione subjungitur *Præposito omni jurisdictione, potestate, & utilitate sublata*, cùm dictus L. prædecessor noster illud in confirmationis suæ litteris non apponat. Cùm enim ipse in confirmatione sua quædam minuat, ut de duplici portione in vestitu conferenda Decano & magistro scholarum, quædam addat, ut de his quæ pro vestitu Canonicis conferenda fuerint, per manum unius vel plurium, qui ad hoc ordinati fuerint, conferendis, quædam corrigat, ut super vestimentis præsentibus & absentibus pariter impendendis, ubi addidit, *si ex rationabili causa defuerint*, si quid in eadem institutione reperiatur de quo mentio in ejusdem Lucij confirmatione non fiat, id intelligitur reprobatum. Aut enim capitulum illud ei cum aliis expressum fuerat, aut dolosè suppressum. Si expressum fuit, & illud idem prædecessor noster noluit confirmare, intelligitur reprobasse. Quòd si suppressum fuerat, confirmatio eadem probabitur fuisse surrepta. Quod verisimilius videtur, cùm in ipsa confirmatione de jure Præpositi nihil penitùs exprimatur. Præterea in eadem institutione administratio non aufertur Præposito, sed jurisdictio, utilitas, & potestas. Quòd sanè intelligendum est, ut Canonicorum utilitati proficiat, & jura Præpositi

Præpositi non offendat; sic videlicet, ut non liceat Præposito contra tenorem institutionis ejusdem extra commune refectorium ministrare fratribus alimenta, vel præpositura proventus, sicut priùs, suis usibus applicare. Vnde vos verba illa contra Præpositum minùs sufficere cognoscentes, institutionem prædictam vobis fecistis per Patriarcham, qui nunc residet, innovari, & apponi in capitulo memorato, *Præposito omni jurisdictione, potestate, utilitate, & dispositione sublata*; & quasi conscij quòd administrationis vobis officium præsumpseratis indebitè usurpare, institutioni Patriarchæ prædicti, ubi habebatur ut omnia bona quæ de præpositura, de Ecclesiis videlicet & prædiis & obedientiis provenirent, redigerentur in usus communes, utilitati vestræ omnimodis profutura, dispositioni fecistis apponi. Fuit etiam ex eâdem parte adjectum, quòd Præpositus ipse quicquid ei fuisset electionis suæ tempore sub quacunque forma propositum, quod sibi justè offerebatur, se recipere simpliciter & purè respondit. Nec adjecit *secundùm formam institutionis prædictæ*, immo cùm postmodum quæreretur ab eo ut caveret ne quid sibi ultra formam institutionis prædictæ aliquatenus vendicaret, quòd non caveret asseruit, quia id simoniacam saperet pravitatem. Nec nocuit quòd in prima responsione sua non contradixit expressè, cùm sciret jus suum ubique durare, nec adhuc plenè nosset tenorem institutionis ejusdem, utpote qui in Aquilegien. Ecclesia nunquam fuerat conversatus. Ex responsione quoque facta per Concordien. Episcopum, qui responderat eum ex præpositura non quærere nisi nomen solummodo & honorem, nullum juri suo asseruit præjudicium generari, cùm in hoc nomen dignitatis intellexerit & administrationis honorem. Adjecit etiam vos esse quodammodo de simonia confessos, cùm ipsum in Præpositum secundùm formam institutionis prædictæ, ut servaret videlicet quod continebatur in ea, vos elegisse dixistis, cùm hujusmodi conditio simoniacam sapiat pravitatem. Ceterùm pars vestra rationes inductas taliter suis rationibus repellebat, asserens quòd prædicta institutio & tenuerat & tenebat, cùm utilitatem communem & Ecclesiæ respiceret honestatem, & memoratus Ol. Patriarcha in ea & auctoritate legationis & metropolitica usus fuerit potestate, & de totius Aquilegien. Capituli eadem fuerit instituta consensu. Nec oberat quòd consummata fuerat præpositura vacante, cùm vivente adhuc priore Præposito sæpius fuerit de ipsa tractatum, & successor ipsius tanquam Canonicus faciendæ, jam factæ verò factus ipse Præpositus suum expressè præstitisset assensum; cùm & ante electionem & confirmationem ipsius per annum & plus, & pòst per septem menses & ampliùs, in plena & pacifica possessione juxta ipsius institutionis formam liberè fuissetis, donec eidem administrationem non tanquam Præposito sed tanquam Canonico personaliter commisistis, sicut per testes fuerat legitimè comprobatum. Per illa etiam verba, scilicet *omni jurisdictione, potestate, & utilitate sublata*, omnem administrationem sublatam Præposito dicebatis; cùm in jurisdictione statuendi auctoritas, in potestate ministrandi facultas, & in utilitate convertendi, sicut priùs, in suos usus præpositura proventus ei fuerit licentia denegata. Sic enim in talibus potestas accipitur, secundùm canonicas sanctiones, ut cùm dicitur quòd omnes res Ecclesiæ in Episcopi potestate consistant, & ad ejus dispositionem pertineant; sic etiam & secundùm constitutiones legales, bona pupilli dicuntur esse in potestate tutoris. Cùmque consuetudo sit optima legum interpres, qualis illorum verborum fuerit intellectus, ex eo quod continuè subsecutum est declaratur. Statim enim Capitulum, ut dictum est, sine contradictione cœpit administrare ante electionem G. substituti Præpositi per annum & plus, & post electionem & confirmationem ipsius per septem menses & ampliùs administrans; immo ex tunc administrare nunquam cessavit, cùm G. Præpositus non ratione præpositura sed ex commissione Capituli ministrarit, sicut per testes sufficienter fuerat comprobatum; & is utique possideat, cujus nomine possidetur. Adjecistis etiam quòd etsi prædicta institutio non teneret, idem tamen Præpositus sibi nihilominus præjudicium irrogarat; cùm secundùm formam institutionis ejusdem, electionem, sicut per testes probatum fuerat, recepisset, & nihil aliud nisi nomen & honorem ex præpositura officio postularet. Nec oberat quòd in confirmatione dicti

Lucij prædecessoris nostri de jurisdictione, potestate, & utilitate sublata Præposito nihil expressum extiterat; cùm non semper quod simpliciter est suppressum, intelligi debeat reprobatum, immo fortiùs id exprimi soleat quod approbatis ceteris reprobatur; cùm non minor in reprobatiune quàm in approbatione sit solennitas requirenda. Nec fuerat simoniacum, si eum secundùm formam sæpedictæ institutionis in Præpositum elegistis, cùm determinatio illa non conditionem denotet, sed modi vel status sit potiùs expressiva. Nos igitur his & aliis diligenter auditis per Cardinalem eundem quæ fuerant hinc inde proposita & diligentiùs intellectis, de fratrum nostrorum consilio ab impetitione Præpositi memorati sententialiter Ecclesiam & Capitulum Aquilegien. absolvimus, eidem Præposito super hoc perpetuum silentium imponentes. Decernimus ergo &c. diffinitionis &c. Datum Laterani VII. Idus Iulij.

CANTVARIENSI Archiepiscopo.

Epist. 114. Vt Ecclesiis parochialibus justè decimæ persolvantur.

PErvenit ad audientiam nostram quòd multi in diocesi tua decimas suas integras vel duas partes ipsarum non illis Ecclesiis, in quarum parochiis habitant, vel ubi prædia habent, & à quibus ecclesiastica percipiunt sacramenta, persolvunt, sed eas aliis pro sua distribuunt voluntate. Cùm igitur inconveniens esse videatur, & à ratione dissimile, ut Ecclesiæ quæ spiritualia seminant, metere non debeant à suis parochianis temporalia & habere, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus ut liceat tibi super hoc, non obst. contradictione vel appellatione cujuslibet, seu consuetudine hactenus observata, quod canonicum fuerit ordinare, & facere quod statueris per censuram eccle. firmiter observari. Nulli ergo &c. confirmationis &c. Datum Laterani II. Nonas Iulij.

EIDEM.

Epist. 115. Vt onera & pensiones Ecclesiis impositæ rescindantur.

QVæ in derogationem sanctorum canonum attentantur, tanto potiùs infringi volumus & carere robore firmitatis, quanto auctoritas universalis Ecclesiæ, cui, licèt immeriti, præsidemus, ad id nos provocat & inducit. Significasti nobis siquidem quòd plures sunt in Cantuarien. diocesi, qui contra juris canonici sanctionem novas pensiones Ecclesiis quibusdam imposuerunt, & veteres temeritate præsumpserunt culpabili augmentare. Cùm igitur id in contemptum ecclesiasticæ institutionis redundet, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus ut liceat tibi pensiones de novo impositas in irritum revocare, & in statum priorem appellatione remota reducere augmentatas. Nulli ergo &c. Datum Laterani VI. Kal. Iulij.

SIMONI ARCHIDIACONO Wellensi.

Epist. 116. De confirmatione privilegiorum.

IVstis petentium desideriis &c. *usque ad verbum* suscipimus. Specialiter autem archidiaconatum Wellen. cùm Ecclesia de Iuvis & Ecclesia de Subrent ad ipsum archidiaconatum pertinentibus, sicut ea justè possidetis &c. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

EPISCOPO TVDENSI, Decano Zamorensi, & Priori sancti Isidori Legionen.

Epist. 117. Committitur illis cognitio caussæ Episcopi Aurien. & Abbatis atque monasterij Cellæ novæ. Vide lib. 1. epist. 60.

COntroversiam quæ inter venerabilem fratrem nostrum Episcopum Aurien. ex una parte, & Abbatem & conventum Cellæ novæ ex altera vertebatur, super libertate ac subjectione ipsius monasterij, & sententiis excommunicationis & suspensionis in Abbatem prolatis, & in monasterium interdicti, venerabili fratri nostro Lucen. Episcopo & dilectis filiis Abbati de Melon. & P. Iohannis Archidiacono Astoricen. commisisse recolimus fine debito terminandam. Qui, cùm eis de caussæ meritis constitisset, ad diffinitivam sententiam processerunt, adjudicantes subjectionem monasterij Ecclesiæ Auriensi, Abbatem verò & monasterium ab Episcopi sententiis absolventes; quemadmodum ex ipsorum authentico nobis exhibito demonstratur. quam idem Episcopus petebat auctoritate sedis apostolicæ confirmari. Verùm ex parte dictorum Abbatis & monachorum fuit propositum ex adverso, ipsam sententiam nullius esse momenti, tanquam post appellationem prolatam, & à suspectis judicibus, & super articulo de quo lis non fuit contestata. Contra eandem quoque alia quędam coram vobis expressiùs designanda nihilominus eorundem nuncius appone-

bat. Quia verò nobis non constitit de præmissis, causam ipsam discretioni vestræ de assensu partium duximus committendam; per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus de præfata sententia cognoscentes, si eam inveneritis rationabiliter fuisse prolatam, confirmantes ipsam, faciatis auctoritate nostra remoto appellationis obstaculo firmiter observari. Alioquin ex integro de caussa cognoscentes, juxta formam prioris commissionis, quod canonicum fuerit statuatis appellatione remota, cogentes partes per censuram ecclesiasticam &c. Nullis litteris obstantibus præter assensum parrium &c. Quòd si omnes &c. duo &c. Dat. Lat. V. Idus Iulij.

ABBATI ET CONVENTVI de VValthan.

Epist. 118. De præsentatione Clericorum.

CVm vos & Ecclesia vestra, in qua estis de novæ plantationis origine & assumptione religionis Dei obsequio mancipari, de gratia sedis apostolicæ tanquam speciales filij, specialibus merueritis privilegiis honorari, providere volumus ne in his quæ de jure & dudum observata consuetudine obtinetis, injustæ vexationis dispendium subeatis. Vt itaque religio quæ in Ecclesia vestra laudabili noscitur inchoata principio, bonis secundùm Deum progressibus amplietur, & vos à matre vestra Ecclesia Romana jura vestra sentiatis illibata servari, ad exemplar bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri præsentibus litteris vobis duximus indulgendum ne in Ecclesiis ad repræsentationem & ordinationem vestram spectantibus aliqui Clerici, nisi à vobis præsentati fuerint, ordinentur, vel ad earum regimen præter assensum vestrum & conniventiam admittantur. Si verò contra hæc ausu temerario aliqui venire præsumpserint, & jura vobis debita sibi usurpare tentaverint, factum & præsumptionem eorum viribus carere decernimus, & per vos auctoritate apostolica, qui taliter intrusi fuerint, concedimus amoveri; nisi fortè, quod absit, præsentationem & ordinationem earum constiterit vos malitiosè differre. Nulli ergo &c. indulgentiæ nostræ &c. Datum Laterani III. Nonas Iulij.

EISDEM.

Epist. 119. De procurationibus immodicis reprimendis. *Vide suprà lib. 1. epist. 140. & infrà lib. 10. epist. 88.*

AD notitiam apostolatus nostri pervenisse noveritis quòd Archidiaconi & officiales eorum contra statuta Lateran. Concilij ad Ecclesias vestras majore quàm debeant numero evectionis accedunt, & aliis eas gravaminibus indebitè opprimentes, ita graves in procurationibus suis existunt, quòd nonnunquam longi temporis victum brevis hora consumat. Eapropter, ne de cetero talia præfati Archidiaconi vel officiales eorum attentare præsumant, ad exemplar bonæ memoriæ Celest. Papæ prædecessoris nostri auctoritate præsentium districtiùs inhibemus. Et si ab hujusmodi gravaminibus non duxerint abstinendum, liceat vobis receptiones, exactiones, & procurationes indebitas denegare. Quòd si propter hoc interdicti vel excommunicationis sententiam in Clericos vel Ecclesias vestras temerè jaculari præsumpserint, indulgemus vobis ut eam non teneamini, utpote latam contra sedis apostolicæ statuta, servare. Nulli ergo &c. inhibitionis & indulgentiæ nostræ &c. Datum ut suprà.

EISDEM.

Epist. 120. De confirmatione privilegiorum.

INcumbit nobis ex debito pastoralis officij &c. *usque ad verbum* annuimus, & præfatum monasterium, quod specialiter beati Petri juris existit, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Libertates præterea & immunitates antiquas & rationabiles consuetudines monasterio vestro per privilegia Romanorum Pontificum & scripta Regum & Principum prævia ratione concessas, & hactenus observaras, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Decernimus ergo &c. protectionis & concessionis &c. Datum Laterani Nonis Iulij.

EISDEM.

Epist. 121. De eodem argumento.

FErvor religionis & devotionis vestræ nos movet propensiùs & inducit ut præter commune debitum petitiones vestras, quæ rationi conveniunt, debeamus libenter admittere & utilitati monasterij vestri, quod ad jurisdictionem beati Petri & nostram specialiter pertinet, pastorali solicitudine provide-

re. Eapropter &c. *usque ad verbum* assensu, auctoritate vobis apostolica indulgemus quòd si Episcopi, in quorum dioecesi Ecclesias parochiales habetis, in fata concesserint, & Ecclesias vestras interim vacare contigerit, Capellani in ipsis instituendi, ne ordinationes Ecclesiarum inutiliter differantur, ad præsentationem vestram ab eo qui sede vacante vices Episcopi debet de jure supplere, sine contradictione qualibet admittantur, qui vobis de temporalibus, Episcopis vel eorum officialibus de spiritualibus debeant respondere. Adijcimus etiam, quòd sicut rationabili consilio & providentia Capituli vestri Ecclesiam de Windesores ad cellarium & Ecclesiam de Alrichefeia & Ecclesiam de Herford & Ecclesiam de Nesinges ad vestimenra fratrum vestrorum invenienda, Ecclesias verò de Epinges & de Wdeford & de Ncclesuvelle & de Luchenton ad usus sacristiæ vestræ de assensu dioecesani Episcopi assignastis, ita vobis vestrisque successoribus in perpetuum permaneant ad hos usus. Et ne imposterum hæc assignatio vestra possit vel debeat in aliquo mutilari, ipsam auctoritate apostolica confirmamus & præs. &c. Decernimus ergo &c. concessionis & confirmationis &c. Datum Laterani VI. Idus Iulij.

FRATRI RAINERIO, apostolicæ sedis Legato.

Epist. 122. Creat ipsum Legatum apostolicæ sedis in nonnullis provinciis Gallicanis. *De fratre Rainerio vide lib. 1. epist. 92. 93. 125. 249. 395. 449.*

LIcèt solitæ solitudinis locum affectes, fugans vel fugiens potiùs tumultus secularium potestatum, ut Rachelis foveäris amplexu, & in lege divina jugiter mediteris, sedens secus pedes Domini cum Maria, cùm tamen in lege mandatorum ipsius legeris quòd obedientia præferenda sit victimis, & proximum diligere debeas ut te ipsum, nec potes nec debes sic vivere soli tibi ut vel recedas ab obedientia præsidentis vel proximorum salutem negligere videaris, sed à contemplatione Mariæ ad actionem Marthæ teneris saltem ex obedientiæ virtute descendere, ut in Lia Rachelis sterilitatem tua prædicatione foecundes, dum quod in solitudinis & claustri silentio didicisti, juxta mandatum evangelicum prædicaveris super tecta, & talenta tibi credita erogaveris ad usuras. Nos autem, qui, licèt immeriti, vices ejus tenemus in terris qui discipulis suis officium prædicationis injunxit, *Ite*, inquiens, *in orbem universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, plenè de tua conscientia & religione confisi, plenæ tibi legationis officium per Ebredunensem, Aquensem, Arelatensem, & Narbonensem provincias duximus committendum; corrigendi & statuendi tam in monasteriis quàm aliis Ecclesiis quæ correctione vel institutione cognoveris indigere, audiendi & decidendi vel etiam committendi caussas, & absolvendi eos qui ob violentam manuum injectionem in Clericos vinculo sunt excommunicationis astricti, si ex injectione tali vel enormis læsio vel homicidium non fuerit subsecutum, confutandi hæreticos, & cogendi eos redire ad catholicæ fidei unitatem, & plenæ legationis officium super his & aliis exequendi, & percellendi poena canonica contumaces, indulgentes tibi auctoritate apostolica liberam facultatem. Nulli ergo &c. concessionis &c. Datum Laterani IV. Idus Iulij.

ARELATEN. ARCHIEPISCOPO & Suffraganeis ejus.

Epist. 123. Vt Rainerium sedis apost. Legatum reverenter & benignè tractent.

IS cujus omnes viæ misericordia sunt & veritas testante Psalmista, cujus omnia verba doctrinam sapiunt salutarem, cujus opus exemplum nobis vitæ sanctioris ostendit, licèt solo verbo virtutis suæ possit & poterit universa, utpote qui dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt, operarios tamen in vineam suam & messem induxit, & præter sacrum duodenarium discipulorum numerum, quibus potestatem ligandi contulit & solvendi, alios septuaginta duos elegit, & binos illos ad prædicandum direxit, indulta eis calcandi super scorpiones & regulos potestate, nobis relinquens exemplum ut vestigia ejus, quantum fragiliras humana permittit, in debitæ humilitatis devotione sequamur. Hoc sanè apostolica sedes, quæ cunctarum Ecclesiarum à Domino in beato Petro magisterium obtinuit & primatum, assidua meditatione revolvens, multos in partem creditæ solicitudinis evocavit, ut in diversis mundi partibus per eorum præsentiam ipsius absentia suppleretur, & defectum unius multorum relevaret affectus, quorum solicitudo diligens & solicita diligentia expeditiùs in singulis provinciis & eradicaret noxia, & profutura plantaret. Nos etiam, qui, licèt immeriti, vicem Christi

tenemus in terris, nostram insufficientiam attendentes, quorum mentem diversæ diversarum Ecclesiarum jugiter necessitates urgent, quorum corpus assidui conquerentium clamores affligunt, præter eos quibus pars est solicitudinis nostræ commissa, cùm necessitas exigit, vel requirit utilitas, in diversas provincias Legatos à nostro latere destinamus, quibus tanto ampliùs credatur à subditis, quanto specialiùs eis apostolicæ sedis auctoritas delegatur. Dilectum itaque filium nostrum fratrem Rainerium, virum vitæ probatæ ac conversationis honestæ, Deo & hominibus obtentu suæ religionis acceptum, cujus scientiam & industriam in similibus jam sumus experti, commisso ei plenæ legationis officio ad partes vestras duximus destinandum, ut evellat quæ evellenda cognoverit, & plantet quæ plantatoris cognoverit officio indigere, specialiter autem & præcipuè ad confutandam hæreticam pravitatem assurgat, & scorpionum illorum aculeos omnipotentis Dei virtute reprimat & conculcet, qui virus draconis in aureo calice Babylonis propinant, habentes, secundùm Apostolum, speciem pietatis, virtutem autem ejus penitùs abnegantes; quorum principium religionem palliat, medium non docet sed seducit indoctos, finis perpetuum interitum comminatur: qui etiam secundùm evangelicam veritatem ad nos veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Monemus igitur fraternitatem vestram & exhortamur in Domino, ac per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandamus, quatenus eundem Legatum sicut personam nostram recipientes humiliter & devotè, quæ ipse inter vos statuenda duxerit seu etiam corrigenda, recipiatis humiliter, & inviolabiliter observetis; præsertim autem contra hæreticos taliter ipsi curetis adesse, ut per solicitudinem vestram & diligentiam ejus, vobis cooperantibus, de partibus vestris gens extirpetur iniqua, & confutata hæreticorum perfidia, doctrina prævaleat salutaris, & falsis dogmatibus reprobatis, vivat & invalescat apud vos veritas in æternum. Datum Laterani Nonis Iulij.

In eundem modum Narbon. Archiepiscopo & suffraganeis ejus, Aquen. Archiepiscopo & suffraganeis ejus, Ebredunen. Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

DECANO ET CAPITULO Aquilegiensi.

Epist. 124. Vt Præpositum suum spoliatum restituant.

Constitutus in præsentia nostra dilectus filius P. Ecclesiæ vestræ Præpositus sua nobis conquestione monstravit quòd vos ipsum villa de Drauis, quæ est inter beneficia vassallorum, ad ipsum ratione præposituræ de jure spectante, sicut in privilegiis vestris perspeximus contineri, prætermisso juris ordine contra justitiam spoliastis, eam venerabili fratri nostro Patriarchæ vestro motu propriæ voluntatis in dicti Præpositi præjudicium assignantes. Cùm itaque non sit alicui consulendum cum alterius detrimento, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus præfatam villam cum omnibus pertinentiis suis & fructibus inde perceptis & omni integritate in qua tempore donationis extitit; memorato Præposito restituere non tardetis; famulos quoque à suis prædecessoribus infeudatos quò minùs dictus Præpositus instituere possit, & etiam infeudare, prout ad ipsum de jure pertinet, impedire minimè præsumatis. Alioquin dilecto filio G. Tergestino electo præcipiendo mandamus ut ipse vos ad ea quæ præmisimus, prout justum fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Nullis litteris &c. Datum Laterani IV. Idus Iulij.

POPON. CANONICO FRISAGEN.

Epist. 125. Vt Præbendæ suæ fructus percipiat.

Cvm de consuetudine Frisagen. Ecclesiæ fructus præbendæ tuæ proponaris hactenus, sicut & alij Canonici faciunt, liberè percepisse, noleutes ut super his juri tuo processu temporis præjudicium generetur, ut eos de cetero, sicut fecisti hactenus, percipere valeas & habere, non obstante si quid in absentia tua factum est in præjudicium tuum contra priorem consuetudinem Ecclesię memoratę, auctoritate tibi pręsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Laterani II. Idus Iulij.

ABBATI ET CONVENTVI de Vvalthan.

Epist. 126.

Cvm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, jus quod habetis in Ecclesia de Scerninges, sicut illud justè & canonicè possidetis, auctoritate

vobis apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti parrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani XVI. Kal. Iulij.

EISDEM.

Epiſt. 117. IVſtis petentinm &c. *uſque ad verbum* aſſenſum, Eccleſiam de Lamburn. quam ex conceſſione dioceſani Epiſcopi obtinetis, ſicut illam juſtè ac pacificè poſſidetis, & in authentico ſcripto dioceſani Epiſcopi confecto exinde pleniùs continetur, vobis & per vos monaſterio veſtro auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum ut ſuprà.

Epiſt. 118. CVm à nobis petitur &c. *uſque ad verbum* aſſenſu, Eccleſiam de Vvrengle vobis à venerab. fratre noſtro Lincolnien. Epiſcopo conceſſam, ſicut eam juſtè & canonicè poſſidetis &c. Nulli ergo &c. Datum Laterani XVII. Kal. Iulij.

Epiſt. 119. IVſtis petentinm &c. *uſque ad verbum* aſſenſu, Eccleſiam ſancti Andreæ de Geiſte, Eccleſiam omnium ſanctorum de Geiſtetorp, jus quod habetis in Eccleſia ſancti Petri de Vvdennorton, ſicut ea juſtè ac pacificè poſſidetis, & in authentico ſcripto dioceſani Epiſcopi confecto exinde pleniùs continetur, vobis & per vos monaſterio veſtro auctoritate apoſtolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum Laterani XVI. Kalendas Iulij.

ARCHIEPISCOPO CANTVARIENSI, de Ceresia & de Cireſtria Abbatibus.

Epiſt. 120. Vt Abbatem S. Crucis legitimæ conſtitutioni per Papam approbatæ obedire cogant. AD audientiam apoſtolatus noſtri noveritis perveniſſe quòd cùm olim tam à dilecto filio Abbate ſanctæ Crucis de Vualthan quàm Capitulo ſuo communi conſilio fuerit ordinatum pecuniam eorum integrè in uno marſupio congregari, & ſervari per duos vel tres Canonicos ad hoc per eoſdem Abbatem & Capitulum voluntate unanimi deputatos, qui in præſentia ipſius Abbatis & dilectorum filiorum Prioris & Subprioris necnon & trium aliorum de ſenioribus per eundem Abbatem & Capitulum electorum ſingulis tribus menſibus de prædicta pecunia redderent rationem, conſtitutione ipſa poſtmodum à ſede apoſtolica confirmata, ſæpedictus Abbas, Capituli ſui non requiſito aſſenſu, & cuſtodes eligit, & computationem ſolus recipit propria voluntate. Vnde nos eidem Abbati per ſcripta noſtra mandavimus ut conſtitutionem ipſam ſtudeat, ſicut ſine pravitate facta eſt, inviolabiliter obſervare, ne utilitatem Eccleſiæ videatur in aliquo impedire. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi ſæpedictus Abbas juxta mandatum noſtrum conſtitutionem prædictam obſervare neglexerit, vos eum ad obſervationem ejuſdem auctoritate præſentium per cenſuram eccleſiaſticam, ſicut juſtum fuerit, appellatione remota cogatis. Quòd ſi omnes &c. tu frater Archiepiſcope &c. Datum Laterani Nonis Iulij.

CANTVARIENSI ARCHIEPISCOPO, & Epiſcopo Roffenſi.

SIcut dilecti filij Abbas & conventus de Vualthan nobis ſignificare curarunt, quidam, quos vobis propriis nominibus deſignabunt, libertatem eis & monaſterio eorum ab apoſtolica ſede conceſſam præſumptuoſa temeritate infringunt, ipſis aliàs damna gravia & injurias irrogando. Ideóque fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus eorundem moleſtatores injuſtos, ut ab ipſorum gravamine & indebita infeſtatione quieſcant, permittentes eos pacificè frui libertate ſibi ab apoſtolica ſede conceſſa, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis. Nullis litteris &c. Quòd ſi ambo &c. alter &c. Datum Laterani XVI. Kal. Iulij. Epiſt. 121.

ABBATI ET CONVENTVI de Vualthan.

IVſtis petentium &c. *uſque ad verbum* aſſenſu, Eccleſiam de Badburgeham, quam ex conceſſione dioceſani Epiſcopi obtinetis, ſicut illam juſtè ac pacificè poſſidetis, & in authentico ſcripto ejuſdem Epiſcopi confecto exinde pleniùs continetur, vobis & per vos monaſterio veſtro auctoritate apoſtolica &c. Nulli ergo &c. Datum Laterani Nonis Iulij. Epiſt. 122. Eccleſia confirmatur monaſterio.



PETRO COMPOSTELLANO Archiepiscopo.

Epist. 133. Vt inter Ecclesiam Compostellanam & Bracarensem juxta transactio observetur. *Vide infrà epist. 149.*

LIcèt unum sit corpus Ecclesiæ, in quo Christus est caput, & universi fideles sunt membra, ille tamen qui à Christo Petra dictus est Petrus, etiam à Christo capite vocatus est caput, ipso testante, qui ait: *Tu vocaberis Cephas.* quod secundùm unam interpretationem exponitur caput: quia sicut plenitudo sensuum abundat in capite, ad cetera verò membra pars aliqua plenitudinis derivatur, ita ceteri vocati sunt in partem solicitudinis, solus autem Petrus assumptus est in plenitudinem potestatis: ad quem, velut ad caput, majores Ecclesiæ caussæ non tam constitutione canonica quàm institutione divina meritò referuntur: inter quas illa non minima reputatur quæ inter Compostellanam & Bracaren. Ecclesias super quatuor episcopatibus, videlicet Colimbriensi, Lamecensi, Visensi, & Egitaniensi, ex delegatione sedis apostolicæ longo fuit tempore sub diversis judicibus ventilata: quam nos auctore Domino, te, frater Archiepiscope Compostellanensis, & venerabile fratre nostro M. Bracarensi Archiepiscopo pro diffinitione hujus causæ præsentibus, exacta diligentia curavimus terminare. Petebas siquidem à dicto Bracarem. Archiepiscopo quatuor præfatos episcopatus, asserens eos ad Compostellanam Ecclesiam jure metropolitico pertinere. Tuam autem intentionem fundare multipliciter nitebaris, per Privilegia, per Concilia, per historias, per divisiones, per famam, & per sententiam. Volens enim apostolica sedes Compostellanam Ecclesiam pro reverentia beati Iacobi Apostoli, cujus venerandum corpus in ea conditum requiescit, speciali privilegio decorare, dignitatem Emeritensis metropolis, quæ peccatis exigentibus à longis retro temporibus usque nunc barbarica tenetur feritate captiva, eidem Ecclesiæ cum integritate Lusitaniæ provinciæ liberali concessione donavit; sicut privilegia felicis mem. Calixti Papæ prædecessoris nostri liquidò protestantur, tres de suffraganeis episcopatibus exprimens nominatim, videlicet Colimbriensem, Salamantinensem, & Abulensem, qui soli tunc in confessione Christiani nominis permanebant; ceteros autem generali donatione concludens. Hos autem episcopatus de quibus quæstio vertebatur, ad Emeritensem pertinuisse metropolim per Emeritense nitebaris Concilium demonstrare: in quo xij. Episcopi, qui convenerant, se omnes esse de Lusitania provincia profitentur, dicentes in primo capitulo: *Convenientibus nobis omnibus Lusitaniæ provinciæ Episcopis &c.* qui post universa statuta Concilij, omnes cum suo Metropolitano subscribunt, tam ex nomine sedium, quàm etiam ex nomine personarum; inter quos Colimbriensis, Egitaniensis, & Lamecensis expressè subscribunt. In octavo quoque capitulo ejusdem Concilij continetur, quòd supplicante sanctæ memoriæ Orontio Episcopo Rex Recessundus inductus est ut reduceret atque restauraret Episcopos hujus provinciæ Lusitaniæ ad suæ provinciæ nomen atque Concilium; & sic demum secundùm canonicas regulas decreto synodico, judicij formula, & suæ clementiæ confirmatione ad nomen provinciæ suámque metropolim sunt reducti. Quibus verbis indubitanter exprimi asserebas quòd hi quatuor episcopatus, qui usque tunc fuerant sub nomine provinciæ Gallæciæ, per sententiam sunt reducti synodicam: quorum unus videlicet ex reductis exprimitur fuisse Selva Egitaniensis Episcopus, qui est unus de quatuor, quos omnes eadem quæstio apprebendit. Et ad majorem expressionem in subscriptionibus post Metropolitanum Selva primus cum tali adjectione subscribit. *Ego Selva Egitanien. Episcopus pertinens ad metropolim Emeriten. unà cum Archiepiscopo meo Proficio subscribo.* & quisque sequentium dicit ita *similiter subscribo*, intelligens totum cum verbo, idest, *pertinens ad Emeritensem metropolim.* Isidorus autem in Chronicis de Gothis, titulo de Suevis, testatur quòd Remismundus ad Lusitaniam transiit, Colimbriam pace deceptam diripit, Vlixbona quoque ab eo occupatur. Per quod videtur ostendi quòd tam Colimbria quàm Vlixbona consistit in Lusitania. Plinius quoque narrat in libro secundo naturalis historiæ, circa finem, quòd Durius è maximis Hispaniæ fluminibus juxta Numantiam lapsus, dein Lusitanos à Gallæcis disterminat. Per quod apertè monstratur quòd cùm quatuor episcopatus prædicti sint ultra Durium, non in Gallæcia, sed in Lusitania

ſunt provincia conſtituti. Diviſiones etiam multas produxiſti de locis, ut aſſeris, non ſuſpectis aſſumptas, & exhibitas ſub teſtimoniis & ſigillis authenticis: quæ connumerant hos quatuor epiſcopatus inter Emeritenſis Eccleſiæ ſuffraganeos, & eoſdem ipſi metropoli evidenter aſſignant. Per teſtes etiam ab adverſa parte productos oſtendere voluiſti quòd publica fama teſtatur hos epiſcopatus ad Emeritam ſpectaviſſe. Felicis quoque memoriæ Celeſtinus Papa prædeceſſor noſter, cùm in minori ordine conſtitutus legationis officio in Hiſpania fungeretur, de hac cauſſa cognoſcens, pro Compoſtellana Eccleſia contra Bracarenſem ſententiam promulgavit; ſicut per multos teſtes tu ipſe nixus es comprobare. Verùm ex adverſo dictus Bracarenſis Archiepiſcopus rationes hujuſmodi frivolas aſſeverans, nixus eſt eas multipliciter infirmare, proponens qòod privilegia donationis per ſuppreſſionem veritatis & faſitatis expreſſionem à Calixto Papa fuere ſurrepta. Suppreſſum eſt enim verum in illis de duobus præcedentibus privilegiis, quæ felicis recordationis Paſchalis Papa ſuper redintegratione ipſorum epiſcopatuum conceſſerat in perpetuum Eccleſiæ Bracarenſi. De poſſeſſione quoque quam eo tempore in præfatis epiſcopatibus Eccleſia Bracarenſis habebat: quorum alterum per privilegia, reliquum verò per teſtes & inſtrumenta ſufficienter oſtendere ſatagebat. Expreſſum autem erat in illis falſum in eo quòd Colimbrienſis epiſcopatus dicebatur ad Emeritam pertinere, cùm idem Bracarenſis multis rationibus aſtruere niteretur tam Colimbrienſem quàm tres alios epiſcopatus ad metropolim reſpicere Bracarenſem. In tantum enim Paſchali Papæ, qui privilegia ſuper redintegratione prædictorum epiſcopatuum Eccleſiæ Bracarenſi conceſſit, conſtitiſſe videtur hos epiſcopatus ad eandem Bracarenſem Eccleſiam pertinere, quòd ipſe in litteris quas direxit Gunſalvo Colimbrienſi Epiſcopo, manifeſtè teſtatur quòd conſtat Colimbrienſem Eccleſiam in Bracarenſis provinciæ catalogo contineri. Unde quia Toletanus Archiepiſcopus ad mandatum ipſius Colimbrienſem Epiſcopum non reſtituerat Eccleſiæ Bracarenſi, privavit ipſum legationis officio, ut Bracarenſis Archiepiſcopus liberiùs in provincia ſua juſtitiam exerceret. Emeritenſe verò Concilium non eſſe authenticum multipliciter aſſerebat; tum quia non invenitur in aliquo authentico libro inter alia Cóncilia contineri; tum quia nec conſtructionem nec ſenſum, nec latinitatem in plerìſque locis continere probatur; tum etiam quia contra canonicas ſanctiones & apoſtolicæ ſedis primatum aliquid videtur in eo eſſe ſtatutum contra Epiſcopum qui non venerit ad Concilium, ut videlicet à Metropolitano debeat in cella retrudi. Per undecimum quoque Toletanum Concilium, quod conſtat authenticum, nitebatur illud Emeritenſe Concilium improbare ratione temporis quod in utroque reperitur expreſſum, cùm ſimul utrumque ſtare non poſſit, objiciens contra illud nonnullas alias rationes. Hiſtorias autem inductas ſanè ac veraciter intellectas nihil ad propoſitum valere dicebat, ſicut & per quaſdam alias hiſtorias oſtendere nitebatur; cùm & judex eccleſiaſticus ad gentiles præſertim hiſtorias non debeat ſe convertere, quando per conſtitutiones canonicas vel ſcripta Romanorum Pontificum aut ſacras auctoritates doctorum, eccleſiaſticum poteſt negocium terminare. Diviſiones etiam quas pro ſe pars tua induxit, invalidas aſſerebat; tum quia longè plures & evidentiores diviſiones pro ſua ſunt parte productæ; tum etiam quòd in eodem quaterno quem contra ſæpedictum Bracarenſem Archiepiſcopum produxiſti, Lucenſe Concilium eſt inventum: in quo epiſcopatuum Gallæciæ fuit facta diviſio, per quam epiſcopatus, de quibus agitur, ad Gallæciam provinciam pertinere monſtrantur. Famam verò dicebat contra ſe nullatenus eſſe probatam; ſed nec ſententiam præfati Legati alicujus fuiſſe momenti, cùm in ſcriptis non inveniatur fuiſſe redacta, quamvis ſuper tanto dicatur negocio fuiſſe prolata. Unde nec nomen ſententiæ habere meretur. Nec obſtat ſi fortè dicatur quòd fuerit amiſſa: quia qui caſum allegat, debet caſum probare. Teſtes autem qui de ipſa loquuntur ſententia, inter ſe omnino diſcordant, & in dicto, & in tempore, & in loco. Præterea cùm talis ſententia non intelligatur ſuper proprietate fuiſſe prolata; (Quia præſumi non debet ut apoſtolicæ ſedis Legatus tam arduum negocium, & difficile, velut indiſcuſſum ſubitò diffinierit,

Concil. Emerit. c. 7.

cùm

cùm etiam pars tua postea litteras apostolicas impetrarit, quibus districtè præcipiebatur Archiepiscopo Bracarensi ut hos episcopatus Compostellano Archiepiscopo restitueret, & facta restitutione, si super hoc agere vellet, ordine post let judiciario experiri) patet quòd illa sententia super possessione duntaxat caussa contumaciæ fuit lata. quod ipsi testes magis dicere comprobantur. Vnde cùm Bracarensis Ecclesia se postea judicio præsentaverit, & caussa postmodum fuerit ab apostolica sede commissa, morâ purgatâ talis sententia expiravit. His aliisque rationibus intentionem tuæ partis multipliciter elidere nitebatur. Vnde licèt auctore non probante is qui convenitur, etsi nihil præstiterit, absolvatur, ad ostendendam tamen evidentiùs suæ partis justitiam, hos episcopatus ad Bracarensem metropolim pertinere satagebat ostendere, per privilegia videlicet, & Concilia, confessiones, & divisiones, præscriptiones, & instrumenta. Si enim privilegia privilegiis conferantur, sua dicebat privilegia debere præferri, cùm & plura sint numero, x. videlicet Romanorum Pontificum, inter quæ post tria privilegia Paschalis secundi, est & privilegium Calixti Papæ, qui nominatim hos episcopatus redintegravit & confirmavit Ecclesiæ Bracarensi. Quorum videlicet privilegiorum septem sunt redintegrationis & confirmationis; tria verò sequentia, videlicet Eugenij, & Adriani, & Alexandri, sunt etiam concessionis perpetuæ, per quæ totum videtur negotium diffiniri. In secundo verò Bracarensi Concilio, de quo non dubitatur quin sit authenticum, cõtinetur expressum quòd Episcopi Gallæciæ cum suis Metropolitanis ad illud Concilium convenerunt, & in eorum numeratione isti quatuor continentur: qui post statuta Concilij cum aliis coëpiscopis tam ex nomine personarum quàm ex nomine sedium expresse subscribunt. Vnde liquidò patere dicebat quòd & Gallæciæ sunt provinciæ, & ad metropolim pertinent Bracarensem. Confessus es etiam tu ipse frequenter in jure quòd omnes Episcopi qui primo Bracarensi Concilio affuerunt, indubitanter pertinent ad metropolim Bracarensem. Sed per quoddam capitulum secundi Concilij Bracarensis apertè probatur quòd hi quatuor interfuerunt primo Concilio Bracarensi, cùm ad secundum Concilium Bracarense convenisse dicantur Episcopi, tam ex Lucensi synodo, quàm etiam Bracarensi, & inter eos qui ex Bracarensi synodo convenisse dicuntur, isti quatuor nominantur. Porrò secundum Bracarense Concilium non præcessit Bracarensis synodus, nisi prima. Constat ergo quòd isti quatuor fuerunt in prima synodo Bracarensi. Vnde videtur colligi manifestè quòd isti quatuor juxta præmissam confessionem tuam indubitanter pertinent ad Ecclesiam Bracarensem. Scriptura quoque Lucensis Concilij, quæ continetur in libro à tua parte producto, indicat hos quatuor episcopatus, secundùm divisionem quàm facis, ad Bracarensem metropolim pertinere. Quam etiam divisionem tres Romani Pontifices dicuntur in privilegiis Bracarensi Ecclesiæ confirmasse. Pluralitatis quoque ratio, secundùm quam dicitur quia prævalet sententia plurimorum, divisiones suas, quæ longè plures sunt numero, præfert divisionibus partis tuæ. Sed & ratione temporum ei perpetuum silentium imponere nitebatur; cùm à primo Bracarensi Concilio usque ad Emeritense Concilium per spatium centum & septem annorum hos quatuor episcopatus Bracarensis Ecclesia deberet possedisse. A tempore quoque Paschalis secundi, qui hos episcopatus redintegravit Ecclesiæ Bracarensi, usque ad tempora trium judicum quibus hæc caussa fuit primò commissa, præscriptionis tempus constat fuisse completum, per quod Ecclesia Bracarensis hos episcopatus juxta suam assertionem inconcussè possedit. Rescripta quoque Paschalis transmissa Toletano Archiepiscopo & Episcopo Colimbriensi, de quibus est superiùs prælibatum, idipsum, ut asserit, evidenter ostendunt. Porrò tu respondebas quòd post latam pro te ab apostolicæ sedis Legato sententiam, jam non tenebaris ad has aut alias rationes quæ contra rei judicatæ auctoritatem inducebantur aliquid respondere; nisi quòd sine præjudicio tuo, licèt ex abundanti satisfacere sustinebas, asserens possessionem Bracarensis Ecclesiæ per testes non esse probatam, cùm quidam testium ad probationem inveniantur inutiles, alij verò probentur mendaces. Litteræ quoque Paschalis, quibus eandem possessionem astruere satagebat, contrarium potiùs astruere videbantur. Sed & pri-

vilegia Paſchalis ejuſdem, quæ ſuæ conceſſionis privilegium præceſſerunt, in multis reprehenſibilia denotabas; primò ſecundùm formam, & in bulla, & in ſcriptura; ſecundò juxta continentiam, & in enumeratione ſedium, & in falſitate ſuggeſtionum. Perſona quoque quæ illa privilegia, videlicet ſecundum & tertium, impetravit, merito ſuæ pravitatis reddidit illa ſuſpecta, Mauritius ſcilicet, qui poſtea fuit hæreſiarcha, in apoſtolicam ſedem intruſus: qui qualis extiterit, litteræ Gelaſij Papæ miſſæ ad Viennenſem Archiepiſcopum apertè depingunt. Præterea contra rei judicatæ auctoritatem impetrata ſunt illa reſcripta, ſicut probatur per Emeritenſe Concilium; in quo per decretum ſynodicum & judicij formulam ſecundùm canonicas regulas illi Epiſcopi videntur fuiſſe reducti. Poſtremò dicti Legati ſententia lata eſt contra ipſa. Quibus, ſi tunc fuerunt exhibita, derogatum eſt per ſententiam. Si autem exhibita non fuerunt, occaſione inſtrumentorum noviter repertorum auctoritas rei judicatæ non poteſt ulteriùs attenuari. Tua verò privilegia multipliciter aſſerebas omni ſuſpicione carere, quorum veritas conſtat ex apoſtolicæ ſedis archiviis, in cujus regeſtis fideliter continentur: quæ adverſæ partis privilegiis comparata, certa debent ratione præferri; quia tua ſunt privilegia donationis certa & abſoluta; ſua verò ſunt privilegia confirmationis ſeu redintegrationis, conditionalia tantùm, & reſpectiva. Nec oportebat in tuis privilegiis fieri mentionem ſuorum præcedentium, quibus nihil juris acquirebatur quod iſtis poſſet obſiſtere, cùm & aliàs nullius debeant reputari momenti. Nam inter ſcripturas quæ paritatis aliquid habere videntur, ſcilicet in litteris commiſſoriis, invenitur hoc obſervari. Secundum verò Bracarenſe Concilium, quod in ſuperficie tantùm dicebas tibi poſſe aliquatenus obviare, fideliter intellectum aſſerebas tibi nequaquam obſiſtere, cùm illa verba quibus Epiſcopi Gallæciæ dicebantur ad aliud Concilium convenisse, notarij tantùm ſeu compilatoris extiterint: quæ non habent auctoritatem Concilij, cùm in toto Concilio nihil inveniatur ſtatutum vel factum omnino quod ad recognitionem pertineat, ut iſti ſint de Gallæcia, vel ad Metropolitanum Gallæciæ quoquo modo pertineant. Reſpondebas etiam aliter, quòd quia Rex Gallæciæ, ut ex veteribus conſtare dicebas hiſtoriis, occupaverat de provincia Luſitaniæ has quatuor civitates, ad eas ſui regni nomen extenderat, ut per quandam æquivocationem totum etiam regnum Gallæciæ diceretur; & ita non ſecundùm limitationem provinciæ, ſed ſecundùm occupationem regni, dicti ſunt illi Epiſcopi de Gallæcia. Quod inde maximè comprobari dicebas, quia poſtquam illa regnorum ſciſſura, quæ huic nominationi cauſſam præſtiterat, eſt ſublata, reductæ ſunt hæ civitates ad ſuæ nomen provinciæ; ut jam non Gallæciæ, ſed Luſitaniæ nominentur; ſicut apertè probari dicebas ex ſequenti poſtea Emeritenſi Concilio, in quo dicuntur ad provinciæ ſuæ nomen reducti. Nec ex eo probantur ad Bracarenſem metropolim pertinere, quia interfuerunt Concilio Bracarenſi, vel etiam ſubſcripſerunt, cùm conſtet Narbonenſem per multa tempora veniſſe ad Concilia Toletana; nec tamen Toletana metropolis aliquid juris habuit in Eccleſia Narbonenſi. ſed mandato Regum illa ſiebant. quod magis violentum quàm juſtum præſumitur extitiſſe. Prædictam verò confeſſionem, qua recognoviſti in jure omnes Epiſcopos qui interfuerunt primo Concilio Bracarenſi indubitanter ad Bracaren. metropolim pertinere, in nullo tibi poſſe præjudicare dicebas: quia ſive Concilium intelligantur perſonæ, ſive ſtatuta, ſtare non poteſt quòd ad ſecundum Bracarenſe Concilium Epiſcopi tam de Lucenſi quàm de Bracarenſi Concilio conveniſſent; ſed per illam enormitatem, quæ ſtatuta fuit in ſuo Lucenſi Concilio, mandaverat Rex propter dilationem provinciæ, ut ſex epiſcopatuum ſui regni Pontifices facerent Concilium apud Lucum, & ſex alij apud Bracaram. Et ideo dicebantur ſex ad unum Concilium & ſex ad aliud pertinere, & de utroque Concilio apud Bracaram, quaſi de utraque Concilij aſſignatione, veniſſe. Cujuſmodi ſignificationem nominis approbari dicebas ex epiſtola quam Martinus Bracarenſis Archiepiſcopus ex certa ſcientia dirigit ad Epiſcopos Lucenſis Concilij, non quòd tunc celebraretur ibi id Concilium, cùm idem M. legatur illi Concilio affuiſſe, ſed ad Epiſcopos qui tenebantur ex prædicto Regis mandato temporibus ſuis

illuc ad Concilium convenire. Emeritense verò Concilium authenticum esse multis rationibus astruebas; tum quia cum aliis Conciliis continetur in libro qui Corpus canonum appellatur, quem Alexander Papa per interloentionem authenticum approbavit: tùm quia de ipso Concilio sumptum est illud capitulum, *Priscis quidem canonibus*, quod continetur in corpore Decretorum. Vnde respondens ad rationes præmissas, quæ contra hoc Concilium sunt objectæ, omnes quasi frivolas ostendere nitebaris. Divisiones autem quæ pro Bracarensi Ecclesia sunt productæ, omnes de locis sibi subjectis, & ideo suspectis, proponebas assumptas, in quorum armaria propter hanc caussam facilè potuerunt corruptæ submitti. Tuæ verò divisiones omnes sunt secundùm statum antiquum, vel de locis non tibi sed sibi subjectis assumptæ, (unde ampliùs illis contra se credi debet) vel de remotis provinciis, apud quas non extitit caussa corruptionis vel suspicionis prædicta; quas etiam protulisti sub testimoniis & sigillis authenticis, quibus & canones & veteres scripturas concordare dicebas. Præscriptiones autem ex quibus etiam adversùs verum dominum competit actio, nedum quòd exceptio competat præsidentibus, multis rationibus annullabas, asserens quòd Bracarensis Ecclesia in prædictis episcopatibus nullam possessionem obtinuit, & ideo nihil in eis omnino præscripsit. Deinde si possessionem aliquam habuisset, sententia quæ super his lata probatur, ex Emeritensi Concilio vim præcedentis præscriptionis penitùs vacuasset. Sequentis verò præscriptionis effectum præfati Legati sententia penitùs interrupit. Ipse verò Archiepiscopus Bracarensis contra reductionem Episcoporum quæ dicitur in Emeritensi Concilio decreto synodico & judicij formula facta fuisse, multipliciter allegabat. Primò, quia synodus illa, cujus auctoritate dicitur facta fuisse reductiò, nequaquam apparet, nec scitur à quibus, vel ubi, vel quando, vel quare fuerit celebrata, utrum generalis an provincialis extiterit, & utrum auctoritate Romani Pontificis an alicujus tantùm Archiepiscopi fuerit ordinata. Deinde si mentio fiat in aliquo documento de alio, nihil ex secundo probabitur documento, nisi & primum, de quo mentio facta fuerat, proferatur.

10. q. 1. c. Dilectis,

Præterea cùm secundum Concilium Bracarense præcesserit Emeritense Concilium, & celebrius habeatur, ut de quo plura sunt assumpta capitula in corpore Decretorum, patet profectò quòd illud debet isti præferri, nec illi per istud potest in aliquo derogari, sicut cautum habetur in canone: quia quoties in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illud est præferendum cujus antiquior & potior extat auctoritas. Rursus non probantur ullatenus isti quatuor Episcopi fuisse reducti, sed de solo Selva Egitaniensi Episcopo dicitur quòd unus fuerit de reductis; & ipse solus in subscriptione profitetur expressè se ad Emeritensem metropolim pertinere; quamvis & ipse Selva Egitanien. Episcop. non intelligatur unus de reductis ad Emeritensem metropolim, sed potiùs ad dioecesim propriam, sicut ex eodem capitulo Emeritensis Concilij comprobari dicebat, in quo de illo dicitur quòd ad debitam dioecesim rediit. Cùm igitur synodus illa minimè proferatur cujus judicio & decreto in Emeritensi Concilio dicuntur reducti, patet quòd illa reductio per Emeritense Concilium non probatur. Ad hæc respondebas, quòd major est auctoritas approbati Concilij quàm unius solummodo documenti; & ideo dubitari non debet quin verum sit quod asseritur ab Episcopis in Concilio congregatis, à quibus asseritur illa reductio facta fuisse decreto synodico judicij formula secundùm canonicas regulas; sicut & dicitur in primo Concilio Bracarensi quòd Thuribius Notarius à Papa Leone ad synodum Gallæciæ missus fuit; nec tamen illa synodus invenitur. & in primo concilio Toletano mentio fit de statutis Lusitanorum Episcoporum; & tamen non invenitur synodus in qua illa fuerint constituta. Moises quoque in libro Numeri mentionem facit de libro bellorum Domini: qui tamen nusquam apparet; & tamen creditur ita fuisse sicut Moises narrat in illo volumine contineri. Auctoritas autem alicujus Concilij non ex eo solo major existit quòd extat antiquior, sed quòd potior. Alioquin Bracarense Concilium Lateranensi Concilio præferretur. Sed illorum duarum Conciliorum par extat auctoritas, cùm provinciale fuerit utrumque, & ambo dicantur pariter ab apostolica sede recepta. Cùm autem inter Episcopos Emeri-

11. q. 2. cap. Hoc ipsum

tensis Concilij tantùm hi quatuor inveniantur inter Episcopos Gallæciæ nominati, sicut dicitur in secundo Concilio Bracarensi, patet quòd de his quatuor debet intelligi quòd ad nomen provinciæ sunt reducti; quia non possunt intelligi fuisse reducti, nisi qui fuerunt abducti. Vnde facta reductione in tertio Concilio Bracarensi, quod secutum est Emeritense Concilium, nullum istorum quatuor legitur extitisse. Postquam igitur hæc & alia fuerunt utrinque prudenter ac subtiliter allegata, quorum multa propter prolixitatem superfluam in hac pagina prætermisimus annotare, partes ad amicabilem compositionem induximus diligenter: quæ tandem per Dei gratiam, nostra solicitudine mediante, ad hanc compositionis formam libera voluntate venerunt, ut de quatuor prædictis episcopatibus duo assignarentur Compostellan. metropoli, & duo relinquerentur metropoli Bracarensi. Nos autem habito super hoc cum fratribus nostris diligenti tractatu, compositionem ipsam duximus approbandam, intelligentes eam æquitati canonicæ concordare. Cùm enim Visensis Episcopus cum Episcopis Gallæciæ interfuerit secundo Concilio Bracarensi, & Emeritensi Concilio non affuerit, in quo plenus suffraganeorum numerus Emeritensis metropolis legitur affuisse, (unde nec potest unus de reductis intelligi, cùm etiam inter alios suffraganeos Bracarensis Ecclesiæ in suis privilegijs numeretur, in privilegijs autem Compostellan. Ecclesiæ Visensis Episcopus nullatenus habeatur) sæpedictum Archiepiscopum Bracarensem nomine Bracarensis Ecclesiæ ab inpetitione tua, nomine Compostellanæ Ecclesiæ, super eodem episcopatu duximus absolvendum; tibi super hoc perpetuum silentium imponentes. Lamecensem autem & Egitaniensem episcopatus, quos ad Emeritensem pertinuisse metropolim certis didicimus rationibus & validis argumentis, de consilio fratrum nostrorum adjudicavimus Compostellanæ metropoli, ipsum Bracarensem Archiepiscopum super illis nomine Bracarensis Ecclesiæ condemnantes. Episcopatum autem Colimbriensem, licèt eisdem rationibus cognoverimus ad Emeritam spectavisse, quia tamen Iriensis episcopatus auctoritate sedis apostolicæ subtractus est ecclesiæ Bracarensi, & sede mutata, pro beati Iabobi reverentia totus concessus est Compostellæ, in recompensationem ipsi Archiepiscopo & Ecclesiæ Bracarensi concessimus perpetuò retinendum. In tantum autem illa forma compositionis tibi complacuit, quòd pro bono pacis liti cessisti, & petitioni renuntiavisti omnino, super duabus Ecclesijs, videlicet sancti Fructuosi, & sancti Victoris, & medietate Bracaræ cum pertinentijs suis omnibus, de quibus cum alijs fuit facta commissio, refutans quicquid juris in illis habuisti vel potuisti habere, renuntians quoque sententiæ quæ super eis pro Compostellana Ecclesia contra Bracarensem fuerat promulgata; super qua coram nobis aliquandiu fuerat litigatum. Nulli ergo &c. diffinitionis, absolutionis, & concessionis &c. Datum Laterani.

In eundem ferè modum scriptum est Bracaren. Archiepiscopo.

BRACAREN. ARCHIEPISCOPO.

QValiter veteres sed non inveteratas usque ad nostra tempora quæstiones inter Compostellanam & tuam Ecclesias tam prædecessorum nostrorum quàm nostris etiam temporibus diutiùs agitatas non sine multa sollicitudine ac labore nos & fratres nostri exacta diligentia curaverimus terminare, tua fraternitas, quæ omnibus præsentialiter interfuit, non ignorat, & hoc ipsum ex rescriptis apostolicis rei processum pleniùs continentibus liquidò declaratur. Volentes autem ut apostolicæ sedis sententiæ perpetuam obtineant firmitatem, & quòd lites extinctæ in recidivam contentionem ulteriùs non resurgant, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus statutis apostolicæ sedis obediens humiliter & devotè, quæ à nobis ad perpetuam pacem prædictarum Ecclesiarum sunt sine personarum acceptione salubriter instituta, de cetero studeas irrefragabiliter observare, venerabiles fratres nostros Vlixbonensem, Elborensem, & Lamecensem Episcopos, & eorum Ecclesias, & dilectos filios Clerum ac populum per Egitaniensem diocesim constitutos, Compostellano Archiepiscopo & ejus Ecclesiæ, sicut à nobis est ordinatum, obedire sine qualibet difficultate dimittens, quos tu & venerabilis frater noster Colim- Epist. 154. Ejusdem argumenti.

briensis Episcopus in nostra & fratrum nostrorum præsentia, sicut bene novisti, ab obedientiæ vestræ vinculo absolvistis, & nos eosdem à vestræ obedientiæ debito auctoritate apostolica reddidimus absolutos. Provideas igitur ne per potentiam regiam vel alia qualibet machinatione impediantur Episcopi memorati & prædicti Clerus & populi obedientiam secundùm sententiam & præceptum nostrum eidem Compostellano Archiepiscopo, ut prædiximus, exhibere. Alioquin quod à sanctæ recordationis Alexandro Papa prædecessore nostro de obedientia Compostellano Archiepiscopo ab Episcopis Gallæciæ impendenda dignoscitur olim fuisse statutum, verendum est tibi ne nos ipsi ratum habeamus & firmum, & faciamus auctore Domino inviolabiliter observari, tantòque culpam inobedientiæ curabimus graviùs castigare, quantò in contemptum apostolicæ sedis & personæ nostræ specialiter hujusmodi rebellio ampliùs redundaret. Datum Laterani IIII. Idus Iulij.

In eundem modum scriptum est Colimbrien. Episcopo.

VLIXBONENSI, ELBORENSI, & Lamecensi Episcopis, & Clero & populo Egitaniensi.

Epist. 135. Decadem 10. Antiquas controversias & difficiles inter Compostellanam & Bracarensem Ecclesias tam prædecessorum nostrorum quàm nostris etiam temporibus agitatas, sicut vestra fraternitas non ignorat, non sine labore multo nos & fratres nostri exacta diligentia per auxilium divinæ gratiæ curavimus terminare; quemadmodum in rescriptis apostolicis processum caussarum pleniùs continentibus perpendere poteritis evidenter. Volentes autem ut apostolicæ sedis &c. *vsque ad verbum* observare, venerabili fratri nostro P. Compostellano Archiepiscopo ejúsque successoribus tanquam Metropolitano vestro, sicut alij suffraganei sui faciunt, obedientiam & reverentiam debitam impendentes. Alioquin sententiam quam idem Archiepiscopus in vos rationabiliter tulerit, auctore Domino ratam & firmam habebimus & faciemus inviolabiliter observari. Vt autem quæ præmisimus liberiùs adimplere possitis, venerabiles fratres nostri Bracarensis Archiepiscopus & Episcopus Colimbriensis vos coram nobis & fratribus nostris ab omni obedientiæ suæ vinculo absolverunt. Nos etiam ab ipsorum obedientiæ debito auctoritate apostolica vos reddimus absolutos. Datum Laterani IIII. Idus Iulij.

Scriptum est super hoc singulariter singulis nominatis Episcopis, & Clero & populo per eorum dioceses constitutis.

LVCENSI, ASTORICENSI, Mindoniensi, Auriensi, & Tudensi Episcopis.

Antiquas controversias &c. *vsque ad verbum* resurgant, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus apud venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Bracaren. & chariss. in Christo filium nostrum Portugal. Regem illustrem partes vestras efficaciter interponere procuretis ut statutis ap. se. &c. *usque ad verbum* observare, venerabiles fratres nostros Vlixbonensem, Elborensem, & Lamecen. Episcopos & eorum Ecclesias &c. *ferè in eundem modum ut suprà usque ad verbum* dimittentes. Alioquin quod à sanctæ recordationis Alexandro Papa &c. *ferè ut suprà usque ad verbum* redundaret. Et quoniam nuncius, ut accepimus, non facilè reperitur, qui litteras apostolicas vel Compostellani Archiepiscopi audeat super his in regnum Portugalen. deferre, sub eadem districtione vobis injungimus vt litteras nostras & ipsius Archiepiscopi Compostellani, quibus super hoc missæ fuerint, occasione & excusatione cessante, sine dilatione qualibet tamdiu fideliter transmittatis, cùm ab eodem Compostellano simul omnes vel seorsum singuli fueritis requisiti, donec idem Archiepiscopus prædictorum quatuor episcopatuum possessionem pacificam fuerit assecutus. Si verò, quod non credimus, præceptum nostrum non fuerit adimpletum, volumus & mandamus ut cùm fueritis per Compostellanam Ecclesiam requisiti, veritatem super his nobis significare vestris litteris procuretis. Datum ut suprà. Epist. 136.

ARCHIEPISCOPO ET CAPITVLO Compostellano.

Cvm dilectus filius A. civis Anagninus tutor & curator nepotum suorum, filiorum quondam G. civis Anag- Epist. 137.

nini, à te, frater Archiepiscope, apud sedem apostolicam permanente nonaginta marabutinorum uncias repeteret nomine pupillorum, dilecti filij concanonici vestri ei pro bono pacis quadraginta malachinos per manus dilecti filij Mar. Capellani & Subdiaconi nostri dederunt. Ipse verò coram nobis omni juri renuntiavit quod adversùs Compostellanam Ecclesiam pupillis competeret memoratis. Ne autem quod in præsentia nostra factum est, ulteriùs in dubium revocetur, præsentes vobis litteras in factæ resignationis testimonium duximus concedendas. Datum Laterani II. Idus Iulij.

MART. BRACAREN. Archiepiscopo.

Epist. 138. Datæ à Rege Bracarensi Ecclesiæ decimas confirmat.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* effectum. Sanè significasti nobis in nostra præsentia constitutus quòd cùm carissimus in Christo filius noster Portugaliæ Rex illustris quasdam possessiones dilectis filiis fratribus Militiæ Templi concesserit, receptis ab eis in permutationem duobus castris, scilicet Mugatorio, & Petrasroias, quæ idem fratres habuerant in dioceesi Bracarensi, Rex ipse tertiam partem decimarum quas dicti fratres priùs perceperant in Ecclesiis castrorum ipsorum, pietatis intuitu concedi fecit Ecclesiæ Bracarensi. Nos igitur tuis precibus annuentes, decimas ipsas, sicut legitimè concessæ sunt Ecclesiæ Bracarensi, & tu eas justè possides, & quæ tibi & per te ipsi Bracarensi Ecclesiæ*, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Datum Laterani III. Idus Iulij.

PETRO COMPOSTELLANO Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.

Epist. 139. Vt Ecclesia Compostellana posthac metropolitana habeatur.

IN eminenti apostolicæ sedis specula disponente Domino constituti &c. *usque ad verbum* assensu, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis record. Calixti, Anastasij, Alexandri, & Lucij Romanorum Pontificum Compostellan. beati Jacobi Ecclesiam, cujus in ea venerandissimum corpus est positum, apostolicæ sedis privilegio communimus, & ob ipsius à Deo electi Apostoli reverentiam archiepiscopalis cathedræ dignitatem, quam opulentissima quondam & famosi nominis Emeritana civitas, priùs quàm peccatis exigentibus ab impia Sarracenorum tyrannide possideretur, habuisse dignoscitur, præsentis scripti pagina in perpetuum confirmamus, statuentes ut eadem Emeritana civitas, si ad potestatem Christianorum Domino donante redierit, Episcopum habeat, qui Compostellano Archiepiscopo sicut Metropolitano suo debeat perpetuò subjacere. Omnem quoque pontificalis officij plenitudinem, quam ipsius Emeritanæ Ecclesiæ antistites antiquitus habuerunt, Compostellanensis Præsul Ecclesiæ integrè semper obtineat & quietè. Suffraganei verò Episcopi Emeritanensis metropolis, qui per Lusitaniam provinciam vel modò sedes proprias obtinent vel in futurum per Domini misericordiam obtinuerint, Salamantinus videlicet, Abulensis, Cauriensis, Civitatensis, Placentinensis, Pacensis, Oxonobensis, & præterea Lamecensis, & Egitaniensis, nec non Vlixbonensis, & Elborensis, sicut in nostris sententiis continetur, Compostellano Archiepiscopo, cujus consecratio ad Romanam tantùm Ecclesiam spectat, obedientiam & reverentiam tanquam proprio Metropolitano prorsùs exhibeant. Ipse autem illos consecrandi, ad sua Concilia convocandi, eum ipsis etiam ecclesiastica negotia terminandi, & eorum Ecclesias disponendi, auctoritate sedis apostolicæ liberam omnino habeat facultatem. Prohibemus autem ut nulli Canonicorum ejusdem Ecclesiæ beati Iacobi, qui ad aliarum Ecclesiarum prælationem assumpti sunt, vel in posterum assumentur, honorem vel præbendam seu canonicatum in ipsa Ecclesia liceat retinere, sed alia idonea persona in loco ipsius subrogetur, quæ ipsi Ecclesiæ deserviat, & ejusdem beneficium sortiatur. Illum etiam censum qui Vota dicitur, quem Hispanorum catholici Reges ex singulis boum paribus à flumine Pisorga usque ad mare occidentale & per totam Lusitaniam provinciam atque etiam in Toleto & Transserram annuatim persolvendum pro salute totius terræ liberaliter statuerunt, eidem Ecclesiæ confirmamus, & omnimodis interdicimus ut nulli fas unquam sit eum ipsi Ecclesiæ qualibet occasione subtrahere. Obeunte verò te &c. Præterea quascunque possessiones &c. *usque ad verbum*

vocabulis. Civitatem ipsam Compostellam cum castro suo, cum Ecclesiis & monasteriis infra eam vel ejus territorium constitutis, cum omni jure tam diocesano quàm regali, & cum terminis totius episcopatus, videlicet cum archipresbyteratibus de Morracio & de inter ambos pontes de montibus utriusque, de Taberiolis, & de Ciria, de Pilonio, & de insula Laonij, de utroque Coronato, de Dormian & Superaddo, & Aranga, & monte Ianrino quomodo dividitur, cum Parrega de Pruciis & de Bi saueiis, cum tota interjacente diocesi, à castello sancti Pelagij de Luco usque Transancos, monasteria quoque omnia, & conventuales seu alias Ecclesias infra hos terminos constitutas, cum omni jure parochiali, & quæ intra regalia beati Iacobi continentur, cum omni seu patronatus seu alio jure quod ad Reges pertineat, videlicet monasterium sancti Pelagij de ante altaria, monasterium sancti Martini de Foris, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Sara, monasterium sanctæ Mariæ de Canogio, monasterinm sancti Petri de Foris, monasterium sancti Iusti de Luania, monasterium de Superaddo, de Azivario, de Codeseda, de Mosonzo, de Ciniis, de Monteferro, de Borgondo, de Nogaria, de Solandres, de Calavario, de Siavia, de Rivomalo, de Moriame, de Ozon, de Savarde, de portn Orij, de Nometi, de Civitio, de Briviis, de Meeis, de Dormian, de Calago, de Podio, de Lerze, de Armentaria, de Harcos, & monasterium sancti Iohannis de Cavea, sancti Christophori, sancti Vereximi, sancti Georgij, sancti Thomæ de Pimario, & sancti Iacobi de Ermello. Præterea regalem capellaniam & cancellariam quam bonæ memoriæ Alfonsus illustris Hispaniæ Rex Ecclesiæ vestræ concessit & scripti sui pagina roboravit. Castrum quoque quod vocatur Honestnm, & Iriam, cum servis & omnibus appendiciis suis. Castrum quod vocatur Sancta Maria de Lanceata, cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis. Castrum quod vocatur Ciria, cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis. Castrum quod dicitur Citofacta, cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis. Castrum quod dicitur Cathobadi, cum pertinentiis suis. Castrum Daravum, cum villis & Ecclesiis & omnibus pertinentiis suis. Castrum quod dicitur Luparia, cum Ecclesiis & pertinentiis suis. Territorium quod vocatur Amaea, cum omnibus possessionibus quas ibi habetis. Pistomarcos cum servis & possessionibus quas in eo habetis. Bisetium cum servis quos ibi habetis. Dubriam cum possessionibus quas ibi habetis. Lanias cum pertinentiis suis. Lucrosam cum servis & pertinentiis suis. Montanos cum Ecclesiis & possessionibus quas ibi habetis. Coronatum cum possessionibus quas ibi habetis. Ventosam cum insula de Laonio. Montes quos quandoque Suarius Friolæ à vestra Ecclesia tenuit, cum altera medietate integros. Burgum de Ponte veteri, cum pertinentiis suis. Taveiriolos cum Ecclesiis & possessionibus quas ibi habetis. Ripam Vliæ cum Ecclesiis & possessionibus quas ibi habetis. Deciam cum possessionibus & Ecclesiis regalibus & omnibus pertinentiis suis. Terram de Superaddo integram cum pertinentiis suis. In eadem Decia monasterinm sancti Laurentij de Carbonario, quod Ecclesiæ Compostellanæ secundùm jus patronatus adjudicatum est per sententiam dilecti filij nostri G. S. Angeli Diaconi Cardinalis tunc apostolicæ sedis Legati. Medietatem Burgi de Faro cnm pedagio navium & jure fisci. Villas de Ceeia in Nemancos, & de Oca in Bregantin. de Leiloio in Seia, de Avegundo, Piaveladegio, Liure, & de Ruiis in Endis, de Tooure in Pruciis, cum cunctis Ecclesiis & pertinentiis suis; & alias Ecclesias seu possessiones quas jure proprietatis extra fines regalium vestrorum per eundem episcopatum habetis. In episcopatu quoque Mindunien. Ecclesiam sancti Laurentij de arbore, cnm Castro quod dicitur villa de Maures, & villam Petri cum Ecclesia sua, & Ecclesias de Rivo averso, & sanctæ Eolaliæ altæ, & de Radigosa, & sanctæ Mariæ de Turre, & sancti Martini de Palatiis, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Lucensi villas de Recelli & de Cela. In episcopatu Auriensi, villas de Amarante, de Iouin, & de Vite, & de Villari Regis, & medietatem Sonti de Parata. In episcopatu Tuden. castrum quod dicitur de Molis, cum omnibus Ecclesiis intra ipsum contentis, & monasterium de Cela, & villas de Lazorio, Baldranes, Lamala, & Nugaria. In episcopatu Bracaren. villas de Cornelian. cum Ecclesiis suis, & Moaci, & Gandufi, cum montibus, exitibus, & pertinentiis

ſuis. In valle Carceris, hoſpitale quod dicitur Anglorum, cum Eccleſia ſua, & aliam Eccleſiam quæ ipſi ex eadem parte ſuperjacet, & villas de Tabladelo & de Parata. In epiſcopatu Aſtoricen. villas de Cacavell. cum Eccleſia ſua, & de Carvallial, & Eccleſiam ſancti Iacobi de Requeixo, de Sanabria. In epiſcopatu Legionen. domos quæ fuerunt Archidiaconi Thomæ. In ipſa civitate villam de Ledigos, cum Eccleſia ſua, & partem villæ de Furones, cum omni jure quod habetis in Eccleſia. In ripa Eſtolæ, villam Alexis, & villam Leandri, cum Eccleſiis ſuis; & juxta monaſterium ſancti Facundi, villam Cerame. In epiſcopatu Palentin. Eccleſiam ſancti Michaëlis de Vallouria, & villam dictam Sauugelo de Raaces, cum pertinentiis ſuis, & omni jure regali, ſicut Alphonſus illuſtris Caſtellanorum Rex Eccleſiæ beati Iacobi eam donaſſe dignoſcitur. In epiſcopatu Ovetenſi, in villa Olerxida, omnes Eccleſias, & in Benevento, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Ventoſa. In Aſturiis, Eccleſias ſancti Iohannis de Cerreda, & villam Armillum, cum hoſpitali quod eſt in Strata, cum montibus & omnibus pertinentiis ſuis. In epiſcopatu Zamoren. villas & Eccleſias de Arquilinis & de Arcos, & Eccleſiam ſancti Iacobi de Zamora, villas de Palatiis & de Spino & de Aldeola cum Eccleſiis ſuis. In Epiſcopatu Salamantin. villam de Mumgno, Aſnar cum Eccleſiis ſuis, & villam quæ dicitur Ecla, & villam Bilueſtre cum jure regali, & Eccleſiam ſancti Martini de Ledeſma, & alias Eccleſias vel poſſeſſiones quas in prædictis epiſcopatibus habetis. In epiſcopatu Caurien. Caſtrum quod dicitur Attalaia Pelagij, videlicet cum terminis ſuis, & Eccleſiam de Granata, quæ dicitur ſancti Iacobi, cum domibus & piſcariis & aliis poſſeſſionibus quas ibi acquiſiſtis. Eccleſias quoque & poſſeſſiones quas in Vaſconia & in Italia & in aliis partibus orbis per diverſos epiſcopatus habetis. Decernimus ergo &c. Salva in omnibus apoſtolicæ ſedis auctoritate. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Acheruntini Archiepiſcopi, Cancellarij vicem agentis, ſecundo Idus Iulij, Indictione ſecunda, Incarnationis Dominicæ anno MCXCIX. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno ſecundo.

MARTINO BRACARENSI Archiepiſcopo.

Epiſt. 140. Quòd ſententiam Portugalenſis Epiſcopi in cauſſa decimarum confirmet.

CVm à nobis petitur &c. *uſque ad verbum* aſſenſu, ſententiam à venerabili fratre noſtro Portugallen. Epiſcopo & dilecto filio I. Cantore Tuden. à venerabili fratre noſtro Tuden. Epiſcopo delegato in cauſſa quæ inter te & Abbatem de Caſtro ſuper decimis Brācantiæ vertebatur, apoſtolicæ ſedis auctoritate prolatam, ſicut rationabiliter lata eſt, nec legitima appellatione ſuſpenſa, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani XVI. Kal. Auguſti.

VNIVERSIS CHRISTI tam in urbe Metenſi quàm ejus diœceſi conſtitutis.

Epiſt. 141. Laici non prædicent, nec occulta conventicula faciant, nec ſacerdotes reprehendant. *Cap.* Cùm ex injuncto. *De hæreticis.*

CVm ex injuncto nobis apoſtolatus officio facti ſimus ſecundùm Apoſtolum ſapientibus & inſipientibus debitores, pro univerſorum ſalute nos oportet eſſe ſolicitos; ut & malos retrahamus à vitijs, & bonos in virtutibus foveamus. Tunc autem opus eſt diſcretione majori, cùm vitia ſub ſpecie virtutum occultè ſubintrant, & angelus Sathanæ ſe in angelum lucis ſimulatè transformat. Sanè ſignificavit nobis venerabilis frater noſter Metenſis Epiſcopus per litteras ſuas quòd tam in diœceſi quàm urbe Metenſi laicorum & mulierum multitudo non modica tracta quodammodo deſiderio ſcripturarum, evangelia, epiſtolas Pauli, pſalterium, moralia Iob, & plures alios libros ſibi fecit in Gallico ſermone transferri, tranſlationi hujuſmodi adeo libenter, utinam autem & prudenter, intendens, ut ſecretis conventionibus talia inter ſe laici & mulieres eructare præſumant, & ſibi invicem prædicare: qui etiam aſpernantur eorum conſortium qui ſe ſimilibus non immiſcent, & à ſe reputant alienos qui aures & animos talibus non apponunt: quos cùm aliqui parochialium ſacerdotum ſuper his corripere voluiſſent, ipſi eis in faciem reſtiterunt, conantes rationes inducere de ſcripturis quòd ab his non deberent aliquatenus prohiberi. Quidā etiam ex eis ſimplicitatem ſacerdotum ſuorum faſtidiunt; & cùm ipſis per eos verbum ſalutis proponitur, ſe meliùs habere in libellis ſuis, & prudentiùs ſe poſſe id eloqui, ſubmur-

ſubmurmurant in occulto. Licèt autem deſiderium intelligendi divinas ſcripturas, & ſecundùm eas, ſtudium adhortandi reprehendendum non ſit, ſed potiùs commendandum, in eo tamen apparent meritò arguendi, quòd tales occulta conventicula ſua celebrant, officium ſibi prædicationis uſurpant, ſacerdotum ſimplicitatem eludunt, & eorum conſortium aſpernantur qui talibus non inhærent. Deus enim lux vera, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, in tantum odit opera tenebrarum, ut Apoſtolos ſuos in mundum univerſum prædicaturos evangelium omni creaturæ miſſurus, eis apertè præceperit dicens: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*; per hoc manifeſtè denuntians quòd evangelica prædicatio non in occultis conventiculis, ſicut hæretici faciunt, ſed in Eccleſijs juxta morem catholicum eſt publicè proponenda. Nam juxta teſtimonium veritatis, omnis qui malè agit, odit lucem; & ad lucem non venit, ne ejus opera arguantur. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta. Propter quod cùm Pontifex interrogaſſet Ieſum de diſcipulis ſuis & de doctrina ejus, reſpondit: *Ego palam locutus ſum mundo, ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quò omnes Iudæi conveniunt, & in occulto locutus ſum nihil.* Porrò ſi quis obijciat quòd juxta præceptum dominicum non eſt ſanctum dandum canibus, nec margaritæ mittendæ ſunt ante porcos, cùm & Chriſtus ipſe non omnibus quidem ſed ſolis Apoſtolis dixerit, *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, ceteris autem in parabolis*, intelligat canes & porcos non eos eſſe qui ſanctum gratantanter accipiunt & margaritas libenter acceptant, ſed illos qui ſanctum dilacerant & margaritas contemnunt, quales ſunt qui evangelica verba & eccleſiaſtica ſacramenta non ut catholici venerantur, ſed abominantur potiùs ut hæretici, oblatrantes ſemper & blaſphemantes, quos Paulus Apoſtolus poſt primam & ſecundam commonitionem docet eſſe vitandos. * Arcana verò fidei ſacramenta non ſunt paſſim omnibus exponenda, cùm non paſſim ab omnibus poſſint intelligi, ſed eis tantùm qui ea fideli poſſunt concipere intellectu. Propter quod

* In tertia Collect. legitur. Arcana verò quæ fidei Sacramenta non ſunt, non ſunt paſſi

ſimplicioribus inquit Apoſtolus: *Quaſi parvulis in Chriſto lac potum dedi vobis, non eſcam.* Majorum eſt enim ſolidus cibus, ſicut alijs ipſe dicebat: *Sapientiam loquimur inter perfectos; inter vos autem nihil iudicavi me ſcire niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Tanta eſt enim divinæ ſcripturæ profunditas, ut non ſolùm ſimplices & illiterati, ſed etiam prudentes & docti non plenè ſufficiant ad ipſius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit ſcriptura: *Quia multi defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.* Vnde rectè fuit olim in lege divina ſtatutum ut beſtia quæ montem tetigerit, lapidetur; ne videlicet ſimplex aliquis & indoctus præſumat ad ſublimitatem ſcripturæ ſacræ pertingere, vel eam aliis prædicare. Scriptum eſt enim: *Altiora te ne quæſieris.* Propter quod dicit Apoſtolus: *Non plus ſapere quàm oporteat ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Sicut enim multa ſunt membra corporis, omnia verò membra non eundem actum habent; ita multi ſunt ordines in Eccleſia, ſed non omnes idem habent officium; quia ſecundùm Apoſtolum: *Alios quidem Dominus dedit Apoſtolos, alios Prophetas, alios autem Doctores &c.* Cùm igitur Doctorum ordo ſit quaſi præcipuus in Eccleſia, non debet ſibi quiſquam indifferenter prædicationis officium uſurpare. Nam ſecundùm Apoſtolum: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Et veritas ipſa præcepit Apoſtolis: *Rogate dominum meſſis ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Quòd ſi fortè quis arguetè reſpondeat quia tales inviſibiliter mittuntur à Deo, etſi non viſibiliter mittantur ab homine, cùm inviſibilis miſſio multò ſit dignior quàm viſibilis, & divina longè melior quàm humana; (Vnde Iohannes Baptiſta non legitur miſſus ab homine, ſed à Deo, ſicut evangeliſta teſtatur: *Quia fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Iohannes*) poteſt & debet utique ratione prævia reſponderi quòd cùm interior illa miſſio ſit occulta, non ſufficit cuiquam nudè tantùm aſſerere quòd ipſe ſit miſſus à Deo, cùm hoc quilibet hæreticus aſſeveret; ſed oportet ut aſtruat illam inviſibilem miſſionem per operationem miraculi, vel per ſcripturæ teſtimonium ſpeciale. Vnde cùm Dominus vellet mittere Moyſen in Ægyptum ad filios Iſraël, ut crederetur ei quòd mitteretur ab ipſo, dedit ei ſignum, ut converteret virgam in colu-

brum, & colubrum iterum reformaret in virgam. Iohannes quoque Baptista suæ missionis speciale testimonium protulit de scriptura, respondens Sacerdotibus & Levitis qui missi fuerant ad interrogandum quis esset, & quare baptizandi sibi officium assumpsisset: *Ego vox clamantis in deserto. Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.* Non ergo credendũ ei qui se dicit missum à Deo, cùm non sit missus ab homine, nisi de se speciale proferat testimonium de scripturis, vel evidens miraculum operetur. Nam & de his qui missi leguntur à Deo evangelista testatur quòd ipsi profecti prædicabant ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Licèt autem scientia valde sit necessaria sacerdotibus ad doctrinam, quia juxta verbum propheticum labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ejus; non est tamen simplicibus sacerdotibus etiam à scholasticis detrahendum, cùm in eis sacerdotale ministerium debeat honorari. Propter quod Dominus in lege præcepit, *Diis non detrahes*, sacerdotes intelligens, qui propter excellentiam ordinis & officij dignitatem deorum nomine nuncupantur. Iuxta quod alibi dicit de servo volente apud dominum remanere, ut dominus offerat eum diis. Cùm enim juxta verbum Apostoli servus suo domino stet aut cadat, profectò sacerdos ab Episcopo, cujus est correctioni subjectus, debet in mansuetudinis spiritu castigari, non autem à populo, cujus est correctioni præpositus, in spiritu superbiæ reprehendi; cùm juxta præceptum dominicum pater & mater non debeant maledici, sed potiùs honorari. quod de spirituali patre multò fortiùs debet intelligi quàm carnali. Nec quisquam suæ præsumptionis audaciam illo defendat exemplo, quòd asina legitur reprehendisse Prophetam, vel quòd Dominus ait, *Quis ex vobis arguet me de peccato, & si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo*, cùm aliud sit fratrem in se peccantem occultè corripere, (quod utique quisque tenetur efficere secundùm regulam evangelicam, in quo casu sanè potest intelligi quòd Balaam fuit correptus ab asina) & aliud est patrem suum etiam delinquentem reprehendere manifestè, ac præcipuè fatuum pro simplici appellare, quod utique nulli licet secundùm evangelicam veritatem. Nam qui etiam fratri suo dixerit fatue, reus erit gehennæ. Rursus aliud est quòd Prælatus se sponte, de sua consisus innocentia, subditorum accusationi supponit, (in quo casu præmissum Domini verbum debet intelligi) & aliud est quòd subditus, non tam animo corripiendi, quàm detrahendi, exurgit temerarius in Prælatum, cùm eum potiùs maneat necessitas obsequendi. Quòd si fortè necessitas postularit ut sacerdos, tanquam inutilis, aut indignus, à cura gregis debeat removeri, agendum est ordinatè apud Episcopum, ad cujus officium tam institutio quàm destitutio sacerdorum noscitur pertinere. Illud autem, tanquam de supercilio Pharisæorum procedens, debet ab omnibus aspernari, quòd tanquam ipsi soli sint justi, ceteros aspernantur; cùm & hactenus ab initio nascentis Ecclesiæ multi fuerint viri sancti, qui nec tales fuisse leguntur, nec talibus adhæsisse, cùm de novo tales surrexisse leguntur: qui nisi contenti sint doceri potiùs quàm docere, ad illos forsitan pertinebunt quibus Dominus ait: *Nolite fieri plures magistri.* Nos ergo, filij, quia paterno vos affectu diligimus, ne sub prætextu veritatis in foveam decidatis erroris, & sub specie virtutum in laqueum vitiorum, universitatem vestram rogamus attentiùs, monemus, & exhortamur in Domino, in remissionem vobis peccatorum injungentes, quatenus ab ijs quæ superiùs reprehensibilia denotavimus, linguam & animum revocetis, fidem catholicam & regulam ecclesiasticam observantes, ne vos verbis fallacibus circumveniri vel etiam circumvenire contingat: quia nisi correctionem nostram & admonitionem paternam receperitis humiliter & devotè, nos post oleum infundemus & vinum, severitatem ecclesiasticam apponentes; ut qui noluerint obedire spontanei, discant acquiescere vel inviti. Datum Laterani.

EPISCOPO ET CAPITVLO Metensibus.

SIcut Ecclesiarum Prælatis incumbit ad capiendas vulpes parvulas, quæ demoliri vineam Domini moliuntur, prudenter & diligenter intendere, sic est eis summopere præcavendum ne ante messem zizania colligantur, ne forsan, quod absit, cum eis etiam triticum evel- *Epist. 142. De eodem argumento.*

latur. Sanè ficut non debet hæretica pravitas tolerari, fic enervari non debet religiofa fimplicitas; ne vel patientia noftra hæreticis audaciam fubminiftret, vel fimplices impatientia multa confundat, ut nobis diruptis convertantur in arcum perverfum, & in hæreticos de fimplicibus commutentur. Sanè fignificafti nobis per litteras tuas, frater Epifcope, quòd tam in diocefi quàm urbe Metenfi &c. *ut fuprà ufque ad verbum* in occulto. Quia verò in dubiis non eft de facili fententia proferenda, cùm quòd vel iidem errent in fide, vel à doctrina difcrepent falutari, nobis per tuas litteras, frater Epifcope, non duxeris exprimendum, cùm opinionem & vitam eorum penitùs ignoremus qui facras fcripturas taliter tranftulerunt, aut eorum qui docent taliter jam tranflatas, quorum neutrum poteft fieri fine fcientia litterarum, licèt in his arguendi meritò videantur quòd occulta conventicula celebrant, officium fibi &c. *ufque ad verbum* non inhærent; difcretioni veftræ per apoftolica fcripta mandamus atque præcipimus quatenus eos commonere diligentiùs ftudeatis, rationibus & exhortationibus innitentes, ut ab his in quibus apparent reprehenfione notabiles, omnino defiftant, nec officium fibi vendicent alienum. Inquiratis etiam folicitè veritatem quis fuerit auctor tranflationis illius, quæ intentio transferentis, quæ fides utentium, quæ caufsa docendi, fi fedem apoftolicam & catholicam Ecclefiam venerentur; ut fuper his & aliis quæ neceffaria funt ad indagandam pleniùs veritatem per litteras veftras fufficienter inftructi, quid ftatui debeat meliùs intelligere valeamus. Revocandi autem eos & convincendi fecundùm fcripturas fuper his quæ reprehenfibilia denotavimus, viam vobis in litteris, quas communiter illis dirigimus, aperimus. Datum Laterani IIII. Idus Iulij.

ARCHIEPISCOPO, DECANO, & Capitulo Compoftellan.

Epift. 143. Concordiam quandam confirmat.

EA quæ concordia vel judicio &c. *ufque ad verbum* affenfu, ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papæ prædecefforis noftri concordiam quæ inter vos & Vu. Vicecomitem & G. filium ejus Vercellen. cives, fuper hofpitali & Ecclefia fancti Iacobi de Caffina, mediante venerabili fratre noftro Taurinen. Epifcopo & dilecto filio Hard. Mediolan. Ecclefiæ Canonico facta dignofcitur, ficut de beneplacito utriufque partis ftabilita eft, & tuo, frater Archiepifcope, fubfequente affenfu firmata, & hinc inde fufcepta, & hactenus obfervata, auctoritate vobis apoftolica confirmamus, & præfentis fcripti pagina communimus. Statuentes ut ficut in authentico fcripto ipfius tranfactionis habetur, poft deceffum prædicti G. & Iacobi fratris ejus, nullum jus five fundationis feu advocationis aut cujuflibet alterius rei quifquam de cognatione eorum in prædicta Ecclefia vel hofpitali valeat vendicare; fed in poteftate & regimine Compoftellan. Ecclefiæ, fine injuria Vercellen. Epifcopi, remaneant abfolutè. Præterea refutationem quam fuper jure fundationis & advocationis vel alterius cujuflibet rei, quod fibi quocunque modo competere videbatur, in præfata Ecclefia five hofpitali præfatus Vu. pro fe & heredibus fuis per inftrumentum publicum fpontaneè fecit, ratam decernimus permanere. Nulli ergo &c. confirmationis & conftitutionis &c. Datum ut fuprà.

PETRO COMPOSTELLAN. Archiepifcopo.

Epift. 144. Vt Abbas & monafterium de Antealtaria Compoftellano Epifcopo fubjectum fit.

CVm olim effes in felicis recordationis Alexandri Papæ prædecefforis noftri præfentia conftitutus cum Abbate de Antealtaria, varias querelas contra eum priùs in præfentia quorundam Cardinalium, quibus caufsa commiffa fuerat audienda, & poftmodum in ipfius auditorio proponebas, afferens quòd prædictum monafterium quoad jus patronatus tibi & Compoftellan. Ecclefiæ fubtrahere voluiffet, alium ejufdem monafterij nominando patronum. Sed & ipfe Abbas aliqua contra te ac fratres tuos fe dicebat habere. Tandem cùm ad compofitionem per eundem prædecefforem noftrum moniti fuiffetis, elegit ipfe Abbas potiùs quæ ad pacem erant quàm difceptatione contendere, & coram eò publicè recognovit præfcriptum monafterium Ecclefiæ Compoftellan. diocefano fimul & territorij jure fubjectum, utpote quòd non folùm in cœmiterio verùm etiam in parietibus præfcriptæ Ecclefiæ nofcitur effe conftructum, ut per Ecclefiam ad monafterium tranfitus fine

aliquo interstitio babeatur, & tu & fratres tui in processionibus ad cœmiterium pertinentibus per claustrum monasterij transeatis. Interrogatus autem Abbas respondit in solo Ecclesiæ Compostellanen. fundatum, eámque solam jus in eo patronatus habere. Ne igitur quod eidem Alexandro de confessione Abbatis in judicio facta innotuit, ulteriùs in recidivæ contentionis scrupulum reducatur, idem monasterium, sicut Abbas recognovit, ad exemplar ejusdem prædecessoris nostri decernimus Ecclesiæ tuæ diocesano & territorij ac patronatus jure perpetuò subjacere, ipsúmque tibi & Ecclesiæ tuæ auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo &c. constitutionis & confirmationis &c. Datum Laterani VII. Idus Iulij.

PETRO COMPOSTELLAN. Archiepiscopo.

Epist. 145. Vt rusticos Legionenses Vota persolvere cogas.

CVm sit regula juris, qua dicitur ut actor forum rei sequatur, preces ex parte tua nobis super hoc obtinendo porrectas libenter admittimus quod tam canonicæ quàm legali consonat æquitati, maximè cùm id quod petis, in favorem beati Iacobi & Compostellanæ Ecclesiæ debeat adimpleri. Innotuit siquidem nobis quòd quidam laici rustici de regno illustris Regis Legionensis, super Votis beato Iacobo persolvendis nolunt in præsentia ipsius Regis, qui ordinarius judex eorum existit, quando conveniuntur, aliquatenus respondere. Vnde petitioni tuæ gratum præstando assensum, ad exemplar felicis recordationis Celestini Papæ predecessoris nostri, fraternitati tuæ præsenti pagina indulgemus ut tibi liceat rusticos ipsos, tanquam Votorum debitores, sub examine prædicti Regis, quandoquidem tibi aliàs eorundem Votorum solutio debita denegatur, super eisdem votis remoto cujuslibet appellationis vel contradictionis obstaculo convenire. Decernimus ergo &c. Datum Laterani III. Idus Iulij.

Vide infra, epist. 146. 147.

TOLETAN. ET BRACAREN. Archiepiscopis, & Suffraganeis eorum Orien. & Legionen. Episcopis.

Epist. 146. De eodem argumento.

QVerelam venerabilis fratris nostri P. Archiepiscopi Compostellan. accepimus quòd ejus Ecclesiæ ad mandatum etiam apostolicum sæpius iteratum Vota beati Iacobi à parochianis vestris non facitis, sicut debentur, exolvi. Quoniam igitur ad servanda jura præscriptæ Ecclesiæ non decet vos existere negligentes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus memorato Archiepiscopo & Ecclesiæ suæ præscripta Vota à parochianis vestris, ut debentur, solvi de cetero faciatis. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Zamorensi & Salamantinensi Episcopis datum noveritis in mandatis ut parochianos vestros ad Vota illa solvenda sublato appellationis obstaculo ecclesiastica districtione compellant. Vos itaque sententiam quam ijdem Episcopi vel eorum alter in eos propter hoc rationabiliter tulerint, usque ad dignam satisfactionem denuntiari faciatis, & inviolabiliter observetis. Datum Laterani II. Idus Iulij.

Scriptum est super hoc Zamorensi & Salamantinensi Episcopis.

MAGISTRIS ET FRATRIBVS Spatariis & Religiosis per Hispanias constitutis.

Epist. 147. Vt censum Ecclesiæ Compostellanæ debitum solvant.

AD audientiam apostolatus nostri transmissa conquestione Ecclesiæ Compostellan. pervenit quòd cùm per totam ferè Hispaniam auctoritate Principum & Prælatorum, favore etiam Cleri & populi Ecclesiæ beati Iacobi, ob reverentiam ipsius Apostoli, census quidam certus, qui Vota dicitur, de singulis paribus boum antiquitus fuerit constitutus, plerique vestrũ de terris vestris & hominum vestrorum eundem censum præscriptæ Ecclesiæ pro sua tantùm voluntate solvere contradicunt. Verùm quia valde periculosum est quibuslibet aliena tenere, nedum viris religiosis, qui perfectionis amore propria dimiserunt, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus censum ipsum, secundùm quod antiquitus statutus est, eidem Ecclesiæ cum integritate solvatis. Ceterùm si, quod non credimus, mandatum apostolicum in hac parte duxeritis contemnendum, noveritis nos venerabilibus fratribus nostris Salamantinensi & Zamorensi Episcopis mandavisse ut ad id per interdicti & excommunicationis sententiam, sublata appellationis difficultate, sicut visum fuerit, vos compellant. Datum Laterani VI. Idus Iulij.

Vide supra, epist. 145. 146. & infra, epist. 170.

Scriptum est super hoc eisdem Episcopis.

CAPITULO BALNEARIÆ.

Epist. 148. Ne ex monachis quicquam restituatur, & de pœna simoniacorum.

OLim ad instantiam Vu. Presbyteri co.querentis quòd Ecclesiam quam ei de consensu vestro Prior vester sub annua pensione concesserat, & quam ipse animalibus multis ditaverat, abstulisset, & extendisset manum ad personam pariter & res ejus, astringens eum ferreis vinculis ad sedem apostolicam appellantem, caussam ipsam venerabili fratri nostro Messan. Archiepiscopo meminimus commisisse. Cùm autem ad citationem ipsius, sicut ex litteris ejus accepimus, partes in ipsius essent præsentia constitutæ, dictus Presbyter ea quæ Priori in Ecclesiæ receptione contulerat, Prior verò quæ ipsi Presbytero pro concordia dederat, sibi restitui postulabat. Cùmque postmodum idem Presbyter & sua sibi restitui & de violentia irrogata justitiam fieri postularet, Prior ipsum conversum ac professum suum esse asseruit, & ad id probandum quosdam testes induxit, quorum depositiones Priore postmodum appellante idem Archiepiscopus sub suis nobis litteris destinavit. Transcriptum etiam quoddam concessionis, quam idem Prior dicto Presbytero super Ecclesia de Castronovo cum omnibus ejus pertinentiis concedebat, tali tenore quòd eam in domibus, hortis, & vineis augmentaret, & sexaginta porcos, pullum unum equinum, mulam unam, & quadringentos tarenos offerret. Ceterùm cùm dictus frater Vu. propter hoc ad nostram præsentiam accessisset, Prior verò non procuratorem idoneum sed nuntium minùs sufficientem solummodo destinasset, nos venerabili fratri nostro Montis-Regalis Archiepiscopo & P. tunc Regiæ Capellæ Canonico Subdiacono nostro dedimus in mandatis ut dictum Priorem in expensas legitimas condemnantes, inter partes, si fieri posset, concordiam reformarent. alioqui auditis quæ proponerentur hinc inde, & rationibus partium pleniùs intellectis, ita ut nihil restare nisi sententia videretur, gesta omnia redacta in scriptis sub sigillis suis ad nostram præsentiam destinarent, statuentes partibus terminum competentem quo præsentarent se nostro conspectui sententiam recepturæ. Licèt autem, sicut idem Archiepiscopus nobis per suas litteras intimavit, conjudex ipsius antè quàm partes vocarentur ad caussam, viam fuerit universæ carnis ingressus, ipse nihilominus de consensu partium in caussa processit, & Priore in expensas, quas idem Presbyter in via fecerat, condemnato, conquestionem ejusdem Presbyteri super spoliatione, captione, ac detentione sua, & Prioris excusationem audivit, ac testes super conversione & susceptione habitus ipsius Presbyteri ex parte Prioris inductos mandavit recipi & audiri, licèt idem Presbyter, contra id quod priùs promiserat, receptioni eorum noluerit interesse. Fuerunt etiam pro eodem Presbytero quidam ad testimonium advocati, qui non jurati deposuerunt Presbyterum ipsum fuisse carceri mancipatum. Verùm cùm postmodum idem Presbyter & frater Io. Canonicus Balneariæ procurator ad hanc caussam specialiter constitutus, ad nostram præsentiam cum ejusdem Archiepiscopi litteris accessissent, nos eis dilectum filium nostrum G. sanctæ Mariæ Diaconum Cardinalem concessimus auditorem: qui cùm omnia quæ coram eo recitata fuerant, ad nostram præsentiam retulisset, nos intelligentes sufficienter fuisse probatum per testes ipsum in domo Balneariæ fecisse professionem, suscepisse habitum & portasse, ipsum esse professum ejusdem Ecclesiæ per sententiam diffinivimus, & ab impetitione ipsius super his quæ sibi restitui postulabat sententialiter absolvimus Ecclesiam memoratam; adjicientes, ut quia pro Ecclesia de Castronovo, sicut ex assertione ipsius & concessione Prioris patuit, reatum contraxerat simoniæ, ad eam de cetero nullatenus revertatur. Quia verò Prior vester non minùs immo magis in hoc deliquisse videtur, volumus & mandamus ut usque ad festum omnium sanctorum nostro se conspectui repræsentet, rationem nobis super contractu simoniaco redditurus. Nulli ergo &c. diffinitionis & absolutionis &c. Datum Laterani XIV. Kal. Augusti.

BRACAREN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 149. Vt concordiam inter ecclesiam Compostellanam & Bracaren. initam servet. Vide suprà epist. 135.

COntroversiam quatuor episcopatuum, Colimbriensis videlicet, Visensis, Egitaniensis, & Lamecensis, inter Compostellanam & Bracarensem Ecclesias diutiùs agitatam, non sine multo labore nuper curavimus exacta diligentia terminare; sicut ex authentico senten-

tiæ liquidò declaratur. In qua re caussa quoque quinque episcopatuum Gallæciæ, scilicet Tudensis, Auriensis, Miodunieasis, Lucensis & Astoricensis, qui à bonæ memoriæ Alexaodro Papa prædecessore nostro venerabili fratri oostro P. Compostellao. Archiepiscopo pro illis fuerant assignati, terminata dignoscitur; cùm principali quæstione sopita, & accessoria per consequentiam sit sublata. Vt autem super hoc nulla imposterum dubietas oriatur, fraternitati tuæ auctoritate præsentium duximos concedendum ut super præfatis episcopatibus Gallæciæ indubitanter pertinentibus ad metropolim Bracarensem propter ea quæ hactenus gesta sunt noo valeas de cetero conveniri. Præsentibus quoque litteris duximus anootandum quòd præfatus Cōpostellanus Archiepiscopus archiepiscopatus sui nomioe præmissis episcopatibus, Colimbriensi scilicet, Visensi, Tudensi, Auriensi, Minduniensi, Lucensi & Astoricensi, Ecclesiis etiam sancti Victoris & saocti Fructuosi, cum omoibus pertinentiis suis, & medietati Bracaren. renuntiavit in perpetuum io præsentia nostra & fratrum nostrorum, super quibus fuerat à partibus litigatum. Datum Laterani XIII. Kal. Augusti.

VIMANENSI, DE COSTA, & de sancto Tornaco Prioribus.

Epist. 150. Vt Archiepiscopo Bracarensi obediant. Cap. Cùm non liceat. De præscriptionibus.

CVm non liceat à capite membra recedere, non sufficimus admirari quòd, sicut referente venerabili fratre nostro Bracarensi Archiepiscopo nostris est auribus intimatum, licèt Ecclesiæ vestræ in ipsius sint diocesi constitutæ, vos tamen nullum exemptionis privilegium prætendentes, obedire sibi tanquam Episcopo vestro contumaciter recusatis. Cùm igitur crimen ariolandi sit repugnare, & scelus idolatriæ nolle acquiescere, sustioere oolentes quòd subditi Prælatis suis non obediant, ut teoentur, de commuoi fratrum nostrorum consilio per apostolica vobis scripta mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus præfato Archiepiscopo & Ecclesiæ Bracareosi obedientiam & reverentiam debitam, sicut alij Clerici suæ diocesis faciunt, de cetero sioe contradictione qualibet impendatis, præscriptione temporis non obstante. Alioquin sententiam quam idem in vos vel Ecclesias vestras propter hoc rationabiliter tulerit, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Datum Laterani XII. Kalendas Augusti.

PORTVGALLEN. ET LAMECEN. Episcopis, & Abbati de Burio.

Epist. 151. Vt Archiepiscopo Bracarensi Priorem S. Martini de Castro obedire cogant.

INtimante veoerabili fratre nostro Bracarensi Archiepiscopo nostris est auribus intimatum quòd dilectus filius Prior sancti Martini de Castro, occasione cujusdam privilegij quod pendente lite de oovo eodem Archiepiscopo ignorante à booæ memoriæ Celestino Papa prædecessore nostro dicitur impetratum, obedieotiam consuetam & reverentiam debitam denegat exhibere. Cùm igitur de jure naturali procedat, & hoc ipsum in Evangelio Dominus manifestet, quòd quæcunque volumus ut faciaot nobis homines, & oos eadem eis facere debeamus, sicut nobis ab aliis debitum honorem impendi, sic fratribus & coëpiscopis nostris à subditis deferri voleotes, eidem Priori de communi fratrum nostrorum consilio per scripta nostra præcipiendo mandamus ut non obstante hujusmodi privilegio, neque commissione ad te, frater Episcope, & priùs Episcopum Lamecensem & dilectum filium Priorem Ecclesiolæ pustea impetrata, præfato Archiepiscopo & Ecclesiæ Bracarensi de cetero sine contradictione qualibet, sicut alij Prælati suæ diocesis faciuot, humiliter obedire procoret. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si prædictus Prior mandato nostro parere noluerit, vos eum ad id veritate cognita per censuram ecclesiasticam sine appellationis obstaculo compellatis. Quòd si omnes &c. Datum ut supra.

OXOMENSI, PORTVGALLENSI, & Placentinensi Episcopis.

Epist. 152. Vt caussam Compostellani & Bracaren. Archiepiscopi super Ecclesia Zamorensi cognoscant.

CVm olim inter Toletanam & Bracarensem Ecclesias soper Zamorensi episcopatu, quem tunc Toletanus Archiepiscopus, ut dicitur, possidebat, quæstio verteretur, felicis recordationis Eugenius Papa prædecessor ooster, nec Compostellanensi Archiepiscopo nec Episcopo Zamorensi citato, oec denuntiatione aliqua, sicut venerabilis frater noster Compostellanensis Archiepiscopus asseverat, super hoc facta eisdem,

sententiam pro Bracarensi Ecclesia promulgavit, scribens Episcopo, Clero, & populo Zamorensi ut ei & Ecclesiæ Bracarensi tanquam suæ metropoli humiliter obedirent, ac postmodum possessionem ipsius Bracarensis Archiepiscopus, sicut nobis ex parte sua fuit propositum, est adeptus. Postmodum verò idem Compostellanus Archiepiscopus primò à bonæ memoriæ Alexandro Papa ac demum à Lucio prædecessoribus nostris ad delegatos judices contra Zamorensem Episcopum, qui tunc se juxta ejusdem Archiepiscopi assertionem habebat pro libito, litteras impetravit: qui pro eo diffinitivam sententiam protulerunt: cujus inquisitionem felicis recordationis Vrbanus Papa prædecessor noster commisit ad petitionem venerabilis fratris nostri Bracarensis Archiepiscopi faciendam. Nuper autem cùm idem Compostellanus & idem Bracarensis Archiepiscopi propter hanc & alias causas, quas habebant ad invicem, ad nostram præsentiam accessissent, & super his fuisset ab eis aliquandiu disceptatum, de consilio fratrum nostrorum sententiando decrevimus ut illa sententia in nullo prorsùs obsisteret Archiepiscopo vel Ecclesiæ Bracarensi. Ideóque fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus sive adversùs eundem Compostellanum, sive adversùs venerabilem fratrem nostrum Zamorensem Episcopum, vel etiam adversùs utrumque super hoc agere voluerit Archiepiscopus Bracarensis, denuntiatione tamen facta priùs à vobis Compostellano, ut, si voluerit, Zamorensem Episcopum tueatur, si Bracarensis Zamorensem maluerit convenire, vos ad locum congruum accedentes, ad quem partes suos possint testes inducere, & de fama diligentiùs inquirentes, partibus convocatis, & ipsius caussæ meritis per earum assertionem pleniùs intellectis, ad sententiam appellatione postposita procedatis, facientes &c. Testes cogantur. Quòd si omnes &c. tu frater Oxomen. &c. ita quòd si alterum vestrum, fratres Portugallen. & Placentin. decedere fortè contigerit, liceat Metropolitano suo in locum decedentis quem voluerit ex suis suffraganeis subrogare. Datum ut suprà.

CLERICIS SANCTI GRISOGONI tam præsentibus quàm futuris canonicè substituendis in perpetuum.

Epist. 151. De confirmatione privilegiorum.

EA quæ à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus ratione prævia statuuntur, tantò volumus firmiùs observari, quantò de maturiori videntur consilio processisse; & ne imposterum alicujus valeant temeritate turbari, apostolico sunt munimine fulcienda. Sanè cùm bonæ memoriæ Iohannes Crema Ecclesiæ vestræ Presbyter Cardinalis in præsentia felicis recordationis Calixti Papæ prædecessoris nostri adversùs Clericos sancti Salvatoris de Curte suam deposuisset querelam, pro eo videlicet quòd tam ei quàm Ecclesiæ vestræ debitam obedientiam subtraxissent, & jura parochialia denegarent, idem prædecessor noster utraque parte ad suam præsentiam evocata, & rationibus utriusque diligenter auditis & cognitis, inspectis etiam privilegiis bonæ memoriæ tam Iohannis XV. Papæ, quod supradictam Ecclesiam sancti Salvatoris de Curte in fundo Ecclesiæ vestræ sub censu annuo constitutam monstrabat, quàm Vrbani II. in quo evidenter diffinitum agnovit ut Clerici prædictæ Ecclesiæ sancti Salvatoris essent in canonica subjectione, & facerent vobis & Ecclesiæ vestræ obedientiam, & deberent scrutinium, baptisma, capitulum, processiones, & Clericorum ordinationes vobis & Ecclesiæ vestræ sicut proprio titulo exhibere, quæ idem Cardinalis ad tuitionem suæ caussæ in medium producebat, fratrum suorum habito consilio per sententiam diffinivit præfatam Ecclesiam sancti Salvatoris debere in prædictis omnibus vestræ Ecclesiæ respondere. quam videlicet sententiam bonæ memoriæ Innocentius & Lucius Papa secundus postmodum confirmarunt, sicut in eorum vidimus privilegiis contineri. Cùmque postmodum prædicti Clerici eandem nollent sententiam observare, bonæ memoriæ Guido Ecclesiæ vestræ sancti Grisogoni Presbyter Cardinalis in præsentia felicis memoriæ Adriani Papæ, anno ejus primo, suam deposuit quæstionem. Qui auditis & cognitis quæ proponebantur hinc inde, & inspectis privilegiis bonæ recordationis tam Vrbani quàm Calixti Romanorum Pontificum, & qualiter hanc eandem controversiam, cùm in suis tem-

poribus inter ipsas Ecclesias emersisset, diffinierit, controversiæ ipsi debitum finem imposuit, & eorum sententias privilegij pagina confirmavit & Clericos illius Ecclesiæ vobis vestrisque successoribus & Ecclesiæ vestræ beati Grisogoni parochialia jura sicut proprio titulo exhibere decrevit. Postmodum autem quinto anno pontificatus ejusdem Bonadies Presbyter Cardinalis Ecclesiæ vestræ, cui prædicti Clerici sancti Salvatoris, tanquam contumaces & rebelles, subjectionem & obedientiam facere noluerunt, accessit ad eundem Pontificem prædecessorem nostrum Adrianum, & coram eo de illis suam deposuit quæstionem. Qui cùm eandem causam cognoscendam bonæ memoriæ Bernardo Portuensi Episcopo commisisset, idem Episcopus prædecessoris nostri Calixti sententia diligenter inspecta, de mandato ejusdem pronuntiavit eandem sententiam à dictis Clericis sancti Salvatoris debere inviolabiliter observari, sententiam ipsam proferens sicut in authentico scripto per manum Scriniarij exinde facto continetur expressè, qua ad exhibitionem juris parochialis Iohannem Oeconomum prædictæ Ecclesiæ & omnes ejusdem Ecclesiæ Clericos condemnavit, videlicet in scrutinio, baptismate, capitulo, processione, & Clericorum ordinatione; & præfatum titulum Ecclesiæ vestræ sancti Grisogoni ad omne jus parochiale restituit, sicut in privilegiis vestræ Ecclesiæ continetur. Ceterùm cùm tempore felicis recordationis Alexandri Papæ III. sæpedicti Clerici contumaces existerent & rebelles, nec latæ sententiæ vellent aliqua ratione parere, ad instantiam Cler[illegible]rum tunc Ecclesiæ vestræ eos ad suam præsentiam evocavit: qui coram eo proponere curaverunt quòd sententia illa non deberet aliqua ratione tenere, pro eo quòd interposita fuerat appellatione suspensa, & etiam lata contra libertatem Ecclesiæ suæ per privilegium apostolicæ sedis indultam: in quo videlicet privilegio continebatur expressum, quòd Ecclesia sancti Salvatoris de Curte nulli alij nisi Romanæ Ecclesiæ subjaceret. Quod quidem privilegium, sicut in publico instrumento per manum Scriniarij exinde facto habetur, ab Oeconomo Ecclesiæ vestræ in controversia illa quæ actitata est coram prædicto Bernardo Episcopo Portuensi, & alia similiter privilegia quæ pro libertate suæ Ecclesiæ prætendebant, sunt falsitate penitùs confutata; tum quia recens junctura & incollatura evidentiùs apparebat, & multa in se mendacia continebant; tum quia nullis alijs temporibus visa sunt vel exhibita. Auditis itaque & cognitis utriusque partis rationibus, & privilegiis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum diligenter inspectis, habito fratrum suorum consilio, prædicti Episcopi sententiam confirmavit, & perpetuis temporibus firmam manere sancivit: quam etiam felicis recordationis Lucius Papa III. prædecessor noster ratam habuit cùm duo ex Clericis sancti Salvatoris, quos ad suam propter hoc præsentiam evocarat, coram eo confessi fuissent sententiam fuisse prolatam, eandem se servasse ac servare firmiter velle asserentes. Nos igitur eorundem prædecessorum nostrorum Iohannis, Vrbani, Calixti, Honorij, Innocentij, Lucij, Adriani, & Alexandri vestigijs inhærentes, eandem sententiam auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Vobis etiam vestrisque successoribus & per vos eidem Ecclesiæ vestræ S. Grisogoni in perpetuū confirmamus Ecclesias & capellas quę infra ejusdem beati Grisogoni parochiam continentur, videlicet sæpedictam Ecclesiam S. Salvatoris de Curre, quę etiam Felix Aquila nuncupatur, Ecclesiam sanctæ Bonosæ, Ecclesiam sanctæ Agathæ, cum pertinentijs earum, Ecclesiam sancti Stephani, quæ utroque jure, parochiali videlicet & proprietaris, ad vestram dignoscitur Ecclesiam pertinere: ut quicquid dignitatis, quicquid reverentiæ, quicquid parochialis juris matrix Ecclesia in suis habet Ecclesiis & Capellis, hoc vos in istis per Dei gratiam habeatis, tam in ordinationibus Clericorum per easdem Ecclesias collocandorum, sive ad ecclesiasticos ordines promovendorum, quàm in scrutiniis, baptismatibus, processionibus, capitulis, & in criminalium quæ publica sunt judiciis. Nullus ergo Episcopus, nullus Cardinalis, nullus Abbas, nullus Archipresbyter in prædicto beati Grisogoni titulo, in Capellis & territoriis earum, parochialia sibi jura andeat vendicare; nec Abbatum alicui facultas sit parochianos vestros, nisi fortè ab eis deliberatum sit, in suis Ecclesiis sepelire.

Quòd

Quòd si viventes adhuc religionis intuitu apud eos sepeliri deliberaverint; cum vestra quoque præsentia, salva matricis Ecclesiæ justitia, tumulentur. Ad hæc adiicientes, vobis vestrisque successoribus & per vos Ecclesiæ vestræ perpetuò confirmamus Ecclesiam sancti Iuliani, cũ domibus, cellis, cryptis, hortis, vineis, & arenariis suis, cum terris cultis vel incultis, sylvis, pantanis, & pratis suis, cùm suis aquiniolis in rivo qui vocatur Arton: quæ quidem Ecclesia sita est juxta castrum quod vocatur de Guid. Casale de Maliana, cum turri, vineis, agris cultis & incultis, pratis, sylvis, aquis, & aquarum decursibus. Vineas quas in Marcello, in Rosario, & in pratis Papæ possidetis, cum pratis & aliis pertinentiis suis. Vineas etiam & terras in Virgine. Molam quam in flumine Tyberis habetis, & quartam partem alterius molæ. Casale in campo de Merulis, terras in Marcello, terras in Ventrebublo, cum aliis omnibus quæ impræsentiarum justè & canonicè possidetis, vel in futurum largiente Domino poteritis adipisci. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat honores & bona sæpefaræ Ecclesiæ vendere, in feudum dare, aut ab eadem Ecclesia modis quibuslibet alienare, ipsam Ecclesiam temerè perturbare &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Siqua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, X. Kal. Augusti, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

AIMERICO ABBATI Cadaniensi.

Epist. 154. Vt reformatio istic edita, & à Legato apostolico probata, servetur.

INter ceteras solicitudines quæ nobis ex officio creditæ servitutis incumbunt, animum nostrum solicitior cura perurget, cùm eos qui terrenas illecebras sumendo habitum regularem deberent penitùs abdicasse, & obsequiis efficaciùs divinis insistere, audimus esse inquinamentis malitiæ ac dissolutionis vitiis irretitos, & ad eorum correctionem studium efficax & promptam voluntatem nos convenit adhibere. Nimirum cùm per insinuationem tuam ad apostolatus nostri audientiam pervenisset, zelo Dei conscientiam tuam, sicut credimus, excitante, quòd ab antiquo abbatia Cadaniensis non solùm pastorem de ordine Cisterciensi suscepit, sed etiam habitum & observantiam regularem, per quam tam in temporalibus quàm spiritualibus olim cœlestium donorum profecerat incrementis, & tandem per quosdam indisciplinatos filios voluntatis propriæ sectatores, qui cervices suas indomitas ab illo jugo suavi & salutari minùs licenter excutere præsumpserunt, ad tantæ dissolutionis miseriam peccatis exigentibus jam devenit, ut à malitia inhabitantium in ea, sicut etiam ex testimonio plurimorum didicimus, defectum minaretur pariter & ruinam; propter hoc bonæ memoriæ A Pictaven. & venerabili fratri nostro R. Petragoricensi Episcopis & dilecto filio Arnaldo Archidiacono Petragoricensi præcipiendo mandavimus ut ad locum pariter accedentes, quicquid corrigendum invenirent tam in capite quàm in membris, auctoritate freti apostolica, solum Deum habentes præ oculis, prævia ratione corrigerent, & fratres ipsos diligentiùs commonentes ut redirent ad ordinem Cisterciensem, à quo formam religionis sumpserunt, procederent ad emendationem ipsius loci tam in capite quàm in membris, prout expedire viderent, & quod statuerent, per censuram ecclesiasticam facerent firmiter observari, conspirationes etiam & vitium proprietatis penitùs extirpari, & fratres quos morientes in eo contingeret vitio deprehendi, Christiana sepultura carere. Adjectum fuit etiam quòd si prædicti tres judices interesse non possent, reliqui duo præmissa exequi non differrent. Vnde prædicti Episcopus & Archidiaconus Petragoricenses, sicut tenor litterarum suarum nobis pleniùs intimavit, cùm dictus Episcopus Pictavensis jam esset morte præventus, ad ipsum monasterium accedentes, & intelligentes per famam publicam fratres ejusdem monasterij tam in propriis habendis quàm in dissolutione vitæ suæ graviter diffamatos, & eosdem propter nimiam dissolutionem, in qua erant nimiùm obstinati, & admonitionem penitùs contemnebant, ad debitum religionis statum nulla tenus aliter nisi per ordinem Cisterciensem posse reduci, astantibus plurimis discretis viris tam Clericis quàm Baronibus, ad quos locus ille ratione fundationis dignoscitur pertinere, ipsum monasterium Caduniense decre-

Vide lib. 1. epist. 146.

Vide Notas nostras ad Concilium Monspeliense habitum an. 1214. cap. 16.

verunt ad Cisterciensem ordinem reducendum, & ipsum, cum omnibus abbatiis suis, abbatiæ Pontiniacensi, præsente ipso G. Pontiniacen. Abbate, in perpetuum submiserunt; & quod ab eis statutum est & decretum, dilectus filius noster P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, sicut nobis per suas litteras innotuit, auctoritate suæ legationis postmodum confirmavit. Nos igitur tuis justis postulationibus grato & pio concurrentes assensu, quod ab ipsis judicibus & prædicto Cardinali provida deliberatione factum est ratum & firmum habentes, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus, statuentes in prædicto monasterio tuo & aliis ei subjectis Cisterciensem ordinem futuris temporibus inviolabiliter observandum, & eadem Pontiniacensi abbatiæ, sicut est superiùs prælibatum, perpetuò deinceps fore subjecta. Decernimus ergo &c. confirmationis & constitutionis &c. Datum Laterani X. Kal. Augusti.

BVRDEGALENSI Archiepiscopo, Agennensi & Pictaviensi Episcopis.

Epist. 155. De eodem argumento.

INter ceteras solicitudines &c. *usque ad verbum* fore subjecta. Quocirca fraternitati vestræ per apost. scripta mandamus atque præcipimus quatenus in monasterio Cadunienſi & aliis abbatiis quæ sunt illi subjectæ, sub obedientia Pontiniacensis Abbatis per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, Cisterciensem ordinem servari sine refragatione aliqua faciatis. Et quoniam Abbas Faëfiensis per Abbatem Gundoniensem & quosdam Cadunienses monachos se in locum antedicti Aimerici Caduniensis Abbatis intrusit, & eo cassato, & excommunicatione promulgata tam in ipsum quàm in Abbatem Gundoniensem & complices eorum, Geraldus de la Costa Cantor Caduniensem ipsam abbatiam per intrusionē similiter occupavit, qui licèt cassatus fuerit auctoritate apostolicæ sedis, & cum fautoribus suis excommunicationis vinculo innodatus, sæpedicto Aimerico Caduniensi Abbate in corporalem possessionem abbatiæ suæ reducto, eandem abbatiam per laicalem potentiam adhuc violenter nititur detinere; volumus nihilominus & mandamus ut juxta sententiam in eos rationabiliter latam faciatis ipsos & universos fautores eorum sicut excommunicatos usque ad condignam satisfactionem ab omnibus arctiùs evitari. Nullis litteris obstantibus harum tenore tacito. Quòd si omnes &c. Datum Laterani VI. Kalendas Augusti.

ASISINATI EPISCOPO, & Abbati S. Petri Perusini.

Epist. 156. Vt Archipresbytero purgationem canonicam super simonia indicant.

CVm civitatem Perusinam inter alias quæ beati Petri juris existunt speciali diligamus affectu, & utilitati Cleri & populi velimus solicitiùs imminere, quæ inter eos scandalum generant de medio tollere cupimus, & ea fovere per quæ pax inter eos valeat conservari. Sanè, sicut ex litteris venerabilis fratris nostri Episcopi & dilectorum filiorum Cleri & populi Perusinorum nobis innotuit, ex discordia illa quæ inter I. Archypresbyterum & Hermannum Canonicum est exorta, super eo quòd dictus Hermannus intendebat de simonia & dilapidatione præfatum Archipresbyterum accusare, concepto jam & recepto libello rota ferè civitas est commota; & si ea de medio tolleretur, grata inde posset ipsi civitati tranquillitas provenire. Nos ergo prædictorum Episcopi & Cleri & populi precibus inclinati, jamdicto Hermanno, qui, sicut suis nobis litteris intimavit, sponte vult à præfati Archipresbyteri accusatione desistere, abolitionem duximus indulgendam, eum ab observatione nostri judicij absolventes. Ipsum Archipresbyterum, qui etiam suis litteris purgationem canonicam obtulit, licèt ei de rigore canonum septima sui ordinis manus esset purgatio indicenda, tertia manu duntaxat innocentiam suam purgari misericorditer indulgemus super crimine simoniæ; ita duntaxat, ut inter eos nullum omnino colludium intercedat: quod utique si foret admissum, gravissimè puniremus. Volentes autem etiam in hac parte prædictis Archipresbytero & Canonico misericordiam exhibere, ne ad nos accedendo fatigentur laboribus & expensis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus gratiam eis impensam in publicum proponentes, purgationem ab ipso Archipresbytero, juxta quod præmissum est, publicè recipere procuretis; ut ex hoc mala fama

quiescat, quæ aures resperserat populares. Quia verò dilapidationis vitium, propter enorme damnum Ecclesiæ, remanere nolumus indiscussum, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus appellatione remota inquiratis super eo diligentissimè veritatem, & quod inveneritis, vestris nobis litteris intimetis: ut per inquisitionem vestram sufficienter instructi, meliùs procedere valeamus. Datum ut suprà.

ANDREÆ ACHERVNTINO Archidiacono.

Epist. 157. Ipsi archidiaconatum cum omni jure tribuit.

SAcrosancta Romana Ecclesia &c. *usque ad verbum* suscipimus. Specialiter autem archidiaconatum Acheruntinæ Ecclesiæ, cum omni jure, libertate, ac dignitate, qua ipsum prædecessores tui hactenus habuisse noscuntur, sicut illum justè possides & quietè, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. protectionis & confirmationis &c. Datum Laterani.

VERONENSI PRESBYTERO Capellano sancti Michaëlis de Trovald.

Epist. 158. Ecclesiam S. Michaëlis recipit sub protectione apostolica.

EX parte tua & nobilium virorum Opithmgorum & Cadulingorum patronorum Ecclesiæ sancti Michaëlis de Travald fuit à nobis precum instantia postulatum ut Ecclesiam ipsam, quam Ecclesiæ Romanæ censualem facere volebatis, sub protectione apostolicæ sedis & nostra recipere deberemus. Nos igitur tuis & præmissorum nobilium precibus inclinati, eandem Ecclesiam sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Ad indicium autem hujus a apostolica sede protectionis obtentæ Bizantius unus nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetur. Decernimus ergo &c. protectionis &c. Datum Laterani II. Kal. Augusti.

SVFFRAGANEIS Acheruntinæ Ecclesiæ.

Epist. 159. Quod ipsorum Archiepiscopus brevi ad ipsos sit venturus, etsi Pontifex illibenter eum dimittit.

QVantum honoris & gratiæ vobis in consecratione venerabilis fratris nostri R. Acheruntini Archiepiscopi, & in concessione Pallei facta eidem, duxerimus exhibendum, vestra, sicut credimus, fraternitas satis intelligit per seipsam. Non enim in hoc vel utilitatem nostram, vel ipsius Archiepiscopi commodum, sed necessitatem Ecclesiæ vestræ duximus potiùs attendendam, cùm non modicum obsequiis nostris ex ejus absentia, si ad vos accesserit, subtrahatur, & ipse, licèt promotus videatur in ordine, in eo tamen intelligitur minoratus, quòd à latere matris, circa quam longo tempore laudabiliter deservivit, ad filiæ transfertur amplexus: in qua etsi solicitudinem exercere debeat pastoralem, non tamen minus ei oneris ex hoc proveniet quàm honoris. Intelligentes autem necessitatem Ecclesiæ Acheruntinæ, quæ communi cum vicinis Ecclesiis gravatur excidio, & bonæ memoriæ.. quondam Archiepiscopi Acheruntini exilium sola deplorat, redacta in solitudinem, & in diminutionem conversa, quæ priùs commissos sibi populos tam verbo quàm exemplo muniebat pariter & monebat, inter ejusdem regionis Ecclesias inclyta quodammodo & præcellens, cùm non invenisset consolatorem ex omnibus caris suis, dictum Archiepiscopum, probatum vita, litteratura pollentem, honestate præclarum, potentem in opere & sermone, regimini ejus duximus deputandum, subtrahentes non modicum commoditatibus nostris ut ipsius Ecclesiæ possemus necessitatibus subvenire, ac sperantes quòd per salubrem doctrinam ipsius sic in spiritualibus proficiat institutis quòd in temporalibus etiam per accuratam ejus solicitudinem convalescat. Gratis igitur & humiliter factam vobis gratiam attendentes, ne videamini exhibitæ vobis benignitatis ingrati, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus ad eum, sicut patrem & pastorem vestrum, pium geratis devotionis respectum; & licet propter inclementiam aëris & tempus impacatum obsequiis nostris detentus, nondum ad gerendam ejusdem Ecclesiæ solicitudinem, ob difficultatem itineris & viarum discrimina fuerit subire permissus, nihilominus tamen procuratorem & officiales ipsius sicut ipsum recipere, ac de universis justitiis ejus ipsi curetis plenariè respondere, quoniam auctore Domino vos in proximo visitabit. Sicut enim gratum habebimus, si ei curaveritis in omnibus humiliter & devotè deferre, sic non poterimus æquanimiter sustinere, si inobedientes ei fueritis & rebelles. Datum ut suprà.

CAPITVLO ANGLONENSI.

Epist. 160. Vt suum Archiepiscopum reverenter excipiant, atque benignè tractent.

QVantum honoris &c. *ut suprà usque ad verbum* convalescat. Cùm igitur ipsum non solùm in his in quibus ejus honoravimus decessorem, verùm etiam in majoribus disposuerimus honorare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus præter id quod ei, tanquam Metropolitano vestro, reverentiam tenemini debitam exhibere, de universis justitiis episcopalibus plenè respondere curetis, donec de provisione Ecclesiæ vestræ aliud statuamus. Procuratorem etiam & officiales ipsius sicut ipsum recipere, ac de universis justitiis ejus ipsis curetis plenariè respondere; scituri quòd non possemus in patientia sustinere, si mandatis nostris præsumeretis contumaciter refragari. Noveritis etiam nos venerabilibus fratribus nostris Cupersanensi & Gravinensi Episcopis dedisse firmiter in mandatis ut personaliter ad vestram Ecclesiam accedentes, & litteras nostras vobis assignent, & vos ad id, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant; ita quòd si ambo &c. alter eorum &c. Datum Laterani IIII. Nonas Augusti.

Scriptum est illis Episcopis super hoc.

ACHERVNTINO Archiepiscopo.

Epist. 161. Vt affidationes hominum pro consuetudine illius loci recipiat.

PRobata in multis apud nos tuæ sinceritas bonitatis inductione nos excitat speciali ut præter commune debitum quo universis tenemur Ecclesijs, Ecclesiæ tuæ commodis & augmentis ratione personæ specialiter intendamus. Eapropter, venerabilis in Christo frater, personam tuam gratam con. auctoritate tibi præsentium indulgemus ut homines qui se tibi vel Ecclesiæ tuæ recommendare voluerint, quod secundùm terræ consuetudinem affidatio nuncupatur, cùm in pluribus partibus parochiæ tuæ jus istud Ecclesia Acheruntina ex antiqua consuetudine & privilegiis Regum obtineat, tibi recipere liceat, & absque contradictione cujuslibet retinere. Decernimus ergo &c. concessionis &c. Datum Laterani IIII. Kalen. Augusti.

CAPITVLO ET VNIVERSIS Clericis de Matera.

Epist. 162. Ne à quoquam ad judicium seculare trahantur.

ORdinis clericalis immunitas eo est libertatis privilegio insignita, ut cùm suos judices habeat, sub quibus possit & debeat conveniri, à seculari judicio penitùs sit exempta: quæ nimirum nullis publicarum functionum oneribus obligata, jugum secularis effugit servitutis. Vnde ut vos sub regimine venerabilis fratris nostri Rainaldi Archiepiscopi vestri, cujus sinceritas bonitatis apud nos approbata in multis ad provisionem vestram specialiter nos astringit, liberiores possitis Domino militare, atque sub eo amplioris libertatis beneficio vos & jura vestra tueri, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne aliquis ad judicium seculare vos trahere aliqua temeritate præsumat, aut publicis exactionibus & angariis fatigare; cùm etiam super hoc principalis jussio, sicut dicitur, emanarit. Decernimus ergo &c. Inhibitionis &c. Datum Laterani II. Kal. Augusti.

In eundem modum universis Clericis per Acheruntinam diocesim constitutis.

VNIVERSO POPVLO de Matera.

Epist. 163. Vt à cleri injuriis abstineant.

CVm esse vos Ecclesiæ filios non negetis, aut liberam esse dicetis Ecclesiam, aut vos non negabitis esse servos, utpote nati fueritis ex ancilla, cùm conditionem matris sequatur filius, secundùm legitimas sanctiones. Pervenit autem ad audientiam nostram quòd vos Ecclesias publicis exactionibus & angariis aggravatis, & Clericos ad forum interdum trahitis seculare. Quia verò id in ecclesiasticæ redundat libertatis injuriam, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus ab universis Ecclesiarum gravaminibus desistatis, nec super possessionibus aut aliis contra consuetudinem & specialem etiam concessionem eis indultam trahatis Clericos ad judicium seculare, cùm secundùm verbum Apostoli, suo domino stent, aut cadant. Alioquin sententiam quam venerabilis frater noster R. Archiepiscopus vester per se vel procuratorem suum in aliquos propter hæc rationabiliter tulerit, nos ratam habebimus, & volumus usque ad satisfactionem congruam inviolabiliter observari. Datum ut suprà.

ACHERVNTINO Archiepiscopo.

Epist. 164. Vt Ecclesia S. Petri de Matera ad mensam Archiepiscopi Acheruntini restituatur.

AD audientiam apostolatus nostri pervenit quòd cùm Ecclesia sancti Petri de Matera, quæ ad mensam dignoscitur Acheruntinæ Ecclesiæ pertinere, à bonæ memoriæ R. & P. Acheruntinæ Ecclesiæ Archiepiscopis fuisset quibusdam minùs licitè infeudata, felicis recordationis P. ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus ad venerabilem fratrem nostrum Poteotin. Episcopum super hoc commissionis litteras à sede apostolica impetravit. Qui personaliter ad locum accedens, Ecclesiam ipsam mensæ Acheruntinæ restitui sententialiter judicavit. Nos igitur sententiam ipsam, sicut rationabiliter lata est, nec legitima appellatione suspensa, ratam habentes & firmam, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani VI. Idus Augusti.

EIDEM.

Epist. 165. Vt decimæ Ecclesiis integrè persolvantur.

CVm de latere nostro fueris in Archiepiscopum Acheruntinum assumptus, tam te quàm Acheruntin. Ecclesiam specialiter honorare disponimus, in his præsertim quæ justitiam sapiunt, & continent æquitatem. Sanè significasti nobis in nostra præsentia constitutus, quòd cùm in quibusdam locis tuæ diocesis integrè quondam decimæ solverentur, dum prædia, de quibus decimæ proveniebant, essent in secularium potestate, postquam possessionum ipsarum dominium ad religiosos quosdam seu ecclesiasticos viros devenit, cultores earum, quia decimas ipsis religiosis seu ecclesiasticis viris exhibent terragij ratione, decimas Ecclesiis non persolvunt. Præterea homines de Matera, licèt decimas integrè non persolvant, eas tamen quas solvunt pro motu voluntatis propriæ dividentes, quandam partem Ecclesiis, quandam pauperibus, quandam suis patrinis impendunt, per quod tam tuo quàm Ecclesiarum juri non modicùm derogatur. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus annuentes, ut cultores possessionum, de quibus decimæ Ecclesiis constitutis in diocesi tua debentur, ad ipsas, non obstante eo quod pro terratico solvunt, cum integritate reddendas, & ut homines de Matera eas de cetero aliter dividere vel distribuere non præsumant, sed ipsas Ecclesiis quibus debent sine diminutione persolvant, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellere valeas, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Ad hæc, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut possessiones spectantes ad mensam tuam alienatas illicitè, legitimè tibi liceat revocare. Præterea cõcessiones Ecclesiarum & præbendarum non vacantium à prædecessoribus tuis factas contra statuta Lateranensis Concilij præter apostolicæ sedis mandatum, præsentium auctoritate cassamus; concessa tibi libera facultate testamentum de bonis Ecclesiæ Acheruntinæ à prædecessore tuo factum contra canonicas sanctiones auctoritate apostolica revocandi. Nulli ergo &c. concess. & cassationis &c. Dat. Lat. VI. Idus Augusti.

ASISINATI EPISCOPO.

Epist. 166. Quòd excommunicati absolutionis litteras exhibere teneantur.

Cap. *Sicut nobis*, de sententia excõmunicat.

SIcut nobis tuis litteris intimasti, cùm aliquos tuæ diocesis Clericos vel laicos culpis suis exigentibus excommunicationi supponis, ipsi postmodum ad te, nulla satisfactione præmissa, sine testimonialibus litteris redeuntes, dicunt se absolutionis beneficium recepisse. Quibus si credi debeat in hac parte, per nos instrui suppliciter postulasti; cùm propter caussam hujusmodi, sicut dicis, tuæ sententiæ à subditis contemnantur. Nolentes itaque malitiis hominum indulgere, fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd nisi excommunicati à te super absolutione sua litteras nostras, vel illius cui vices nostras in hac parte commisimus, reportarint, aut alio modo legitimo de illorum tibi absolutione constiterit, tu eorum absolutioni fide non habita, ipsos pro excommunicatis, ut priùs, habeas, & facias evitari. Datum Laterani II. Idus Augusti.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, Comitibus, Baronibus, Civibus, & universo populo in regno Siciliæ constitutis.

Epist. 167. De absolutione Marcoualdi.

AD reconciliationem & receptionem Marcoualdi debitum officij pastoralis, quo tenemur omnes ad viam rectitudinis revocare, ac redeuntes recipere, nos induxit, & optata regni tranquillitas invitavit ut simul & humiliaremus hostem, & humiliatum & pœniten-

tem ejus reciperemus exemplo qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, qui Chananæam & Publicanum non solùm vocavit ad pœnitentiam, sed & traxit. Ut autem super modo reconciliationis ipsius non possit ab aliquo dubitari, formam excommunicationis & receptionis præsentibus duximus litteris explicandam. Forma excommunicationis hæc fuit.

Excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate & nostra Marcoualdum & omnes fautores ejus tam Teutonicos quàm Latinos, specialiter Diopuldum, Othonem, Siffredum, & Othonem de Lavian. Hermannum, & Castellanum Sorellæ, qui principaliter adhærent Marcoualdo: quia cùm idem Marcoualdus à dilectis filiis nostris C. tituli sancti Laurentij in Lucina & I. tituli sanctæ Priscæ Presbyteris Cardinalibus, apostolicæ sedis Legatis, commonitus fuerit ut ab Ecclesiarum & villarum incendio & vastatione cessaret, quæ in eorum oculis committebat, & exercitum dimitteret, cujus occasione tota ferè Marchia vastabatur, eorum monitis non satisfecit, propter quod ab eis excommunicatus fuit, & quia juramentum multoties nobis præstitum violare ac patrimonium Ecclesiæ invadere ac detinere præsumpsit, & nunc regnum Siciliæ, quod ad jus & proprietatem beati Petri pertinere dignoscitur, cujus balium cum Regis tutela illustris memoriæ C. Imperatrix nobis testamento reliquit, infestat & innititur occupare. Omnes autem qui ei fidelitatis vel societatis juramento tenentur, denuntiamus penitùs absolutos. Si quis autem Clericus, cujuscunque dignitatis & ordinis, officia ecclesiastica vel sacramenta divina ei vel sequacibus suis ministrare præsumeret, sciat se dignitatis & ordinis periculum incurrisse. Item excommunicamus I. quondam electum sanctæ Severinæ, qui eidem Marcoualdo adhærens, administrationem Salernitanæ Ecclesiæ de ipsius manu recepit.

Forma receptionis hæc fuit. Iuravit Marcoualdus publicè, sine pacto quolibet & tenore, super crucem & evangelia, quòd super omnibus pro quibus excommunicatus existit, sine fraude mandatis nostris obediet universis, quæ sibi per nos vel nuntios aut litteras nostras duxerimus facienda. Tenor verò mandati apostolici fuit talis. Mandatum est ei sub debito præstiti juramenti ut à balio regni, invasione quoque ac molestatione ipsius, per se ac suos, omninò desistat, nec ipsum aut patrimonium beati Petri per se vel alium ullo modo molestet; universa quæ de regno per se vel suos invasit, quæ detinentur ab ipso, restituat, & ab omni prorsùs obligatione absolvat; quæ verò detinentur ab aliis, pro posse suo restitui faciat bona fide. Super his autem quæ nec ab ipso nec suis habentur, utpote super damnis & injuriis illatis præsertim nobis & monasterio Casinensi, satisfaciat competenter secundùm dispositionem nostram & proprias facultates. In Clericos de cetero & viros ecclesiasticos manus nec injiciat nec injici faciat violentas. Cardinales & Legatos apostolicæ sedis nec spoliet, nec spoliari nec capi faciat, aut etiam obsideri: nisi forsan impugnatus ab eis, in defensionem propriam id facere cogeretur. Non quòd id tunc ei licere dicamus, sed quia hoc ei non interdicimus ex debito juramenti. Accedens igitur Marcoualdus Verulas ad præsentiam venerabilis fratris nostri O. Ostien. Episcopi & dilectorum filiorum G. tituli sanctæ Mariæ Trans Tyberim Presbyteri & H. sancti Eustachij Diaconi Cardinalium, Legatorum apostolicæ sedis, juxta modum expressum superiùs publicè juramentum exhibuit, & secundùm Ecclesiæ formam beneficio absolutionis obtento, mandatum sub eodem tenore recepit, & se promisit fideliter impleturum. Quòd autem ei nihil super terra illa mandavimus quam antequam nunc ultimò regnum intraret, ex concessione fuerat Imperatoris adeptus, nullatenus admiremini, cùm propter eam non fuerit excommunicatione notatus. De ipsa tamen dante Domino ad nostrum & carissimi in Christo filij nostri F. Siciliæ Regis illustris honorem vobis scienti-bus utiliter disponemus. Nullus igitur vos omnino seducat, nullus aliquatenus blandiatur quòd secundum aliam formam idem Marcoualdus juramentum præstiterit, aut aliter fuerit receptus à nobis; nec turbentur in aliquo corda vestra, sed potiùs solidentur; cùm si servaverit quod ei est sub debito præstiti juramenti mandatum, ad statum totius regni & tranquillitatem vestram sit non modicùm proventurum. Si autem (quod non credimus) non servarit, nihil sit auctoritati nostræ detractum, sed ejus sit potiùs potentia diminuta; & tam ex in

clementia temporis, quàm ex forma mandati quam facimus, absoluti fautores ejus jugiter ad propria revertantur. Nos quoque non solùm pro commissis excessibus, verùm etiam pro reatu perjurij, eum & fautores ipsius, si fortè contra factum & receptum mandatum veniret, in eandem excommunicationis sententiam reducere curaremus, & esset contra eum manus nostra ex virtute divina validior quàm fuisset. Inspiret autem ei is qui vult omnes homines salvos fieri, & neminem vult perire, ut ita fideliter mandatum nostrum observet, ut nec creatorem offendat, nec nos oporteat contra eum graviùs commoveri. Monemus igitur universitatem vestram, ac per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus circa devotionem apostolicæ sedis & ejusdem Regis fidelitatem ex hoc ferventiores effecti, ea quæ honorem ipsius, quietem vestram, & statum regni respiciunt, sollicitè procuretis, ab omnibus vobis præcaventes insidiis, ne per securitatem aut fraudem aliquid vobis sinistri valeat evenire. Nos enim, dante Domino, nec Regi, nec regno, nec vobis ipsis aliqua occasione deerimus; sed ea curabimus promovere, quæ totius regni respiciunt incrementum.

NOBILI VIRO MARCOVALDO Imperij Senescalco.

Epist. 168. Gratulatoria de cõversione, & exhortatoria.

SI multitudinem & magnitudinem excessuum tuorum inspicias, & circa te mansuetudinem & benignitatem apostolicæ sedis attendas, mandatum nostrum non solùm justum intelliges, sed & pium. Creditur enim à multis religiosis viris & magnis quòd pro tot & tantis excessibus, quos cum tuis fautoribus perpetrasti, satisfactio condigna non esset, si etiam jussus transfretare fuisses, in defensione terræ nativitatis dominicæ permansurus. Cùm autem nos, non peccatorum tuorum magnitudinem attendentes, sed inspicientes potiùs solitam mansuetudinem apostolicæ sedis, ea tibi dederimus in mandatis quæ ad vitandum æternum interitum deberes facere per te ipsum, non debes aliquid in contrarium postulare, cùm id noveris in animæ tuæ perniciem convertendum. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Licèt enim ad reconciliationem tuam nos regni tranquillitas invitarit, ampliùs tamen debitum pastoralis officij nos induxit, quo tenemur errantes ad viam rectitudinis revocare. Plus igitur lucrum animæ tuæ quàm terræ facere cupientes, cùm spiritualia temporalibus à nobis præsertim sint meritò præponenda; salutem animæ tuæ potiùs quàm corporis attendentes, super eo quod postulasti à nobis per litteras tuas ut mandatum tibi à venerabili fratre nostro O. Hostien. Episcopo & dilectis filiis G. tituli sanctæ Mariæ Trans Tyberim Presbytero & H. sancti Eustachij Diacono Cardinalibus ut à balio regni & invasione ac molestatione cessares, curaremus misericorditer temperare, te modò cum Deo nequivimus exaudire. Miramur autem quòd post factum & receptum mandatum te Balium & procuratorem regni scribere non vereris: quanquam in litteris quas nobis misisti, id sub quodam involucro curaveris palliare. Monemus igitur nobilitatem tuam & exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta sub debito præstiti juramenti mandamus, quatenus necessitatem in virtutem convertens, à balio, regni invasione ac molestatione desistas; cetera sub eadem tibi districtione mandata nihilominus servaturus; cùm ipsa rerum experientia te certificare debuerit quòd balium regni non poteris obtinere, pro quo tuus hactenus non profecit obtinendo conatus. Quia verò, sicut ijdem Episcopus & Cardinales sua nobis relatione monstrarunt, quædam nobis exponere velles, quæ nuntio nec litteris credere voluisti, gratum habemus, si ad præsentiam nostram accedas, & ea efficias quæ idem Episcopus per suas litteras pleniùs intimabit. Nos enim cùm per litteras tuas de adventu tuo certificati fuerimus, securum tibi faciemus præstari ducatum.

PETRO COMPOSTELLANO Archiepiscopo.

AD nostram noveris audientiam pervenisse quòd in diocesi tua manus injicientes in Clericos violentas, cùm à sede apostolica nimiùm sint remoti, propter ætatem & infirmitatem illuc nonnunquam vix accedere valent, absolutionis beneficium petituri. Vt autem excommunicatos hujusmodi ad nos non valentes, propter impedimenta quæ præmisimus, proficisci, & mulieres Clericos

Epist. 169. Quod Episcopi absolvãt eos qui manus in Clericos injecerunt, nisi sit enormis læsio.

verberantes absolvere tibi liceat in diocesi tua, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus; nisi fortè ipsorum excessus ita gravis fuerit & enormis, quòd propter hoc censura sit sedis apostolicæ requirenda. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum Laterani.

PETRO ARCHIEPISCOPO & Capitulo Compostellan.

Epist. 170. IVstis petentium desideriis &c. *usque ad verbum* assensu, sententiam dilecti filij nostri G. sancti Angeli Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legati, prolatam
Vide suprà, epist. 145. super Votis beati Iacobi adversus P. Abbatem & monasterium Cellæ-Novæ, sicut rationabiliter lata est, nec legitima appellatione suspensa, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. confirmationis &c.

PRIORI ET CAPITVLO Saren.

Epist. 171. CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, monasterium de Iunquaria, & jus quod illustris memoriæ A. quondam Hispaniarum Imperator vobis concessit in eo, cum jure patronatus concesso vobis à Militibus patronis ipsius, sicut ea justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Datum Laterani II. Nonas Augusti.

ABBATI GEMBLACENSI.

Epist. 172. Non imputatur electo confirmato, si eo prohibente pro ipsius confirmatione pecunia data fuit. SIcut nobis tuis litteris intimasti, cùm in Gemblacensi Ecclesia fueris à tenera nutritus ætate, monachus factus ibidem, in ætate matura consequenter promotus fuisti ad regimen Ecclesiæ Florinensis. Verùm Abbate Gemblacensi de medio pòst sublato, Gemblacensis Ecclesia, quæ priùs te tanquam
Cap. Sicut tuis litteris. de simonia. filium habuerat, inscium & absentem in patrem & pastorem per electionem te canonicam nominavit. Et quoniam pastore carebat Leodiensis Ecclesia cathedralis, postquam per dies aliquot moram feceras in Ecclesia Gemblacensi, ad Coloniensem Ecclesiam, quæ tua est metropolis, proficiscens, ipsius auctoritate in Gemblacensi Ecclesia interim ministrasti. Ceterùm postquam in Leodiensi Ecclesia fuit Episcopus institutus, is à te requisitus electionem de te factam noluit confirmare, aliud non prætendens, nisi quòd de minori loco translatus fueras ad majorem. Verùm cùm hæc tibi fieri pro extorquenda pecunia comperisses, sub interminatione anathematis vetuisti ne pro facto hujusmodi aliqua pecunia offerretur. Et cùm quidam de fratribus, timorem Dei præ oculis non habentes, interventu munerum ad ipsius abbatiæ regimen aspirarent, seniores in Ecclesia quòd malum imminens non nisi malo posset deprimi prævidentes, te inconsulto & penitùs ignorante contra excommunicationis à te factæ sententiam venientes, promiserunt pecuniam, & etiam exolverunt, sicut tibi postmodum est relatum; & sic ab Episcopo invitatus, institutionem liberè accepisti ab eo, quemadmodum * æstimabas. Super his ergo nos duxit tua discretio consulendos, si propter promissionem incognitam & prohibitam, quemadmodum est præmissum, tibi peccati macula infligatur, vel si de promissione nunc tibi cognita, tu cum fratribus, qui fecerunt eam, debeas pœnitere, cùm inhærere nolueris simoniacæ pravitati, paratus pro grege Domini subire laborem, vel quamvis te conscientia non accuset, à suscepto regimine, si decreverimus, abstinere. Quamvis autem secundùm sacrorum canonum instituta etiam parvuli qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur; quia tamen longè diversum est non præbere consensum & expressim aliquid prohibere, taliter tibi duximus respondendum, quoniam ex eo quòd contra prohibitionem & voluntatem tuam, à qua postmodum minimè recessisti, aliquis te penitùs ignorante promisit pecuniam & exolvit, præsertim cùm * is nulla tibi esset consanguinitate conjunctus, nihil tibi ad culpam vel pœnam credimus imputari; nisi fortè postea consenseris pecuniam solvendo promissam, aut etiam reddendo solutam. Alioquin contingeret quòd alicujus factum insidias inimico parantis, ei damnosum existeret cui penitùs displiceret, & sic aliquis de fraude sua commodum reportaret. Illos autem qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt, in tantum constat esse culpabiles, quòd si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus, quæ non judicat de occultis, pœna essent canonica feriendi. Datum Laterani II. Idus Augusti.

* In tertia Coll. postulabas.

1. q. 5. cap. Quicunque.

* In tertia Collectione, aliquis ex his

G. ARCHI-

G. ARCHIDIACONO, CANTORI, & Magistro Scholarum Tornacensibus.

Epist. 175. Definit controversiam de præbenda Ecclesiæ Insulensis.

CVm venissent ad apostol. sedem dilecti filij Magister C. Subdiaconus & P. Presbyter pro controversia quam habebant adinvicem super præbenda Ecclesiæ Insulanensis, nos eis dilectum filium nostrum G. sancti Georgij Diaconum Cardinalem concessimus auditorem. Coram quo dictus Magister C. proponere procuravit quòd cùm olim à bonæ memoriæ C. Papa prædecessore nostro ad Præpositum Ecclesiæ Insulan. pro obtinenda in eadem Ecclesia præbenda litteras impetrasset, Præpositus indulgentiam obtinuit ab eodem ne infra bienniumaliquem in Ecclesiis suis recipere cogeretur. Iterum verò idem Magister ad eundem Præpositum ipsius prędecessoris nostri litteras reportavit ut elapso biennio præbendam ei conferret in Ecclesia Insulanensi, interim tamen ei stallum in choro & locum in Capitulo assignaret, & dę quotidianis stipendiis idem Magister cum Canonicis perciperet portionem, venerabili fratri nostro Atrebatensi Episcopo & dilectis filiis Vrsicampi & Longipontis Abbatibus super hoc executoribus delegatis. Qui cùm vellent in negotio ipso procedere, Præpositus coram eis post secundam citationem apparens, mandatum cum mandatore asseruit expirasse, & ad sedem apostolicam appellavit. Cùmque postmodum idem Magister ad sedem apostolicam accessisset, nos ad litteraturam ipsius, qui scholas dicebatur in artibus Parisiis habuisse, pium habentes respectum, eidem Præposito dedimus in mandatis, quòd cùm idem Magister, sicut proponebatur, oriundus de villa Insulana, aliquandiu in scholarum regimine deservisset, & ad præsentationem ipsius Ecclesiæ fuisset in Subdiaconum ordinatus, in beneficio competenti, quod ad ejus donationem spectaret, in eadem ipsi Ecclesia provideret. Dilectis etiam filiis Decano & Cantori & Magistro F. Canonico Remen. dedimus in mandatis ut super hoc mandatum apostolicum exequi procurarent. Deinde verò ijdem executores, sicut ex litteris eorum accepimus, cùm in Ecclesia Insulana præbenda dimidia vacavisset, Magistrum ipsum investiendum ad Præpositum destinarunt: qui ei beneficium quoddam, non ecclesiasticum, sed quod posset laico etiam assignari, temporale videlicet, & incertum, litteraturæ & honestati ejusdem Magistri non competens, quod etiam tunc temporis non vacabat, eidem curavit offerri. Ipsi verò eundem Magistrum vacuum à Præposito redeuntem, & juxta onus eidem pręendæ annexum, in ordinem sacerdotij promoveri paratum, de prædicta dimidia curarunt auctoritate apostolica investire. Post investituram verò præpositus ipse dicto Magistro per nuntium suum quindecim librarum redditus fecit offerri: quos quia recipere noluit, nuntius Præpositi ad sedem apostolicam appellavit. Executores insuper eundem Magistrum ad Insulanum Capitulum destinantes, ei stallum in choro & locum in Capitulo assignari fecerunt; & Canonici eum in fratrem suum & Canonicum cum solita solennitate receptum, ad possessionem admiserunt ejusdem beneficij corporalem. Verùm dictus Presbyter proposuit ex adverso, quòd olim præbenda quædam instituta fuerat in Ecclesia Insulana, non nisi Presbytero conferenda, qui ad honorem beatæ Virginis divina diebus singulis celebraret. Verùm prædecessor memoratus uni Presbytero esse nimis onerosum attendens divina singulis diebus celebrare, præbendam ipsam divisit in duas: quas duobus Diaconibus assignavit, juramento firmantibus quòd in proximis quatuor temporibus ad Presbyterij ordinem convolarent. Sed ne ad consequentiam traheretur, statutum est à Præposito & Canonicis, & sub pœna excommunicationis inhibitum, ne beneficia ipsa conferrentur aliis nisi Presbyteris jam promotis. Vnde cùm dicta dimidia vacavisset, sæpedictus Præpositus eam ad preces Capituli sui dicto Presbytero, qui ad præsentationem eorum fuerat in Presbyterum ordinatus, concessit, & eidem Magistro paratus fuit in competenti beneficio, videlicet quindecim librarum redditibus, providere. Super quo idem Præpositus ad prædictos executores Remen. per nuntium suum dicitur litteras impetrasse. Præterea cùm biennium à tempore obtentæ indulgentiæ tunc temporis non fuisset elapsum, Præpositum ad eum recipiendum in Ecclesia Insulana proposuit non teneri, cùm super hoc fuit et indulgentia impetrata. Ceterùm Magister C. indolgen-

tiam ipsam sibi non obesse respondit cùm de ipsa etiam in litteris nostris mentio facta fuisset. Præterea ex quibusdam ab adversa parte inductis nixus est comprobare quòd prædicta præbenda aliquando etiam fuerat aliis quàm Presbyteris assignata. Cùm enim diceretur in litteris ipsis quòd secundùm antiquam & magis usitatam consuetudinem Ecclesiæ Insulanæ præbenda ipsa esset Presbytero conferenda, usitatum etiam esse dicebat ut aliis conferretur; cùm etiam dicere quòd aliquid inusitato magis usitatum fuerit, sit absurdum. Cùm autem Cardinalis prædictus quæ coram eo proposita fuerant, in nostra & fratrum nostrorum audientia fideliter retulisset, nos caussam ipsam vestro examini duximus committendam, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus nisi vobis sufficienter constiterit per Præpositum & Capitulum Insulanum fuisse concorditer institutum, & sub pœna excommunicationis inhibitum & hactenus observatum, ne prædictæ præbendæ aliis quàm Presbyteris conferrentur, super prædicta dimidia dicto Presbytero silentium imponatis, facientes per censuram ecclesiasticam appellatione remota eundem Magistrum plena & pacifica ipsius possessione gaudere. Quia verò Presbyter ipse ad præsentationem Præpositi & Capituli Insulan. fuit in Presbyterum ordinatus, volumus nihilominus & mandamus quatenus prædictos quindecim librarum redditus ei assignari mandetis, donec ei per Præpositum ipsius Ecclesiæ fuerit in beneficio competenti provisum. Alioquin si de prædictis constiterit, super ipsa prædicto Magistro, cùm non fuerit beneficium ipsi competens, silentium imponentes, eam ipsi Presbytero per sententiam appellatione postposita adjudicare curetis, & faciatis per censuram ecclesiasticam ejus pacifica possessione gaudere. Verùm ne dictus Magister laboris, quem veniendo ad apostolicam sedem sustinuit, mercede frustretur, ei faciatis prædictos quindecim librarum redditus à Præposito monitione præmissa, sublato appellationis & dilationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam assignari; præbendam quæ primò vacabit in Ecclesia Insulana, donationi nostræ reservari mandantes personæ idoneæ conferendam: de qua si quid aliud fuerit ordinatum, nos illud irritum decernimus & inane. Nullis litteris obstantibus præter assensum part. Quòd si omnes &c. Datum Laterani III. Idus Augusti.

CLERO ET POPVLO Reginensi.

Epist. 174. Vt Archiepiscopo suo per Pontificem cōfirmato obediant.

CVm dilectus filius noster G. sanctæ Mariæ in porticu Diaconus Cardinalis, cui vices nostras tam super balio regni quàm officio legationis commiseramus, apud Messanam pro ipsius regni negotiis moraretur, dilecti filij Canonici Regin. eidem obitum.. bo. mem. Regin. Archiepiscopi tam per litteras quàm per suos concanonicos nuntiarunt. Postmodum autem ad propria revertentes, & convenientes in unum, invocata Spiritus sancti gratia, vota sua in venerabilem fratrem nostrum I. tunc Regin. Archidiac. contulerunt, eundem sibi unanimiter eligentes in patrem suum pariter & pastorem. Cùmque ad prædicti Cardinalis præsentiam accessissent, ut ab eo tam assensum quàm confirmationem etiam obtinerent, ipse assensum eis regia vice concedens, & electionem examinans, cùm eandem invenisset canonicè & de persona idonea celebratam, auctoritate apostolica confirmavit. Ceterùm Cardinalis prædictus pericula viarum diligenter attendens, ne dicti electi consecratio nimiùm differretur, venerabilibus fratribus nostris universis Episcopis Reginensis Ecclesiæ suffraganeis dedit auctoritate apostolica in mandatis ut eidem munus consecrationis impenderent, Palleum à nobis, videlicet pontificalis officij plenitudinem, postmodum recepturo. In quibus prædictus Cardinalis gratiam fecisse dignoscitur, cùm idem Archiepiscopus & pro duobus mittere & propter duo ad nostram præsentiam accedere debuisset. Mittere quidem, pro assensu & confirmatione pariter impetrandis. Accedere verò, propter munus consecrationis & donum Pallei obtinenda. Inter cetera namque privilegia quæ sibi sedes apostolica reservavit, unum est, & non minimum, quòd Patriarchæ, Primates, & Metropolitani pro recipiendo Palleo, pontificalis videlicet officij plenitudine, ad eam, tanquam ad magistram & matrem, debent habere recursum. Cùm ergo idem Archiepiscopus primò per nuntios, & tandem per se ipsum, nuper ad sedem apostolicam ac-

cedens pro Palleo institisset, nos attendentes quòd ex gratia quam prædictus ei fecerat Cardinalis, devotiorem se nobis & Romanæ Ecclesiæ deberet in posterum exhibere, fratrum nostrorum habito consilio diligenti, Palleum ipsi de beati Petri corpore sumptum, pontificalis videlicet officij plenitudinem, duximus concedendum. Nos igitur ipsum ad propria cum plenitudine nostræ gratiæ remittentes, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus ejus salubria monita & mandata recipiatis humiliter, & eadem irrefragabiliter observetis. Datum Laterani XVII. Kal. Septembris.

Epist. 175. Castrum S. Mariæ prohibet reædificari.

CONSVLIBVS ET POPVLO Aretinis.

Quatus in persona venerabilis fratris nostri O. Ostien. Episcopi apud castrum montis sanctæ Mariæ in divinæ majestatis offensam, injuriam apostolicæ sedis, & Cleri totius opprobrium fuerit commissus excessus, vestra discretio non ignorat. Qualiter etiam in titulum memoriæ sempiternæ castrum ipsum de mandato nostro funditus sit eversum, ad vestram * nolumus notitiam pervenisse. Verùm, sicut nostris est auribus intimatum, vos castrum ipsum reædificare intenditis & memoriam vindicati excessus in reædificatione ipsius penitùs abolere. quod si fieret, in injuriam apostolicæ sedis & nostram perpetuò redundaret. Quia verò de vestra discretione non credimus quòd Romanam Ecclesiam lædere de conscientia certa velitis, universitatem vestram monemus & exhortamur attentiùs, ac per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus castrum ipsum nec vos reædificetis ulteriùs, nec reædificari ab alijs permittatis. Alioquin, quantumcunque nobis molestum existeret vos in aliquo molestare, id non possemus in patientia tolerare.

* Credimus.

Epist. 176. Se & regnum suum Pontifici commendat, & hortatur ut ad Vngariæ Regē scribat de expulsione hæreticorum.

LITTERÆ REGIS WLCANI Diocliæ atque Dalmatiæ ad Dominum Papam.

Beatissimo atque sanctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici & universali Papæ Wlcanus eadem gratia Diocliæ atque Dalmatiæ Rex salutem & devotionis affectum. Venientibus ad nostram præsentiam Domino Iohanne Capellano & Domino Simone religiosis & discretis sanctæ catholicæ & apostolicæ sedis Legatis, amodo jocundati sumus: quia sicut solis splendor in virtute sua radians totum orbem videtur illustrare, ita illorum sancta & salubri prædicatione totum regnum nostrum creditur fore illustratum. Vnde meritò dicimus: *Visitavit nos oriens ex alto.* Illorum itaque probitate & scientia nos informati, Deo & paternitati vestræ innumeras grates rependere curamus, quia tales ad nos misistis, quales in voto semper habuimus suscipiendos, divino munere præditos, quia omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est. Præsentatis igitur litteris vestris, intelleximus quia postulationibus nostris apostolatus vestri beatitudo misericorditer acquievit. Vnde nos cum magna animi devotione præcepimus ut per totum regnum nostrum omnia quæ secundùm Deum sunt ordinent & confirment; quæ autem contraria sunt, juxta illud propheticum, evellant & destruant. Accedentes itaque ad locum ubi antiquitus Concilium celebrari solitum fuit, sanctam synodum celebrare studuerunt, de vitiis & virtutibus subtiliter differentes, in communi Deo & beatissimæ Mariæ perpetuæ virgini & beato Petro Apostolorum principi nec non & apostolatui vestro laudum præconia persolventes. Interea noverit paternitas vestra, quia augustali stemmate undique insignimur, & quod gloriosius & beatius est, vestri generosi sanguinis affinitatem habere cognovimus. Igitur innotescimus quia in voto habuimus nunc legatos nostros ad pedes beatitudinis vestræ transmittere. Sed quia terram illam turbatam esse audivimus, facere non potuimus: quia vestris Legatis ubique debita reverentia exhibetur: sed nostri, dum illuc ire voluerint cum magna honoris magnificentia, damna forsitan & exitium patientur. Sed dum opportunum aut congruum tempus affuerit, honorificentiùs faciemus: qui sanctæ exhortationis vestræ verba perferant, quæ dulciora nobis sunt super mel & favum. Siquidem sperantes, & certum tenentes, quia ex quo Vicarius Domini nostri Iesu Christi existis, ipse per te nobis aditum regni cœlestis aperire dignetur. Et quia nullo in hoc seculo indigemus, multùm rogamus ut pro nobis pec-

catoribus preces ad Dominum fundatis. Demum verò paternitatem vestram nolumus latere quia hæresis non modica in terra Regis Vngariæ, videlicet Bessina, pullulare videtur, in tantum quòd peccatis exigentibus, ipse Bacilinus cum uxore sua, & cum sorore sua, quæ fuit defuncti Mirosclovichemensi, & cum pluribus consanguineis suis seductus, plusquam decem millia Christianorum in eandem hæresim introduxit. Vnde Rex Vngariæ exacerbatus, illos ad vestram præsentiam compulit venire à vobis examinandos. Illi autem simulatis litteris redierunt, dicentes à vobis concessam sibi legem. Vnde rogamus ut Regi Vngariæ suggeratis ut eos à regno suo evellat, tanquam zizania à tritico.

LITTERÆ B. MAGNI IVPANI totius Serviæ.

Epist. 177. Se Pontifici offert atque commendat.

INnocentio Dei gratia Summo Pontifici & universali Papæ Romanæ Ecclesiæ beatorum Apostolorum Petri & Pauli, S. eadem gratia & sancta oratione vestra Magnus Iupanus totius Serviæ salutem, tanquam patri suo spirituali. Litteras sanctitatis vestræ recepimus, & bene intelleximus ea quæ venerabiles Legati vestri, scilicet Iohannes Capellanus & Simon Subdiaconus, tam in litteris quàm in ore eorum narraverunt nobis. Gratulamur itaque magnæ sanctitati vestræ quia non tradidisti nos in oblivionem filios tuos, sed recordatus es de nobis. Nos autem semper consideramus in vestigia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut bonæ memoriæ pater meus, & præceptum sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper custodire; & in proximo legatos nostros vellemus transmittere ad sanctitatem vestram. Nos autem locuti sumus dictis venerabilibus tuis Legatis, quoniam ipsi cum ore eorum narrabunt sanctitati vestræ eloquia mea.

LITTERÆ IOHANNIS Dioclien. & Antibaren. Archiepiscopi.

Epist. 178. Gratias agit pro transmisso Pallio, & quid Legati apostolici in corrigendis moribus effecerint declarat. *Vide suprà lib. 1. epist. 525. 535.*

SAnctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici Iohannes Diocliensis & Antibaren. Ecclesiæ humilis minister, tam debitam quàm devotam obedientiam. Gratias uberes refero sanctissimæ paternitati vestræ de honore Pallij & pontificalis officij plenitudine, quam mihi per Dominum Iohannem & Dominum Simonem familiares & Legatos vestros concedere dignati estis. Ego autem omni tempore vitæ meæ ad devotionem vestram & fidelitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ promptum habeo animum modis omnibus & paratum. Notum siquidem facio sanctitati vestræ quòd præfati Legati vestri ea quæ corrigenda & ordinanda fuerunt, ita cum prudentia & honestate per Dei gratiam ad honorem vestrum & sanctæ Romanæ Ecclesiæ tractaverunt, quòd Dominus Rex & totus populus eorum opera commendantes, ad pedes vestræ sanctitatis effecti sunt modis omnibus promptiores. Ego verò in proximo nuntios meos ad pedes vestræ sanctitatis transmittam, qui devotionem meam paternitati vestræ pleniùs declarabunt.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Nos Iohannes Capellanus & Simon Subdiaconus Domini Innocentij Papæ tertij, apostolicæ sedis Legati, ad evellenda nociva de agro dominico, & virtutum plantaria utiliter inserenda, videntes plura in Clero & populo Dalmatiæ & Diocliæ corrigenda, de sanctorum patrum Conciliis decreta præsentia duximus innovanda.

I.

In primis itaque decernimus ut nullus Episcopus aliquem ad sacros ordines per pecuniam promovere, seu ecclesiastica beneficia alicui pretio intervenienre concedere præsumat. Cùm enim Dominus præceperit Apostolis, *Gratis accepistis, gratis date*, & Spiritus sancti gratia venalis esse non possit, quæ in sacris confertur ordinibus, gravi puniendus est pœna qui Spiritus sancti dona venalia exponere non veretur. Quocirca præsenti decreto statuimus ut quicunque Episcopus hoc agere convictus fuerit, omni ecclesiastica careat dignitate, & sine spe restitutionis tam ille qui dederit, quàm ille qui scienter sacros ordines pecunia intervenienter receperit, perpetuò deponatur.

II.

Cum Domini Sacerdotes, & hi qui sacro altari deserviunt, continenter vivere debeant, juxta illud, *Mundamini qui fertis vasa Domini*, in partibus Dalmatiæ atque Diocletiæ Sacerdotes & uxores habere & ecclesias tenere dicuntur. Quocirca præsenti decreto statuimus ut Sacerdotes & Diacones ante susceptum officium, nisi eorum conjuges in manu Episcopi votum fecerint continentiæ, uxores habentes, cum ipsis maneant, & Ecclesias dimittant. Non enim possunt secundùm ordinem Romanæ Ecclesiæ manentes in conjugio, nisi defunctis uxoribus, aut continentiam voventibus, si digni inventi fuerint, ad sacerdotium promoveri. Illi verò qui post susceptum sacerdotij vel diaconatus honorem, adulteras potiùs quàm uxores accepisse probantur, nisi eas dimiserint, & dignam egerint pœnitentiam, ab officio & beneficio ecclesiastico fiant penitùs alieni. Prohibemus etiam ne aliquis Episcopus, nisi in quatuor temporibus juxta sanctorum patrum constitutionem,

aliquem ad sacros ordines promovere præsumat. Solus enim Romanus Pontifex dominicis diebus Subdiaconos ordinare potest. Cùm autem Episcopus ordinationem fecerit, non nisi unum ordinem à Subdiacono & supra conferre præsumat. Ordinatus autem in Subdiaconum, ad minus per annum in eodem officio deserviat. & Diaconus similiter faciat. Quicunque autem Episcopus contra hoc venire præsumpserit, tamdiu à conferendis ordinibus abstineat, donec à Romano Pontifice misericordiam consequatur.

III.

Quoniam secundùm gradus & ordines personarum beneficia ecclesiastica in domo Domini secundùm sanctorum patrum constitutionem distributa noscuntur; decernimus ut decimæ, seu oblationes fidelium tam pro vivis quàm pro defunctis, in quatuor partibus dividantur: quarum una sit Episcopi, alia Ecclesiarum, tertia pauperum, quarta Clericorum. Portionem quidem pauperum Episcopus administret; portionem verò Ecclesiarum Archypresbyter conservet, & ex mandato Episcopi in usibus Ecclesiæ fideliter expendat. Quicunque autem Clericorum contra hoc venire præsumpserit, sua portione privetur.

IV.

Districtiùs inhibemus ne aliquis Sacerdos filij sui vel filiæ spiritualis privatam confessionem alicui revelare præsumat. Quod si facere convictus fuerit, officio & beneficio ecclesiastico perpetuò spolietur. Idem dicimus de quolibet Clerico qui de homicidio, adulterio, perjurio, falso testimonio publicè accusatus fuerit & convictus.

V.

Cùm terrenarum potestatum nuntijs sive ministris honor exhibeatur ab omnibus, multò magis ministris Dei honor à laicis exhibendus est; à quibus eis non solùm divina celebrantur officia, verùm etiam sacrum baptisma & Corpus Domini & pœnitentia & cetera ecclesiastica sacramenta jugiter ministrantur. Quapropter juxta decretum Domini Innocentij Papæ II. districtiùs inhibemus ne aliquis in personam Episcopi sive Sacerdotis vel cujuslibet Clerici vel religiosi viri violentas manus injicere præsumat. Quicunque autem hoc attentaverit, tamdiu excommunicatus maneat, donec de tanta præsumptione satisfacturus, apostolico se con spectui repræsentet, vel ab ejus Legato, præstita congrua satisfactione, absolutionis beneficium consequatur. Similiter sub excommunicatione prohibemus ne aliquis laicus Clericum ad peregrina judicia trahere præsumat, veluticandentis ferri, vel aquæ, vel cujuslibet alterius judicij. Non enim pertinet ad laicum, Clericum judicare. Si autem Clericus peccaverit, ab Archiepiscopo vel Episcopo vel etiam Prælato suo aut Romano Pontifice, si necesse fuerit, judicetur.

Cap. Si quis suadente. 17. q. 4.

VI.

Cùm sacrosancta Romana Ecclesia, quæ mater est omnium Ecclesiarum & magistra, decreverit ut nullus Christianus usque ad septimum consanguinitatis gradum conjugium contrahere præsumat, grave nimis est & divini dignum animadversione judicij quòd in partibus Dalmatiæ ac Diocliæ à multis factum in veritate comperimus ut homines Dei timorem non habentes cum consanguineis in quarto & quinto gradu, vel infra, contra sanctorum patrum constitutionem conjugia contrahere non formident. Quapropter præsenti decreto statuimus ut quicunque in quarto gradu præsertim, vel infra, conjugia habere convincitur, nisi ad mandatum Ecclesiæ satisfecerit, & à suæ consanguinitatis incesta conjunctione recesserit, tamdiu maneat excommunicatus & ab omnibus Ecclesiæ sacramentis separatus, donec à nefaria copula separetur, & ad mandatum Ecclesiæ satisfaciat.

VII.

Item præcipimus ut Clerici rasuram & tonsuram teneant clericalem. Qui autem hoc non fecerit, ab Episcopo districtione canonica compellatur.

VIII.

Cùm duæ sint in terris potestates à Domino constitutæ, spiritualis videlicet, & secularis; & ona de spiritualibus & ecclesiasticis, altera de secularibus habeat judicare. grave committit peccatum quicunque laicus vel Ecclesias donare vel ecclesiasticas personas judicate præsumit. Quocirca præsenti decreto statuimus auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli & Domini Papæ Innocentij, ut quicunque Clericus de manu laica Ecclesiam vel ecclesiastica beneficia receperit, tam qui dederit, quam qui receperit, tamdiu excommunicationis vinculo teneatur astrictus, donec ad mandatum Ecclesiæ plenariè satisfaciat; & quod contra sacros canones factum fuerit, irritum habeatur & vacuum. Illos autem laicos qui ante constitutionem istam Ecclesias donaverunt, vel in ecclesiasticas personas manus injecerunt violentas, volumus per Episcopos tertiò commoneri; & nisi pœnitentiam egerint competentem, eadem sententia teneantur astricti.

IX.

Excommunicamus omnes illos qui thesauros Ecclesiarum injustè detinent, donec restituant, & eos qui Latinos detinent in servitute, nisi recepta pecunia, quam dederunt, eos pristinæ restituant libertati.

X.

Item excommunicamus omnes illos qui proprias dimiserunt uxores vel de cetero dimiserint sine judicio Ecclesiæ, donec ad ipsas revertantur.

XI.

Prohibemus etiam ut filij Presbyterorum, & qui de legitimo non sunt nati matrimonio, ad sacros ordines non accedant.

XII.

Similiter prohibemus ut nullus ordinetur in sacerdotem, nisi trigesimum expleverit annum.

Ego Frater Iohannes Domini Papæ Capellanus, apostolicæ sedis Legatus, scripsi & subscripsi.
Ego frater Simon Domini Papæ Subdiaconus, apostolicæ sedis Legatus, subscripsi.
Ego Iohannes Diocliensis & Antibarensis Archiepiscopus subscripsi.
Ego Dominicus Archypresbyter Arban. subscripsi.
Ego Petrus Scuarin. Episcopus subscripsi.
Ego Iohannes Polatinen. Episcopus subscripsi.
Ego Petrus Arvastinen. Episcopus subscripsi.
Ego Dominicus Soacinen. Episcopus subscripsi.
Ego Natalis Dulcinen. Episcopus subscripsi.
Ego Theodorus Sareanen. Episcopus subscripsi.

COMITIBUS, BARONIBUS, Civibus, & universo populo in regno Siciliæ constitutis.

Epiſt. 179. De abſolutione Marcoualdi. Vide infrà, epiſt. 221. 226.

EXoptata regni tranquillitas, & debitum officij paſtoralis, quo tenemur ſingulos ad viam rectitudinis revocare, nos ad Marcoualdi receptionem induxit: ne ſi pœnitentem, ſicut videbatur, & exponentem ſe mandatis noſtris ſuper omnibus pro quibus fuerat excommunicatione notatus, recipere negaremus, non Chriſti Vicarij videremur, vel ſucceſſores Apoſtolorum principis, ſed inexorabiles potiùs noſtrarum injuriarum ultores. Licèt autem modum receptionis ipſius per alias vobis duxetimus litteras exponendum, ne tamen idem Marcoualdus aliqua nos calliditate ſeducat, idem adhuc audientiæ veſtræ duximus inculcandum. Iuramenti tenor hic fuit. Iuravit Marcoualdus publicè &c. *ferè in eundem modum ut ſuprà in epiſtola* CLXVII. *hujus libri, uſque ad verbum* debito juramenti. In tantum autem in primis idem Marcoualdus mandatum noſtrum humiliter & devotè recepit ut ſuper juramento exhibito & mandato recepto ſuas nobis in teſtimonium litteras deſtinarit, quas apud nos adhuc in teſtimonium ſuæ confuſionis habemus. Sed ad vomitum rediens, & volens adhuc in ſtercore ſuo computreſcere ut jumentum, nobis poſt abſolutionem quaſdam litteras deſtinavit: in quarum ſalutationis alloquio fraudem ejus intelleximus manifeſtè, in eo quòd in ſalutatione ipſa perſpeximus contineri ſic: *Marcoualdus Imperij Seneſcalcus &c.* Et in aliis ſic erat expreſſum: *Marcoualdus Imperij Seneſcalcus, & id quod eſt*; tanquam nec ex toto ſupprimeret nec exprimeret manifeſtè quòd regni Balius & procurator exiſteret. Supplicavit autem nobis per litteras ipſas ut ad tempus mandatum quod ei feceramus per venerabilem fratrem noſtrum O. Hoſtienſem Epiſcopum & dilectum filium G. tituli ſanctæ Mariæ Trans Tyberim Preſbyterum & H. ſancti Euſtachij Diaconum Cardinales, ut à balio regni & moleſtatione ceſſaret, curaremus miſericorditer temperare. Sed nos id intelligentes in honoris noſtri diſpendium, detrimentum regni, & petentis animæ periculum redundare, non ſolùm non conceſſimus quod petebat, ſed denuo ei ſub debito præſtiti juramenti mandavimus, commonitionem canonicam præmittentes, ut à prędictis de cetero penitùs abſtineret. Poſtmodum verò idem Marcoualdus quaſdam nobis litteras deſtinavit, in quibus in manifeſtum ſui perjurij argumentum ſe Balium & procuratorem regni Siciliæ non erubuit nominare; ſcribens etiam fratribus noſtris, quòd mandata quæ ſibi fecimus, nec pro Deo nec pro homine obſervaret. Nos igitur fraudem ejus & verſutias attendentes, qui putavit nos fallere, ſed potiùs ſe decepit, propter omnia quæ fuerant in forma excommunicationis prioris expreſſa, & quia multoties contra nos & Romanam Eccleſiam perjurij reatum incurrit, & mandata ſervare contempſit facta ſibi ſub debito præſtiti juramenti, ipſum tanquam perjurum, ſacrilegum, incendiarium, perfidum, ſceleratum, & invaſorem, ex parte Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus ſancti, auctoritate quoque beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & noſtra, excommunicamus, anathematizamus, maledicimus, & damnamus; mandantes ut quicunque ſibi de cetero auxilium præſtiterit vel favorem, quicunque etiam ipſi vel exercitui ejus victualia, veſtes, naves, arma, vel alia quæ ad commodum eorum pertineant, auſi fuerint miniſtrare, eadem cum eo maneant ſententia innodati. Si quis autem Clericus, cujuſcunque dignitatis vel ordinis, divina eis præſumpſerit officia celebrare, ſe ſui ordinis & honoris noverit periculum incurriſſe. Mandamus etiam ſub debito præſtiti juramenti omnibus de exercitu ejus, qui ad mandatum Eccleſiæ redierunt, ut quàm citiùs poterint, ab ipſo recedant, nec ad eum, quandiu in ſua pertinacia perduraverit, revertantur, nec conſilium ei præbeant in aliquo vel favorem. Erit etiam, dante Domino, manus noſtra validior contra eum, quem publicum infamat perjurium, & reddit inconſtantia multa ſuſpectum, ne de cetero vel promiſſionibus ejus vel juramento credatur, qui fidem ſuper crucem & evangelia publicè præſtitam non erubuit infra unius hebdomadæ ſpatium violare. Quia cùm nobis juramentum fidei non ſervaverit, quomodo vobis promiſſionem aliquam obſervaret? Monemus igitur nobilitatem veſtram, & exhortamur attentiùs, ac per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus in de-

votione nostra & fidelitate cariſſimi in Chriſto filij noſtri F. Siciliæ Regis illuſtris fideliter perſiſtentes, à prædicto Marcoualdo & fautoribus ejus vobis caveatis & regno, qui ſanguinem veſtrum ſitiunt, & inducere vos nituntur in perpetuam ſervitutem, ne per inſidias vel fraudem aliquid valeat machinari. Nec credatis mendaciis ejus, ſi fortè ſe aliter à nobis receptum eſſe confingat, aut nos in regno juriſdictionem ſibi aliquam conceſſiſſe; ſed ad defenſionem regni viriliter aſſurgatis: quia virtus ipſius, per Dei gratiam, jam eſt penè penitùs annullata. Nos enim, dante Domino, nec vobis nec regno aliqua deerimus ratione.

ANTIBARENSI Archiepiſcopo.

Epiſt. 180. De Soacenſi Epiſcopo, homicidij reo.

CVm acceſſiſſet nuper ad apoſtolicam ſedem venerabilis frater noſter B. Soacenſis Epiſcopus, ſuper eo quòd dicebatur de homicidij crimine infamatus, coram nobis & fratribus noſtris miſericordiam ſedis apoſtolicæ ſuppliciter implorabat. Cùm autem nobis de facti ſerie non conſtaret, de proceſſu ipſius à dilectis filiis Iohanne Capellano & Simone Subdiacono noſtris, qui rei veritatem pleniùs cognoverunt, dum in partibus Diocliæ legationis officio fungerentur, inquiſivimus diligenter: ex quorum aſſertione tenuimus quòd cùm ingreſſi provinciam Dalmatiæ ſuperioris fuiſſent, à majore parte Cleri & populi Soacenſis de reatu homicidij dictum invenerunt Epiſcopum infamatum. Cùm autem ad ipſius Eccleſiam acceſſiſſent, in præſentia ejuſdem Cleri & populi Soacenſis infra Miſſarum ſolennia quidam de civibus, S. nomine, libellum ipſis accuſationis porrexit, aſſerens ſe teſtibus probaturum quòd Epiſcopus reus eſſet homicidij perpetrati. Epiſcopus verò per inſtrumentum purgationis oblatum, quo juraſſe cum duobus Epiſcopis dicebatur ſe nec feciſſe homicidium illud nec fieri præcepiſſe, innocentiam ſuam oſtendere ſatagebat. Quod tam tua quàm illorum Epiſcoporum aſſertione qui compurgatores fuiſſe dicebantur, falſum penitùs repererunt, cùm nullum à compurgatoribus exhibitum fuerit juramentum. Vnde cauſſam ipſam, ut populi ſcandalum ſedaretur, duxerunt juris ordine pertractandam, & per receptionem teſtium productorum in Concilio apud Antibarum congregato, voluerunt per confeſſionem ipſius intelligere pleniùs veritatem: cujus fuit tale reſponſum, quòd nec fecerat neque præceperat fieri homicidium perpetratum, & tam accuſatores quàm teſtes inimicos ſuos exiſtere capitales. Et cùm homicidium illud à T & I. Presbyteris aſſereret perpetratum, objectum fuit ei ab accuſatore prædicto quòd præſcriptum T. in Presbyterum ordinarat. in quo ſe confeſſus eſt peccaviſſe. Verùm cùm dicti Legati pariter pertractarent ſuper his quæ coram eis fuerant actitata, die ſequenti mitram eis & anulum in tua & Epiſcoporum præſentia, qui convenerant ad Concilium, reſignavit: quæ ab eiſdem poſt aliquot dies repetiit, aſſerens ſe ob hoc velle ad ſedem apoſtolicam proficiſci. cui & adverſariis pariter datis dimiſſoriis, certus fuit à jamdictis Legatis terminus aſſignatus. Ceterùm inter alia quæ dictus Epiſcopus in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia recognovit, confeſſus eſt & non negavit ſe præfatum T. in Presbyterum ordinaſſe poſtquam ipſum reatum homicidij audierat & crediderat commiſiſſe; cujus factum, cùm familiaris eſſet ipſius, nun poterat penitùs ignorare. Cùm ergo ſecundùm Apoſtolum Epiſcopus bonum teſtimonium debeat & ab his qui ſunt intus & ab his qui ſunt foris habere, qui ad curam poſitus aliorum, in ſe ipſo debet oſtendere qualiter alios in domo Domini oporteat converſari, nec perferens memorandi criminis labem, lucidam gerat ſacerdotij dignitatem; nos attendentes quod ſatius ſit Domino in inferiori miniſterio deſervire quàm graduum ſublimitatem appetere cum ſcandalo aliorum, Epiſcopum ipſum monuimus diligenter ut poſtquam epiſcopalia inſignia reſignarat, citra pontificale faſtigium creatori ſuo devotum impenderet amodo famulatum. quod in humilitatis ſpiritu & contrito animo viſus eſt acceptaſſe. unde ipſius propoſitum dignis laudibus commendamus. Ceterùm quoniam non ſine noſtro & Cleri poſſet opprobrio mendicare, cùm de proviſione ipſius propter locorum incertitudinem deliberare providè non poſſemus, ad petitionem ipſius fraternitati tuæ duximus apoſtolicas litteras deſtinare, præcipiendo mandantes quatenus de Soacenſis epiſcopatus proventibus ei competenter in neceſſariis facias provi-

deri, ne pro defectu temporalium rerum propositum ejus valeat impediri. Et quoniam quidam, coram te propriis nominibus designandi, eum dicuntur rebus propriis contra justitiam spoliasse, alij verò manus in eum sacrilegas injecisse; volumus & mandamus ut si rem ita inveneris se habere, & primos ad ablata reddenda in integrum appellatione remota compellas, & alios excommunicatos publicè nunties, & sicut excommunicatos tamdiu facias evitari, donec passo injuriam s. c. &c. t. t. l. a. s. a. n. a. Datum Laterani VII. Idus Septembris.

CANTUARIENSI Archiepiscopo.

Epist. 151. Vt abusum quendam in processionibus corrigat.

CVm bona sint coram Deo & hominibus secundùm Apostolum providenda, Episcopis, qui successores Apostolorum existunt, & lux mundi & sal terræ Veritatis testimonio perhibentur, est summopere attendendum ut via regia incedentes, nec declinantes ad dexteram vel sinistram, neque conscientiam propter famam neque famam pro conscientia derelinquant; sed sic inter ea irreprehensibiliter gradiantur, quòd nec impij apud Deum, qui videt in corde, nec crudeles apud homines, qui vident in facie, judicentur. Sanè conquerentibus dilectis filiis monachis Cantuariensibus nostris est auribus intimatum, quòd te præsente, in processionibus quæ in Ecclesia ipsa solenniter celebrantur, quandoque præcedunt quandoque sequuntur inter te ipsósque monachos, quasi separantes caput à membris, Clerici seculares, eorundem insuper stalla in choro contra consuetudinem coartantes. Ex hoc autem dignitati Cantuariensis Ecclesiæ plurimùm detrahitur & honori, & scandalum, sicut dicitur, generatur in cordibus infirmorum, ac quies Deo famulantium perturbatur, & devotio deperit popularis, dum in eodem collegio diversæ professionis & habitus cernuntur homines sociari: quorum alij vestiuntur vilibus, alij pretiosis; quidam velatis incedunt capitibus, alij denudatis. Cùm igitur sit incongruum ut in uno & eodem officio professio dispar existat, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus circa ea quæ præmisimus corrigenda solicitudinem adhibeas pastoralem; ut & scandalum tollatur de medio, propter quod multa sunt sæpius omittenda, sicut jam alia vice tibi recolimus intimasse, atque in Cantuariensi Ecclesia regimini tuo commissa, quæ celebrem locum obtinet inter Ecclesias Anglicanas, nihil reprehensione dignum occurrat, unde ad alias religionis & honestatis exemplum convenit derivari. Tunc enim meliùs, sicut tua fraternitas non ignorat, subditos tuos corrigere poteris, & ad frugem reducere meliorem cùm in capite nihil inventum fuerit quod meritò debeat reprehendi. Dat. Lat. Idibus Septembris. Suprà lib. 1. epist. 432.

NOBILI VIRO R. COMITI Licij.

Epist. 152. Recipit illum sub protectione apostolica.

DEvotionis & fidei puritatem, quam erga nos & Romanam Ecclesiam matrem tuam ac regiæ sublimitatis coronam habere dignosceris, diligentiùs attendentes, petitionibus tuis libenter annuimus, & eas, quantum cum Deo & honestate nostra possumus, gratanti animo promovemus. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis quæ impræsentiarum rationabiliter possides, specialiter autem Licij Comitatum, aut in futurum justis modis Deo propitio poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c.

TARVISINO EPISCOPO.

Epist. 153. Ne Clerici comam nutriant, aut laicali veste utantur.

SIgnificasti nobis per litteras tuas quod quidam Clerici tuæ diocesis, licèt ecclesiastica beneficia sint adepti, comam nutriunt, quidam etiam incedunt in habitu laicali, laici quoque ascribi volentes militiæ clericali, cùm à te promoveri non possint, cum litteris Archidiaconi tui ad Episcopos vicinos accedunt, & ab eis se faciunt ordinari. Volentes igitur hujusmodi excessibus obviare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus Clericos qui comam nutriunt, & incedunt in habitu laicali, nisi ad commonitionem tuam deposuerint comam & clericalem servaverint tam in vestibus quàm in aliis honestatem, usque ad correctionem idoneam à beneficiorum suorum perceptione, sublato appellationis obstaculo, nostra & tua fretus auctoritate suspendas. Interdicas autem Archidiacono tuo ne sine conscientia & auctoritate tua concedat suas litteras promo-

Cap. Significasti *De officio Archidiaconi.*

promovendis; & eis etiam districtè prohibeas ne ad ordines taliter audeant convolare. Quòd si contra prohibitionem tuam venire præsumpserint, executionem eis ordinum susceptorum taliter interdicas. Datum Laterani XV. Kalendas Octobris.

EPISTOLA FRIDERICI Regis Siciliæ ad homines de Monteflascone.

Epist. 184. Horratur eos ut fiot obedientes Summo Pontifici.

FRedericus Dei gratia Rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, hominibus de Monteflascone fidelibus suis salutem & dilectionem. Cùm carissimi in Christo Patris nostri Domini Innocentij Summi Pontificis & Ecclesiæ Romanæ circa nos & regnum nostrum non modica jugiter beneficia sentiamus, in quibus possumus grata sibi volumus filialis devotionis vicissitudine respondere, & tam regaliter quàm humiliter ejus implere beneplacitum voluntatis. Gaudemus autem quòd, sicut accepimus, ad fidelitatem matris vestræ & ipsius Summi Pontificis humili curastis devotione redire, & in ea fideliter & firmiter permanetis. Ne autem de juramento quòd nobis præstitisse dicimini, in posterum dubiteris, præsentes vobis duximus litteras destinandas, quibus & affectum nostrum exprimimus, dum id gratum scribimus nos habere, & tanquam Ecclesiæ filij, vos ad fidelitatem ejus regaliter exhortamur; monentes ut sic in ea persistere procuretis, ut non ex temeraria levitate sed ex deliberatione discreta potiùs ad id videamini processisse. Datum Panormi XXII. mensis Iunij, secundæ Indictionis.

CAPITVLO PENNENSI.

Epist. 185. Quòd ipsorum electus Episcopus, qui ante cõfirmationem ministrarat, privatus sit.

Cap. Qualiter. De electione.

QValiter post obitum bonæ memoriæ. Pennensis Episcopi Ecclesia vestra vacante, receptis priùs super electione facienda litteris nostris, Primicerium vestrum vobis elegeritis in pastorem, vos tanquam auctores electionis ipsius pleniùs cognovistis. Verùm quoniam electus à vobis, ante confirmationem obtentam, administrationi episcopatus se irreverenter immiscuit, & tam à Clericis quàm à laicis juramenta recepit, non attendens quòd secundùm Apostolum nemo sibi debeat honorem assumere, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, nec donum scientiæ Pontifici conveniens fuerat assecutus, cùm juxta verbum dominicum, qui fecerit, & docuerit, magnus vocetur in regno cœlorum, postquam nobis eundem præsentastis electum, sufficienti examinatione præmissa, communicato fratrum consilio, electionem de ipso factam exigente justitia duximus irritandam, quicquid ob eam vel ex ea secutum est denuntiantes penitùs non tenere. Ne autem gregi dominico diù desit cura pastoris, & ex defectu ipsius Ecclesia vestra incurrat dispendium & jacturam, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus convenientes in unum, sicut moris est, & Spiritus sancti gratia invocata, virum idoneum, & qui vita & scientia sit sufficiens pontificali oneri & honori, post receptionem præsentium infra mensem in patrem & pastorem animarum vestrarum per electionem vobis canonicam assumentes, electum ipsum nobis postea præsentetis, à nobis, ut dignum fuerit, vice regia petituri consensum, & confirmationem auctoritate apostolica recepturi. Alioquin aliquos ex vobis ad præsentiam nostram ex parte omnium transmitti volumus & mandamus, secundùm assignationem nostram pastorem idoneum recepturos. Datum Laterani XI. Kal. Octobris.

FESVLANO EPISCOPO.

Epist. 186. Committitur ipsi cognitio cujusdam causæ.

CVm ex conquestione dilectorum filiorum fratrum Camaldulen. dudum ad nostram notitiam pervenisset quòd prætextu cujusdam chartæ, quam Prior eorum ipsis nescientibus fecisse proponitur, filij R. de Galbin. castrum Castilionis sibi contenderent cum ejus curia vendicare, atque Camaldulen. heremum ex hoc multipliciter prægravarent, nos venerabili fratri nostro Aretin. Episcopo dedimus in mandatis ut nisi præfati nobiles possessiones easdem fratribus ipsis restituerent, quemadmodum tenebantur, ipse ad hoc eos per censuram ecclesiasticam cogeret, appellatione remota, justitia mediante. Verùm, sicut idem nobis Episcopus suis litteris intimavit, postquam prædicti nobiles ab ipso vocati nostras litteras transcripserunt, utraque partium præfixo termino in ejus præsentia constituta, & Priore Camaldulensi plenè factum narrante, unus eorum videlicet ad objecta respondit, & post multa provocantes & recu-

stantes Episcopum, scripturam sibi sub trium nominibus porrexerunt, qua eum tanquam patronum Camaldulensis heremi dicebant esse suspectum, & ne tempore præcipuè messium eos sub suo cogeret examine litigare, sedem apostolicam appellarunt. Sed eis die sequenti reversis, & renuntiantibus non recusationi quam fecerant, sed appellationi duntaxat, Episcopus partibus alium terminum assignavit: in quo dum de recusatione contenderent coram ipso, Potestas Aretin: superveniens, & judicium illud ad se pertinere proponens, ne in caussa procederet interdixit, & ad nostram audientiam appellavit. Nos igitur deliberatione super hoc habita diligenti, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus caussam inter prædictum nobilem & fratres Camaldulen. non obstante contradictione vel appellatione cujusquam audias & decidas, cogens partes per censuram ecclesiasticam &c. Taliter autem Deum habens præ oculis, omni gratia & timore postpositis, in ipsa caussa procedas, quòd zelum justitiæ videaris habere, nósque tuæ solicitudinis studium debeamus meritò commendare. Nullis litteris veritati & justitiæ &c. Datum Laterani IX. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

PANORMITANENSI, Montis-Regalis, & Messanensi Archiepiscopis, & Episcopo Trojano, regni Siciliæ Cancellario, & nobili viro B. de Lucij.

Epist. 187. Vt de regni bonis alienata restituant.

IN quot & quantis vobis duxerimus deferendum, vos per experientiam operis credimus didicisse; cùm licèt regni balium nobis fuerit ex inclytæ recordationis C. Imperatricis testamento relictum, vos tamen administrationem ejus ferè totam liberè permiserimus exercere, sperantes quòd & vos ad honorem apostolicæ sedis & nostrum, salutem Regis, & statum regni specialiùs intendere debeatis. Iamdudum autem audivimus quòd vos multa de dominio Regis diversis personis in beneficium assignastis. Propter quod contra vos grave scandalum est subortum, & ad nos etiam per plurium litteras & nuntios & fama publica clamante delatum. Ne autem id de cetero vel ad culpam nobis, vel vobis imputetur ad pœnam, præsertim cùm distractiones hujusmodi fieri ad preces vestras litteris curaverimus apostolicis inhibere, discretionem vestram monemus & exhortamur attentiùs, ac per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ea quæ minùs utiliter distraxistis, studeatis utiliter revocare, manus vestras de cetero ab hujusmodi compescentes; ne nos, licèt invitos, statuere aliud compellatis. Pecuniam autem pro qua dilectum filium M. Campsorem nostrum direximus, ei solvere non tardetis: quoniam tam eam quàm aliam pro reprimendis regni hostibus, dante Domino, studebitmus utiliter erogare. Adhæc, super custodia Regis & regni volumus & mandamus vos efficaciter intendere ac solicitè vigilare. Datum Laterani V. Kal. Octobris.

MAGDEBVRGENSI Archiepiscopo, & de Burgelim & de Cella sanctæ Mariæ Abbatibus.

Epist. 188. De divortio Ducis Bohemiæ & uxoris ejus. Vide infrà epist. 197.

EX conquestione nobilis mulieris A. nobis innotuit quòd cùm dilectus filius Dux Bohemiæ illam duxisset legitimè in uxorem, & ipsam viginti annis & ampliùs velut uxorem legitimam pertractasset, filiis & filiabus ex ea susceptis, eandem suadente humani generis inimico à suo consortio separavit, & Pragen. Episcopus convocato quorundam Prælatorum Concilio in quodam monasterio ad petitionem & mandatum ipsius Ducis, ipsa volente ad eos accedere, ut suas coram eis proponeret rationes, militibus ejusdem Ducis prohibentibus ei bis vel ter ingressum, ex parte illius appellatione ad sedem apostolicam interposita, sententiam inter eos divortij non est veritus promulgare, ac demum ipse Dux quandam aliam, videlicet sororem carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Vngariæ, superduxit. Quoniam igitur hæc salva conscientia præterire non possumus indiscussa, cùm secundùm Apostolum simus omnibus debitores; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus vocatis ad præsentiam vestram quos propter hoc noveritis esse vocandos, inquiratis diligentiùs veritatem; & quicquid inveneritis, nobis per litteras vestras intimare minimè differatis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi, liberiùs in ipso negotio, prout ad nostrum officium pertinet, procedere valeamus. Nullis litteris &c.

HIEROSOLYMITANO Patriarchæ, Liddensi Episcopo, Hierosolymitan Hospitalis & militiæ Templi Magistris.

Epist. 189. Vt collectam transmissamque eleemosynam fideliter distribuant, & de statu terræ sanctæ rescribant.

TAm ex litteris nostris quàm relatione multorum propositum quod de subventione terræ orientalis assumpsimus, vobis jam credimus patuisse: quæ licèt propter guerras & discordias, quæ peccatis exigentibus fortiùs & frequentiùs solito pullulant in populo Christiano, aliquandiu differatur, non tamen vobis debet fiduciam speratæ utilitatis auferre; cùm etsi quidam, audito quòd cum Sarracenis treugas inissetis, ad tempus aliquantum tepuerint, nos non tepeamus in aliquo, sed proposito potiùs insistamus; quamvis propter impedimenta prædicta nec possibilitas voluntati plenè respondeat, nec affectus in omnibus concludat effectum. Quid autem super hoc à nobis & fratribus nostris, his præsertim quos ad hoc duximus specialiter deputandos, actum existat, & qualiter sit processum, discretionem vestram non credimus ignorare; cùm per diversas provincias & litteras direxerimus & Legatos ad exhortandos populos ad subsidium vestrum, & Ecclesiarum Prælatos ad id mandaverimus ecclesiastica districtione compelli. Apostulorum igitur vestigiis inhærentes, qui collectas faciebant in gentibus, ut fratribus in Hierusalem indigentibus subvenirent, navim expensis propriis fieri fecimus, & frumento collecto ex fidelium eleemosynis onerari: quod per dilectos filios Raymundum Hierosolymitani Hospitalis & M. Militiæ Templi fratres & I. monachum duximus destinandum, qui de consilio vestro illud magis indigentibus gratis distribuant & discretè. Speramus enim quòd armis orationum & eleemosynarum adjuti, cùm fuerit datum ab illo qui fortium arcus infirmat, & manus humilium docet ad bellum, qui non in numerositate bellantium sed in multitudine miserationum suarum salvos facit, de sua misericordia confidentes, id obtinebimus quod aliàs non potuimus hactenus obtinere. Credimus etiam quòd Principibus & populis Christianis optata tranquillitate concessa, expectatum in Christo subsidium sentietis. Ideóque discretionem vestram monemus & exhortamur attentiùs, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ad distribuendam gratis prædictam eleemosynam indigentibus discretæ provisionis aciem extendatis, & statum Hierosolymitanæ provinciæ nobis per litteras vestras frequenter & veraciter intimetis. Sicut enim expedit ut veri nobis rumores sæpius exponantur, sic est utile ut hi supprimantur penitùs qui mixturam sapiunt falsitatis.

CAPITVLO CAPVANO.

Epist. 190. Vt maturè novum Episcopum eligant, non diù expectatis his qui longiùs aberant.

CVm inter universas metropoles Capuana sit apostolicæ sedi vicinior, ad provisionem ipsius specialiùs aspiramus, talem ipsi personam præfigi cupientes, quæ sicut alios metropolitanos loci vicinitate, sic & devotionis affectu præcellat, per quam & ipsa metropolis tam in spiritualibus quàm temporalibus optatum suscipiat incrementum. Intelleximus autem per dilectos filios L. & P. Canonicos vestros, & litteras quas ad sedem apostolicam detulerunt, quòd ad Decanum & alios concanonicos vestros Panormi manentes, cùm ex eorum parte vobis fuisset per litteras intimatum ut Ecclesiæ Capuanæ damna pensantes, sic tractaretis super electione substituendi pastoris, quòd nullum deberetis in eorum absentia nominare, quendam socium vestrum cum litteris destinastis, duodecim dierum terminum assignantes, infra quem, post receptionem litterarum vestrarum, iter arripererent redeundi, quamvis ecclesiastica consuetudo non exigat ut ad electionem pastoris canonici tam remoti vocentur & illi præcipuè qui longè antè quàm vos Metropolitani vestri obitum præsentialiter cognoverunt, quorum aliqui post ejus decessum ad Capuanam Ecclesiam sunt reversi. Quia verò mora longior in electionibus est valde suspecta, immo sæpe damnosa, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus invocata Spiritus sancti gratia, personam idoneam per electionem canonicam concorditer assumatis ad regimen Ecclesiæ Capuanæ; consequenter ad nostram præsentiam nuntios idoneos transmissuri, per quos à nobis vice regia postuleris assensum, & apostolicæ confirmationis gratiam requiratis; attentiùs provisuri ut eo discretionis & caritatis studio procedatis, quòd nec in electione vitium nec in

electo defectus valeat inveniri. Alioqnin & factum electionis revocaremus in irritum, & personas eligentium puniremus.

VNIVERSIS CHRISTI fidelibus in Saxonia & Westfalia constitutis.

Epist. 191. Vt Livoniensem Episcopum, clerum, & Ecclesiam contra paganos defendant.

SIcut ecclesiasticæ læsionis censura compelli non patitur ad credendum invitos, sic sponte credentibus apostolica sedes, quæ mater est omnium generalis, munimen suæ protectionis indulget, & fideles ad defensionem eorum salubribus monitis exhortatur; ne si nuper conversis negatum fuerit defensionis auxilium, vel in primos revertantur errores, vel eos saltem pœniteat credidisse. Accepimus enim quòd cùm bonæ memoriæ M. Episcopus Livoniensis fuisset provinciam Livoniensem ingressus, in verbo Domini laxans prædicationis suæ retia in capturam, inter populos barbaros, qui honorem Deo debitum animalibus brutis, arboribus frondosis, aquis limpidis, virentibus herbis, & spiritibus immundis impendunt, usque adeo Domino concedente profecit, ut multos à suis erroribus revocatos ad agnitionem perduceret veritatis, & sacri baptismatis unda renatos, doctrinis salutaribus informaret. Verùm inimicus homo, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, invidens conversioni eorum pariter & saluti, persecutionem paganorum circumadjacentium in eos iniquis suggestionibus excitavit, cupientium eos delere de terra, & de partibus illis Christiani nominis memoriam abolere. Ne igitur nostræ negligentiæ valeat imputari si hi qui jam crediderunt, retro cogantur abire, nec præsumant aliqui fidem nostram recipere, si illi qui jam receperunt, à paganorum incursibus remanserint indefensi; universitatem vestram monemus & exhortamur attentiùs, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus nisi pagani circa Livoniensem Ecclesiam constituti cum Christianis treugas inire voluerint, & initas observarint, ad defensionem Christianorum qui sunt in partibus illis potenter & viriliter in nomine Dei exercituum assurgatis. Nos autem omnibus de partibus vestris qui sanctorum limina visitare voverunt, præsentium auctoritate concedimus ut in voti commutatione emissi, in defensionem Livoniensis Ecclesiæ ad partes illas pro reverentia nominis Christiani procedant. Omnes siquidem qui ad defendendam Livoniensem Ecclesiam & Christianos in illis partibus constitutos divino zelo succensi duxerint transeundum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & eis apostolici patrocinij beneficium impertimur. Datum Laterani III. Nonas Octobris.

In eundem modum universis Christi fidelibus in Sclavia constitutis. In eundem modum universis Christi fidelibus trans Albiam constitutis.

CIVITATENSI EPISCOPO, Baronibus, Militibus, & universo populo in Comitatu Civitatensi constitutis.

Epist. 192. Vt Theatino Præfecto obediant & obsequantur.

CVm defensio vestra pariter & tutela specialiter ad nos, non solùm ex solicitudine pastoralis officij, verùm etiam balij ratione pertineat, præter id quòd regnum Siciliæ ad jus & proprietatem apostolicæ sedis dignoscitur pertinere, ne ab aliquo sustinere possitis molestiam vel gravamen, paterna duximus solicitudine providendum. Inde est quòd dilecto filio nobili viro R. Comiti Theatino, viro utique provido & prudenti, nostris dedimus litteris in mandatis ut ipse, qui vicinitate vobis ad defensionem & tuitionem meliùs potest intendere, vos protegat & defendat, nec permittat vobis gravamen aliquod irrogari. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus eidem nomine regio tanquam procuratori nostro à nobis super hoc constituto de cetero intendentes, in omnibus necessitatibus vestris ejus consilium & auxilium requiratis. Datum Laterani VII. Idus Octobris.

CAPITVLO FVNDANO.

Epist. 193. De electione Episcopi Fundani.

CAssata olim electione Iohannis de Pastina, quem vobis elegeratis in pastorem, tam propter electionis vitium, quàm electi defectum, vobis dedimus in mandatis ut conveniretis in personam idoneam pariter & honestam. Sed vos in vestra diutiùs contumacia persistentes, cassatam electionem nitebamini denuo innovare. Nos autem, licèt potuissemus consulere per nos ipsos Ecclesiæ tamdiu viduatæ pastore, adhuc tamen vos ad electionis concordiam curavimus

invitare. Tandem cùm nihil apud vos proficere videremus, vobis dedimus in mandatis ut infra certum terminum ad nostram præsentiam veniretis, Episcopum recepturi. Venerabili etiam fratri nostro Terracinensi Episcopo mandasse meminimus, ut nisi vos mandatum apostolicum impleretis, in vos tam officij quàm beneficij suspensionis sententiam promulgaret. Ceterùm vos adhuc contra vetita venientes, dilectum filium P. Primicerium vestrum adhuc acolythum, cùm jam nullum vobis liceret eligere, in Episcopum elegistis. Quamvis autem personam ejusdem Primicerij ad majora etiam reputemus idoneam, utpote cujus scientiam & conversationem olim in scholis intelleximus pleniùs per nos ipsos; quia tamen propter defectum ordinis & contra interdictum apostolicum est electus, electionem ipsius, velut contra sanctiones canonicas attentatam, de fratrum nostrorum consilio duximus irritandam. Quia igitur vos non ad recipiendum Episcopum juxta mandatum nostrum, sed ad repræsentandam nobis electionem, quam feceratis, ad sedem apostolicam accessistis, & ex hoc non implevisse mandatum nostrum sed illud probamini potiùs fuisse transgressi, dicto Terracinensi Episcopo dedimus in mandatis ut ita in vos secundùm formam priorum litterarum procedat, sicut contra vos, si non accessissetis ad Romanam Ecclesiam, fuerat processurus. Datum Laterani V. Idus Octobris.

Illi scriptum est super hoc.

ABBATI DE WALCHENRIETH.

Epist. 194. Vt Gerlacus monachus, qui indicem sibi præcidit, à celebratione Missarum arceatur.

ACcedens ad præsentiam nostram Gerlacus monachus tui monasterij, humili nobis insinuatione monstravit quòd cùm Missarum officia celebraret, animi negligentia faciente, verba canonis frequenter inordinatè protulit. propter quod ipsa verba, & quædam quæ Presbyter in ipso sacramento dominici corporis secundùm ecclesiasticam constitutionem diligenti cura debet peragere, aliquoties iteravit. unde vehementi dolore commotus, sibi summitatem digiti sinistræ manus, qui index dicitur, amputavit. Nos autem ei præcepimus ut à Missarum celebratione deinceps abstineat, concedentes eidem ut injunctam sibi pœnitentiam peragens, de indulgentia nostra possit in aliis officiis ministrare; ipsúmque tibi duximus remittendum, per apostolica scripta mandantes quatenus eum fraterna studeas caritate tractare. Datum Laterani II. Idus Octobris.

EPISCOPO, DECANO, & Capitulo Pictaven.

Epist. 195. Vt Vv. Cameræ apostolicæ scriptorem in Canonicum recipiant.

SI debita solicitudine pensaretis quid honoris & reverentiæ Romanæ Ecclesiæ debeatis, cui si non obeditur, nulla vobis reverentia poterit exhiberi, & quomodo vos in vestris petitionibus curaverit exaudire, in exequendis illis quæ vobis injungit nequaquam vos exhiberetis difficiles vel rebelles. Vnde cùm tempus advenerit opportunum, vestra duritia nos pleniùs informabit qualiter in postulationibus vestris communibus vel privatis debeatis nos benignos vel propitios invenire. Veruntamen si vigeret in vobis devotionis affectus & discretionis acumen, possetis in pluribus cognovisse non esse utile vel fructuosum Ecclesiis, mandatis apostolicis temeritate qualibet reluctari. Vos autem, filij Canonici, nihil horum intelligentiæ spiritu capientes, mandatum apostolicum, quod tam à felicis memoriæ C. Papa prædecessore nostro quàm à nobis ipsis postmodum pro dilecto filio W. Cameræ nostræ scriptore canonicando in vestra Ecclesia emanavit, contempsistis hactenus adimplere. Sanè cùm venerabilis frater noster Episcopus & dilectus filius Archidiaconus Engolismenses, sicut ex litteris ipsorum accepimus, eundem W. de mandato ejusdem prædecessoris nostri Canonicum instituissent in Ecclesia Pictavensi, procuratori suo locum in choro ejus nomine assignantes, omnes contradictores eadem auctoritate nuntiarunt excommunicationis sententia detineri, nobis postmodum approbantibus quod factum fuerat ab eisdem. Cùmque bonæ memoriæ A. quondam Episcopus Pictaven. in nostra præsentia ipsum scriptorem in fratrem & Canonicum ejusdem Ecclesiæ recepisset, eidem Episcopo viva voce, deinde verò dilectis filiis Decano, Cantori, & I. Morel Canonico Xantonensibus nostris litteris districtè dedimus in mandatis ut eum canonicam ipsam facerent plenè ac pacificè possidere, contradictores & rebelles per districtionem ecclesiasticam compescentes. Nos etiam irritantes si quid

eo non admiſſo priùs in eluſionem mandati noſtri foret ab aliquo attentatum, eiſdem injunximus ut vobis diſtrictiùs inhiberent ne præſumeretis in aliqua Canonicorum ordinatione procedere, donec de ipſo mandatum noſtrum eſſet pleniùs adimpletum. Iidem autem executores, ſicut ex eorum litteris perpendimus manifeſtè, cùm poſt tertiam & quartam etiam commonitionem nihil poſſent apud vos commonendo proficere, veſtram ſuppoſuerunt Eccleſiam interdicto; & perſonas omnium receptioni ejus contradicentium excommunicationis vinculo innodantes, utramque præceperunt ſententiam firmiter obſervari; inhibentes diſtrictiùs ne ante receptionem ſæpedicti ſcriptoris aliquos præſumeretis in veſtra Eccleſia ordinare. Interea verò cùm dilecti filij N. Subdiaconus, I. Arnaudi, & P. de Lauduno Canonici & nuntij Eccleſiæ veſtræ ipſum in Canonicum & in fratrem in noſtra præſentia recepiſſent, & nos vobis injunxiſſemus diſtrictè ut eum recipere minimè differretis, procuratori ejus ſtallum in choro & locum in Capitulo cum plenitudine honoris canonici aſſignantes, licèt vobis fuiſſemus graviter comminati quòd ſi illa vice veſtra non poſſet duritia emolliri, manus noſtras in vos curaremus duriùs aggravare, vos hæc omnia pro nihilo reputantes, non ſolùm id efficere noluiſtis, verùm etiam divina officia in interdicta Eccleſia celebrare, & ut contumacia veſtra manifeſtiùs appareret, duos Canonicos, poſt inhibitionem ex parte noſtra factam, in eadem Eccleſia in eluſionem mandati noſtri inſtituere præſumpſiſtis. Nos igitur hæc in patientia nolentes ulteriùs ſuſtinere, ne contumacibus & rebellibus contradicendi & reluctandi materiam præbeamus, cùm inobedientia, ſecundùm Prophetam, idololatriæ comparetur, per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, & in virtute obedientiæ diſtrictè præcipimus, quatenus eundem ſcriptorem, omni contradictione, dilatione, & appellatione ſepoſita, in fratrem veſtrum & Canonicum admittentes, procuratori ejus ſtallum in choro & locum in Capitulo cum plenitudine honoris canonici aſſignetis, nec ſolitæ dilationis obſtaculum prætendatis, propter quod ejus inſtitutio differatur. Alioquin noveritis nos venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo & dilecto filio Cancellario Turonen. diſtrictè & in virtute obedientiæ noſtris litteris injunxiſſe ut niſi infra viginti dies poſt commonitionem ipſorum prædictum ſcriptorem noſtrum juxta formam mandati noſtri receperitis in Canonicum & in fratrem, te, frater Epiſcope, ſi fortè, quod non credimus, reluctari præſumpſeris, cùm etiam non ſis veritus celebrare in Eccleſia interdicta, veritate ſuper hoc cognita denuntient eſſe ſuſpenſum, & vos, filij Canonici, excommunicationis vinculo non differant innodare, caſſantes penitùs quicquid de inſtitutione Canonicorum ipſorum in eluſionem mandati noſtri per vos noſcitur attentatum, eoſdem excommunicationis vinculo innodantes, & expoliantes beneficiis, ſi qua habent, ſi pro Canonicis Pictaven. præſumpſerint ſe habere. Eiſdem etiam dedimus in mandatis ut tam interdictum Eccleſiæ Pictaven. quàm utramque ſententiam tamdiu inviolabiliter appellatione remota faciant obſervari, donec mandatum noſtrum fuerit adimpletum, & cum teſtimonio ſuarum litterarum pro ſatisfactione nobis præſtanda nuntios idoneos ad noſtram præſentiam duxeritis tranſmittendos. Datum Laterani X. Kal. Octobris.

Illis ſcriptum eſt ſuper hoc.

BRACARENSI ARCHIEPISCOPO, & Priori Eccleſiolæ, & F. Menendi monacho de Alcobatia.

Epiſt. 196. Vt controverſiam Epiſcopi Colimbrienſis contra Templarios dijudicent.

Referente venerabili fratre noſtro Colimbrienſi Epiſcopo, apud ſedem apoſtolicam conſtituto, noſtris eſt auribus intimatum, quòd cùm quæſtio dudum inter Colimbrienſem Eccleſiam & Templarios agitata ſuper Eccleſiis de Palumbario, Rodina, & Ega, ex conqueſtione ipſius Colimbrienſis Eccleſiæ ad felicis recordationis Lucij Papæ prædeceſſoris noſtri audientiam perveniſſet, bonæ memoriæ C. Bracarenſi Archiepiſcopo & F. Portugalen. Epiſcopo eam commiſit ſine canonico terminandam; ut ſi dicti Templarij ad eorum præſentiam non accederent, aut eorum judicio contemnerent obedire, abſque appellationis diffugio in eoſdem ſeveritatem canonicam exercerent. Cùm autem judices ipſi partes tandem edicto peremptorio citaviſſent, Templarij obtentu appellationis in prima citatione ad ſedem apoſtolicam interpoſitæ, licèt in com-

missoriis litteris remedium esset appellationis sublatum, ad diem peremptorium nec venerunt, nec pro se miserunt aliquem responsalem: quos infra certum tempus coram se juri stare mandarunt, alioquin jura episcopalia in dictis Ecclesiis adjudicarunt Colimbriensi Ecclesiæ judices antedicti; & nisi eorum sententiæ pareretur, tam Ecclesias quàm earum parochianos supposuerunt ecclesiastico interdicto, Christiana sepultura etiam interdicta. Consequenter verò Templariorum nuntius à bonæ memoriæ Vrbano Papa prædecessore nostro sub ea forma commissionis litteras impetravit, ut ante ingressum caussæ à Templariis sufficienti cautione recepta quòd super his juri parerent, delegati solverent interdictum, & si alterutra pars duceret appellandum, usque ad diffinitivam sententiam procedentes, gesta omnia transmitterent sigillorum suorum munimine roborata, & diem partibus assignarent, quo venirent ad sedem apostolicam sententiam recepturæ. Ex quarum nimirum litterarum tenore non fuit processum; quoniam pars quæ rescriptum impetraverat, illud judicibus non ostendit. Vnde in Ecclesiis memoratis interdictum postea non extitit relaxatum; quod Templarij, sicut dicitur, non servarunt. Cùmque processu temporis dilectus filius noster G. sancti Angeli Diaconus Cardinalis in Hispaniæ partibus legationis officio fungeretur, Episcopo & Archidiacono Vlixbonen. suis dedit litteris in mandatis ut aut caussam eandem fine debito terminarent, vel sententias à prioribus judicibus promulgatas vice sua ratas habentes, quæ continebantur in eis facerent à partibus firmiter observari. Sed responsalibus Ecclesiæ Colimbriensis ad diem peremptorium venientibus coram eis, & Templariis, sicut priùs fecerant, venire contemnentibus vel mittere responsalem, judices latas à prioribus sententias confirmarunt, ne scilicet divina celebrarentur officia in Ecclesiis antedictis, neque sepelirentur in eis corpora defunctorum, nec primitiæ, decimæ, vel mortuaria Militiæ Templi fratribus solverentur; excommunicationi subdentes qui contra hoc facere attentarent. Sed dicti fratres in sua contumacia nequiter permanentes, observare præfatas sententias penitùs contradicunt. De venerabilibus quoque fratribus nostris Lamecensi, Vlixbonensi, & Visensi Episcopis, Ecclesiæ Colimbriensi afflictæ afflictionem addentibus, quorum primus Ecclesias supradictas, alter Ecclesiam de Thomar in Colimbriensi diocesi constitutam, tertius verò Ecclesias de Larena præsumpsit, spreta prohibitione Colimbriensis Ecclesiæ, consecrare, memoratus Colimbriensis Episcopus gravem in auditorio nostro proposuit quæstionem, obnixè deposcens ut tam ipsorum quàm aliorum prædictorum excessus animadversione vellemus canonica castigare, per quos sæpedicta Colimbriensis Ecclesia enormem sustinuerat læsionem. Nos igitur ab ipsius clamoribus, qui apud nos, sicut vestra novit discretio, moram fecerat longiorem, auditum avertere non valentes, & de prolatis delegatorum sententiis, quantum patuit per authentica scripta, certiores effecti, sed utrum observatæ fuerint ignorantes, quamvis jamdictus Colimbriensis Episcopus eas constanter assereret non servatas, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus solum Deum habentes præ oculis, gratia quoque & timore postpositis, inquirentes super his quæ præmissa sunt diligentiùs veritatem, si jamdictis delegatorum sententiis auctoritate postmodum apostolica minimè relaxatis inveneritis paritum non fuisse, Templarios in legitimis expensis vestræ discretionis arbitrio moderandis factis ob hanc caussam per Colimbriensem Ecclesiam condemnetis; ad quarum præstationem eos per excommunicationis sententiam, appellatione remota, cogi volumus & mandamus; à quibus sufficienti cautione recepta quòd coram vobis juri parebunt, interdicto soluto audiatis caussam, & eam, appellatione cessante, fine canonico decidatis. Si verò nominati fratres præmissam præstare noluerint cautionem, vos sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, in possessionem earundem Ecclesiarum causa rei servandæ Colimbriensem mittatis Ecclesiam, & tueamini per districtionem ecclesiasticam introductam. Sacerdotes quoque & alios Clericos, quos in illis Ecclesiis interdictis inveneritis officia celebrasse divina, excommunicationis gladio percellatis, & tamdiu faciatis sicut excommunicatos arctiùs evitari, donec cum

vestrarum testimonio litterarum nostro se conspectui præsentarint. Episcopos autem prædictos, si, juxta quod superiùs est expressum, Ecclesias illas inveneritis temerè consecrasse, appellatione cessante à pontificali officio suspendatis. Sic autem in præmissis articulis juxta rescripti nostri continentiam, non obstante rescripto aliquo veritate tacita per subreptionem lite pendente à sede apostolica impetrato, fideliter ac prudenter appellatione postposita procedatis, nec processum caussæ impediat si super hoc se dixerint certum nuntium ad nostram præsentiam transmisisse, quòd protractas diutiùs controversias per vestram gaudeamus solicitudinem terminatas. Testes &c. cogantur. Quòd si omnes &c. tu, frater Archiepiscope, cum eorum altero. Datum Laterani II. Idus Octobris.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, Abbatibus, Prioribus, & universo Clero in regno Franciæ constitutis.

Epist. 197. Ut Regem suum hortentur ut apostolicis mandatis obtemperet, & repudiata pellice, legitimam uxorem recipiat.

ANxiatur in nobis ex amaritudine spiritus, & cor nostrum præ dolore turbatur, dum in caussa matrimonij carissimi in Christo filij nostri Philippi Francorum Regis illustris declinare ad sinistram vel dexteram pertimescimus, ne videamur plus homini deferre quàm Deo; & rursus regia via in Regem ipsum procedere molestamur, cùm in eo, propter prærogativam dilectionis & gratiæ, nos ipsos reputemus offendi. Movet enim & movet nos vehementiùs contra eum & debitum pastoralis officij, & fortiùs Finehes zelantis legem Domini notum vobis exemplum inducit: sed angit nos plurimùm & retrahit aliquantùm gratia specialis quam ad eundem Regem habemus, & quam non solùm circa ipsum, sed circa totum regnum Francorum opportunitate concessa proposuimus exhibere. Reducentes enim ad mentem & infra nos ipsos sæpius recolentes beneficia nobis olim in ipso regno scholasticis insistentibus disciplinis impensa, & à Deo donum scientiæ quantæcunque collatum, præter debitum officij pastoralis, quo sumus singulis debitores, nos tam Regi quàm regno specialiter teneri fatemur, & non solùm à Regis gravaminibus, quantum licèt, manum retrahimus, sed ad honorem ipsius & regni ejus augmentum ardentiùs aspiramus. Ceterùm attendentes quòd nos Dominus, licèt immeritos, in sede justitiæ collocaverit, & Vicarios sui & Apostolorum Principis constituerit successores, ne videamur acceptorum beneficiorum ingrati, si ei qui nos de pulvere suscitatus inter Principes immo supra Principes sedere voluit & de Principibus judicare, hominem præferamus, ne sine caussa etiam accepisse dicamur ligandi & solvendi per beati Petri merita potestatem, dissimulare non possumus quin exhibeamus justitiam postulantibus, & errantes ad rectitudinis tramitem revocemus, ferrum etiam apponentes vulneribus quæ fomentorum non sentiunt medicinam. Considerantes præterea quòd salus animæ præferenda sit corporis voluptati, & utilitati quàm voluntati potiùs deferendum, cùm multa beneficia præstentur invitis, ne vel odisse filium, si virgæ parcamus, vel ægro videamur caussam interitus præstitisse, si vulneribus fotis oleo vinum superinfundere differamus, saluti Regis ipsius consulere disposuimus & honori, credentes quòd quantumcunque contra nos, immo licèt injustè forsitan moveatur, ad mentem tamen reversus, cùm remedium senserit medicinæ, tanto nobis reddetur & apostolicæ sedi devotior, quanto in corrigendo excessu, per quem Deum sibi reddit offensum, per quem ad excusandas excusationes in peccatis & in contemnendis Ecclesiæ sacramentis factus est aliis prævaricationis exemplum, per quem etiam fama ejus est apud bonos, ne dicamus penitùs, plurimùm offuscata, majorem in nos ex caritate fuerit severitatem expertus. Ecce enim Dux Bohemiæ, sicut accepimus, ipsius secutus exemplum, uxore relicta legitima, simili modo adulteram superinducere non expavit. Vide supra, epist. 188. Sed & alij Principes & privatæ personæ Iudaizare, dando libellum repudij suis uxoribus, sunt parati, nisi principiis citiùs occurratur. Licèt enim bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster sententiam illam divortij, quin potiùs illius ludibrij fabulam, de fratrum consilio duxerit penitùs irritandam, diligenter eum admonens & frequenter ut prædictam Reginam reciperet in gratiam conjugalem, ipse tamen pravo usus consilio, post inhibitiones multiplices, in gravem contemptum Ecclesiæ aliam superinducere non expavit. Nos autem volentes olim Regem ipsum

ipsum tractare in spiritu lenitatis, & eum ad tramitem rectitudinis salubribus monitis revocare, ipsum circa nostræ promotionis initia per venerabilem fratrem nostrum Parisiensem Episcopum fecimus commoneri, & postmodum per litteras nostras diligenter induximus, ut, superinducta de finibus regni Francorum amota, Reginam reciperet memoratam, quam à se duxerat irrationabiliter amovendam; juris ei licentiam non negantes, quò minùs, facta priùs restitutione, audiremus & exaudiremus si quid duceret rationabiliter proponendum. Cur enim non potiùs eligat quod justum est & honestum, & declinet quod iniquum est & damnosum; ut si fortè desuper datum non fuerit quòd prædictam Reginam retinere velit in gratia conjugali, remota ea quam contra interdictum Ecclesiæ superduxit, & recepta illa quam à se contra juris ordinem separavit, ex tunc, si de justitia & veritate confidit, & ista judicio dimittatur, si fuerit dimittenda, & illa, si reducenda fuerit, reducatur; ne, si secùs agi contigerit, & animæ periculum prædictus Rex incurrat per adulterium quod committit, & in genere suo scandalum ponat, cùm proles, si qua fuerit hoc modo suscepta, non debeat censeri legitima, sed spuria potiùs judicari. Licèt autem nondum super hoc monitis nostris paruerit & mandatis, ne tamen salutem ipsius negligere videamur, si quod incepimus, relinquerimus imperfectum, adhuc eum per dilectum filium nostrum P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, ad hoc ipsum mandavimus commoneri; dantes eidem Legato firmiter in mandatis ut nisi Rex ipse monitis nostris & ejus aurem curaverit facilem adhibere, & ipse adhuc ei forsitan voluerit super interdicto generali deferre, tam Regi quàm superinductæ ac eorum familiis, præter pœnitentias morientium, omni prorsùs appellatione remota, interdicat omnia divina officia & ecclesiastica sacramenta, & ubicunque præsentes fuerint, eis præsentibus, præter baptisma parvulorum & pœnitentias morientium, tam sacramenta divina quàm ecclesiastica prohibeat officia celebrari. Ideóque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & ex parte Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostra, in virtute obedientiæ districtè præcipimus quatenus sententiam quam idem Cardinalis in Regem, superinductam, & eorum familias, vel in regnum etiam duxerit proferendam, & vos sublato cujuslibet appellationis obstaculo firmiter observetis, & faciatis ab aliis inviolabiliter observari. Si quis enim, cujuscunque dignitatis vel ordinis, eis post interdictum nostrum vel officia celebrare divina vel ecclesiastica præsumpserit impendere sacramenta, se noverit ipsius dignitatis & ordinis periculum incursurum. Cùm enim ex hoc quæramus solicitè salutem Regis ipsius, & ampliùs eum quàm ipse se diligat diligamus, utpote quem nos in Domino diligimus ad salutem, ipse se in animæ suæ perniciem diligit contra Deum, non timemus si quod pro veritate ac justitia contra nos scandalum oriatur: quoniam si Deus nobiscum, quis contra nos? nec poterit adversùs nos aliquorum machinatio prævalere, quia veritas & justitia nos defendent. Cùm autem de prærogativa scientiæ ac honestatis vestræ non modicùm confidamus, ne præter spem omnium eis comparari possitis, de quibus dicitur, *Canes muti non valentes latrare*, cùm hactenus libertas ecclesiastica maximè viguerit in regno Francorum, volumus & mandamus ut vos, fratres Archiepiscopi & Episcopi, & vos, filii Abbates, apud eundem Regem exhortationibus assiduis insistatis; quatenus affectum nostrum attendens, qui licèt salutem solicitè quæramus ipsius, eum tamen molestamus inviti, eligat parere potiùs monitis nostris, immo divinis, quàm severitatem ecclesiasticam experiri; cùm si nec sic potuerit revocari, ne plaga remaneat incurata, severitatem ecclesiasticam proposuerimus districtiùs exercere. Tanto autem his exequendis soliciti ùs intendatis, quanto apud multos fama vestra est non modicùm aggravata quòd mediantibus quibusdam vestrum tantus sit perpetratus excessus. Quòd si ad tempus omissum sit hactenus, non tamen est omnino dimissum, quin possit & debeat adversùs eos, si negligentes fuerint, retorqueri.

Suprà lib. 1. epist. 2.

Scriptum est autem super hoc prædicto Cardinali apostolicæ sedis Legato.

ARCHIEPISCOPO HIDRVNTINO, & Episcopo Liciensi.

Epist. 198. Committitur illis causa Archiepiscopi Tarentini contra Ecclesiam S. Mariæ de Galeso.

Significavit nobis venerabilis frater noster A. Tarentinus Archiepiscopus quòd cùm Ecclesia sanctæ Mariæ de Galeso, sita prope civitatem Tarentinam, Ecclesiæ Tarentinæ parochiali jure subjecta esset, R. Logotheta Tarentinus in præjudicium juris Ecclesiæ Tarentinæ, quæ pernimiùm parochialibus terminis angustatur, à sede apostolica rescriptum exemptionis obtinuit, occasione cujus dictus Archiepiscopus non solùm Ecclesia illa sed quibusdam aliis Capellis injustè se asserit destitutum. Quia verò apostolica sedes ab universis Ecclesiis injurias tenetur repellere, non inferre, mandamus vobis, præcipientes, quatenus ad locum ipsum pariter accedentes, si vobis ita esse constiterit, non obstante memorato rescripto per subreptionem obtento, eandem Ecclesiam cum prædictis Capellis fore subjectam, sicut primò fuerat Tarentinæ Ecclesiæ, sublato appellationis obstaculo, auctoritate apostolica decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Laterani IV. Kal. Novembris.

DE LACV, DE HERMENROD, & de Heisterbach Abbatibus.

Epist. 199. Ipsis committitur caussa lis super præpositura Coloniensi.

Cvm pro controversia majoris præposituræ Coloniensis, quæ vertitur inter dilectum filium T. Præpositum sanctorum Apostolorum ex una parte, & E. Præpositum sancti Georgij in Colonia ex altera, dilecti filij T. Canonicus sancti Gereonis & H. sacerdos procuratores prædicti Præpositi sanctorum Apostolorum, & G. majoris Ecclesiæ & E. sancti Severini Canonici procuratores præfati Præpositi sancti Georgij, ad sedem apostolicam accessissent, & utriusque partis nobis litteras præsentassent, nil aliud postmodum de ipso negotio in conspectu nostro proponere curaverunt; sed post repræsentationem litterarum, secundò ad nostram præsentiam accedentes, unanimiter postulaverunt à nobis ut caussam ipsam vobis committere deberemus. Nos igitur ad petitionem ipsorum caussam vobis committentes eandem, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis ad præsentiam vestram partibus, audiatis quæ fuerint hinc inde proposita; & si fuerit de voluntate ipsarum ut ad diffinitivam sententiam procedatis, vos solum Deum habentes præ oculis, omni gratia, odio, vel timore postpositis, caussam ipsam appellatione remota fine canonico terminetis. Si verò in hoc partes noluerint consentire ut per vos diffinitiva sententia proferatur, vos nihilominus usque ad sententiæ calculum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo procedentes, allegationes & gesta omnia utriusque partis, sigillorum vestrorum munimine roborata, nobis dirigere procuretis; terminum competentem partibus præfigentes, quo recepturæ sententiam nostro se debeant conspectui præsentare: ad quem si qua partium forte venire contempserit, nos nihilominus in ipso negotio procedemus. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium &c. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani III. Nonas Novembris.

VNIVERSIS AD QVOS LITTERÆ istæ pervenerint.

Epist. 200. De facultatibus Archiepiscopi Tarentini, Legati Apostolici.

Vniversitatem vestram volumus non latere quòd nos venerabilis fratris nostri Tarentini Archiepiscopi fidem & prudentiam attendentes, ipsum unà cum nuntiis nostris aliis ad succursum & dispositionem regni Siciliæ destinamus, dantes ei liberam potestatem ut illis qui cum eo ad obsequium nostrum & Ecclesiæ Romanæ processerint, & fideliter ac devotè perstiterint, beneficia & præmia condigna retribuat, & si quid damni acciderit in equis vel armis, quod absit, integrè studeat resarcire. Datum Laterani VIII. Idus Novembris.

Vide infrà epist. 141. 180.

CONRADO MAGVNTINO Archiepiscopo, Episcopo Sabinen.

Epist. 201. Vt beneficia per Hildeseemensem Episcopum in dioecesi Herbipolensi collata, ipsi aliis conferre liceat, priori collatione non obstante.

Inter excessus alios animadversione dignissimos suo loco & tempore auctore Domino puniendos, illud est etiam nostro apostolatui referatum, quòd C. quondam Hildesemen. Episcopus Herbipolensem Ecclesiam ausu propriæ temeritatis usurpans, in ejus dioecesi nonnullis beneficia conferre præsumpsit, in contemptum apostolicæ sedis, & ipsius Herbipolensis Ecclesiæ detrimentum. Nos igitur quod ab ipso factum est in hac parte denuntiantes irritum & inane, quia devotionem tuam sumus in multis

Vide suprà lib. 1. epist. 335. & infrà epist. 204. hujus libri.

experti, ut beneficia ipsa personis idoneis appellatione remota valeas assignare, auctoritate tibi præsentium indulgemus; firmiter inhibentes oe vel illis qui de manu ejus beneficia receperunt, vel aliis qui ei jam excommunicato participare non sunt veriti vel etiam obedire, tanquam indignis, hujusmodi beneficia conferre præsumas. Nulli ergo &c. Datum Laterani V. Kalendas Novembris.

CASTELLANO, PERVSINO, Clusino, & Eugubino Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis in eorum diocesibus constitutis.

Epist. 104. Vt Legatum apostolicum reverenter excipiant.

APostolica sedes, quæ disponente Domino inter omnes Ecclesias obtinet principatum, alios vocavit in partem solicitudinis, retenta sibi plenitudine potestatis; ut quoniam Romanus Pontifex pro defectu conditionis humanæ per se ipsum omnia expedire non potest, juvetur subsidiis aliorum, quibus vices suas committit, ad exemplum Domini & magistri, qui discipulos suos per mondum universum transmisit, salutem nostram in medio terræ personaliter operatus. Sanè cùm nos & fratres nostros, propter curam & solicitudinem apostolici patrimonij, ab occupationibus variis, quas pro statu Ecclesiarum omnium indesinenter subimus, sæpius nos contigerit evocari; oolentes, sicut nec velle debemus, temporalia spiritualibus anteferre, de consilio fratrum nostrorum viam elegimus tutiorem, qua & curam temporalium non negligimus, & spiritualem, sicut convenit, præferimus dignitatem, dilectum filium nostrum G. sancti Georgij ad velum aureum Diaconum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, virum utique providum & prudentem, & honestate morum & generositate natalium commendandum, quem inter fratres nostros speciali caritate diligimus, ad ea quæ præmisimus exequenda duximus assumendum, concessa sibi nihilominus potestate ut in Ecclesiis & parochiis vestro regimini deputatis evellat & destruat, ædificet & plantet, quæ in eis evellenda & destruenda, ædificanda occurrerint & plantanda. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ipsum, tanquam honorabile membrum Ecclesiæ & Legatum apostolicæ sedis, recipientes humiliter & devotè, ipsius salubria monita & statuta & vos ipsi diligenter servetis, & à subditis vestris faciatis efficaciter observari. Nos enim sententiam quam in rebelles & contumaces rationabiliter duxerit promulgandam, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino firmitatem debitam obtinere. Datum Laterani Idibus Octobris.

Scriptum est super hoc in eundem modum Spoletan. Fulginat. Asisinat. Nucerinen. Reatinen. Narnien.

CONSVLIBVS ET POPVLO Sutrinis.

Epist. 105. De eodem argumento.

CVm præter solitum, immo plus solito, multis & magnis simus negotiis occupati, quæ per nos ipsos facere non valemus, per alios cogimur adimplere. Sanè inter alias occupationes & solicitudines nostras, curam & provisionem apostolici patrimonij non modicas reputamus, tam ad spiritualem jurisdictionem nostram spectatis quàm etiam temporalem. Vnde nobis posset non immeritò imputari, si super ordinatione ipsius essemus tepidi vel remissi, qui cunctorum fidelium solicitudinem gerimus pastoralem. Novimus enim (quod tristes & dolentes referimus) quoniam in eo multi quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, quærentes, & abutentes per insolentiam sedis apostolicæ patientia, pacem perturbant, corrumpunt justitiam, stratam violant, & terram offendunt, unde nobis & vobis non modicùm derogatur. Cum igitur super his quæ præmisimus emendandis cum fratribus nostris tractatum habuerimus diligentem, de ipsorum consilio dilectum filium nostrum G. sancti Georgij ad velum aureum Diaconum Cardinalem, virum nobilem & prudentem, quem inter alios fratres nostros speciali diligimus caritate, operi tam utili & necessario deputantes, ut meliùs & faciliùs injunctum sibi officium valeat exercere, dilectum filium P. Præfectum urbis, virum nobilem & potentem, sibi duximus adjungendum: quibus dedimus in mandatis ut stratam custodiant, pacem procurent, justitiam faciant, & terram defendant, alia quoque nihilominus operentur quæ ad honorem Dei, profectum Ecclesiæ,

utilitatem vestram & aliorum nostrorum fidelium noverint pertinere. Vt autem dominium sedis apostolicæ, quæ de se verè dicere potest, *Iugum meum suave est & onus meum leve*, diebus nostris dulcedinem non deponat, & nulli fiat penitùs odiosum, eis vivæ voce præcepimus ut vos diligant & honorent, nullum sine caussa lædentes vel contra justitiam aggravantes, sed à vobis potiùs iniquitatem & violentiam satagant propulsare. Vnde quoties necessitas postulaverit, ad eos vice nostra pro justitia consequenda vel aliis expediendis negotiis poteritis habere recursum. Et ut meliùs quæ ad pacem & utilitatem vestram à nobis & fratribus nostris sunt salubriter ordinata, perduci valeant ad effectum; universitatem vestram monemus attentiùs & hortamur in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus ipsis vice nostra, immo nobis in ipsis intendentes humiliter & devotè, quod super præmissis articulis & aliis emergentibus negotiis utiliter duxerint statuendum; salvo in omnibus apostolicæ sedis mandato, teneatis firmiter & servetis, de universis justitiis & rationibus Ecclesiæ Romanæ sibi plenariè respondentes.

In eundem modum Consulibus & populo Nepesinis. In eundem modum Consulibus, & populo Oritanis. In eundem modum Amelien. Castellan. In eundem modum Tudertin. Asisinatibus. In eundem modum Perusin. Fulginat. In eundem modum Spol. Narnien. Reatin. populo civitatis Castellanæ. Tuscan. Vetrallen. Balneoregen. Centumcellen. Vrbevetan. Cornetan.

MAGDEBVRGEN. Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

Epist. 204. Vt Hildesemensis Episcopus, publicè excommunicatus nuncietur. *Vide suprà lib. 1. epist. 335. & lib. 2. epist. 201.*

CVm sine capite nulla possint membra subsistere, si quispiam impune possit apostolicæ sedis privilegia violare, nulla ceteris Ecclesiis de suis privilegiis fiducia remaneret. Verùm inter cetera privilegia quæ primatum apostolicæ sedis ostendunt, illud non modicum reputatur quòd depositiones, cessiones, & translationes Episcoporum fieri sine speciali auctoritate Romani Pontificis interdicit. Hoc autem C. quondam Hildesemen. Episcopus non attendens, licentia nostra non solùm non obtenta, sed nec etiam expetita, Herbipolensem Ecclesiam occupavit, præsumens ad eam propria temeritate transire; cùm per illam non possit indulgentiam excusari quam à bonæ mem. C. Papa prædecessore nostro se asserit impetrasse, quæ potiùs impetranti turpem ambitionis notam ingessit, ut si videlicet eum ad majorem dignitatem contingeret invitari, eam sibi liceret assumere, dummodo nihil ei de statutis canonicis obviaret. Licèt enim ei videatur indultum ut invitatus majorem possit assumere dignitatem, per hanc tamen indulgentiam ad parem sibi transire non licuit, cùm longè faciliùs in uno casu quàm in alio dispensetur. Præterea cùm & postulatio, sicut electio, examinari debeat diligenter, antequam per eum, cui facienda fuerat, examinata fuisset, non debebat ulla ratione transire, cùm non solum examinationem postulationis sed ipsius quoque personæ videatur tenor indulgentiæ reservasse, statim subjungens: *dummodo nihil appareat quod sibi de canonicis obviet institutis.* Licèt autem tantæ præsumptionis excessus ad aures nostras publica referente fama venisset, distulimus tamen procedere contra ipsum, donec litteras ejus recepimus, in quibus se nobis Herbipolensem Episcopum appellabat. Vnde postmodum præsumptionem ipsius debita volentes animadversione punire, vobis & aliis Archiepiscopis & Episcopis in Teutonia constitutis districtè præcepimus ut cùm factum hujusmodi non posset in partibus vestris non esse notorium, nisi dictus C. infra viginti dies post susceptionem litterarum nostrarum ab Herbipolensis Ecclesiæ administratione cessaret, eum excommunicatum auctoritate nostra non differretis publicè nuntiare, & excommunicationem ejus faceretis pulsatis campanis & candelis accensis, festivis diebus & dominicis innovari. Tu autem, Magdeburgensis, in eum juxta tenorem mandati apostolici, sicut accepimus, processisti, & alij etiam, sicut credimus, processerunt. Quamvis autem in manifestis non sit ordo judiciarius requirendus, & ipse videretur confessus de crimine, cùm in litteris ad nos directis se præsumpsisset Herbipolensem Episcopum nominare, nos tamen ad evitandam omnem malitiam, in litteris nostris commonitionem canonicam duximus præmittendam; & eum postmodum etiam ad bonum obedientiæ revocare volentes, ipsi non præmissa salutatione mandavimus ut omni excusatione cessan-

Vide caput Illud Dominus. De Cler excomm. Vide etiam infrà epist. 278.

te, si apud nos vellet gratiam invenire, mandatum apostolicum adimpleret. Quia verò nec sic ei vexatio præbuit intellectum, quin eò fortiùs in sua pertinacia perduraret quò ampliùs nos videbat de sua correctione solicitos, cùm postquam alius de mandato nostro fuit in Episcopum Hildesemensem electus, se ipse præsumeret Hildesemensem Episcopum nominare, apostolicæ sedis injuriam dissimulare nolentes, ipsum in festo principis Apostolorum proximè præterito, præsentibus nuntiis ejus, inter Missarum solennia excommunicatum publicè nuntiavimus, & mandavimus ab omnibus evitari. Ideóque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus latam in eundem C. à nobis excommunicationis sententiam publicantes, ipsum singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, denuntietis excommunicatum, & ab omnibus, tanquam contemptorem apostolicæ jussionis, arctiùs evitandum, donec, si desuper datum fuerit, absolutionis gratiam mereatur; vestris nobis litteris intimantes, si fortè sententiam nostram contemnens, divina præsumpserit officia celebrare.

In eundem ferè modum Capitulo & Suffraganeis Eccl. Magun. In eundem modum Herbipolen. Capitulo. In eundem ferè modum Treveren. & Suffraganeis eius.

NOBILI VIRO B. COMITI Laureti, & Cupersan. Magistro Iustitiario Apuliæ & Terræ Laboris.

Epist. 205. Vt promissionibus suis satisfaciat, & pacem initam conservet.

IAm olim firmiter proposuimus, ecce & nunc sumus in executione propositi, aliquem à latere nostro ad regni partes dirigere cum subsidio opportuno, ut excludantur & penitùs repellantur ab eo tam regni quàm Ecclesiæ inimici, & pax reformetur in regno, & justitia conservetur. Quia verò in præsentia dilecti filij I. tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyteri Cardinalis & Philippi Notarij nostri exercitum intravisti, sicut eorum nobis relatio patefacit; volentes te, tanquam virum nobilem & egregium, ad id esse solicitum & paratum, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus te ad eundum cum Legato nostro contra inimicos regni & Ecclesiæ ita honorificè præpares ac viriliter accingaris quòd fidelitas & dilectio quam ad carissimum in Christo filium nostrum F. Siciliæ Regem illustrem, & devotio quam ad Romanam Ecclesiam te habere proponis, elucescat in opere, & proinde ipsum Regem & nos ipsos ad dilectionem tuam reddere valeas promptiores. Præterea cùm super omnibus quæstionibus quæ inter te & dilectos filios nobiles viros G. & M. Comites de Manupello vertuntur, prædictis Cardinali & Notario stare mandato nostro juraveris, & ipsi etiam ex parte sua se simili astrinxerint juramento, sicut jam tibi scripsisse recolimus; ita iterato tibi duximus sub debito juramenti præsentibus litteris injungendum ut treugas initas coram prædicto Cardinali inviolabiliter observare procures, donec per Legatum nostrum, cui vices nostras tam in spiritualibus quàm in temporalibus committimus exequendas, qui est ad partes ipsas in proximo accessurus, super quæstionibus quæ inter te & ipsos Comites vertuntur, mandatum ex parte nostra recipias, quod tam à te quàm ab ipsis volumus sine refragatione servari; salvo nimirum si quid aliud super hoc, utilitate vel necessitate pensata, duxerimus statuendum. Nos enim ipsis Comitibus consimiles litteras duximus destinandas, volentes, sicut convenit, utrinsque partis indemnitati bus præcavere.

EDVENSI EPISCOPO.

Epist. 206. Vt Iudæis recens baptizatis benevolentia exhibeatur.

AD provisionem P. quondam Iudæi latoris præsentium ad fidem Christi nuper eodem inspirante conversi per litteras apostolicas & mandatum te recolimus invitasse. Sed quòd ea penitùs obaudieris, ejusdem labor indicat iteratus, sicut decuit non attendens quòd personis hujusmodi, ne propter opprobrium paupertatis, quod non consueverunt æquanimiter sustinere, post Iudaicam perfidiam derelictam retro aspicere compellantur, ab universis sit fidelibus propensiùs succurrendum, nedum episcopali præditis dignitate; quorum debet esse propositum indigentibus subvenire, teque in hac parte illa saltem ratione oportuit existere proniorem, quòd pro eodem P. tuas nobis preces & litteras destinasti. Nisi autem specialis gratia, quam ad personam tuam habuimus & habemus, motum nostri animi mitigasset, pro contemptu mandati præmissi priùs ad te districta ultio quàm ite-

rata monitio pervenisset, cùm satis appareat qualem in aliis te geris virtutibus, quandoquidem in operibus pietatis, quæ secundùm Apostolum promissionem habet vitæ quæ nunc est & futuræ, te negligis vel contemnis ad mandatum apostolicum exercere. Ne igitur præfatus P. provisionis apostolicæ solatio defraudetur, aut tua negligentia remaneat in sopore, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ejus paupertati taliter studeas providere quòd prædictus P. ac M. filia sua, quæ cũ eo unda baptismatis est renata, per tuæ liberalitatis gratiam victus & vestitus necessaria se gaudeant congruè sine dilatione qualibet assecutos; faciens nihilominus ut quod eis propter necessitates suas duxeris, quemadmodum præmissum est, assignandum, valeant sine perturbatione qualibet, cùm Deus hilarem datorem diligat, obtinere. Alioquin noveris nos venerabili fratri nostro Episcopo & dilecto filio Abbati sancti Martini Nivernensis præcipiendo mandasse ut si mandatum nostrum neglexeris adimplere, ipsi te ad ea quæ præmisimus exequenda per districtionem ecclesiasticam omni contradictione & appellatione remota compellant. Datum Laterani Nonis Novembris.

POTESTATI, CONSVLIBVS, & Iustitiariis Viterbiensibus.

Epist. 107. Ut concordiam cum Romanis initam conservent.

SIcut per alias litteras vobis intimasse meminimus, ex discordia quæ inter vos & Romanos peccatis exigentibus est suborta, gravia timemus pericula proventura: quæ prævidentes olim, & ab ipsis vobis præcavere volentes, primò per dilectum filium G. Centij nobilem civem Romanum apostolici patrimonij rectorem in Thuscia, secundò per dilectum filium G. Archipresbyterum sancti Angeli Subdiaconum nostrum, tertiò per venerabilem fratrem nostrum O. Ostien. Episcopum vos fecimus diligentissimè commoneri ut nostro super hoc consilio crederetis, quod quale fuerit, non estis obliti. Tandem cùm tu, fili Potestas, cum quibusdam civium ad nostram præsentiam accessisses, licèt multa essemus debilitate gravati, te tamen & ipsos ad idem efficaciter, quantum in nobis fuerat, duximus inducendos, sed in his omnibus non fuimus exauditi. Quamvis autem postmodum receptio Biturclani fuerit prorogata, non tamen potuit penitùs impediri quin reciperetur à Romanis, & eorum committeretur potentiæ protegendum. Debueratis autem & vos nobiscum mala hujusmodi prævidere, nec tantùm vires vestras inspicere, sed inimicorum etiam potentiam intueri, cùm non sit tutum committere vos fortunæ. Verendum est autem nobis & vobis ne duritia vestra, qui nobis credere noluistis, & culpa nostra, quam ex eo contraxisse videmur quòd querelas hominum de Biturclano ad nos clamantium ab oppressionibus vestris, & ad fidelitatem nostram redire volentium, non curavimus exaudire, plus forté vobis quàm expedierit deferre volentes, nos & vos in gravem necessitatem induxerint, quam vitare de facili non possimus. Romani siquidem (sicut quidam ex vobis, qui nuper ad nostram venerunt præsentiam, super hoc noverunt pleniùs veritatem) à nobis & petebant & petunt instanter ut vel vos à molestatione hominum de Biturclano compesceremus juxta debitum officij pastoralis, vel cogeremus ad justitiam in nostra præsentia exhibendam. Quod quacunque peteretur intentione, quia nos de manifestis judicamus, Dominus autem judicat de occultis, non vidimus qua possemus rationе negare; licèt cum eisdem nuntiis vestris & aliis super hoc diutiùs tractassemus. Cùm enim, secundùm verbum Apostoli, sapientibus simus & insipientibus debitores, & omni petenti teneamur justitiam exhibere, id præsertim debemus efficere, cùm fideles nostri de nostris fidelibus conqueruntur. Propter quod dictum Subdiaconum & dilectum filium Hugonem Panetiarium nostrum ad vos duximus destinandos, universitati vestræ per apostolica scripta mandantes quatenus ea quæ possunt ex hoc facto pericula provenire diligentiùs attendentes, nostro vos committeretis judicio vel mandato. Vos autem aliud quàm expectaremus nobis dedistis responsum, scilicet quòd usque ad quintam feriam proximè præteritam expectaretis venerabilem fratrem nostrum Episcopum Vulterranum, de ipsius nobis consilio responsuri. Iudicet ergo Dominus inter nos & vos, qui nec monitis nec mandatis nostris toties requisiti parere volentes, nos & vos in gravem necessitatem, quam evitare non possumus, induxistis. Cùm

igitur de cetero contemptum nostrum non possimus æquanimiter sustinere, nisi usque ad proximum diem dominicum vel judicium nostrum subieritis, vel mandato apostolico, quod vobis potiùs credimus expedire, duxeritis exponendos, cautionem sufficientissimam exhibentes, ex tunc vos noveritis excommunicationis vinculo innodatos. Nos etiam universis fidelibus nostris dabimus in mandatis ut non solùm vobis assistere non præsumant, sed ad edomandam contumaciam vestram potenter & viriliter procedant in subsidium Romanorum.

EPISTOLA PATRIARCHÆ Constantinopolitani ad Papam.

Epist. 108. De primatu & prærogativa Ecclesiæ Romanæ.

INnocentio sanctissimo Papæ Romano & in Christo Domino dilecto fratri nostro Iohannes divina misericordia Constantinopolitanus Archiepiscopus, Novæ Romæ Patriarcha, amorem & pacem à Domino nostro Iesu Christo & salvatore nostro. Scriptum à tua sanctitate per prudentissimos Legatos Albertum Subdiaconum & Albertinum Notarium nostræ humilitati directum quàm gaudenter suscepimus, & quod in eo continebatur diligentiùs rimatus, impossibile habuimus quomodo non omnino tuam laudaremus sanctitatem pro vestro divino zelo & ignito proposito de nostrum & vestrum secundùm fidem unione; cùm & hæc nostram humilitatem tuæ virtutis constantia, & tua digni pontificatus diligentia nos clarè docuerint. Et quid enim de pluribus faciet quisquam nobis traditam ex patribus & longo jam tempore de pià confessione traditionem, quam Christus quidem communis doctor & prædicator Christianorum populis suis tradidit vocibus. Hunc autem videntes & discipuli, & eorum ex tunc successores sancti Spiritus inspiratione illuminati, & ab eo docti, suis scriptis docentes ampliaverunt, sic nostra humilitas non modicè lætata est super tuæ sanctitatis pro divini cultus solicita cura. Quod autem mihi in tuæ sanctitatis scripto non modicam superinduxit ambiguitatem, non abscondam. Nam & pro miro habeo quomodo unam & universalem Romanorum vocasti Ecclesiam, ut quasi jam divisam in species quasdam specialissimas, & hæc uno existente grege, ovilium Christi nobis quodam modo pastoribus sub eo constitutis pastorum principe communique doctore. Et quomodo erit quòd apud vos Romanorum Ecclesia mater, ut dixisti, communis aliarum Ecclesiarum, & secundùm quas aliquas rationes, & per quas unquam caussas, quæro addiscere dubitans. Quod autem mihi & plus extendit ambiguitatem dicam; & indulge mihi, sacerrime Papa, si nunc primò hunc patriarchalem sacrum thronum me ascendentem, nondum de tali hac dubitatione diligentem solutionem addiscere accidit. Audiens enim quis in psalmis David dicentem matutinis, *Sion dicet: Homo & homo natus est in ea*, secundùm verum utique verbi & justitiæ æquitatem Hierosolymitanam Ecclesiam matrem aliarum Ecclesiarum nominabit, prærogantem secundùm fidem tam tempore quàm & dignitate. In ea enim utique ut novissimus omnium Christus & natus est secundùm carnem, & conversatus, & docens atque prædicans nostram fuit salutem, novissimè per crucem pro nobis mortem sustinens, lapidem in quo corpus hujus fuit sepultum, depositum ibi reliquit. Clarè utique signum suæ in terris conversationis ibi Christo discipuli occurrentes crediderunt, hunc filium Deo & Patri consubstantialem esse; quamvis perfectam humanam naturam indutus, sibi secundùm substantiam homo tantùm in superficie videbatur. Inde Christi mirabilium fons emanavit, & inde, ut ex quodam principio, alij quidam exorti sunt divina fluentes fluvij, & universum orbem irrigantes, rivos etiam Ecclesiæ quæ apud vos est replentes. Igitur numquid ob hæc & alia talia quis Hierosolymitanam Ecclesiam matrem omnium dicet Ecclesiarum? Aut non præornatam prædicatione auditi Pauli? A Hierusalem clarè debes incipi. Dicit enim: *& usque ad Illyricum prædicare evangelium*. Hæc quidem dicet quis, audiens Ecclesiam quæ apud vos est generalem & universalem nominatam. Ego verò lætanter addiscam caussam, & acceptabo eam sine contradictione rationem habentem. Reprehensionem autem à tua sanctitate nobis superinductam silere nequeo, ut scindentibus quasi unam & desuper contextam Christi vestem, & sic à vobis usque nunc & discissis. Dicente enim in evangeliis salvatore Christo de modo essentiæ sancti Spiritus ei consubstantialis, qui ex Patre procedit, & duas has substantiales proprietates dicente,

de sui ipsius & Spiritus generatione dico & processione, & sibi quidem de paterna substantia testanti ineffabilem omnibus & ignotam generationem, sancto verò Spiritui ex eadem paterna substantia processionem insensibilem, & hanc omnibus & patribus in Nicæam concurrentibus immutabiliter sic ex Patre Spiritus processionem ampliantibus, ex tunc universi orbis synodis sacro symbolo & doctrinæ nil apponentibus, in quibus & quidam tunc pontificalem thronum veteris Romæ gubernantes per se ipsos interfuere, in quibusdam verò & quidam alij vestrum locum tenentes, vestris tunc pontificibus acceptantibus ea quæ confirmata fuerunt, & ea rata per proprias confessiones habentibus, & dæmoni credendi constitutionem. Hac quoque fide usque & ad nos sine aliqua interruptione perveniente, quid nos oporteat facere non parum est hæsitandum in ambiguitatem atque discessionem non parvam incidere, donec de hoc quæstio solvatur. Quæro nunc hinc addiscere caussam, quæ divisa est & indivisibilis vestis Christi. Potentem autem nostrum moderatorem tua noscat sanctitas, à se ipso prosilientem ad omnem boni notitiam, & maximè ad religionis cultum. Omnia enim quibus ornatur verè homo Dei, & quæcunque divinitus coronatum ornant Imperatorem, hæc omnia Deus ei donavit. Et ut breviter Imperatoris ostendam majestatem, nosce hunc præ omnibus ejus antecessoribus Imperatorem benignum, & patientem, simul atque strenuum: cujus tam spiritualia quàm & corporalia benigna si dicere inciperem, mensuram excederet verbum, necnon & epistolæ modum.

PATRIARCHÆ *Constantinopolitano.*

Epist. 209. Respondet superiori epistolæ.

Edita ab Antonio Augustino ad calcem tertiæ compilationis Decretalium, & in Gestis Innocentij III.

Apostolicæ sedis primatus, quem non homo, sed Deus, immo verius Deus homo constituit, multis quidem & evangelicis & apostolicis testimonijs comprobatur, à quibus postmodum constitutiones canonicæ processerunt, concorditer asserentes sacrosanctam Romanam Ecclesiam in beato Petro Apostolorum principe consecratam, quasi magistram & matrem ceteris præminere. Hic enim cùm interroganti Domino quem homines esse dicerent filium hominis, aliis referentibus opiniones aliorum, ipse velut inter ceteros primus eum esse Christum Dei vivi filium respondisset, audire promeruit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* & post pauca: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Nam licèt primum & præcipuum Ecclesiæ fundamentum sit unigenitus Dei filius Iesus Christus, juxta quod dicit Apostolus, *quia fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus*; secundum tamen & secundarium Ecclesiæ fundamentum est Petrus, etsi non tempore primus, auctoritate tamen præcipuus inter ceteros, de quibus Paulus Apostolus inquit: *Iam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum*; quos & fundamenta esse in montibus sanctis David Propheta testatur. Hujus etiam primatum Veritas per se ipsam expressit, cùm inquit ad eum: *Tu vocaberis Cephas.* quod etsi Petrus interpretetur, caput tamen exponitur; ut sicut caput inter cetera membra corporis, velut in quo viget plenitudo sensuum, obtinet principatum, sic & Petrus inter Apostolos, & successores ipsius inter universos Ecclesiarum Prælatos, prærogativa præcellerent dignitatis; vocatis sic ceteris in partem solicitudinis, ut nihil eis de potestatis plenitudine deperiret. Huic Dominus oves suas pascendas vocabulo tertiò repetito commisit; ut alienus à grege dominico censeatur qui eum etiam in successoribus suis noluerit habere pastorem. Non enim inter has & illas oves distinxit, sed simpliciter inquit, *Pasce oves meas*, ut omnes omnino intelligantur ei esse commissæ. Iacobus enim frater Domini, qui videbatur esse columna, Hierosolymitana sola contentus, ut ibi semen fratris premortui suscitaret ubi fuerat crucifixus, Petro non solùm universam Ecclesiam sed totum reliquit seculum gubernandum. Quod ex eo etiam evidenter apparet, quia cùm Dominus apparuisset in littore discipulis navigantibus, sciens Petrus quòd Dominus esset, se misit in mare, ac aliis navigio venientibus, ipse sine beneficio navis ad Dominum festinavit. Cùm enim mare mundum designet, juxta verbum Psalmistæ dicentis, *Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus*: per hoc quòd Petrus se misit in mare, privi-

privilegium expressit pontificij singularis, per quod universum orbem susceperat gubernandum; ceteris Apostolis ut vehiculo navis contentis, cùm nulli eorum universus fuerit urbis commissus, sed singulis singulæ provinciæ vel Ecclesiæ potiùs deputatæ. Iterum etiam ut se unicum Christi Vicarium designaret, ad Dominum super aquas maris mirabiliter ambulantem & ipse super aquas maris mirabiliter ambulavit. Nam cùm aquæ multæ sint populi multi, congregationesque aquarum sint maria; per hoc quòd Petrus super aquas maris incessit, super universos populos se potestatem accepisse monstravit. Pro eo Dominus se orasse fatetur, inquiens in articulo passionis: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*: ex hoc innuens manifestè quòd successores ipsius à fide catholica nullo unquam tempore deviarent, sed revocarent magis alios, & confirmarent etiam hæsitantes; per hoc sic ei confirmandi alios potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi. Quod & tunc Petrus agere cœpit, quando quibusdam ex discipulis abeuntibus retro, & *Durus est hic sermo* dicentibus, cùm dixisset Iesus ad duodecim, *Numquid & vos vultis abire?* solus ipse respondit pro cęteris: *Domine, verba vitæ æternæ habes, & ad quem ibimus?* Huic præterea dictum in evangelio & audisti sæpius & legisti: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quod si omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributam esse cognosces ligandi & solvendi à Domino facultatem; ut quod non alij sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato à Domino & concessa plenitudine potestatis. Ad quod nimirum videtur illud non incongruè pertinere, quòd ipse solus legitur interrogasse Iesum: *Si peccaverit in me frater meus, dimittam ei usque septies?* Et ei soli Iesus legitur respondisse: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagesies septies.* Quia profectò septenarius universitatis est numerus, eò quòd omne tempus septenario dierum numero noscitur comprehendi. Septenarius ergo numerus in se ipsum multiplicatus, in hoc loco significat universorum universa peccata; quia solus Petrus potest non solùm omnia, sed omnium crimina relaxare. Demum post passionem suam Dominus Petro dixisse legitur: *Tu me sequere.* quod utique non tam de sequela perferendæ passionis quàm creditæ dispensationis debet intelligi, cùm & Andreas & quidam alij præter Petrum sicut Dominus fuerint crucifixi; sed solum Petrum sustinuit sibi Dominus & in officio vicarium, & in magisterio successorem. Vnde post ascensionem Domini Petrus, velut successor ipsius, regere cœpit Ecclesiam, ad complendum duodenarium discipulorum numerum loco Iudæ prævaricatoris ex verbis Prophetæ alium instituens & faciens subrogari, & recepto Paracleto, discipulos non musto repletos, sed Spiritus sancti gratia illustratos, ex verbis Ioëlis apertiùs comprobavit. Hic pœnitentiam agere jussit, & baptizari credentes. Hic inter discipulos curando claudum, primus fuit miraculum operatus; & in Ananiam & Saphiram uxorem ipsius, tanquam primus & præcipuus inter eos, quia mentiti fuerant Spiritui sancto, mortis sententiam promulgavit. Hic simoniacæ pestis radicem contra primitivam Ecclesiam pullulantem apostolica falce succidit, solus in Simonem magum sententiam damnationis promulgans, licèt non ei soli sed omnibus communiter pecuniam obtulisset. Ipse præterea, cùm in eum mentis cecidisset excessus, vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis in terram de cœlo submitti, quod omnia quadrupedia & serpentia terræ ac cœli volatilia continebat. Et cùm facta esset vox dicens ad eum, *Surge, Petre, macta, & manduca*, respondit: *Absit, Domine, quia nunquam immunda & communia manducavi.* Et vox ad eum est facta secundò: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Per quod innuitur manifestè quòd Petrus prælatus fuerit populis universis, cùm vas illud orbem, & universitas contentorum in eo universas significet tam Iudæorum quàm gentium nationes. Qui licèt postmodum ex revelatione divina ab Antiochia fuerit translatus ad Vrbem, non tamen concessum sibi primatum deseruit, sed secum potiùs cathedræ transtulit principatum, cùm Dominus eum nullatenus minorare voluerit quem Romæ præviderat martyrio coronandum.

Sanè cùm ipſe poſtmodum (immo Dominus potiùs, qui ſe in eo pati aſſeruit: *Venio*, inquit ad eum, *Romam iterum crucifigi*) Romanam Eccleſiam ſuo ſanguine conſecraſſet, primatum cathedræ ſucceſſori reliquit, totam in eo transferens plenitudinem poteſtatis. Pro patre ſiquidem nati ſunt ei filij, quos Dominus principes ſuper omnem terram conſtituit. Sanè cum per navim Petri Eccleſia figuretur, tunc Petrus juxta præceptum dominicum navim duxit in altum, laxans prædicationis retia in capturam, cùm ibi poſuit Eccleſiæ principatum ubi vigebat ſecularis potentiæ altitudo & imperialis monarchia reſidebat, cui ferè ſingulæ nationes, ſicut flumina mari, tributa ſolvebant certis temporibus conſtituta. Ipſe quidem primus Iudæos, ipſe quoque primus gentiles poſt aſcenſionem Chriſti convertit ad fidem, ut ſuper utroſque fideles ſe primatum accepiſſe monſtraret, cùm ipſo die Pentecoſtes ad verbum exhortationis ipſius circiter tria millia Iudæorum baptiſmi receperint ſacramentum, ac deinde Cornelium Centurionem & ſuos quaſi primitias gentium ad revelationem angelicam baptizarit. Cùm autem inter Apoſtolos ad conſultationem credentium magna fieret conquiſitio utrum oporteret circumcidi fideles & legem Moſaicam obſervari, Petrus * principali fretus auctoritate reſpondit: *Quid tentatis Deum, impenere jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque patres noſtri neque nos portare potuimus?* Cujus ſententiam ſubſecutus, apoſtolicum ſuper ipſa quæſtione decretum Iacobus promulgavit. Paulus etiam poſtquam abiit in Arabiam, & iterum rediit in Damaſcum, deinde poſt tres annos venit Hieroſolymam, ut Petrum videret, cum eo evangelium quod in gentibus prædicaverat collaturus, ne fortè in vacuum curreret aut etiam cucurriſſet, cùm etiam ſingularis apoſtolatus privilegium recognoſcens, antonomaſticè ſcribit de illo: *Qui operatus eſt Petro in apoſtolatum, operatus eſt & mihi inter gentes.* Vt autem quem Dominus ceteris præfecit privilegio dignitatis, præ ceteris quoque virtutis privilegio decoraret, tantam ei contulit poteſtatem, quòd ad umbram ejus ſanabantur infirmi; ut in eo intelligatur eſſe completum quod Dominus dixerat: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Hæc autem non iccirco præmiſimus ut nos, qui ei, licèt indigni, ſucceſſimus in apoſtolatus officio, extra nos ambulare velimus in magnis, aut ſuper nos in mirabilibus exaltare, cùm à Domino dictum eſſe noverimus: *Omnis qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat, humiliabitur.* Vnde cùm inter diſcipulos ejus quæſtio de majoritate fuiſſet exorta, reſpondit: *Qui major eſt inter vos, erit omnium ſervus; & qui præceſſor, tanquam miniſtrator:* ſe ipſum in exemplo proponens, *quia filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Propter quod & ipſe Petrus aiebat: *Non quaſi dominantes in clero, ſed forma gregi facti ex animo.* Nam & alia dicit ſcriptura: *Quanto major es, humilia te in omnibus.* Et iterum: *Principem te conſtituêre; noli extolli; eſto in illis quaſi unus ex illis. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

* Apud Aug. Auguſt. primaria

Sed quia per hæc & alia, ſicut credimus, quæ tua non debet fraternitas ignorare, apoſtolicæ ſedis magiſterium recognoſcens, eam ſuper quibuſdam dubitationum articulis conſulere decreviſti; quod utique gratum gerimus & acceptum, & tuam exinde prudentiam commendamus; non quòd exiſtimemus nos quaſi ſufficientes ex nobis, ſed noſtra ſufficientia eſt ex Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, qui linguas infantium facit diſertas, & aperit ora mutorum. Quæſiviſti etenim dubitans, & addiſcere volens, qua ratione Romanam Eccleſiam unam & univerſalem in noſtris litteris vocaverimus, velut in quaſdam ſpecies ſpecialiſſimas jam diviſam; cùm & unus ſit paſtor, & unum ovile; licèt ſub uno paſtorum principe Chriſto plures ſint conſtituti paſtores. Nos autem inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd Eccleſia duabus de cauſſis univerſalis vocatur. Intelligentia namque dictorum, ex cauſſis eſt aſſumenda dicendi; cùm non res ſermoni, ſed rei ſit ſermo ſubjectus. Dicitur enim univerſalis Eccleſia quæ de univerſis conſtat Eccleſiis, quæ Græco vocabulo catholica nominatur. Et ſecundùm hanc acceptionem vocabuli, Eccleſia Romana non eſt univerſalis Eccleſia, ſed pars univerſalis Eccleſiæ, prima videlicet & præcipua, veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo poteſtatis exiſtit, ad ceteros autem pars aliqua plenitudi-

nis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una quæ sub se continet Ecclesias universas. Et secundùm hanc nominis rationem Romana tantùm Ecclesia universalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis privilegio dignitatis ceteris est prælata; sicut & Deus universalis Dominus appellatur, non quasi jam divisus in species specialissimas, aut etiam subalternas, sed quoniam universa sub ejus dominio continentur. Est enim una generalis Ecclesia, de qua Veritas inquit ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et sunt multæ particulares Ecclesiæ, de quibus Apostolus ait: *Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.* Ex omnibus una consistit, tanquam ex particularibus generalis; & una præeminet omnibus, quoniam cùm unum sit corpus Ecclesiæ, de quo dicit Apostolus, *Omnes unum corpus sumus in Christo*, illa, velut caput, ceteris membris excellit.

Quæsivisti etiam, & te asseruisti non modicùm dubitare, cupiens addiscere causam, quam acceptabis sine contradictione rationem habentem, cùm David de Hierusalem dicat in psalmis matutinis, *Sion dicet, Homo & homo factus est in ea*, utpote in qua Christus dignatus est conversari, prædicare pariter & docere, ac nostram operari salutem, in ea nostræ ponens fidei fundamenta, propter quod mater debet meritò nuncupari, cùm ex ea doctrina processerit salutaris, cur mater omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana dicatur, quæ ab Hierosolymitana Ecclesia orthodoxæ fidei sacramenta recepit, cùm Apostolus etiam inquiens se usque ad Illyricum evangelium prædicasse, quòd quasi à Hierusalem inceperit evidenter ostendat. Licèt autem ex præmissis intelligatur & huic inquisitioni responsum, cùm Ecclesia Romana mater dicatur, non ratione temporis, sed ratione potiùs dignitatis; (Nam etsi secundùm Iohannem Andreas priùs venerit ad fidem quàm Petrus, prælatus est tamen Petrus Andreæ, cùm & in Apostolorum catalogo semper primus quasi præcipuus præmittatur; non quòd Petrus sit prior tempore, sed potior dignitate) ad omnem tamen dubietatem tollendam tua fraternitas debet distinguere secundùm diversas nominis rationes inter Romanam & Hierosolymitanam Ecclesias, quòd illa dicenda sit mater fidei, quoniam ab ea sacramenta fidei processerunt; ista verò dicenda sit mater fidelium, quoniam privilegio dignitatis universis fidelibus est prælata. Sicut enim synagoga dicitur mater Ecclesiæ, quoniam & ipsa præcessit Ecclesiam, & Ecclesia processit ab ipsa; (juxta quod eadem dicit in canticis: *Filij matris meæ pugnavere adversum me: rursumque paululum cùm pertransissem, inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ*) nihilominus tamen Ecclesia mater est generalis, quæ novo semper fœtu fœcunda concipit, parit, & nutrit; concipit cathezizando quos instruit; parit baptizando quos abluit; nutrit communicando quos reficit. De qua Propheta dicit in psalmo: *Habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.* Et alius item Propheta: *Leva*, inquit, *in circuitu oculos tuos, & vide omnes isti congregati sunt, venere tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere consurgent.*

Vide Avitum epist. 23.

Gaudemus autem non modicùm, & utinam in te ac super te nostrum gaudium impleatur, quòd apostolatus nostri solicitudinem super unione Latinorum & Græcorum Ecclesiæ commendasti, pro divino zelo & ignito proposito quæ nos expressisti habere in tuarum serie litterarum: super qua etiam imperialis nobis celsitudo rescripsit, quòd (ut verbis ejus utamur) nostræ sanctitatis est secundùm præcedentes synodales operationes pro requisitis dogmatibus synodalem conventionem fieri dispensare, & nostra sic sanctitate faciente, sanctissima quæ apud vos est Ecclesia non ad conventum tardabit. Licèt autem, sicut ex prædictis apparet, Ecclesia Romana non tam constitutione synodica quàm divina caput & mater omnium Ecclesiarum existat, & ideo nec pro disparitate rituum nec dogmatum diversitate differre debueris quin nobis, sicut tuo capiti, secundùm antiquum & canonicum statum benigniùs & devotiùs obedires, cùm certa non sint pro dubiis relinquenda, nos tamen pro multis necessitatibus ecclesiasticis disposuimus, auctore Domino, generale convocare Concilium & synodalem celebrare conventum: ad quem si vocatus à nobis juxta ipsius Imperatoris promissionem occurreris, cùm hæc sint dogmata quæ nostris litteris requisivimus, ut scilicet membrum ad

Epistola illa Imperatoris edita est in hoc libro statim post istam.

Ex Decreto Papæ Gelasij de libris Canonicis. Vide Karolum M. in lib. 1. de non ador. imagin. cap. 6.

caput & ad matrem filia revertatur, Ecclesiæ Romanæ reverentiam & obedientiam debitam impensurus, te sicut fratrem carissimum & præcipuum membrum Ecclesiæ benignè ac hilariter admittemus; de ceteris auctoritate sedis apostolicæ ac sacri approbatione Concilij cum tuo & aliorum fratrum nostrorum consilio quæ statuenda fuerint statuentes. Alioquin cùm scandalum Ecclesiæ non debeamus ulteriùs sustinere, qui de area Domini zizania debemus & paleas exsufflare, dissimulare non poterimus quin in ipso Concilio, si desuper datum fuerit, in hoc negotio de fratrum nostrorum consilio procedamus. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino, & per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus per te, vel si fortè justa præpeditus occasione nequiveris, per procuratores idoneos, & aliquos de majoribus Ecclesiarum Prælatis, statuto tempore ad Concilium vocatus accedas, apostolicæ sedi reverentiam & obedientiam secundùm statum canonum præstiturus; ne si secus actum fuerit, quod non credimus, tam in Imperatorem ipsum, qui potest, si voluerit, efficere quod mandamus, quàm in te & Græcorum Ecclesiam procedere compellamur. Super ceteris autem dilectum filium I. Capellanum & familiarem nostrum, apostolicæ sedis Legatum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris obtentu suæ religionis & honestatis acceptum, ad imperialem excellentiam duximus destinandum, monentes & exhortantes attentiùs quatenus eum sicut Legatum apostolicæ sedis benignè recipias & honores, & ea sine dubitatione qualibet credas quæ tibi ex parte nostra duxerit proponenda. Datum Laterani II. Idus Novembris.

ALEXII IMPERATORIS CP. epistola ad Papam.

Epist. 110. De reverentia & officio suo erga Romanam Ecclesiam, ac de recuperanda terra sancta.

Alexius in Christo Deo fidelis Imperator divinitus coronatus, sublimis, potens, excelsus, semper augustus, moderator Romanorum Comnenus, Innocentio sanctissimo Papæ Romano honorem condecentem, ut patri spirituali, & votum orationum ejus. Per prudentissimos Legatos tuæ sanctitatis Albertum Subdiaconum & Notarium Albertinum meo directum imperio tuæ sanctitatis scriptum oblatum fuit atque perlectum. Et quod quidem de imperij mei coram Deo humilitate ac exaltatione ex humilitate procedenti per tale scriptum paternè meum monuisti imperium; & acceptavit nostra majestas, & in Deo confidit quòd & ipsa in sua gloriabitur humilitate, quia & ipsa directa fuit, & ex nunc dirigi sperat atque orat. Nec enim nostra tranquillitas Prophetæ David verbis credere non potest, *Nunc quidem humiliatus sum, & salvavit me*, ad Deum dicentis, nunc autem cor contritum & humiliatum non despicere Deum. Nec etiam inefficaciter nostra serenitas parabolam evangelij de humilitate auscultavit. Descensionem enim Domini & salvatoris nostri Iesu Christi à cœlis, & usque ad ipsum infernum, ubi nostra ponet sublimitas. Propter hæc igitur omnia quàm valde imperium nostrum humiliter sapere amplectitur, & in ipsius humilitate Deum ejus non recordari nullo modo credit. Quoniam verò de humiliter sapere in tuæ sanctitatis admonitionis verbo & quædam scintilla passionis humilitati contraria sublatebat, hoc quidem alius fortè non immolestum sentiret. Quid enim quòd sanctitas tua voluit tam docendo quàm & increpando nostræ induci magnificentiæ, ut nec à se ipsa nec etiam à divinis & nostris scripturis bonum intelligere vel addiscere valenti, neque zelum pro dominico sepulchro, & ex proprio suo corde æstuanrem portanti pro misericordia quam circa Christianos habet accensum & exarsum, & ut flamma materiem combustibilem ipsam cremantem, & ut vermis ejus ossa corrodentem. Propter quæ & secundùm perfectum Prophetam Oziam dicere est: *Et consolatio abscondita est ab oculis meis.* Igitur etsi alij talia tuæ sanctitatis verba non intranquilla placuere, tamen imperio meo & hæc firma & amabilia ad unum & solum respicienti quod Deo placitum, & tuam mentem conijcienti, quoniàm non ex elata sapere, sed ex cura, quam pro dominico habet sepulchro, talia scribere induxit. Nam & ipsum imperium meum tali zelo fervens his similia, quæ magni Pauli non diffidit, & ipsum & anathema quidem à Christo esse pro fratribus meis Christianis non orat. Veruntamen propriam suam libertatem dominici sepulchri liberationi libenter supponeret, & non solùm imperiali alti-

tudini, & maximarum diviriarum potentiæ, multorúmque hominum potestati, qualia & quanta nulli hodie superstitum Principum subjacent, sed & ipsi propriæ vitæ pro liberatione dominici sepulchri de manu impiorum præjudicaret. Sed quoniam non in multitudine exercitus nec in divitiarum gravedine meum confidit imperium, sed divitias, voluntates, & dispensationes imitari apud se judicavit, judicia verò Dei, ut ex visis & operatis conjici potest, Deum nondum nostris peccatis placatum esse demonstrant, nec nostra despexisse delicta, propter quæ & saltare in sanctis illis locis Agarenis permisit, & per longum jam tempus & usque nunc à prophanis & immundis pedibus conculcari sancta illa sustinet, ut videatur nunc à Deo perfici quæ de Hierusalem dicta sunt per Zachariam: *Ponam Hierusalem lapidem conculcatum in omnibus gentibus. Omnis eam conculcans, illudens, illudetur: & congregabuntur in ea omnes gentes terræ, & percutiam omnem equum in stupore, & omnem ascensorem eius in desipientia: super domum autem Iudæ aperiam oculos meos, & omnes equos populorum percutiam in cæcitate.* Ob hæc & multùm promptum imperium meum seipsum coërcet, & impetens cohibet. Timet enim ne sic ante tempus faciens, & tali operæ secundùm suum desiderium se apponens, verba Oziæ ut à Deo loquentis audiat: *Sibi regnaverunt, & non per me dominati sunt, nec etiam me cognoverunt.* Diligenter enim meum credit imperium quòd secundùm Deum nobis ambulantibus, & quæ Christi sunt, pro beneplacito Christi ulcisci festinantibus, non solùm millenariis exercitus multitudinibus indigebimus, nec etiam inevacuabilium thesaurorum evacuatione, sed parva pars exercitus est, & modica pecunia citò totum perficere poterit. Hoc ex Ezechiele Regis Hierusalem me docet lachrima centum octoginta millia Assyriorum cum Duce Rampsaki Hierusalem obsidentium una nocte per evangelicam virtutem interficiens, & Rampsaki ad Deum blasphemiam, nec non & Senacheri eum mittentis elationem in luctum convertens. Hoc & trecenti sub Gedeon proni bibentes, & sub unius lampadis solius lumine omnia millia alienigenarum convertentes. Sanctissimi etiam Moysi manus ad Deum elevatas, & à duobus sacerdotibus sustentatas, & Amalec vertentes, & septem sacerdotum Iesu Nave tubas sono tantùm muros Ierico subvertentes, meum omittit imperium; ne & contra hodie tam sacerdotes quàm & milites currere videantur, talia nostris peccatis exigentibus miracula non operari valentes. Quod enim non secundùm Deum nobis cogitationes, quæ pro Deo sunt; sed oribus consentientes, cordibus dissentimus, & labiis osculantes, animo ad invicem dividi volumus, ob hoc non prosperi nobis pro dominico gressus sepulchro. Non enim tua ignorat sanctitas quantam subversionem quantámque occisionem nobilissimus quidem Rex Alemaniæ Federicus imperij mei superinduxit regionibus, sacramentis rigidissimis se alligans, pacificè & sine pugna terras imperij mei pertransire jurans, & sic imperium meum sine aliquo impedimento intrans, & omne in eo pessimum operans, & Christianos ut impios expugnavit; & hinc, & à via qua ipse proposuerat ire exclusus, & insperatè fluvio & vetularum vado submersus est. Quomodo igitur imperium meum sic non bene circa Romaniam sentientibus adjuvare debebat, & cum ejus via ambulare; tamen quamvis sic mala meo imperio illi retribuere, tamen imperium meum eis mala retribuere noluit, integram, quam ad dominicum sepulchrum habet, reverentiam sibi reservans. Omnium enim necessariorum allationem ipsis ex regionibus imperij mei, & per se ipsos eis acquirere permisit, & ipsum eis administravit, & nunquam eis defecit, necessariorum copia circa inimicos crucis hos armans. Non igitur inculpabilem tua causetur sanctitas, sed contra illos suam vertat increpationem qui pro Christo quasi laborare ostendentes, contraria divinis operantur voluntatibus. Quare igitur pro dominico sepulchro ad bellum meum usque nunc distulit imperium, sufficienter hæc tuæ sanctitati respondit imperium. Det autem Deus per tuas sanctas orationes nostræ potentiæ tranquillitati, secundùm imperij mei cor, finem pro dominico sepulcro conatui apponi tempore congruo. De unione autem Ecclesiarum non longam. responsionem tuæ sanctitatis discretioni facit, quia levissima est unio, prout meo videtur imperio, si humanis voluntatibus ex nobis deficientibus, voluntas Dei tantùm in nobis est

mediatrix. Nam Ecclesia, quæ universalis una est, & non est divisa, sub uno pastore pro nobis suum sanguinem effundenti Christo ordinata, quamvis ab aliis & aliis quæ per partes sunt Ecclesiæ dispensentur & agantur, quibus secundùm voluntates & scientias eas agentium & fides confirmatur vel movetur, & hodierni Ecclesiarum throni & honores à mundanis Principibus, & non aliunde, ipsis advenere. Si igitur Ecclesiarum Prælati omnem carnalem prudentiam suam expulerint, soli autem sancto Spiritui perscrutationem exquisitorum dogmatum imposuerint, impossibile est de facili solutionem dubiorum non persequi, & distantia pervenire ad unionem, & ad pacem litigantia. Si verò propria sua voluntate fuerint separati, operatio contrarij spiritus patenter, & inconjungibile discissis & immixtibile divisis sequetur. Quemadmodum enim solis radij omnibus omnes æqualiter effunduntur, si verò quis sub tecto quodam corpore abscondatur, huic & sole bene lucente non splendens nec lucens erit dies; sic purè & sine passione intellectus, quæ Dei sunt requirentibus, veritatis lumen à sancto Spiritu lucet, & orthodoxæ fidei lumen ipsos illuminat; non spiritualiter autem spiritualia requirentibus, veritatis inventio fit incomprehensibilis. Non enim complectuntur incomplexibilia, nec miscentur incommixtibilia. Tuæ igitur sanctitatis est secundùm præcedentes synodales operationes pro requisitis dogmatibus synodalem conventionem fieri dispensare, & tua sic sanctitate faciente, sanctissima quæ apud nos est Ecclesia, non ad conventum tardabit. Et hoc quod de negotiis in scripto tuæ sanctitatis meo imperio directo declaratis. De secretioribus autem à prædictis Legatis meo imperio dictis secretiùs responderi tuæ sanctitati præceptum est præsenti homini imperij mei Venetico Iohanni Georgio, cui & tua credat sanctitas in omnibus quæ ipse dixerit ei, ut ex parte imperij mei. Noscat etiam tua sanctitas quoniam quàm magnè delectatum est imperium meum in tuæ sanctitatis prudentissimorum Legatorum prudentia, quàmplurimum etiam & eorum sapientiam & pro tuæ sanctitatis honore certamen acceptavit simul atque laudavit. Sciat autem tua sanctitas quoniam, prout & sui Legati diligenter noverunt, * quòd & homines de melioribus suæ curiæ debeat mittere, & cum ipsa sentire amicabiliter. Ob viæ autem difficultatem ac infidelitatem non potuit sic facere, & ob hoc præsentem item hominem suum Veneticum Iohannem Georgium ad te transmisit fidelem existentem, & ipsum imperio meo anulo & solo per hunc amicabiliter sentiens tecum. Det autem Deus secundùm intentionem imperij mei cum tua sanctitate sentire amicabiliter. Mense Februarij, die, Indictione secunda.

* *Heic desunt nonnulla.*

ALEXIO ILLVSTRI Constantinopolitano Imperatori.

Epist. 211. Responder epistolæ superiori. *Edita est in Gestis Innocentij III.*

MVltæ nobis attulit exultationis affectum quòd, sicut ex litteris excellentiæ imperialis acccpimus, Legatos & litteras nostras recepit humiliter imperatoria celsitudo, & ad ea quæ super Ecclesiæ unitate nos scripsisse meminimus, etsi non omnino sufficienter & evidenter, benignè tamen & devotè respondit, & exhortationes & commonitiones nostras suum rescripsit imperium acceptasse. Is enim à quo secundùm Apostolum est omnis potestas, scrutator scilicet renum & cordium Iesus Christus, qui habet cor Principum in manu sua, qui aperit & nemo claudit, aures tuæ serenitatis aperuit, & eum tibi devotionis spiritum inspiravit, ut quæ per nos licèt insufficientes Vicarios suos, & immeritos Apostolorum principis successores, imperiali magnificentiæ litteris fuerant exarata, & audires humiliter, & benigniùs acceptares; licèt super subventione terræ orientali hactenus non impensa magnificentiam tuam nos credideris increpasse, cùm tamen id non increpando scripserimus, sed potiùs commonendo; quamvis increpationis alloquium à pontificali non sit officio alienum, juxta quod Paulus ad Timotheum scribens aiebat: *Prædica verbum, insta importunè, opportunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Miramur autem quòd imperialis prudentia pro recuperatione terræ sanctæ nondum esse laborandum visa est suis litteris innuisse: quia, sicut ex detentione ipsius terræ poterat evidenter agnosci, nondum Dominus peccatis nostris fuerat complacatus, qui non in multitudine, nec in arcu, sed in virtute sua salvos facit de sua misericordia confidentes.

Times enim, ficut tuæ litteræ continebant, ne fi tempus à Deo ejufdem terræ liberationi prævifum, imperialis ferenitas voluerit prævenire, fe fruftra laboraffe deploret, & increpetur à Domino per Prophetam dicentem: *Sibi regnaverunt, & non per me: dominati funt, nec me noverunt.* Verùm, ut non tam ad reprehenfionem quàm inftructionem loquamur, fi diligenter confideres & infpicias veritatem, longè aliter intelliges fentiendum. Bonorum enim omnium dator, qui reddet unicuique fecundùm opera fua, cui fervitia coacta non placent, liberum homini conceffit arbitrium, ut fuper his in quibus humanum poffet invenire remedium, Dominum non tentaret. Scriptum eft enim: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Eft igitur in tanta neceffitate populi Chriftiani vel potiùs Iefu Chrifti tam tibi quàm univerfis facri baptifmatis unda renatis libero utendum arbitrio, & fubveniendum exuli crucifixo; ne fi redemptionis ejufdem terræ tempus ignotum hominibus expectare volueris, & nihil agere per te ipfum, fed univerfa relinquere difpofitioni divinæ, fepulchrum dominicum à Sarracenorum manibus præter tuæ fubventionis auxilium liberetur, & inde per negligentiam imperialis magnificentia divinam incurrat offenfam, unde per folicitudinem fuam gratiam Domini poterat promereri. Numquid enim fenfum Domini cognovifti? Numquid confiliarius ejus es, ut certus de difpofitione divina, tunc primùm arma moveas in paganos, & ad liberationem Hierofolymitanæ provinciæ accingaris, cùm Dominus mifereri difpofuerit populi Chriftiani, & hereditatem fuam de Sarracenorum manibus liberare? Nonne legifti de altitudine divitiarum fapientiæ & fcientiæ Dei, quàm incomprehenfibilia funt judicia ejus, & inveftigabiles viæ ejus? Sanè fi divinæ mentis arcana præfcires, & liberationem fepulchri dominici occultæ revelationis oculo prævideres, numquid tibi meritorium effet tunc primùm in terræ fanctæ fubfidium proficifci, quafi velles Dominum in fuæ difpofitionis executione juvare, quæ per te nec impediri poffet, nec etiam prorogari? Qui hoc fentiunt, dicere compellentur defipuiffe Prophetas, qui eos pœnitentiam agere prædicabant, quorum peccatum ex eorum contemptu Deus prçviderat aggravandum. Vt cùm Moifes juffus à Deo monuerit Pharaonem ut dimitteret populum, induratum fic tamen cor ejus, ut populum dimittere nollet, eft flagellatus; non erit etiam, fecundùm opinionem talium, vel defiftendum à vitiis, vel virtutibus infiftendum, fed ftandum potiùs difpofitioni divinæ, quæ damnandos prævidit fingulos aut falvandos. Legit, ficut credimus, imperialis excellentia, vel audivit, quòd propter peccatum Ifraëlitici populi, quadraginta dies, quibus debuerat terram repromiffam intrare, in annos totidem Dominus commutavit, & è contrario ad contritionem & lacbrymas Ezechiæ, vitam ejus in ter quinos annos extendit. Ex quo poteft plenè perpendi quòd & tempus poffit perfecutionis Sarracenicæ breviare qui in Evangelio de Antichrifti perfecutione locutus adjecit: *Nifi breviati fuiffent dies illius, falva non fuiffet omnis caro.* Præterea inter ceteras arcanas & infcrutabiles cauffas invafionis & detentionis terræ orientalis, hanc etiam Dominus fua forfan miferatione prævidit, ut multi relictis parentibus & amicis, immo etiam omnibus quæ habebant, Chriftum affumpto falutiferæ crucis figno fequentes, in defenfione terræ ipfius martyrio coronentur, & inde triumphans Ecclefia lætetur & augeatur in cœlis unde militans dolere ac minorari videtur in terris. Nolumus autem in hujufmodi rebus ampliùs immorari, cùm rectè attendentibus & infpicientibus diligenter veritas pateat per fe ipfam. Imperialis autem celfitudinis erit fic de cetero Chrifto exuli fubvenire, ut & obloquentium detractionem evitet, & in ultimæ difcuffionis examine illud evangelicum contra fe audire non poffit: *Hofpes fui, & non collegiftis me: infirmus, & in carcere, & non venistis ad me.* Gaudemus autem quòd fuper Ecclefiæ unione, pro qua imperatoriæ magnificentiæ fpecialiter litteras noftras direximus & Legatos, ficut ex litteris tuis accepimus, promptum videris habere affectum, & ad confummandũ quod fcripfimus intendere diligenter. Refcripfifti enim per litteras tuas (ut tuis verbis utamur) quòd noftræ fanctitatis eft fecundùm præcedentes fynodales operationes pro requifitis dogmatibus fynodalem conventionem fieri difpenfare, & noftra fic fanctitate faciente, fanctiffima, quæ apud vos

est, Ecclesia non ad conventum tardabit. Licèt autem apostolica sedes non tam constitutione synodica quàm divina caput & mater omnium Ecclesiarum existat, (sicut ex tenore litterarum quas venerabili fratri nostro Patriarchæ Constantinopolitano dirigimus, & quarum tibi destinamus exemplar, celsitudini tuæ pleniùs poterit apparere) ideóque Patriarcha prædictus nec pro disparitate rituum nec dogmatum diversitate differre debuerit quin nobis, sicut suo capiti, secundùm antiquum & canonicum statum benigniùs & devotiùs obediret, cùm certa non sint pro dubiis relinquenda; nos tamen pro multis necessitatibus ecclesiasticis disposuimus auctore Domino generale convocare Concilium & synodalem celebrare conventum: ad quem si vocatus à nobis juxta tuam promissionem occurrerit, cùm hæc sint dogmata quæ nostris litteris requisivimus, ut scilicet membrum ad caput & ad matrem filia revertatur, Ecclesiæ Romanæ reverentiam & obedientiam debitam impensurus, eum sicut fratrem carissimum & præcipuum membrum Ecclesiæ benignè ac hilariter admittemus, de ceteris auctoritate sedis apostolicæ ac sacri approbatione Concilij cum suo & aliorum fratrum nostrorum consilio quæ statuenda fuerint statuentes. Alioquin, cùm scandalum Ecclesiæ non debeamus ulteriùs sustinere, qui de area Domini zizania debemus & paleas exsufflare, dissimulare non poterimus quin in ipso Concilio, si desuper datum fuerit, in hoc negotio de fratrum nostrorum consilio procedamus. Monemus igitur magnificentiam tuam & exhortamur attentiùs, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus sic efficias, ut idem Patriarcha per se, vel si fortè justa præpeditus occasione nequiverit, per procuratores idoneos & aliquos de majoribus Ecclesiarum Prælatis statuto tempore ad Concilium vocatus accedat, apostolicæ sedi obedientiam & reverentiam secundùm statum canonicum præstiturus; ne si secus actum fuerit, quod non credimus, tam in re, qui potes, si volueris, efficere quod mandamus, quàm in eum & Ecclesiam Græcorum procedere compellamur. Super ceteris autem dilectum filium I. Capellanum & familiarem nostrum, apostolicæ sedis Legatum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris obtentu suæ religionis & honestatis acceptum, ac tuæ serenitati devotum, ad imperialem excellentiam duximus destinandum; monentes & exhortantes attentiùs quatenus eum sicut Legatum apostolicæ sedis benignè recipias & honores, & ea sine dubitatione qualibet credas quæ tibi ex parte nostra duxerit proponenda; sciturus pro certo quòd si nostris volueris consiliis acquiescere, gravi tempestate sedata, grata tibi poterit tranquillitas provenire. Datum Laterani Idibus Novembris.

L. *VICARIO NOSTRO apud Constantinopolim.*

Epist. 212. Sacramentum Confirmationis administrari non potest nisi ab Episcopo. Cap. Quanto. De consuetudine.

QVanto de benignitate sedis apostolicæ locum obtines celsiorem, tanto tibi est solicitiùs procurandum ut te talem exhibeas in agendis, non declinans ad dexteram vel ad sinistram, quòd non minùs re quàm nomine vices apostolicas gerere videaris. Pervenit sanè ad audientiam nostram quòd quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea sacramenta præsumunt fidelibus exhibere quæ ab Apostolorum tempore rite fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre, ad excusandas excusationes in peccatis & sui erroris fomentum solam consuetudinem prætendentes, cùm diuturnitas temporis peccata non minuat, sed augmentet: quæ tanto graviora existunt, quanto infelicem animam diutiùs detinent alligatam. Volentes igitur hæc & alia, quæ oculos divinæ majestatis offendunt, de agro dominico extirpari, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districtè prohibeas ne talia de cetero sua temeritate præsumant, quæ licèt non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere, quàm ut ab his quibus ea conferre non licet ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine gravi periculo inaniter conferantur; cùm umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu. Alios quoque subjectos tuos & ab illicitis revocare satagas & ad facienda bona verbo & exemplo pariter invitare: quibus quales pro

te

te litteras destinemus, ex rescripti nostri serie perpendere poteris evidenter. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris.

OMNIBVS LATINIS tam Clericis quàm laicis apud Constantinopolim constitutis.

Epist. 213. Vt Legato apostolico obtemperent.

OVàm magnum sit bonum obedientiæ, quantùmque ab omnibus fidelibus appetendum, ex contrario ejus evidenter apparet, cùm teste Propheta peccatum ariolandi sit repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, sitque in illos graviter vindicatum qui schisma in populo facientes, inobedientes extitere suis superioribus & rebelles. Ad hujus autem virtutis eminentiam nullus attingere poterit subditorum, nisi Prælatis suis curaverit humiliter obedire. Sanè quoniam præsentiam suam non potest Romanus Pontifex omnibus exhibere, dilecto filio Magistro L. cujus virtutes & merita pleniùs cognovistis, vices suas apud Constantinopolim duxit sedes apostolica committendas, ut absens corpore, præsens spiritu, per ipsum, quem tanto deputavit oneri & honori, vos tanquam membra sibi capiti firmiter counirer. Vt igitur ei qui factus est Deo patri obediens usque ad mortem, per obedientiam placere possitis, monemus universitatem vestram & attentiùs exhortamur in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus pro reverentia beati Petri &c. nostra præfato Magistro unanimiter intendentes, salutaria ipsius monita & præcepta teneatis firmiter & servetis, scituri quòd nos illi concessimus, ut quia communis deposcit utilitas, non obstante rescripto, si quod à bonæ memoriæ C. Papa prædecessore nostro proponitur impetratum, ad eum, quoties necesse fuerit, liberè appelletur, & ipse caussas, super quibus ad eum fuerit appellatum, canonico fine decidat, enormes etiam & graves excessus per censuram ecclesiasticam corrigat & castiget. Circa quem, cùm sine vestra non posset injuria mendicare, in subsidiis etiam corporalibus conferendis, qui vobis spiritualia subministret, vos esse convenit liberales, ut de bonis vobis à Deo collatis eidem in vita & morte hilariter conferentes, orationum illius sitis participes qui vicarius noster existit, & per hæc & alia bona, quæ in terris Domino inspirante feceritis, ad æterna gaudia pervenire possitis. Datum Laterani XVI. Kalendas Decembris.

PRIORI ET FRATRIBVS sanctæ Crucis.

Epist. 214. Citantur ad audiendam sententiam inter ipsos & Episcopum Colimbriensem. Vide suprà lib. 1. epist. 222 & seqq.

PRo quæstionibus gravibus & diversis, quas venerabilis frater noster Colimbriensis Episcopus adversùs vos & quosdam alios religiosos habere dignoscitur, longo tempore jam elapso fuit apud Romanam Ecclesiam constitutus, sperans per censuram sedis apostolicæ finem litibus imponendum. Sed ecce desiderium ejus, facientibus vobis, in præsentiarum duci non potuit ad effectum, cùm in absentia partis alterius, quantumcunque nobis grave fuerit & molestum, ad diffinitivam sententiam non duxerimus procedendum. Quamvis autem tantam inobedientiam vestram gravi possemus animadversione punire; volentes tamen regia via semper incedere, non declinantes ad dextram vel sinistram, universitati vestræ in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus quatenus omni contradictione & appellatione cessante usque ad festum omnium sanctorum proximè futurum per vos ipsos, vel per sufficientes & idoneos responsales, ad nostram præsentiam accedatis, super privilegiis omnibus & libertatibus quæ à Romanis Pontificibus vel à Michaële quondam Colimbriensi Episcopo vos habere proponitis, & super aliis quæstionibus adversùm vos à Colimbriensi Ecclesia intentatis, diffinitivam sententiam recepturi. Et ut veritas faciliùs reveletur, authentica & originalia cum Bullis suis nobis sub præmissa districtione ad eundem terminum exhiberi præcipimus per eosdem. Interim autem vobis, sicut & alteri parti, licebit, si volueritis, alius ab his quæ fecistis hactenus allegare pariter & probare coram dilectis filiis....de Alcobatia &....de Seiza Abbatibus & Fer. Menandi monacho Alcobatiæ, sedis apostolicæ delegatis; quibus super hoc nostras litteras destinamus. Sanè præfixum vobis terminum peremptorium assignamus: ad quem si venire vel mittere, sicut præmissum est, contempseritis, nos nihilominus in caussa ipsa, quantum de jure poterimus, procedemus. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

Vide suprà, epist. 532.

DE ALCOBATIA...DE SEIZA Abbatibus, & F. Menandi monacho Alcobatiæ.

Epist. 115. De eodem argumento.

QVid scribamus Priori & fratribus sanctæ Crucis super controversiis gravibus & diversis quæ inter ipsos & Colimbriensem Ecclesiam agitantur, ex litteris apostolicis patentibus, eis directis, perpendere poteritis evidenter, quas per solicitudinem vestram ipsis omni contradictione & appellatione cessantibus exhiberi volumus & jubemus. Quamvis autem coram vobis, quibus examinationem negotij sub certa forma recolimus commisisse, testes utrinque producti fuerint & recepti; quia tamen de caussa non constitit nobis ad plenum, per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus receptis adhuc aliis testibus, si de ipsarum partium processerit voluntate, si quos super privilegiis, libertatibus, vel aliis articulis duxerint producendos, & usque ad diffinitivam sententiam, remoto appellationis obstaculo, procedentes, gesta omnia nobis sub sigillorum testimonio per vestrum fidelem nuntium transmittatis, ad festum omnium sanctorum proximè futurum diem peremptorium assignantes, quo recepturæ sententiam per se vel per procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent: ad quem si qua earum venire contempserit, nos nihilominus, quantum de jure poterimus, procedemus. Testes &c. per censuram ecclesiasticam cogantur. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut suprà VIII. Kal. Decembris.

ARCHIEPISCOPO MAGVNTINO, Episcopo Sabinensi.

Epist. 116. Vt ab injusto & illicito juramento Canonici Herbipolenses absolvantur.

OFficium creditæ nobis administrationis exposcit ut non solùm corrigamus ea quæ perperam fuerint attentata, verùm etiam illos qui contra ecclesiasticam honestatem & sanctorum patrum constitutiones temeritatem suam non metuunt exercere, ne impunitas nocentium pariat delinquentes, animadversione debita puniamus. Ad audientiam siquidem apostolatus nostri pervenit quòd C. quondam Hildemensis Episcopus cùm Herbipolensem Ecclesiam temerè occupasset, inter alia quæ nimia temeritate ductus nequiter attentavit, à Canonicis ejusdem Herbipolensis Ecclesiæ exegit ut post ejus obitum familiæ suæ duo millia marcharum se promitterent soluturos, & ab eis juramentum obtinuit quòd antequam illæ marchæ solverentur illis quibus ipse persolvi mandaret, successori ejus nullatenus obedirent; subsequenter etiam suggerens eis quòd pro successione Herbipolensis episcopatus quidam conspirassent in mortem illius, similiter postulavit ab eis ut eidem eligerent successorem. Cujus petitioni Canonici annuentes, ad electionem hujusmodi faciendam sex de suis confratribus elegerunt. Qui cùm Monasteriensem Episcopum elegissent, præfatus C. fecit Canonicos ipsos tactis sacrosanctis evangeliis juramento firmare quòd electioni jamdictæ nullo unquam tempore obviarent. Quoniam igitur tam enormem præsumptionem nec possumus nec debemus sub dissimulatione transire, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus, si præmissis veritas suffragatur, omni contradictione & appellatione postposita, auctoritate nostra prædicta juramenta tanquam illicita denunties non tenere, & illis quos tibi constiterit taliter jurasse, de illicitis juramentis condignam pœnitentiam & satisfactionem injungas. Si qui verò contra formam hujus mandati nostri tibi duxerint resistendum, eos ecclesiastica severitate percellere non omittas. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

Vide suprà, epist. 204.

LITTERÆ FIDELITER interpretatæ de Armenico in Latinum, quas Catholicus Armeniorum Domino Papæ Innocentio destinavit.

Epist. 117. De coronatione Regis Armeniæ. Vide Raynaldum ad an. 1198. §. 88.

VObis, qui estis caput post Christum, consecrati ab eo, & Caput Catholicæ Ecclesiæ Romanæ matris omnium Ecclesiarum, adeo prudentes & sancti, quòd debetis esse in loco Apostolorum sublimis Papa, & vobis sanctis Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, Presbyteris, Clericis, & omnibus qui sunt de vestra sancta Ecclesia, salutem & fraternitatem. Pax Dei sit inter vos. Gregorius homo Iesu Christi per gratiam Dei Catholicus totius Ecclesiæ Armeniorum, filius vestræ sanctæ Ecclesiæ, quæ est fundamentum legis totius Christianitatis. Sciatis quòd nos Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, & Clerici oramus Iesum Christum, qui est

caput omnium nostrum; ut servet vos & vestros ab omnibus malis: quia cùm vos, qui estis caput, estis incolumes, nos, qui sumus corpus, bene valebimus per vestram benedictionem. Noveritis, Domine, quòd ad nos venit nobilis, sapiens, & sublimis Archiepiscopus Maguntinus: qui oobis attulit ex parte Dei, & ex parte sublimitatis Ecclesiæ Romanæ, & ex parte magni Imperatoris Romaoorum, sublimem coronam, & coronavit Regem oostrum Leonem, & nobis reddidit coronam quam nos perdidimus à longo tempore, unde oos fuimos elongati à vobis, & nos recepimus eam libenter & cum magno gaudio; & inclinamus & regratiamus Deo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & alto Imperatori Romanorum. Sciatis, Domine, quòd ipse nobis monstravit vestra præcepta, & nos ea multùm libenter audivimus, & libenter volumus legem & fraternitatem sublimis Ecclesiæ Romanæ, quæ est mater omnium Ecclesiarum; & nos solebamus eam habere, & nunc eam habemus, & libenter volumus esse ad vestrum mandatum; & firmiter sunt ad mandatum vestrum omnes Archiepiscopi, Episcopi, & omnis Clerus nostræ Ecclesiæ, qui sunt in multis terris, & sunt multi per Dei gratiam. Et nos rogamus vos ut oretis Deum pro nobis, quia nos sumus in ore draconis & in medio ioimicorum crucis, & ioter eos qui sunt naturaliter inimici nostri. Et nos vos rogamus per Deum quatenus nobis mittatis tale adjutorium & tale consilium quòd nos possimus conservare honorem Dei & Christianitatis & vestrum. Quia postquam nos sumus vestri, & vos estis memores nostri, efficiatis tantum erga nos, quòd nos gratias referamus Deo, qui nos redemit sanguine suo, & qoòd gratiam agamus sanctæ cruci Domini nostri, qui fecit totum mundum. Iesus Christus defendat vos & omnes vestros ab omni malo, & nobis det vestram beoedictionem.

GREGORIO CATHOLICO Armeniorum.

Epist. 118. Respondet superiori epistolæ.

EX eo te radicatum in fide catholica & esse Catholicum non tam nomine quàm merito experimur, quòd apostolicæ sedis magisterium recognoscens, eam Ecclesiarum omoium matrem & nos caput universorum fidelium confiteris; sicut ex tuatum nobis innotuit serie litterarum. Nosti etenim privilegium Petri, quòd sibi Dominus universas oves suas pascendas, vocabulo terriò repetito, commisit, *Pasce*, inquiens, *oves meas*, & super uoiversos ei ligandi & solvendi contulit potestatem, dicens ad eum: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælo; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Nosti etiam prærogativam apostolicæ sedis, quæ per merita beati Petri, etsi non tempore, auctoritate tamen inter Apostolos primi, non constitutione synodica sed divina inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit & primatum, fundata super immobili fundamento, de quo Paulus Apostolus inquit: *Fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus.* & de quo Veritas in evaogelio inquit ad Petrum: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Petrus siquidem post Christum potest intelligi pastor unus, & Ecclesia universalis, ovile unum: de quibus Dominus in Evangelio protestatur, *Alias*, dicens, *oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.* Sanè lapis ille angularis, quem reprobaverunt ædificantes, factus postmodum in caput anguli, faciens utraque unum, Iudæorum populos & gentium nationes in unitate Christianæ fidei coünivit, Ecclesiam ex utrisque constituens non habentem maculam neque rugam: quæ oe post ascensionem ejus secaretur in partes, & ne unitum in ejus fide divideretur ovile, uni commisit Apostolorum principi guberoandam, quem solum sibi Dominus & in officio vicarium & in magisterio constituit successorem. Hoc autem tua fraternitas diligenter attendens, ac sciens quòd secundùm Apostolum omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, nos, quos Dominus, licèt immeritos, Vicarios suos esse voluit & Apostolorum principis successores, Caput Ecclesiæ confiteris, & te ac fratres & coëpiscopos tuos partem nostri corporis recognoscis, sciens quòd sicut palmes non potest fructum facere à semetipso, oisi manserit io vite, sic & membrum & sensu caret & actu, si non io corporis permanserit unitate. Gaudemus ergo non modicùm quòd in fide

catholica perſeverans, circa nos piæ generis devotionis affectum, & filium te eſſe apoſtolicæ ſedis innuis, dum eam eſſe matrem omnium proteſtaris, recognoſcens à nobis magiſterium eccleſiaſticæ diſciplinæ; quam etſi receptam longo tempore prius, ex parte tamen per venerabilem fratrem noſtrum Maguntinum Archiepiſcopum, Epiſcopum Sabinenſem, unum ex ſeptem Epiſcopis qui nobis in Eccleſia Romana collaterales exiſtunt, ſuſcepiſſe te gaudes, & deſideras obſervare. Fuit autem & eſt magnum tuæ devotionis indicium, quòd eundem Archiepiſcopum magnificè recepiſti, & curaſti non modicùm honorare; ſicut & tuæ litteræ continebant, & ipſius nobis relatio patefecit. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino, ac per apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatenus in devotione ſedis apoſtolicæ firmiter perſeveres, & in lege Domini die mediteris & nocte, quæ ſanæ doctrinæ congruunt prædicans, & quæ prædicaveris, quantum Dominus permittit, adimplens; ut in te nec opera verbis, nec verba operibus contradicant. Eſto circa ſubjectos magiſter, ut doceas; ut corrigas, pater; mater, ut foveas; doceas minùs doctos, ſuperbos corrigas, humiles foveas & devotos; juſtitiam miſericordia temperans, & æquitatem in judicio non relinquens. Super ſubventione verò Hieroſolymitanæ provinciæ noſſe te volumus quòd jam per Dei gratiam ad commonitionem noſtram multi crucis ſignaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, in defenſionem orientalis provinciæ opportuno tempore tranſituri. Iam etiam duo ex fratribus noſtris de manibus noſtris vivificæ crucis aſſumpſere vexillum, exercitum Domini præceſſuri. Confide igitur, & eſto robuſtus: quia citiùs forſitan quàm credatur, orientalis provincia ſubſidium ſentiet expectatum. Datum Laterani IX. Kal. Decembris.

LITTERÆ LEONIS REGIS Armeniæ ad Papam Innocentium.

Epiſt. 119. Petit ſubſidium adverſùs paganos.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici & univerſali Papæ, tanto & tali bonore digniſſimo, Leo per eandem & Romani Imperij gratiam Rex omnium Armeniorum, cumſalutatione ſe ipſum, & quicquid poteſt. Gloria, laus, & honor omnipotenti Deo, qui vos tantum & talem paſtorem Eccleſiæ ſuæ præeſſe voluit, veſtris bonis meritis exigentibus, & tam fructuoſam & firmam fabricam ſuper fundamentum Apoſtolorum componere, & tantum lumen ſuper candelabrum poſitum toto orbi terrarum ad ſalutem totius Chriſtianitatis effundere dignatus eſt. In veſtri verò luminis gratia ſalutaribus monitis Reverendiſſimi Patris noſtri Archiepiſcopi Maguntini inſtructi & informati, omne regnum nobis à Deo commiſſum ampliſſimum & ſpatioſum, & omnes Armenios huc illuc in remotis partibus diffuſos, ad unitatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ divina inſpirante clementia revocare cupimus & exoptamus. Ad hæc, calamitates, miſerias, paupertates, & imbecillitatem regni Syriæ & noſtri per ipſum prædictum Maguntinum (quia difficilior labor erat ſcripto retexere) pietati veſtræ patefacimus. Ipſe verò per ſingula rei veritatem vobis explicabit, in cujus notitiam iſta non præteriere. Hanc utique contritionem & colliſionem in valle deſtituti lachrymarum jamdiu ſuſtinnimus, quam de cetero ſine ſpe ſubſidij & auxilij veſtri ſuſtinere nequimus. Verùm quia zelus domus Dei tepeſcere non debet in cordibus tam veſtro quàm noſtro, non ut perſonam inſtruentis geramus, ejuſdem domus decorem diligere & pro eadem domo murum nos oportet opponere, ut impetus quos ſuper eam faciunt inimici crucis, cooperante Dei gratia collectis in unum animi viribus reſiſtendo excludamus. Hinc eſt quòd veſtram flexis genibus imploramus pietatem quatenus lachrymabilibus Domini Maguntini precibus & noſtris divino intuitu aures miſericordiæ porrigatis, & miſeriis Chriſtianitatis compatientes, ſubſidium Chriſtianiſſimum nobis acurrendo mittatis antequam irremeabile (quod abſit) incurramus diluvium; immo cum Dei & veſtro auxilio, evaginato enſe, de Hur Chaldeorum & perſecutione Pharaonis liberari poſſimus. Datum Tharſis anno ab incarnatione Domini MCXCIX. menſe Majo, die vigeſima tertia.

LEONI ILLVSTRI REGI Armeniorum.

Epiſt. 120. Reſpondet ſuperiori epiſtolæ.

IS Eccleſiam ſuam congregatam ex gentibus, non habentem maculam neque rugam, ſuper gentes & regna

constituit, is extendit palmites ejus usque ad mare, & usque ad terminos terræ ipsius propagines dilatavit, cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in ea. Ipse etiam Romanam Ecclesiam non solùm universis fidelibus prætulit, sed super ceteras etiam Ecclesias exaltavit, ut ceteræ ab ea non tantùm vivendi normam & morum sumerent disciplinam, sed & fidei etiam catholicæ documenta reciperent, & ejus servarent humiliter instituta. In Petro enim Apostolorum principe, cui excellentiùs aliis Dominus ligandi & solvendi contulit potestatem, dicens ad eum, *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*, Ecclesia Romana sedes ejus, & sessores ipsius Romani Pontifices successores Petri & Vicarij Iesu Christi, sibi invicem per successivas varietates temporum singulariter succedentes, super Ecclesiis omnibus & cunctis Ecclesiarum Prælatis, immo etiam fidelibus universis, à Domino primatum & magisterium acceperunt; vocatis sic ceteris in partem solicitudinis, ut apud eos plenitudo resideat potestatis. Non enim in Petro & cum Petro singulare illud privilegium expiravit quod successoribus ejus futuris usque in finem mundi Dominus in ipso concessit; sed præter vitæ sanctitatem, & miraculorum virtutes, par est in omnibus jurisdictio successorum: quos etsi diversis temporibus, eidem tamen sedi & eadem auctoritate Dominus voluit præsidere. Gaudemus autem quòd tu, sicut Princeps catholicus, apostolicæ sedis privilegium recognoscens, venerabilem fratrem nostrum Maguntinum Archiepiscopum, Episcopum Sabinensem, unum ex septem Episcopis qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, benignè ac hilariter recepisti, & non solùm per eum institutis salutaribus es instructus, quibus juxta continentiam litterarum tuarum totum regnum tuum, licèt amplissimum, desideras informari, & universos Armenos ad Ecclesiæ Romanæ gremium revocare; sed ad honorem & gloriam apostolicæ sedis, quam constitutam esse novisti super gentes & regna, diadema regni recepisti de manibus ejus, & eum curasti devotè ac humiliter honorare, & nos per ipsum & litteras tuas ad orientalis terræ subsidium invitasti. Ei ergo à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, qui habet corda Principum in manu sua, quas possumus gratias referentes, qui tibi tantæ humilitatis animum inspiravit, rogamus serenitatem regiam & exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in timore Domini & apostolicæ sedis devotione persistens, ad expugnandam barbariem paganorum & vindicandam injuriam crucifixi tanto potentiùs & efficaciùs studeas imminere, quanto fraudes & versutias hostium viciniùs positus meliùs cognovisti; non in exercitus multitudine aut virtute, sed de ipsius potiùs miseratione confidens qui docet manus ad prælium, & digitos movet ad bellum, qui arcus fortium superat, & robore accingit infirmos. Iam enim per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, in defensionem orientalis provinciæ opportuno tempore transituri. Iam etiam duo ex fratribus nostris de manibus nostris vivificæ crucis assumpsere vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur, & esto robustus, quia citiùs forsitan quàm credatur, orientalis provincia subsidium sentiet expectatum. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

NOBILIBUS VIRIS COMITIBUS, Baronibus, Civibus, & Universis per Siciliam constitutis.

Epist. 221. Vt Marcoualdum tyrannum & Sarracenorum socium opprimant.

QVòd futura sint novissima Marcoualdi, quantum in eo fuerit, peiora prioribus, quòd non solùm contra regnum Siciliæ sed universum ferè conjuraverit populum Christianum, quòd factus sit contra vos alius Saladinus, nequitia ejus testimonium perhibet veritati, licèt nulla veritas sit in eo. Egressus enim olim homo ille iniquus, vel potiùs immundus spiritus, Siciliam & totum regnum, cùm non inveniret in Marchia requiem, sed obsidione hostium sæpius vallaretur, revertar, inquit, in domum, regnum videlicet quod exivi, & assumens secum alios spiritus nequiores, Diopuldum scilicet, fratrem & fautores ipsius, ante tempus rediit vos torquere, ac reliquias transmigrationis & desolationis prioris, immo totius regni excidium innovare. Disposuit siquidem, sicut quondam, diruere muros urbium,

immo redigere civitates in villas, captivare nobiles, torquere ac mutilare potentes, spoliare divites, pauperes flagellare, trucidare coram patribus filios, & adulterare conjuges ante viros, per vim violare virgines, & gladio perimere repugnantes. Non credatis hæc nobis, nisi fueritis talia jam perpessi, nisi nobiles vestri, ante quorum faciem terra tremere videbatur, longo macerati exilio, facti sunt tandem membrorum mutilatione deformes, nisi quidam viri & mulieres, immo etiam (quod dolentes dicimus) sacerdotes in mare præcipitati fuerint, quidam flammis adusti, multi quoque liquenti sagimine coocremati. Nos autem olim ejus malitiam prævidentes, & malum vincere volentes in bono, cùm se universis mandatis nostris exponeret, ut tentaremus spiritum si esset ex Deo, sicut sæpe per litteras nostras vobis meminimus intimasse, recepto ab eo per quosdam fratrum nostrorum publicè super crucem & evangelia juramento quòd super omnibus, pro quibus excommunicatus fuerat, mandatis apostolicis sine contradictione qualibet obediret, fecimus eum à vinculo excommunicationis absolvi, & inter cetera præcipi absoluto ut penitùs à balio regni & molestatione cessaret. quod se scripsit postmodum nec pro Deo nec pro homine servaturum; licèt quòd sub prædicta forma juraverit, priùs per suas nobis litteras intimasset, quas apud nos in certum infidelitatis ejus indicium in testimonium reservamus. Ceterùm nos fraudes ejus & versutias attendentes, ipsum cum universis fautoribus suis, nominatim autem Diopuldo & fratribus ejus, Odone de Lavian, Wilhelmo Crasso, & sequacibus & fautoribus ejus, excommunicationis curavimus vinculo innodare; & universos à juramento fidelitatis, societatis, vel hominij ei præstiti absolventes, omnem terram ad quam ipse vel aliquis de principalibus fautoribus ejus devenerit, sententiæ subjecimus interdicti, & mandavimus prædictos omnes per fratres & coëpiscopos nostros & alios Ecclesiarum Prælatos singulis diebus dominicis & festivis excommunicatos publicè nuntiari. Dictus verò Marconaldus à simili sibi quærens auxilium, à pirata prædo, & raptor à marino non jam latrunculo sed latrone, Wilhelmum Crassum, quem ei tam pœna quàm facinus coæquabat, ascivit; & quasi non sufficeret ei quòd carissimus in Christo filius noster F. Siciliæ Rex illustris suo fuerat patrimonio spoliatus, nisi eum faceret etiam matris possessione privari, (sicut nobis ex transcripto litterarum quas Pby. mittebat, innotuit) Siciliam est ingressus, & non regni, sed Regis etiam, (oblitus beneficiorum patris, qui eum erexit de pulvere, & de stercore suscitavit) excidium meditatur, quasi suis dicens fautoribus: *Hic est heres; venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem ipsius.* Si nobis non creditis, operibus credite. In ipso namque ingressu suo quibusdam Sarracenis confœderatus, eorum sibi contra Regem & Christianos convocavit auxilium; & ut eorum animos ad stragem nostrorum ampliùs excitaret, & sitim augeret eorum, jam ipsorum fauces Christiano sanguine cruentavit, & mulieres Christianas captas per violentiam, eorum exposuit voluntati. Quem igitur, etsi non pueri Regis, Regis Regum caussa non moveat, & non tangat injuria crucifixi? Quis non insurgat in illum qui contra omnes insurgit, & inimicis crucis se jungit ut fidem crucis evacuet, & factus infideli deterior, infidelibus nititur subjugare fideles? Zelum igitur divinæ legis habentes, cum Phinee festinetis accingi, ut Iudæum divertentem ad Madianitam, cum ea uno unius ictu gladij feriatis, & regni Siciliæ defendatis honorem, quem defensuros vos fidei religione firmastis. Licèt enim Sarraceni, si in fidelitate prædicti Regis permanserint, diligere ac manutenere velimus & bonas eis consuetudines adaugere, sustinere tamen nec volumus nec debemus ut cum Marcoualdo regni excidium machinentur. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus in dictum Marcoualdum inimicum Dei & Ecclesiæ, persecutorem Regis, inde solummodo fortiorem hostem Christianæ religionis unde familiaris est inimicus, in nomine Domini exercituum potenter & viriliter assurgatis, non timentes ante faciem ejus: quoniam ex quo recessit à Domino, invenient eum multa mala, quoniam & Dominus ab ipso recessit, nec derelinquet ulteriùs virgam peccatoris super sortem justorum. Nos enim attendentes perfidiam Marcoualdi, qui cùm non potuerit

Vide suprà, epist. 179.

cum Christianis hactenus prævalere, cum Sarracenis, ut prælibavimus, nititur opprimere Christianos, universis procedentibus contra eos in hac nequitia perdurantes illam concedimus veniam peccatorum quam in defensionem terræ orientalis transfretantibus indulgemus. Per Siciliam enim subveniri poterit faciliùs terræ sanctæ: quæ si (quod absit) in Sarracenorum potentiam deveniret, nulla de cetero recuperationi Hierosolymitanæ provinciæ fiducia remaneret. Nos autem dilectum filium C. tituli sancti Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, & venerabiles fratres nostros Neapolitanum & Tarentinum Archiepiscopos in regni subsidium cum copioso exercitu destinamus. Mementote igitur opprobrij totius regni, quod vobis à cunctis gentibus exprobratur, scilicet quòd citiùs totum regnum fuerit occupatum quàm una solear civitas occupari. Quid ergo dicetur de servo, cùm de domino id dicatur? Eritis enim de cetero, nisi fideliter persistatis & resistatis potenter, opprobrium hominum & abjectio plebis & ludibrium gentium & fabula populorum. Datum Laterani VIII. Kal. Decembris.

PIPIONI CLERICO.

Epist. 112. CUm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* assensu, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quàm mundanis &c. *usque ad verbum* suscipimus. Specialiter autem præbendam sancti Georgij de Canacero, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c.

In eundem modum pro Azone Subdiacono super Ecclesia sancti Sylvestri de Roncalia.

DE LUCEDIO ET SANCTI Salvatoris Abbatibus Papiensibus.

Epist. 113. Ut monasterium S. Columbani instaurent.

JAm sæpius nostrum pulsavit auditum quòd monasterium sancti Columbani Bobiensis & in spiritualibus usque adeo sit collapsum, & in temporalibus etiam diminutum, quòd nisi per auxilium divinæ gratiæ, nostræque sollicitudinis interventu, vix speretur ipsius reparatio proventura. Et quoniam instantia nostra quotidiana est secundum Apostolum omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, nec omnes possumus personaliter visitare, majoribus occupati, nostras vobis vices in hac parte duximus committendas, concessa vobis plenaria potestate corrigendi tam in capite quàm in membris quæ fuerint corrigenda, & puniendi per censuras ecclesiasticas, si qui vobis contumaces extiterint & rebelles. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ad dictum cœnobium pariter accedentes, super statu ipsius inquiratis pleniùs veritatem, & Deum habentes præ oculis, sine personarum acceptione quicquid ibidem inveneritis corrigendum, requisito consilio venerabilis fratris nostri Episcopi Bobiensis, nostra freti auctoritate, remoto appellationis obstaculo, corrigatis: cujus electum si minùs utilem inveneritis ad regimen abbatiæ, sine prejudicio tam Episcopi quàm etiam monasterij ejus resignatione recepta, talem ibidem pastorem per electionem canonicam instituere procuretis qui & prodesse noverit & præesse; attentiùs provisuri ut mandatum apostolicum taliter exequamini quòd sollicitudo vestra debeat in Domino commendari. Datum Laterani.

BOBIENSI EPISCOPO.

Epist. 114. De libertate monasterij S. Columbani.

ACcedens ad apostolicam sedem dilectus filius electus sancti Columbani Bobiensis de te in auditorio nostro graviter est conquestus, quòd cùm monasterium sibi commissum à tempore beati Gregorij ad Romanam Ecclesiam usque ad moderna tempora pleno jure spectaverit, tu occasione cujusdam sententiæ à felicis recordationis Eugenio Papa prædecessore nostro contra monasterium ipsum per Abbatis illius temporis imperitiam vel fraudem forsitan promulgatæ, quam bonæ memoriæ L. Papa successor ipsius postea confirmavit, Bobiensi Ecclesiæ abbatiam ipsam niteris subjugare: de cujus possessionibus & redditibus cùm episcopium & canonica ditata sint pariter & dotata, non videbatur consonum rationi ut cum jactura temporalium rerum, libertatis etiam suæ dispendium pateretur, & cœnobium, quod priùs ad Romanam Ecclesiam nullo pertinuerat mediante, postquam ibi factus fuit Episcopus multitudine fidelium excrescente, subjectum fieret Ecclesiæ Bobiensi. Post hanc autem divisionem monasterium idem, sicut priùs

Vide To. IV. Ital. sac. pag. 1196.

fuerat, proponebatur in libertate pristina permansisse: in quam non sine multis molestiis & damnis innumeris per Bobienses Episcopos irrogatis, Abbates, qui pro tempore fuerant, se usque ad hæc tempora vendicarunt. Petebat igitur idem electus monasterium ipsum in sua libertate ac speciali apostolicæ sedis subjectione servari, & ipsius renuntiatione recepta, qui se proponebat insufficientem ad regimen abbatiæ, eidem cœnobio de pastore idoneo provideri, vel si fortè judicaretur idoneus, sibi munus benedictionis conferri, & sicut de antecessore ipsius factum fuerat, per Romanam Ecclesiam benedici, quemadmodum ex litteris authenticis apparebat. Sanè præmissis objectionibus dilectus filius....nuntius tuus, licèt præsens affuerit, nihil voluit respondere, ob alia quæ sequuntur se asserens ad nostram præsentiam destinatum; quamvis venerabilis frater noster Vercellen. Episcopus, olim Ecclesiæ Bobiensis electus, multa pro ipsa studuerit allegare. Cùm enim præfatum monasterium de multa quæ in eo religionis viguit observantia, jam ad tantam sit dissolutionem ordinis monastici devolutum, quòd vix in Abbate ac monachis aliquod valeat religionis vestigium inveniri; tu, quoniam idem monasterium tuæ solicitudini est commissum, electo dedisti etiam in virtute obedientiæ, quam tibi præstiterat manualem, sæpius in mandatis, ut in claustro à vesperis præcedentis diei, donec die sequenti Missarum solennia finirentur, silentium servaretur, fratres in refectorio ab esu carnium abstinerent, cibos religioni aptos, non sine lectione sacræ scripturæ, cum silentio comesturi, & dimissis singularibus cameris, in dormitorio pariter recubarent, ipse verò, qui ordinem presbyterij non susceperat, Clericos non præsumeret tonsurare. Ceterùm, quoniam in præmissis post multas commonitiones & preces superbè nimis tibi obedire contempsit, excommunicationi eum in cœna Domini subjecisti, si usque ad octavas resurrectionis sequentis tuam non implevisset super his omnibus jussionem. Sed neque sic electus ipse obedientiam debitam recognovit; sed in sua obstinatione perdurans, excommunicationis sententiam, à venerabili fratre nostro Ianuensi Archiepiscopo etiam confirmatam, sicut ex ipsius litteris colligitur evidenter, non observat. Vnde idem Clericus tuo nomine postulavit quatenus eandem sententiam confirmantes, per Clerum & populum Bobiensem faceremus ipsam usque ad satisfactionem congruam custodiri; auctoritate tibi apostolica indulgentes, ut si usque ad certum terminum ad tuam obedientiam non rediret, ex tunc tibi liceret eum ab abbatiæ officio removere, & alium in ea idoneum ordinare; eidem etiam electo ac monachis daremus firmiter in mandatis ut in præmissis præceptis & aliis regularibus & honestis, tibi tanquam suo Pontifici obedirent; alioquin sententiam quam ferres in eos, ratam haberemus, & faceremus firmiter observari. Sanè super his quæ præmisimus tractatum habuimus diligentem, quibusdam asserentibus ex præfata sententia Ecclesiæ Romanæ præjudicium generatum; cùm idem prædecessor noster, quasi ex certa scientia ipsius, monasterium speciale Bobiensi Ecclesiæ decreverit subjacere, cùm coram eo super libertate ipsius fuerit allegatum; nonnullis in contrarium sentientibus eandem sententiam in nullo apostolicæ sedi præjudicare debere, cùm eum ex officij debito & juris necessitate, super quæstione de qua cognoverat, oportuerit judicare, nec res judicata illis obesse poterat inter quos non extitit judicatum. Cùm igitur deferendi fraternitati tuæ, quantum cum Deo possumus, voluntatem & propositum habeamus, in absentia partis tuæ super subjectione vel libertate monasterij ad præsens nec statuendum aliquid duximus nec mutandum; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si munimentum aliquod habes per quod dictum cœnobium ex concessione sedis apostolicæ tuo doceatur episcopio fuisse subjectum, usque ad Dominicam qua cantatur *Lætare Hierusalem*, illud nobis non differas per proprium nuntium destinare, ut intellecta pleniùs veritate, Bobiensem Ecclesiam in sua justitia tueamur. Alioquin, quoniam etsi suam velimus justitiam Ecclesiæ Bobiensi servare, jura tamen apostolicæ sedis habita custodire satagimus, & invasa recuperare tenemur, communicato consilio ex tunc in ipso negotio, quemadmodum divinus nobis motus ingesserit, procedemus. Sanè renuntiationem ipsius electi, ne juris tui ex ea dispendium aliquod sustineres,

neres, cùm in possessione dicaris subjectionis ipsius monasterij constitutus, non duximus admittendam; sed dilectis filiis...de Luceio &...Sancti Salvatoris Papien. Abbatibus, quibus correctionem commisimus monasterij tam in capite quàm in membris, concessa eisdem nihilominus potestate rebelles per censuram ecclesiasticam coërcendi, dedimus in mandatis ut ad locum pariter accedentes, unà cum tuo consilio utilitatibus antedicti cœnobij studeant imminere; ita quòd si electum inutilem invenerint ad regimen abbatiæ, sine præjudicio tuo ipsius resignatione recepta, talem ibi per electionem canonicam præfici faciant in pastorem qui præesse noverit pariter & prodesse. Datum Later. Kal. Decemb.

CENTIO SVBDIACONO & Notario nostro, Rectori, Judicibus, Consulibus, & populo Beneventan.

Epist. 115. De pœna illius qui Consulem interemit.

CVm impunitas scelerum parere consueverit audaciam delinquendi, sic malefactorum excessus animadversione sunt debita puniendi, ut & ipsi pœniteant de commissis, & ceteri qui audierint, suam à consimilibus metu pœnæ retrahant voluntatem. Licèt enim ex apostolicæ servitutis officio solicitudo nobis immineat generalis, de illis tamen qui spiritualiter & temporaliter nostræ sunt jurisdictioni subjecti, nos oportet soliciriùs cogitare; quatenus sub nostro regimine boni digna recipiant præmia meritorum, & malos debitæ ultionis pœna castiget. Audivimus equidem, & non potuimus non moveri, quòd Ger. filius Roffridi, civis Beneventanus, diabolico inebriatus veneno, Dei & nostro timore postposito, & honore Beneventanæ civitatis abjecto, Iacobum de Sculdasio, dum consulatus fungeretur officio, interfecit; & pater ac frater interfectoris, qui tam atroci sceleri personaliter interfuisse dicuntur, licèt in præsentia vestra se nostro juraverint conspectui præsentare, ad nos tamen (sicut credimus) non venerunt; immo tam prædictus homicida quàm ipsi in civitate Beneventana non metuunt, sicut audivimus, commorari. Volentes igitur ut malefactorem prædictum & fautores ipsius debita pœna percellat, & civitas Beneventana similem in posterum valeat evitare jacturam, præsentium auctoritate statuimus ut memoratus homicida de cetero Beneventanam civitatem non audeat introire, nec hereditatis paternæ percipiat aliquam portionem; immo pars ejus, si patrem præmori fortè contigerit, ad opus curiæ reservetur; nec unquam in eadem civitate prævaleat aliquod officium gerere dignitatis, nisi forte fuerit illi concessum ex indulgentia sedis apostolicæ generali. Hoc etiam idem futuris temporibus decernimus observandum de illis qui Iudices, Consules, Regalenses, vel alios ministeriales curiæ vulnerare aut interficere qualibet temeritate præsument. Patrem autem & fratrem homicidæ jam dici tamdiu extra civitatem vestram præcipimus permanere, donec ad præsentiam nostram accedant; & ad vos cum litterarum nostrarum testimonio revertantur. Salvo nihilominus apostolicæ sedis mandato, si quid super hoc fuerit severiùs statuendum. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ constitutionis &c.

VNIVERSIS SARRACENIS in Sicilia constitutis, in devotione nostra & fidelitate regia permanere.

Epist. 116. Ne contra verum Siciliæ Regem adhæreant Marcoualdo. *Vide infrà epist. 179.*

CVm vos audivimus & gaudemus in ritu vestro servasse hactenus & adhuc servare rigorem, ut fidem dominis vestris juxta morem vestrum exhibitam servaveritis, & servetis illæsam, nec eam duxeritis aliquando violandam quod in facto Marcoualdi optamus manifestiùs experiri, ut vos nec promissionibus allicere possit, nec minis aut violentia deterrere, quin in fidelitate carissimi in Christo filij nostri F. Siciliæ Regis illustris fideliter persistatis, & ipsius Marcoualdi resistatis conatibus viriliter & potenter. Illa etenim in temporalibus discretione vigetis, ut & bona discernentes à malis, & à bonis etiam meliora, despectis & abjectis pessimis, optima quælibet eligatis. Nostis siquidem, sicut credimus, ex auditu mansuetudinem apostolicæ sedis, quæ sic superbis resistit ut humilibus & subjectis det gratiam. Nostis & per experientiam tyrannidem Marcoualdi, quæ his solis parcit quibus nocere non potest, sed sævit tanto fortiùs in subjectos, quanto se ampliùs in ejus curaverint humiliare conspectu, retribuens mala pro bonis, & odium pro dilectione rependens, sicut ex ejus patet operibus manifestè. Scitis etenim qualiter eos quorum vocatione olim cum

domino suo regnum intraverat, quorum proditione occupaverat regni arces, immo etiam totum regnum, non solùm omnibus bonis fecerit spoliari, sed animadvertens etiam in personas, eos in exilium destinaverit, & tandem fecerit mutilati. Audistis etiam & vidistis immanitatem ipsius, qualiter sacerdotes & alios præcipitarit in mare, qualiter multos flammis exussetit, qualiter omnes & singulos flagellarit. Intelligere quidem vos credimus & pro firmo tenere quòd si Christianis ejus oculus non pepercit, non parceret etiam Sarracenis, in quos tantò sæviret liberiùs, quantò se majus crederet obsequium præstate Deo, effundendo sanguinem paganorum. Qui enim in dominum suum & domini sui filium, qui eum de pulvere suscitavit, & erexit de stercore, conjuravit, & eum materna nititur possessione privare, malignaretur severiùs in alienigenas, immo in alterius ritus & observantiæ disparis nationes, quarum sanguine suas sitit inebriare sagittas & gladium cruentare; & qui contra salutem animæ suæ Christianorum diripit spolia, si contra vos vel violentia vel astutia prævaleret, ad suum vos subsidium vanis promissionibus invitando, divitias vestras penitùs exhauriret, & suis daret in prædam. Sanè nec juramentum vobis nec promissiones aliquas observaret, qui juramentum nobis publicè præstitum non servavit. Intelligentes igitur intelligite veritatem, & in solita progenitorum vestrorum & vestra fidelitatis constantia permanentes, non subjiciatis vos & vestros posteros jugo ejus: quod etsi videretur in initio leve, colla tamen gestantium in fine constringeret; & vel nullus vel inutilis esset pœnitentiæ locus, postquam cancer vitalibus irrepsisset. Cogitare debetis quòd cùm contra Sarracenos multi jam conjuraverint Principes Occidentis, & multa populi multitudo, assumpto crucis signaculo, in proximo dispofuerit transfretare; si vos contra Christianos Marcoualdo, & Marcoualdum vobis contra Regem puerum contingeret adhærere, in vos arma converterent; & Marcoualdus, cùm vires eorum sustinere non posset, ipsos animo volens vel invitus sanguine vestro placaret, & vitam suam redimeret morte vestra. Monemus igitur universitatem vestram, consulimus, & hortamur, per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes, quatenus in hoc progenitorum vestrorum constantiam imitantes, nec ingrati beneficiorum quæ vobis Reges Siciliæ contulerunt, attendentes etiam mansuetudinem apostolicæ sedis, quæ vos non solùm manutenere vult in bonis consuetudinibus, sed augere in devotione nostra & fidelitate regia persistatis, nec credatis promissionibus & fallaciis Marcoualdi, qui ad hoc solum promittit ut fallat, ad hoc fallit ut vos possit suæ tyrannidi subjugare. Nos autem in defensionem vestram & expugnationem ipsius, dilectum filium C. tituli sancti Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem, & venerabiles fratres nostros Neapolitanum & Tarentinum Archiepiscopos, & dilectos filios nobiles viros Ia. Marescalcum & O. de Palumbria consanguineos nostros, in regnum dirigimus cum exercitu copioso: ante cujus conspectum Marcoualdus subsistere, dante Domino, non valebit, sed cum universis sequacibus & fautoribus suis irreparabiliter conteretur. Dedimus autem eidem Legato & omnibus nuntiis nostris districtiùs in præceptis ut vos manuteneant & defendant, & in bonis curent consuetudinibus adaugere. Dat. Laterani.

NIVERNENSI EPISCOPO.

Epist. 227. De absolutione sacerdotis, qui hostibus indicarat hominem, quem illi laqueo strangularunt.

PEtvenit ad audientiam nostram, I. sacerdote de Naizin ordine Cisterciensi novitio intimante, quòd cùm adhuc esset in habitu sæculari, quidam ferventes, quò quidam homo, quem quærebant, abiisset, ab eo cum instantia quæsiverunt: qui cùm ad quid eum quærerent ignoraret, illic eum esse respondit: ad quem locum illi protinus venientes, nec eum invenientes ibidem, postea inventum alibi patibulo suspenderunt. Verùm quia eum aliquantulum conscientia remordebat, bonæ memoriæ H. Bituricensi Archiepiscopo, qualiter factum fuerat, intimavit: qui eum à Missæ celebratione prohibuit, donec uteretur consilio saniori. Nunc autem quoniam ad ordinem Cisterciensem se transtulit, à nobis misericordiam postulat & requirit. Cùm igitur præfatus sacerdos in hoc commendandus existat quòd à nobis duxit consilium requirendum, quia bonarum mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus

inquiras de præmissis diligentiùs veritatem, & si rem inveneris taliter se habere, cùm ex hoc præfatus sacerdos dignoscatur nullius culpæ maculam contraxisse, auctoritate nostra des ei licentiam celebrandi. Datum Laterani.

VERONENSI EPISCOPO, Romanæ Ecclesiæ Cardinali.

Epist. 228. Vt pertinaces hæretici puniantur, & resipiscere volentibus gremium Ecclesiæ non præcludatur.

Licèt in agro patris familias evangelici zizania sæpe pullulent inter messes, & vineam domini Sabaoth interdum nitatur tinea demoliri; sic tamen prudens agricola vinitórque discretus salubre debet remedium invenire, ne vel triticum evellatur inter zizania, vel in dejectione tineæ vinea corrumpatur. Similiter etiam, licèt ad abolendam hæreticam pravitatem invigilare debeat solicitudo pastoris, solicitè tamen debet attendere ne vel damnet innoxios, vel nocentes absolvat. Accepimus autem quòd auctoritate litterarum nostrarum, quas dilectis filiis nostris Archipresbyteris & Canonicis Ecclesiæ tuæ contra * Gazaros, Arnaldistas, Pauperes de Lugduno, & Humiliatos, qui nondum redierunt ad mandarum apostolicæ sedis, & hæreticos universos direximus, dictus Archipresbyter tam contra Humiliatos quàm universos hæreticos, sine distinctione quam posueramus in litteris nostris, excommunicationis sententiam promulgavit: cujus occasione sententiæ nonnulli quosdam qui, licèt inviti, à populo Humiliati dicuntur, licèt nullam hæresim, sed fidem, sicut dicitur, sapiant orthodoxam, & in humilitate cordis & corporis studeant Domino famulari, qui etiam in manibus tuis stare mandatis Ecclesiæ juraverunt, evitant, & eis tanquam excommunicatis communicareficur hactenus non præsumunt. Quia verò non est nostræ intentionis innoxios cum nocentibus condemnare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus tales ad tuam præsentiam convoces, & inquiras tam ab aliis de vita & conversatione ipsorum, quàm ab eis de articulis fidei & aliis quæ videris inquirenda; & si nihil senserint quod sapiat hæreticam pravitatem, eos catholicos esse denunties, & prædicta sententia non teneri. Quòd si forsan aliquid contra fidem sapiant orthodoxam, & parati fuerint ab errore discedere, ac mandatis apostolicis obedire; recepto ab eis juxta formam ecclesiæ juramento, quod solet à talibus exhiberi, beneficium eis absolutionis impendas; mandans eisdem sub debito juramenti præstiti ut errorem quem approbaverant, publicè improbent, & in aliis studeant pro viribus confutare; de cetero etiam fidem orthodoxam servent, & sedem apostolicam venerentur. Datum Laterani VIII. Idus Decembris.

* Cataros.

B. PISTORIENSI EPISCOPO.

Epist. 229. Qualiter decima persolvenda sint. Cap. A nobis. De Decimis.

A Nobis tua fraternitas requisivit utrum ab illis decimas exigere debeas qui possessiones dant vel recipiunt ad affictum, cum alij se conentur per alios excusare quò minùs cogantur ad decimas persolvendas; quid etiam sit de mulieribus in episcopatu tuo Presbyteris in capellis sub conversationis specie cohabitantibus faciendum, unde infamia irrogatur ordini Clericorum. Cùm igitur quilibet decimas solvere teneatur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus; fraternitati tuæ duximus respondendum quòd à dantibus possessiones & accipientibus ad affictum, de fructibus quos percipiunt decimæ suot solvendæ, nisi ab eis aliquid ostendatur quare ab hujusmodi fiat immunes. Cum Clericis quoque non permittas mulierculas habitare; nisi fortè de illis personis existant in quibus naturale fœdus nihil permittit sævi criminis æstimari. Datum Laterani IV. Nonas Decembris. L. 44. De Episc. & Cler. in Cod. Theodos.

LEGLENNENSI EPISCOPO.

Epist. 230. Quòd non facile excommunicari possit.

CVm facti simus secundùm Apostolùm sapientibus & insipientibus debitores, honori fratrum & coëpiscoporum nostrorum, quos apostolica sedes in partem solicitudinis evocavit, tanto abundantius deferre volumus & optamus, quanto propter eminentiam dignitatis à nobis & aliis sunt propensiùs honorandi. Ea propter, venerabilis in Christo frater, tuis justis petitionibus inclinati, præsenti pagina tibi duximus indulgendum ne quispiam Prælatorum, nisi pro manifesta & rationabili caussa, excommunicationis vel suspensionis in te, quem nos, licèt indigni, propriis manibus consecravimus, sententiam valeat promulgare. Nulli ergo &c. Datum Laterani XII. Kal. Decembris.

LEGLENNENSI EPISCOPO.

Epiſt. 231. Vt injuſtè ſpoliatus Archidiaconus reſtituatur.

SIcut noſtro eſt apoſtolatui reſeratum, inter alia multa & gravia quæ H. fugitivus monachus Cantuarienſis excommunicatus & maledictus in præjudicium Eccleſiæ Leglennenſis & animæ ſuæ perniciem nequiter attentavit, poſt execrationem ſuam dilectum filium Eccleſiæ tuæ Archidiaconum in tantum metu ſuſpenſionis illato coëgit, eum exire de ipſa Eccleſia non permittens, quòd ipſum archidiaconatus officium, vellet nollet, oportuit reſignare: in cujus locum alius quidam fuit violenter intruſus. Cùm igitur idem monachus, tanquam fur & latro, non per oſtium ſit ingreſſus, nec aliquid de rebus epiſcopi quod invaſit, per eum de jure conferri valeat vel diſponi, omnibus ordinationibus & diſpoſitionibus factis ab eo penitùs irritatis, ut de præmiſſo archidiaconatu & aliis dignitatibus & officiis canonicè valeas appellatione remota tanquàm proprius pontifex ordinare, quod ab eodem intruſo factum eſt non obſtante, liberam tibi appellatione remota tribuimus auctoritate præſentium facultatem. Nulli ergo &c. Datum Laterani VII. Idus Decembris.

VLIXBONENSI ET COLIMBRIENSI Epiſcopis.

Epiſt. 232. Non facilè qualiſcunque metus & vis votum reſcindit.

Cap. Inſinuante. Qui Clerici vel voventes.

INſinuante V. nobili muliere noſtro eſt apoſtolatui reſeratum quòd dudum puella, & in annis teneris conſtituta, M. Sancij accepit in virum, qui ab inimicis crucis Chriſti fuit parvo poſt tempore interfectus: Poſt cujus obitum à quibuſdam curialibus fuit Regi Legionenſi pro relictæ copula ſupplicatum. Quod cùm ad conſanguineorum ejus notitiam deveniſſet, ut maritum acciperet ei ſub obteſtatione regia ſuggeſſerunt. Ipſa verò quòd tunc nollet nubere proteſtante, conſilium accepit ab eis quòd votum emitteret caſtitatis. Hoc autem in manibus cujuſdam de fratribus ſancti Auguſtini eo fecit adjecto tenore, ut in domo propria cum omni ſua ſubſtantia remaneret. Sanè in ejuſdem ordinis habitu biennio pòſt permanſit; licèt id ſe invitam feciſſe aſſerat & coactam tam metu regio quàm parentum. Poſthæc eidem Regi quod fecerat indicavit. Quod approbans, vetuit ne quis, ea nolente, domum intraret ipſius, vel exinde aliquid aſportaret. Interim verò tempore modico elabente, P. curialis regias litteras ſecum portans, & F. Ferdinandi, dictæ mulieris domum intrantes, ut ipſe P. vi ſaltem eam duceret in uxorem, acceperunt ab ipſa quòd ſi eam idem P. duceret, ipſius manibus interiret. Poſthæc verò dimiſſis domo & omnibus quæ habebat, in domo cujuſdam Iudæi per tres, in Eccleſia verò ſanctæ Mariæ de Veiga per ſex latuit ſeptimanas; ita quòd exinde propter neceſſitates humanas etiam egredi non auderet: tandem ſe coactam videns, & omnibus deſtitutam, & attendens nihilominus quòd invira votum emiſerit, eo dimiſſo de parentum conſilio P. Michaëlis publicè fuit matrimonialiter copulata, de qua quatuor ſuſtulit filios tempore procedente. Verùm quia ſalutem animæ omnibus deſiderat anteferre, ac metuens quòd hujuſmodi conjunctio licita non exiſtat, quid ſuper his tenere debeat, edoceri reſponſo noſtro ſuppliciter poſtulavit. Nos ergo attendentes quòd in emiſſione voti, quod præceſſit, nulla vel modica coactio affuiſſet, quam patientia & perſeverantia ſequentis temporis penitùs profugavit, & quòd ſequens conjunctio potiùs iniqua fuit & violenter extorta, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus inquiſita diligentiùs veritate, ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, præfatam feminam ad malè dimiſſum religionis habitum reſumendum & ſervandum quod vovit monere ac inducere procuretis, & ſi opus fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam coërcere. Quòd ſi ambo, alter veſtrum &c. Datum Lat. Kal. Decembris.

MANNENSI EPISCOPO, Archidiacono Bangorenſi, & Priori de Inſula Glannavo.

Epiſt. 233. Ne ante ſeptennium ſponſalia contrahantur.

POſtulavit à nobis dilectus filius vir nobilis R. Princeps Norvualiæ, ut de conceſſione noſtra ſibi liceret filiam dilecti filij Principis Inſularum ſubarratam ab ipſo accipere in uxorem, non obſtante quòd patruo ejus eadem infra nubiles annos extitit deſponſata, cùm tamen à neutro traducta fuiſſet. Verùm quoniam nobis conſtare non potuit cujus ætatis puella tempore ſubarrationis vel deſponſationis extiterit, & cui antea fuerit, puta nepoti vel patruo, deſponſata, cùm ſecundùm diverſitates facto-

rum jura etiam sint diversa, in hujusmodi certum non potuimus dare responsum, quoniam juxta canonicas sanctiones in rebus ambiguis non est absolutum judicium proferendum. Volentes autem, quantum cum Deo possumus, justas postulationes præfati Principis sine difficultate qualibet exaudire, inquisitionem eorum quæ præmisimus sub certa forma examini vestro duximus committendam, quid juris sit in singulis articulis supponentes. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis ad præsentiam vestram quos videritis evocandos, solicitè inquiratis utrum puella septennium non attigerit quando subarrata extitit à nepote, vel patruo desponsata. In utroque namque istorum casuum, quia tam subarratio quàm desponsatio de jure non tenuit, quæ non potest septennium prævenire, quod factum est à patruo primò vel postea non obstante, nisi aliud quid impediat, puella eadem legitimè contrahere poterit cum nepote. Si verò tam subarrationis quàm desponsationis tempore septennis extitit, vel majoris ætatis, cùm ex tunc incipiant placere sponsalia, si præcessit desponsatio patrui, non potuit contrahere cum nepote; quoniam secundùm traditiones & observantias regulares nullus potest sponsam consanguinei sui accipere in uxorem, & hi duo casus non ad imparia judicantur. Si autem subarratio facta cum nepote præcessit, quod secutum fuit postea non tenente, cùm per secundum factum non potuerit primum dissolvi, quod quantum ad sponsalia sortitum fuerit firmitatem, volentibus personis principalibus, matrimonium inter eas poterit consummari. Si verò nepos eam ante septennium subarravit, & patruus in septennio vel post septennium desponsavit eandem, nepos eam propter rationem præmissam ducere non poterit in uxorem, sin, vice versa eam sibi legitimè poterit copulare. Pro iis quæ præmisimus memoriæ commendatis, cùm de facto vobis constiterit, de jure non poteritis dubitare. Vos ergo appellatione remota secundùm præmissas distinctiones injunctum vobis curetis negotium diffinire. Quòd si omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero. Dat. Lat. VIII. Kal. Decembris.

ABBATI ET CONVENTUI sanctæ Mariæ de Prato de Leicestre.

QVanto populus Iudaicæ cæcitatis superficiem divinarum scripturarum attendens, & negligens puritatem medullæ, quæ doctrinæ spiritualis in se continet intellectum, damnabiliùs in sua contumacia perduravit, & se ipsos adhuc involui permittunt in baratro tenebrarum, tanto his qui tenent, & amplectuntur fidei veritatem, & desiderant propagationem nominis Christiani, ampliùs est in Domino congaudendum, si qui gratia sancti Spiritus illustrati, abrenuntiato errore Iudaico, à tenebris se convertunt ad lucem, & fidem recipiunt Christianam; & attenta est solicitudine providendum ne inter alios Christi fideles inedia deprimantur; cùm plerique horum pro indigentia necessariarum rerum, post receptum baptismum, in confusionem non modicam inducantur, ita ut plerunque, faciente illorum avaritia qui, cùm ipsi abundent, Christum pauperem respicere dedignantur, retro cogantur abire. Hinc est quòd cùm dilectus filius R. lator præsentium ad commonitionem cujusdam nobilis viri, spretis & postpositis omnino divitiis quas habebat, Christum potiùs sequi volens quàm in luto divitiarum putrescere, baptismi receperit sacramentum, & nunc præfato nobili viro viam universæ carnis ingresso, qui sufficienter ei necessaria ministrabat, ita paupertate gravetur, ut non habeat unde vitæ sustentationem possit habere, per vos ipsius necessitati provideri volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus ob reverentiam illius per quem ipse lucem veritatis accepit, taliter ei necessaria ministretis, quòd in victu & vestitu convenienter sit ei provisum; scituri pro certo quòd graviter & molestè ferremus, nec possemus sub dissimulatione transire, si mandatum nostrum, quod opus continet in se pietatis, relinqueretis aliquatenus imperfectum. Datum Lat. Nonis Decembris.

Epist. 214. Vt pauperem quendam, ex Iudæo Christianum, alant.

CISTERCIENSI, MORIMVNDENSI, & de Crista Abbatibus.

EA est in fovendis virtutibus & vitiis extirpandis à Prælatis Ecclesiarum servanda discretio & circumspectio adhibenda, ne vel internascentium densitate

Epist. 215. Vt cum Metensi Episcopo de hæresi suspectos examinent.

Vide suprà epist. 141.

spinarum enormiter frumenta lædantur, vel insuper seminatorum zizaniorum evulsione triticum evellatur. In abscidendis etiam & curandis corporibus infirmorum sic oculi diligentia præcedere debet manus officium, & ferrum digitus prævenire, ne si cauterium adhibeatur incautè, non tam partes infirmas non sanet, quàm sanas infirmet. quod tanto diligentiùs in mentis languoribus est servandum, quanto animam novimus corpore digniorem, & spiritualia carnalibus præponenda. Hoc autem infra nos ipsos diligentiùs attendentes, cùm olim venerabilis frater noster Metensis Episcopus per suas nobis litteras intimasset quòd tam in diocesi quàm in urbe Metensi laicorum & mulierum non modica multitudo Gallicæ cuidam translationi divinorum librorum intendens, secretis conventiculis etiam inter se invicem eructare præsumerent, aliorum aspernantes consortium, & in faciem redarguentibus Presbyteris resistentes, quorum simplicitatem fastidiunt, in suæ translationis peritia confidentes, non protinus ad vindictam nos res accendit incognita, sed universis tam in urbe quàm in Metensi diocesi constitutis, sub eo tenore litteras curavimus apostolicas destinare qui vobis ex transcripti earum poterit inspectione patere. Eidem insuper Episcopo & Capitulo Meten. dedimus in mandatis ut inquirerent solicitè veritatem quis fuerit auctor translationis illius, quæ intentio transferentis, quæ fides utentium, quæ caussa docendi; si utentes ipsa, venerarentur apostolicam sedem, & catholicam Ecclesiam honorarent; ut super his & aliis quæ necessaria sunt ad indagandam pleniùs veritatem per eorum litteras sufficienter instructi, pleniùs intelligeremus & planiùs quid super his statui oporteret. Nuper autem idem Episcopus per suas nobis litteras intimavit quòd quidam eorum, quos notabiles prioribus litteris denotarat, mandatis recusant apostolicis obedire; quibusdam eorum clanculò, quibusdam verò jam publicè obediendum esse dicentibus soli Deo; ab occultis etiam conventiculis non cessantes, officium prædicationis occultè, licèt à nullo mittantur, prohibiti etiam, sibi non metuunt usurpare, aspernantes sibi dissimiles, & translationi eidem usque adeo insistentes, ut se nec Episcopo nec Metropolitano suo nec nobis ipsis asserant pariturus, si eam decreverimus abolendam. Licèt autem tales in eo reprehendi meritò videantur quòd occulta conventicula celebrant, officium prædicationis usurpant, simplicitatem despiciunt sacerdotum, & eorum consortia qui dictam translationem non recipiunt aspernantur; ne quid tamen subitò facere videamur, discretioni vestræ, de qua plenè confidimus, per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus ad civitatem Meten. pariter accedentes, cum eodem Episcopo convocetis coram vobis talia sapientes, & adhærentes translationi prædictæ, & si fieri poterit, quæ in eis reprehensibilia fuerint, auctoritate freti apostolica, sublato appellationis obstaculo corrigatis. Quòd si correctionem vestram recipere fortè noluerint, inquiratis super capitulis illis quæ in litteris quas Episcopo miseramus expressa fuisse superiùs vobis expressimus & aliis etiam diligentiùs veritatem, & quòd inveneritis, per nuntium vestrum & litteras pleniùs intimetis; ut per vos certiores effecti, prout procedendum fuerit procedamus. Cùm enim in hoc universalis Ecclesiæ vertatur negotium, & agatur caussa fidei Christianæ, ad exequendum apostolicæ sedis mandatum cum summa diligentia & cautela vos studiosos & promptos esse volumus & mandamus. Ad hæc, M. Crispinum Presbyterum, & R. socium ejus, si super his quæ dictus Episcopus eis duxerit opponenda, inveneritis esse reos, ipsos appellatione remota canonicè puniatis. Alioquin eundem Episcopum ad remittendam pœnam, si quam eis forsan inflixit, cùm nihil contra eum vel Clerum in nostra proposuerint audientia, monitione præmissa, districtione qua convenit, remoto appellationis obstaculo, cogere non tarderis. Quòd si omnes &c. duo vestrum. Datum Laterani V. Idus Decembris.

NEAPOLITANO ARCHIEPISCOPO, & C. sancti Laurentij in Lucina Presbytero Cardinali, apostolicæ sedis Legato.

Epist. 136. Vt contra Beneventanum Archiepiscopum inquirant.

Nihil est penè quod magis debeat formidare Prælatus quàm vitium negligentiæ: quia si, juxta testimonium Veritatis, de omni verbo otioso in die judicij reddituri sunt rationem, quanto magis de omni bono neglecto, cùm eum etiam qui opus Dei agit negligenter,

ſcripturæ divinæ ſententia maledicat. Heli namque ſacerdos licèt in ſe bonus exiſteret, quia tamen filiorum exceſſus efficaciter non corripuit, & in ſe pariter & in ipſis animadverſionis divinæ vindictam excepit, dum filiis ejus in bello peremptis, ipſe de ſella corruens, confractis cervicibus expiravit. Ad corrigendos ergo ſubditorum exceſſus tantò diligentiùs debet Prælatus aſſurgere, quanto damnabiliùs correctionem eorum negligeret: contra quos (ut de notoriis exceſſibus taceatur) etſi tribus modis procedere poſſit, per accuſationem videlicet, denuntiationem, & inquiſitionem ipſorum; ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ſicut accuſationem legitima præcedere debet inſcriptio, ſic & denuntiationem caritativa commonitio & inquiſitionem clamoſa debet inſinuatio prævenire. *Deſcendam*, inquit Dominus, *& videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere jam compleverint.* Tunc enim clamor pervenit ad Prælatum, cùm per publicam famam aut inſinuationem frequentem ſubditorum ſibi referuntur exceſſus; & tunc debet deſcendere & videre, id eſt, mittere, & inquirere utrum clamorem veritas comitetur. Nam juxta canonicas ſanctiones, ſi quid de quocunque Clerico ad aures Prælati pervenerit, quod eum juſtè poſſit offendere, non facilè credere debet, nec ad vindictam eum res accendere debet incognita, ſed diligenter eſt veritas perſcrutanda, ut ſi rei popoſcerit qualitas, diſtricta ultio culpam feriat delinquentis. Cùm ergo de venerabili fratre noſtro Beneventano Archiepiſcopo, quod dolentes referimus, ea nobis relata fuiſſent quæ à pontificali honeſtate nimiùm diſſonabant, propter frequentem clamorem multorum ad inquirendum de ipſis pleniùs fuimus excitati, ne diſſimulatio negligentiæ vitium inducere videtur. Ipſe namque, ſicut fuit nobis expoſitum, poſt multas & graves culpas nequiter commiſſas ab eo, domum hoſpitalis ad ſuſceptionem pauperum & infirmorum olim à prædeceſſoribus ſuis rerum opulentia præmunitam, civilis belli ſocius & magiſter effectus, fecit nequiter demoliri; de cujus videlicet hoſpitalis proventibus, tertia portio Eccleſiæ beati Bartholomæi perpetuò debebatur; occaſione cujuſdam equitaturæ ſuæ à W. Guarna Canonico ejuſdem Eccleſiæ ſibi redditæ ſine freno, per ſatellites ſuos ſeditionem fecit in populo: ex qua ſuborto prælio, quod præcepit invocato diabolo inchoari, plures tam Clerici quàm laici interfecti fuerunt. Cùmque quoddam caſtrum Hugonis de Feniculo, poſt deſtructionem terræ ipſius, integrum remanſiſſet, idem populum concitavit: cum quo in ipſum caſtrum inſurgens, illud cum nonnullis mulieribus & pueris incendio devaſtavit. Molendinum, vineas, & alia multa ad ſuam Eccleſiam ſpectantia deſtrui omnino permiſit, cocum ſuum propria manu percutiens interfecit; ruſticum quendam hoſtiliter inſecutus, pro eo quod puerum in ulnis deferens, importunè pro confirmatione illius inſtabat, ſuóque Clerico reſiſtebat, ab eo violenter impulſus, ita vulnerari præcepit, quòd vitam illius vulneris occaſione finivit. Beneficia eccleſiaſtica minus canonicè, juxta ſuæ voluntatis arbitrium, diſpenſare præſumit. Sacerdotes & Clericos abſque cauſſa rationabili officiis & beneficiis deſtitutos non priùs reſtituit quàm cupiditati ejus recepta pecunia ſatisfiat. Augmentationi poſſeſſionum & ornamentorum Eccleſiæ ſuæ non ſolùm, ut tenebatur ex officio, non intendit, verùm etiam adeo in ſpiritualibus & temporalibus eam læſit, ut conſilio deſtituta & pravorum pedibus jaceat conculcata. Cùm autem hæc & alia per quoſdam Eccleſiæ ſuæ Canonicos nobis denuntiata fuiſſent, contra quos tamen multa, ut eos à denuntiatione repelleret, opponebat; nos officij noſtri debitum proſequentes, de communi fratrum conſilio vobis inquiſitionem eorum duximus committendam; per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes quatenus ad locum congruum utrique parti ſecurum pariter accedentes, ſine perſonarum acceptione, Deum habentes præ oculis, ſuper his inquiratis appellatione remota, noſtra freti auctoritate, diligentiſſimè veritatem; & quod inveneritis, ſub teſtimonio litterarum veſtrarum nobis fideliter intimetis; ut per inquiſitionem veſtram ſufficienter inſtructi, meliùs in ipſo negotio procedere valeamus.

CAPITULO CHALCOENSI. *Epiſt.* 137. Ne in alios quàm donata ſunt uſus bona Eccleſiæ ſuæ conferantur.

CVm monaſterium veſtrum ſpecialiter beati Petri juris exiſtat, & ad noſtram nullo mediante juriſdictionem

pertineat & tutelam, paci & tranquillitati vestræ solicitiùs nos convenit providere, & in quibus salva conscientia possumus, petitiones vestras libentiùs debemus & volumus exaudire. Dilecto namque filio nostro H. monacho vestro referente accepimus quòd Abbates qui pro tempore in vestro monasterio administrant Ecclesias quæ illi monasterio ad sustentationem fratrum & hospitum susceptionem ac pauperum concessæ sunt canonicè & collatæ, in dispendium vestrum quibusdam personis conferunt & assignant, pro quibus illarum proventus sustentationi fratrum & pauperum indebitè subtrahuntur. Vnde quoniam indignum est admodum & absurdum ut fratrum ac pauperum stipendia per aliquorum præsumptionem eis illicitè subtrahi debeant quorum sunt usibus deputata, ad exemplar felicis recordationis Lucij Papæ prædecessoris nostri præsentium auctoritate statuimus & firmiter prohibemus ut nullus de cetero Ecclesias vestras aliquibus conferre præsumat, per quos ipsorum proventus ad alium usum transferri debeant, nisi ad eum pro quo piis desideriis ac devotione laudabili vestro monasterio sunt concessæ. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ constitutionis & inhibitionis &c. Datum Laterani III. Kalen. Decembris.

EPISCOPIS ET ALIIS Ecclesiarum Prælatis per regnum Scotiæ constitutis.

Epist. 138. Vt ab injuria monasterij Chelcoënsis abstineant.

Licèt universa loca religiosa ex commissi nobis officij debito fovere & diligere debeamus, illorum tamen profectibus specialem nos oportet curam impendere quæ ad jurisdictionem beati Petri & nostram noscuntur nullo mediante spectare. Inde siquidem est quòd nos libertates & jura monasterij Chelcoënsis, & ea maximè quæ ipsi ab apostolica sede indulta sunt, integra volentes & illæsa servare, felicis recordationis Lucij Papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus nullus vestrum in Abbatem & fratres prætaxati monasterij excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam audeat promulgare. Cùm autem sententia in parochianos alterius ab aliquo vestrum prolata de jure non teneat, multo minùs illa quæ in speciales Ecclesiæ Romanæ filios, qui scilicet nulli nisi Romano Pontifici sunt subjecti, profertur, debet ab aliis observari. Quod si aliquis vestrum attentare præsumpserit, ejus in hac parte factum nullas vires obtineat, sed irritum potiùs & vacuum habeatur. Nos enim universa quæ prænominato Abbati & fratribus vel monasterio ipsorum apostolicæ sedis privilegiis indulta noscuntur, firma volumus & inconcussa teneri, & eadem à vobis inviolabiliter præcipimus observari. Statuimus etiam ut cùm ad aliqua ecclesiastica sacramenta in prælibata Ecclesia impendenda fueritis quandolibet evocati, ad hoc exequendum celeriter accedatis, nec ibidem aliquod jus propterea vendicetis. Datum Laterani Kal. Decembris.

STEPHANO ABBATI & Conventui sancti Sylvestri.

Epist. 139. Quòd laici nullam in res, bona, vel personas ecclesiasticas jurisdictionem habeant. Cap. Ecclesiæ S. Mariæ. De Constitut.

Ecclesia sanctæ Mariæ in via lata contra I. de Atteia, qui quasdam possessiones ipsius dicebatur contra justitiam detinere, movit tempore B. Carosomi dicti Senatoris sub L. judice quæstionem. In ipso autem judicio præfato I. de Atteia sindicus monasterij vestri astitit, & ab eo testes producti quidam de monachis extiterunt. Iudex verò auditis rationibus partium, pro eodem Iohanne absolutionis sententiam promulgavit: à cujus sententia pars altera vocem appellationis emisit. Super hoc igitur quæstione suborta proponente parte victrice quòd non potuerit appellari, cùm dictus L. non ut judex sed tanquam arbiter fuisset electus; victa è contrario asserente quoniam cùm arbitrio fuerit contradictum, quod partes non nisi metu pœnæ constringit, quæ in præmisso arbitrio non fuerat comprehensa, meritò potuit appellari, & fortiùs, si judicium extitisset. De hoc igitur ad jamdictum B. Carosomi quæstione perlata, causam appellationis S. primicerio judicum delegavit: in cujus præsentia partibus constitutis, dictus Iohannes de Atteia proposuit se conveniendum non esse, cùm non possideret id quod pars altera requirebat, sed monasterium sancti Sylvestri possideret rem petitam. Dictus autem B. Carosomi, quoniam statutum quoddam emiserat, à populo Romano approbatum pariter & acceptum, quòd si quis post litem contestatam, rem à se petitam

petitam transferret in alium, daretur possessio petitori, & alter fieret de possessore petitor, & idem I. post litem contestatam rem ipsam in monasterium transferre præsumpsit, possessionem rei petitæ assignavit Ecclesiæ memoratæ. Verùm quoniam dictus I. de possessionibus ipsis monasterio sancti Sylvestri annuam reddiderat pensionem, adjecit ut hoc ipsum ab Ecclesia sanctæ Mariæ fieret, donec de proprietate fundi cognosceretur; sed solutio quæ fieret pensionis, Ecclesiæ sanctæ Mariæ in via lata in jure suo penitùs non noceret. Hanc autem possessionem Ecclesia sanctæ Mariæ usque ad tempora Iohannis Petri Leonis Senatoris Vrbis inconcussè possedit: qui supplicatione monasterij vestri clementer admissa, R. judici caussam commisit eandem: qui auditis hinc inde propositis, pro monasterio ipso sententiam promulgavit, revocans quod præfatus B. Carosomi statuerat contra ipsum. Per quam sanè sententiam quoniam Ecclesia sanctæ Mariæ se læsam enormiter querebatur, & ipsa Senatori supplicavit prædicto: qui caussam commisit R. judici cognoscendam. Et quoniam ejus jurisdictio erat in proximo desitura, supplicatum fuit ob eandem caussam successoribus ejus Senatoribus jam electis; & ab eis caussa ipsa eidem judici delegata. Index verò ex veteris & novorum pariter Senatorum delegatione cognoscens, quod à jamdicto B. statutum fuerat approbans, Ecclesiæ sanctæ Mariæ possessionem restituit antedictam. Et cùm novem Consiliarios haberet Senatus, per octo ipsorum executioni fuit sententia demandata; sed unus ex iis, qui & nepos erat Abbatis sancti Sylvestri, quorundam Senatorum favore suffultus, Ecclesiæ sanctæ Mariæ possessionem violenter ablatam, monasterio tribuit nominato. Ex hoc ergo rixa crescente, usque ad armorum strepitum est processum. Ne verò deterius quid contingeret, bonæ memoriæ C. Papa prædecessor noster totum negotium ad suamsolicitudinem revocavit. Et quoniam tempus colligendorum fructuum imminebat, fructus præcepit apud colonos in sequestro deponi: circa quos si qua partium violentiam inferre præsumeret, caussæ suæ dispendium pateretur; venerabilibus fratribus nostris P. Portuensi & I. nunc Albanensi tunc verò Tusculanensi Episcopis tituli sancti Clementis & dilecto filio nostro G. sancti Angeli Diacono Cardinalibus caussam committens eandem. In quorum præsentia partibus constitutis, pro Ecclesia sanctæ Mariæ fuit contra monasterium vestrum objectum quòd violentiam pars vestra commiserat in fructibus sequestrandis. Et cùm super hoc testes fuissent utrinque producti, quia violentia liquidò probata non fuit, & in dimidio ruglo hordei dicebatur admissa, Abbate nihilominus prohibente ne delictum personæ redundaret in damnum Ecclesiæ, facta hordei restitutione provisum est ut ad quæstionem possessionis fieret in caussa processus: de qua coram eisdem productis testibus, & attestationibus publicatis, fuit diutiùs disceptatum. Consequenter verò post decessum præfati prædecessoris nostri, partibus in nostra præsentia constitutis, Ecclesia beatæ Mariæ possessionem, qua fuerat prætermisso juris ordine spoliata, sibi restitui postulabat. Et quoniam alij Senatorum sententiam pro monasterio, alij latam pro Ecclesia processu temporis confirmarant, nos quicquid ab eis factum fuit postquam dictus prædecessor noster ad curam suam idem negotium revocavit, de consilio fratrum nostrorum irritum decrevimus & inane. Cùm ergo nobis constiterit, & ex ipsa confessione partium tenuerimus, quòd unus Consiliariorum contra sententiam de voluntate octo executioni mandatam de facto, quia de jure non poterat, veniens, Ecclesiam ipsam possessione sua spoliaverit violenter, & nihilominus attendentes quòd etiam injusto possessori violenter ejecto restitutionis sit beneficio succurrendum, spoliatam Ecclesiam in eo statu decrevimus reponendam in quo fuerat tempore violentiæ perpetratæ. Verùm quoniam præfatam possessionem, post restitutionem factam ab I. de Atteia, monasterium alij locationis titulo assignarat, neque restituere poterat Ecclesiæ spoliatæ, loco illius tantundem possessionum æquivalentium, secundùm arbitrium dilectorum filiorum I. Tineosi Capellani & P. Hostiarij nostrorum, eidem Ecclesiæ fecimus assignari: quæ quoniam alij fuerant jure pignoris obligatæ, à creditoribus eas fecimus liberari, qui nobis instrumentum pignoris postea resignarunt. Et quia sæpefatum monasterium vestrum sequebatur à præmisso B. Caro-

fomi contra justitiam spoliatum, & ipsum per officium nostrum restitui * supplici- ter postulabat, quòd statutum ejus nul- lius valoris extiterit multipliciter asseve- rans. Sæpefatus enim B. cùm seipsum in- truserit in senatoriam dignitatem, nec apostolicæ sedis favorem habuerit, ad quam institutio pertinet Senatorum, sta- tutum non potuit emittere quod valeret: qui etiamsi fuisset legitimè institutus, ipsius statutum, quamvis sibi subjectos, Ecclesias tamen nullatenus obligaret; præsertim cùm juri civili esset adversum, quod aliam pœnam litigiosas res trans- ferentibus statuit imponendam; illa di- stinctione inter contrahentes adhibita, ut si quis sciens ad donationes, vendi- tiones, seu alios contractus accesserit, non solùm redimere rem compellitur, sed etiam pretium ejus amittit; non ut lucro cedat alienanti, à quo etiam alia tanta quantitas est fisci juribus inferen- da; sin autem ignorans rem litigiosam emerit, vel per aliam speciem contractus acceperit, tunc alienatione rei facta ir- rita, pretium ejus cum alia tertia parte recipiet, instrumentis etiam nullam vim obtinentibus quæ super contractibus hu- jusmodi statuuntur. Verùm eos qui do- tis nomine, vel ante nuptias donationis, transactionis, vel divisionis rerum here- ditariarum factæ, vel per legati vel fidei- commissi caussam hujusmodi dederint vel acceperint, à præmissis pœnis eadem constitutio excipit nominatim. Quòd si etiam obligare posset Ecclesias, mona- sterium in illa constitutione nequaquam inciderat; cùm antedictus I. nullam in illud penitùs possessionem transtulisset, qui tanquam colonus terras illas tenue- rat, & eas non suo sed monasterij no- mine possidebat. quod etiamsi fecisset, quoniam priùs conventus à monasterio quàm ab Ecclesia fuerat, & per arbi- trium, & nihilominus jure transactio- nis, per quam citra pœnam litigiosi con- tractus res potest in alium lite contesta- ta transferri, res restituit antedictas, in statutum præmissum nullatenus incidis- set. quin potiùs, etsi contra illud fecis- set statutum, quoniam nec conventum, nec confessum in judicio, vel convictum, possessione sua monasterium fuerat spo- liatum, instanter eam sibi restitui postu- labat, quam ex nulla vel saltem injusta caussa pars altera detinebat. Has autem rationes Oeconomus sanctæ Mariæ nite- batur multifariam infirmare. Quamvis enim dictus B. circa prælationis suæ pri- mordia gratiam sedis apostolicæ non ha- buerit; quia tamen ab ea fuit tempore procedente receptus, & ratihabitio re- trotrahitur, perinde habendus erat tan- quam ab initio legitimè fuerit institutus; qui tanquam alienus judex non poterat à monasterio evitari, cùm nec novum sit, nec insolitum, quòd ubi Clerici sunt actor & reus, caussas civiles in Vrbe co- ram judicibus per sedem apostolicam in- stitutis ex delegatione Senatorum ab ea jurisdictionem habentium prosequantur. Vnde nec in alieno foro intelliguntur, sed in proprio Romani Pontificis litiga- re, cujus auctoritate fortiri videntur ef- fectum quæ ab hujusmodi Senatoribus vel judicibus statuuntur. Quòd si forum senatorium fuisset monasterio penitùs alienum; quia tamen Oeconomus dicti monasterij sub L. judice à præfato B. in- ter Ecclesiam sanctæ Mariæ & dictum I. de Atteia delegato ipsi I. astitit, & eum in jure defendit, judicium ejus non po- tuit ulteriùs declinare. Statutum autem ipsius B. de quo sæpius est præmissum, & quod non juri adversum sed consonum potiùs existebat, (cùm etiam in jure ca- nonico caveatur quòd res in litigio posi- ta non sit in personam aliam transferen- da) non ad possessores solos sed etiam ad illos dicebat extendi qui tenore sal- tem detentionis cujusquam poterant conveniri; quales constat esse colonos etiam temporales. Perpetui namque uti- lem saltem possessionem habentes, & conveniri possunt, & in alium transfer- re quod habent; sicut I. fecerat antedi- ctus; cujus factum neque præmissum ar- bitrium poterat nec transactio excusare, cùm in dolum & fraudem fuerint atten- tata. Iudex namque in quem fuit à par- tibus compromissum, consanguineus ipsius I. & infeudatus monasterij dicitur extitisse, nihilque fecisse in publicum, sed omnia in secreto, quamvis instar ju- diciorum sint arbitria introducta. Coë- git quoque partes ad transigendum, sicut ex rescripto transactionis apparet; & cùm de transactione non fuerit compro- missum, quæ non est necessitatis, sed li- beræ potiùs voluntatis, dolo quasi ex perspicuis insidiis jam probato, transa- ctionem inefficacem penitùs asserebat. Illa quoque ratione dicebat Ecclesia pe- titionem monasterij repellendam, quòd

* In tertia Coll. humiliter

cùm possessionem ipsam sine dolo & culpa sua obtinuerit auctoritate Prætoris, & per hoc jus sibi fuerit acquisitum, monasterium vestrum super possessorio andiri ulteriùs non debebat, cui parata erat in petitorio respondere. His ergo & similibus in nostra & fratrum nostrorum præsentia prudenter à partibus allegatis, nos attendentes quòd laicis etiam religiosis super Ecclesiis & personis ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, à quibus si quid motu proprio statutum fuerit quod Ecclesiarum respiciat etiam commodum & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum, (unde statutum Basilij de non alienandis prædiis rusticis vel urbanis ministeriis & ornamentis Ecclesiarum illa reprobatum fuit potissimum ratione, quòd auctoritate Romani Pontificis non fuit roboratum) ne in exemplum transeat similia præsumendi quod à sæpedicto B. factum fuerat in præjudicium monasterij non conventi, nec confessi etiam, vel convicti, prorsùs in irritum revocantes, possessiones easdem restituendas sibi sententialiter diffinimus, nec ipsas quæ in locum & jus illarum quas ab I. de Atteia Ecclesia sanctæ Mariæ petierat successerunt, interim alienare valeat prohibentes; ut si Ecclesia sanctæ Mariæ vel de vitio litigiosi contractus vel de proprietate forsitan voluerit experiri, ne si obtinuerit in judicio, in vanum laboret, monasterio minimè possidente, sit quod evincere valeat & habere. Datum Laterani V. Kal. Decembris.

Scriptum est super hoc in eundem modum Clerici sanctæ Mariæ in via lata.

OLDEBERTO SUBDIACONO nostro, Præposito sancti Gaudentij Novariensis.

Epist. 140. Vt habeat jurisdictionem in suos fratres.

AD hoc in domo Domini statuta fuisse noscuntur officia Prælatorum, ut ipsi speculatores soliciti existentes, excessus puniant subditorum, & de agro Domini zizania colligant ad comburendum, & triticum in ipsius horreis studeant congregare. Vt igitur commissum tibi præpositnræ officium utiliùs prosequi valeas, devotioni tuæ auctoritate duximus præsentium indulgendum ut liceat tibi excessus fratrum tuorum secundùm Deum & justitiam, non obstante appellatione, si qua forsan fuerit facta in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ, corrigere, & eos bonis actibus informare. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis &c. Datum Laterani Idibus Decembris.

VERCELLENSI EPISCOPO.

Epist. 141. Excommunicati nec eligere possint, nec eligi.

AD audientiam nostram te significante pervenit quòd cùm Casale sancti Evasij, quod ad jus & dominium pertinet Ecclesiæ Vercellensis, propter multas & enormes injurias quas habitatores ipsius Casalis eidem Ecclesiæ intulerunt, jamdudum sit interdicto suppositum, & majores ejusdem loci excommunicationis sententia innodati, Clerici Casalis ejusdem quosdam scholares, qui cum aliis sunt ecclesiastico interdicto suppositi, in fratres & Clericos elegerunt. Quia verò quibus ecclesiastica sunt officia interdicta, dum tales existunt, eligi non debent ad ecclesiastica beneficia, cùm officiorum intuitu beneficia conferantur, fraternitati tuæ, si præmissis veritas suffragatur, cassandi electionem hujusmodi, non obstante contradictione vel appellatione qualibet, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Præterea quia, sicut tua nobis insinuatio parefecit, quidam Miles de melioribus ipsius loci tibi fideliter astitit in persecutione quam tibi & Ecclesiæ tuæ alij faciebant, propter quod incurrit odium vicinorum, damna plurima est perpessus, cujus filio, scholari scilicet bonæ indolis, ut testaris, in Ecclesia Casalensi desideras providere; volentes, quantum cum Deo possumus, tuæ fraternitati deferre, ut scholarem ipsum in Ecclesia memorata, sublato contradictionis & appellationis obstaculo, instituere valeas, auctoritate tibi præsentium indulgemus. Datum Laterani III. Idus Decembris.

VERCELLENSI EPISCOPO.

Epist. 142. Vt decimæ ab omnibus persolvantur. Cap Tua. De Decimis.

TVa nobis fraternitas intimavit quòd quidam laici tuæ diocesis, & alij plures episcopatuum adjacentium, decimas Ecclesiis & Clericis tuis perversis machinationibus subtrahere moliuntur, & conceptæ perversitatis audaciam non curant satisfactione debita emendare. Quidam enim ex eis semen & sumptus qui fuerint in agricultura pri-

mitus deducendos, & de residuo impendendam esse decimam asseverant. Alij verò de portione fructuum, quam à colonis accipiunt, partem decimæ separantes, eam Capellanis suis, vel aliis Clericis, seu Ecclesiis, aut etiam pauperibus conferunt, vel in usus alios pro sua voluntate convertunt. Nonnulli Clericorum vitam tanquam abominabilem detestantes, decimas eis ob hoc subtrahere non verentur. Quidam insuper asserentes se possessiones & omnia jura sua cum omni honore atque districto per imperialem concessionem adeptos, decimas sub hujusmodi generalitate detinere præsumunt. Occasione præterea veteris decimationis, quam asserunt sibi concessam, aliqui decimas novalium sibi non metuunt usurpare. Verùm si ad eum à quo bona cuncta procedunt assertores hujusmodi debitum respectum haberent, jus ecclesiasticum diminuere non contenderent, nec decimas, quæ tributa sunt egentium animarum, præsumerent detinere. Cùm enim Deus, cujus est terra & plenitudo ejus orbis terrarum & universi qui habitant in ea, deterioris conditionis esse non debeat quàm dominus temporalis, cujus statutum debitum de terris quas exhibet aliis excolendas, non quidem deductis sumptibus, aut semine separato, necessarium esse dignoscitur cum integritate persolvi, nimis profectò videtur iniquum si decimas, quas Deus in signum universalis dominij sibi reddi præcepit, suas esse decimas & primitias asseverans, occasione præmissa vel excogitata magis fraude diminui fortè valerent. Cùmque Deo debita sit solutio decimarum, in tantum ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, laici, si moniti fortè noluerint, ecclesiastica sint districtione cogendi, prætextu nequitiæ Clericorum nequeunt eas aliis, nisi quibus ex mandato divino debentur, pro suæ voluntatis arbitrio erogare, cùm nulli sit licitum aliena cuicunque concedere præter domini voluntatem, quanquam per sollicitudinem officij pastoralis Clerici sint à sua nequitia coërcendi; & cùm de cunctis omnino proventibus decimæ sint reddendæ, sicut colonus de parte fructuum quæ sibi remanet ratione culturæ, sic & dominus de portione quam percipit ratione terræ, decimam reddere sine diminutione tenetur. Porrò cùm laicis nulla sit de spiritualibus rebus concedendi vel disponendi attributa facultas, imperialis concessio, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ divina constitutione debentur, nec occasione decimationis antiquæ, licèt in feudum concessæ, decimæ sunt novalium usurpandæ, cùm in talibus non sit extendenda licentia, sed potiùs restringenda. Quoniam igitur pati nolumus nec debemus ut Ecclesiarum & Clericorum jura præsumptione qualibet minuantur, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus quatenus omnes qui ratione personarum aut etiam prædiorum decimas Ecclesiis & Clericis tuæ diocesis exhibere tenentur, ad eas cum integritate reddendas sublato appellationis obstaculo auctoritate apostolica per excommunicationis vel interdicti sententiam compellendi liberam habeas facultatem. Præterea ut Clericos tuæ diocesis, de quibus fuerit in auditorio tuo querela proposita, de decimis antedictis & fructibus perceptis ex eis ad plenam sub tuo examine justitiam faciendam compellere valeas, non obstante appellationis objectu interpositæ in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ, devotioni tuæ præsentis scripti pagina duximus indulgendum. Decernimus ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis &c.

CANTUARIENSI ARCHIEPISCOPO, Episcopo Londoniensi, & Magistro W. de Sumercote Canonico Lincolniensi.

Epist. 141. De pœna illius qui in judicem apostolicum manus violentas injecit.

Dilectus filius Magister B. Clericus in nostra præsentia constitutus sua nobis conquestione monstravit quòd cùm caussa quæ inter ipsum & R. Clericum vertitur super Vicaria Ecclesiæ de Heminton, qua fuerat contra justitiam spoliatus, à bonæ memoriæ C. Papa prædecessore nostro dilectis filiis Fordensi Abbati, Archidiacono Dorsete, & Magistro T. Canonico Wellensi, sicut iidem judices suis nobis litteris intimarunt, commissa fuisset, & pro ipso Magistro B. sententia promulgata, idem R. Clericus in annis etiam nunc minoribus constitutus (prout in eisdem continetur literis) procuravit quòd ad dictos judices præceptum regium emanaret ne mandatum apostolicum adimplerent. Sed ipsi magis placere Deo quàm hominibus cupientes, id facere noluerunt. Quapropter

tam judices quàm Magister antedictus rebus propriis jussi sunt spoliari. Sed pater præfati R. & Ecclesiam incastellare præsumpsit, & quò minùs præfatus Fordensis Abbas sententiam auctoritate apostolica promulgatam executioni mandaret, per violentiam impedire, quam adhuc detinere dicitur occupatam; & quod gravius est, ipse ac pater ejus manus in dictum Abbatem fecerunt injici violentas. quapropter in eos fuit ab eisdem judicibus excommunicationis sententia promulgata. Processu verò temporis idem R. ad dilectos filios Abbatem de Garrera & conjudices suos, sæpedicto Magistro B. certa ratione suspectos, cùm ad eos sine periculo mortis accedere non valeret, litteras impetravit: per quas asserens litteras falsas fuisse antedictis judicibus destinatas, (quas nobis exhibitas in nullo invenimus esse culpabiles) quod ab eis legitimè factum fuerat nitebantur in irritum revocare. Licèt autem falsitatis vitium acerrimè persequamur, ne tamen ex hoc pœna innocentibus infligatur, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus omni contradictione & appellatione cessante memoratam sententiam exequi minimè postponatis; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, ut à sua præsumptione desistant, per excommunicationis sententiam compescentes; in irritum etiam reducentes quicquid obtentu prædictarum litterarum ad dictos Abbatem de Garrera & ejus conjudices directarum, in præjudicium sæpedicti Magistri B. inveneritis immutatum. Illos verò qui manus in dictum Abbatem temerarias injecerunt, vel etiam injici præceperunt, tamdiu excommunicatos publicè nuntietis, & faciatis ab omnibus arctiùs evitari, donec passo injuriam satisfecerint competenter &c. *usque* absolvendi. Si autem diligenter quæ præmisimus exequi studeatis, quòd vigilantiam vestram possimus propterea commendare, nec super his ad nos ulteriùs quæstio perferatur. Quod si fieret, grave nobis existeret & molestum. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c.

Epist. 244. A sententia & re judicata non appellatur quidem, sed judex suspectus semper recusari potest.

ADRIANO VLTRASTLVANENSI Episcopo.

QVoniam ea quæ per ordinem judicialis examinis rationabiliter sunt decisa, nulla debent temeritate rescindi, sed perpetuæ stabilitatis robore confirmari, præsentium litterarum auctoritate statuimus ut si aliquod scriptum contra sententiam quæ contra Flandrenses sacerdotes, qui positi sunt in terra sancti Michaëlis quondam decimali, super jure parochiali pro te lata est, per subreptionem appareat impetratum, viribus careat, & tuis imposterum rationibus non obsistat. Illud quoque decernimus, & per præsentes tibi litteras indulgemus, ut si venerabilis frater noster Strigoniensis Archiepiscopus, vel Gibiniensis Præpositus, aut ipsi Flandrenses Presbyteri, præter conscientiam tuam & procuratoris tui in gravamen tuum judices aliquos impetraverint, quos vel habeas adversarios vel manifestè possis probare suspectos, ad recusandum illos liceat tibi sedem apostolicam appellare, etiamsi in commissionis litteris appellationis sit remedium interclusum. Datum Laterani XIX. Kal. Ianuarij.

CLERO, MILITIBVS, & populo Capuanis.

Epist. 245. D. negotio regni Siciliæ.

INter innumeras solicitudines nostras, quantum ad occupationes mundanas, illam quasi præcipuam reputamus quam de provisione regni Siciliæ concepimus & tenemus; cùm præter debitum officij pastoralis, & jure dominij & ratione balij dignoscatur ad nos ejus provisio specialiter pertinere. Vt autem propositum nostrum evidentiùs prodeat in effectum, licèt hactenus non sine multis anxietatibus & expensis tam spiritualiter quàm temporaliter ad defensionem ejus intenderimus diligenter, & per Dei gratiam profecerimus, ecce nunc ad contritionem hostium & defensionem fidelium, ad exercendam justitiam & pacem servandam vices nostras, quas per nos ipsos nondum possumus præsentialiter exercere, dilecto filio nostro C. tituli sancti Laurentij in Lucina Presbytero Cardinali, viro nobili, provido, & honesto, quem inter fratres nostros speciali caritate diligimus, duximus committendas; quas ut meliùs possit implere, venerabiles fratres nostros Neapolitan. & Tarentin. Archiepiscopos (quorum fidem & discretionem in multis sumus experti, & qui constitutiones & consuetudines regni pleniùs agnoverunt) & dilectos filios Iacobum Marescalcum nostrum, & Odonem de Palumbaria, viros nobiles & pru-

Vide infrà epist. 280.

dentes, linea nobis consanguinitatis astrictos, ei super executione balij duximus adjungendos, cum eis & per eos necessarium destinantes auxilium & præsidium opportunum; sperantes in eo qui non deserit sperantes in se quòd dummodo studeatis eis, sicut debetis, intendere, fructum facient exoptatum. Quia verò per opera potiùs quàm per verba vos ad devotionem sedis apostolicæ & fidelitatem regiæ celsitudinis necnon & regni defensionem ampliùs inducere disposuimus & fortiùs confirmare, remotâ prolixitate sermonum, cùm tempus agendi sit potiùs quàm loquendi, universitatem vestram monemus attentiùs, & sub debito juramenti, quod nobis præstitistis de balio, districtè præcipimus, quatenus eis, sicut Vicariis nostris, plenissimè intendatis; ita quòd vestro studio suffragante, per eorum industriam tempestate sedata, diù desiderata tranquillitas reducatur. Vt autem temporalis potestas per spiritualem auctoritatem efficaciùs adjuvetur, cùm simul omnibus vices balij committamus, prædicto Cardinali etiam legationis officium per totum regnum Siciliæ duximus concedendum; volentes pariter & mandantes ut quicquid omnes simul, aut aliqui vel aliquis eorum cum ipso, super administratione temporali statuerint ad honorem & profectum apostolicæ sedis & regiæ celsitudinis, recipiatur ab omnibus & servetur. Quicquid autem ipse super administratione temporali decreverit, plenam obtineat firmitatem. Datum Laterani.

In eundem modum Archiepiscopo, Clero, Militibus, & populo Tranensibus. Archiepiscopo, Clero, Militibus, & populo Cusentinis. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Melfien. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Florentin. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Cupersanen. Clero, Militibus, & populo Casalis novi. Clero, Militibus, & populo sancti Severi. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Civitaten. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Polinianen. Clero, Militibus, & populo de Baroli. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Treventin. Archiepiscopo, Clero, Militibus, & populo Acherontin. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Salpen. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Theatin. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Bitetten. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Asculan. Archiepiscopo, Clero, Baronibus, Militibus, & populo Hydrontin. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Iuvenacien. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Botentin. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Andren. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Licien. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Ravellen. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Aversan. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Vestan. Clero, Militibus, & populo de Fogia. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Rapollen. Archiepiscopo, Clero, Militibus, & populo Baren. Clero, Militibus, & populo Tarentin. Clero, Militibus, & populo Montis Corbin. Archiepiscopo, Clero, Militibus, & populo Regin. Episcopo Clero, Militibus, & populo Manturanen. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Monopolitan. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Venusin. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Potentin. Clero, Militibus, & populo Brundusin. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Baianen. Clero, Militibus, & populo Alarinen. Episcopo, Militibus, & populo Termulan. Archiepiscopo, Clero, Militibus, & populo Surrentin. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Policastren. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Neocastren. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Avellinen. Clero, Militibus, & populo Neapolitan. Archiepiscopo, Clero, Militibus, & populo Sipontin. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Scalen. Clero, Militibus, & populo Trojan. Episcopo, Clero, Militibus, & populo Cassanen. Clero, Militibus, & populo Gargan. Comitibus, Baronibus, Iustitiariis, & universis populis per regnum Siciliæ constitutis. Archiepiscopis, Episcopis, & ceteris Ecclesiarum Prælatis, & universis Clericis per regnum Siciliæ constitutis.

CANONICIS BRVNDVSINIS, & universo Clero Brundusinæ diocesis.

Epist. 246. Vt electo suo, qui sese apud Pontificem de objectis criminibus purgarat, obtemperent.

NVntios vestros & litteras, filij Canonici, sæpe recepimus, per quas venerabili fratri nostro electo vestro multa & gravia objecta fuerunt: propter quod ipsum aliquanto tempore apud sedem apostolicam detinuimus, expectantes si fortè aliquis, qui vellet prosequi accusationes adversùs eum propositas, compareret. Cùmque post diutinam expectationem nullus apparuisset in nostra præsentia qui contra ipsum in accusatione procederet, licèt quosdam versum acceperimus usque Beneventum venisse, sed propter viarum discrimina non

potuisse transire, & ipse de injusta ejectioue sua coram oobis pluries querimoniam replicasset, & in locum suum restitui postularet instanter; tandem pro eo dilecti filij Capitulum & universus Clerus Horitan. suas nobis litteras destinarunt, ipsum velut Episcopum suum remitti postulaotes ad Ecclesiam Horitan. cum plenitudine potestatis; & nobis etiam humiliter supplicarunt ut daremus io mandatis eidem quòd dignitates & jura Ecclesiæ Horitan. illibata conservans, in ea chrisma conficiat, & Clericorum ordinationes necnon & soleones festivitates ibidem non postponat alterna vicissitudine celebrare. In qua petitione Horitanæ Ecclesiæ nequaquam duximus annuendum, immo eam prorsùs decrevimus repellendam, cùm statum possessionis Ecclesiæ Brundusinæ sine cognitione nolimus per alicujus astutiam immutari. Verùm quoniam querelas præfati electi sæpius iteratas nequivimus surdis auribus pertransire, tam ei quàm Ecclesiæ Bruodusinæ, prout justitiæ tenor expostulat, providere voleotes, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eo reducto in eum statum in quo erat quando recessit ab Ecclesia Brundusina, ei aut procuratori suo de pontificalibus justitiis plenè respondere curetis, & ipsi, taoquam pastori vestro, devotè atque humiliter obedire; ut cùm destitutus aote restitutiooem juxta legitimas & caoonicas sanctiooes accusari oon debeat, oe status tam Ecclesiæ quàm personæ sine periculo diutiùs maneat in suspenso, restitutione præmissa, si quis voluerit & valuerit, in accusatiooem ipsius rectè procedat. super quo tam vobis quàm ipsi Dominicam qua cantatur *Lætare Hierusalem* proximè ventoram terminum assignamus. Noveritis autem nos venerabili fratri nostro Cupersaneosi Episcopo in mandatis dedisse ut si vos juxta maodatum oostrum ei nolueritis obedire, vos ad hoc per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Datum Lateraoi XVI. Kal. Iaouarij.

Illi scriptum est super hoc.

CAPITVLO ET CLERO Horitanensi.

Epist. 247. NVntios &c. *usque ad verbum* obedire. Ideóque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ei jura pontificalia, debitam etiam reverentiam & obedientiam, sicut Prælato vestro, exhibere minimè postponatis. Noveritis autem nos &c. *ut suprà.* Datum ut suprà.

MAGISTRO HENRICO Archidiacono Clusiensi.

IVstis petentium desideriis &c. *usque ad verbum* assensu, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quàm muodaois &c. *usque ad verbum* suscipimus. Specialiter autem archidiaconatum Clusiensem cum omnibus pertinentiis suis, sicut illum justè possides & quietè, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Lateraoi XVIII. Kal. Ianuarij. Epist. 248.

HILARIO ARCHIDIACONO de Quiz.

CVm à oobis petitur quod justum est &c. archidiaconatum de Quiz, cum omnibus pertinentiis suis, sicut ipsum justè possides & quietè &c. *ut suprà.* Nulli ergo &c. Epist. 249.

MAGISTRO HENRICO Canonico Ecclesiæ sancti Michaëlis Vltrasylvanensis.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* aonuentes, præbendam Ecclesiæ sancti Michaëlis Vltrasylvanen. cum omnibus pertioentiis suis, sicut eam justè & quietè possides, auctoritate tibi apostolica confirmamus, & præseotis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Siquis autem &c. Datum Laterani XVIII. Kal. Iaouarij. Epist. 250.

ILLVSTRI REGI FRANCORVM.

Epist. 251. Vt Regi Hierosolymitano contra Sarracenos auxilia mittat, & Græcorum Imperatori scribat ut ab intestinis contra Christianos bellis abstineat.

NVper ad nos carissimus io Christo filius noster A. Rex Hierosolymitanorum illustris suos cum litteris nuntios destioavit, per quos miserias & necessitates terræ orientalis, quæ graviores & plures sunt solito, nobis exposuit, & festinatum subsidium postulavit. Cùm enim pauci sint ibi ad custodiam terræ relicti, quæ ferè nunc tota peccatis exigentibus est viris & viribus spoliata, nisi eis fuerit citò subventum, tam terræ quàm popoli periculum formidatur, quod ex discordia Sarracenorum, qui se ipsos impugnant, videtur Dominus

hactenus misericorditer impediſſe. Si verò antequam redeant ad concordiam, congruum ſubſidium mitteretur, ſperatur pro certo quòd facile poſſet hoc tempore Hieroſolymitana provincia liberari. Sin autem priùs redierint ad concordiam quàm ſubſidium deſtinetur, timetur ab omnibus quòd reſiduum terræ de facili debeant obtinere. Monemus igitur ſerenitatem regiam & exhortamur in Domino, & in remiſſionem injungimus peccatorum, quatenus ſicut Chriſtianiſſimus Princeps, cujus obſequium Ieſus Chriſtus in tanta neceſſitate requirit, ad ſubſidium terræ ſanctæ diligenter ac potenter intendens, univerſos cruceſignatos de terra tua transfretare non ſolùm moneas, ſed compellas, & tu ipſe ad defenſionem terræ ipſius competentem in expenſis tuis dirigas numerum bellatorum, quaſi decimas ſaltem Chriſto perſolvens, ita quòd ex hoc divinam gratiam poſſis pleniùs promereri. Quòd ſi forſan multitudo in brevi transfretare non poterit, aliquot ſaltem milites armis, equis, & aliis bene muniti quàm citiùs dirigantur, qui in ejus defenſione uſque ad aliorum adventum humiliter & devotè perſiſtant, & eam ab incurſu hoſtium tueantur. Conſidera, fili cariſſime, conſidera diligenter, quòd ſi Rex aliquis temporalis de terra ſuæ dominationis ejectus, in captivitatem forſitan deveniret, niſi vaſſalli ejus pro liberatione regia non ſolùm res ſuas exponerent, ſed perſonas, nonne cùm reſtitueretur priſtinæ libertati, & acciperet tempus juſtitiam judicandi, infideles eos & proditores regios & velut læſæ majeſtatis reos damnabiles reputaret, & quoſdam eorum damnaret ſuſpendio, quoſdam mucrone feriret, & excogitaret etiam mortis hactenus inexcogitata tormenta, quibus malos malè perderet, & in bona eorum fideles aliquos ſubrogaret? Nonne ſimiliter Ieſus Chriſtus Rex Regum & dominus dominantium, cujus te ſervum eſſe non negas, qui & corpus & animam tibi contulit, qui te ſuo ſanguine pretioſo redemit, qui regnum tibi conceſſit, qui & vivere tibi contulit & moveri, & univerſa quæ habes bona donavit, cùm nihil habeas quod de ipſius munere non acceperis, de ingratitudinis vitio & velut infidelitatis crimine te damnaret, ſi ei ejecto de terra quam pretio ſui ſanguinis comparavit, & à Sarracenis in ſalutiferæ crucis ligno quaſi captivo detento, negligeres ſubvenire? cùm etiamſi quondam ei tam in te quàm in tuis potenter ſubveneris, quia tamen nondum eſt liberatus, & omnia bona quæ habes, ipſius poſſideas dono collata, in diſtricto noviſſimæ diſcuſſionis examine, quando reddet unicuique ſecundùm opera ſua, te coram eo non poſſes aliquatenus excuſare, niſi ei curaveris in tantæ neceſſitatis articulo ſubvenire. Mittimus autem ad te nuntium Regis ipſius, qui ſerenitati tuæ pleniùs orientalis provinciæ neceſſitates exponat, & te reddat de omnibus certiorem. Quia verò Conſtantinopolitanus Imperator adversùs eundem Regem procedere occaſione Cypri minatur, vel dirigere contra eum exercitum copioſum, & vires ejuſdem Regis non ſuppetunt ad defenſionem Hieroſolymitanæ provinciæ, nedum quòd eidem Imperatori valeat obviare; volumus nihilominus & monemus quatenus eidem Imperatori litteras tuas ſub eo tenore transmittas, ut in hoc articulo tempeſtatis & neceſſitate totius populi Chriſtiani non moleſtet Regem eundem, cui deberet potiùs ſubvenire. Addas etiam, quòd ſi ſuper hoc preces tuas duxerit audiendas, apud nos precibus inſtare curabis ut ei faciamus juſtitiam exhiberi, & nihilominus partes tuas efficaciter interponas. Nos etiam ad eundem Imperatorem propter hoc ſpecialiter curavimus nuntium deſtinare.

In eundem ferè modum ſcriptum eſt ſuper hoc illuſtri Regi Anglorum.

LITERÆ LEONIS REGIS Armeniorum ad Papam Innocentium.

Reverendo in Chriſto Patri & Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici & univerſali Papæ, tanto talique honore digniſſimo, Leo per eandem & Romani Imp. gratiam Rex Armeniorum, Romanæ Eccleſiæ honorem & excellentiam pro poſſe promovens, grata ſervitia, & pedum oſcula. Quoniam ſedes apoſtolica omnium penè pulſantium neceſſitatibus occurrit, ab omnibus filiis pro defenſione domus Iſraël labores & ſudores patientibus tanquam ad maternæ viſcera conſolationis concurritur, ut ab ea lac parvulis, ſolidus cibus ablactatis pro neceſſitate miniſtretur

Epiſt. 252. Apoſtolicum auxilium implorat. Vide Geſta Innoc. III.

nistretur cujusque. Vnde nos in remotis partibus ab inimicis crucis circumvallati, pro honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ totiúsque Christianitatis contra barbaricas nationes contendentes, ad pedes sanctitatis vestræ recurrimus, rogantes & deprecantes ut secundùm juris tenorem precibus & petitionibus nostris aures misericordiæ porrigere dignemini. Restat utique ut caussæ nostræ seriem per singula paternitati vestræ patefaciamus. Credimus enim vestram non latere notitiam Raymundum filium illustris Principis Antiochiæ, majorem natu Alizam neptem nostram divina disponente clementia sibi in uxorem duxisse, & ex ea filium nomine Rupinum genuisse, quem in honore Dei venerabilis Maguntinus Archiepiscopus baptizavit. Contigit nempe peccatis exigentibus (quod dolendo dicimus) ipsum Raymundum viam universæ carnis ingredi. Sed ante decessum, dum in sua bona erat memoria, patrem suum nobilissimum Principem rogavit ut jus hereditarium sibi pertinens unico filio suo reservaret. Cujus preces illustris Princeps non tradens oblivioni, nepotem suum Rupinum, filium Elidis neptis nostræ, coram se adduci fecit, & circumastantibus omnibus Baronibus & quampluribus aliis ad hoc specialiter convocatis, manifestavit & confirmavit prætaxatum Raymundum suum in plena curia esse heredem legitimum; dehinc conversus ad nepotem suum, similiter coram omnibus circumastantibus affirmavit ipsum jure hereditario sibi debere succedere. Vnde in sua memoria & sua bona voluntate ab omnibus hominibus suis ligiis, tactis sacrosanctis evangeliis & cruce dominica, eidem nepoti suo jurari & ligium hominium fieri fecit; salva tamen fidelitate sua, quoad vixerit. Posthæc ipsum puerum de Antiochia & toto principatu saisivit. quod manifestiùs patet per privilegium sigillo principali munitum, unde ad audientiæ vestræ pietatem transcriptum mittimus. Hac etiam de caussa pristinæ amicitiæ inter nos & Principem divina mediante clementia sunt renovatæ, veterésque inimicitiæ, per quas patriæ ruinam & personarum & rerum jacturam formidabamus, post terga sunt repositæ. His ita peractis, ecce Comes Tripolitanus, Magister & conventus Templi, Magister & conventus Hospitalis, Antiochiam venerunt, nos & terram nostram expugnare & pro posse lædere præmeditati. Contra quorum nequissimam præsumptionem de Deo confidentes, qui nunquam in se sperantes deserit, collectis animi viribus viriliter resistendo, nos murum opposuimus; atque in hunc modum per tres menses huc illuc deducentes, & blandis verbis tentantes, à servitio & defensione domus Israël nos removerunt. Et dum tantis excessibus suis ad regni nostri defensionem opportunitatem non haberemus, quædam incurrimus damna metis & finibus nostris à barbaris irrogata. Post hæc videntes & dolentes Deo defendente nos minimè lædere posse, habito consilio cum communia Dominum Principem B. (proh dolor) exclusere, & tam contumeliis minarum quàm injuriis detractorum exasperaverunt. Exulato itaque Principe, quidam ficti amici Comitis, & pretio & precibus ipsi Comiti alligati, populum Antiochiæ veneno so instinctu suo subverterunt, dicentes Comitem esse legitimum heredem Principis. quod nefas est prædicare. Sic autem contra dominum suum, fractis legitimis sacramentis, calcaneum erigentes, nos speraverunt expugnasse & non modicùm læsisse. Super quibus ad Romanam appellavimus audientiam, ad exequendum & recipiendum justitiam sub juris & æquitatoris amatore. quod Antiocheni omnino neglexerunt. In his Templarij, Hospitalarij, à rationis tramite non dissentientes, præmissa mala postposuerunt, & nobiscum pacem inierunt. Postea congregato exercitu nostro, tamdiu laboravimus invigilantes, quoad usque Principem in principali sede sua sedere & in civitatem suam honorificè recipi cognovimus. Ad hæc, præsentium latorem R. de Margat nomine, fidelem & dilectum nostrum Militem, ad pedes sanctitatis vestræ dirigimus, rogantes & deprecantes ut eum nostri contemplatione in cunctis agendis nostris recommendatum habeatis, & quicquid ex parte nostra dixerit tam de negotiis & persecutionibus totius patriæ quàm de nostris, credere non dubitetis. Igitur vestram suppliciter & flexo genu exposcimus clementiam quatenus ante submersionem Syriæ periclitanti manum subsidij porrigere festinetis, & causam nepotis Principis & nostri juxta juris tenorem exe-

cutioni mancipare non differatis; quatenus ea quæ ex adversaria parte minùs justè pullulant, apostolica falce sint resecata; & pars nostra de pietate vestra confidens, per Dei & vestrum auxilium delectabiles exitus matutini & vespere gaudeant reperisse. Cupimus præterea & exoptamus ut extensis in cœlum manibus, & fusis in monte precibus, vincatur Amalech; quatenus post multa flagella filiorum Israël, arca Dei liberata tempore sacerdotij vestri revertatur in Sylo, ubi populus pacificas hostias possit immolare, & pro offensionibus suis sacrificio contriti cordis Deum placare. Mittat etiam Salvator & propugnator noster David fidelem in auxilium nostrum, qui numerosa Philistinorum præputia circumcidat, & in fortem Israëliticæ plebis abducat; quatenus hæc terrena Hierusalem non serviat ut ancilla cum filiis suis, sed supernam, quæ libera est, imitetur; cujus cives sunt non tantùm qui in hac valle lachrymarum peregrinantur, sed etiam hi qui ad supernæ visionis pacem pertinere merentur. De cetero commendamus solicitudini vestræ reliquias Syriæ, quæ quotidie vestrum expectant & interpellant subsidium.

LEONI ILLVSTRI Regi Armeniæ.

Epist. 257. Respondet epistolæ superiori. Extat in Gestis Innocentij III.

EI à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, qui corda Principum habet in manu sua, & à quo est omnis potestas, quas possumus gratiarum referimus actiones, quòd te usque adeo in devotione apostolicæ sedis radicavit, ut non solùm in spiritualibus, sed in temporalibus etiam ad auxilium Ecclesiæ Romanæ recurras, & in tuendis justitiis tuis per appellationem interpositam opem ejus implores. Veniens enim ad apostolicam sedem dilectus filius nobilis vir Robertus de Margato Miles nuntius tuus plenè nobis exposuit tuæ devotionis affectum, & regiæ serenitatis litteras nobis obtulit continentes quòd cùm R. primogenitus quondam filius nobilis viri R. Principis Antiocheni A. neptem tuam duxerit in uxorem, ex ea mascula prole suscepta, dum ageret in extremis, eidem Principi supplicavit ut successionem quæ ipsi jure hereditario competebat, Rupino unico ejus filio conservaret. Qui post mortem filij non immemor precum ejus, convocatis ligiis hominibus suis, quòd dictus Raymundus legitimus fuisset heres ipsius, & post mortem ejus Rupinus, prædicti Raymundi filius, ipsius Principis legitimus heres esset, publicè recognovit, & ei ab universis hominibus suis, salva fidelitate qua ei tenentur, dum vixerit, ligium fecit homagium exhiberi. Deinde quoque prædictum Rupinum de civitate Antiochia & toto principatu Antiocheno tenendo post ejus obitum, salva dote I. uxoris ipsius, & omnibus donis quæ fecerat & in posterum est facturus, & dum vixerit totius principatus dominio sibi salvo, saisivit, & eum Raymundi patris nomine appellavit, sicut in litteris ad nos à te transmissis perspeximus contineri. Ceterùm nobilis vir Comes Tripolitanus, filius Principis memorati, molestè ferens se patria hereditate privari, cum dilectis filiis Hierosolymitanensis Hospitalis & militiæ Templi Magistris te voluit molestare. Sed quòd adversùm te prævalere non posset inspiciens, conversus in Principem, favore Antiochensis communiæ, filius patrem exclusit, & domino suo contumelias præsumpsit & injurias irrogare. Interea etiam quidam amici Tripolitani Comitis corrupti pretio, & precibus circumventi, Comitem ipsum legitimum heredem Principis asserentes, falsis suggestionibus obtinuerunt à populo ut abjurato quodammodo juramento priori, eidem Comiti hominium exhiberent. propter quod ad sedem apostolicam regia serenitas appellavit, & Templariis & Hospitalariis ad cor redeuntibus, Principem in sede restituit principali. Licèt autem, quantum cum Deo possumus, tuæ velimus serenitati deferre, quia tamen in dubiis certum nec volumus nec debemus proferre judicium, cùm etsi etiam nobis de veritate constaret, in absentia tamen partis alterius, nondum incepto judicio, ad sententiam procedere non possemus, caussam ipsam Legatorum nostrorum, qui dante Domino in proximo transfretabunt, examini duximus reservandam: quibus & verbis & scriptis dabimus firmiter in mandatis ut ipsam diligenter examinent, & sine personarum acceptione, prævia ratione decidant; nolentes caussam delegate judicibus qui alterutri partium, & tuæ præsertim, esse possent de ratione suspecti.

Rogamus igitur celsitudinem tuam & exhortamur attentiùs, ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus communem caussam privatæ præponens, & propriis commodis negotium præferens crucifixi, quantum in te fuerit pacem ad universos Christianos observans, ad defendendam hereditatem Domini & expugnandam barbariem Sarracenorum potenter intendas, nec ob hoc adversùs Comitem vel alium bellum moveas, præsertim vivente Principe, qui, sicut in ejusdem litteris continetur, sic nepotem tuum de principatus successione saisivit ut sibi proprietatem & dominium quoad viveret retineret. Cùm autem ad partes illas Legati nostri pervenerint, caussam tuam non armis, sed legibus, non gladio vindice, sed justitia judice prosequaris. Nos enim eidem Comiti per apostolica scripta mandamus ut caussa ipsa in suo statu manente, nihil in præjudicium juris alterius attentare præsumat, sed Legatorum nostrorum, quibus cognitionem & diffinitionem ipsius duximus committendam, expectet adventum. Ad hæc, dilectum filium nuntium tuum serenitati regiæ propensiùs commendamus, ut de caro eum habeas de cetero cariorem. Præterea serenitati tuæ gratiarum referimus actiones quòd nos per eundem nuntium tuum magnificè ac liberaliter visitasti. Datum Laterani XVI. Kal. Ianuarij.

PAGANO ET ARRONI COMITIBVS, & universis aliis Baronibus, Militibus, & populo in regno carissimi in Christo filij nostri Leonis illustris Regis Armeniæ constitutis.

Epist. 154. Vt cum suo Rege contra Sarracenos fortiter se gerant. Extat in Gestis Innoc. III.

ETsi modernis temporibus apostolicæ sedis receperitis instituta; secundùm ea Domino in puritate cordis ac corporis servientes; is tamen qui matutinos & vespertinos operarios vineæ suæ singulorum denariorum mercede remunerat, faciens novissimos primos & primos novissimos, bravium vobis largietur æternum, si catholicam Ecclesiam sponsam veri Salomonis, sub cujus capite, secundùm quod ipsa protestatur in canticis canticorum, læva ejus, & dextra ejus ipsam jugiter amplexatur, fueritis humiliter venerati, & usque adeo vos zelus domus Domini comederit ut ad vindicandam injuriam crucifixi & templum & hereditatem ejus de paganorum manibus liberandam, & res exposueritis & personas, Christum vobis vitam & mortem lucrum cum Apostolo reputantes. Gaudemus autem quòd etsi nova sitis Ecclesiæ Romanæ plantatio, novitas tamen in vobis virtutis operatur augmentum, & usque adeo vos reddit in fide ferventes, ut tanto ferventiores, in Christianorum omnium immò Christi auxilium assurgatis, quanto estis viciniores hostibus, & ex vicinitate meliùs & scitis & vultis eorum conatibus obviare. Nos autem de cariss. in Christo filij nostri Leonis Armeniæ Regis illustris synceritate ac vestra devotione confisi, ei ad petitionem dilecti filij nobilis viri R. Militis nuntij ejus in nostræ dilectionis indicium vexillum beati Petri dirigimus, quo in hostes crucis duntaxat utatur, & eorum superbiam suffragantibus Apostolorum principis meritis, Domino concedente conculcet. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus ad liberandum funiculum hereditatis dominicæ de manibus paganorum, & eorum refrenandam audaciam, & barbariem edomandam, cum eodem Rege vestro, sicut bene cœpistis, potenter & viriliter intendatis; ut ejus sitis remissionis participes quam de Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus transfretantibus indulgemus. Datum Laterani XVI. Kal. Ianuarij.

In eundem ferè modum nobilibus viris Hug. de Tabaria, Rodulpho, & Ottoni fratribus.

ILLVSTRI REGI ARMENIÆ.

Epist. 155. Transmittit vexillum beati Petri, quo contra Crucis inimicos utatur. Responsio ad hanc epistolam extat in Gestis Innocentij III.

ET tibi congaudemus & nobis, immo etiam universo populo Christiano, quòd eum tibi Dominus inspiravit affectum, ut apostolicæ sedis instituta devotè reciperes, & præcepta fideliter observares, & contra inimicos crucis propositum illud assumeres ut in eos vindicare cupias injuriam crucifixi & hereditatem ejus de ipsorum manibus liberare. Nos igitur de tuæ devotionis synceritate confisi, ad petitionem dilecti filij Roberti de Margat Militis, nuntij tui, in nostræ dilectionis indicium, vexillum beati Petri tuæ serenitati dirigimus, quo in hostes crucis duntaxat uta-

ris, & eorum studeas contumaciam cum Dei auxilio, suffragantibus Apostolorum principis meritis, refrenare. Datum Laterani XVI. Kal. Ianuarij.

VNIVERSO POPVLO Castellan. civitatis.

Epist. 156. Concedit Rectorem juxta civium postulata.

DIlectos filios nobiles viros nuntios vestros ad sedem apostolicam venientes benignè recepimus, dilectum filium nobilem virum I. Præfecti concedi vobis postulantes humiliter in Rectorem. Cùm igitur tam de ipsius quàm ejus patris industria non modicùm confidamus, utpote cui universum ferè apostolicæ sedis patrimonium in partibus ipsis duximus committendum, petitionem vestram libenter admisimus, & eum vobis in Rectorem duximus concedendum, dummodo communiter ab universitate populi postuletur. Datum Laterani XI. Kal. Ianuarij.

PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITAN. & Tyrensi Archiepiscopo, & Aconensi Episcopo.

Epist. 157. Vt injustè latam excommunicationis sententiam rescindant, temereque excom municantem Episcopum puniant.

CVm olim venerabilis frater noster Tyberiadensis Episcopus suam nostro transmisisset apostolatui quæstionem, quòd dilecti filij Magister & fratres Militiæ Templi mille trecentos bisantios & alia quædam bona Tyberiadensis Ecclesiæ, quæ predecessor ipsius apud quosdam fratres Templi deposuerat, detinerent, & ei reddere denegarent, ipsis per scripta nostra mandavimus ut eidem Episcopo depositum illud, si præmissis suffragaretur veritas, non postponerent resignare; venerabilibus fratribus nostris Sydoniensi & Blibiensi Episcopis dantes firmiter in mandatis ut ipsi eos ad hoc veritate cognita per censuram ecclesiasticam compellere non tardarent. Verùm, sicut prædicti Magister & fratres Militiæ Templi, tam per litteras suas, quàm per quosdam fratrum suorum, quos ad nostram præsentiam direxerunt, non sine multo dolore nobis intimare curarunt, præfatus Sydoniensis Episcopus commissionis nostræ tenorem transgrediens, cùm ipsi de terra Antiochiæ, ubi pro guerra quæ erat inter dilectos filios nobilem virum Principem Antiochiensem & dominum Alapiæ fuerant aliquandiu commorati, redirent, & quadam die Martis applicuissent ad civitatem Tyrensem, eis sequentem diem Iovis terminum assignavit, quo in ejus præsentia præfato Tyberiadensi Episcopo accederent de deposito responsuri. Quia verò pro aliis negotiis imminentibus præfatus Magister diei præfixæ non poterat interesse, duos de fratribus suis, viros idoneos, pro eodem negotio dereliquit: qui ad diem statutam coram eodem Episcopo venientes, dixerunt se paratos esse prælibato Tyberiadensi Episcopo, si contra eos vellet proponere, juxta tenorem mandati apostolici respondere; & licèt præfatus Bibliensis Episcopus conjudex suus absens existeret, ipsi tamen volebant firmiter observare sententiam quam idem Sydoniensis Episcopus, auditis utriusque partis rationibus, super eadem caussa duceret legitimè promulgandam. Hoc autem audito, idem Episcopus modestia pontificali neglecta, suo absente conjudice, nullis auditis rationibus, in multorum præsentia dixit in impetu: *Nisi vos usque ad proximam diem dominicam supradictos bisantios reddideritis, auctoritate Dei Patris & omnium sanctorum Magistrum vestrum & omnes fratres domus Templi citra & ultra mare, nec non & participes atque amicos ejusdem, vinculo excommunicationis innodo.* Ceterùm cùm sequenti sexta feria prænominati duo fratres, qui apud Tyrum pro caussa prædicta remanserant, cum festinatione adiissent Acon, & quæ gesta erant per antedictum Episcopum per ordinem enarrassent, ipse Magister cum fratribus ad te, frater Patriarcha, continuò accesserunt, & tecum de illo negotio diligentiùs pertractantes, de tuo tandem consilio cum præfato Tyberiadensi Episcopo amicabiliter curaverunt componere, ad majus scandalum evitandum. Sed præfatus Sydoniensis Episcopus sequenti die dominica, post compositionem peractam, Ecclesiam sanctæ Crucis Tyrensem ingressus, post generalem processionem coram omni Clero & populo qui astabat, accensis candelis, ipsum Magistrum nominatim & omnes fratres Templi citra & ultra mare, nec non & amicos & participes domus, sententia excommunicationis astrinxit. Quod fratres postmodum audientes, tantam illatam eis injuriam sic ad animum revocarunt, quòd ferè assumptæ religionis propositum relinquere voluerunt, & relicta Hierosolymitana provincia, disponebant ad propria remeare. Sed in eo tan-

dem ponentes fiduciam cui promiserant toto vitæ suæ tempore deseruire, suasione tam tua quàm aliorum virorum prudentium ad ipsius terræ custodiam remanserunt, à nobis vindictam de illata eis injuria postulantes. Verùm cùm non sibi soli caussa eadem fuerit delegata, sed habuerit præfatus Sydoniensis Episcopus in commissione collegam, nec in ea fuerit expressum quòd si ambo interesse non possent, alter nihilominus mandatum apostolicum adimpleret, non poterat sine illo procedere ad illam vel aliam sententiam proferendam. Item etsi ei vices suas in hac parte conjudex alius commisisset, vel etiam partes sponraneè post commissionem nostram suum subijssent examen, ipse tamen non debuit sine caussæ cognitione procedere; præsertim cùm in forma commissionis contineretur expressum, quòd si præmissis suffragaretur veritas, Magistrum & fratres ad restitutionem depositi per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellere non tardarent, & ipsi fratres, qui apud Tyrum pro negotio remanserant prælibato, sententiam ejusdem Episcopi, quam auditis utriusque partis rationibus duceret legitimè promulgandam, tunc demum se dixerint servaturos. Præterea, cùm multi fratrum militiæ Templi tam circa quàm ultra mare consistant, qui super ipso deposito sunt penitùs fine culpa, profectò talis excommunicatio non solùm indiscreta fuit, sed etiam effrenata, qua ligare voluit innocentes, & nos etiam ac fratres nostros juxta formam verborum visus est inclusisse, qui sumus ejusdem domus participes & amici. Rursus, postquam controversia sæpedicta amicabili fuerat compositione sopita, deviavit omnino, quòd etiam adversario per suas litteras prohibente processit ad sententiam proferendam; cùm boni judicis sit lites minuere, non augere. Ad hæc, cùm prædicti fratres assiduè multis laboribus & periculis se opponant pro servitio Iesu Christi, si etiam Magister aut procuratores inventi fuissent culpabiles, non tamen fuissent ita generaliter omnes excommunicationis sententia feriendi. Cùm igitur, si præmissa veritate nituntur, sæpedictus Episcopus vel de grandi fatuitate vel de gravi malignitate sit animadversione debita castigandus, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus inquisita diligentiùs veritate, si vobis constiterit eundem Episcopum, ut prædictum est, præfatam sententiam protulisse, vos eum auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, ab executione pontificalis officij tamdiu faciatis manere suspensum, donec à nobis indulgentiam consequatur: ut qui fuit stultus in culpa, sapiens efficiatur in pœna. Quòd si fortè servato juris ordine prævia ratione processit; quos vobis constiterit excommunicationis sententiæ subjacere, secundùm formam Ecclesiæ absolvatis, in ipso postmodum negotio legitimè processuri. Testes &c. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani XVIII. Kalend. Ianuarij.

CLERO ET POPVLO
Civitatensi.

Epist. 238. Vt Comitem Theatinum in custodem suum recipiant.

PEr apostolicas litteras vobis dudum recolimus mandavisse ut . . quondam Civitaten. Comite sublato de medio, nobili viro R. Comiti Theatino intenderetis de custodia Comitatus, qui propter potentiam, & quoniam vicinus est vobis, Comitatum ipsius & homines ejus potenter poterat defensare. Post hæc autem, sicut ex litteris vestris intelleximus, per nuntios vestros, quos ad Panormitanam curiam destinastis, mandatum sub nomine regio recepistis ut nobili viro P. de Celano, sororio regij cancellarij, tanquam vestro Comiti juraretis. Vnde quid super his faciendum esset vobis, non immeritò dubitastis. Cùm igitur, sicut vestra universitas non ignorat, & Regis tutela & regni balium ad nos de jure pertineat, & dispositioni nostræ vos & alij juraveritis obedire, devotioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus non obstante mandato contrario (quod non debet aliquatenus contraire, cùm nos vices regias exequamur, secundùm quod vobis per alias litteras dedimus in mandatis) jamdicto Comiti Theatino de custodia Comitatus unanimiter intendatis: quia licèt præfatum nobilem P. videlicet Celanen. syncero diligamus affectu, & ad honorem & profectum ipsius efficaciter intendamus, ad custodiam tamen & defensionem vestram hoc tempore prænominatum Comitem Theatin. necessarium credimus, & idoneum reputamus. Datum III. Kal. Ianuarij.

ILLVSTRI REGI Armeniorum.

Epist. 259. Vt Castrum Gaston Templariis restituat.

CVm ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, materialem acceperis gladium, non in domesticos fidei sed hostes crucis potiùs exerendum, & nuper per Dei gratiam instituta receperis apostolicæ sedis, & promiseris observare, non credimus quòd in exaudiendis precibus nostris te velis difficilem exhibere, præsertim cùm id petimus quod ad pacem pertinet & respicit honestatem, & cum Christianorum commodo in Sarracenorum dispendium redundabit. Ad audientiam siquidem apostolatus nostri pervenit quòd cùm castrum quod Gaston dicitur, ad domum Militiæ Templi de jure pertineat, & fratres ejusdem domus illud olim possederint sine lite, tempore invasionis terræ orientalis ipsum Sarraceni per violentiam occuparunt: quod cùm dimisissent postmodum metu Regum qui ad partes transfretaverant transmarinas, tu illud habitatore vacuum & custode intrasti, & quasi liberatum de manibus paganorum adhuc detines velut tuum. Cùmque dilecti filij Magister & fratres Militiæ Templi cum nuntiis venerabilis fratris nostri Patriarchæ & illustris Principis Antiochensis, Tripolitanensis Comitis, & totius Antiochensis communiæ supplicassent ut castrum ipsum Templariis resignares, tu Patriarcham ipsum & Principem ad communiæ colloquium citavisti, promittens per nuntios & litteras tuas quòd super facto castelli secundùm eorum consilium procedere non tardares. quod non solùm, cùm ad colloquium ventum esset, noluisti juxta tenorem factæ promissionis implere; immo, sicut dicitur, quorundam seductus consilio, quòd illud in gravamen Antiochiæ retineres, quod vix credimus, respondisti. Cùmque postmodum nuntius tuus ad Romanam Ecclesiam accessisset, castrum ipsum Milonis quondam avunculi tui fuisse proposuit, & te illud de Sarracenorum manibus liberasse, ac respondisse fratribus Militiæ Templi te impetentibus super hoc, quòd ipsis coram nobis justitiam exhiberes. Propter quod idem nuntius supplicabat ut nihil contra te non commonitum statuere curaremus. Cùm igitur nostræ intentionis existat te, sicut carissimum Ecclesiæ filium & Regem catholicum, honorare, cùm & credamus quòd simplices preces nostras velis efficaciter exaudire; serenitatem regiam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus divinæ retributionis obtentu, ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram, castrum ipsum fratribus Militiæ Templi sine difficultate restituas, & permittas ab eis pacificè possideri, nec eos super ipso vel aliis ad eos pertinentibus inquieres. Nos enim, si super ipso castro vel aliis adversùs eos aliquid proponere volueris quæstionis, in præsentia nostra vel Legatorum nostrorum, qui dante Domino in proximo transfretabunt, tibi faciemus justitiæ plenitudinem exhiberi, dummodo super his quæ ipsi duxerint proponenda paratus sis eis facere rationem.

Vide infrà lib. 12. epist. 45.

PRIORI SANCTI VICTORIS, Magistris L. Bononien. & Vberto Modoicen. Canonicis.

Epist. 260. De criminibus & purgatione Abbatis Pomposiani.

Cap. Licèt Heli. *De simonia.*

Vide caput Per tuas. *De Simonia.*

LIcèt Heli Summus Sacerdos in se ipso bonus existeret, quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se pariter & in ipsis animadversionis divinæ vindictam excepit, dum filiis ejus in bello peremptis, ipse de sella corruens confractis cervicibus expiravit. Ad corrigendos ergo subditorum excessus tanto diligentiùs debet Prælatus assurgere, quanto damnabiliùs correctionem eorum negligeret: contra quos (ut de notoriis excessibus taceatur) etsi tribus modis procedere possit, per accusationem videlicet, denuntiationem, & inquisitionem ipsorum; ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, sicut accusationem legitima præcedere debet inscriptio, sic & denuntiationem caritativa correctio, & inquisitionem clamosa debet insinuatio prævenire. *Descendam* (inquit Dominus) *& videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere jam compleverint.* Tunc enim clamor pervenit ad Prælatum, cùm per publicam famam aut insinuationem frequentem subditorum sibi referuntur excessus; & tunc debet descendere & videre, id est, mittere & inquirere utrum clamorem veritas comitetur. Nam juxta canonicas sanctiones, si quid de quocunque Clerico ad aures Prælati pervenerit, quod eum justè possit offendere, non facilè credere debet, nec ad vindictam eum res accendere debet incognita; sed coram Ec-

clesiæ suæ fenioribus diligenter est veritas perscrutanda; ut si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis; non tanquam idem ipse sit actor & judex; sed quasi fama deferente, vel denuntiante clamore, officij sui debitum exequatur; eo semper adhibito moderamine, ut juxta formam judicij, sententiæ quoque forma dictetur. Cùm igitur de Abbate Pomposiano ea nobis frequenter insinuata fuissent quæ ab honestate regulari nimiùm dissonabant, inquisitionem eorum viris prudentibus commisimus faciendam: qui cùm minimè processissent, ad iteratum sæpe clamorem de communi fratrum nostrorum consilio citavimus ad præsentiam nostram Abbatem & monachos, ut per nos ipsos caussa morbi pleniùs inquisita, plagam ipsam meliùs curaremus. Eis igitur ad nostram præsentiam accedentibus; quidam ex monachis nobis ipsum Abbatem de simonia, perjurio, dilapidatione, ac insufficientia detulerunt. Contra quos cùm idem Abbas exciperet quòd denuntiationem hujusmodi fraterna correctio secundùm regulam evangelicam non præcesserat, & ijdem constanter assererent quòd correctionem hujusmodi præmisissent; licèt ad id probandum duorum monachorum juramenta fuissent exhibita, quia tamen super hoc ipso necdum contendere desistebant, nos, ut prædiximus; frequentibus clamoribus excitati, ex officio nostro voluimus inquirere de præmissis, omnes omnino monachos qui vel cum ipso vel contra ipsum Abbatem accesserant, juramenti vinculo astringentes ut de propositis plenè, quam scirent, exponerent veritatem: quorum depositiones in scriptis redactæ cùm publicatæ fuissent, super illis cœperunt multipliciter disputare. Quia verò tum ex assertione monachorum, tum ex Abbatis confessione cognovimus quòd idem Abbas non modicam summam pecuniæ relictam ab... prædecessore suo totam expenderat, & in alia summa majori monasterium obligarat, nos eum juxta canonicas & legitimas sanctiones propter has & alias præsumptiones quasi de dilapidatione suspectum, ab administratione abbatiæ duximus suspendendum. Et quia per testes simonia multis modis contra ipsum Abbatem videbatur esse probata, ipse contra testes multas exceptiones opposuit, super quibus multipliciter fuit utrinque disputatum, aliis asserentibus in crimine simoniæ, sicut & in crimine læsæ majestatis, omnes indifferenter tam infames quam criminosos non solùm ad accusandum sed ad testificandum etiam admittendos, cùm ad instar publici criminis & læsæ majestatis procedat accusatio simoniæ, multis super hoc & legibus & canonibus allegatis; aliis è contrario respondentibus, quòd licèt hæc duo crimina, quantum ad accusationem, quasi paria judicentur, differunt tamen in multis, cùm & alia pœna pro uno & alia pro altero inferatur, & inter personas accusatorum & testium sit utique distinguendum, cùm non per accusatores sed testes crimina comprobentur, multis nihilominus super hoc & rationibus & argumentis inductis. Ne verò vel innocentiæ puritas confusa succumberet, vel simoniæ pravitas effugeret impunita; nos æquitate pensata, nec omnes exceptiones contra testes oppositas duximus admittendas, nec repellendas duximus universas; sed illas duntaxat probandas admisimus quæ fortè probatæ, non de zelo justitiæ sed de malignitatis fomite procedere viderentur, conspirationes scilicet, & inimicitias capitales. Ceteras autem exceptiones oppositas, ut furti, & adulterij propter immanitatem hæresis simoniacæ, ad cujus comparationem omnia crimina quasi pro nihilo reputantur, duximus repellendas: quoniam etsi fidem testium debilitarent in aliquo, non tamen evacuarent ex toto, præsertim cùm alia contigerit adminicula suffragari. Ad probandas ergo exceptiones admissas Abbas quoddam protulit instrumentum: ad quod reprobandum cùm testes fuissent ex altera parte producti, facultatem sibi petiit indulgeri ut in partibus suis instrumentum hujusmodi comprobaret. Cùm ergo judicantem oporteat cuncta rimari, discretioni vestræ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus infra sex hebdomadas post susceptionem præsentium probationes quas Abbas vel procurator ipsius ad probandum solummodo instrumentum, cujus * rescriptum vobis sub Bulla nostra trásmittimus, vel reprobandum, pars altera duxerit exhibendas, diligenti studio recipere procuretis, sub testimonio litterarum vestrarum inclusas eas nobis fide-

* transcriptum

liter destinantes; attentiùs provisuri ut via regia procedentes, nec ad sinistram nec ad dexteram declinetis. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IV. Nonas Decembris.

ROSANENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 261. Ipsi ad certas quæstiones respondet. Cap. Quòd super iis. *De consang. & affin.*

QVòd super his articulis qui tibi aliquam dubitationem inducunt nostrum ducis consilium requirendum, & ad ea exequenda quæ officium postulant pastorale, apostolicæ sedis procuras auxilium invocare, solicitudinem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, & postulationibus tuis grato animo respondemus. Significasti siquidem nobis quòd in dioecesi tua pater & filius matrem & filiam, duo cognati duas cognatas, avunculus & nepos duas sorores ducunt in conjuges, & mater & uxor simul baptizant puerum alienum, quidam præterea tuæ dioecesis infra tertium & septimum gradum consanguinitatis se contingentes, matrimonia adinvicem contrahunt, hoc sibi licere de antiqua consuetudine asserentes. Quidam etiam sacerdotes Latini habent in suis domibus concubinas, & nonnulli aliquas sibi non metuunt desponsare; & cùm earum aliqua mortua fuerit, vel ab aliquo sacerdotum ejecta, confestim aliam introducunt, & in ignominiam clericalis ordinis taliter permanent uxorati. Item Abbates & sacerdotes tuæ dioecesis ad synodum tuam venire renuunt convocati, dicentes veniendi ad synodum consuetudinem non habere; & sic jurisdictionem tuam tam in his quàm in aliis contemnentes, de rationibus tuis tibi, sicut tenentur, negligunt respondere. Et cùm ad monasteria vis accedere, sicut ad tuum dignoscitur officium pertinere, vel sacerdotes super prædictis excessibus animadversione debita castigare, ipsi appellationis obstaculum interponunt, ut tuam taliter effugiant disciplinam. Ad hæc, Capellani castelli Rosanensis aliquando matrimonia non conjungenda conjungere & alia non dividenda dividere non verentur, licèt ipsi non debeant de matrimoniis judicare. Super eo igitur quòd pater & filius cum matre & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, avunculus & nepos cum duabus sororibus contrahunt matrimonia, taliter tibi duximus respondendum, quòd licèt omnes consanguinei viri sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris affines sint viri, inter consanguineos tamen viri & consanguineos uxoris ex eorundem viri videlicet & uxoris conjugio nulla prorsùs affinitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Quamvis etiam vir & uxor alienum puerum teneant in baptismo, nulla tamen inter eosdem virum & uxorem contrahitur compaternitas, cùm una caro sint per copulam conjugalem; & ideo reddere sibi debitum minimè probibentur. Item cùm in sacris canonibus gradus sint consanguinitatis distincti, & per eosdem inhibitum ut nullus infra septimum gradum consanguinitatis linea attingentem sibi audeat in matrimonium copulare, ne infra gradus eosdem contrahantur debes publicè inhibere, & præsumptores ecclesiastica districtione punire, non obstante consuetudine, quæ dicenda est potiùs corruptela. Cùm autem sacerdotes Latini nullas sibi possint matrimonialiter copulare, nec illis habere liceat concubinas, ut Latinos Presbyteros tuæ dioecesis, qui à te commoniti à sua noluerint præsumptione desistere, per suspensionem officiorum & beneficiorum subtractionem ad id compellere valeas, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Similiter etiam Abbates & sacerdotes dioecesana tibi lege subjectos, qui ad tuam contemnunt synodum venire vocati, dummodo in ipsa synodo non ducas aliquid statuendum quod fortè canonicis obviet institutis, per censuram ecclesiasticam ad synodum ipsam venire compellas, & debitam tibi reverentiam & obedientiam exhibere. Capellanis præterea castelli Rosanensis firmiter sub qua convenit districtione prohibeas ne, sicut non debent, super confirmandis vel dimittendis matrimoniis exerceant aliquam potestatem. Quòd si fortè contumaces exstiterint, canonica eos poteris severitate punire. Cùm autem appellatio sit inventa, non in diffugium opprimentium, sed in refugium oppressorum, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut juxta formam præmissam procedere valeas, non obstante appellationis objectu, si qua forsan fuerit interposita in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ. Nulli ergo &c. liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere &c. Datum ut suprà II. Kalen. Ianuarij.

A. VICE-

A. VICEDOMINO FIRMANO.

Epist. 262. Ipsi aliquot præfecturas committit.

CVm devotionis affectum, quem habes ad apostolicam sedem & nos ipsos, sicut per Legatos nostros, quos in Marchiam misimus, nostro est apostolatui referatum, in operis exhibitione monstraveris, & pro Ecclesiæ servitio multis te exposueris laboribus & expensis, fidelitati ac devotioni tuæ grata cupimus vicissitudine respondere & petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, assensum gratanter apostolicum impertiri. Volentes igitur te ad nostrum servitium reddere promptiorem, castrum Montis sanctæ Mariæ, cum curtibus Montis sancti Petri, Montis Rodaldi, sancti Iohannis, Podij de Petra, Pertetariæ, Pontarioli, Montis Garivini, Carlassalis, & Peratiæ ad ipsa castra hactenus pertinentibus tibi duximus, donec nobis aut successoribus placuerit, salvis censibus & procurationibus, committendum; ita tamen quòd ea omnia ad fidelitatem & mandatum Ecclesiæ conserves integra & illæsa, nec de eis aliquid alienare præsumas.

MAGISTRO GVIDONI Archipresbytero plebis de civitate.

Epist. 263.

CVm à nobis petitur &c. *usque ad verbum* suscipimus. Specialiter autem archipresbyteratum ipsum, sicut ipsum justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum Laterani II. Kalend. Ianuarij.

Epist. 264.

In eundem modum pro G. Clerico. Specialiter autem beneficium quod habes in Ecclesia sancti Mauritij &c. *ut suprà.* Datum ut suprà.

ABBATI SANCTI VOLDARICI, Scholastico, &... Custodi Augustensibus.

Epist. 265. Vt dolus illi non prosit qui aliquid à sede apostolica falsò impetrasse mentitur.

AD nostram dudum noveritis audientiam pervenisse quòd cùm dilectus filius Hermannus Clericus in Ecclesia de Loerch canonicè fuerit institutus, & corporalem possessionem per annum & ampliùs habuerit in quiete, ab Alberto concanonico suo fuit postea beneficio ipso & ejus obventionibus usque ad viginti marchas valentibus per violentiam spoliatus, in quem diocesanus Episcopus, quoniam super his in præsentia sua juri parere contempsit, excommunicationis sententiam promulgavit, quam per annum & ampliùs indurata facie sustinuit & contempsit. Vnde cùm ex hoc Clericus spoliatus ablatorum restitutionem obtinere non posset, ad apostolicam sedem accedens, nostras ad venerabilem fratrem nostrum Episcopum & dilectos filios Præpositum & Decanum Augustenses litteras reportavit ut prædictam excommunicationis sententiam, sicut rationabiliter lata erat, facerent auctoritate nostra usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari. quod, sicut ipsi suis nobis litteris intimarunt, fideliter adimplerunt. unde illorum devotionem in Domino commendamus. Consequenter verò præfatus A. ad præsentiam nostram accedens, veritate tacita præmissorum, & quòd Canonicus esset ecclesiæ memoratæ; ad vos commissionem simplicem impetravit ut causam quæ inter Al. & Hermannum Clericos vertebatur super præbenda in Loerch, curaretis fine debito terminare. Idem etiam Albertus in reditu constitutus, apud castrum sancti Petri adversarium suum obvium habuit ad nos denuo venientem; ad cujus denuntiationem redire contempsit, in præsentia nostra exhibiturus & recepturus justitiæ complementum, cunctа se asserens quæ voluerat impetrasse. Nolentes igitur aliquem de dolo suo commodum reportare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super præmissis diligentius veritate, non obstante commissione ad vos per subreptionem obtenta, cùm mendax precator carere debeat impetratis, sæpedictum A. in eandem excommunicationis sententiam reducatis, facientes eam pulsatis campanis & accensis candelis usque ad condignam satisfactionem appellatione remota inviolabiliter observari; ut exemplo ejus alij discant à similibus abstinere. Nullis litteris obstantibus harum mentione non habita &c. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c.

NOBILI VIRO IOANNITIO.

Epist. 266. Vt Legatum apostolicum reverenter excipiat. Responsio hujus epistolæ extat infrà lib. 5. epist. 115.

REspexit Dominus humilitatem tuam & devotionem quam erga Romanam Ecclesiam cognosceris hactenus habuisse, & te inter tumultus bellicos & guerrarum discrimina non solùm potenter defendit, sed etiam mirabiliter & misericorditer dilatavit. Nos autem audito quòd de nobili urbis Romæ pro-

ſapia progenitores tui originem traxerint, & tu ab eis & ſanguinis generoſitatem contraxeris & ſynceræ devotionis affectum quem ad apoſtolicam ſedem geris quaſi hereditario jure, jampridem te propoſuimus litteris & nuntiis viſitare. Sed variis Eccleſiæ ſolicitudinibus detenti, hactenus non potuimus noſtrum propoſitum adimplere. Nunc verò inter alias ſolicitudines noſtras, hanc etiam aſſumendam duximus, immo conſummandam potiùs jamdudum aſſumptam, ut per Legatos & litteras noſtras te in laudabili foveamus propoſito, & in devotione ſedis apoſtolicæ ſolidemus. Dilectum itaque filium noſtrum Dominicum Archipreſbyterum Græcorum de Brunduſio ad te perſonaliter deſtinantes, monemus nobilitatem tuam & exhortamur in Domino, ac per apoſtolica tibi reſcripta mandamus, quatenus ipſum humiliter & devotè recipiens, honorificè ac benignè pertractes, & per eum pleniùs nobis tuam devotionem exponas. Cùm enim plenè nobis per ipſum de ſynceritate tui propoſiti & devotionis affectu conſtiterit, ad te propoſuimus majores nuntios vel Legatos potiùs deſtinare, qui tam te quàm tuos in apoſtolicæ ſedis dilectione confirment, & te de benevolentia noſtra efficiant certiorem.

PRÆPOSITO ET FRATRIBUS ſancti Stephani in Brolio.

Epiſt. 167. Vt Al. Marcellinum in Canonicum recipiant.

CVm pro dilecto filio Al. Marcellino Subdiacono noſtro preces vobis miſiſſemus apoſtolicas & præceptum ut ipſum in fratrem veſtrum & Canonicum recipere deberetis, titulati Eccleſiæ veſtræ hoc in ſuum præjudicium fieri aſſerentes, ne procederetur in illius executione mandati, noſtram, ſicut audivimus, audientiam appellarunt. Poſtea verò cùm dilectus filius H. qui ſe Canonicum ipſius Eccleſiæ aſſerebat, propter hoc ad noſtram præſentiam acceſſiſſet, propoſuit coram nobis quòd cùm tam ipſe quàm ſocij ſui diù Eccleſiæ illi obſequium impendiſſent, nec adhuc eſſent ab ea beneficia conſecuti, indignum erat penitus & abſurdum ſi in perceptione beneficij eis alius præferretur. Quia igitur mandatum quod pro eodem Subdiacono emanavit debita volumus executione compleri; titulatis ipſis volentes nihilominus paterna ſolicitudine providere, per apoſtolica vobis ſcripta mandamus atque præcipimus quatenus eundem Subdiaconum; prout in mandatis apoſtolicis recepiſtis, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo recipiatis in Canonicum & in fratrem, ſtallum ei in Choro & locum in Capitulo aſſignantes; reſervata vobis de benignitate ſedis apoſtolicæ libertate ut de beneficiis quæ in Eccleſia veſtra vacaverint, canonicè diſponatis; proviſuri tamen attentiùs ne ipſius Subdiaconi malitiosè proviſio differatur. Si verò, quod non credimus, mandatum noſtrum nolueritis adimplere, noveritis nos dilecto filio Guiſcardo de Arſag. Canonico Mediolanenſi in mandatis dediſſe ut vos ad ea quæ præmiſimus exequenda per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellat. Datum Laterani IV. Idus Ianuarij.

Illi ſcriptum eſt ſuper hoc.

CISTERCIENSI, CLAREVALLENSI, Pontiniacenſi, de Feritate, & univerſis Abbatibus Ciſtercienſis ordinis.

NOvit is qui nihil ignorat, cui nil abſconditum, nil eſt clauſum, in cujus oculis omnia nuda ſunt & aperta, & qui renes & corda ſcrutatur, quòd & domos & perſonas veſtras tantò puriore affectione diligimus, & ſyncerioris caritatis non tam brachiis quàm viſceribus amplexamur, quanto religionis veſtræ flagrantia nos majoris ſuavitatis odore reſperſit, utpote qui facti eſtis odor vitæ in vitam his qui diligunt nomen Dei. Sedentes enim ſedetis ſecus pedes Domini, audientes verbum ejus humiliter cum Maria, & Marthæ ſolicitudinem piis orationibus adjuvatis, cum Moiſe orantes in monte, ut nos cum Ioſue hoſtes Iſraelitici populi, præſertim inviſibiles, expugnemus. Affligitis etiam corpora veſtra vigiliis quaſi continuis, & aſſiduis jejuniis maceratis, vacatis operibus caritatis, contenti paucis, ut plura pauperibus miniſtretis; egentes in vobis, & in aliis abundantes, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Theſaurizatis enim theſauros in cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, credentes Apoſtolo quòd non habetis manentem civitatem in terris, ſed futuram inquiritis. Veſtra enim converſatio eſt in cœlis. Creditis enim & pro certo tenetis quod audiſtis in evangelio & legiſtis: *Quod uni*

Epiſt. 168. Vt quinquageſimam bonorum ſuorum partem in uſus belli facti conferant.

ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Et ideo temporalia ministratis aliis, ut sempiterna recipiatis ab ipso. Sed numquid non verius est, vel æquè verum, quod Christo facitis, ipsi facitis? Numquid Dominus in se non acceptabit obsequium, quod acceptat in servo? Numquid non legistis qualiter Christus tempore passionis eorum represserit scandalum qui dicebant *Potuit hoc unguentum venundari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus*, dicens ad eos: *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis?* Numquid non verum est verbum ejus, ut pauperes non semper habeatis vobiscum, quibus, cùm velitis, benefacere valeatis? Ipsum autem non semper habebitis peregrinum, exulem, & ejectum, nec forsan de cetero ei poteritis in tantæ necessitatis articulo subvenire. Ecce etenim stat ad ostium vestrum, & pulsat. Aperite celeriter illi jam, non tam aliis pro ipso quàm ipsi pro vobis grata subsidia porrigentes. Ejectus enim de terra nativitatis & resurrectionis suæ, de qua dicit in psalmo, *Hereditas mea præclara est mihi*, & quasi captivus detentus in cruce, quæ secundùm Apostolum est gloria nostra, clamat ad omnes, clamat ad singulos: Exurgite in adjutorium mihi, mihi exuli & profugo subvenite, retribuentes saltem modicum mihi, qui vobis universa concessi. Nec hoc dicimus tanquam ejus omnipotentiæ derogemus, cùm ejus voluntati nihil possit omnino resistere, sed ut succursum hujusmodi demonstremus sibi quasi propriè proprium exhiberi. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus, ne sitis aliquibus perditionis occasio, ne majus scandalum in Ecclesia generetis, ne Clericis & laicis non subveniendi terræ orientali præbeatis exemplum, immo ut Christo subveniatis exuli, & qui rursus in membris suis crucifigitur, crucifixo, & alios ad ejus subsidium animetis, tollentes materiam scandali quod ex hoc contra vestrum ordinem est subortum, aliquam certam & competentem summam, quam nos meritò acceptare possimus, sine dilatione qualibet per vestras nobis litteras exprimatis, in terræ sanctæ subsidium, si oblationem vestram probaverimus, convertendam, vel saltem quinquagesimam partem omnium reddituum & proventuum vestrorum, æstimatione habita diligenti, collectam fideliter in unum locum sub aliquorum Episcoporum testimonio consignetis. Alioquin, ne si vos cervices vestras excusseritis ab hoc jugo, illicitum reputent alii eleemosynas pauperum in stipendia convertere bellatorum, & patrimonium Christi effusione sanguinis defensare, ne ceteri etiam scandalizentur in vobis, si quinquagesimam propter hoc nolueritis exhibere, cùm ab eis quadragesimam exigamus, & nos præter aliud subsidium, quod nobis Dominus inspirabit, decimam statuerimus exhibere, præter indignationem divinam & inobedientiæ culpam, quam propter hoc incurretis, suspendemus privilegia vestra, & universis Ecclesiarum Prælatis dabimus in mandatis ut vobis non deferant eorum obtentu, sed eis non obstantibus à vobis jura sua tam in decimis quàm aliis plenè de cetero consequantur. Quòd si nec sic volueritis obedire, experiemur in vos utrum in Cistercienses fratres plenam jurisdictionem, sicut in alios, habeamus. Datum Laterani V. Kalen. Ianuarij.

In eundem modum Præmonstratensi & universis Abbatibus Præmonstraten. ordinis. Novit is qui nihil ignorat &c. *usque ad verbum* Episcoporum testimonio consignetis. Datum Nonis Ianuarij. Epist. 169.

ARCHIEPISCOPO MAGDEBVRGENSI & suffraganeis ejus, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & universis Clericis tam subditis quàm Prælatis in Magdeburgensi provincia constitutis.

Epist. 170. Vt Christi anos in Oriente pecunia & viris contra Sarracenos adjuvēt.

Extat apud Rogerium de Hoveden fol. 454. edit. Londin. an. 1596.

GRaves orientalis terræ miserias & necessitates urgentes jam potiùs peccatis exigentibus deflere cogimur quàm referre, cùm ad eum statum (si status tamen dicendus est casus, quod dolentes dicimus) eadem terra devenerit ut nisi citiùs ipsius fuerit necessitati succursum, & occursum conatibus paganorum, pauci Christiani, qui se defensioni hereditatis Domini & crucifixi obsequiis devoverunt, hostiles sagittas sui sanguinis effusione inebriaturi credantur, & paganorum gladios suis jugulis placaturi; reliquiis desolationis illius terræ fine spe humani subsidij perdendis totaliter, & ab hostibus occupandis, cùm de partibus illis penè omnes jam redierint peregrini. Id autem hactenus Do-

minus Iesus Christus, ut probaret adhuc fortiùs fidem nostram, & intelligeret pleniùs qui sunt ejus, misericorditer impedivit, manus eorum in ipsos convertens, & eos inter se multiformiter discordantes permittens adinvicem desævire, ut Christianis interim ad ipsius terræ subsidium excitatis, facilior daretur facultas recuperandi perdita, & de hostibus triumphandi. Recepimus enim litteras venerabilium fratrum nostrorum Antiochensis & Hierosolymitan. Patriarcharum, Archiepiscoporum etiam & Episcoporum utriusque provinciæ, similiter & carissimorum in Christo filiorum nostrorum Aimerici Hierosolymitan. & Leonis Armen. Regum illustrium, & dilectorum filiorum Magistrorum Hierosolymitan. Hospitalis & militiæ Templi, aliorumque multorum, ipsius terræ necessitates & miserias pleniùs exponentes, & postulantes subsidium diutiùs expectatum; cùm plus ibi sperent dante Domino paucos hoc tempore propter Sarracenorum discordiam profuturos, quàm hactenus copiosus exercitus profuisset. Adjectum est etiam quòd cùm jam inter Sarracenos de pace tractetur, si priùs quàm subveniatur Hierosolymitan. provinciæ inter eos fuerit concordia reformata, nisi Deus solus resistat, cùm sit viris & viribus penè penitùs destituta, non erit qui eorum possit violentiam cohibere. Nos ergo cum fratribus nostris, ascitis etiam Episcopis & aliis viris religiosis apud sedem apostolicam existentibus, de ipsius terræ subventione tractantes, ne videremur onera gravia humeris imponere subditorum quæ digito etiam movere nollemus, dicentes tantùm, & aut nihil aut modicum facientes, ut à nobis ad vos & à vobis ad laicos benefaciendi derivetur exemplum, ejus exemplo qui cœpit facere & docere, decimam partem omnium redditum & proventuum nostrorum curavimus subventioni orientalis provinciæ deputare, subtrahentes non modicum necessitatibus nostris, quibus, cùm graviores sint solito, & ob hoc exigant graviores expensas, nostræ non sufficiunt facultates, ut ei etsi nihil largiremur de proprio, modicum saltem retribueremus de suo, qui nobis sua miseratione tribuit universa. Et ut non solùm in rebus, verùm etiam in personis necessarium terræ sanctæ subsidium destinemus, dilectos filios nostros S. tituli sanctæ Praxedis Presbyterum & P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinales, quibus jampridem imposuimus signum crucis, illuc proposuimus destinare, qui exercitum Domini, vices nostras exequendo, præcedant, & ad eos, tanquam ad unum caput, universi recurrant. Verùm quia id quasi modicum immo verè modicum ad tot necessitates ipsius provinciæ sufficere nullatenus reputamus, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & ex parte Dei omnipotentis in virtute sancti Spiritus sub interminatione divini judicij districtè præcipimus, quatenus singuli vestrum saltem quadragesimam partem omnium ecclesiasticorum redditunm & proventuum suorum, priùs tamen deductis usuris quarum solutio vitari non possit, in subsidium terræ sanctæ convertant; omnibus Clericis tam subditis quàm Prælatis qui quadragesimam ipsam sponte ac fideliter solverint, de Dei omnipotentis misericordia ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, quartam partem injunctæ sibi pœnitentiæ relaxantes; dummodo nulla fraus interveniat, & pia devotio suffragetur. Sciat autem se culpabiliter durum & durè culpabilem qui tantillum subsidium in tanta necessitate creatori & redemptori suo negaverit exhibere, à quo corpus & animam & universa bona quæ habet accepit; & nos, qui, licèt indigni, vices ejus exercemus in terris, hujus culpæ duritiam nullatenus dissimulare possemus. Nec aliquo modo credatis quòd per hoc in dispendium vestrum legem vobis imponere intendamus, ut à vobis imposterum quadragesima quasi debita vel consuetudinaria exigatur; immo nullum vobis ex hoc præjudicium volumus generari, qui tantæ necessitatis articulum nobis & vobis supervenisse dolemus, & quòd similis de cetero non contingat optamus. Volumus etiam, & nihilominus vobis præcipiendo mandamus, quatenus vos, fratres Archiepiscope & Episcopi, in metropolitana Ecclesia, vel si hoc ibi fieri propter hostilitatem vel aliud evidens impedimentum non poterit, in duobus vel tribus locis Magdeburgensis provinciæ sine dilatione convenire curetis & inter vos juxta formam mandati apostolici de ipsius terræ subventione tractare; & post reversionem suam qui-

libet vestrum in sua diocesi Concilium convocet sine mora, auctoritate nostra præcipiens Abbatibus & Prioribus tam exemptis quàm aliis, Archidiaconis, & Decanis, & universis omnino Clericis in ejusdem diocesi constitutis ut justa æstimatione proventus & redditus suos taxent, & infra tres menses post factam eis denuntiationem, quadragesimam partem valoris eorum sub ipsius Episcopi testimonio & aliquot religiosorum virorum, adhibitis nihilominus ad cautelam aliquibus laicis fidelibus & discretis, in locum idoneum ejusdem diocesis non differant consignare. Quod & nos vobis, fratres Archiepiscope & Episcopi, sub eadem districtione mandamus. Ab hac autem generalitate monachos Cistercienses, Præmonstratenses Canonicos, Heremitas Grandimontenses & Cartusienses excipimus, quibus super hoc mandatum injungimus speciale. Nolumus autem ut hi qui redditus suos & proventus diligenter æstimare curaverint, præmissæ * transgressionem districtionis incurrant, si quid non ex certa scientia, sed ignoranter potiùs, quadragesimæ fortè subtraxerint; dum tamen postquam recognoverint defectum suum, quod minùs solverint, plenariè recompensent. Si quis autem, quod absit, quadragesimæ taliter persolvendæ aliquid ex certa scientia subtraxerit, cùm dignè satisfecerit, ab hujus transgressionis debito penitùs sit immunis. Nec miretur quisquam aut etiam moveatur, quòd hoc sub tanta districtione præcipimus, cùm summa necessitas id exposcat. Nam etsi voluntarium esse debeat divinæ servitutis obsequium, legimus tamen in evangelio de invitatis ad nuptias Dominum præcepisse ut compellerentur intrare. Mandamus præterea ut vos, fratres Archiepiscope & Episcopi, quadragesimam ipsam per vestras dioceses instanter exactam & collectam fideliter faciatis juxta prædictam formam in tuto loco deponi, summam omnium per vestras litteras & speciales nuntios nobis, quàm citiùs fieri poterit, expressuri. Ad hæc, in singulis Ecclesiis truncum concavum poni præcipimus, tribus clavibus consignatum; prima penes Episcopum, secunda penes Ecclesiæ sacerdotem, tertia per aliquem religiosum laicum conservandis; & in ea fideles quilibet, juxta quod eorum mentibus Dominus inspiraverit, suas eleemosynas deponere in remissionem suorum peccaminum moneantur, & in omnibus Ecclesiis semel in hebdomada pro remissione peccatorum, & præsertim offerentium, Missa publicè decantetur. Concedimus autem vobis, fratres Archiepiscope & Episcopi, ut circa eos qui de bonis suis terræ sanctæ voluerint subvenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum & rerum facultate pensatis, ac considerato nihilominus devotionis affectu, opus injunctæ pœnitentiæ commutare possitis in opus eleemosynæ faciendæ. Volumus insuper ut adhibitis vobis, ubi poterunt inveniri, duobus fratribus, uno Hierosolymitani Hospitalis, & alio Militiæ Templi, aliisque religiosis laicis, & discretis Militibus, vel aliis bellatoribus, qui signum dominicæ crucis assumpserint, & in suis non poterunt sumptibus transfretare, congrua de eadem summa stipendia ministretis; sufficienti ab eis cautione recepta quòd in defensione terræ orientalis per annum vel ampliùs juxta quantitatem subsidij commorentur, & si, quod absit, in via decesserint, susceptum subsidium non in alios usus convertant, sed reddant potiùs in stipendia bellatorum; qui etiam cùm redierint, non priùs absolvantur à præstita cautione quàm litteras Regis vel Patriarchæ aut Hierosolymitani Hospitalis aut Militiæ Templi Magistri aut etiam Legati nostri vobis exhibuerint de mora ipsorum testimonium perhibentes. Quia verò summa necessitas exigit, & communis requirit utilitas, ut populus Christianus non solùm in rebus sed etiam in personis contra paganos in succursum terræ sanctæ sine dilatione succurrat, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ad exhortandos & inducendos fideles per vos & alios viros idoneos prudenter & diligenter instetis; ut qui sufficientes fuerint ad bellum Domini præliandum, in nomine Domini Sabaoth signum crucis assumant, alij verò juxta suarum sufficientiam facultatum pias eleemosynas largiantur. Nos enim de Dei misericordia & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis Deus, licèt indignis, ligandi & solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem hujus itineris in personis propriis subierint & expensis, plenam peccatorum suorum, de

* Leg. districtionem transgressionis.

quibus cordis & oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus, & in retributionem justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantùm expensis juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinaverint, illic per annum moraturos ad minus, & illis similiter qui licèt in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impleverint, plenam suorum veniam concedimus peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus esse participes, juxta quantitatem subsidij & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congruè ministrabunt. Personas insuper ipsorum & bona eorum, ex quo crucem susceperint, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, necnon & sub Archiepiscoporum & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant, statuentes ut donec de ipsorum obitu vel reditu certissimè cognoscatur, integra maneant, & quieta consistant. Quòd si quisquam contra præsumpserit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatur. Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur astricti, vos, fratres Archiepiscope & Episcopi, per vestras dioceses creditores eorum, sublato appellationis obstaculo, eadem districtione cogatis ut eos à sacramento penitùs absolventes, ab usurarum ulteriùs exactione desistant. Quòd si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit usurarum, eum ad restitutionem earum sublato appellationis obstaculo districtione simili compellatis. Iudæos verò ad remittendas ipsis usuras per secularem compelli præcipimus potestatem, & donec eas remiserint, ab universis Christi fidelibus tam in mercimoniis quàm aliis per excommunicationis sententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari. Horum autem vos, fratres Archiepiscope & Episcopi, singulos in suis diocesibus executores esse volumus & mandamus; quæ tam diligenter & fideliter exequamini, ut in districto novissimæ discussionis examine, cùm astabitis ante tribunal Christi, dignam debeatis reddere rationem. Datum Laterani II. Kalendas Ianuarij. [*Apud Rogerium de Hoveden*, VI. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno secundo.

Vide Concil. Monspel. habitum an. 1195. cap. 6.

In eundem modum scriptum est per totam Alemaniam, per Thusciam, per Lombardiam, per regnum Franciæ, per regnum Angliæ, per regnum Vngariæ, per Sclavoniam, per Hyberniam, per regnum Scotiæ.

VNIVERSIS CHRISTI FIDELIBVS per Viennensem provinciam constitutis.

Epist. 271. Ejusdem argumenti cum superiore.

NIsi nobis dictum à Domino per Prophetam & in Propheta sciremus, *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*, nisi ad pastorale crederemus officium pertinere quod inquit Apostolus, *Insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa*, nisi gregis dominici nobis esset cura commissa, possemus nunc tandem à clamore desistere, cùm etsi tuba exhortationis nostræ sæpe sonum dederit non incertum, exhortando populum Christianum ad terræ sanctæ succursum, paucos tamen adhuc ad bellandum bellum Domini excitarit. Quia verò major instat necessitas quàm unquam institerit ut ipsi terræ celeriter succurratur, & de succursu speratur major quàm unquam provenerit utilitas proventura, clamamus ad vos, & pro illo clamamus qui voce magna clamando spiritum pro vobis emisit in cruce, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ut vos ab æternæ mortis eriperet cruciatu, qui clamat etiam per se ipsum, & dicit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Recepimus enim litteras venerabilium fratrum nostrorum Antiochen. & Hierosolymitan. Patriarcharum, Archiepiscoporum etiam & Episcoporum utriusque provinciæ, & carissimorum in Christo filiorum nostrorum A. Hierosolym. & L. Armen. Regum illustrium, similiter & Magistrorum Hierosolymitani Hospitalis & Militiæ Templi; quibus nobis exposuerunt necessitates & miserias terræ sanctæ, asserentes inter alia, quòd cùm hactenus Dominus per discordiam Sarracenorum, qui se ipsos impugnant, orientali provinciæ pepercisset, & jam nunc inter eos de pace tractetur, si priùs quàm redeant ad concordiam congruum subsidium mitteretur, sperant pro certo quòd facilè posset hoc tempore orientalis provincia liberari. Si autem priùs redierint ad concordiam quàm subsidium destinetur, timetur ab omnibus quòd residuum terræ

Sarraceni de facili valeant obtinere, cùm peregrinis ad propria jam reversis, terra remanserit & viris & viribus destituta. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus ante oculos cordis habentes exilium crucifixi, qui potentes sunt prælium Domini præliari, & crucem & arma capessant; qui verò non sunt habiles ad pugnandum, in expensis suis secundùm proprias facultates aliquos dirigant bellatores; nec sit qui se ab hujus obsequio subventionis excuset quin aliquid saltem modicum propter hoc devotè ac libenter impendat, nisi qui æternæ voluerit esse remunerationis immunis. Quicunque enim eum erubuerit coram hominibus, & ipse illum coram angelis erubescet. Potestis enim & debetis considerare vobiscum quòd si Rex aliquis temporalis in captivitatem forsitan deveniret, nisi vassalli ejus pro liberatione regia non solùm res exponerent, sed personas, nonne cùm restitueretur pristinæ libertati, & acciperet tempus justitiam judicandi, proditores eos regios & quasi perfidos & infideles damnabiles judicaret, excogitaret mortis hactenus inexcogitata tormenta, quibus malos malè perderet, & in eorum bona fideles aliquos subrogaret? Nonne similiter Dominus Iesus Christus Rex Regum & dominus dominantium, qui corpus & animam vobis contulit, qui vos sanguine pretioso redemit, de ingratitudinis vitio & velut infidelitatis crimine vos damnabit, si ei ejecto de terra quam pretio sui sanguinis comparavit, & quasi captivo in salutiferæ crucis ligno detento, neglexeritis subvenire? Sanè cùm nihil possit omnipotenti resistere, quia tamen fideles suos temporaliter probare disponit in opere, quos æternaliter in prædestinatione cognovit, præter arcanum divini judicij, quod nulli mortalium datum est posse scrutari, fortè misericors Deus, cùm jam superabundasset iniquitas, refrigescente caritate multorum, voluit fidelibus suis occasionem præstare salutis, immo salvationis caussam præberet ut qui omnia pro ipso dimitterent, ipsum omnia in omnibus invenirent. Cùm enim Hierusalem, civitas illa terrestris, secundùm interpretationem vocabuli pacis visio nuncupetur, & ipsa vix unquam vel modico tempore pacem potuerit obtinere, promissio pacis ad illam Hierusalem nos profectò transmittit quę sursum est mater nostra, in qua pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, abundat. Ad hanc itaque novi sub novo tempore Machabæi, qui pro paternis legibus & sancta civitate sanctas utique pugnas exercent, cùm victi putantur, victores ascendunt ineffabili gloria coronandi, quam militibus suis Rex gloriæ præparavit. Ceterùm ne videremur onera gravia humeris imponere subditorum, quæ digito nostro movere nollemus, cum fratribus nostris de ipsius terræ subventione tractantes, decimam partem proventuum & redditaum nostrorum ad ejus subsidium duximus deputandam, Legatos nostros illuc dante Domino in proximo transmissuri, qui exercitum Domini in humilitate præcedant, & ad eos, tanquam ad unum caput, universi recurrant. Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, & Decanis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, immo etiam Clericis universis, in virtute sancti Spiritus & sub divini judicij obtestatione mandamus ut saltem quadragesimam partem ecclesiasticorum redditaum & proventuum suorum, æstimatione habita diligenti, in subventione orientalis provinciæ non differant erogare. Ad hæc; in singulis Ecclesiis truncum concavum poni præcipimus, tribus clavibus consignatum, una penes Episcopum, secunda penes Presbyterum Ecclesiæ, tertia per aliquem religiosum laicum conservandis: in quibus fideles quilibet deponere suas eleemosynas in remissione suorum criminum moneantur, & in singulis Ecclesiis semel in hebdomada pro remissione peccatorum, præsertim offerentium, Missa publicè decantetur. Concedimus etiam Archiepiscopis & Episcopis ut circa eos qui de bonis suis terræ sanctæ voluerint subvenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum & rerum facultate pensatis, & considerato nihilominus devotionis affectu, opus injunctæ pœnitentiæ commutare possint in opus eleemosynæ faciendæ. Ne autem Clerici vel laici in hoc frustra se doleant aggravari, sed jam nunc de sua sint quodammodo mercede securi, de Dei omnipotentis misericordia & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa

quam nobis Deus, licèt indignis, ligandi & solvendi contulit potestate; omnibus qui laborem hujus itineris in personis propriis subierint & expensis, plenam suorum peccatorum, de quibus cordis & oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus; & in retributionem justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantùm expensis juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinarint illic per annum moraturos ad minus, & illis similiter qui licèt in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impleverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus esse participes, juxta quantitatem subsidij & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congruè ministrabunt. Personas quoque ipsorum & bona, ex quo crucem susceperint, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, necnon & sub Archiepiscoporum & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant, statuentes ut donec de ipsorum obitu vel reditu certissimè cognoscatur, integra maneant, & quieta consistant. Quòd si quisquam contra præsumpserit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatur. Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur astricti, creditores eorum per Ecclesiarum Prælatos, ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quòd si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus. Iudæos verò ad remittendas ipsis usuras per secularem compelli præcipimus potestatem; & donec eas remiserint, ab universis Christi fidelibus, tam in mercimoniis, quàm aliis, per excommunicationis sententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari. Datum Laterani II. Nonas Ianuarij.

In eundem modum scriptum est super hoc universis Christi fidelibus per supradicta regna & provincias constitutis.

ABBATIBVS, PRIORIBVS, & universis exemptarum Ecclesiarum Prælatis in Mediolanensi provincia constitutis.

Epist. 270. Vt quadragesimam omnium bonorum suorum ad sacrum bellum conferant. Vide infrà epist. 305.

FOrmam apostolicæ constitutionis nuper salubriter editam pro subsidio terræ sanctæ, ex communibus litteris, quas in singulas provincias destinamus, intelligere poteritis evidenter. Monemus igitur discretionem vestram & exhortamur in Domino, & per apostolica scripta in virtute sancti Spiritus sub divini judicij obtestatione præcipiendo mandamus, quatenus ad citationem dioecesanorum Episcoporum, quam per eos non solùm sed nostra fieri auctoritate mandamus, devotè ac humiliter accedentes, juxta formam in litteris nostris expressam, quadragesimam saltem omnium ecclesiasticorum proventuum & redditUUM vestrorum in terræ sanctæ subsidium convertatis; ut ejus sitis remissionis participes quam propter hoc aliis indulgemus. Alioquin contemptum nostrum, immo redemptoris, in vos tantò severiùs curabimus vindicare, quantò specialiùs vos diligimus, & in caritatis operibus alios volumus prævenire. Datum Laterani III. Kal. Ianuarij.

Scriptum est super hoc in eundem modum universis Abbatibus, Prioribus, & exemptarum Ecclesiarum Prælatis in supradictis provinciis constitutis.

TYRENSI ARCHIEPISCOPO, & Episcopo Sydoniensi.

Epist. 271. Committitur illis causa quæ vertebatur inter Ecclesiam Tripolit. & Hospitalarios. Vide suprà lib. 1. epist. 75.

CVm S. quondam Prior sancti Michaëlis & A. Canonicus Tripolitan. nuntij Ecclesiæ Tripolitan. & N. & P. nuntij dilectorum filiorum fratrum Hospitalis Hierosolymitan. pro quæstione quæ vertebatur inter ipsos super Ecclesia de Nefins, & decimis ejus, ac tribus casalibus quæ occasione litterarum bonæ memoriæ C. Papæ prædecessoris nostri ab Hospitalariis occupata temerè dicebantur, ad nostram dudum præsentiam accessissent, postquam in præsentia venerabilis fratris nostri P. Portuen. Episcopi & dilectorum filiorum G. tituli sanctæ Mariæ Trans Tyberim Presbyteri & G. sancti Angeli Diaconi Cardinalium, quos partibus dedimus auditores, ab eis fuit diutiùs litigatum, & nos utrinque proposita ex fideli relatione Cardinalium prædictorum intellleximus

telleximus diligenter, de fratrum nostrorum consilio Tripolitan. Ecclesiam in eum statum possessionum decrevimus integrè reducendam quam antè habuerat quàm per venerabilem fratrem nostrum Nazaren. Archiepiscopum & dilectum filium Abbatem Montis oliveti directum à venerabili fratre nostro Patriarcha Hierosolymitan. prætextu mandati jamdicti prædecessoris nostri, præmissarum rerum possessio ipsis Hospitalariis adjudicata fuisset: quibus dedimus in præceptis ut juxta quod erat sententiatum à nobis, possessionem rerum superiùs expressarum, cum integritate fructuum ab eo tempore perceptorum ex eis, ipsi Ecclesiæ Tripolitanensi, contradictione, occasione, & appellatione cessantibus, pacificè resignarent, nec ei super eadem possessione violentiam vel injuriam aliquam præsumerent irrogare, ne propter hoc in caussa proprietatis, propter rebellionem suam, jacturam incurrerent graviorem. Vobis quoque recolimus mandavisse ut si ultra mensem possessionem illam contra sententiam nostram præsumerent detinere, prædictam Ecclesiam de Nefins cum omnibus antedictis curaretis Tripolitanensi Ecclesiæ assignare, eámque in corporalem possessionem inducere prædictorum, contradictores quoslibet aut nostræ sententiæ obviantes per severitatem ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium &c. Cùm autem prædicti fratres, sicut accepimus, super possessione sententiæ latæ obedierint humiliter & devotè, per quam nullum eis super quæstione proprietatis præjudicium generatur, cùm nihil commune habeat proprietas cum possessione, juxta legitimas sanctiones, caussam proprietatis ad petitionem prædictorum fratrum vestro duximus examini committendam, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus vocatis ad præsentiam vestram qui fuerint evocandi, & auditis & pleniùs intellectis quæ in judicio petitorio duxerint proponenda, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes &c. appellatione remota. Nullis &c. Quòd si ambo &c.

ABBATI SANCTÆ MARIÆ de Ferraria, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Epist. 174. De confirmatione privilegiorum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium &c. *usque ad verbum* annuimus, præfatam Ecclesiam sanctæ Mariæ de Ferraria, quam in fundo à nobili viro Ricardo quondam Comite de Sangro pia vobis donatione concesso ad divinum obsequium construxistis, sed & cambinm quod fecistis cum bonæ memoriæ Matthæo quondam Capuanensi Archiepiscopo & Ecclesia Capuanensi, à quibus recepistis duas Ecclesias dirutas, id est, Ecclesiam sancti Martini, in qua Cisterciensem ordinem statuistis, & sancti Heliæ, cum omnibus tenimentis earum, sicut habetis in publico instrumento, & locum illum ubi est Ecclesia sancti Angeli, cum ipsa Ecclesia & tenimento suo, in jus & proprietatem beati Petri & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ad instar felicis recordationis Lucij, Clementis, & Celestini prædecessorum nostrornm Romanorum Pontificum suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet &c. *usque ad verbum* illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Prædia quæ contulit vobis illustris memoriæ W. qnondam Rex Siciliæ, scilicet startiam de Cornillan. startiam de Palmento, & Iardinum Galerani, startiam sancti Stephani, & Pantanelli, & Rivi Iannuli, & Forestellæ, sancti Petri Lacuscin. usum pascuorum & omnium sylvarum in toto tenimento Varran. startiam de Perticella in eodem tenimento, startiam de Fraxo, & pedis montis, quam dedit vobis Tancredus illustris Siciliæ Rex in tenimento Teani, tenimenta quæ habetis intra montes & in omnibus partibus suis, & quicquid habetis in Varran. prædium quod contulit vobis Iohannes Notarius juxta flumen Wlturni, & quicquid vobis contulit Hug. de Prata, quicqnid in territotio habetis sancti Angeli de Rabaccanina, & omnia pascua in terris ejusdem Hugonis, & quod habetis in Catulisca, pascua quæ habetis in Alifia, in tenimento Calui in

prato rotundo, & in Dalfian. Castelli maris, fundum de sylva plana, quem habetis ex dono Gismundi, terram quam vobis contulit nobilis mulier Mathia & prædictus Hug. in flumine Lethæ, ubi habetis molendinum folle, domnm quam habetis in castro Mastradi, rationes omnes quas habetis in Neapolim, Limatam quæ dicitur Perdita, quam dedit vobis nobilis vir Goffridus de Montefusculo, tenimentnm quod contulit vobis Comes W. de Caserta in tenimento Telesiæ, quod fuit Iohannis Militis Bassi, molendinum quod contulit vobis Comes Rog. de Molisio in Hysernia, & pascua per totam terram suam, molendinum de Pentomis, quod dedit vobis Malgerius Sorellus, & quicquid habetis in Minian. in monte Rodon. in petra, in Marcian. & in sancto German. domos, apothecam, & terras quas Iohannes Ricardi dedit vobis in Capua, & domos quas dedit vobis Petrus Alifiæ, & quas dedit vobis Iohannes Cancarrus in eadem civitate, tenimentnm quod dedit vobis Philippus de Busson in Suess. pro anima uxoris suæ, & libertates quas habetis per regnum de platearico, passagio, & herbatico. Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus vel sumptibus colitis, tam de terris cultis quàm incultis, sive de vestrorum animalinm nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel laicos liberos &c. *usque ad verbum* retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem &c. *usque ad verbum* retinere. Quòd si quis fortè eos retinere præsumpserit &c. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum solicitudine providere volentes &c. *usque ad verbum* audeat exercere. Illud insuper auctoritate apostolica prohibemus, ne infra dimidiam leugam prope abbatiam vestram aliqua de novo habitatio fiat, de qua vobis debeat servatæ hactenus libertatis & pacis aliquod præjudicium generari. Ordinationes etiam monachorum vestrorum à diocesano suscipietis Episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, & gratis & absque pravitate aliqua voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis à quocunque malueritis catholico Episcopo suscipere, qui nostra fultus auctoritate quod postulatur impendat. Decernimus ergo &c. *usque ad verbum* profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si quis igitur &c. Cunctis autem &c. Datum Laterani per manum Raynaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, XIV. Kal. Februarij, Indictione III. incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo XCIX. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

EPISCOPO PADVANO.

Epist. 276. Vt Magistro G. primam vacaturam præbendam assignet.

CVm in Ecclesia Dei & officia beneficiis & beneficia sint officiis deputata, & oneri honor annexus, & onus honori, ecclesiasticis debent gaudere stipendiis qui ecclesiasticis officiis sunt ascripti; ne contra legis veteris inhibitionem os bovi trituranti claudatur, aut contra verbum Apostoli aliquis suis cogatur stipendiis militare, si qui altari deservit, non detur vivere de altari. Sanè in examinatione caussæ quam olim cum dilecto filio Magistro G. qui nobis ac fratribus nostris litteratutæ ac bonitatis suæ meritis est acceptus, olim habuetas, ab eo intelleximus esse propositum, & à procuratore tuo & nuntio non negatum, ipsum de assensu tuo in Canonicum Ecclesiæ Paduan. fuisse receptum, & à te postmodum in Subdiaconum ordinatum, in eo duntaxat existente vi quæstionis, quòd propter investituram, quæ tibi de antiqua consuetudine competebat, præbendam de Canonicorum manibus recepisset. Licèt autem ipse per sententiam delegatorum judicum ab eadem caussa ceciderit, & satis sufficiat ad correctionem ipsius quòd in eo punitus est in quo visus est deliquisse, ut misericordiam in nobis inveniat, qui hactenus justitiam est expertus, quamvis ex eo quòd in eadem Ecclesia certus beneficiorum est numerus per sedem apostolicam confirmatus, & nullum beneficium vacet in ea, immo, sicut dicitur, tres ad unum contra statuta Turonen. Concilij sint admissi, non statim precibus ejus condescendere valeamus: quia tamen absonum est non modicùm & indignum ut Canonicus & Subdiaconus Ecclesiæ Paduan. ipsius remaneat beneficio destitutus, fraternitatem tuam monemus & exhortamur in Domino, & per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus cùm hi qui post eum recepti sunt

ad officium, non debeant eum in beneficio prævenire, nullum investias de beneficio Ecclesiæ Paduan. priusquam eidem sicut uni ex aliis integrum fuerit beneficium assignatum. Dilectis etiam filiis Archipresb. & Canonicis ejusdem Ecclesiæ per nostras litteras inhibemus ne aliquem ad beneficium priùs admittant quàm eidem Magistro, juxta quod præmisimus, fuerit satisfactum; decernentes irritum & inane siquid à te vel ipsis contra hoc fuerit attentatum. Quia verò non minùs iidem Archipresb. & Canonici præter investituram tuam eidem G. præbendam conferendo peccarunt quàm ipse recipiendo deliquit; ne unus puniri videatur, pro omnibus, sed omnes puniantur in uno, ipsis per apostolica scripta præcipiendo mandamus ut ei præbendam, quæ tantùm residentibus de communi confertur, sicut uni ex aliis de communibus proventibus, & manualia beneficia post susceptionem præsentium non differant assignare: ad quod eos, si (quod non credimus) parere noluerint, per venerabilem fratrem nostrum Gradensem Patriarcham, contradictione & appellatione cessante, ecclesiastica mandamus districtione compelli.

Illis scriptum est super hoc, & Patriarchæ scriptum est super hoc.

MAGISTRO JOHANNI SUBDIACONO & Notario nostro.

Epist. 276. Sententiam pro ipso latam confirmat.

Collato tibi quondam per manus nostras archidiaconatus officio, quem olim habuerat V. quondam Archidiaconus & Canonicus Paduanus, cùm in Ecclesia Paduan. nulla tunc temporis diceretur vacare præbenda, donationi nostræ reservavimus proximè vacaturam, decernentes irritum & inane si quis de ea quicquam contra tenorem mandati apostolici præsumeret attentare. Cùmque postmodum inter venerabilem fratrem nostrum Paduanum Episcopum & Magistrum G. Canonicum Ecclesiæ Paduan. super præbenda ejusdem Ecclesiæ propter hoc quæstio mota fuisset quòd idem G. præbendam præter investituram Episcopi de Paduanorum Canonicorum manibus accepisset, nos primò caussam ipsam Ferrarien. Episcopo, secundò venerabili fratri nostro Episcopo Veronen. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, ac tandem post sententiam à Ferrarien. prolatam, venerabilibus fratribus nostris Castellan. & Clugien. Episcopis commisisse meminimus. Cùmque postmodum ejusdem Episcopi procurator & dictus Magister G. propter hoc ad sedem apostolicam accessissent, caussa ipsius coram dilecto filio P. tituli sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinale, quem eis concessimus auditorem, diutiùs ventilata, & fideliter nobis per Cardinalem eundem, quæ proposita fuerant, hinc inde relatis, cassata quoque sententia ab eodem Episcopo Ferrarien. prolata, caussam eandem dilectis filiis L. Priori & V. Canonico sanctæ Mariæ ad carceres sub certa forma commisimus terminandam; sic videlicet ut eodem G. reducto in statum in quo fuerat sententia non prolata, cùm nobis ex ipsius confessione facta coram eodem Cardinale constaret quòd investitura præbendarum ad eundem Episcopum pertineret, & idem G. præter investituram ipsius prædictam præbendam de Canonicorum manibus accepisset, ipsum eadem sublato appellationis & contradictionis obstaculo spoliarent, & assignationem à Canonicis factam denuntiarent irritam & inanem; nisi forsan infra mensem post receptionem litterarum nostrarum constaret eisdem Episcopum Paduanum post possessionem præbendæ ipsi G. à Canonicis assignatam, suum super assignatione à Canonicis facta eidem expressisse consensum. Præterea minùs indecens attendentes quòd simplex Canonicus quàm Archidiaconus & Canonicus præbenda careret, cùm & idem G. ea se præbenda reddidisset indignum quam temere præsumpserat occupare, eisdem judicibus dedimus in mandatis ut non obstante mandato quod à bonæ me. C. Papa prædecessore nostro pro eodem G. factum fuerat de beneficio vacaturo, eundem Episcopum commonerent ut eandem præbendam tibi vel nuntio tuo, nonobstante appellatione vel contradictione cujuslibet, assignaret; quod si non faceret, ipsi hoc nihilominus sublato appellationis obstaculo adimplerent. Delegati verò judices juxta formam mandati apostolici procedentes, cùm eidem G. restitutionis beneficium impendissent, sex Clericos & tres laicos productos ab eo ad testimonium admiserunt. Sed quia Episcopum assignationi sibi à Canonicis factæ suum expressisse

conſenſum infra ſtatutum terminum non probavit, licèt idem G. ad ſedem apoſtolicam appellaſſet, jam elapſo termino, plures ſe aſſerens ad teſtimonium producturum, quia tamen in litteris noſtris appellationis erat obſtaculum partibus denegatum, ipſi contra eum ſe per contumaciam abſentantem ſententiam protulerunt, præbenda eum ſpoliantes eadem, & aſſignationem à Canonicis factam decernentes irritam & inanem. Poſtmodum verò ad commonitionem eorum procuratorem tuum de eadem præbenda dictus Epiſcopus inveſtivit; & licèt ſæpedictus G. ad noſtram poſtmodum præſentiam acceſſiſſet, tamen contra prolatam ſententiam, & inveſtituram procuratori tuo factam, nihil penitùs poſtulavit. Nos igitur ſententiam ipſam, ſicut ab eiſdem judicibus rationabiliter lata eſt, nec legitima appellatione ſuſpenſa, ratam habemus, & auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c.

ARCHIDIACONO & Capitulo Capuanis.

Epiſt. 177. Varia de electione & poſtulatione Prælatorum diſſerit.

Cap. Cùm nobis. *De elect. & electi poteſtate.*

CVm olim nobis de obitu bonæ memoriæ Archiepiſcopi Capuani tam per veſtras litteras quàm nuntios conſtitiſſet, volentes, prout officij noſtri ſolicitudo depoſcit, in paſtorem provideri celeriùs Eccleſiæ viduatæ, vobis dedimus in mandatis ut electionem canonicam de perſona idonea faceretis, per quam in ſpiritualibus & temporalibus Capuana Eccleſia poſſet congruè gubernari. Vos autem mandatum noſtrum ſuſcipientes humiliter & devotè, ſtatuto die in metropolitana Eccleſia conveniſtis; & cùm ad tractandum de facienda electione in Capitulo ſederetis, & tu, fili Archidiacone, hymnum ad invocandam Spiritus ſancti gratiam incepiſſes, dilectus filius M. Archidiaconus Theat. Canonicus Capuanus ſilentium indicens, ſic ait: *Dominus Papa ut faceremus canonicam electionem præcepit, & ego ne fiat, niſi canonica, interdico, & ad ipſam vocem appellationis emitto.* Cùmque à quibuſdam veſtrum quæſitum fuiſſet ab Archidiacono memorato quid intelligeret per canonicam electionem, reſpondit ut ſecundùm decreta canonica nullus in Epiſcopum de aliena eligeretur Eccleſia, dum in propria poſſet idoneus inveniri. Et ſic aliquantulo facto tumultu, cùm tu, fili Archidiacone, hymnum iterum incepiſſes, ipſe Archidiaconus Theatinus cum quibuſdam complicibus ſuis chorum exivit, & cœpit in quodam angulo Eccleſiæ commorari, & vos hymnum in choro ſolenniter compleviſtis. Sed cùm poſt invocatam Spiritus ſancti gratiam foret de electione tractandum, unum Presbyterum, & unum Diaconum, & alium Acolythum vicem gerentem Subdiaconi, qui etiam eſt Cancellarius Eccleſiæ Capuanæ, ut vota ſingulorum ſeriatim perquirerent, elegiſtis. Qui univerſorum perquirentes diligentiùs voluntates, vos omnes, qui ad eligendum in Capitulo remanſiſtis, invenerunt in electione concordes, dilectum filium R. Subdiaconum & Capellanum noſtrum filium dilecti filij nobilis viri P. Comitis Celanen. unanimiter nominantes. Demum verò prædictum Archidiaconum, & qui cum eo exierant, per quoſdam de veſtris admonere curaſtis ut ad electionem accederent faciendam. Sed cùm ipſi venire penitùs recuſaſſent, & diceret idem Archidiaconus quòd non ei feceratis tantum honoris & gratiæ quòd vobiſcum vellet in electione facienda perſiſtere, vos publicata electione veſtra cantaſtis *Te Deum laudamus*, & pulſari feciſtis cum ſolennitate campanas; ut quod per vos factum fuerat, innoteſceret civitati. Ad quarum ſonitum cùm univerſus populus ad Eccleſiam adveniſſet, & audiſſent qualiter à vobis electio fuerat celebrata, factum veſtrum communiter approbarunt; & quidam eorum, ut Archidiaconum & alios qui ab electione diſcordabant ad concordiam revocarent, multipliciter inſtiterunt. Verùm ipſe Archidiaconus, ut proponitur, ſe tunc ipſi electioni minimè conſentire, ſed in noſtra præſentia ſuum aſſenſum ipſi velle præſtare reſpondit. quod etiam, ſicut dicitur, ſæpe ac ſæpius in multorum præſentia replicavit. Tu verò, fili Archidiacone, cum multis de Canonicis Capuanis decretum electionis afferens eligentium ſubſcriptionibus roboratum, ad noſtram præſentiam acceſſiſti; & cùm apud nos fuiſſetis aliquandiu commorati, tres Canonici Capuani pro parte adverſa poſt aliquot dies noſtro ſe conſpectui præſentarunt. Vobis igitur & ipſis in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia conſtitutis, utrique partium præcepimus dicere veritatem; & quantum quidem erat in

Celeſtinus in Decretis c. 18. cap. Nullus, Diſt. 61.

narratione facti, usque ad exitum Archidiaconi prædicti de choro, neutra partium discordabat. Dicebant tamen Clerici antedicti quòd multi qui exierant cum Archidiacono, minis & terroribus fuerant inducti electioni à vobis postmodum factæ consentire. Cùmque tam à vobis quàm Clericis illis quæsiverimus diligenter quot erant Clerici Capuani qui electioni debuerant interesse, inventi non fuistis in responsione discordes; sed tam vos quàm ipsi certum super hoc numerum designastis. Et cùm quæreremus solicitè quot exierant cum Archidiacono Theatino, cùm appellationem opposuit, interpositæ appellationi faventes; licèt in hoc à vobis præfati tres Clerici discordarent, quòd scilicet XII. vel XIII. ad plus de Canonicis ab electione facta proponerent dissentire, & vos eos esse V. aut VI. solummodo diceretis; secundùm tamen expressum à vobis & ipsis Canonicorum numerum tres partes & ampliùs erant in electione concordes; si etiam prædictorum Clericorum assertio vera esset, quòd scilicet XIII. Canonici dissentirent. Quanquam autem, ut prædiximus, diligenter inquisivimus publicè veritatem, ne tamen aliqua videremur omittere de quibus fides nobis erat plenior exhibenda, per quosdam de fratribus nostris sigillatim vos & ipsos Clericos examinari præcepimus, ut quisque vestrum coram ipsis pleniùs & securiùs exponeret veritatem: qui non aliud quàm ante propositum fuerat, invenerunt. Interrogati verò Clerici antedicti, qui quosdam Canonicorum dixerant minis & terroribus ad consentiendum inductos, si viderunt aliquibus quamlibet coactionem inferri, taliter responderunt, quòd post factam electionem audiverunt quosdam de Canonicis aliis comminantes & dicentes: *De civitate trecenti vocentur armati; & tunc apparebit quis electioni nostræ noluerit consentire.* Sed licèt hoc dictum fuerit, non viderunt tamen propter hoc cum armis aliquem venientem, vel ipsis coactionem aliquam intulisse. Cùm autem ex utriusque partis assertione constaret interpositam fuisse appellationem canonicam, quando, ne fieret electio nisi canonica, secundùm mandati nostri tenorem, ad nostram fuit audientiam appellatum, videri poterat quòd post eam medio tempore nihil debuerit innovari. unde talis electio judicanda erat irrita & inanis, utpote post appellationem canonicè interpositam attentata. Sed è contra, cùm appellatum fuisset, non ut nulla fieret electio, sed ut fieret canonica, si factum electionis fuit canonicè subsecutum, non utique contra formam appellationis hujusmodi, sed magis secundùm eam videbatur esse processum; & ideo licèt post appellationem, non tamen contra fuit eadem electio celebrata. Propter quod non erat aliquatenus irritanda. Nam cùm duæ partes & ampliùs electioni consenserint & consentiant; licèt cautum reperiatur in canone ut tunc alter de altera eligatur Ecclesia, cùm nullus in propria fuerit repertus idoneus; quia tamen hoc in favorem introductum est Clericorum, & cuique licet renuntiare juri quod pro se noscitur introductum, vos, qui duæ partes eratis & ampliùs, cùm quod duæ partes Capituli faciunt, totum facere doceatur, in hac parte juri quod pro vobis facere videbatur renuntiare potuistis, & electionem de persona alterius Ecclesiæ celebrare; præsertim cùm illud decretum locum videatur habere, quando Clericis renitentibus & invitis, per alicujus violentiam potestatis extraneus ingeritur ex adverso. Propter quod sequitur in decreto, ut sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari, & quos ingeri sibi viderint ex adverso, non timeant refutare. Præterea cùm sedes apostolica caput omnium Ecclesiarum existat, & Romanus Pontifex judex sit ordinarius singulorum; quando de ipsa quis assumitur in Prælatum alterius, ei posse objici non videtur, propter capitis privilegium; quod obtinet plenitudinem potestatis, quòd de alia Ecclesia eligatur, cùm à capite membra reputari non debeant aliena. Item cùm post appellationem emissam, non ut non fieret electio, quia talis appellatio nulla foret, sed ut fieret canonica, dictus Archidiaconus Theat. cum suis fautoribus chorum exiisset, & vos illos ut interessent electioni faciendæ vobiscum curassetis solicitè revocare, quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt, alienos se fecisse videntur. Propter quod electioni à vobis concorditer celebratæ de jure non posse contradicere videbantur; præsertim cùm idem Archidiaconus postea requisitus responderit quòd in præsentia nostra vellet suum ei præbere consensum. Et ideo

cùm secundùm statuta Lateranensis Concilij, appellatione remota semper id debeat prævalere quod à pluribus & sanioribus fuerit ordinatum, nisi fortè à paucioribus & inferioribus aliquid rationabile objectum fuerit & ostensum, à vobis celebrata electio, tanquam à majori & saniori parte, non obstante contradictione vel appellatione paucorum, debebat & poterat rationabiliter confirmari; cùm id quod objectum extitit & ostensum, rationibus præmissis appareat rationabile non fuisse. His taliter allegatis, quanquam contra personam illius quem elegistis nihil unquam dictum fuerit vel objectum, quia tamen verbum Apostoli dicentis, *Nemini citò manum imponas*, debemus attendere diligenter, ad ea quæ circa personam inquirenda fuerant duximus ex officio nostro, sicut decuit, procedendum. Et quidem cùm tria sint in persona electi præcipuè requirenda, videlicet ætas legitima, morum honestas, & litteratura sufficiens, licèt de honestate morum, tanquam ei qui nobiscum est aliquandiu laudabiliter conversatus, possimus ipsi laudabile testimonium perhibere, illius quoque litteraturæ, licèt non eminentis, tamen convenientis existat, ut pro defectu scientiæ (sicut pleniùs intelleximus ab his qui eum meliùs cognoverunt) ab electione non deberet excludi, de legitima tamen ætate plenè scire non potuimus veritatem, de qua nec vos, ut accepimus, aliquid cogitastis, cùm à multis cujus ætatis existeret curaverimus indagare, à nemine unquam audivimus quòd annum ætatis trigesimum attigisset. Cùm autem secundùm prædicti statuta Concilij nullus debeat in Episcopum eligi qui trigesimum ætatis non egerit annum, licèt senectus venerabilis sit non diuturna nec annorum numero computata, sed cani hominis sint sensus ejus, & ætas senectutis vita immaculata; quia tamen post illa tria quæ Salomon asserit difficilia, quartum quasi reputet impossibile, viam videlicet viri in adolescentia sua, tanquam investigari non possit, nos Ecclesiæ pariter & personæ providere volentes, & tam rationes quàm canones observare, habito super hoc cum fratribus nostris diligenti tractatu, quia propositum vestrum providum intelleximus, & ideo propter urgentem necessitatem & evidentem utilitatem Ecclesiæ Capuanæ, quam in hac parte potiùs approbamus, volumus ipsum firmiter perdurare, præfatum Subdiaconum nostrum de communi fratrum nostrorum consilio vobis in procuratorem concedimus, liberam administrationem ei tam in spiritualibus quàm in temporalibus committentes. Quapropter discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus eum suscipientes humiliter & devotè, ipsi curetis plenariè de spiritualibus & temporalibus respondere, ut & ipse profectum & honorem Ecclesiæ Capuanæ valeat studiosiùs procurare, & dilectionem quam vos ad eum habere proponitis, in exhibitione operis experiri. Speramus enim in Domino quòd, sicut ei dedimus in mandatis, taliter in commissa sibi procuratione proficiet, quòd sibi salutem, vobis utilitatem, & nobis comparabit honorem. Datum Laterani.

BAMBERGENSI EPISCOPO, & Magistro Præpositino Scholastico Maguntino.

Licèt in tantum apostolicæ sedis extendatur auctoritas ut nihil præter ejus auctoritatem in cunctis Ecclesiarum negotiis rationabiliter disponatur, utpote quæ canones, quibus forma ecclesiasticæ constitutionis exprimitur, vel edidit, vel ab aliis editos approbavit, suum receptione ac approbatione faciens quod inventione vel editione videbatur forsitan alienum; quædam tamen sibi quodammodo specialiter & singulariter reservavit, ut præter specialem auctoritatem ipsius nec jure agi debeant, nec attentari valeant cum effectu. In his autem specialiter translationes Episcoporum non tam constitutio canonica quàm divina ejus tantùm potestati commisit, ut sicut legitimum matrimonij vinculum, quod inter virum est & uxorem, homo dissolvere nequit, Domino dicente in Evangelio, *Quod Deus conjunxit homo non separet*; sic & spirituale fœdus conjugij, quod inter Episcopum est & ejus Ecclesiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum, sine illius auctoritate solvi non potest, qui successor est Petri & Vicarius Iesu Christi. Hoc autem C. quondam Hildesemensis Episcopus non attendens, licentia nostra nec postulata nec habita, contra canonicas sanctiones & in injuriam

Epist. 178. Quòd absque Romani Pontificis auctoritate Episcopi ab una Ecclesia ad aliã transferri non possint.

Cap. Licèt. *De translatione Episcoporum.*

Vide suprà lib. 1 epist. 50. 117. 530.

Vide suprà lib. 1. epist 115.

apostolicæ sedis, cujus super hoc fuerat & requirendus & obtinendus assensus, ad Herbipolensem Ecclesiam ab Hildesemensi non auctoritate nostra sed propria temeritate transivit, & administrationi ejus se ingerens, Herbipolensem se fecit Episcopum nominari. Nec illa felicis recordationis Celestini Papæ prædecessoris nostri indulgentia, quam impetrasse refertur, in hoc præsumptionem excusat ipsius, sed ambitionem accusat; utpote quæ ipsum reddidit de ambitione notabilem, * non auctoritatem contulit ad aliam episcopalem Ecclesiam transeundi, cùm sit expressum in ea quòd si ad majorem vocaretur forsitan dignitatem, eam sibi liceret assumere, dum tamen nihil ei de statutis canonicis obviaret. Vnde licèt forsan aliquibus videatur ut indulgentiæ occasione illius ad dignitatem possit transire majorem, ad parem tamen ipsi transire non licuit, cùm in majori dignitate propter majorem utilitatem faciliùs soleat dispensari. Præterea cùm postulatio, sicut & electio, examinari soleat diligenter, & tenor ejusdem indulgentiæ non solùm videatur postulationis examinationem sed personæ etiam reservasse, subjungens, *dummodo nihil appareat quod tibi de canonicis obviet institutis*, antequam per eum postulatio examinata fuisset cui fuerat facienda, nulla debuerat ratione transire. Licèt autem tantæ præsumptionis excessus ad aures nostras publica referente fama venisset, distulimus tamen procedere contra ipsum, donec litteras ejus recepimus, in quibus se nobis Herbipolensem Episcopum appellabat. Vnde postmodum præsumptionem ipsius debita volentes animadversione punire, quibusdam Ecclesiarum Prælatis in Teutonia constitutis districtè præcepimus ut cùm factum hujusmodi non posset in partibus ipsis non esse notorium, nisi dictus C. infra viginti dies post susceptionem litterarum nostrarum ab Herbipolensis Ecclesiæ administratione cessaret, eum excommunicatum auctoritate nostra non differrent publicè nuntiare, & excommunicationem ejus facerent pulsatis campanis, & candelis extinctis, festivis diebus & dominicis innovari. Quamvis in manifestis non sit ordo judiciarius requirendus, & ipse videretur confessus de crimine, cùm in litteris ad nos directis se præsumpsisset Herbipolensem Episcopum nominare, nos tamen ad evincendam omnem malitiam, in litteris nostris commonitionem canonicam duximus præmittendam; & eum postmodum ad bonum obedientiæ revocare volentes, ipsi non præmissa salutatione mandavimus ut omni excusatione cessante, si apud nos vellet gratiam invenire, mandatum apostolicū adimpleret. Quia verò nec sic ei vexatio præbuit intellectum quin eò fortiùs in sua pertinacia perduraret quò ampliùs nos videbat de sua correctione solicitos, cùm postquam alius de mandato nostro fuit in Episcopum Hildesemensem electus, & etiam confirmatus, se ipse præsumpserit Hildesemensem Episcopum nominare, & electum ipsum & ejus Ecclesiam per suos fecerit multipliciter molestari, apostolicæ sedis injuriam dissimulare nolentes, ipsum in festo principis Apostolorum, præsentibus nuntiis ejus, inter Missarum solennia excommunicatum publicè nuntiavimus, mandantes sententiam latam à nobis per Teutoniam publicari. Volentes igitur de facto ipsius per vestras reddi litteras certiores, & utrum servaverit sententiam nostram, utrum prorsùs ab Ecclesia Herbipolensi recesserit, & in Hildesemensi nihil sibi penitùs vendicarit, utrum se humiliare curaverit, & an suum recognoscat excessum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquiratis super præmissis omnibus diligentiùs veritatem, & quod inveneritis per vestras nobis litteras fideliter intimetis; ut vel in eum, si adhuc contumax fuerit, manus nostras ampliùs aggravemus, vel, si misericordia dignus extiterit, secundùm benignitatem apostolicæ sedis illam cum eo misericordiam faciamus per quam nervus ecclesiasticæ disciplinæ minimè dissolvatur. Volumus præterea nihilominus & mandamus ut Herbipolensibus Canonicis sub pœna excommunicationis ex parte nostra districtiùs injungatis, totum tenorem præsentium litterarum in litteris vestris, quas eis super hoc à vobis dirigi volumus, exponentes, ne quid horum ignorent, ne, donec idem Episcopus absolutionis gratiam meruerit obtinere, ipsi communicare vel obedire præsumant; & ut ipsum Capitulum in eo puniatur in quo deliquit, ad alicujus electionem sine nostro speciali mandato procedere non attentent. Quòd si contra præsumpserint, hujusmodi factum irritum decerni-

Vide gesta Innocentij III.

* In Tertia Collect. non autem e. a. a. e. E. t. licentiam,

Vide suprà epist. 204.

mus & inane. Super his autem, omni gratia & timore postpositis, taliter procedatis quòd prudentiam & devotionem vestram debeamus meritò commendare, nec in eo incurratis offensam ex quo debetis gratiam promereri, cùm veritas nobis nequeat occultari. Datum Laterani VII. Kalendas Februarij.

THEOBALDO EPISCOPO Ambianensi.

Epist. 179. Statutum & ordinationem quandam ipsius confirmat.

EX parte tua fuit in audientia nostra propositum quòd cùm Ecclesiam de Petromoso tuæ diocesis penè penitùs desolatam pietatis intuitu repararis, licèt ea tibi fuerit per sedem apostolicam confirmata, ipsius tamen volens statui providere, in ea de consilio dilecti filij nostri P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis, apostolicæ sedis Legati, & aliorum multorum, quatuor religiosas personas providè statuisti, quarum una præsit ceteris in observantia ordinis regularis, & omnes pariter tibi & successoribus tuis in spiritualibus & temporalibus debeant respondere, ita etiam quòd ad te & successores tuos tam spiritualium quàm temporalium administratio & ipsarum pertineat institutio personarum. Nos igitur quod à te providè factum esse dignoscitur, ratum & firmum habentes, institutionem ipsam, sicut rationabiliter facta est, recepta, & hactenus observata, auctoritate apostolica confirmamus, districtiùs inhibentes ne aliquis successorum tuorum præsumat numerum præscriptarum diminuere personarum. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis & inhibitionis infringere &c. Datum Laterani V. Kal. Februarij.

COMITIBUS, BARONIBUS, Bajulis, judicibus, civibus, & universo populo in regno Siciliæ constitutis.

Epist. 180. Vt cum Legato apostolico in regni conservationem opes & consilia conferant.

QVantum apostolica sedes non solùm in regno vobis contra hostes astiterit, sed extra regnum etiam gravaminibus vestris non incassum sed utiliter potiùs studuerit præcavere, dissolvens laqueos qui in personarum vestrarum oppressionem & rerum dispendium tendebantur, ex parte, sicut credimus, vestra universitas jam cognovit. Qualiter etiam nostris sumptibus non semel sed sæpe obviaverimus conatibus iniquorum, quantum utiles fuerimus vobis & regno, & vos intelligitis per vos ipsos, & opus testimonium perhibet veritati; cùm, nisi fallimur, immo quia non fallimur, aliter hodie Marcovaldus & complices ejus prævaluissent in regnum, nisi per nos prudenter & potenter tam spiritualiter quàm temporaliter fuisset machinationibus eorum occursum. Et licèt non solùm solicitudini nostræ, sed nec expensis etiam hactenus vel in modico sit responsum; quia tamen vobis deesse nec volumus nec debemus, dilectum filium nostrum C. sancti Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum, & venerabiles fratres nostros Neapolitan. & Tarentin. Archiepiscopos, & nobilem virum I. Marescalcum & consobrinum nostrum, in regnum Siciliæ, in eo ipsis vice nostra commissa, cum exfortio militum ad debellandos hostes & solidandum regnum duximus destinandos; credentes quòd non solùm proventus regni deberetis in stipendia militum erogare, sed de vestris etiam non modica liberaliter elargiri, utpote quibus melius esset pro statu regni universa expendere quæ habetis, quàm denuo per Marcovaldum & fautores ipsius gravissimę subjici servituti: quorum tyrannidem etsi omnes vel ferè omnes de regno in rebus, multi tamen majores & potentiores in personis etiam sunt experti. Monemus igitur universitatem vestram, & per apostolica scripta tam ex parte nostra quàm Regis districtè præcipiendo mandamus, quatenus Legatum ipsum & socios ejus recipientes humiliter & devotè, & in subsidium vestrum ac regni & exterminium hostium juxta mandatum ipsorum potenter & viriliter assurgentes, eis de regni proventibus in subsidium expensarum & stipendia militum respondere curetis; cùm quod quibusdam ex vobis hactenus pro necessitate temporis ad munitionem urbium & castrorum indultum fuerat vel permissum, velimus necessitate cessante cessare. Alioquin nos de cetero apud Deum & homines erimus excusati, si quid vobis adversi contigerit, cùm vobis ipsis nolitis adesse. Licèt enim multa nobis & magna promissa fuerint & oblata, universa tamen pro vobis quasi stercora curavimus recusare. Et pro certo, nisi nostra vos defendat auctoritas, experimento probabitis qualiter sine nobis vestra vos non possit potentia defensare. Datum Laterani III. Nonas Februarij.

Vide supr. epist. 100. 145.

MAGISTRO

MAGISTRO ET FRATRIBUS Militiæ Templi in Sclavonia constitutis.

Epist. 181. Transactionem quandam confirmat.

CUm à nobis petitur quod justum est &c. *usque ad verbum* annuentes, compositionem inter vos & monasterium sanctorum Cosmæ & Damiani factam super terris & aquarum discursibus & aliis de quibus inter vos quæstio vertebatur, sicut rationabiliter & absque pravitate facta est, & ab utraque parte recepta, & in authentico exinde confecto continetur, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Ad majorem autem evidentiam hujus rei ipsum authenticum de verbo ad verbum præsentibus litteris duximus inserendum, cujus tenor ita se habet. IN NOMINE sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo nonagesimo quarto, mense Julij, die nono intrante, Indictione duodecima; apud Tynum, regnante Domino nostro Bela serenissimo Rege Vngariæ, Dalmatiæ, Chroatiæ, atque Ramæ, & Almerico filio super Dalmatiam & Chroatiam. Cùm nos, nempe Petrus Spalatin. sedis Archiepiscopus, unà cum Matthæo Nonensi Episcopo, & Damiano Iadrentin. Comite, ac Grubesia Spalatin. Comite, ceterisque nobilibus, quorum nomina inferiùs subscribentur, in Ecclesia sancti Iohannis de Tyno, ad controversias quæ inter Templarios & monasterium sanctorum Cosmæ & Damiani pro terris & aquarum discursibus vertebantur, resecandas, de mandato regio resideremus, post multas altercationes & verba quæ memoratæ Ecclesiæ inter se habebant, vuadias ab utraque parte per stipitem de voluntate utriusque partis suscipientes, pro bono pacis & concordiæ talem inter utrasque Ecclesias finem & divisionem auctoritate regia composuimus, ut incipiendo à via quæ inter villam Tyni & villam sanctorum Cosmæ & Damiani est, & eundo versùs meridiem recto tramite usque ad Gomillam inferiùs, & abinde usque ad Blatam, quicquid in austro in terris & in aquis est quod ad monasterium sancti Damiani pertinuit, domui Templi remaneat perpetuò possidendum, præter aquam Chriplinam, quam communem esse decernimus utrisque Ecclesiis, & quicquid à præfata via & terminis in partibus occidentis in terris & aquis ac pascuis etiam ultra vallem Tyni habetur, & ad Templarios spectavit, præfato sancti Damiani monasterio sit amodo in perpetuum: aquam verò Chicmæ, cum aquarum decursibus; Templarios habere jugiter statuimus, tali videlicet ordine, ut in ea molendina faciant, quotquot possunt; ita tamen quòd molendino sanctorum Cosmæ & Damiani de Virbiza, quod est ultra Blatam, non noceat in aliquo. Volumus etiam & sancimus ut præfata sancti Damiani Ecclesia omnes terras illas quas ultra Blatam & ultra mare possedit antiquitus, & etiam si qua molendina sub suo molendino in austro fecerit, habeat possideat semper absque omni Templariorum calumnia. Stabilimus etiam ut si qua utriusque partis* antiqua testamenta vel scripta, præter hanc nostræ constitutionis cartam, ire præsumpserit, omnipotentis Dei sanctorúmque Apostolorum Petri & Pauli omniùmque sanctorum & nostram maledictionem incurrat, fiátque anathema, & super hoc pœna duarum librarum auri multetur. Quæ omnia firma ac rata esse volumus, præsente Gualterio Magistro, & fratre Aczo Præceptore, & omnibus fratribus, & Dominico Abbate, Privioria monacho, & Diminoscia monacho, cunctísque fratribus, coram his idoneis testibus, Petro Sagarelle, & Tolmatio, ac Burello Presbyteris Spalatinis. De Iadretinis verò fueruntt testes hi, Petrona Cucillæ, Peitiz Viriache, Peitiz Michaëlis, Georgius Sopp, Bitte de Iuda, Bitte Præstantij cum fr. Grisogono, Petrus Scluradi Templariorum advocatus, & quamplures alij. De Sclavis verò fuerunt testes hi, de Dominis Iupanus, Vulcominis Iupanus, Bestisus Iupanus, Grubescia Gaudij Iupanus, & Rillizus Iupanus, cum pluribus aliis. Fuerunt etiam testes ibidem hi venerabiles viri, Gregorius Antivarensis Archiepiscopus, & Vincentius sancti Grisogoni martyris Abbas cum suis monachis, & multis de plebe. Et ego Blasius sanctæ Anastasiæ Diaconus, & Iadretinæ civitatis Notarius, qui interfui, hanc constitutionis & concordiæ cartulam jussu jamdicti Archiepiscopi Spalaten. & Nonen. Episcopi ac Comitum præscriptorum ceterorúmque testium rogatu, ut audivi, complevi, roboravi, & signo consueto signavi.] Decernimus ergo.

* contra

Xxx

ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere &c. Datum Laterani VII. Kalendas Februarij.

EPISCOPO, DECANO, & Subdecano Lincolnien.

Epist. 182. Quòd vi metu extorta resignatio non obliget. Cap. Ad audientiam. De his quæ vi & metus caussa.

AD audientiam nostram dilecto filio Magistro Helia de Chevele significante pervenit quòd cùm Ecclesiam de Chevele auctoritate sedis apostolicæ canonicè fuisset adeptus, & aliquandiu pacificè possedisset, gravissimo tandem Regis metu, quòd eam resignaret, jurare coactus, eam in eorum ad quos pertinebat manibus resignavit. Quia verò quæ vi metúsve caussa fiunt, carere debent robore firmitatis; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si eundem Magistrum eo metu ad resignationem faciendam vobis constiterit fuisse coactum qui potuerit & debuerit cadere in virum constantem, non obstante juramento prædicto, quo non ad repetendum sed ad resignandum solummodo tenebatur, præfatam Ecclesiam ei per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet appellationis obstaculo restitui faciatis. Nullis litteris veritati & justitiæ &c. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani Nonis Februarij.

ARCHIPRESBYTERO & Canonicis Sutrinis.

Epist. 183. De jure eligendi quoad possessorium & petitorium. Cap. Cùm Ecclesia. De caussa possessionis & proprietatis.

CVm Ecclesia Sutrina pastore vacaret, vos convenientes in unum,&, sicut moris est, invocata Spiritus sancti gratia, pastorem unanimiter elegistis, petentes ipsum à sede apostolica confirmari. Verùm dilecti filij Clerici conventualium Ecclesiarum civitatis ejusdem apud nos de vobis consequenter suam deposuere querelam, quòd cùm in Episcoporum electionibus faciendis ipsi ac prædecessores eorum consueverint interesse, vos eis invitis, renitentibus, & exclusis, ad faciendam electionem procedere præsumpsistis, quam ob hoc non confirmandam sed infirmandam potiùs asserebant. Partibus ergo pro quæstione hujusmodi apud sedem apostolicam constitutis dilectos filios nostros B. tituli sancti Petri ad vincula & I. tituli sanctæ Priscæ Presbyteros & Nicolaum sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinales dedimus auditores: in quorum præsentia testes utrinque producti fuerunt, & eorum depositionibus publicatis, pars Canonicorum per testes à se productos intentionem suam, quòd ad eos tantùm spectaret electio, sufficienter dicebat esse probatam; parte Clericorum nihilominus asserente quòd per dicta testium, quos produxerant, & ipsi suam assertionem, quòd electioni Pontificum interesse deberent, pleniùs probavissent, per quæ constare dicebant eos electionibus trium Episcoporum qui Ecclesiæ Sutrinæ ultimò & immediatè præfuerant, cum Canonicis cathedralis Ecclesiæ affuisse, vocémque habuisse cum aliis eligendi. Nos ergo auditis allegationibus & rationibus partium, & depositionibus ipsis diligenter inspectis, quoniam liquidò deprehendimus testes vestros in perhibendis testimoniis varios extitisse, atque adversùs fidem attestationis suæ coram dictis Cardinalibus vacillasse, sicut ipsi postea nobis retulerunt, & quòd negationem quodammodo astruere satagebant, probare volentes jus electionis ita quidem ad se spectare quòd ad adversarios minimè pertineret, per testes verò partis adversæ fuit sufficienter ostensum quòd in trium Episcoporum electionibus, de quibus præmissum est, Clerici præsentes affuerint, & vocem habuerint eligendi, præmissam electionem factam eis contradicentibus & exclusis de fratrum nostrorum consilio decrevimus irritandam, Clericos sæpedictos in eam quasi possessionem, quam ante controversiam motam habuerant, reducentes. Verùm quoniam in quæstione prædicta quicquid juris utraque pars in electione habebat, deductum in judicium videbatur; cùm jure civili sit cautum id venire in judicium, non de quo actum est ut veniret, sed id non venire de quo nominatim actum est ne veniret, & secundùm statuta canonica electiones Episcoporum ad cathedralium Ecclesiarum Clericos regulariter pertinere noscuntur, nisi fortè alibi secus obtineat de consuetudine speciali, nec ex eo quòd Clerici antedicti se inter eligentes Sutrin. Episcopos probaverunt tertiò extitisse, jus eligendi propter brevitatem temporis usque ad præscriptionem legitimam non producti sibi acquirere non potuerunt, & actore non probante, qui convenitur, etsi nihil præstiterit, obtinebit, ab eorum impetitione super electionibus faciendis vos duximus absolvendos, sæpedictis Ecclesiarum Cle-

ricis super hoc silentium perpetuum imponentes. Nulli ergo &c. liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere &c. Datum Laterani VII. Februarij.

TVRONENSI Archiepiscopo.

Epist. 284. Quod Archiepiscopus, propter infirmitatem, suffraganeorum consecrationē committere possit.

QVod sedem &c. *Extat suprà numero* LXXVI. *inter epistolas istius libri. Itaque repetere eam nolumus.*

EPISCOPO CIVITATIS Castellan.

Epist. 285. Vt cives ab excommunicationis & interdicti sententia relaxentur.

ACcedentes nuper ad præsentiam nostram &c. *Extat suprà numero* LXXVIII. *inter epistolas hujus libri.*

RAYNERIO ABBATI & Conventui sancti Petri Eugubin.

Epist. 286. Vetera ipsorum privilegia confirmat.

CVm olim essemus apud Perusium constituti &c. *Extat suprà numero* LXXIX. *inter epistolas hujus libri. Ea de causa heic eam omisimus.*

ABBATI DE FIRMITATE G. & F. Archidiaconis Cabilonen.

Epist. 287. Ipsis caussam Eduensis Ecclesiæ & Balmensis monasterij committit.

EXpositam nobis Eduensis Ecclesiæ accepimus quæstionem &c. *Extat suprà numero* LXXX. *inter epistolas hujus libri.*

EPISCOPO ET DECANO Patherburnensi, & Abbati de Helmuardeshusan.

Epist. 288. Vt electo Hildesemensi Episcopo auxilientur. *Vide suprà lib. 1 epist. 335.*

CVm Conradus quondam Hildesemensis Episcopus, pro eo quòd sine licentia nostra ad Ecclesiam Herbipolensem transivit, fuerit suspensus à nobis, & postmodum, quoniam à sua noluit præsumptione desistere, vinculo sit excommunicationis astrictus, & de mandato nostro in Hildesemensi Ecclesia electio canonicè celebrata, nobiles quidam, scilicet Adolphus Comes, Hermannus & Henricus Comites de Hartesborc, Fredericus de Insula, & ipsius Ecclesiæ ministeriales, videlicet Lupoldus de Escherte, Vgo advocatus, & eorum complices, Hildesemensis diocesis, electioni factæ & auctoritate sedis apostolicæ confirmatæ de dilecto filio H. Hildesemensi Præposito majori contradicere non verentur, & ipsi quondam Episcopo, sicut non convenit, adhærentes, ipsum electum & Hildesemensem Ecclesiam aggravant multipliciter & infestant; sicut ipsius electi & Capituli Hildesemensis transmissa nobis conquestio patefecit. Prænominati etiam nobiles & ministeriales ipsius Ecclesiæ bona Hildesemensis Ecclesiæ, præbendas Canonicorum, & speciales redditus ipsorum, & episcopales proventus præsentis anni, occasione & auctoritate præfati Conradi quondam Episcopi recipiunt & detinent violenter. Præterea prædicti nobiles & ipsius Ecclesiæ ministeriales eidem quondam Episcopo Hildesemensi faventes, ipsum electum non permittunt civitatem & castra & alia bona ad Hildesemensem Ecclesiam pertinentia pacificè possidere; immo impendentes præfato quondam Episcopo contra Ecclesiam & electum & Clerum Hildesemensem auxilium & favorem, ipsum à possessione castrorum & civitatis & aliorum bonorum prohibent, & ei modis omnibus contradicunt. Nolentes igitur talia sub dissimulatione transire, quæ noscuntur contra mandata sedis apostolicæ attentari; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè in obedientiæ virtute præcipimus quatenus si verum est quod proponitur, præsumptores prædictos, nisi ad commonitionem vestram ablata Hildesemensi Ecclesiæ & electo restituerint universa, & ab ipsius Ecclesiæ, electi, & Cleri indebita molestatione destiterint, tamdiu nuntietis vinculo excommunicationis, sublato appellationis obstaculo, innodatos, & terram eorum suppositam interdicto, & ad quemcunque locum devenerint, eis præsentibus divina prohibeatis officia celebrari, donec tam electo quàm Clero super præmissis idoneam satisfactionem impendāt. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut nisi Clerici & laici in Hildesemensi diocesi constituti præfato electo debitam reverentiam impendere curaverint & honorem, eos ad id, omni gratia & timore postpositis, districtione ecclesiastica, appellatione remota, cogatis. Volentes insuper ejusdem Ecclesiæ indemnitatibus & electi paterna solicitudine præcavere, præsentium vobis auctoritate præcipimus quatenus quicquid de bonis ipsius Ecclesiæ præfatus quondam Episcopus, postquam Herbipolensi episcopatui se non timuit immiscere, alienavit quomodolibet vel distraxit, auctoritate nostra, appellatione remota, denuntiantes irritum & inane, & quæ per eum antè, etiam cùm Episcopus esset, Ecclesiæ memoratæ irrationabiliter

ter infeudata inveneritis vel distracta, non obstante appellationis objectu, legitime revocetis; taliter mandatum nostrum, omni gratia & timore postpositis, exequamini, quod solicitudo vestra in Domino appareat commendanda, & non possitis de negligentia seu inobedientia reprehendi. Nullis lit. veritati & justitiæ &c. Quod si omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani IIII. Nonas Februarij, pontificatus nostri anno secundo.

IN SICHEN. ET DE VALLE beati Georgij Abbatibus, & Præposito sanctæ Mariæ in Herfordia.

Epist. 183. De præbendarum devolutione, nisi intra statutum à jure tempus conferantur.

GRave gerimus & indignum quòd in multis Ecclesiis tam Prælati quàm subditi contra constitutiones canonicas temerè venientes, easdem enervare præsumunt, &, de quo dolemus non modicùm, quæ pro Ecclesiarum utilitate à sanctis patribus provida fuerunt deliberatione statuta, in detrimentum earum evacuare contendunt. Sanè cùm in Lateranensi Concilio fuerit constitutum ut quoties ecclesiastica beneficia vacare contingit, si Capitulum, ubi donatio spectat ad ipsum, infra tempus in eodem Concilio diffinitum eadem conferre distulerit, per Episcopum concedantur, & id Episcopo negligente, ad superiorem eorundem donatio devolvatur, mirati sumus non modicùm & commoti quòd venerabilis frater noster Archiepiscopus & dilecti filij Capitulum Magdeburgen. non habentes ad præmissa respectum, nec attendentes etiam quanta ex defectu personarum possint Ecclesiis *provenire, maximè cùm propter hoc divinum eis officium subtrahatur, præposituram & sex præbendas Ecclesiæ Magdeburgensis, cùm per annum & ultra vacaverint, infra tempus sibi permissum non curaverunt idoneis personis assignare, propter quod ab N. Scholastico ejusdem Ecclesiæ, ne quid ab eis fieret de præpositura jamdicta, ad nostram fuit audientiam appellatum. Licèt autem ante adventum nuntiorum dicti Archiepiscopi, & ante adventum A. Præpositi & N. Scholastici Canonicorum Magdeburgensis Ecclesiæ, ad nostram audientiam pervenisset quòd donatio præpositurae & præbendarum ipsarum ad nos esset secundùm statuta dicti Concilij devoluta, quia tamen super his per eosdem nuntios

* incommoda

in nostra fuit præsentia aliquandiu litigatum, nobis pleniùs constitit de præmissis. Ut autem non possemus de negligentia reprehendi, qui prædictos Archiepiscopum & Capitulum dignos proinde redargutione censemus; volentes etiam, prout ad nos pertinet, præcavere ne ubi jura conduntur, ibidem injuriam patiantur, præposituram ipsam dilecto filio A. sanctæ Mariæ ad gradus in Maguntia Præposito, ejusdem Ecclesiæ Magdeburgensis Canonico, viro provido & honesto, (quem ex aliquanta conversatione; quam ad sedem apostolicam habuisse dignoscitur, credimus eodem beneficio non indignum, per cujus etiam industriam & potentiam utiliter poterit ipsius officium adimpleri) duximus conferendam, ipsum in consistorio nostro de eadem per anulum investire curantes. Volentes autem prædictis Archiepiscopo & Capitulo, pro devotione quam ad nos & sacrosanctam Romanā Ecclesiam habere noscuntur, paterna solicitudine respondere, eisdem duximus indulgendum ut ex illis sex præbendis dictus Archiepiscopus duas & Capitulum duas alias vice nostra, non sua, possint idoneis personis conferre; ita tamen quòd si infra quadraginta dies post receptionem litterarum nostrarum id efficere fortè neglexerint, vos, filij Abbates, & Magister P. Scholasticus Maguntinus, quem vobis in hoc duximus adjungendum, auctoritate nostra tam illas quatuor quàm alias duas sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo personis idoneis conferatis; ita quòd si omnes his exequendis nequiveritis interesse, dictus Scholasticus cum altero vestrum ea nihilominus exequatur. Ceterùm si aliqui contra prædictam donationem nostram aut etiam factum vestrum, filij Abbates & Præposite de Herfordia, aliqua temeritate venire præsumpserint, vos eos à præsumptione sua per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Provideatis autem attentiùs quatenus si postquam ad nos est ipsius præpositoræ donatio devoluta, super eadem aliquid fuerit attentatum, in irritum appellatione postposita reducatis. Nos autem prædicto Archiepiscopo nostris damus litteris in mandatis, ut dicti Præpositi nuntios in corporalem ejusdem possessionem suo nomine inducere non omittat, & eidem Præposito, cùm se prædi-

ctæ Ecclesiæ personaliter exhibuerit, stallum in choro & locum in Capitulo juxta ipsius Ecclesiæ consuetudinem non differat assignare. Si verò prædictus Archiepiscopus, quod non credimus, mandatum nostrum distulerit vel neglexerit adimplere, volumus & præsentium vobis auctoritate districtè præcipimus quatenus vos id auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo exequi minimè postponatis. Cùm autem præfatus Al. pacificam ipsius Magdeburgensis præpositurae possessionem fuerit assecutus, liberum sit eis ad quos donatio præpositurae sanctæ Mariæ ad gradus, quam priùs idem habuerat, pertinere dignoscitur, de ipsa præpositura quod canonicum fuerit ordinare. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani XIIII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno secundo.

STEPHANI BALUZII TUTELENSIS

Admonitio ad Lectorem.

Regestum hoc Innocentij III. esse mutilum facilè colligimus ex annalibus Rogerij de Hoveden: qui cùm narrasset ea quæ apud Innocentium isto anno egit Gilardus Episcopus Menevensis pro restituenda veteri dignitate metropolitica Ecclesiæ Menevensis, demum addit eundem Gilardum sive Giraldum epistolam ab Innocentio ea de re scriptam ad Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum in ejusdem Papæ registro scribi procurasse ad perpetuam rei memoriam. Et tamen certum est epistolam illam non extare in hoc secundo libro, quamvis anno MCXCIX. data dicatur. Adferam autem ipsa Rogerij verba; ex quibus discemus mutilum esse, ut dictum est, hoc regestum, simúlque intelligemus quid in illa Innocentij epistola, quæ hactenus latet, contineretur; ne quid heic, quantum fieri poterit, desideretur. *Eodem anno (MCXCIX.) Magister Gilardus Menevensis electus suscitavit controversiam super jure metropolitico Ecclesiæ Menevensis, jus ejusdem Ecclesiæ & pristinam Metropolitani dignitatem coram Domino Innocentio Papa tertio & Cardinalibus, videlicet Octoviano Hostiensi & ..... Portuensi & Iohanne Albanensi Episcopis Cardinalibus, & Iordano de Fossanova, & Sephredo, & Iohanne de S. Paulo, & Iohanne de Salerno, & Gratiano, & Hugholino, & Huguncione Cardinalibus publicè protestando.* Et infrà: *Cujus rei occasione, & ad prædicti Gilardi instantiam jus Ecclesiæ suæ publicè in Curia Romana protestantis, Innocentius Papa Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum super statu Menevensis Ecclesiæ & dignitate metropolitica litteris suis citavit. Quas etiam litteras prædictus Gilardus ad perpetuam rei gestæ memoriam in ejusdem Papæ registro scribi procuravit. Præcepit etiam idem Papa prædicto Archiepiscopo quatinus supradicto Giraldo Menevensi electo ita consecrationem impenderet quòd sacramentum illicitum, quale extorquere solebant prædecessores sui ab Episcopis sancti David, scilicet de non prosequendo jure metropolitico contra Cantuariensem Ecclesiam, non exigeret, sed tantùm canonicam obedientiam juxta communem formam faceret. Præcepit etiam idem Papa Lincolniensi, Dunelmensi, & Eliensi Episcopis quòd si Archiepiscopus Cantuariæ sæpedictum Gilardum consecrare differret, ipsi apostolica auctoritate freti illum consecrare non differrent.* Hactenus Rogerius de Hoveden. Vanum porrò, ut hoc etiam dicamus, & inutilem fuisse hunc Gilardi conatum docet Gervasius monachus Dorobernensis in Actibus Pontificum Cantuariensium: ubi ait Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum cassasse ambitionem Gilardi, qui Menevensis Ecclesiæ in Curia Romana se dicebat electum, & alium sacravisse canonicè electum. Vnde colligimus paritum non fuisse litteris Innocentij, quæ per subreptionem impetratæ fuerant.

Itaque cùm vel ex hoc loco constet hunc regestorum Innocentij III. librum esse imperfectum, quem aliunde videmus rudem ferme indigestámque molem esse, prout hactenus editus est, cùm eædem interdum epistolæ bis illic descriptæ repetiantur ad verbum, rem non inutilem nec ingratam viris eruditis & istarum rerum studiosis me facturùm putavi, si quemadmodum in fine libri primi nonnullas epistolas addidi quę in superioribus editionibus non extabant, ita in istius fine nonnollas adderem quę hactenus cum Innocentij III. epistolis editæ non sint, quæ verò pertinent ad secundum annum pontificatus ejusdem Innocentij. Earum nonnullas eruimus ex tabulariis Ecclesiarum ac monasteriorum, alias ex lucubrationibus clarissimorum virorum Odorici Raynaldi, Ioannis Launoij, Ferdinandi Vghelli, Ioannis Mariæ Campi, Ioannis Lucij Dalmatini, & Petri Gatielli.

Sed & illud te monendum existimavi, Lector, Constitutionem pro Iudæis, quæ in hac editione nostra numero CCII. notata reperitur, editam fuisse à Materno Cholino in fine libri secundi, monito interim lectore non extare in aliis editionibus. Nos, non antiquitatem editionis, sed ordinem temporum sequuti, eam in loco reposuimus quem nunc occupat in hac editione.

Demum, ne quis offendatur quòd in fine istius libri non edidimus juramenta Comitis Hildebrandini & Petri Præfecti Vrbis, quæ ad calcem hujusce libri retulerat idem Cholinus, moneo illa à me relata esse suprà in appendice libri primi, ea de causa, quòd ad annum primum pontificatus Innocentij pertineant citra controversiam.

VNIVERSIS PRÆLATIS & Clericis diocesis Pinnensis.

Epist. 190. Vt Episcopo suo respondeāt de decimis, mortuariis, & oblationibus.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis Ecclesiarum Prælatis & Clericis Ecclesię Pennensi lege diocesana subjectis salutem &

apostolicam benedictionem. Significavit nobis venerabilis frater noster Pennensis Episcopus quòd non sibi de decimis, & mortuariis, oblationibus, & aliis justitiis respondetis. Quia verò fratres coëpiscopos nostros specialiter volumus in suo jure tueri, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus ei sicut diœcesano vestro de decimis, mortuariis, oblationibus, & de universis justitiis episcopalibus, sicut canonica sancit auctoritas, cœteris sine diminutione qualibet respondere, nonobstante si ea sibi vel prædecessoribus ejus aliquando per laicalem potentiam subtraxistis. In causis etiam matrimonialibus, pœnitentiis homicidiorum & oppressionum insontium, & in aliis etiam quæ præter ipsius fieri auctoritatem non habent episcopalem, vobis jurisdictionem nullatenus usurpetis. Alioquin sententiam quam propter hoc in vos rationabiliter tulerit, faciemus auctore Domino rationabiliter observari. Datum Laterani Idib. Martij, pontificatus nostri anno secundo.

ILDEBRANDO EPISCOPO Vulterrano.

Epist. 291. De confirmatione privilegiorum.

Suprà lib. 1. epist. 537. remisimus lectorem ad epist 291. libri secundi. Sed erratum est in numero. Vide infrà epist. 293. & seq.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Ildebrando Vulterrano Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Quæ ad Ecclesiarum augmentum à Principibus secularibus aut viris ecclesiasticis indulgentur, gratanter admittimus, & gratis apostolicæ sedis præsidio communimus. Quod circa te ac Ecclesiam Vulterranam tanto libentiùs adimplemus, quanto te nobis & Ecclesiæ Romanæ fideliorem invenimus, & in pluribus tuam summus devotionem experti. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precib⁹ annuentes, libertates, immunitates, dignitates, & jurisdictiones tibi & Ecclesiæ Vulterranensi à Principibus sive à quibuscunque personis ecclesiasticis vel secularibus provida deliberatione concessas ratas esse decernimus, & mandamus in posterum inviolabiliter observari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani IX. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

WILLELMO DE BIERIA Presbytero.

Epist. 292. Recipitur sub protectione apostolica.

Vide Stephan. Tornac. epist. 176.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio W. de Bieria Presbytero, salutem & apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tanquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecte in Domino fili, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quàm mundanis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Ecclesiam de Franchart, cum decimis, redditibus, censu, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Laterani IIII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno secundo.

ARCHIEPISCOPO MAGUNTINO, Episcopo Sabinensi.

Epist. 293. De electione Imperatoris.

SOlidata in devotione sedis apostolicæ fides tua, & in obsequio ejus probata tempore juventutis, non deficiet, immo proficiet fortiùs in ætate matura, nec frigescet etiam frigescente corpore, sed de die in diem ampliùs incalescet. Qui enim, cùm Petri quondam navicula jactaretur fluctibus, & venti & mare insurgerent contra eam, ita ut nunc de scopulosis fluctibus pendere videretur in præceps, nunc inter intumescentes undas, imas formidaret arenas, cùm Reges terræ ac Principes astitissent in unum adversùs eam & Christum ejus, illi fideliter & inseparabiliter adhæsisti, pro ea in mortem & in carcerem ire paratus, nec minas Principis nec latentes insidias nec proprium exilium expavescens, jam nunc, eùm cadentibus fluctibus & vento spirante propitio æquora noscitur sulcare pacata, & Petrus veteri timore depo-

stro super undas maris incedat, quis te poterit à caritate sedis apostolicæ separare? Sanè nec persecutio, nec gladius, nec fames, nec aliud te ab Ecclesiæ devotione divellet, in qua post Summum Pontificem locum nosceris præcipuum obtinere. Fortis est enim ut mors dilectio, & dura sicut infernus est æmulatio, nec aquæ multæ possunt extinguere caritatem. Vnde cùm inter ceteros fratres nostros apud nos primus existas, licèt à nobis, etsi non mente, corpore tamen multo sis spatio separatus, in arduis tamen negotiis quæ nobis incumbunt, tuo uti volumus consilio & favore. Noveris igitur, immo jam nosti, quòd post Henrici quondam Imperatoris decessum vota se Principum diviserunt, ita quòd quidam eorum Othonem H. quondam Ducis Saxoniæ filium, quidam verò Philippum quondam fratrem dicti Henrici Imperatoris nominarunt in Regem. Venerabilis autem frater noster Coloniensis Archiepiscopus, & alij qui in nominatione prædicti Othonis favorem præstiterant & assensum, congregato exercitu obsederunt pariter Aquisgranum, & eo capto, prædicto Othoni in sede posito augustali dictus Archiepiscopus regni coronam imposuit, sicut ad ipsum de jure dicitur pertinere: qui in die electionis suæ apud Coloniam de conservando jure Romanæ Ecclesiæ & aliarum etiam Ecclesiarum per seipsum præstitit juramentum, & postmodum etiam se astrinxit juratoria cautione quòd Ecclesiis & Principibus, quæ dicti Imperatores injustè abstulerunt, restitueret universa; pravam etiam consuetudinem relaxavit, per quam ijdem Imperatores bona ecclesiasticorum Principum decedentium occupabant. Dictus verò Philippus, & qui eum nominarunt Regem, venerabilem fratrem nostrum Tarantasiensem Episcopum vocaverunt, qui regalem imposuit eidem Philippo coronam. Et licèt ipsi duo, Philippus scilicet & Otho, semel & iterum inter se invicem dimicarint, neuter tamen plenam victoriam est adeptus. Nos autem, qui non ad destructionem Imperij, sicut quidam pestilentes homines mentiuntur, intendimus, sed ad conservationem & provisionem ipsius potiùs aspiramus, cùm etsi quidam Imperatores persecuti fuerint Ecclesiam, alij tamen multipliciter honorarunt, expectavimus hactenus, & in neutram partem voluimus declinare, licèt uterque de favore nostro & benevolentia glorietur, expectantes si forsan Principes redirent ad cor, & Imperio super tantæ dissensionis incommodo providerent. Sed quidam eorum adhuc in sua obstinatione persistunt, & non minùs quàm nominati prædicti partem quam fovent, justè vel injustè tuentur. Ex quo spoliantur Ecclesiæ, pauperes opprimuntur, strages corporum provenit, & periculum animarum. Cùm igitur non expediat de cetero populo Christiano, nec nobis etiam dissimulare incommoda tantę dissensionis sit tutum, tibi facti seriem duximus intimandum; ut cùm non tam Maguntinensis archiepiscopatus quàm Sabinen. episcopatus consideratione post Romanum Pontificem maximum Ecclesiæ Dei membrum existas, in tam arduo negotio favorem tuum habeamus pariter & assensum. Quia verò necessitates terræ orientalis, & quid ei expediat, pleniùs cognovisti, super mora vel reditu tuo fraternitati tuæ nihil expressè mandamus, quam credimus id acturam quod magis viderit expedire. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus cùm huic tractatui non possis personaliter interesse, arbitrium tuum nobis per literas tuas apertas committas, ratum habiturus & firmum quod in tanto negotio, prout Dominus nobis dignatus fuerit inspirare, ac de fratrum nostrorum consilio & voluntate processerit, statuemus. Vniversis etiam Officialibus tuis, Canonicis, Prælatis, Comitibus, Baronibus, & aliis tibi & Ecclesię Maguntinensi subjectis per literas tuas districtè præcipias ut eum cujus nominatio per sedem fuerit apostolicam approbata, in Regem recipiant, & partem ejus potenter foveant & viriliter tueantur. Credimus enim quòd sic dante Domino in hoc negotio procedemus, quòd Deo & hominibus erit acceptum, & apud Deum meritum & apud homines ex hoc gloriam consequemur. Tuum etiam & tuorum profectum pariter & honorem in ipso negotio diligenti curabimus studio promovere. Nec erit de facili qui se statutis nostris opponat, si tuus nobis suffragetur assensus, & devotio tuorum accedat; cùm & tanta sit per Dei gratiam apostolicæ sedis auctoritas, ut quasi certum ab omnibus habeatur quòd ille præ-

valebit omnino cui ſuum dignata fuerit favorem præſtare. Datum Laterani V. Nonas Maij, pontificatus noſtri anno ſecundo.

UNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS quàm ſecularibus Principibus Alemanniæ.

Epiſt. 194. De eodem argumento.

QVanta debeat eſſe concordia inter regnum & ſacerdotium, in ſeipſo Chriſtus oſtendit, qui eſt Rex Regum & dominus dominantium, Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui & ſecundùm naturam carnis aſſumptæ de ſacerdotali pariter & regali ſtirpe deſcendit. Ad quod etiam deſignandum beatiſſimus Petrus ad fidem Chriſti converſis dicebat: *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium.* Et ad Chriſtum in Apocalypſi clamatur: *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotium.* Hæc enim ſunt duo Cherubin, qui verſis vultibus in propitiatorium, ſuper ipſum duabus alis conjunctis mutuò ſe deſcribuntur reſpicere. Hæc ſunt duæ mirabiles & ſpecioſæ columnæ poſitæ juxta oſtium in veſtibulo templi, quas ambit linea duodecim cubitorum. Hæc ſunt duo magna luminaria, quæ Deus in firmamento cœli conſtituit; luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut nocti præeſſet. Iſti ſunt duo gladij de quibus Apoſtoli reſponderunt: *Ecce gladij duo hic.* Quorum omnium rationem aliorúmque multorum quæ de ſacris libris excerpta concordiam expreſsè ſignificant inter Eccleſiam & Imperium, exponere prætermittimus, cùm utilitas ex ipſa proveniens expreſſiùs hanc exponat. Per hanc enim concordiam propagatur fides, hæreſis confutatur, plantantur virtutes, vitia ſucciduntur, ſervatur juſtitia, iniquitas propulſatur, viget tranquillitas, perſecutio conquieſcit, cum pace populi Chriſtiani paganorum barbaries ſubjugatur, cum incremento Imperij Eccleſiæ libertas acreſcit, cum incolumitate corporum ſalus proficit animarum, & tam Clero quàm populo ſua jura ſervantur. Et licèt Romanam Eccleſiam quaſi matrem univerſa regna reſpiciant in quibus nomen colitur Chriſtianum, Romanum tamen Imperium eam arctiùs debet ac devotiùs amplexari, ut & ipſa per illud accipiat defenſionis auxilium, & illud per ipſam in ſuis neceſſitatibus adjuvetur. Ille verò qui paci ſemper invidet & quieti, ſicut Romanam tunc divifit Eccleſiam, ita nunc Romanum diviſit Imperium, & tantam inter vos diſcordiam ſeminavit, ut duos vobis in Reges præſumpſeritis nominare, quibus inter vos ipſos diviſi pertinaciter adhæretis, non attendentes quot & quanta diſcrimina per hoc non ſolùm Romano contingant Imperio, ſed univerſo proveniant populo Chriſtiano. Et ecce per hujus diſſenſionis materiam Imperij libertas minuitur, jura depereunt, & dignitas decurtatur, deſtruuntur Eccleſiæ, læduntur pauperes, Principes opprimuntur, univerſa terra vaſtatur, &, quod eſt longè deterius, ſtrages corporum imminet & periculum animarum. Ex hoc etiam inimici fidei Chriſtianæ non modicam audaciam contra fideles aſſumunt. Nos igitur hujuſmodi auditis & cognitis, tacti ſuimus dolore cordis intrinſeco, & nimio mœrore turbati; quia non, ut quidam peſtilentes homines mentiuntur, ad Imperij deſtructionem vel depreſſionem intendimus, ſed ad conſervationem & exaltationem ipſius potiùs aſpiramus; cùm etſi quidam Imperatores Eccleſiam vehementer afflixerunt, alij tamen eam multipliciter honorarunt. Expectantes autem hactenus expectavimus ſi fortè vos ipſi ſaniori ducti conſilio, tantis malis finem imponere curaretis, videlicet ad noſtrum recurreretis auxilium, ut per nos, ad quos ipſum negotium principaliter & finaliter noſcitur pertinere, veſtro ſtudio mediante tanta diſſenſio ſopiretur. Verùm quia vos in hac parte negligentes & deſides hactenus extitiſtis, nos, qui juxta verbum propheticum conſtituti ſumus à Deo ſuper gentes & regna, ut evellamus & deſtruamus, ædificemus etiam & plantemus, officij noſtri debitum exequi cupientes, univerſitatem veſtram monemus attentiùs & exhortamur in Domino, per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus Dei timorem habentes præ oculis, & honorem zelantes Imperij, ne libertas ejus depereat, & dignitas annulletur, ad proviſionem ipſius meliùs intendatis, ne fovendo diſcordiam, per vos imperialis ſublimitas deſtruatur, quæ per veſtrum deberet ſtudium conſervari. Alioquin quia mora de cetero trahit ad ſe grave periculum, nos quod expedire noverimus procurantes, eicurabimus favorem apoſtolicum impertiri quem credemus majoribus ſtudiis & meritis

Vide lib. 1. epiſt. 401. & cap. Solitæ, de major. & obedientiâ.

ritis adjuvari. Datum Laterani &c. pontificatus nostri anno secundo.

EPISCOPO VERCELLENSI & Abbati de Lucedio.

Epist. 295. Eis committitur causa quædam Mediolanensis. *Vide To. IV. Ital. sac. pag. 1089.*

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Vercellensi Episcopo & dilecto filio Abbati de Lucedio salutem & apostolicam benedictionem. Cùm causam quæ inter dilectos filios Abbatem & monachos ex una parte, & Præpositum & Canonicos sancti Ambrosij Mediolanensis ex altera, super interdicto & quibusdam aliis vertitur, procuratoribus partium apud sedem apostolicam constitutis, de voluntate ipsorum dilectis filiis I. Archidiacono Mediolanensi, sancti Iohannis Papiensis & sancti Iohannis de Trenno Præpositis commiserimus terminandam, ipsi, quemadmodum nobis suis litteris intimarunt, cùm non possent adinvicem concordare, partes ab observatione sui judicij absolventes, ad nos negotium integrum remiserunt; quod ab Abbate & monachis memoratis coram dilecto filio nostro I. tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinali, cui partes commisimus audiendas, sub forma qua fuerat primis judicibus delegatum, committi personis alliis petebatur; parte altera contrarium postulante. Quia verò nihil est rationabiliter allegatum quare circa præmissam commissionem de communi partium voluntate impetratam mutare aliquid deberemus, cùm circa negotium ipsum nihil fuerit immutatum, volentes ut finis litibus imponatur, causam ipsam vobis duximus committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus juxta tenorem prioris commissionis in negotio ratione prævia procedatis. Datum Laterani IX. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno secundo.

IOHANNI PRIORI de Mariadura ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris.

Epist. 296. De confirmatione privilegiorum.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Iohanni Priori domus quæ est in loco qui Mariadura dicitur, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Quoties à nobis petitur quod rationi & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Calisti, Innocentij, Celestini, Anastasij, Adriani, Alexandri, Lucij, Vrbani, Clementis, & Celestini Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, hospitalem domum quæ est in loco qui Mariadura vocatur, quam nobilis vir Gandulfus & uxor ejus Gisla beato Petro devotionis intuitu obtulerunt, in qua Domino deservitis, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut præfata domus tam ab Episcoporum quàm aliarum ecclesiasticarum vel secularium personarum sit gravamine libera, & in eodem statu libertatis sub principis Apostolorum Petri & nostra protectione ac tutela permaneat. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona, tam ex dono prædicti Gandulfi & uxoris illius Gislæ, quàm aliorum Dei fidelium concessione vel oblatione, idem hospitale in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum Deo propitio rationabiliter poterit adipisci, firma vobis vestrísque successoribus & eidem hospitali ad sustentationem peregrinorum ac pauperum Christi firma & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam videlicet sancti Leonardi de Cario, hospitale quod dicitur fontana Theodorici. Auctoritate quoque apostolica interdicimus ut de laboribus quos propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino Clericus sive laicus à vobis decimas extorquere præsumat. Ordinationes sanè Presbyterorum vel Clericorum vestrorum à Placentino accipietis Episcopo; si tamen catholicus fuerit, & ea vobis gratis & absque molestia voluerit exhibere. Alioquin pro eodem sacramento catholicum, quem malueritis, Præsulem adeatis. Libertates præterea & immunitates, necnon antiquas & rationabiles consuetudines domui vestræ concessas, & hactenus observatas, ratas habemus, & eas futuris temporibus illibatas manere sancimus. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi Clericus quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundùm Deum providerint eligendum. Ad indicium autem

quòd domus vestra propriè ad jus beati Petri pertineat, nobis nostrisque successoribus tres libras ceræ annis singulis persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat &c.

Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Octavianus Veletrensis & Hostiensis subscripsi.
Ego Petrus Portuensis Episcopus.
Ego Iohannes Albanus Episcopus.
Ego Pandulphus Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis.
Ego Petrus S. Cæciliæ Presb. Cardinalis.
Ego Guido tit. S. Mariæ Presb. Cardinalis.
Ego Hugo Presb. Card. S. Martini.
Ego Iohannes S. Stephani in Cœlio monte Presb. Cardinalis.
Ego Soffredus S. Praxedis Presb. Cardinalis.
Ego Bernardus S. Petri ad vincula Presbyter Cardinalis.
Ego Iohannes Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis.
Ego Bernardus Tit. S. Marcelli Presb. Cardinalis.
Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.
Ego Gregorius S. Mariæ in porticu Diaconus Cardinalis.
Ego Gregorius sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis.
Ego Gregorius S. Georgij ad velum aureum Diaconus Cardinalis.
Ego Nicolaus S. Mariæ in Cosmedin Diac. Cardinalis.
Ego Cencius S Luciæ in Orthea Diaconus Cardinalis.
Ego Hugo S.Eustachij Diac. Cardinalis.

Datum Laterani per manum Raynaldi Archiepiscopi Acheruntini, Cancellarij vicem agentis, IV. Nonas Iulij, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

GVILLELMO DOMINO de Montepessulano.

Epist. 197. Recipitur sub protectione sedis apostolicæ.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei nobili viro Guillelmo Domino de Montepessulano salutem & apostolicam benedictionem. Sancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiùs diligere consuevit. Eapropter, dilecte in Domino fili, devotionem quam erga beatum Petrum & nos ipsos habere dinosceris attendentes, personam tuam, cum omnibus bonis quæ nunc rationaliter possides, aut in futurum justis modis poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Laterani VI. Idus Iulij, pontificatus nostri anno secundo.

EIDEM.

198. Significat se mittere Legatum adversus hæreticos.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Guillelmo Domino Montispessulani salutem & apostolicam benedictionem. Litteras nobilitatis tuæ per dilectum filium R. Subdiaconum nostrum, Massiliensem Præpositum, de illis partibus redeuntem, nobis directas, debita benignitate recepimus, gaudentes in Domino quòd præclaræ mentis progenitores tuos, quos in devotione apostolicæ sedis jugiter permansisse opera quæ fecerunt certis indiciis protestantur, in hac parte non solùm imitari niteris, sed præire. Vnde propositum tuum dignis laudibus commendamus. Nos igitur te, sicut carissimum filium, volentes indesinenter de virtute ascendere in virtutem, devotionem tuam, pro his quæ hactenus ad honorem apostolicæ sedis & nostrum bene gessisti, copiosa gratiarum actione prosequimur. Et quoniam postulasti à nobis ut ad destruendam hæreticam pravitatem illuc legatum à nostro latere mitteremus, & te redderemus protectione apostolica præmunitum, fecimus quod petiisti, & virum quem invenimus secundùm cor nostrum, fratrem Rainerium, hominem religiosum, timentem Deum, illuc duximus destinandum. Datum Laterani VI. Idus Iulij, pontificatus nostri anno secundo.

TINIENSI ET SCARDONENSI Episcopis, & Abbati Trag.

199. De electione Episcopi Farensis.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Tiniensi & Scardonensi Episcopis & dilecto filio Abbati Traguriensi salutem & apostolicam benedictionem. Constitutus in præsentia nostra venerabilis frater noster M. dictus Farensis Episcopus sua nobis assertione monstravit quòd cùm venerabilis frater noster N. Farensis Episcopus electus fuisset in Archiepiscopum Iadertinum, asserens electionem suam fuisse per sedem apostolicam confirmatam, ad Ia-

dertinam transivit Ecclesiam, & in ea tanquam Archiepiscopus ministravit. Postmodum autem ad Farensem accedens Ecclesiam, cœpit de substituendo sibi in eandem Ecclesiam pastore tractare, volens in eam intrudere M. Diaconum Ecclesiæ Iadertinæ, Principem terræ alium ibidem intrudere moliente. Propter quod Clerus & populus Farensis convenientes in unum, credentes dictum Episcopum ad Iadertinam Ecclesiam auctoritate sedis apostolicæ transivisse, dictum M. in pastorem concorditer elegerunt; & electionem factam dilectis filiis Spalat. Capitulo præsentantes, eam confirmari obtinuerunt, & electum suum per *Suffraganeum Spalat. Ecclesiæ consecrari. Postmodum autem præfatus N. Farensis Episcopus à nobis ad venerabiles fratres nostros Polensem, Absalensem, & Arbensem Episcopos literas impetravit; à quibus licèt propter causam suspicionis idem Episcopus appellasset, ipsi nihilominus, sicut *& fuit in via suggestum, excommunicationis sententiam protulerunt. propter quod ipsum ad sedem apostolicam venientem fecimus ad majorem cautelam absolvi. Constitit autem nobis quòd licèt dictus N. postulatus fuerit in Ecclesiam Iadertinam, postulatio tamen ejus nondum fuit per sedem apostolicam approbata. Suggestum etiam nobis fuit per literas & nuntios ejus quòd cùm Iadertum, unde oriundus fuerat, ad domum propriam accessisset, & in Iadertina Ecclesia non tanquam Archiepiscopus sed tanquam Archidiaconus ministraret, dictus M. in locum viventis irrepsit, & in Farensem Ecclesiam temerè se permisit intrudi. Propter quod de mandato nostro per memoratos Episcopos excommunicationis fuit vinculo innodatus. Quia verò, sive memoratus Episcopus temerè transiverit ad Ecclesiam Iadertinam, sive ipsam tanquam ipsius Archidiaconus visitarit antè quàm Farensis Ecclesia fuisset ab eo auctoritate sedis apostolicæ absoluta, per electionem canonicam alium sibi Episcopum non poterat copulare; eidem Episcopo dedimus in mandatis ut à Farensi Ecclesia omnino recedat, nec se nominet Farensem Episcopum, sed ad Spalat. Canonicam, unde assumptus fuerat, si voluerit, revertatur. Quia verò Farensis Ecclesia, justo forsan errore decepta, credens videlicet Episcopum ad Iadertinam Ecclesiam de mandato Ecclesiæ Rom. transisse, in hunc contulit sua vota, & ipse occasione simili circumventus consensit in eam; discret. vestræ per ap. scripta mandamus quatenus subl. app. obst. inquiratis diligentiùs veritatem, si præfatus N. Farensis Episcopus postulationem suam asseruit per sedem apostolicam approbatam, si ad Iadertinam Ecclesiam omnino transivit, si in ea se habuerit ut electus, si de substituendo sibi pastore in Ecclesia Farensi tractavit; ut de his & aliis per literas vestras certiores effecti, meliùs in ipso negotio procedamus. Quòd si omnes his exequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani IV. Idus Iulij, pontificatus nostri anno secundo.

* Suffraganeos

* ei

CAPITULO SPALATENSI.

Epist. 100. De eodem argumento.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Capitulo Spalatensi salutem & apostolicam benedictionem. Cùm venerabilis frater noster M. dictus Farensis Episcopus venerabilem fratrem nostrum N. Farensem Episcopum asserentem postulationem suam esse per sedem apostolicam approbatam transisse proponat ad Ecclesiam Iadertinam, & in ea ut Archiepiscopum ministrasse, & in Farensi Ecclesia alium sibi substituere voluisse, se verò ad Farensis Ecclesiæ regimen fuisse illo transeunte vocatum, præfatus verò N. Episcopus ad civitatem Iadertinam, unde fuerat oriundus, non transiisse sed accessisse proponat, & in ea se non ut Archiepiscopum sed Archidiaconum ministrasse, ac dictum M. Farensem se in Ecclesia Farensi fecisse intrudi, & nos inquisitionem horum duxerimus committendam, sollicitè volumus præcavere ne interim in eadem Farensi Ecclesia aliquid in spiritualibus vel temporalibus detrimentum incurrat. Ipsam ergo vestræ solicitudini committentes donec aliud statuamus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus taliter ipsi providere curetis quòd occasione controversiæ hujus aliquod dispendium non incurrat. Datum Laterani II. Idus Iulij, pontificatus nostri anno secundo.

EPISCOPO, DECANO, & Capitulo Parisiensi.

Epist. 101. Confirmatur compositio inter

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo &

ea inter Archidiaconum Paris. & Abbatissam de Cala.

dilectis filiis Decano & Capitulo Parisiensi salutem & apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur quòd justum est & honestum, tam vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter vestris justis postulationibus inclinati, compositionem factam inter dilectum filium Mauricium Archidiaconum Ecclesiæ vestræ & dilectas in Christo filias Emelinam Abbatissam & Conventum * Scalensis Ecclesiæ super procuratione ipsius Archidiaconi & quibusdam gravaminibus quæ ipsæ ab eo sibi & suæ illata Ecclesiæ asserebant, sicut rationabiliter & sine pravitate facta est & ab utraque parte recepta, ratam habemus, & auctoritate apostolica confirmantes, præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani Kalendis Septembris, pontificatus nostri anno secundo.

* Calensis

CONSTITUTIO PRO JUDÆIS.

Epist. 302. Vide cap. Sicut Judæis. De Judæis.

Licèt perfidia Judæorum sit multipliciter improbanda, quia tamen per eos fides nostra veraciter comprobatur, non sunt à fidelibus graviter opprimendi, dicente Propheta, *Ne occideris eos, ne quando obliviscantur legis tuæ*, ac si diceretur apertiùs: Ne deleveris omnino Judæos, ne fortè Christiani legis tuæ valeant oblivisci, quam ipsi non intelligentes, in libris suis intelligentibus repræsentant. Sicut ergo Judæis non debet esse licentia in Synagogis suis, ultra quàm permissum est lege, præsumere, ita in his quæ sunt illis concessa, nullum debent præjudicium sustinere. Nos ergo, licèt in sua magis velint duritia perdurare quàm vaticinia Prophetarum & legis arcana cognoscere atque ad Christianæ fidei notitiam pervenire, quia tamen nostræ postulant defensionis auxilium, ex Christianæ pietatis mansuetudine, prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Calixti, Eugenij, Alexandri, Clementis, & Celestini Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, ipsorum petitionem admittimus, eisque protectionis nostræ clipeum indulgemus. Statuimus enim ut nullus Christianus invitos vel nolentes eos ad baptismum per violentiam venire compellat; sed si eorum quilibet sponte ad Christianos fidei caussa confugerit, postquam voluntas ejus fuerit patefacta, sine qualibet efficiatur calumnia Christianus. Veram quippe Christianitatis fidem habere non creditur qui ad Christianorum baptisma non spontaneus sed invitus cognoscitur pervenire. Nullus etiam Christianus sine potestatis terræ judicio personas eorum nequiter lædere vel res eorum violenter auferre præsumat, aut bonas quas hactenus in ea, in qua habitant regione, habuerint, consuetudines immutare. Præterea in festivitatum suarum celebratione quisquam fustibus vel lapidibus eos ullatenus non perturbet, nec aliquis ab eis indebita servitia exigere vel extorquere contendat, nisi ea quæ ipsi præteritis facere temporibus consueverunt. Ad hæc, malorum hominum pravitati & avaritiæ obviantes, decernimus ut nemo cœmiterium Judæorum mutilare audeat vel minuere, sive obtentu pecuniæ corpora effodere jam humata. Si quis autem decreti hujus tenore cognito temerè, quod absit, contraire tentaverit, nisi præsumptionem suam condigna satisfactione correxerit, excommunicationis ultione plectatur. Eos autem duntaxat hujus protectionis præsidio volumus communiri qui nihil machinari præsumpserint in subversionem fidei Christianæ. Dat. Laterani per manum Raynaldi Acherontini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, XVII. Kal. Octobris, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno secundo.

ABBATI ET CONVENTUI Vezeliacensi.

Epist. 303. Concedit indulgentiã quadraginta dierum.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Abbati & Conventui Virziliacensi salutem & apostolicam benedictionem. Licèt is de cujus munere venit ut sibi à fidelibus suis dignè ac laudabiliter serviatur, multò eis majora retribuat quàm valeant promereri; desiderantes tamen reddere Domino populum acceptabilem, ipsos ad bene serviendum ei quasi quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis scilicet & remissionibus, invitamus. Cupientes igitur ut monasterium vestrum, ubi venerandum corpus beatæ Mariæ Magdalenæ innu-

meris coruscans miraculis sub celebri custodia venerabiliter conservatur, congruis debeat honoribus frequentari, omnibus verè pœnitentibus & confessis qui ad monasterium ipsum in solemnitate ipsius sanctissimæ Dominæ ac octo diebus sequentibus causa devotionis accesserint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, quadraginta dies de injuncta eis pœnitentia annis singulis misericorditer relaxamus. Datum apud sanctum Stephanum Nonis Novembris, pontificatus nostri anno secundo.

GRVMERIO EPISCOPO Placentino.

Epist. 304. De confirmatione privilegiorum. Vide suprà epist. 103.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Grumerio Placentino Episcopo ejúsque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. In eminenti apostolicæ sedis specula divina disponente clementia constituti, fratres nostros Episcopos, & illos præcipuè qui honestate atque religione pollere noscuntur, debemus ampliori caritatis affectu diligere, & commissas sibi Ecclesias attentiùs confovere, ut tanto diligentiùs injunctum sibi ministerium peragere studeant, quanto se cognoverint apud Romanam Ecclesiam majorem gratiam invenisse. Eapropter, venerabilis in Christo frater Episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Placentinam Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dinosceris, prædecessorum nostrorum fel. mem. Paschalis, Adriani, & Alexandri Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrísque successoribus & illibata permaneant. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Monasterium S. Savini, cum omnibus Ecclesiis & pertinentiis suis. Monasterium sancti Sepulchri, cum cellis & pertinentiis suis. Monasterium sancti Benedicti, quod olim vocatum est sancti Marci, cum omnibus Ecclesiis & pertinentiis suis. Monasterium sancti Alexandri, cum omnibus pertinentiis suis. Monasterium sancti Gregorij, cum omnibus Ecclesiis & pertinentiis suis. Monasterium sancti Syri, quod est puellarum. Monasterium de Montebello, cum Ecclesiis & pertinentiis suis. Monasterium sanctæ Mariæ de Columba. Monasterium sancti Salvatoris de Pulsano. Cum Abbatum consecrationibus & Clericorum ordinationibus. Infra civitatem Parmensem, Ecclesiam sancti Vitalis, cum omnibus pertinentiis suis. In Parmensi episcopatu, plebem quæ vocatur Basilica Iulianæ, cum omnibus Capellis & pertinentiis suis. Ecclesiam de Guserman, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam de Portu Aberæ, plebem de Palatio Apiniani, cum omnibus Capellis & pertinentiis suis, & Capellam Cremæ ad eandem plebem pertinentem. Ecclesiam sanctæ Mariæ de Columba. Ecclesiam sancti Salvatoris de Ponzan. Infra civitatem Placentinam, Ecclesiam sancti Antonini, cum omnibus Ecclesiis & pertinentiis suis. Ecclesiam sanctæ Euphemiæ, cum Capella & pertinentiis suis. Ecclesiam sanctę Marię in Gariverti, Ecclesiam sancti Olderici, Ecclesiam sanctę Brigidę, Ecclesiam sancti Gervasij, Ecclesiam sancti Protasij, Ecclesiam sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi, quę vocatur sancti Salvatri, Ecclesiam sanctę Agathę, Ecclesiam sancti Andreæ, Ecclesiam sancti Andreę de Cavaniola, Ecclesiam sancti Sylvestri, Ecclesiam sancti Laurentij, Ecclesiam sancti Ægidij, cum Hospitali de Misericordia, quod sibi adjacet. Ecclesiam de Monte sanctę Christinę in parochia de Veirone, Ecclesiam sancti Cypriani in plebatu de Bronna. Ecclesiam sancti Germani, cum Hospitali sibi adjacente, in plebatu de Clastegio. Ceteræ quoque per Placentinam parochiam constitutæ Ecclesiæ, cum Capellis & decimis suis, quę in præsenti ad jus ejusdem Placentinæ Ecclesiæ pertinere noscuntur, sub tua semper tuorúmque successorum episcopali provisione permaneant. Præterea ad exemplar supramemorati Paschalis & fel. mem. Innocentij, Adriani, & Alexandri Romanorum Pontificum, statuimus & præsenti decreto sancimus ut Clerici infra civitatem seu parochiam Placentinam ad beati Sixti Ecclesiam pertinentes, tibi tuisque successoribus episcopalis juris obnoxij

habeantur; videlicet ut à vobis ordinationem suscipiant, vocati ad Concilium veniant, & de regimine populi dispositiones vestras custodiant, chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium sive Basilicarum infra parochiam Placentinam à te vel tuis catholicis successoribos tempore opportuno recipiant, siquidem gratiam & communionem apostolicæ sedis habueritis, & ea gratis ac sine pravitate voluerītis exhibere. Supradictorum quoque prædecessorum nostrorum bonæ mem. Paschalis, Adriani, & Alexandri Romanorum Pontificum vestigia imitantes, monasterium beati Pauli de Mezano, cum Cellis vel Ecclesiis quas in parochia Placentina possidet, tibi tuisque successoribus episcopali jure subditum perpetuò manere sancimus, ut ejusdem monasterij Abbas quicunque successerit, per vos futuris temporibus benedictionem ordinationis accipiat, & tam ipse quàm qui sub eo sunt Clerici ad synodum vestram venire non renuant, sicut hactenus est obtentum. Ejusdem quoque loci quilibet Clerici vel monachi per vestrum ministerium ad sacros ordines promoveantur, chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu Basilicarum in ipso monasterio, sive in cellis ejus aut Ecclesiis in vestra parochia constitutis, à vobis suscipiant, siquidem gratiam atque communionem apostolicæ sedis habueritis, & ea gratis ac sine pravitate volueritis exhibere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit &c.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Ego Conradus Maguntinus Archiepiscopus & Sabinus Episcopus subscripsi.
Ego Octavianus Ostiensis & Velletrensis Episcopus subscripsi.
Ego Petrus Portuensis & S. Ruffinæ Episcopus subscripsi.
Ego Iohannes Albanensis Episcopus subscripsi.
Ego Panduphus Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis subscripsi.
Ego Petrus tit. S. Cæciliæ Presb. Card. subscripsi.
Ego Guido S. Mariæ Trans Tyberim tit. Calisti Presb. Card. subscripsi.
Ego Hug. Presbyter Cardinalis S. Martini tit. Equitij subscripsi.
Ego Iohannes tit. S. Stephani in Cælio monte Presb. Card subscripsi.
Ego Soffredus tit. S. Praxedis Presb. Card. subscripsi.
Ego Bernardus S. Petri ad vincula Presb. Card. tit. Eudoxiæ subscripsi.
Ego Gratianus S S. Cosmæ & Damiani Diac. Card. subscripsi.
Ego Gerardus S. Adriani Diac. Card. subscripsi.
Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu Diac. Card. subscripsi.
Ego Nicol. S. Mariæ in Cosmedio Diac. Card. subscripsi.
Ego Gregorius S. Angeli Diac. Card. subscripsi.
Ego Hugo S. Eustachij Diac. Card. subscripsi.

Datum Laterani per manum Raynaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, VIII. Idus Novembris, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

ABBATIBUS, PRIORIBUS, & universis Ecclesiarum exemptarum Prælatis in provincia Rothomagensi constitutis.

Epist. 101. De subsidio terræ sanctæ. Vide supra, epist. 271.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & universis Ecclesiarum exemptarum Prælatis in Rothomagensi provincia constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Formam apostolicæ constitutionis nuper salubriter editam pro subsidio terræ sanctæ ex litteris quas in singulas provincias destinamus intelligere poteritis evidenter. Monemus igitur devotionem vestram & exhortamur in Domino, ac per apostolica scripta in virtute Spiritus sancti sub divini judicij obtestatione præcipiendo mandamus, quatinus ad citationem diocesanorum Episcoporum, quam per eos non sua sed nostra fieri auctoritate mandamus, devotè ac humiliter accedentes, juxta formam in litteris nostris expressam quadragesimam saltem omnium ecclesiasticorum redditunm & proventuum vestrorum in terræ sanctæ subsidium convertatis, ut ejus fitis remissionis participes quam propter hoc aliis indulgemus. Alioquin contemptum nostrum immo redemptoris in vos tanto severiùs curabimus vindicare, quanto vos specialiùs diligimus, & in caritatis operibus vos volumus prævenire. Datum Laterani Nonis Ianuarij, pontificatus nostri anno secundo.

FINIS LIBRI SECUNDI.



PRIMA COLLECTIO DECRETALIUM INNOCENTII III. ROMANI PONTIFICIS

Ex tribus primis regestorum ejus libris composita à RAINERIO Diacono & monacho Pomposiano.

Nunc primùm in lucem edita ex vetustissimo codice MS. Sancti Theodorici Remensis.

PRÆFATIO.



VENERABILI viro, scientia & morum honestate præclaro, Domino Jo. Dei gratia sacerdoti & monacho, reverendo Domini Papæ Capellano, RAINERIUS Diaconus & monachus Pomposianus, post secundos vitæ præsentis successus, æternæ felicitatis gaudium obtinere. Cupientes nonnulli, qui de diversis & ultimis etiam mundi partibus ad apostolicam sedem accedunt, audire sapientiam nostri temporis Salomonis, necnon & multi alij honesti viri atque prudentes, qui nobiscum præsentialiter conversantur, justitias & judicia ipsius in scriptis habere, me vobiscum pariter suis precibus induxerunt ut aliquod temporis spatium aliis occupationibus meis subripiens, in eis ordinandis expenderem & in uno volumine sub certis titulis compilandis. Quorum votis, meæ conditionis considerans famulatum, sicut debui, tam devotè quàm humiliter obedivi, & ad laudem & gloriam nominis ejus, legentiúmque profectum, quæque optima ex registris ejusdem, primi videlicet, secundi, & tertij anni, deflorans, in hoc opusculo plenissima, quantum ad Decretales & Decreta pertinet, auctoritate congessi; licèt quædam, quia diversos in se continent casus, intercidenda duxerim, ut sub competentibus sibi titulis locarentur. Ex sententiis autem & quibusdam epistolis partes illas quæ ad jus faciunt dumtaxat accipiens, præmissis competenter aptani; dictúmque opusculum, quia plus ceteris institistis ut me, licèt ægrotum, vix quiescere permiseritis, & artioris mihi estis vinculo caritatis astrictus, vobis primò direxi. Titulos autem ejusdem sub uno aspectu locavi, ut ad inquisitionem cujuscumque rei quam continet aliquod videar compendium attulisse.

TITULUS PRIMUS.

SI PERSONÆ DIVINÆ proprium nomen possint habere.

INNOCENTIUS PAPA III. Petro Compostellano Archiepiscopo.

Apostolicæ servitutis officium, quo sapientibus sumus & insipientibus debitores, usque adeo mentem nostram variis occupationibus aggravat, obtundit ingenium, & deprimit intellectum, ut vix consultationibus tuis, præsertim super tam subtili & sublimi materia, nos permiserit respondere. Verùm quoniam illius caritatis sinceritas, qua te inter fratres & coëpiscopos nostros speciali prærogativa diligimus, non permittit ut quicquam tuæ fraternitati negemus quod facturi essemus ad instantiam alicujus, quasi furantes horulas occupationibus ipsis, quæ nobis solito plus incumbunt, & otium utcumque captantes, ut non otiosè tuas videamur litteras audivisse, (Quamvis in talibus, juxta verbum Apostoli Jacobi ammonentis ut cùm quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei, magis recurrendum sit ad orationis suffragium quàm ingenium rationis) quod nobis Dominus inspiravit tuis consultationibus respondemus. Credimus igitur hæc vocabula, *Pater & Filius & Spiritus sanctus*, non esse propria, sed communia, tanquam nomina relativa, personas utique appellantia, sed significantia nationes: quamvis ad interrogationem hujusmodi, *Quis genuit filium? Pater* respondeatur; quia secundùm theologicam disciplinam, per hanc interrogationem de propria qualitate non quæritur, sed de personali proprietate. Unde cùm quæritur quis genuit Filium, Pater congruè respondetur: quia utique nomen personarum patrem appellat, sed significat notionem quæ patris personam distinguit. Habent enim singulæ facultates proprias rationes, nec in eis uno modo significant nomina semper & verba, sicut tua fraternitas non ignorat, quæ non solùm est in his sufficienter instructa, verùm etiam alios sufficienter instruxit. Utrum autem personæ divinæ proprium nomen

Edita ad Ant. August. in Addendis ad Tertiam Collect. Decretal.

nomen possint habere quæsivisti. Porrò cùm in persona divina non sit nisi relatio vel essentia, si persona divina proprium nomen haberet, illud utique relationem vel essentiam designaret. Si relationem, esset igitur relativum. Non ergo proprium, cùm relativum proprium esse non possit. Si autem essentiam, esset ergo essentiale. Quocirca proprium non existeret, cùm essentiale sit tribus commune. Sic ergo videtur quòd nec persona nec natura divina proprium nomen possit habere. Sed cùm proprium sit pronominis, pro proprio nomine poni, & tam persona quàm natura divina pronomine designetur, persona cùm dicitur *Ego hodie genui te* : natura, cùm dicitur *Ego sum qui sum*; profectò videtur quòd proprium nomen possit habere, cùm sit etiam res discreta. Ego verò solebam concedere, quando scholasticis studiis incumbebam, quòd tam persona quàm natura divina proprium nomen poterat habuisse. Nam eadem res, sive notio sive natura dicatur, diversis modis significatur in Deo, nunc absolutè, nunc respectivè. Sicut enim natura divina respectivè significatur hoc nomine, *Dominus*, sic notio relativa significaretur absolutè nomine proprio, non tanquam personalis relatio, sed tanquam proprietas singularis. Illud itaque nomen proprium significaret quidem relationem, non tamen existeret relativum; quia non eam significaret respectivè, sed absolutè. Si tamen dicatur quòd nulla proprietas est in persona divina quæ non sit notio relativa, quod plerique non dicunt, asserentes præter relationes alias in personis divinis existere notiones, qui super hoc faciliùs responderent. Similis autem quæstio potest de hoc nomine, *persona*, moveri, secundùm quod supponit hypostasim, non usiam. Sed simili quæstioni similis est solutio adhibenda. Porrò cùm tres dicantur esse notiones in Patre, videlicet innascibilitas, paternitas, inspiratio, non absurdè posset inquiri quænam illarum significaret proprium nomen Patris quasi propria qualitate. Si tamen unam significaret earum, quæ non potiùs aliquam quæ est illa, cur etiam magis unam quàm aliam, & utrum quamlibet significaret earum. Hujus autem quæstionis solutio pendet ex illa veteri quæstione qua dicitur utrum personales proprietates sint ipsæ personæ, utrúmve tres tantùm proprietates sint in tribus personis, aut etiam utrumque vel plures; & secundùm diversitatem opinionum diversis modis hæc quæstio solvetur. Proprium quoque nomen essentiæ commune foret ad tria nomina propria personarum ab invicem remotiva, quia naturam rei natura nominis sequeretur: quæ res cùm ipsa sit singularis, est tamen tribus personis communis. Quæsisti præterea utrum proprium nomen filij conveniret homini qui est Christus, & utrum possit proprium nomen hominis illius inveniri, quasi datum ab ejus propria qualitate, quæ locum accidentis tenere videtur in Christo, cùm & sine ipsa quandoque fuerit & cum ipsa, quamvis accidens verè non sit, cùm ad quid soleat responderi, utrum etiam unum proprium nomen secundùm unam naturam, & alterum secundùm alteram, & tertium fortè secundùm utramque posset habere. Sed hujus quæstionis solutio maximè pendet ex illa difficili quæstione qua dicitur quid prædicet hoc nomen, *homo*, de Christo. Nam secundùm illos qui dicunt quòd ipsum de illo prædicat habitum, non posset proprium nomen habere quasi datum ex propria qualitate, cùm secundùm eorum sententiam ex anima & carne Christi nulla constet substantia vel persona, nec magis posset inveniri proprium nomen illius quod æquipolleret huic tertio, *Iste homo*, quàm isti tertio, *Hic humanatus*, cùm secundùm eos alterum sit alterius æquipollens. Porrò secundùm illos qui dicunt quod hoc nomen, *homo*, de Christo prædicat speciem, ita quòd Christus est duo, unum æternum secundùm divinam naturam, & aliud temporale secundùm humanam, facilè potest nomen illius hominis inveniri, nec esset super hoc difficile respondere. Ceterùm illi qui dicunt quòd hoc nomen, *homo*, de Christo revera secundùm speciem prædicatur, ipse tamen Christus est unum solum, quia Verbum non hominem sed humanitatem assumpsit ut esset homo, difficiliùs huic quæstioni respondent. Unde posito quòd hoc nomen, *Iesus*, sit proprium nomen illius hominis impositum ei ex sua propria qualitate, ut æquipolleat huic tertio, *Iste homo*, coguntur concedere quòd Jesus ab æterno fuit Deus, non tamen dictus ab æterno fuit Jesus. Et licèt hoc nomen, *Iesus*, non sit accidentale, dicitur tamen ad similitudinem accidentis, quia natura nominis

naturam rei, sicut prædiximus, imitatur. Unde licèt illa propria qualitas substantialis sit Christo, quia tamen Christus aliquando fuit cum illa, & aliquando sine illa, oportet in multis de illa tanquam esset accidentalis proprietas respondeti. Posito igitur, gratia disputandi, nos ante tempus incarnationis existere, cogimur quidem concedere quòd Jesus erit & est, non tamen Jesus est & erit, neque Jesus est vel non est, sed non Jesus est. Nam hoc nomen, *Iesus*, supponit personam Filij, quæ semper est, ut æterna, & circa illam significat propriam hominis qualitatem, quæ non semper existit, ut res temporalis. Et ideo ratione personæ suppositæ, quæ semper existit, hæc propositio non est vera, *Iesus non est*. Sed & ratione significatæ qualitatis, quæ nondum existit, hæc similiter non est vera, *Iesus est*. Hanc tamen concedimus, *non Iesus est*, quia negatio præcedens extinguit, secundùm interposita separat. Et ideo concedimus extincturam, sed separativam negamus. Nec est hæc propositio quasi vel positiva falsi, nugatoria, vel incongrua, *Iesus est vel non est*, sicut nec ista, *Antichristus est vel non est*, cùm id proprij nominis proprietas non sustineat. De Antichristo tamen concedimus quòd Antichristus non est. Sed de Jesu omnino negamus, cùm persona quæ supponitur illo nomine sit, etsi proprietas quæ significatur illo nomine non existat. Verùm hæc quæstio valde difficilis est, & inter theologicas quæstiones magis est disputabilis, hinc inde copiosas habens & validas rationes; de qua non est ad præsens ampliùs prosequendum, cùm nec de illa principaliter sit quæsitum. Licèt autem hoc nomen, *Iesus*, secundùm interpretationem ipsius videatur impositum ab effectu, quod angelus ostendit, cùm ait, *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*, quia tamen Evangelista testatur quòd post dies octo, cùm circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quando solebat proprium nomen imponi, negari non debet quin ipsum sit proprium nomen illius, datum nihilominus ex propria qualitate. quod inveniri potest in multis exemplis circa liberales etiam facultates. Porrò secundùm naturam divinam filius proprium nomen non habet, nisi forsan haberet proprium nomen naturæ, quod non esset proprium nomen personæ, cùm ipsum tribus personis univocè conveniret. Sed in divina natura posset habere proprium nomen personæ, quod non significaret naturam, sed, ut prædictum est, notionem quasi propriam qualitatem. Et per hoc noveris quæstionem illam esse solutam, utrum videlicet unum nomen secundùm unam naturam, & alterum secundùm alteram, & tertium secundùm utramque, possit habere; licèt hoc nomen, *Emanuel*, quod interpretatur *nobiscum Deus*, secundùm utramqne naturam ei competere videatur. Sed hujusmodi nomina non tam pro impositione nominis proprij dici videntur quàm pro appellatione vel interpretatione quæ nulli alij conveniret. Sicut autem plerisque videtur quòd res extraprædicamentales proprias qualitates non habent, quibus tamen plerumque propria nomina imponuntur, præsertim illi qui negant formas formis inesse, sic forsan & personæ divinæ propria nomina possent habere quæ distinctè quidem & discretè appellarent ipsas personas, sed non significarent in eis proprias qualitates. Hæc ergo tibi scholastico more respondemus. Sed si oporteat nos more apostolico respondere, simpliciùs quidem sed cautiùs respondemus, quòd humana mortalitas proprium nomen secundùm proprietatem ipsius quod videlicet certum & determinatum tum exprimeret intellectum, non posse imponere Deo sive personæ sive naturæ divinæ, cùm Deus tanquam incomprehensibilis & immensus non possit in hac mortali vita certa determinatione vel determinata certitudine comprehendi, cùm quid non sit possit intelligi, sed quid sit non possit agnosci; sicut ipse dicit de se: *Non me videbit homo & vivet*. Et Johannes inquit de illo: *Deum nemo vidit unquam*. quod non de corporali sed de intellectuali visione debet intelligi, cùm nec in hac vita mortali nec in illa vita perenni Deus corporaliter videatur, quia non est corpus sed spiritus. Inhabitat enim lucem inaccessibilem. Et ideo investigator majestatis opprimetur à gloria, quantum accedit ad cor altum, & exaltabitur Deus. Quod bene significatum est Moysi, qui stans in petra vidit posteriora Domini transeuntis. Quia sicut homo visus à tergo scitur utique quòd sit homo, sed quis homo nescitur, ita quidem quòd Deus sit modò scimus, sed quid Deus sis ignoramus. Unde cùm requisi-

tus esset à Moyse quod est nomen ejus, respondit: *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos. Hoc mihi nomen est in aeternum.* non propriam sed communem appellationem respondens, quae tamen convenit ei soli secundùm proprium vel appropriatum potiùs intellectum, qui solus essentialiter est, cui non est aliud esse quàm quod est ipse. Non enim meminimus nos in divina scriptura proprium nomen Dei legisse, nisi proprium fortè dicatur quia non convenit alteri. juxta quem modum Deus proprium nomen habet, quod videlicet convenit ei soli, ut hoc nomen, *Adonay*, quod ipse se dicit Abraham, Isaac, & Jacob minimè indicasse. Comprehensores autem, qui Deum facie ad faciem contemplantur, nominum significatione non indigent, quia rem ipsam pleno per se conspiciunt intellectu, cognoscentes sicut & cogniti sunt, non per verbum humanum instructi, sed per verbum divinum edocti, nec excitati per vocem, sed certificati per speciem, illa videlicet intellectuali specie visionis de qua filius inquit ad patrem: *Hac est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum.* Quia igitur illud necesse non fuit, & nobis utile non fuisset, ideo propria nomina divinae non sunt imposita majestati; sed cùm pronomina de illa dicuntur, magis profectò dicuntur ad discretionem alterius quàm ad determinationem ipsius; cùm juxta sapientiam cujusdam sapientis verior sit de coelo negatio quàm affirmatio. Sugas igitur mel de petra & oleum de saxo durissimo, semper habens nostri memoriam in tuis orationibus apud Deum.

Titulus II.

Quòd sacerdotium majus sit regno.

Idem Nunciis Ducis Philippi.

IN Genesi legimus quòd Melchisedech fuit Rex & Sacerdos, sed Rex Salem, & Sacerdos altissimi, civitatis videlicet Rex, & divinitatis Sacerdos. Sanè si distat inter civitatem & divinitatem, distat utique inter Regem & Sacerdotem. Nam etsi Melchisedech in figuram Christi praecesserit, quòd habet in vestimento & in femore suo scriptum *Rex Regum & Dominus dominantium, sacerdos in aeternum secundùm ordinem Melchisedech*, ad notandum concordiam quae inter regnum & sacerdotium debet existere, propter quod & ipse Christus secundùm naturam carnis assumptae de stirpe regali pariter & sacerdotali descendit, ad notandum tamen praeminentiam quam sacerdotium habet ad regnum, cùm Abraham rediret à caede Regum, dedit Melchisedech ex omnibus decimas, qui benedixit ei proferens panem & vinum. Erat enim sacerdos altissimi. Dignior autem est qui decimas recipit quàm qui tribuit, & minor qui benedicitur quàm qui benedicit, juxta quod probat Apostolus, qui de hoc ipso loquitur dicens: *Sine ulla contradictione minus à meliore benedicitur.* Qui volens ostendere sacerdotium evangelicum dignius esse Levitico, probat illud per hoc quòd Levi fuit in lumbis Abrahae decimatus quando Abraham dedit decimam Melchisedech quasi minor majori. Licèt autem tam Reges quàm Sacerdotes ungantur ex lege divina, Reges tamen unguntur à Sacerdotibus, non Sacerdotes à Regibus. Minor est autem qui ungitur quàm qui ungit, & dignior est ungens quàm unctus. Propter quòd & ipse Christus, cui dictum est per Prophetam *Vnxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis*, Patrem ungentem asserit se uncto majorem. *Pater*, inquit, *major me est.* Nam pater est ungens secundùm quod Deus, Filius autem est unctus in quantum est homo. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed se exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Hinc est quòd Deus Sacerdotes vocavit deos, Reges autem principes appellavit. *Diis*, inquit, *non detrahes, & principi populi tui non maledices.* Et servo qui maluerit remanere cum domino dicit ut offerat eum diis, id est, Sacerdotibus, & perforabit aurem ejus subula, & erit ei servus in seculum. Sed & propter dignitatem officij sacerdos Angelus appellatur, dicente Domino per Prophetam: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requires ex ore ejus; quia angelus Dei est.* Dictum est etiam, non à quolibet, sed à Deo, non cuilibet, sed Prophetae, non utique de semine regio, sed de Sacerdotibus qui erant in Anathot: *Constitui te super gentes & regna, ut evellas & destruas, aedifices & plantes.* Simile dicitur Petro, sed excellentiùs. *Tu es*, inquit, *Petrus, & super*

hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Illi dictum est: *Constitui te super gentes & regna.* Isti dictum est: *Tu es Petrus &c.* Illi dictum est: *Evellas &c.* Isti dicitur: *Quodcumque ligaveris &c. Et quodcumque solueris &c.* Illi dictum est: *Ne timeas à facie eorum; quia ego tecum sum, ut eruam te.* Isti dicitur: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Principibus datur potestas in terris, sacerdotibus autem potestas tribuitur & in cœlis. Illis solummodò super corpora, istis etiam super animas. Unde quanto dignior est anima corpore, tanto dignius est sacerdotium quàm sit regnum. Petro legitur vas ostensum quatuor linteis submissum de cœlo, in quo continebantur omnia animantia, volatilia, quatrupedia, & reptilia, munda pariter & immunda; & dictum est ei: *Macta, & manduca.* Macta vitia, & manduca virtutes. Macta errorem, & manduca fidem. quasi evellas, ædifices, & plantes; quia singuli singulas habent provincias, & singuli Reges singula regna. Sed Petrus, sicut plenitudine, sic & latitudine, præminet universis; quia Vicarius est ejus cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in ea. Porrò sicut sacerdotium dignitate præcellit, sic & antiquitate præcedit. Utrumque, tam regnum, quàm sacerdotium, constitutum fuit in populo Dei; sed sacerdotium per ordinationem divinam, regnum autem per extorsionem humanam. De sacerdotio namque præcepit Dominus Moysi: *Applica*, inquit, *ad me Aaron fratrem tuum & filios ejus de medio filiorum Israël, ut sacerdotio fungantur.* De regno verò dicit Dominus Samueli: *Audi vocem populi petentis Regem. Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Verùm inter Moysem & Samuelem, inter Aaron primum sacerdotem & Saulem primum Regem, fuerunt tempora judicum, in quibus multi anni fluxerunt. Ne quis autem obiciat quòd etsi sacerdotium præcesserit regnum in populo Judæorum, regnum tamen præcessit sacerdotium in populo gentium, (Nam Belus cœpit primò regnare super Assyrios post turrem Babel & divisionem linguarum tempore Sarnch proavi Abrahæ, cui Ninus filius ejus successit in regnum, qui civitatem magnam construxit, quam à suo nomine Niniven appellavit. Sed & de Nemroeb dicit scriptura quòd principium regni ejus existit Babylon.) respondemus profectò, secundùm fidem historiæ, quòd & hos præcessit Noë, qui fuit rector arcæ, quasi sacerdos Ecclesiæ. Sed ne figuram pro veritate mendicare videamur, proponamus in medium quod Moyses de illo testatur. *Ædificavit*, inquit, *Noë altare Domino, & obtulit holocaustum super altare.* Sem quoque primogenitus ejus dicitur fuisse sacerdos, quem Judæi tradunt fuisse Melchisedech & vixisse usque ad tempora Abrahæ. De Caïn quoque natus est Enoch, qui primus civitatem ædificavit. Sed de Seth natus est Enos, qui cœpit nomen Domini invocare. Sed utrumque præcessit Abel, qui obtulit de primogenitis gregis sui & de adipibus eorum munera Domino; & respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus. Verùm in regno & sacerdotio non solùm causam institutionis sed & ordinem processus notare debemus. Contra utrumque siquidem in principio motum est scandalum & suscitatum est scisma. Contra sacerdotium Aaron scisma moverunt Chore, Dathan, & Abyron, cum complicibus suis; sed statim eos ultio divina damnavit, quia quosdam ignis, alios terra vivos absorbuit. Contra regnum autem Saulis scisma movit David, non tamen temeritate propria, sed auctoritate divina: qui licèt diù fuerit Saulis persecutionem perpessus, demum tamen prævaluit, quia manus Domini erat cum illo. Quid est hoc quòd scisma contra sacerdotium non prævaluit, sed succubuit, scisma verò motum contra Regem non succubuit, sed prævaluit? Magnæ rei magnum est sacramentum, & forsitan instantis temporis est parabola. Sed aliud intendere videamus. Dicamus quòd ideo scisma contra sacerdotium non prævaluit, quia sacerdotium institutum fuit per ordinationem divinam; scisma verò prævaluit contra Regem, quia regnum fuit ex ortum ad petitionem humanam. Sacra verò scriptura docente didicimus quia non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Deum. Cæterùm tempore procedente divisum est simul regnum & sacerdotium. Nam post obitum Salomonis divisum est regnum, & duæ tribus solummodo Roboam adhæserunt. Ceteræ verò tribus secutæ sunt Jeroboam. Sed qui pauciores obtinuit, ipse habuit Jerusalem

sedem regiam, templum & sacerdotium. Reliqua autem, quoniam his omnibus caruit, etsi plures haberet, sicut regnum divisit, voluit etiam dividere sacerdotium; & fecit duos vitulos aureos, quorum unum in Dan, alterum in Bethel; fanúmque construxit, & ædificavit altare, constituens sacerdotes non de Levitis. Venit Propheta in sermone Domini; & Jeroboam stante super altare & thus iaciente, inter cetera dixit: *Hoc erit signum quod locutus est Dominus. Ecce altare scindetur, & effundetur cinis qui est in eo.* Quod cùm Rex audisset, extendit manum, & ait: *Apprehendite eum.* Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra ipsum. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis. Ecce statim à Deo vindicatum est scisma contra sacerdotium suscitatum, divisio verò regni permansit inter Judæam & Israël usque ad transmigrationem & captivitatem Judaicam. Porrò quod accidit in veteri testamento, contigit in novo. Et ne longè petantur exempla, divisum est simul regnum & sacerdotium tempore Innocentij Papæ & Regis Lotharij. Contra Innocentium intrusus est Anacletus, contra Lotharium verò Conradus. Sed prævaluit uterque catholicus, Innocentius videlicet & Lotharius; quoniam Innocentius coronavit Lotharium; & succubuit uterque scismaticus, Anacletus videlicet & Conradus; quia veritas præjudicat falsitati. Deinde scisma divisit Ecclesiam tempore Alexandri, & Imperium in unitate permansit tempore Frederici. Sed idem Imperator, non ut defensor, sed ut persecutor Ecclesiæ, scisma fovit & favit scismaticis. Porrò scisma periit cum scismaticis, & fomentum cum fautoribus est confusum. Nunc autem Ecclesia per Dei gratiam in unitate consistit, & Imperium peccatis exigentibus est divisum. Verùm Ecclesia non sic illi retribuit quemadmodum illud Ecclesiæ, quia super ejus divisione condolet & compatitur, pro eo maximè quòd Principes ejus maculam posuerunt in gloriam & infamiam in honorem, libertatem & dignitatem ipsius pariter confundentes. Verùm ad apostolicam sedem jampridem fuerat recurrendum, ad quam negotium istud principaliter & finaliter dinoscitur pertinere; principaliter, quia ipsa transtulit Imperium ab Oriente in Occidentem; finaliter, quia ipsa concedit coronam Imperij.

IDEM ALEXIO CONSTANTINOPOLIS Imperatori.

Solitæ benignitatis affectu recepimus litteras quas per dilectum filium J. Archidiaconum Durachij, virum providum & fidelem, imperialis nobis excellentia destinavit; per quas intelleximus quòd litteræ quas per dilectum filium J. Capellanum nostrum tunc apostolicæ sedis Legatum tibi transmisimus, imperio tuo præsentatæ fuerant & perlectæ. Mirata est imperialis sublimitas, sicut per easdem litteras nobis intimasti, quòd te visi fuimus aliquantulum increpare, licèt non increpandi animo sed affectu potius commovendi quod scripsimus meminerimus nos scripsisse. Huic autem tuæ ammirationi non causam sed occasionem præbuit, sicut ex eisdem conjecimus litteris, quòd legisti beatum Petrum Apostolorum principem sic scripsisse: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam à Deo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Volens enim, de quo nos rationabiliùs ammiramur, imperatoria celsitudo per hæc & alia quæ induxit imperium sacerdotio dignitate ac potestate præferre, ex auctoritate præmissa triplex trahere voluit argumentum, primum ex eo quod legitur, *subjecti estote*, secundum ex eo quod sequitur, *Regi tanquam præcellenti*, tertium ex eo quod est subsequenter adjunctum, *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Per primum subesse sacerdotium, per secundum imperium præminere, per tertium Imperatores tam in sacerdotes quàm in laicos jurisdictionem immo etiam gladij potestatem accepisse præsumens. Cùm enim & boni quidam sint sacerdotes, & quidam eorum malefactores existant, is qui secundùm Apostolum gladium portat ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, in malefacientes Presbyteros excessus præsumptos ultore potest gladio vindicare, cùm inter Presbyteros & alios Apostolus non distinguat. Verùm si & personam loquentis & eorum ad quos loquebatur ac vim locutionis diligentiùs attendisses, scribentis non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritum provocabat. Si enim per id quod dixit *subjecti estote*, sacerdotio imponere voluit jugum

Cap. 1 de major. & obed. in Tertia Collect. & in Gestis Innoc. III.

subjectionis & eis auctoritatem prælationis conferre quibus eos subjectos esse monebat, sequitur ex hoc quòd etiam servus quilibet in sacerdotes imperium accepisset, cùm dicatur *omni humanæ creaturæ*, Quod autem sequitur *Regi tanquam præcellenti*, non negamus quin præcellat in temporalibus Imperator, illis dumtaxat qui ab eo recipiunt temporalia. Sed Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora quanto corpori est anima præferenda. Licet nec simpliciter dictum fuerit, *subjecti estote*, sed additum *propter Deum*; nec purè scriptum sit *Regi præcellenti*, sed interpositum forsitan non sine causa sit *tanquam*. Quod autem sequitur *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, intelligendum non est quòd Rex vel Imperator super omnes & bonos & malos gladij potestatem acceperit, sed in eos solummodo qui utentes gladio, ejus sunt jurisdictioni commissi, juxta quod Veritas ait: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Non enim potest aut debet quisquam servum alterius judicare, cùm servus suo domino, secundùm Apostolum, stet aut cadat. Ad id etiam induxisti, quòd licèt Moyses & Aaron secundùm carnem fratres extiterint, Moyses tamen princeps populi, & Aaron sacerdotij potestate præerat, & Jesus successor ipsius imperium in sacerdotes accepit. David quoque Rex Abiathar Pontifici præminebat. Ceterum licèt Moyses dux populi fuerit, fuit etiam & sacerdos, qui Aaron in sacerdotem unxit, & cui Propheta sacerdotium recognoscens, *Moyses*, inquit, *& Aaron in sacerdotibus ejus.* Quod verò de Jesu, id est, Josue, ad commendandam prælationem ejus scripsisti, magis secundùm spiritum quàm litteram debet intelligi, quia, secundùm Apostolum, *littera occidit, spiritus autem vivificat*, pro eo quòd ipse veri Jesu figuram expressit, qui populum suum in terram promissionis induxit. David etiam, quamvis diadema regium obtineret, Abiathar sacerdoti non tam ex dignitate regia quàm auctoritate prophetica imperabat. Verùm quicquid olim fuerit in veteri testamento, nunc aliud est in novo, ex quo Christus factus est sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, qui se non ut Rex sed ut sacerdos in ara crucis obtulit Deo Patri, per quam genus redemit humanum, circa illum præcipuè qui successor est Apostoli Petri & Vicarius Jesu Christi. Potuisses autem prærogativam sacerdotij ex eo intelligere potiùs quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo, non Regi, sed sacerdoti, nec de regia stirpe sed de sacerdotali prosapia descendenti, de sacerdotibus videlicet qui erant in Anathot: *Ecce constitui te super gentes & regna, ut evellas & dissipes, ædifices & plantes.* Dictum est etiam in lege divina: *Diis non detrahes, & principem populi tui non maledices.* quæ Sacerdotes Regibus anteponens, istos deos & illos principes appellavit. Præterea nosse debueras quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti; utrumque magnum, sed alterum majus, quia nomine cœli designatur Ecclesia, juxta quod Veritas ait: *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui summo mane conduxit operarios in vineam suam.* Per diem verò spiritualis accipitur, & per noctem carnalis, secundùm propheticum testimonium: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti judicat scientiam.* Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas magnas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas & regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est, quæ verò noctibus, id est, carnalibus, minor; ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Hoc autem si prudenter attenderet imperatoria celsitudo, non faceret aut permitteret venerabilem fratrem Patriarcham Constantinopolitanum, magnum quidem & honorabile membrum Ecclesiæ, juxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere, cùm alij Reges & Principes Archiepiscopis & Episcopis suis, sicut debent, reverenter assurgant & eis juxta se honorabilem sedem assignent. Nam & piissimus Constantinus quantum honoris exhibuerit sacerdotibus, tua, sicut credimus, prudentia non ignorat. Nos autem, etsi non increpando scripserimus, potuissemus tamen rationabiliùs increpare, cùm beatus Paulus Apostolus Episcopum instruens ad Timotheum scripsisse legatur: *Prædica verbum, insta opportunè importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Non enim os nostrum debet esse ligatum, sed patere debet ad omnes, ne

Vide suprà lib. 1 epist. 401. & lib. 2. epist. 294.

secundùm Prophetam simus canes muti non valentes latrare. Unde correctio nostra tibi non debuit esse molesta, sed magis accepta; quia pater filium quem diligit corripit, & Deus quos amat arguit & castigat. Debitum igitur pastoralis officij exequimur cùm obsecramus, arguimus, increpamus, & non solùm alios, sed Imperatores & Reges opportunè & importunè ad ea studeamus inducere quæ divinæ sunt placita majestati. Nobis enim in beato Petro sunt oves Christi commissæ, dicente Domino: *Pasce oves meas*. non distinguens inter has oves & alias, ut alienum à suo demonstraret ovili qui Petrum & successores ipsius magistros non recognosceret & pastores. Ut illud tanquam notissimum omittamus quod Dominus inquit ad Petrum & in Petro dixit ad successores ipsius: *Quodcumque ligaveris super terram &c.* nil excipiens qui dixit *quodcumque*. Verùm his diutiùs insistere nolumus, ne vel contendere videamur vel in hujusmodi delectari, cùm si gloriari expediat, non in honore sed onere, non in magnitudine sed sollicitudine sit potiùs gloriandum, cùm & Apostolus in infirmitatibus glorietur. Nôvimus esse scriptum: *Omnis qui se exaltat humiliabitur &c.* Et iterum: *Quanto major es, humilia te in omnibus*. Et alibi: *Deus superbis resistit, humilibus dat gloriam*. Propter quod exaltationem nostram in humilitate ponimus, & humilitatem nostram exaltationem maximam reputamus. Unde etiam servos, non solùm Dei, sed & servorum Dei nos esse scribimus & fatemur, & tam sapientibus quàm insipientibus secundùm Apostolum debitores. Utrum autem imperatoriam excellentiam ad bonum & utile per litteras nostas duxerimus invitandam, utrum justa tibi suggesserimus & honesta, tua celsitudo discernat, cùm nonnisi ad unitatem Ecclesiæ ac terræ Jerosolimitanæ subsidium nos te meminerimus invitasse. Inspiret igitur menti tuæ is qui ubi vult spirat, & qui habet corda Principum in manu sua, ut consiliis nostris & monitis acquiescas & id agas quod ad honorem divini nominis & Christianæ religionis augmentum & salutem animæ tuæ meritò deceat provenire. Nos autem, quicquid tu egeris, quod expedire noverimus faciemus. Utinam autem illum egregium prædecessorem tuum inclitæ recordationis Manuelem Imperatorem satageres in devotione sedis apostolicæ verbis & operibus meliùs imitari, ut per ejus auxilium & consilium, sicut illi, sic tibi & imperio tuo meliùs proveniret, saltem amodo supplens quod hactenus neglexisti. Prædictus autem Archidiaconus quod à nobis audivit excellentiæ tuæ poterit fideliter intimare.

IDEM NOBILIBUS VIRIS ACERBO Priori & aliis Rectoribus Tusciæ & Ducatus.

Sicut universitatis conditor Deus duo magna luminaria in firmamento cœli constituit, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus ut præesset nocti, sic ad firmamentum universalis Ecclesiæ, quæ cœli nomine nuncupatur, duas magnas instituit dignitates, majorem, quæ quasi diebus animabus præesset, & minorem, quæ quasi noctibus præesset corporibus. quæ sunt pontificalis auctoritas & regalis potestas. Porrò sicut luna lumen suum à sole sortitur, quæ revera minor est illo quantitate simul & qualitate, situ pariter & effectu, sic regalis potestas ab auctoritate pontificali suæ sortitur dignitatis splendorem; cujus conspectui quanto magis inhæret, tanto majori lumine decoratur, & quo plus ab ejus elongatur aspectu, eo plus deficit in splendore. Utraque verò potestas sui primatus sedem in Italia meruit obtinere, quæ dispositione divina super universas provincias obtinuit principatum. Et ideo licèt ad universas provincias nostræ provisionis aciem extendere debeamus, specialiter tamen Italiæ paterna nos convenit sollicitudine providere, in qua Christianæ religionis fundamentum existit, & per apostolicæ sedis primatum sacerdotij simul & regni præminet principatus. Lib. 1. epist. 401.

TITULUS III.

De primatu sedis apostolicæ.

Idem Patriarchæ Constantinopolitano.

Apostolicæ sedis primatus, quem non homo sed Deus immo veriùs Deus homo constituit, multis quidem & evangelicis & apostolicis testimoniis comprobatur, à quibus postmodum constitutiones canonicæ processerunt, concorditer asserentes sacrosanctam Romanam Ecclesiam in beato Petro Apostolorum principe consecratam quasi magi- Lib. 2 epist. 209. & in Gestis Innocentij III.

stram & matrem ceteris præminere. Hic enim cùm interroganti Domino quem homines dicerent esse filium hominis, aliis opiniones referentibus aliorum, ipse, velut verus inter ceteros primus, eum esse Christum Dei vivi filium respondisset, audire promeruit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et post pauca: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Nam licèt primum & præcipuum Ecclesiæ fundamentum sit unigenitus Dei filius Jesus Christus, juxta quod dicit Apostolus, *quia fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus*, secundum tamen & secundarium Ecclesiæ fundamentum est Petrus, etsi non tempore primus, auctoritate tamen præcipuus inter ceteros; de quibus Paulus inquit Apostolus: *Iam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum & domestici Dei, super ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* quos & fundamenta esse in montibus sanctis David Propheta testatur. Hujus etiam primatum Veritas per se ipsam expressit, cùm inquit ad eum: *Tu vocaberis Cephas.* quod etsi Petrus interpretatur, caput tamen exponitur; ut sicut caput inter cetera membra corporis, velut in quo viget plenitudo sensuum, obtinet principatum, sic Petrus inter Apostolos, & successores ipsius inter universos Ecclesiarum Prælatos, prærogativa præcelleret dignitatis; vocatis sic ceteris in partem sollicitudinis ut nihil ei de potestatis plenitudine deperiret. Huic Dominus oves suas pascendas vocabulo tertiò repetito commisit; ut alienus à grege dominico censeretur qui eum etiam in successoribus suis noluerit habere pastorem. Non enim inter has oves & illas distinxit, sed simpliciter inquit, *Pasce oves meas*, ut omnes omnino intelligantur ei esse commissæ. Jacobus enim frater Domini, qui videbatur columna esse, Jerosolyma sola contentus, ut ibi semen fratris præmortui suscitaret ubi fuerat crucifixus, Petro non solùm universam Ecclesiam sed totum reliquit seculum gubernandum. Quod ex eo etiam evidenter apparet, quia cùm Dominus apparuisset in littore discipulis navigantibus, sciens Petrus quòd Dominus esset, se misit in mare, & aliis navigio venientibus, ipse sine beneficio navis ad Dominum festinavit. Cùm enim mare mundum designet juxta verbum psalmistæ dicentis, *Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus*, per hoc quòd Petrus se misit in mare, privilegium expressit pontificii singularis, per quod universum orbem susceperat gubernandum; ceteris Apostolis vehiculo navis contentis, cùm nulli eorum universus fuerit orbis commissus, sed singulis singulæ provinciæ vel Ecclesiæ potiùs deputatæ. Iterum etiam, ut se unicum Christi Vicarium designaret, ad Dominum super aquas mirabiliter ambulantem & ipse super aquas maris mirabiliter ambulavit. Nam cùm aquæ multæ sint populi multi, congregationes aquarum sint maria, per hoc quòd Petrus super aquas maris incessit, super universos populos se potestatem accepisse monstravit. Pro eo Dominus se orasse fatetur inquiens in articulo passionis: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; ex hoc innuens manifestè quòd successores ipsius à fide catholica nullo unquam tempore deviarent, sed revocarent magis alios, & confirmarent etiam hæsitantes; per hoc sic ei confirmandi alios potestatem indulgens ut aliis necessitatem imponeret obsequendi. Quod & tunc Petrus agere cœpit cùm quibusdam ex discipulis abeuntibus retro, & *Durus est hic sermo* dicentibus, cùm dixisset Jesus ad duodecim *Numquid & vos vultis abire*, solus ipse respondit pro ceteris: *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes &c.* Huic præterea dictum in evangelio & audisti sæpius & legisti: *Quodcumque ligaveris super terram &c.* Quòd si omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributum esse recognosces ligandi & solvendi à Domino facultatem; ut quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato à Domino concessa plenitudine potestatis. Ad quod nimirum videtur illud non incongruè pertinere quòd ipse solus legitur interrogasse Jesum: *Si peccaverit in me frater meus, dimittam ei usque septies?* Et ei soli legitur Jesus respondisse: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Quia profectò universitatis septenarius est numerus, eò quod omne tempus septenario dierum numero noscitur comprehendi. Septenarius ergo numerus in se ipsum multiplicatus, in hoc loco significat universa universorum peccata: quia

quia solus Petrus potest non solùm omnia sed omnium crimina relaxare. Denique post passionem suam Dominus Petro dixisse legitur: *Tu me sequere*. quod utique non tam de sequela perferendæ passionis quàm creditæ dispensationis debet intelligi, cùm & Andreas & quidam alij præter Petrum sicut Dominus fuerint crucifixi; sed solum Petrum substituit sibi Dominus & in officio vicarium & in magisterio successorem. Unde post ascensionem Domini Petrus, velut successor ipsius, regere cœpit Ecclesiam, ad complendum duodenarium discipulorum numerum loco Judæ prævaricatoris ex verbis Prophetæ alium instituens & faciens subrogari, & recepto Paraclito, discipulos non musto repletos, sed Spiritus sancti gratia illustratos, ex verbis Jobelis apertiùs comprobavit. Hic pœnitentiam agere jussit, & baptizari credentes. Hic inter discipulos, curando claudum, primus fuit miraculum operatus; & in Ananiam & Saphyram uxorem ipsius, tanquam primus & præcipuus inter eos, quia mentiti fuerant Spiritui sancto, mortis sententiam promulgavit. Hic simoniacæ pestis radicem contra primitivam Ecclesiam pullulantem apostolica falce succidit, solus in Simonem magum sententiam damnationis promulgans, licèt non ei soli sed omnibus communiter pecuniam obtulisset. Ipse præterea cùm in eum mentis cecidisset excessus, vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis de cœlo in terram summitti, quia omnia quadrupedia & serpentia terræ ac cœli volatilia continebat. Et cùm facta esset vox dicentis ad eum, *Surge, Petre, macta & manduca*, respondit: *Absit, Domine, quia, nunquam immunda & communia manducavi*. Et vox ad eum facta est secundò: *Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris*. Per quod innuitur manifestè quòd Petrus prælatus fuerit populis universis, cùm vas illud orbem & universitas contentorum in eo universas significet tam Judæorum quàm gentium nationes. Qui licèt postmodum ex revelatione divina ab Antiochia fuerit translatus ad Urbem, non tamen concessum sibi primatum deseruit, sed secum potiùs cathedræ transtulit principatum, cùm Dominus eum nullatenus minorare voluerit quem Romæ præviderat martyrio coronandum. Sanè cùm ipse postmodum (immo Dominus potiùs, qui se in eo pati asseruit, *Venio*, dicens ad eum, *Romam iterum crucifigi*) Romanam Ecclesiam suo sanguine consecrasset, primatum cathedræ successori reliquit, totam in eo transferens plenitudinem potestatis. Pro patre siquidem nati sunt ei filij, quos Dominus constituit principes super omnem terram. Sanè cùm per navem Petri Ecclesia figuretur, tunc Petrus juxta præceptum dominicum navim duxit in altum, laxans prædicationis retia in capturam, cùm ibi posuit Ecclesiæ principatum ubi vigebat secularis potentiæ altitudo & imperialis monarchia residebat, cui ferè singulæ nationes, sicut mari flumina, tributa solvebant certis temporibus constituta. Ipse quidem primus Judæos, ipse quoque primus gentiles post ascensionem Christi convertit ad fidem, ut super utrosque fideles se primatum accepisse monstraret, cùm ipso die Pentecostes ad verbum exhortationis ipsius circiter tria millia Judæorum baptismi ceperint sacramentum, ac deinde Cornelium Centurionem & suos quasi primitias gentium ad revelationem angelicam baptizavit. Cùm autem inter Apostolos ad consultationem eredenrium magis fieret conquisitio utrum oporteret circumcidi fideles & legem Mosaïcam observari, Petrus principali fretus auctoritate respondit: *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Cujus sententiam subsecutus apostolicum super ipsa quæstione decretum Jacobus promulgavit. Paulus etiam postquam abiit in Arabiam, & iterum rediit in Damascum, deinde post tres annos rediit Jerosolymam, ut Petrum videret, cum eo evangelium quod in gentibus prædicaverat collaturus, ne fortè in vacuum curreret aut etiam cucurrisset; cui etiam singularis apostolatus privilegium recognoscens, antonomasticè scribit de illo: *Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est & mihi inter gentes*. Ut autem quem Dominus ceteris præfecit privilegio dignitatis, præ ceteris quoque virtutis privilegio decoraret, tantam ei contulit potestatem, quòd ad umbram ejus sanabantur infirmi; ut in eo intelligatur esse completum quod Dominus dixerat: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet*. Hæc autem non idcirco præmisimus ut nos, qui ei,

licèt indigni, successimus in apostolatus officio, extra nos ambulare velimus in magnis aut super nos in mirabilibus exaltare, cùm à Domino dictum esse noverimus: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Unde cùm inter discipulos ejus quæstio de majoritate fuisset exorta, respondit: *Qui major est inter vos, erit omnium servus; & qui præcessor, tanquam ministrator;* se ipsum in exemplo proponens, *quia filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Propter quod & ipse Petrus aiebat: *Non quasi dominantes, sed forma gregi facti ex animo.* Nam & alia dicit scriptura: *Quanto major es, humilia te in omnibus.* Et iterum: *Principem te constituerunt; noli extolli; esto in illis quasi unus ex illis. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Sed quia per hæc & alia, sicut credimus, quæ tua non debet fraternitas ignorare, apostolicæ sedis magisterium recognoscens, eam super quibusdam dubitationum articulis consulere decrevisti; quod utique gratum gerimus & acceptum, & tuam exinde prudentiam commendamus; non quòd extimemus nos quasi sufficientes ex nobis, sed nostra sufficientia ex Deo est, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, qui linguas infantium facit disertas, & aperit ora mutorum. Quæsivisti enim dubitans, & addiscere volens, qua ratione Romanam Ecclesiam unam & universalem in nostris litteris vocaremus, velut in quasdam species specialissimas jam divisam, cùm & unus sit pastor & unum ovile, licèt sub uno pastorum principe Christo plures sint constituti pastores. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd Ecclesia duabus ex causis universalis vocatur. Intelligentia namque dictorum ex causis est assumenda dicendi, cum non res sermoni sed rei sit sermo subjectus. Dicitur enim universalis Ecclesia quæ de universis constat Ecclesiis, quæ Græco vocabulo catholica nominatur. Et secundùm hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiæ, prima videlicet & præcipua, velut caput in corpore; quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad ceteros autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una quæ sub se continet universas. Et secundùm hanc nominis rationem Romana tantùm Ecclesia universalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis privilegio dignitatis ceteris est prælata; sicut & Deus universalis Dominus appellatur, non quasi jam divisus in species specialissimas aut etiam subalternas, sed quoniam universa sub ejus dominio continentur. Est enim una generalis Ecclesia, de qua Veritas inquit ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et sunt multæ particulares Ecclesiæ, de quibus Apostolus ait: *Instantia mea cotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Ex omnibus una consistit, tanquam ex particularibus generalis; & una præminet omnibus, quoniam cùm unum sit corpus Ecclesiæ, de quo dicit Apostolus, *Omnes unum corpus sumus in Christo*, illa, velut caput, ceteris membris excellit. Quæsivisti etiam, & te asseruisti non modicùm dubitare, cupiens addiscere causam, quam acceptabis sine contradictione rationem habentem, cùm David de Jerusalem dicat in psalmis matutinis: *Sion dicet, Homo & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus*, utpote in qua Christus dignatus est conversari, prædicare pariter & docere, ac nostram operari salutem, in ea nostræ ponens fidei fundamentum, propter quod deberet mater meritò nuncupari, cùm ex ea doctrina processerit salvatoris, cur mater omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana dicatur, quæ à Jerosolymitana Ecclesia orthodoxæ fidei sacramenta recepit, cùm Apostolus etiam inquiens se usque ad Illyricum evangelium prædicasse, quod quasi à Jerusalem incepit evidenter ostendat. Licèt autem ex præmissis intelligatur & huic inquisitioni responsum, cùm Ecclesia Romana mater dicatur, non ratione temporis, sed ratione potius dignitatis, (Nam etsi secundùm Johannem Andreas primus venerit ad fidem quàm Petrus, prælatus est tamen Petrus Andreæ, cùm & in Apostolorum catalogo semper primus quasi præcipuus præmittatur, non quòd Petrus sit prior tempore, sed potior dignitate.) ad omnem tamen dubietatem tollendam tua fraternitas debet distinguere secundùm diversas nominis rationes inter Romanam & Jerosolymitanam Ecclesiam, quòd illa dicenda sit mater fidei, quoniam ab ea sacramenta fidei processerunt, ista verò dicenda sit mater fidelium, quoniam privilegio dignitatis universis fidelibus est prælata. Sicut etiam synagoga mater dicitur Ec-

clesiæ, quoniam ipsa præcessit Ecclesiam, & Ecclesia processit ab ipsa; (juxta quod eadem dicit in canticis: *Filÿ matris meæ pugnaverunt adversùm me; rursúmque paululùm cùm pertransissem, inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ.*) nihilominus tamen Ecclesia mater est generalis, quæ novo semper fœtu fœcunda concipit, parit, & nutrit. Concipit cathechizando quos instruit, parit baptizando quos abluit, nutrit communicando quos reficit. De qua Propheta dicit in psalmo: *Habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.* Et alius item Propheta: *Leva*, inquit, *in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati venere tibi. Filÿ tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere consurgent.*

TITULUS IV.

De electione & qualitate eligendorum.

Archidiacono & Capitulo Capuanis.

Lib. 1. epist. 277. & to. 6. Ital. sac. pag. 406.

CUm olim nobis &c. Cùm ex utriusque partis assertione constaret interpositam fuisse appellationem canonicam, quando ne fieret electio nisi canonica secundùm mandati nostri tenorem ad nostram fuit audientiam appellatum, videri poterat quòd post eam medio tempore nihil debuerit innovari. unde talis electio judicanda erat irrita & inanis, utpote post appellationem canonicè interpositam attentata. Sed è contrà, cùm appellatum fuisset, non ut nulla fieret electio, sed ut fieret canonica, si factum electionis fuit canonicè subsecutum, non utique contra formam appellationis hujusmodi sed magis secundùm eam videbatur esse processum. Et ideo licèt post appellationem, non tamen fuit contra hanc electio celebrata. propter quod non erat aliquatenus irritanda. Nam cùm duæ partes & ampliùs electioni consenserint & consentiant, licèt cautum reperiatur in canone ut tunc alter de altera eligatur Ecclesia cùm nullus in propria repertus fuerit idoneus, quia tamen hoc in favorem introductum est Clericorum, & cuique licet renuntiare juri quod pro se noscitur introductum, vos, qui duæ partes estis & ampliùs, cùm quod duæ partes Capituli faciunt, totum facere dociatur, in hac parte juri quod pro vobis facere videbatur renuntiare potuistis & electionem de persona alterius Ecclesiæ celebrare, præsertim cùm illud decretum locum videatur habere quando Clericis renitentibus & invitis per alicujus violentiam potestatis extraneus ingeritur ex adverso. propter quod sequitur in decreto, ut sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari, & quos ingeri sibi viderint ex adverso, non timeant refutare. Cap. Nullus. Dist. 61. Præterea cùm sedes apostolica caput omnium Ecclesiarum existat, & Romanus Pontifex judex sit ordinarius singulorum, quando de ipsa quis assumitur in Prælatum alterius, ei obici posse non videtur, propter capitis privilegium quod obtinet plenitudinem potestatis, quòd de alia Ecclesia eligatur, cùm à capite membra reputari non debeant aliena. Item cùm post appellationem emissam, non ut fieret electio, quia talis appellatio nulla fuisset, sed ut fieret canonica, dictus Archidiaconus Teatinus cum suis fautoribus chorum exisset, & vos illos ut interessent electioni faciendæ vobiscum curassetis sollicitè revocare, quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt, alienos se fecisse videntur. propter quod electioni à vobis concorditer celebratæ de jure non posse contradicere videbantur; præsertim cùm idem Archidiaconus postea requisitus responderit quòd in præsentia nostra vellet suum ei præbere consensum. Et ideo cùm secundùm statuta Lateranensis Concilij, appellatione remota, semper id debeat prævalere quod à pluribus & sanioribus fuerit ordinatum, nisi fortè à paucioribus & inferioribus aliquid rationabile fuerit objectum & ostensum, à vobis celebrata electio, tanquam à majori & saniori parte, non obstante contradictione & appellatione paucorum, debebat & poterat rationabiliter confirmari, cùm id quod objectum extitit & ostensum, rationibus præmissis appareat rationabile non fuisse. His taliter allegatis, quanquam contra personam illius alterius quam elegistis nihil unquam dictum fuerit vel objectum, quia tamen verbum Apostoli dicentis, *nemini citò manum imponas*, debemus attendere diligenter, ad ea quæ circa personam inquirenda fuerant duximus ex officio nostro, sicut decuit, procedendum. Et quidem cùm tria sint in persona electi præcipuè requirenda, videlicet ætas legitima, morum

honestas, & litteratura sufficiens, licèt de honestate morum, tanquam ei qui nobiscum est aliquandiu laudabiliter conversatus, possimus ipsi laudabile testimonium perhibere, illius quoque litteraturæ, licèt non eminentis, tamen convenientis existat, ut pro defectu scientiæ (sicut pleniùs intelleximus ab his qui eam meliùs cognoverunt) ab electione non deberet excludi, de legitima tamen ætate plenè scire non potuimus veritatem, de qua nec vos, ut accepimus, aliquid cogitastis, cùm à multis cujus ætatis existeret curaverimus indagare, à nemine unquam audivimus quòd annum ætatis trigesimum attigisset. Cùm autem secundùm prædicti statuta Concilij nullus debeat in Episcopum eligi qui trigesimum ætatis non egerit annum, licèt senectus venerabilis sit non diuturna nec numero annorum computata, sed cani sint sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata; quia tamen post illa tria quæ Salomon asserit difficilia, quartum quasi reputat impossibile, viam videlicet viri in adolescentia sua, tanquam investigari non possit, nos Ecclesiæ pariter & personæ providere volentes, & tam rationes quàm cautiones observare, habito super hoc cum fratribus nostris diligenti tractatu, quia propositum vestrum providum intelleximus, & ideo propter urgentem necessitatem & evidentem utilitatem Ecclesiæ Capuanæ, quam in hac parte potiùs approbavimus, volumus ipsum firmiter perdurare, præfatum Subdiaconum nostrum de communi fratrum nostrorum consilio vobis in procuratorem concedimus, liberam amministrationem ei tam in spiritualibus quàm in temporalibus committentes.

IDEM ARCHIEPISCOPO Cantuariensi.

Cap. 4. de elect. in Tertia Collect.

INnotuit olim nobis tam per litteras tuas quàm quorundam suffraganeorum tuorum & dilectorum filiorum Prioris & conventus wigorniensis Ecclesiæ quòd eadem Ecclesia destituta pastore, dicti Prior & conventus dilectum filium magistrum Mag. Eboracensem Archidiaconum in pastorem animarum suarum unanimiter elegerunt, & cùm ejus tibi fuisset electio præsentata, confirmationem usque in adventum ipsius qui absens eligebatur & inscius distulisti: qui tandem quod factum fuerat audito, ad præsentiam tuam devotus accessit, & præter opinionem omnium, qui nihil obstare credebant quin statim concors & canonica deberet electio confirmari, spontanea & secreta tibi confessione monstravit quòd conscientia ejus aliquantisper ex natalibus esset læsa, & quòd ad tantæ dignitatis apicem præter indulgentiam apostolicæ sedis nollet aliquatenus promoveri proposuit, etiamsi promoventem benignum & facilem inveniret. Tu autem, sicut vir providus & discretus, intellecta conscientia ejus, noluisti protinus ad confirmationem procedere; sed nobis & rei seriem intimasti per litteras tuas, & per eas ipsius magistri merita & scientiam commendasti. Capitulum autem ejusdem Ecclesiæ quare per te fuisset electionis ipsius confirmatio protelata se ignorante per litteras suas nobis transmissas exposuit, & eam penitùs per sedem apostolicam confirmari, præsentato nobis electionis decreto subcriptionibus eligentium roborato. Quidam autem suffraganeorum tuorum, quod per litteras tuas videbaris obscurè aliquantulum innuisse, per suas litteras in aliquibus expresserunt, asserentes eum filium fuisse cujusdam Militis, & ab eo ex quadam ingenua & non conjugata susceptum. Interim verò idem magister ex insperato ad præsentiam nostram accessit, & ei quod nobis de nativitate ipsius per litteras aliquorum suffraganeorum tuorum fuerat intimatũ adiecit quòd nunquam parer ejus uxorem habuerat, sed matri ejus virginitatis florem præripuerat quasi furtim, & ipsa infra quadriennium à nativitate ipsius matrimonium non contraxit. Nos ergo cum fratribus nostris super hoc habito diligenti tractatu, relectis canonibus, quosdam invenimus qui non legitimè genitos promoveri vetant ad officium pastorale, causam fortè trahentes ex lege divina, per quam spurij & manseres usque in decimam generationem in Ecclesia Dei prohibentur intrare. Invenimus autem quosdam alios qui undecumque genitos non prohibent ad sacros ordines promoveri, dummodo sibi merita suffragentur, asserentes quòd culpa parentum non est filiis imputanda. Et ad hoc probandum inducunt quòd Dominus Jesus non tantùm ex alienigenis sed etiam adulterinis voluit commixtionibus nasci, qui est sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Hi etiam divinæ scripturæ

videntur inniti, qua dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris &c.* & per quam antiquum videtur proverbium removeri, quo inter filios Israël dici solebat: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Quidam verò canônes ad concordiam discordantia revocantes, repugnantiam canonum prædictorum sopire quodammodo videbantur, continentes quòd illegitimè geniti, si religiosè fuerint aut in cœnobiis aut in canonicis conversati, à sacris ministeriis minimè removentur. Et inter illegitimè genitos quidam asserunt eos solos à sacris officiis prohibendos qui paternam incontinentiam imitantur. Et ij quoque videntur auctoritate divinæ legis inniti qua dicitur: *Ego sum Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem in his qui oderunt me:* quasi dicat, in his qui circa me paternum odium imitantur. Verùm canon Concilij Lateranensis à bonæ memoriæ Alexandro Papa prædecessore nostro editus in synodo generali, primis concordans canonibus, non solùm tales vetat in Episcopos promoveri, verùm etiam eligentibus certam pœnam infligit, immo ipso facto eandem pœnam ipsos asserit incurrisse, ut secundùm hoc canon esse latæ sententiæ videatur, cujus tenor talis est: *Ne videlicet quod de quibusdam pro necessitate temporis factum est in exemplum trahatur à posteris, nullus in Episcopum eligatur nisi qui de legitimo sit natus matrimonio.* circa finem subjungens: *Clerici sanè si contra formam istam quemquam elegerint, & eligendi tunc potestate privatos, & ab ecclesiasticis beneficiis triennio noverint se esse suspensos.* Sanè prædictus canon, qui non per eum qui canones non nosset antiquos, sed per illum qui plenè noverat canonicas sanctiones, in Concilio multorum jurisperitorum est editus, & ipsius approbatione Concilij roboratus, natis de non legitimo matrimonio omnem videtur in Episcopos promovendi aditum exclusisse, cùm id etiam ad consequentiam trahi prohibeat quod pro necessitate innuit prioribus temporibus esse factum, licèt nihil aliud quàm necessitas dispensantem ad dispensationem inducat. Præterea electionem talium innuit nullam esse, dum etiam pœnam statuit electorum, ut tunc eligendi se noverint potestate privatos. quod nihil esset si tunc non occurreret electio facienda. quod fieri non posset priori electione seu etiam nominatione durante. Ex quo patet electionem hujusmodi per ipsum canonem irritatam. Quamvis autem etsi canon iste illegitimè genitos fortiùs prosequatur, nobis tamen per eum adempta non fuerit dispensandi facultas, cùm ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum immo etiam eadem potestate functuris, cùm non habeat imperium par in parem, sed ea tantùm fuerit mens ipsius ut quia ex eo quod aliquando ex dispensatione pro necessitate temporis factum fuerat quidam gratiam in licentiam excedentes, & inde sumentes exemplum, se licitè credebant eligere tales, & indifferenter hujusmodi eligebant, talia fieri prohiberet. Unde gravem electoribus pœnam inflixit. Deliberavimus tamen cum fratribus nostris utrum in tali casu & cum tali persona deberemus misericorditer dispensare vel juris potiùs servare rigorem. Invenimus enim à bonæ memoriæ Urbano Papa prædecessore nostro in casu multò difficiliori cum Cenomanensi dispensatum electo, qui fuerat filius sacerdotis, & Legionensi Episcopo, qui post consecrationem suam fuerat humiliter & sponte confessus quòd fuisset ex matre non legitima procreatus quam pater ejus vivente uxore propria cognovisset. Sed idem Urbanus inhibuit ne id quasi pro regula in posterum ad consequentiam traheretur. Videbatur enim quòd cùm cum illegitimè natis fuisset aliquandiu dispensatum, & ex certa causa forsan inposterum dispensandum, in hoc casu deberet celeriùs dispensatio indulgeri, illi personæ videlicet quæ minus imperfectionis, plus perfectionis habebat. Multa enim in hoc casu dispensationem inducere videbantur, litterarum scientia, morum honestas, vitæ virtus, & fama personæ, multipliciter à quibusdam etiam ex fratribus nostris, qui eum in scholis cognoverant, approbatæ. Faciebant etiam ad id non modicùm concors Capituli Wigorniensis electio, petitio populi, assensus Principis, votum tuum, suffraganeorum suffragia, & humilis devotio confitentis, qui sponte ac humiliter suum maluit confiteri defectum quàm læsa conscientia thronum ascendere pastoralem. Habito igitur cum fratribus nostris super omnibus diligenti tractatu, intelligentes Wigorniense Capitulum eundem

Dist. 56.

Concil. Later. sub Alex. 3. cap 3.

magistrum non humiliter postulasse, sed improvidè potiùs elegisse, cùm ad obtinendum dispensationis beneficium procedendum fuisset, non per electionem prohibitam, sed per postulationem permissam, electionem ipsam prædicti canonis auctoritate cassatam denuntiamus irritam & inanem, parcentes non modicùm Wigorniensi Capitulo quòd eis nec pœnam infligimus expressam in canone supradicto nec probare cogimus innocentiam quam allegant. Et quamvis post cassationem hujusmodi nobis à multis fuerit humiliter supplicatum ut propter causas prædictas dignaremur cum eo misericorditer dispensare, cùm ad dispensandum in talibus nullus se casus habilior posset offerre, quia tamen prædicto Capitulo liberam facultatem eligendi vel postulandi volumus reservare, supplicationem hujusmodi, quæ nomine Capituli non fiebat; cùm non ad postulandam dispensationem sed petendam confirmationem ipsius fuissent Capituli nuntij destinati, ad præsens non duximus admittendam, decernentes irritum & inane si quid super ordinatione ipsius episcopatus ante susceptionem litterarum nostrarum fuerit attentatum. Volumus igitur & mandamus quòd per Cantuariensem provinciam ex parte nostra facias distinctiùs inhiberi ne quod de multis in eadem provincia, quod sine pudore non dicimus, inordinatè noscitur esse factum, de cetero contra formam præscriptam nullatenus attentetur. Sed si Wigorniense Capitulum eundem magistrum propter prærogativam meritorum ipsius duxerit postulandum, postulationem ipsius apustolicæ sedi præsentare procuret.

IDEM BISVNTINO ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus.

Lib. 1. epist. 523. Um ad nostram nuper notitiam devenisset quòd H. qui se pro Abbate Luxoviensi gerebat, non antè fuerit monachus quàm electus, nos attendentes quòd contra regulares traditiones istud fuerit attentatum, cùm nullus spem vel promissionem habens ut Abbas fiat debeat monachari, electionem de ipso factam de consilio fratrum nostrorum curavimus irritare. Quocirca mandamus quòd tam monachis quàm aliis fidelibus monasterij memorati studeatis ex parte nostra districtiùs inhibere ne præfato H. ullam obedientiam vel reverentiam propter jamdictam electionem audeant exhibere. Et si quid in eodē monasterio disponendo perperam attentavit, nullius volumus habere robur firmitatis, sed penitùs irritari.

IDEM ROTHOMAGENSI Archiepiscopo.

PEr nostras postulasti litteras edoceri utrum clericus aliquis ad vacantem Ecclesiam, in qua jus obtinet patronatus, se ipsum si idoneus est, valeat præsentare. Lib. 1. epist. 164. Cùm igitur nullus se ingerere debeat ad ecclesiasticæ prælationis officium, inquisitioni tuæ taliter respondemus quòd nullus se possit ad personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcunque idoneus sit, & quibuscumque studijs & meritis adjuvetur.

IDEM CAPITVLO PENNENSI.

QUoniam electus à vobis ante confirmationem obtentam amministrationi episcopatus se irreverenter immiscevit, & tam à Clericis quàm à laicis juramenta recepit, non attendens quòd, secundùm Apostolum, nemo sibi debeat honorem assumere, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, nec donum scientiæ Pontificis conveniens fuerat assecutus, cùm juxta verbum dominicum *Qui fecerit & docuerit, magnus vocetur in regno cælorum*, postquam nobis eundem præsentastis electum, sufficienti examinatione præmissa, electionem de ipso factam, exigente justitia, duximus irritandam.

TITULUS V.

Ne translatio electorum in Episcopos, post confirmationem, præter assensum Romani Pontificis fiat.

Idem Decano & Capitulo Andegavensi.

INter corporalia & spiritualia eam cognovimus existere differentiam, Lib. 1. epist. 532. quòd corporalia faciliùs destruuntur quàm construantur, spiritualia verò faciliùs construuntur quàm destruantur. Unde juxta canonicas sanctiones Episcopus Cap. Episcopus. dist. 67. solus honorem dare potest, solus auferre non potest. Episcopi quoque à Metropolitanis suis munus consecrationis recipiunt, qui tamen non possunt nisi per Romani Pontificis sententiam condemnari. Cùm ergo fortius sit spirituale vinculum quàm carnale, dubitari non debet quin omnipotens Deus spirituale conju-

gium quod est inter Episcopum & Ecclesiam suo tantùm judicio reservaverit dissoluendum, qui dissolutionem carnalis conjugij quod est inter virum & feminam suo tantùm judicio reservavit, præcipiens ut quod Deus conjunxit homo non separet. Non enim humana sed divina potiùs potestate conjugium spirituale dissoluitur cùm per translationem vel depositionem aut etiam cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur. Et ideo tria hæc quæ præmisimus, non tam constitutione canonica quàm institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata. Sicut autem Episcopus consecratus sine licentia Romani Pontificis suam non debet Ecclesiam derelinquere, sic & electus confirmatus præter ejus assensum suam deserere nequit Ecclesiam, cui est matrimonialiter alligatus, cùm non debeat in dubium revocari quin post electionem & confirmationem canonicam inter personas eligentium & electi conjugium sit spirituale contractum; cui profectò episcopalis dignitas nil addit, cùm quis episcopali præditus potestate, nullius tamen Ecclesiæ possit Episcopus esse. quemadmodum de illo contingit qui oneri pontificali renuntiat, non honori. Unde cùm non majus sit vinculum Episcopi ad Ecclesiam quàm electi, maximè cùm fuerit confirmatus, immo idem penitùs & non aliud, idem jus obtinet in utroque. Sicut ergo Episcoporum translatio vel etiam depositio, sic & electorum cessio post confirmationem ratione spiritualis conjugij soli est Romano Pontifici reservata. Licèt usque ad tempora ista quod cautum fuerat de Episcopis, expressum non fuerit de electis, propter expressam tamen similitudinem vel identitatem potiùs, nemini poterat videri dubium subtiliter in tuenti, cùm idem judicium de similibus sit habendum. Sed neque illud quod in canone legitur de electo, ut si ultra v. menses per suam negligentiam retinuerit Ecclesiam viduatam, nec ibi nec alibi consecrationis donum percipiat, immo Metropolitani sui cedat judicio, aliter intelligentibus poterat suffragari, cùm non intelligatur Ecclesia viduata quasi sponsum non habeat, sed quia cùm sponsus ejus nondum sit consecratus, adhuc quoad quædam quasi viri manet solatio destituta. Sicut juxta communem modum loquendi illa dicitur Ecclesia viduata quæ licèt Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere. Nec quod de cessione subsequitur, & statutum fuit ad pœnam, trahi debet ad gratiam; ut sicut Metropolitani judicio electus deicitur, ita etiam ad aliam Ecclesiam possit transferri, præsertim cùm nec sine auctoritate Romani Pontificis fiat cessio vel dejectio memorata, qui ut possent, ex canone illo, Metropolitanis indulsit. Unde si circa translationem idem fieri voluisset quod de cessione duxerat, & de translatione poterat expressisse, & quod non est sanctorum patrum decreto sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum; præsertim cùm nunquam intelligatur prohibitum quod non invenitur expressum. Sanè nos &c.

Vide lib. 1. epist. 447.

IDEM BITURICENSI Archiepiscopo.

Lib. 1. epist. 117.

NE si universis universa licerent, par videretur in singulis jurisdictio singulorum, & ex hoc Petri navicula sine remige fluctuaret, Dominus noster eam ad similitudinem humani corporis figuravit, ponens Romanam Ecclesiam caput ejus, & ad suum & ipsius obsequium ceteras secundùm varia officia dignitatum ei pro membris adaptans, non ut omnia membra eundem actum haberent, sed dum permanerent in unius corporis unitate, sic ad implendam legem Christi alter alterius onera supportaret ut capiti suo, in quo est plenitudo sensuum, suis vicibus deservirent, nec ejus sibi officium alicujus præsumptionis audacia usurparet. Hujus autem Domini & magistri omnium magisterium sancti patres diligentiùs attendentes majores Ecclesiæ causas, utpote cessiones Episcoporum & sedium translationes, sine apostolicæ sedis licentia fieri vetuerunt; ut ea quæ sola obtinet plenitudinem potestatis de his disponeret, nec liceret alicui de episcopatu ad episcopatum sine ipsius auctoritate transire. Quod venerabilis frater noster Turonensis Archiepiscopus minùs quàm honori suo expediret attendens, posuit sedem suam quodammodo ad aquilonem, & patris thalamum violavit, Magistrum W. de Chimilegio, qui in * Albricensi Ecclesia electus fuerat, & per Metropolitanum suum postmodum confirmatus in ea diutiùs ministrarat, in Andegavensem Ecclesiam tranferre præ-

* Abrincensi.

sumens & in ipsa Episcopum præter auctoritatem sedis apostolicæ consecrare, cùm dubium esse non debeat quòd post electionem & confirmationem episcopatui Albricensi sacramentali conjugio fuerat alligatus, ac per hoc secundùm Apostoli verbum quærere solutionem non debuit nisi tantùm ab eo quem illius constat esse Vicarium qui dicit in evangelio, *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Unde idem quoque magister de Chimeleio hujus non est credendus præsumptionis immunis, qui sponte passus est taliter se transferri. Ne igitur tanta præsumptio remaneat impunita, & ex hoc accrescat aliis audacia delinquendi, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus licèt hoc factum videatur esse notorium, quod etiam ipsius Archiepiscopi nuncij non præsumpserunt in nostra præsentia diffiteri, ad abundantiorem tamen cautelam inquisita diligentius veritate, si verum est quod asseritur, dictum Archiepiscopum à confirmatione, & consecratione Episcoporum, memoratum verò W. à pontificalis officij executione, donec super hoc aliud statuamus, omni contradictione & appellatione cessante, auctoritate nostra suspendas. Inquiras præterea diligentiùs veritatem si venerabilis frater noster Rothomagensis Archiepiscopus dictum W. ut sic transiret absoluit. Quamvis hoc ipsum non videatur aliqua posse tergiversatione celari, cùm ipsius nobis litteræ fuerint præsentatæ, per quas eum liberum & absolutum ad regimen Andegavensis Ecclesiæ transmittebat. Et si præmissis veritas suffragatur, eundem Archiepiscopum pari pœna cum alio percellere non omittas; ne sit immunis à pœna qui non est alienus à culpa. Sicut enim aliorum jura volumus illibata servare, sic jura nostra nolumus violari, cùm caritas exigat ordinata ut post Deum primò nos ipsos ac deinde proximos diligamus. Illud autem in defensionem erroris & excusationem excessus nemo debet inducere quod sanctæ memoriæ Pelagius Papa constituit inquiens inter cetera: *Si consecrandi Episcopi negligentia, provenerit ut ultra tres menses Ecclesia viduata consistat, communione privetur quousque aut loco cedat aut consecrandum non differat se offerre. Quòd si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, nec ibi nec alibi consecrationis donum percipiat, immo Metropolitani sui judicio cedat.* cùm rectè intelligenti dubium esse non debeat quin in alio casu loquatur, ne fortè quod est statutum ad pœnam trahatur ad gratiam si per hoc Metropolitano liceret eum quem electum in Episcopum confirmaverat, ut ad majorem episcopatum transiret absoluere. Sed & hujusmodi cessio, quæ potiùs est dicenda dejectio, non fit sine Romani Pontificis concessa licentia, cujus fines nemini licet excedere, qui per illam constitutionem Metropolitanis indulsit ut eos qui consecrari contempserint post præfinitum tempus ex illius constitutionis licentia possint deicere, ut nunquam de cetero valeant consecrari. Nec dicitur Ecclesia viduata quasi sponsum non habeat, sed quia cùm sponsus ejus nondum fuerit consecratus, adhuc quoad quædam quasi viri manet solatio destituta. Ne verò novũ aliquid statuere super hoc videamur, quod contra venerabilem fratrem nostrum Patriarcham Antiochenum & L. Tripolitanum dictum Episcopum in simili casu sedes statuit apostolica præsentibus litteris fideliter duximus exprimendum. ANTIOCHENO Patriarchæ. Cùm ex illo generali privilegio quod beato Petro & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulsit canonica postmodum manaverint instituta continentia majores Ecclesiæ causas esse ad sedem apostolicam perferendas, ac per hoc translationes Episcoporum, sicut depositiones eorum, & sedium mutationes, ad summum apostolicæ sedis antistitem de jure pertineant, nec super his præter ejus assensum aliquid debeat attentari, miramur non modicùm & movemur quòd tu, prædecessoris tui exempla secutus, qui motu propriæ voluntatis Mamistanensem in Tharsensem dicitur transtulisse, quondam Apamiensem electum in Tripolitanam Ecclesiam transtulisti; nec tibi suffecit dicti prædecessoris tui præsumptionem solummodo imitari, immo etiam in injuriam nostram ipsius transgressus excessum, novo quodammodo promotionis genere parvifica sti majorem, & magnum quodammodo minorasti, episcopare Archiepiscopum immo potius dearchiepiscopare præsumens, cùm dictus prædecessor tuus dictum Archiepiscopum de Tharsensi Ecclesia in Ecclesiam transtulerit similis dignitatis. Licèt enim dictus L. nondum fuisset in Archiepiscopum consecratus, confirmationis

Cap. Quoniam. dist. 100.

Lib. 1. epist. 50.

„ firmationis tamen munus receperat, & „ archiepiscopalia, quantum ei licuerat, „ ministrarat; sicut ipsius relatione nobis „ innotuit, qui se Valeniensem Episcopum, „ cùm in nostra esset præsentia constitutus, „ asseruit confirmasse. Ne igitur perpetran- „ di similia ceteris andacia præbeatur si „ tantus excessus relictus fuerit impunitus, „ te ab Episcoporum confirmatione duxi- „ mus suspendendum quousque super hoc „ aliud statuamus.] L. dicto Tripolitano „ Episcopo. Cùm ex illo &c. *ut suprà usque* „ movemur quòd cùm in Apamiensi Ec- „ clesia in Archiepiscopum fuisses electus, „ & confirmatione suscepta, quantum tibi „ licuerat, archiepiscopalia ministrasses, „ sicut ex tua relatione innotuit, qui olim „ apud sedem apostolicam constitutus ve- „ nerabilem fratrem nostrum Valeniensem „ Episcopum te confessus es confirmasse, in „ Tripolitanam te transferri fecisti, novo „ quodam promotionis genere non pro- „ motus, sed potiùs minoratus. Ne ergo „ perpetrandi similia ceteris audacia præ- „ beatur si tantus excessus fuerit impunitus, „ te ab executione pontificalis officij duxi- „ mus suspendendum donec super hoc „ aliud statuamus.

Titulus VI.

Quòd Metropolitanus ex justa causa potest vices suas in consecratione Episcopi suo suffraganeo delegare.

Idem Turonensi Archiepiscopo.

Lib. 2. Epist. 77. QUòd sedem apostolicam consulis super his quæ dubia tibi existunt, gratum gerimus & acceptum, & tua exinde fraternitas videtur meritò commendanda, cùm lex divinæ constitutionis eandem sedem totius posuerit orbis terrarum magistram, ut quicquid dubitatur ab aliquo, ab ea tandem ejusdem ratio requiritur. Nos siquidem decrevisti providè consulendos utrum si fortè aliqua infirmitate vel alia causa justa detentus aliquem suffraganeorum tuorum consecrare non posses, alicui coëpiscoporum tuorum vices tuas licitum tibi committere esset, & utrum electus qui pro consecratione instaret, ab eo cui vices tuas taliter commisses deberet licitè consecrari. In quo tale damus tuæ consultationi responsum, quòd in tali articulo constituto & tuas vices, ut dictum est, committere tibi licet, & consecrandus debet munus consecrationis ab eo recipere cui eas duxeris committendas, dummodo catholicus habeatur & impedimentum ex substractione gratiæ sedis apostolicæ non obsistat.

Titulus VII.

Ne simplices Sacerdotes quæ solis Episcopis competunt ex consuetudine sibi usurpent.

Idem Vicario apud Constantinopolim.

QUanto de benignitate apostolicæ sedis locum obtines celsiorem, tanto tibi est sollicitiùs curandum ut te talem exhibeas in agendis, non declinans ad dexteram nec ad sinistram, quòd non minùs re quàm nomine vices apostolicas gerere videaris. Pervenit sanè ad audientiam nostram quòd quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea sacramenta præsumunt fidelibus exhibere quæ ab Apostolorum tempore rite fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est sacramentum confirmationis, quod chrismando renatis soli debent Episcopi per manus impositionem conferre, ad excusandas excusationes in peccatis & sui erroris fomentum solam consuetudinem prætendentes, cùm diuturnitas temporis peccata non minuat sed augmentet, quæ tanto graviora existunt quanto infelicem animam diutiùs detinent alligatam. Volentes igitur hæc & alia quæ oculos divinæ majestatis offendunt de agro dominico extirpari, mandamus quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districtè prohibeas ne talia de cetero sua temeritate præsumant, quæ licèt non sint à fidelibus contemnenda, tutius est tamen ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere quàm ab his quibus ea conferre non licet ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine gravi periculo inaniter conferantur, cùm umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu. Lib. 1 epist. 112.



TITULUS VIII.

Quòd tempus suspensionis à VI. mensibus per Lateranense Concilium in ecclesiasticis beneficiis positus suppetat.

Idem Pe. sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, apostolicæ sedis Legato.

Lib. 2. epist. 60.

VEnientem ad apostolicam sedem venerabilem fratrem nostrum Eboracensem Archiepiscopum benignè recepimus & multiplices curavimus querelas audire. Conquerebatur autem inter cetera quòd cùm ad eum in Eboracensi Ecclesia & in aliis ius collatio pertineat præbendarum, tempore suspensionis ipsius, & postmodum etiam quidam se præter ejus auctoritatem in ipsas intruserant, & in hoc & in aliis juri ejus non modicùm derogant. Volentes igitur eidem Archiepiscopo per tuæ sollicitudinis industriam provideri, de fratrum nostrorum consilio discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus eos qui præbendas vel dignitates Eboracensis Ecclesiæ vel aliarum Ecclesiarum ad donationem ejus spectantes præter auctoritatem acceperunt ipsius, ad eas resignandas moneas diligentiùs & inducas, cùm eas non possint salva conscientia detinere. Quòd si monitis tuis acquiescere fortè noluerint, eos ad id per excommunicationis sententiam & substractionem aliorum beneficiorum suorum non obstante confirmatione à sede apostolica obtenta sub forma communi quæ confirmat beneficia & præbendas sicut justè ac pacificè possidentur, appellatione remota compellas, nisi forsan aliqui præbendas ipsas vel speciali mandato apostolicæ sedis vel auctoritate Lateranensis Concilij ab Eboracensi Capitulo sunt adepti; sic tamen ut tempus suspensionis in sex mensibus nullatenus computetur, cùm illa Lateranensis Concilij constitutio contra negligentes tantùm & desides fuerit promulgata. Et ut si voluerit, non tamen valuerit, Archiepiscopus ipse in conferendis præbendis uti propria potestate, à qua etsi fuerit sua culpa suspensus, non tamen ad ipsum Capitulum ex illa culpa præbendarum erat donatio devoluta, sed ad illum tempore suspensionis ipsius præbendarum donatio pertinebat qui propter ejus negligentiam & desidiam poterat præbendas donare. Tempus etiam quo ad apostolicam sedem accessit, apud illam permansit, vel recessit ab ipsa, intra sex menses nullatenus computetur. Semestre quoque tempus, non à tempore vacationis præbendarum, sed notitiæ potiùs ipsius Archiepiscopi & commonitionis ad personam ejus a Capitulo factæ, cùm in privilegio quod à prædecessore nostro idem Capitulum dicitur impetrasse fiat mentio de commonitione canonica præmittenda, volumus computari. Illud autem omnino frivolum reputamus, si qui fortè dicant ex donatione regia quandam ex illis obtinuisse præbendis, quasi regalis sublimitas tempore suspensionis Archiepiscopi præbendas ipsas sua potuerit auctoritate conferre.

IDEM EPISCOPO SANCTI ANDREÆ.

SIcut nobis tua fraternitas intimavit, monachi quidam & Canonici regulares Ecclesias quæ ad eorum præsentationem pertinent in tuo episcopatu habentes propriis usibus deputare nituntur, nec ibi volunt ad eas, cùm vacaverunt, personas idoneas præsentare, quin potiùs occasione concessionis quorundam Episcoporum Vicarios in eis pro sua inst tuunt & destituunt voluntate, admissos ita pensionibus onerantes quòd nec Ecclesiis competenter possunt præ paupertate nimia deservire, nec Episcopo in episcopalibus respondere, nec hospitalitatem, sicut convenit, transeuntibus impertiri. Nolentes autem ut status Ecclesiarum debitus & antiquus per alicujus insolentiam subvertatur, mandamus quatenus, nisi à jurisdictione tua exemptæ sint Ecclesiæ supradictæ, præmissos excessus studeas rationabiliter emendare; & nisi præfatæ personæ infra tempus in Lateranensi Concilio constitutum ad vacantes Ecclesias tibi personas idoneas præsentarint, ex tunc tibi liceat appellatione remota in eisdem ordinare rectores, qui eis & præesse noverint & prodesse, ita quòd ex hoc nullum patronis imposterum præjudicium generetur. Lib. 2. epist. 5.

TITULUS IX.

De procurationibus non augmentandis.

Idem Abbati & Conventui Bellavilla.

QUanto creatori nostro sub religionis habitu astricti estis devotiùs famulari, tanto sollicitiùs nos convenit Lib. 2 epist. 135.

providere ne per immoderati honoris gravitatem aliquatenus possit in vobis monastici profectus ordinis impediri. Accepimus autem, vobis significantibus, quòd ab ipso domus vestræ fundationis exordio de fundatoris voluntate processit ut fratribus sancti Irenæi procurationem unam annis singulis liberaliter exhiberetis, cùm terras vel redditus non teneatis ab eis propter quos hujusmodi procuratio ipsis debeat exhiberi. Verùm tunc temporis propter fratrum & servientium paucitatem domum vestram exhibita procuratio non gravabat, cùm fines levium non excederet expensarum. Sed nunc tantum ibi excrevit numerus servitorum & fratrum quòd ad faciendam procurationem vix modò quatuor marchæ sufficerent quæ pro una sufficienter fieri consuevit. Ut ergo per apostolicæ sollicitudinis curam vestris possit in parte ista gravaminibus provideri, auctoritate vobis præsentium indulgemus ne ultra primam mansuram in procuratione ipsius sitis ulteriùs prædictis fratribus obligati, sed expensis illis quæ sufficere consueverant sint contenti, nisi fortè facultates Ecclesiæ vestræ in tantum excreverint quòd sine gravamine, ampliato fratrum numero, ad soluendum debitum procurandi extendi possit quantitas expensarum.

IDEM ABBATI ET CONVENTVI......

Cap. Cùm ad quorund. de excess. Prælat.

CUm ad quorumdam malitiam coërcendam in Concilio Lateranensi multa fuerit deliberatione statutum ut Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi etiam, & Decani certum evectionis numerum & personarum in Ecclesiarum visitationibus non excedant, quia, sicut audivimus, quidam ex prædictis personis id in Ecclesiis vestris nequaquam observant, super eo commoditati vestræ salubriter duximus providendum. Ideóque discretioni vestræ præsentium auctoritate concedimus ut si prænominatæ personæ numerum evectionis & personarum in Concilio constitutum, cùm Ecclesias visitant, excedere fortè præsumpserint, & pro illis procurationem exegerint, liberum sit vobis auctoritate apostolica denegare. Et si propter hoc in Ecclesias vestras vel Clericos vestros aliquam sententiam promulgarint, ipsam auctoritate apostolica decernimus non tenere.

TITULUS X.

De procurationibus Legatorum apostolicæ sedis.

Idem Primicerio & Clero Mediolanensi.

Lib. 1. epist. 568.

CUm instantia nostra cotidiana sit, secundùm debitum apostolicæ servitutis, omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, quotiens ipsarum negotiis promovendis non possumus personaliter imminere, per fratres nostros ea expedire compellimur, quos à nostro latere destinamus, illius exemplum in hac parte secuti qui discipulis suis in mundum universum transmissis, ipse in medio terræ salutem fuit personaliter operatus. Hinc est quòd cùm nuper dilectum filium B. Tituli sancti Petri ad vincula Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum pro negotiis Ecclesiæ in Lombardiam duxerimus destinandum, & is vestram civitatem ingressus procurationes à vobis exigeret quæ consueverunt apostolicæ sedis Legatis & Nuntiis exhiberi, vos non attendentes quod dicitur ab Apostolo, *Si vobis spiritualia seminavimus, non est magnum si carnalia vestra metamus*, ne vos ad onus procurationis artaret, nisi à Canonicis majoris Ecclesiæ se faceret antea procurari, sedem apostolicam appellastis, & sicut idem Cardinalis per suas nobis litteras intimavit, in aliis etiam non modicùm injuriosi fuistis. propter quod dilecti filij Præpositus sancti Nazarij & A. Canonicus sancti Stephani sindici & procuratores vestri ad sedem apostolicam venientes ut super his statueremus ordinem & mensuram ex parte vestra suppliciter postulabant. Licet autem pro eo quòd prædicto Cardinali vel potiùs nobis in ipso contumaciter resistentes, juxta verbum dominicum *Qui vos recipit me recipit, & qui vos spernit me spernit*, necessaria denegastis, non pro vobis sed potiùs contra vos meruerunt exaudiri, quia tamen paternam affectionem, qua nobis est proprium de Romanæ sedis clementia misereri semper & parcere, offensi etiam deponere non valemus, de consilio fratrum nostrorum taliter in hujusmodi duximus respondendum, quòd cùm omnes Ecclesiæ Legatis & Nuntiis apostolicæ sedis procurationes impendere teneantur, ab eorum præstatione nullam prorsùs habere volumus excusatam, nisi

Vide lib. 5. de concordia sac. & imper. cap. 51 §. 4. & seq.

BBbb ij.

forte per speciale privilegium sedis apostolicæ, quod non credimus, sit exempta, etsi longissimo tempore procurationis obsequium non impenderit, cùm in talibus præscriptio sibi locum nequeat vendicare, cùm nos à provisione pastoralis sollicitudinis circa omnes Ecclesias nunquam omnino cessemus. Sanè in his exigendis eum modum & ordinem volumus observari ut nulla Ecclesia vel Prælatus se indebitè prægravari rationabiliter conqueratur. Si verò de communi collecta Legatorum & Nuntiorum nostrorum expensas duxeritis faciendas, quod vobis non duximus inhibendum, ex hoc nobis & nostris nullum præjudicium volumus generari quò minùs possint à quocumque maluerint procurationes sibi debitas postulare; ita quòd si exactus ultra suam gravatus fuerit facultatem, sibi ab aliis restauretur. Nuntiis tamen nostris in necessariis exhibendis pareat quicumque fuerit requisitus humiliter & devotè, ita tamen quòd in fraudem nil penitùs attentetur, nec per communes ministros procurationis obsequium, si noluerint, recipere compellantur. Qui verò contumaciter eis duxerit resistendum, omni prorsùs appellatione remota per ecclesiasticæ districtionis sententiam compescatur.

Titulus XI.
De decimis.

Idem Sydoniensi, Beritensi, & Bibliensi Episcopis.

Lib. 1. epist. 516. Significavit nobis venerabilis frater noster Acconensis Episcopus quòd cùm post recuperationem civitatis Acconensis ad inhabitandum in ea se contulissent quidam qui ante generalem occupationem terræ sanctæ in aliis civitatibus regni Jerosolymitani perpetuam elegerant mansionem & in ea residentiam fecerāt aliquantam & adhuc etiam resideant in eadem, Prælati prædictarum civitatum eos ad solvenda sibi ecclesiastica jura ecclesiastica districtione compellunt. Quia verò transgredi non debemus terminos à patribus nostris constitutos aut falcem in messem mittere alienam, mandamus quatenus prædictorum locorum Prælatos ut sibi nullam in prædictos Acconenses habitatores jurisdictionem usurpent, nec ab eis temporalia exigant quibus spiritualia non ministrant, monitione præmissa districtione qua convenit compellatis; ita tamen quòd si de agris in eorum parrochia constitutis fructus percipiunt & in ultramarinis partibus ratione prædiorum decimæ persolvuntur, de ipsis eis decimas cum integritate persoluant.

IDEM VERCELLENSI EPISCOPO.

Tua nobis fraternitas intimavit quòd quidam laici tuæ diocesis & alij plures episcopatuum adjacentium decimas Ecclesiis & Clericis tuis perversis machinationibus subtrahere moliuntur, & conceptæ perversitatis audaciam non curant satisfactione debita emendare. Lib. 1. epist. 242. Quidam enim ex eis semen & sumptus qui fuerint in agricultura primitus deducendos, & de residuis impendendam esse decimam asseverant. alij verò de portione fructuum quam à colonis accipiunt partem decimæ separantes, eam Capellis suis vel aliis Ecclesiis seu etiam pauperibus conferunt vel in usus alios pro sua voluntate convertunt. Nonnulli Clericorum vitam tanquam abominabilem detestantes decimas eis ob hoc subtrahere non verentur. Quidam insuper asserentes se possessiones & omnia jura sua cum omni honore atque districto per imperialem concessionem adeptos, decimas sub hujusmodi generalitate detinere præsumunt. Occasione præterea veteris decimationis, quam asserunt sibi concessam, aliqui decimas novalium sibi non metuunt usurpare. Verùm si ad eum à quo bona cuncta procedunt assertores hujusmodi debitum respectum haberent, jus ecclesiasticum diminuere non contenderent, nec decimas, quæ tributa sunt egentium animarum, præsumerent detinere. Cùm enim Deus, cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in ea, deterioris conditionis esse non debeat quàm dominus temporalis, cujus statutum debitum de terris quas exhibet aliis excolendas, non quidem deductis sumptibus, aut semine separato, necessarium esse dinoscitur cum integritate persolui, nimis profectò videtur iniquum si decimę, quas Deus in signum universalis dominij sibi reddi præcepit suas esse decimas & primitias asseverans, occasione præmissa vel excogitata magis fraude diminui fortè valerent. Cùmque Deo debita sit solutio decimarum, in tantum ut ad eas Clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, laici, si moniti fortè noluerint, ecclesiastica sint districtione cogendi, prę-

textu nequitiæ Clericorum nequeunt eas aliis, nisi qnibus ex mandato divino debentur, pro suæ voluntatis arbitrio erogare, cùm nulli sit licitum aliena cuicumque concedere præter domini voluntatem. quamquam per sollicitudinem officij pastoralis Clerici sint à sua nequitia coërcendi. Et cùm de cunctis omnino proventibus decimæ sint solvendæ, sicut colonus de parte fructuum quæ sibi remanet ratione culturæ, sic & dominus de portione quam percipit ratione terræ decimam reddere sine diminutione tenerur. Porrò cùm laicis nulla sit de spiritualibus rebus concedendi vel disponendi facultas attributa, imperialis concessio, quantumcumque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ divina constitutione debentur; nec occasione decimationis antiquæ, licèt in feudum concessæ, decimæ sunt novalium usurpandæ; cùm in talibus non sit extendenda licentia, sed potiùs restringenda.

Cap. Tua. 1. de judic. in tertia collect.

IDEM PISTORIENSI EPISCOPO.

Lib. 1. epist. 117.

A Nobis tua fraternitas requisivit utrum ab illis exigere decimas debeas qui possessiones dant vel recipiunt ad affictum, cùm alij se conentur per alios excusare quò minùs cogantur ad decimas persolvendas. Cùm igitur quilibet decimas solvere teneatur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus, fraternitati tuæ duximus respondendum quòd à dantibus possessiones & recipientibus ad affictum de fructibus quos percipiunt decimæ sunt soluendæ, nisi ab eis aliquid ostendatur quare ab hujusmodi sint immunes.

IDEM EPISCOPQ ABVLENSI.

Lib. 1. epist. 70.

EX parte dilectorum filiorum Capituli Abulensis fuit in audientia nostra queremonia recitata quòd cùm homines tuæ diocesis in castris & in ipsa civitate morantes de tribus partibus frugum totius agriculturæ suæ, molendinorum etiam, & hortorum, & ruricolæ de quarta parte parrochialibus Ecclesiis, à quibus ecclesiastica percipiunt sacramenta, decimas soluere teneantur, licèt ministri Ecclesiarum ipsarum ferè nullos habeant redditus, præter decimas, unde valeant sustentari, domini prædictorum hortorum & molendinorum ipsa tradunt Sarracenis in grave detrimentum Ecclesiarum & præjudicium excolenda, qui nolunt Ecclesiis, sicut olim Christiani solebant, freti potentia & favore illorum à quibus illis excolenda traduntur, decimas exhibere. Volentes igitur ipsis Ecclesiis & earum ministris super hoc, prout convenit, providere, mandamus quatenus nisi Sarraceni illi ad commonitionem tuam cum ea integritate qua Christiani solebant prædictas decimas Ecclesiis voluerint exhibere, eis facias communionem à Christianis super mercimoniis rerum venalium & aliis penitùs denegari, Christianos illos, qui talibus contra formam apostolici mandati communicare præsumpserint, à sua præsumptione per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescens.

IDEM R. ARCHIPRESBYTERO, R. Magistro scholarum, & P. de Vico Canonico sancti Austregisili Bituricensis.

Lib. 1 epist. 112.

CUm apostolica sedes, cui licèt immeriti præsidemus, universis per orbem Ecclesiis non humana sed divina sit institutione prælata, justum est & conveniens ut ad eam tanquam ad magistram & matrem super diversis juris articulis referantur dubiæ quæstiones; ut quæ jura constituit, eadem quoque jura distinguat; ne quæ diversa cernuntur, videantur adversa. Sanè, sicut ex litteris vestris accepimus, cùm ex una parte Capitulum sancti Stephani & Capitulum de Salis, & ex alia monachi de Pratea, super decima quadam quam à monachis ipsis petebant in vestrum compromisissent arbitrium, & vos partibus convocatis cognosceritis de causa, monachi proponebant donationem ipsius decimæ sibi à quodam Milite factam & venerabilis fratris nostri Bituricensis Archiepiscopi diocesani ejus accedente consensu confirmatam fuisse séque auctoritate Hieronymi munitos extitisse, qui scribens ad Damasum ait: *Si aliquando fuerint à laicis malè detenta quæ divini juris esse noscuntur, & in usum transierint monachorum, Episcopo tamen loci illius prabente consensum, constabunt eis omnia perpetua firmitate subnixa.* E contrario pars allegabat adversa consensum Episcopi sine cleri consensu minùs sufficere, auctoritate Leonis Papæ dicentis: *Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quicquam donare vel commutare vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat ut meliora prospiciat, & cum totius cleri consensu atque tractatu id eligat quod non sit dubium Ecclesiæ*

16. q. 1 cap. Quoniam.

12. q. 2. cap. 52.

profuturum. Quia verò super his auctoritatibus dubitantes sedem apostolicam consulere voluistis, humiliter inquirentes utrum quando decima possidetur à laico, si conferatur Ecclesiæ, ad confirmandam donationem consensus Episcopi sine cleri consensu sufficiat, nos devotioni vestræ taliter respondemus, quòd monendus est laicus qui decimam detinet ut eam restituat Ecclesiæ ad quam spectat. Quòd si forsan induci nequiverit, & eam cum diocesani consensu alteri Ecclesiæ assignarit, præsertim religioso conventui, constabit ipsa donatio perpetua firmitate subnixa. Auctoritates enim præmissæ, licèt diversæ, non sunt tamen adversæ; cum aliud sit alienare quod ab Ecclesia possidetur, & aliud quod detinetur à laico ad usum ecclesiasticum revocare. In alienatione verò, juxta Leonis Papæ decretum, consensus Episcopi sine cleri consensu non sufficit. In revocatione autem, juxta responsum Hieronymi, sufficit consensus Episcopi, cùm per utrumque utilitati Ecclesiæ consulatur. Nam & in Lateranensi Concilio est inhibitum ne quælibet religiosa persona Ecclesias & decimas de manibus laicorum sine consensu Episcoporum recipiat. Per quod rectè datur intelligi quòd sufficit consensus Episcopi ut licitum sit Ecclesiæ decimam de manu recipere laicali. Hoc autem de his decimis intelligimus quæ fuerint in feudum concessæ.

Concil. Lateran. sub Alex. III. cap. 41.

IDEM ABBATI ET CONVENTUI Leumensi.

EXposuisti nobis tu, fili Abbas, in nostra præsentia constitutus quòd cùm possessiones quædam ad tuum aliquando monasterium devolvuntur, quarum decimas Milites & alij laici à diocesanis Episcopis vel Ecclesiis in feodum tenent perpetuò possidendas, & vos eas propriis sumptibus & laboribus excolatis, illi qui decimas ipsas habere noscuntur in feodum, à vobis eas exigunt & extorquent contra privilegia Pontificum Romanorum. Propter quod cupientes in ea qua decet viros religiosos tranquillitate vivere, non quæstionum tumultibus agitari, tu, fili Abbas, pro monasterio tuo à nobis humiliter postulasti ut tibi daremus licentiam decimas à laicis redimendi, cùm vix aut nunquam ad eos ad quos de jure pertinnerant valeant ulteriùs revocari; quibus & vos non tenemini decimas de terris illis exsoluere, cùm vobis per privilegia Romanorum Pontificum sit indultum ut de laboribus vestris, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, nullus à vobis exigere decimas aut extorquere præsumat. Cùm ergò petitionibus illis favor sit apostolicus exhibendus per quas nullus læditur & alteri subvenitur, nos tranquillitati vestræ paterna volentes sollicitudine providere, ut decimas quas laici taliter à vobis de possessionibus vestris exigunt & extorquent, sublato appellationis obstaculo redimere valeatis, devotioni vestræ auctoritate præsentium indulgemus; ita tamen quòd consueta servitia, quæ laici pro decimis illis Ecclesiis tenebantur impendere, occasione venditionis hujusmodi minimè denegentur.

TITULUS XII.

De nuntiis Hospitalariorum cruce falsò signatis, & laicis qui officium prædicationis sibi usurpant.

Idem Archiepiscopo Lundensi.

TUarum nos tenor litterarum edocuit quòd fratres hospitalis sancti Johannis laici & illiterati ad partes illas mittuntur pro eleemosynis colligendis quas populus ex devotione pro sustentatione pauperum præfato loco mittere consuevit. Quia verò non sufficiunt per se loca omnia circuire, sibi Clericos, sacerdotes, laicos etiam rudes, non religiosos, sed in nequitiis exercitatos, assumunt, eorum pectoribus crucis characterem imponentes. Quidam præterea cum uxoribus suis in domibus propriis commorantur; quos eò quòd eos de suis aliquid conferunt annuatim, ita emancipare contendunt ut aliis secundùm leges terræ de sibi objectis respondere minimè teneantur. Verùm quia privilegium merentur amittere qui permissa sibi abutuntur potestate, mandamus quatenus si quos Clericos aut Sacerdotes seu laicos à prædictis fratribus pro colligendis eleemosynis cruce falsò signatos inveneris, his à quibus missos ipsos fuisse constiterit, per totam provinciam tuam nostra fretus auctoritate exhortationis hujusmodi officium interdicas, missos, etiamsi laici fuerint, excommunicationis mucrone percellas; si Clerici vel Presbyteri fuerint, ab officio beneficióque suspendas; nulla prot-

Lib. 1. epist. 450.

sùs privilegij beneficio vel apostolico remedio prævalenre. Alios verò, quos ad respondendum aliis secundùm leges terræ pro præmissa causa asserunt non teneri, nolumus excusari quin eos ad respondendum sublato appellationis impedimento compellas.

Titulus XIII.

De hæreticis & eis qui eos receptant.

Idem universis Christi fidelibus tam in urbe Metensi quàm ejus diœcesi constitutis.

Lib. 2. epist. 141. CUm ex injuncto nobis apostolatus officio facti simus secundùm Apostolum sapientibus & insipientibus debitores, pro universorum salute nos oportet esse sollicitos, ut & malos retrahamus à vitiis, & bonos in virtutibus foveamus. Tunc autem opus est discretione majori cùm vitia sub specie virtutum occultè subintrant, & angelus satanæ se in angelum lucis simulatè transformat. Sanè significavit nobis venerabilis frater noster Metensis Episcopus per litteras suas quòd tam in diœcesi quàm in urbe Metensi laicorum & mulierum multitudo non modica tracta quodammodo desiderio scripturarum, evangelia, epistolas Pauli, Psalterium, Morale Job, & plures alios libros sibi fecit in Gallico sermone transferri, translationi hujusmodi adeo libenter, utinam autem & prudenter intendens, ut secreris conventionibus talia inter se laici & mulieres eructare præsumant & sibi invicem prædicare, qui etiam aspernantur eorum consortium qui se similibus non immiscent; & à se reputant alienos qui aures & animos talibus non apponunt: quos cùm aliqui parrochialium sacerdorum super his corripere voluissent, ipsi eis in faciem restiterunt, conantes rationem inducere de scripturis quòd ab his non debent aliquatenus prohiberi. Quidam etiam ex eis simplicitatem sacerdotum suorum fastidiunt; & cùm ipsis per eos verbum salutis proponitur, se meliùs habere in libellis suis & prudentiùs se posse id eloqui submurmurant in occulto. Licèt autem desiderium intelligendi divinas scripturas & secundum eas studium adhortandi reprehendendum non sit, sed potiùs commendandum, in eo tamen apparent meritò arguendi, quòd tales occulta conventicula celebrant, officium sibi prædicationis usurpant, sacerdotum simplicitatem eludunt, & eorum consortium aspernantur qui talibus non inhærent. Deus enim lux vera, quæ omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, in tantum odit opera tenebrarum ut Apostolos suos in mundum universum prædicaturos evangelium omni creaturæ missurus, eis apertè præceperit, dicens: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* per hoc manifestè denuntians quòd evangelica prædicatio non in occultis conventiculis, sicut hæretici faciunt, sed in Ecclesiis juxta morem catholicum est publicè proponenda. Nam juxta testimonium veritatis, omnis qui malè agit odit lucem, & ad lucem non venit, ne ejus opera arguantur. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus; quia in Deo sunt facta. Propter quod cùm Pontifex interrogasset Jesum de discipulis suis & de doctrina ejus, respondit: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagogis & in templo, quò omnes Iudæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Porrò si quis obiciat quòd juxta præceptum dominicum non est sanctum dandum canibus, nec margaritæ mittendæ sunt ante porcos, cùm & Christus ipse quidem non omnibus, sed solis Apostolis, dixerit *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis*, intelligat canes & porcos non eos esse qui sanctum gratanter accipiunt & margaritas libenter acceptant, sed illos qui sanctum dilacerant & margaritas contemnunt, quales sunt qui evangelica verba & ecclesiastica sacramenta non ut catholici venerantur, sed abominantur potius ut hæretici, oblatrantes semper & blasphemantes; quos Paulus Apostolus post primam & secundam commonitionem docet esse vitandos. Arcana verò fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda, cùm non passim ab omnibus possint intelligi, sed eis tantùm qui ea possunt fideliter concipere intellectu. Propter quod simplicioribus inquit Apostolus: *Quasi parvulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam.* Majorum est enim solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat: *Sapientiam loquimur inter perfectos. Inter vos autem nil judicavi me scire nisi Christum Iesum & hunc crucifixum.* Tanta est enim divinæ scripturæ profunditas ut non solùm simplices & illiterati, sed etiam

prudentes & docti, non sufficiant plenè ad ipsius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit scriptura, *quia multi defecerunt scrutantes scrutinio* Unde rectè fuit olim in lege divina statutum ut bestia quæ montem tetigerit lapidetur; ne videlicet simplex aliquis & indoctus præsumat ad subtilitatem scripturæ sacræ pertingere vel etiam aliis prædicare. Scriptum est enim: *Altiora te ne quæsieris*. Propter quod dicit Apostolus, *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. Sicut enim multa sunt membra corporis, omnia verò membra non eundem actum habent, ita multi sunt ordines in Ecclesia, sed non omnes idem habent officium; quia secundùm Apostolum, alios quidem Dominus dedit Apostolos, alios Prophetas, alios autem Doctores &c. Cùm igitur ordo Doctorum sit quasi præcipuus in Ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter prædicationis officium usurpare. Nam, secundùm Apostolum, quomodo prædicabunt nisi mittantur. Et Veritas ipsa præcepit dicens: *Rogate dominum messis ut mittat operarios in messem suam.* Quòd si fortè quis argutè respondeat quòd tales invisibiliter mittuntur à Deo, etsi non visibiliter mittantur ab homine, cùm invisibilis missio multò sit dignior quàm visibilis, & divina longè melior quàm humana, (Unde Johannes Baptista non legitur missus ab homine, sed à Deo, sicut Evangelista testatur: *Quia fuit homo missus à Deo cui nomen erat Iohannes*) potest & debet utique ratione prævia responderi quòd cùm interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nudè tantùm asserere quòd ipse sit missus à Deo, cùm hoc quilibet hæreticus asseveret; sed oportet ut astruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi vel per scripturæ testimonium speciale. Unde cùm Dominus mittere vellet Moïsem in Ægyptum ad filios Israël, ut crederetur ei quòd mitteretur ab ipso, dedit ei signum ut converteret virgam in colubrum & colubrum iterum reformaret in virgam. Johannes quoque Baptista missionis suæ speciale testimonium protulit de scriptura, respondens sacerdotibus & Levitis qui missi fuerant ad interrogandum quis esset & qualiter baptizandi sibi officium assumpsisset: *Ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.* Non est ergo credendum ei qui se dicit missum à Deo, cùm non sit missus ab homine, nisi de se speciale proferat testimonium de scripturis vel evidens miraculum operetur. Nam & de his qui missi leguntur à Deo Evangelista testatur quòd ipsi profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Licèt autem scientia valde sit necessaria sacerdotibus ad doctrinam, quia juxta verbum propheticum *labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est*, non est tamen simplicibus sacerdotibus etiam à scholasticis detrahendum, cùm in eis sacerdotale ministerium debeat honorari. Propter quod Dominus in lege præcepit, *Diis non detrahes*, sacerdotes intelligens, qui propter excellentiam ordinis & officij dignitatem deorum nomine nuncupantur. Juxta quod alibi dicit de servo volente apud dominum remanere, ut dominus offerat eum diis. Cùm enim juxta verbum Apostoli servus suo domino stet aut cadat, profectò sacerdos ab Episcopo, cujus est correctioni subjectus, debet in mansuetudinis spiritu castigari, non autem à populo, cujus est correctioni præpositus, in spiritu superbiæ reprehendi; cùm juxta præceptum Domini pater & mater non debeant maledici, sed potiùs honorari, quod de spirituali patre multò fortiùs debet intelligi quàm carnali. Nec quisquam suæ præsumptionis audaciam illo defendat exemplo, quòd asina legitur reprehendisse Prophetam, vel quòd Dominus ait, *Quis ex vobis arguet me de peccato? & si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo*, cùm aliud sit fratrem in se peccantem occultè corrigere; (quod utique quicumque tenetur efficere secundùm regulam evangelicam. in quo casu sanè potest intelligi quòd Balaam fuit correptus ab asina) & aliud patrem suum etiam delinquentem reprehendere manifestè, ac præcipuè fatuum pro simplici appellare. quod utique nulli licet secundùm evangelicam veritatem. Nam qui etiam fratri suo dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Rursus aliud est quod Prælatus se sponte, de sua confisus innocentia, subditorum accusationi supponit, (in quo casu præmissum Domini verbum debet intelligi) & aliud est quòd subditus, non tam animo corripiendi quàm detrahendi, exsurgit temerarius in Prælatum, cùm eum potiùs maneat necessitas obsequendi.

Quòd

Quòd si fortè necessitas postularit ut sacerdos, tanquam inutilis aut indignus, à cura gregis debeat removeri, agendum est ordinariè apud Episcopum, ad cujus officium tam institutio quàm destitutio sacerdotum noscitur pertinere. Illud autem, tanquam de supercilio Pharisæorum procedens, debet ab omnibus aspernari, quòd tanquam ipsi soli sint justi, ceteros aspernantur; cùm & hactenus ab initio nascentis Ecclesiæ multi fuerint viri sancti qui nec tales fuisse leguntur nec talibus adhæsisse, cùm de novo tales surrexisse legantur. quòd nisi contenti sint doceri potiùs quàm docere, ad illos forsitan pertinebit quibus Dominus ait: *Nolite fieri plures magistri*. Nos ergo, filij, quia paterno vos affectu diligimus, ne sub prætextu veritatis in foveam decidatis erroris, & sub specie virtutum in laqueum vitiorum, mandamus quatenus ab his quæ superiùs reprehensibilia denotavimus & linguam & animum revocetis, fidem catholicam & regulam ecclesiasticam observantes, ne vos verbis fallacibus circumveniri vel etiam circumvenire contingat: quia nisi correctionem nostram & ammonitionem paternam receperitis humiliter & devotè, nos post oleum infundemus & vinum, severitatem ecclesiasticam apponentes, ut qui noluerint obedire spontanei, discant acquiescere vel inviti.

IDEM EPISCOPO ET CAPITULO Metensi.

Lib. 2. epist. 141. Sicut Ecclesiarum Prælatis incumbit ad capiendum vulpes parvulas, quæ demoliri vineam Domini moliuntur, prudenter & diligenter intendere, sic est eis summopere præcavendum ne ante messem zizania colligantur, ne forsan cum eis triticum evellatur. Sanè sicut non debet hæretica pravitas tolerari, sic enervari non debet religiosa simplicitas; ne vel patientia nostra hæreticis audaciam subministret, vel simplices impatientia nostra confundat, ut nobis diruptis convertantur in arcum perversum, & in hæreticos de simplicibus commutentur. Sanè significasti nobis per litteras tuas quòd tam in diocesi quàm in urbe Metensi &c. *ut suprà usque* in occulto. Quia verò in dubiis non est de facili sententia proferenda, cùm quòd vel iidem errent in fide, vel à doctrina discrepent salutari, nobis per tuas litteras, frater Episcope, non duxeris exprimendum, cùm opinionem & vitam eorum penitùs ignoremus qui sacras scripturas taliter transtulerunt, aut eorum qui docent taliter jam translatas, quorum neutrum potest fieri sine scientia litterarum, licèt in his arguendi meritò videantur quòd occulta conventicula celebrant, officium sibi &c. *usque* non inhærent, mandamus quatenus eos commonere diligentiùs studeatis, rationibus & exhortationibus innitentes ut ab his in quibus apparent reprehensione notabiles omnino desistant, nec officium sibi vendicent alienum. Inquiratis etiam sollicitè veritatem quis fuerit actor translationis illius, quæ intentio transferentis, quæ fides utentium, quæ causa docendi, si fidem apostolicam, & catholicam Ecclesiam venerantur; ut super his & aliis quæ necessaria sunt ad indagandam pleniùs veritatem per litteras vestras sufficienter instructi quid statui debeat meliùs intelligere valeamus. Revocandi autem eos & convincendi secundùm scripturas super his quæ reprehensibilia denotavimus viam vobis in litteris quas communiter illis dirigimus aperimus.

IDEM CLERO ET POPULO Viterbiensi.

Vergentis in senium seculi corruptelam non solùm sapiunt elementa corrupta, sed & dignissima creaturarum ad imaginem & similitudinem condita conditoris, prælata privilegio dignitatis volucribus cœli & bestiis universæ terræ, testatur; nec tantùm eo quasi deficiente jam deficit, sed inficit & inficitur scabra rubigine vetustatis. Lib. 2. epist. 1. Peccat enim ad extremum homo miserrimus; & qui non potuit in sui & mundi creatione in paradiso persistere, circa sui & orbis dissolutionem degenerat, & pretij suæ redemptionis circa fines seculorum oblitus, dum variis ac vanis quæstionum se nexibus ingerit, se ipsum laqueis suæ fraudis innectit, & incidit in foveam quam paravit. Ecce etenim inimico homine messi dominicæ superseminante semen inquum, segetes in zizania pullulant vel potiùs polluuntur, triticum arescit & evanescit in paleas, in flore tinea, & vulpes in fructu demoliri vineam Domini moliuntur. Nova siquidem sub novo testamento Achor progenies de spoliis Jerico regulam auream palliolúmque furantur, & Abiro, Dathan, & Chore so-

boles detestanda novis thuribulis fermentatum thymiama novis voluit altaribus adolere, dum nox nocti scientiam indicat, dum cœcus præbet cœco ducatum, dum hæreses pullulant, & quem divinæ reddit hereditatis expertem, suæ constituit hæreticus hæresis & damnationis heredem. Hi sunt caupones qui aquam vino commiscent & virus draconis in aureo calice Babylonis propinant, habentes secundùm Apostolum speciem pietatis, virtutem autem ejus penitùs abnegantes. Licèt autem circa vulpes hujusmodi parvulas, species quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum, diversa prædecessorum nostrorum temporibus emanaverint instituta, nondum tamen usqueadeo pestis potuit mortificari mortifera quin sicut cancer ampliùs serperet in occulto, & jam in aperto suæ virus iniquitatis effundat, dum palliata specie religionis & multos decipit simplices, & quosdam seducit astutos, factus magister erroris qui non fuerat discipulus veritatis. Ne autem nos, qui licèt circa horam undecimam, inter operarios tamen immo super operarios vineæ Domini Sabaoth sumus à patrefamilias evangelico deputati, & quibus ex officio pastorali sunt oves Christi commissæ, nec capere vulpes demolientes vineam Domini nec arcere lupos ab ovibus videamur, & ob hoc meritò vocari possimus canes muti non valentes latrare, ac perdamur cum malis agricolis, & mercenario comparemur, contra defensores, receptatores, fautores, & credentes hæreticorum aliquid severius duximus statuendum; ut qui per se ad viam rectirudinis revocari non possunt, in suis saltem defensoribus & fautoribus ac etiam credentibus confundantur; & cùm se viderint ab hominibus evitari, reconciliari desiderent unitati. De communi ergo fratrum nostrorum consilio, assensu quoque Arbiepiscoporum & Episcoporum apud sedem apostolicam existentium, districtiùs inhibemus ne quis hæreticos receptare quomodolibet vel defendere aut ipsis favere vel credere quoquomodo præsumat; præsenti decreto firmiter statuentes ut si quis aliquid horum facere fortè præsumpserit, nisi primò secundòve commonitus à sua super hoc curaverit præsumptione cessare, ipso jure sit factus infamis, nec ad publica officia vel consilia civitatum nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi cogatur super quocumque negotio respondere. Quòd si forsan judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit Advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitùs sint momenti, sed cum anctore damnato damnentur. In similibus etiam idem præcipimus observari. Si verò Clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur; ut quò major est culpa, gravior exerceatur vindicta. Si quis autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, contempserint evitare, anathematis se noverint sententiam incurrisse. In terris verò nostræ temporali jurisdictioni subjectis bona eorum statuimus publicari. Et in aliis idem fieri præcipimus per potestates & principes seculares, quos ad id exequendum, si fortè negligentes existerent, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compelli volumus & mandamus. Nec ad eos bona ipsorum ulteriùs revertantur; nisi his ad cor redeuntibus & abnegantibus hæreticorum consortium aliquis voluerit misereri; ut temporalis saltem pœna corripiat quem spiritualis non corrigit disciplina. Cùm enim, secundùm legitimas sanctiones, reis læsæ majestatis punitis capite, bona confiscentur ipsorum, eorum filiis vita solummodo ex misericordia conservata, quanto magis qui oberrantes in fide Domini Dei filium Jesum Christum offendunt, à capite nostro, quod est Christus, ecclesiastica debent districtione præcidi & bonis temporibus spoliari, cùm longè sit gravius æternam quàm temporalem lædere majestatem. Nec hujus severitatis censuram orthodoxorum etiam exheredatio filiorum quasi cujusdam miserationis prætextu debet ullatenus impedire, cùm in multis casibus etiam secundùm divinum judicium filij pro patribus temporaliter puniantur, & juxta canonicas sanctiones quandoque feratur ultio non solùm in auctores scelerum sed & in progeniem damnatorum. Decernimus ergo &c. nostræ inhibitionis & constitutionis &c.

Titulus XIV.

De falsariis.

Idem Remensi Archiepiscopo & ejus suffraganeis.

Lib. 1. epist. 235. DUra sæpe mandata & institutiones interdum iniquas à sede apostolica emanare multi arguunt & mirantur, & in hoc ei culpam imponunt in quo sinceritas ejus culpæ prorsùs ignara per innocentiam excusatur. Nos etenim circa negotia majora frequentiùs occupati, & curam universorum ex officio nostro gerentes, per quod sumus omnibus debitores, cùm omnibus apud nos instantibus incontinenti satisfacere non possimus, quidam, eò quòd à semita justitiæ oberrantes, aut ultra quàm permittit honestas suæ petitionis licentiam extendentes, exaudiri non possunt, in motum proprium voluntatis irrumpunt, & ad sua ingenia falsitatis & artes perditionis cum animi exquisita malitia recurrentes, per falsæ astutiam speciei candorem puritatis apostolicæ denigrare ac depravare nituntur. Ex cujus falsitatis ingenio quot & quanta mala proveniant, cùm per eam & innocentes quandoque damnentur, & rei ab objectis criminibus absolvantur, necnon & apostolicæ sedis lædatur auctoritas, ipsa rei evidens malitia protestatur. Licèt autem hujusmodi falsitas aliquandiu possit cum operibus tenebrarum abscondi, tamen quia per eam beatis Apostolis specialiter infertur injuria, ille à quo in persona eorum Romana Ecclesia auctoritatem super universas Ecclesias accepit (unde & bulla nostra, per quam totius Christianitatis negotia aguntur, capitum ipsorum charactere præsignatur) perniciem tanti sceleris non patitur in tantum præjudicium eorum diutiùs occultari. Accidit enim nuper in Urbe quòd quidam hujusmodi falsitatis astutiam perniciosiùs exercentes in suis fuerunt iniquitatibus comprehensi, ita quòd bullas tam sub nomine nostro quàm bonæ memoriæ C. Papæ prædecessoris nostri, quas falsò confinxerant, & quamplures litteras bullis signatas eisdem invenimus apud eos. Nos autem honori Romanæ Ecclesiæ & utilitati omnium paterna volentes sollicitudine providere, de consilio fratrum nostrorum statuimus & sub excommunicationis pœna & suspensionis ordinis & beneficij districtiùs inhibemus ne quis apud sedem apostolicam de cetero litteras nostras nisi à nobis vel de manibus illorum recipiat qui de mandato nostro sunt ad illud officium deputati. Si verò persona tantæ auctoritatis extiterit ut deceat eum per nuntium litteras nostras recipere, nuntium ad cancellariam nostram vel ad nos ipsos mittat idoneum, per quem litteras apostolicas juxta formam præscriptam recipiat. Si quis autem in hac parte mandati nostri transgressor extiterit, si laicus fuerit, excommunicationi subjaceat, si Clericus, officij sui & beneficij suspensione damnetur. Verùm quia, sicut à falsariis ipsis accepimus, tam ad partes vestras quàm ad ceteras regiones per litteras transmissas ab eis suæ iniquitatis falsitas multipliciter est diffusa, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus provinciale Concilium evocetis, in quo solemniter & regulariter statuatis ut per singulas parrochias publicè proponatur quòd si quis à sede apostolica litteras impetravit quarum tenor possit esse suspectus, & eis uti voluerit, ut statutam pœnam evadat, primò fiat collatio de falsa bulla cum vera, & si eam invenerit falsitate notandam, Episcopo diocesano, Abbati, vel Archidiacono loci easdem litteras non differat præsentare; qui veritate comperta illum qui tales litteras reportavit, si laicus est, excommunicationi subjiciat, si Clericus, eum ab officio beneficióque suspendat. Ad hæc adicientes statuimus ut generalem excommunicationis sententiam promulgetis, quam per singulas parrochias faciatis frequentiùs innovari, quòd si quis falsas litteras se cognoscit habere, intra xv. dies litteras illas aut destruat aut resignet, si pœnam voluerit excommunicationis evadere, quam, nisi forsan in mortis articulo, sine speciali mandato nostro à quocunque nolumus relaxari, nec etiam, si præsumpta fuerit contra hoc absolutio, quicquam habeat firmitatis, ne fortè post tempora nostra falsitas interim occultata cuiquam valeat præjudicium generare. Ceterùm ad majorem illius notitiam falsitatis habendam, ut fieri possit bullæ falsæ cum vera collatio, præsentibus litteris unam de bullis falsis cum vera bulla duximus apponendam; districtiùs injungentes ut quascumque litteras inveneritis hac vel alia falsitate notandas,

si quid actum occasione illarum, appellatione postposita irritetis, ita quòd hujusmodi falsitas nullo temporis spatio valeat excusari, & portitores earum tamdiu faciatis sub arcta custodia detineri donec receperitis super hoc nostræ beneplacitum voluntatis.

IDEM ARCHIDIACONO & Canonicis Mediolanensibus.

Lib. 1. epist. 349. LIcèt ad regimen apostolicæ sedis, quæ dante Domino universarum Ecclesiarum mater est & magistra, insufficientes nos vita & scientia reputemus, quantum tamen Dominus nobis sua miseratione concesserit, ab his proposuimus abstinere per quæ nobis possit meritò derogari; quanquam ex infirmitatis humanæ defectu non sic formam perfectionis semper & in omnibus imitari possumus quin aliquid aliquando in nostris subrepat operibus quod minùs circumspectæ providentiæ valeat imputari. quod tamen non ex industria vel conscientia certa, sed interdum ex ignorantia vel nimia occupatione contingit. Significastis siquidem nobis per litteras vestras quòd cùm quædam vobis fuissent litteræ præsentatæ, per quas vobis districtè præcipere videbamur ut J. de Cimil. Clericum Ecclesiæ vestræ in Canonicum reciperetis & fratrem, nec aliquem alium in Canonicum vocaretis donec ipse præbendæ beneficium plenariè fuisset adeptus, earum tenore diligenter inspecto vix eas credidistis de nostra conscientia processisse, vel si etiam processerint, per nimiam importunitatem fuisse obtentas. Ceterùm cùm easdem litteras, sicut viri providi & discreti, ad nostram remisissetis præsentiam, ut ex earum inspectione pleniùs nosceremus utrum ex nostra conscientia processissent, plus in eis invenimus quàm vestra fuisset in eis discretio suspicata. Nam licèt in stilo dictaminis & forma scripturæ aliquantulum cœperimus dubitare, bullam tamen veram invenimus. quod primum nos in vehementem admirationem induxit, cùm litteras ipsas sciremus de conscientia nostra nullatenus emanasse. Bullam igitur hinc inde diligentiùs intuentes, in superiori parte, qua filo adhæret, eam aliquantulum tumentem invenimus; & cùm filum ex parte tumenti sine violentia qualibet attrahi fecissemus, bulla in filo altero remanente, filum ex parte illa fuit ab ipso sine qualibet difficultate avulsum; in cujus summitate adhuc etiam incisionis indicium apparebat, per quod liquidò deprehendimus bullam ipsam ex aliis litteris extractam fuisse ac illis per vitium falsitatis insertam. Cùm ergo tantus excessus relinqui non debeat impunitus, mandamus quatenus dictum J. nisi infra xx. dies post harum susceptionem à vobis commonitus ad præsentiam nostram cum testimonio litterarum vestrarum satisfacturus accesserit, ex tunc ab omni ecclesiastico beneficio & clericali officio, sublato cujusl.bet contradictionis & appellationis obstaculo, suspendatis; vel si beneficio caret, anathematis eum vinculo innodetis; cùm ab hac culpa non de facili sit credendus immunis, cùm nec per fratres nec per consanguineos nostros nos, licèt sæpius rogatos, potuisset inducere ut super hoc nostras vobis litteras mitteremus. Ex quo fraudem auctoris, etsi principalis falsarius ipse non fuerit, sufficienter agnoscere potuisset; præsertim cùm eo tempore præsens fuisse dicatur quo contra falsarios publicè constituimus, inter cetera, sub pœna excommunicationis firmiter inhibentes ne quis litteras apostolicas nisi de manu nostra vel bullatoris nostri reciperet, illis duntaxat exceptis quibus propter excellentiam dignitatis indulsimus ut per nuntios fideles & notos id ipsum possent efficere. Ut autem varietates hujusmodi falsitatis, quas hactenus deprehendimus, vos ipsi de cetero deprehendere valeatis, eas vobis præsentibus litteris duximus exprimendas. Prima species falsitatis hæc est, ut falsa bulla litteris apponatur; secunda, ut filum de vera bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immissum falsis litteris inseratur; tertia, ut filum ab ea parte in qua carta plicatur incisum cum vera bulla falsis litteris immittatur sub eadem plicatura cum filo similis canapis restauratum. Quarta, quòd à superiore parte bullæ altera pars fili sub plumbo recinditur, & per idem filum litteris falsis inserta reducitur infra plumbum. Quinta, cùm litteris bullatis & redditis aliquid in eis per rasuram renuem immittatur. Eos etiam à crimine falsitatis non reputamus immunes qui contra constitutionem nostram præmissam scienter litteras nostras nisi de nostra vel bullatoris nostri manu recipiunt. Eos quoque qui accedentes ad bullam falsas litteras cautè proiciunt, ut de vera bulla cum

aliis sigillentur. Sed hæ duæ species falsitatis non possunt facilè deprehendi nisi vel in modo dictaminis vel in forma scripturæ vel qualitate cartæ falsitas cognoscatur. In ceteris autem diligens indagator falsitatem poterit diligentiùs intueri, vel in adjunctione filorum, vel in collatione bullæ, vel motione, vel obstusione; præsertim si bulla non sit æqualis, sed alicubi magis sit tumida, alibi magis depressa.

IDEM ANTIBARENSI Archiepiscopo.

Cap. Quàm gravi. De falsariis. in tertia collect.

QUàm gravi pœnæ subjaceant qui litteras apostolicas falsare non timent, & veras à nobis impetratas litteras occultantes, falsis uti litteris non verentur, fraternitatem tuam credimus non latere. Ad audientiam siquidem nostram ex litteris carissimi in Christo filij nostri Wlcan. Diocliæ Regis illustris, necnon & tenore litterarum tuarum, quas dilecto filio J. Capellano nostro apud Durachium direxisti, noveris pervenisse quòd cùm Dominicus quondam Suacensis Episcopus, qui coram eodem Capellano & dilecto filio S. Subdiacono nostro tunc in partibus illis gerentibus legationis officium fuerat de homicidio accusatus, & in Concilio apud Antibarim pontificalem resignaverat dignitatem, ad nostram olim præsentiam accessisset, à nobis rediens quasdam tibi litteras præsentavit, quas de verbo ad verbum in litteris jamdicto Capellano J. ex parte tua directis perspeximus contineri, quibus sibi asserebat à nobis pontificale officium restitutum. Tu verò litteris illis fidem adhibens venerabilem fratrem nostrum G. quem in Suacensem Episcopum electum canonicè diceris consecrasse, ab eadem Ecclesia removisti, præfato Dominico occasione litterarum falsarum in ipsa Ecclesia restituto. Præfatus autem Rex, sicut suis nobis litteris innotuit, non credens de nostra conscientia litteras illas emanasse, tam ipsum Dominicum quàm præfatum Episcopum nostro præcepit conspectui præsentari, humiliter petens rescripto apostolico edoceri quicquid duxerimus de ipso negotio statuendum. Nos verò rescriptum litterarum falsarum diligentiùs intuentes, in eis tàm in continentia quàm in dictamine manifestè deprebendimus falsitatem, ac in hoc sumus non modicùm ammirati quòd tu tales litteras à nobis credideras emanasse, cùm præsertim scire debeas sedem apostolicam in suis litteris consuetudinem hanc tenere ut universos Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos fratres, ceteros autem, sive Reges sint sive Principes, vel alios homines cujuscumque ordinis, filios in nostris litteris appellemus. Et cùm uni tantùm personæ litteræ apostolicæ diriguntur, nunquam ei loquimur in plurali, ut *vos*, sive *vester*, & similia in ipsis litteris apponantur. In falsis autem tibi litteris præsentatis in salutatione dilectus in Christo filius vocabaris, cùm in omnibus litteris quas tibi aliquando transmisimus te videre potueris à nobis fratrem venerabilem appellatum. Propter quod sic te esse volumus in similibus circumspectum ut per falsas litteras nequeas denuo circumveniri vel falli; sed hic litteras apostolicas studeas diligentiùs intueri, tam in bulla quàm in filo, tam etiam in carta quàm in stilo, quòd veras pro falsis vel falsas pro veris aliquo modo non admittas. Scire namque te volumus quòd cùm sæpefatus Dominicus olim ad apostolicam sedem accessisset, nos cum fratribus nostris examinantes diligentiùs causam ipsius, eum ad te cum nostris litteris duximus remittendum; quarum rescriptum nunc tibi sub bulla nostra mittimus introclusum. Sed ipse, tanquam homo iniquus, sicut ejus opera manifestanr, veras litteras supprimens, quas ex benignitate sedis apostolicæ concesseramus eidem, falsas tibi non timuit litteras præsentare. Ceterùm quia dignum est ut qui noluit benedictionem, prolongetur ab ea, & præfatus Suacensis Episcopus non sine labore maximo se curavit nostro conspectui præsentare, prædicto Dominico, tanquam qui de sua justitia diffidebat, & remordebat eum prædictæ conscientia falsitatis, minimè veniente, immo, licèt, ut dicitur, iter arripuerit veniendi, ac promiserit se venturum, ad partes tamen Ungariæ se transtulit, ut nostram præsentiam declinaret, volentes & illum de sua præsumptione punire & sæpenominato Episcopo paterna pietate succurrere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus si fortè occasione litterarum illarum in aliquo processisti, irritum denuntians penitùs & inane, jam dictum D. si denuo venire ad partes illas præsumpserit, omni dilatione, occasione,

& appellatione postposita in aliquo facias monasterio districti ordinis ad agendam pœnitentiam arctè recludi. Prænominatum autem G. Episcopum, si præmissis veritas suffragatur, in suo loco & dignitate sublato contradictionis & appellationis obstaculo restituas & facias in episcopatu suo pacificè permanere, illos ecclesiastica districtione compescens qui se tibi duxerint temeritate qualibet opponendos.

DECRETUM EIUSDEM IN CONSTITUTIONE Lateranensis Palatij promulgatum.

Cap. *Ad falsariorum* de falsar. in tertia collect.

AD falsariorum malitiam confutandam jam alia vice recolimus apostolicas litteras destinasse, in quibus falsitatis modos, ne quis se posset per ignorantiam excusare, meminimus pleniùs distinxisse. Quia verò nonnunquam evenit ut falsas litteras exhibentes, postquam super his fuerint redarguti, ad excusationem suam dicant se hujusmodi litteras per alios impetrasse, de communi fratrum nostrorum consilio duximus statuendum ut qui litteris nostris uti voluerint, eas priùs examinent diligenter; quoniam si falsis litteris usos se dixerint ignoranter, eorum sera pœnitentia evitare nequibit pœnas inferiùs denotatas. Nos enim omnes falsarios, qui per se vel per alios vitium falsitatis exercent, cum fautoribus & defensoribus suis anathematis vinculis decrevimus innodatos, statuentes ut Clerici qui falsarij fuerint deprehensi, per ecclesiasticum judicem degradati seculari potestati tradantur secundùm constitutiones canonicas puniendi, per quam & laici qui fuerint de falsitate convicti legitimè puniantur. Qui verò sub nomine nostro litteris falsis utuntur, si Clerici fuerint, officiis & beneficiis ecclesiasticis spolientur; si laici, tamdiu manent excommunicationi subjecti donec satisfaciant competenter; ita tamen ut in istis & in illis malitia graviùs quam negligentia puniatur. Quod & de his qui falsas impetrant litteras statuimus observandum.

TITULUS XV.

De rescriptis & eorũ interpretationibus.

Idem universis Archiepiscopis & Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis.

Lib. 1. epist. 83

NE promotionis nostræ primitias Domino negaremus, qui ei universa opera nostra consecrare tenemur, statim post electionem nostram tam pauperum quàm aliorum apud sedem apostolicam existentium petitionibus intendere cœpimus & eorum negotia promovere; ne si otio tanto tempore vacaremus, corpus & animus ex otiositate torperent. Verùm quoniam insolitum fuit hactenus ut sub dimidia bulla ad tot & tam remotas provincias litteræ apostolicæ mitterentur, & ex hoc litteræ ipsæ diutiùs quàm vellemus possent ex alicujus dubitatione suspendi, ut quorum interest parcamus laboribus & expensis, universas litteras quæ ab electionis nostræ die usque ad solemnitatem consecrationis sub bulla dimidia emanarunt, parem cum illis firmitatem obtinere decernimus quæ in bulla integra diriguntur.

IDEM MEDIOLANENSI Archiepiscopo.

CUm adeo scripta sedis apostolicæ moderemur ut ex certa scientia nihil in eis faciamus apponi quod de jure debeat reprehendi, miramur non modicùm & movemur quòd quotiens ad te vel ad aliquos tibi subjectos nostras litteras destinamus, te super eis mirari rescribis, ac si mandaremus aliquid inhonestum. Ideóque mandamus quatinus cùm ad te vel ad tuos litteræ apostolicæ diriguntur, earum tenorem diligenter attendas, & quod mandatur in eis, dum tamen nec per suppressionem veritatis aut expressionem falsitatis obtentæ fuerint, facias effectui mancipari. Lib. 1. epist. 179.

IDEM ELECTO, DECANO, & Magistro N. de Leventies Canonico Cameracensi.

CAusam quæ inter Præmonstratensem & Prumensem Ecclesias super possessionibus de Anapia vertitur discretioni vestræ commisisse meminimus fine canonico terminandam. Sed quia in litteris illis animadvertimus fuisse insertum quòd si alterutra partium legitimè citata præsentiam vestram adire vel judicio parere contemneret, vos nihilominus præsentis partis probationes recipere & quantum de jure possetis in causæ cognitione ac decisione procedere minimè tardaretis, Nos volentes ut clausula illa, *quantum de jure poteritis*, quæ antequam de probationum receptione mentio fieret fuerat inferenda, clausulam illam de pro- Lib. 1. epist. 61.

bationum receptione præcedat, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus ipsam intelligentes ibidem, in eadem causa juxta tenorem litterarum nostrarum procedere non tardetis, attentè proviso ut si occasione clausulæ memoratæ aliquid constiterit in alterutrius partis præjudicium attentatum, id viribus decrevimus cariturum.

IDEM CLUNIENSI EPISCOPO.

Lib. 1. epist. 51. CUm M. Ferrariensis Canonicus &c. *Et infrà:* Cùm in constitutione prædicta & confirmatione sedis apostolicæ vel fuerit vel esse debuerit, sicut consuevit, expressum, *nisi in tantum excrescerent Ecclesiæ facultates quòd pluribus possint sufficere competenter*, & cùm idem Canonici in derogationem suæ constitutionis ad vacaturas præbendas quatuor receperint ultra numerum constitutum, antiquis Canonicis præbendas cum integritate percipientibus consuetas, superexcrescentes redditus prædictis Canonicis appellatione remota facias assignari; ita tamen quod si ex eis pares cum aliis potuerint sortiri præbendas, quod super fuerit in communes Canonicorum usus, sive ut priùs statuerant, sive aliter prout melius videbitur convertatur, revocatis in irritum omnibus quæcumque ab alterutra partium in præjudicium alterius post motam quæstionem coram Episcopo Ferrariensi circa præbendas vel possessiones fuerint innovata.

TITULUS XVI.

De Abrenuntiatione.

Idem Suffredo Augustensi Præposito.

Lib. 1. epist. 290. Cap. *Ex ore.* De his quæ fi. à maj. par. Capituli. EX ore sedentis in throno &c. *Et infrà:* Quia B. de præpositura ipsa non fuit aliquatenus investitutus, etsi mandatum fuerit ut de eadem investiretur, de qua etiamsi investitus fuisset, per hoc quòd A. reverentiam exhibuit quæ debetur Præposito, juri suo renuntiasse videtur; nos attendentes sibi de jure non potuisse competere ut per appellationem ob id interpositam communem ordinationem Ecclesiæ impediret, intelligentes etiam te à majori parte tam dignitate quàm numero eorum quos jus eligendi constabat habere electum fuisse canonicè in Præpositum, electionem tuam auctoritate apostolica confirmamus.

IDEM ABBATI ET CONVENTUI de Pigavia.

CUm bonæ memoriæ Ce. Papæ &c. *Et infrà.* Cum judices delegati partes ad suam præsentiam auctoritate apostolica evocassent, memoratus Episcopus Mersburgensis delegatos ipsos suspectos sibi proposuit, & causas suspicionis multiplices assignavit. Consequenter etiam eorum volens judicium declinare, sedem apostolicam appellavit. Sed reversus postmodum, coram eisdem sacramentum calumniæ præstitit, testes produxit, petitis dilationibus & obtentis. Ipsi ergo judices procedentes in causa, auditis utriusque partis rationibus & pleniùs intellectis, gesta omnia sigillorum suorum munimine roborata ad sedem apostolicam destinarunt, terminum partibus imponentes quo recepturæ sententiam apostolico se conspectui personaliter præsentarent; ad quem tu personaliter accedens, Episcopus pro se misit dilectos filios H. & B. responsales, qui gesta quæ delegati transmiserant nec publicari debere dicebant nec fidem eis penitus adhibendam, cùm & à suspectis judicibus & post appellationem legitimè interpositam recepta fuerint & descripta, parte tua contrarium postulante. Quia verò memoratus Episcopus, eò quòd juramentum præstitit de calumnia, & à delegatis inducias postulavit, & testes coram eis produxit, appellationi renuntiasse videtur, & eorum examini consensisse, nos habito fratrum consilio in præmissa incidenti quæstione interlocuti fuimus quòd deberent quæ coram prædictis judicibus gesta fuerant publicari, ut secundùm tenorem ipsorum nostra tandem sententia formaretur. *Et infrà:* Quia tam per confessiones quàm per attestationes constitit quòd fide hinc inde data compromissum est in arbitrium Archiepiscopi memorati Magdeburgensis, nos de consilio fratrum nostrorum ipsum arbitrium decrevimus observandum, illis duntaxat exceptis capitulis quæ contra libertatem ipsius monasterij & duarum Capellarum ejusdem in arbitrio sunt expressa; cùm etsi sponte volueris, de jure tamen nequiveris sine licentia Romani Pontificis renuntiare privilegio vel indulgentiis libertatis quæ monasterium illud indicant ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, præsertim cùm in ultimæ commissionis

Lib. 1. epist. 117. 118. Cap. *Cum tempore.* De arbitris.

litteris contineatur expressum quòd prædecessor noster C. super renuntiatione à te super privilegio & aliis scriptis facta nullum tibi vel successoribus tuis aut etiam monasterio & duabus Capellis de Pigavia præjudicium voluit generari.

Titulus XVII.

De circumventis.

Idem Lucensi Episcopo & Abbati de Molon.

CUm illius vicem non suffragantibus meritis geramus in terris de cujus vultu prodit judicium & vident oculi æquitatem &c. *Et infrà:* Si vobis constiterit Abbatem ipsum Cellæ novæ ad sedem apostolicam, antequam Episcopus in eum suspensionis & excommunicationis & in monasterium interdicti sententias tulerit, legitimè appellasse vel esse à jurisdictione ipsius Auriensis Episcopi exemptum, eo non obstante quòd Abbas ab Episcopo, sicut dicitur, circumventus præter fratrum suorum consensum ei obedientiam repromisit, cùm fraus & dolus ei patrocinari non debeant, sententias illas judicetis appellatione remota penitùs non tenere. Alioquin faciatis eas per censuram ecclesiasticam inviolabiliter usque ad satisfactionem congruam observari. Quòd si fortè Abbas ipse in exemptionis probatione defecerit, nec legitima se poterit præscriptione tueri, licèt probet se ante dictas sententias appellasse, nihilominus tamen monasterium ipsum Auriensi judicetis Ecclesiæ subjacere, in cujus diocesi est fundatum. Similiter eo in appellationis probatione deficiente, si vobis de exemptione vel legitima præscriptione constiterit, tam Abbatem quàm monasteriũ ab ejusdem Episcopi & Ecclesiæ ipsius super hoc impetitione penitùs absolvatis.

IDEM ARCHIEPISCOPO & Præposito sancti Andreæ.

Lib. 1. epist. 84. CUm universorum fidelium ab ipso Domino Jesu Christo pastoralis sit nobis cura commissa, sollicitudini nostræ dinoscitur expedire ut sic debeamus quoslibet in suis rationibus confovere quòd aliorum jura in conspectu Ecclesiæ dispendium non sustineant, sed firma & illibata debeant permanere. Intelleximus siquidem dilecto filio G. Canonico sancti Johannis in Leodio referrente quòd cùm & ipse & L. Clericus, ducti quadam animi levitate, permutationem præbendarum suarum inter se tractare cœpissent, quia utilitatem utriusque imminere credebant, tandem idem L. Clericus occasione dictæ permutationis, præbenda ejusdem G. quam in Ecclesia beatæ Mariæ Namurcensis habebat, cuidam suo consanguineo assignata, præbendam sancti Bartholomæi, quam sæpedicto G. promiserat, nequaquam voluit resignare; & sic idem G. (ut asserit) sua spe remansit omnino frustratus. Cùm igitur deceptis & non decipientibus jura subveniant, fraus etiam & dolus nemini debet patrocinium impertiri, licèt ipsi de se non possent ecclesiastica beneficia permutare, ut tamen simplicitati venia tribuatur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si vobis constiterit prætaxatum G. taliter fuisse deceptum, ab ipsa Namurcensi præbenda, quam diù dicitur possedisse, amoto consanguineo ipsius L. vel quolibet alio illicito detentore, eandem sublato appellationis obstaculo G. faciatis restitui memorato, & eundem ipsius pacifica possessione gaudere.

Titulus XVIII.

De his quæ vi metúsve causa geruntur.

Idem Decano & Subdecano Lincolniensi.

AD audientiam nostram dilecto filio magistro He. significante pervenit quòd cùm Ecclesiam de Chevele auctoritate sedis apostolicæ canonicè fuisset adeptus, & aliquandiu pacificè possedisset, gravissimo tandem Regis metu quòd eam resignaret jurare coactus, eam in eorum ad quos pertinebat manibus resignavit. Quia verò quæ vi metúsve causa fiunt, carere debent robore firmitatis, mandamus quatenus si eundem magistrum eo metu ad resignationem faciendam vobis constiterit fuisse coactum qui potuerit vel debuerit cadere in constantem, nonobstante juramento prædicto, quo non ad repetendum sed ad resignandum solummodo tenebatur, præfatam Ecclesiam ei per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo restitui faciatis. Lib. 1. epist. 182.

IDEM MASSILIENSI ET AGATENSI Episcopis. Lib. 1. epist. 91.

CUm dilectus filius Abbas de* Ferendillo &c. *Et infrà:* Quia constitit nobis

* Leg. Florein. Nam causa Abbatis de Ferentillo extat lib. 1. epist. 377.

nobis de voto emisso & præstito juramento à Canonicis insularum quòd regulam Cistercienſem observarent, non obstante violentia quæ proponebatur illata, cùm neque metum mortis continuerit neque corporis cruciatum, & ideo non debuerat cadere in constantes, nec obsistente dolo quo se proponebant fuisse seductos, cùm talis dolus non tam ad circumventionem Abbatis de Floreia quàm ad fatuitatem eorum debeat retorqueri, super restitutione petita silentium de consilio fratrum nostrorum duximus eis sententialiter imponendum.

Titulus XIX.

De licitis & illicitis juramentis.

Idem Hugoni Comiti & Marsucto Pisano Canonico.

Lib. 1. epist. 31. Cap. Significante. de pignorib.

SIgnificante dilecto filio Rubeo cive Pisano ad nostram noveritis audientiam pervenisse quòd cùm domum suam cum horto Gal. Pisano civi pro CCLII. libris pignori obligasset, & promisisset, cautione præstita juramenti, quòd nisi domum ipsam statuto inter eos termino recolligeret, eundem creditorem ulteriùs super ea minimè molestaret, infra statutum tempus per certum & fidelem nuntium pecuniam remisit: quam idem nuntius, infideliter agens, sicut ei injunctum fuerat, non persolvit. Cùmque postmodum prædictus R. ab Imperatore captus pariter & detentus multa pericula sustinuerit & labores, nec dicto G. satisfacere potuerit, ut debebat, nunc per Dei gratiam libertati pristinæ restitutus, paratus est pecuniam reddere creditori; licèt ipse prorsus eam recusaret recipere, quia ei non eam statuto termino persolvit. Cùm igitur pactum commissoriæ sit in pignoribus improbatum, &, quantum in eo fuit, prædictus R. juramenti debitum adimpleverit, cùm per eum quem certum & fidelem nuntium sperabat pecuniam remiserit termino constituto, & dum in imperiali fuit captione detentus, satisfacere non potuerit creditori, devotioni vestræ præsentium auctoritate mandamus quatenus si præmissis veritas suffragatur, prædictum creditorem, ut forte contentus existat, pensionibus præfati pignoris computatis in sortem, & domum ipsam & hortum præfato R. omni postposita dilatione resignet, per censuram ecclesiasticam pacto vel tali juramento nequaquam obstante, ammonitione præmissa, sublato contradictionis & appellationis obstaculo, compellatis

*IDEM * ARCHIEPISCOPO Armeriensi.*

* Ameliensi Episcopo.

Cap. Sicut nostris. de constitutionib. in tertia collect.

SIcut nostris est auribus intimatum, Ecclesia dudum Tudertina vacante, ipsius Canonici & venerabilis frater noster Episcopus videns quòd cum eis, dum in minori esset officio constitutus, juramenta quædam in damnum episcopalis juris fecerunt priusquam de Pontificis electione tractatus aliquis haberetur; quæ utrum servari debeant, cùm ex eis præsertim contingeret episcopales redditus minorari, tanquam vir providus & discretus olim nos idem duxit Episcopus consulendos. Nos ergo saluti ejus paterna volentes sollicitudine providere, pro juratione incauta imponi sibi fecimus pœnitentiam congruentem. Et nihilominus attendentes quòd juramentum, non ut esset iniquitatis vinculum, fuerit institutum, & quòd non juramenta sed perjuria potiùs sunt dicenda quæ contra ecclesiasticam utilitatem attentantur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenùs personaliter ad Ecclesiam Tudertinam accedens, quod in damnum episcopalis juris repereris taliter attentatum, nostra suffultus auctoritate in statum debitum appellatione remota reducas, faciens quod decreveris &c.

Idem illustri Regi Aragonum.

Lib. 1. epist. 18.

EX tenore litterarum tuarum nobis innotuit quòd quidam consiliarij tui, quin immo potiùs deceptores, tuum animum induxerunt ut jurares, inrequisito assensu populi, usque ad certum tempus patris tui conservare monetam, quæ tamen circa mortem ipsius fuerat legitimo pondere defraudata. Quoniam autem eadem moneta est adeo diminuta & minoris valoris effecta quòd grave propter hoc in populo scandalum generatur, tu quod egeras indiscretè, discretè cupiens revocare, ac necessitati populi satisfacere, ab observatione juramenti prædicti, ex quo tibi & regno tuo metuis grave periculum imminere, postulasti suppliciter à nobis absolvi. Super hoc verò diligens indagator veritate comperta potuisset facilè intueri quòd non tam erat absolutio necessaria quàm interpretatio requiren-

da. Quoniam cùm juramentum fecisti, monetam aut falsam aut legitimam esse credebas. Si falsam, (quod de regia serenitate non credimus) juramentum fuisset illicitum & nullatenus observandum, & pro eo tibi esset pœnitentia injungenda, cùm juramentum, ut esset iniquitatis vinculum, non fuerit institutum. Si verò ipsam legitimam esse credebas, juramentum licitum fuit, & usquequaque servandum. Et ut irreprehensibiliter observetur, consulimus & mandamus ut reprobata moneta quæ à legitimo pondere fuerat diminuta, alia sub nomine patris tui moneta cudatur, quam ad legitimum pondus reducas secundùm eum statum quem tempore patris tui habuerit meliorem, ita quòd & antiqua moneta, quæ ab illo statu falsata non fuerat, cum ea pariter expendatur. per quod dispendium vitari possit & juramentum servari.

TITULUS XX.

De eodem & notoriis & canonica purgatione.

Idem Neapolitano Archiepiscopo.

Lib. 1. epist. 415. AD nostram noveris audientiam pervenisse quòd dudum à te quasi per extorsionem tale fuit præstitum juramentum quòd in omni causa deberes ordinem judiciarium observare. Verùm quoniam secundùm traditiones canonicas manifesta accusatione non indigent nec in eis est ordo judiciarius observandus qui debet in aliis observari, neque tu, quando sub præmisso tenore jurasti, habebas in mente ut propterea venires contra canonicas sanctiones, alioquin non juramentum sed perjurium potiùs extitisset, nec aliqua ratione servandum, nos juramentum tuum benigniùs volentes interpretari, ita quòd consonet canonicis institutis, fraternati tuæ auctoritate præsentium intimamus quòd in manifestis & notoriis ratione juramenti præmissi non credimus te teneri servare subtilitatem ordinis judiciarij, quam in his non servari per omnia ipsa quoque juris ratio postulat & requirit. Unde videbitur, nec immeritò, subtiliter intuenti de ordine judiciorum procedere ut in præmissis non per omnia ordo judiciarius observetur, quamquam & secundùm approbatum intellectum scripturæ divinæ rectè possit intelligi quod jurasti tu in omnibus causis ordinem judiciatium observares, in illis videlicet in quibus est ordo judiciatius observandus. Sic ergo faciens & juramenti tenorem servabis, & instituta canonica non omittes.

Idem C. quondam Hildesemensi Episcopo.

MIramur non modicùm & non sine ratione movemur quòd contra nos ausus es ponere os in cœlum, asserens quòd contra te nec citatum nec convictum non fuerat sententia proferenda. Sed ecce in quo alterum judicas, te ipsum condemnas, cùm tuum non fuerit de superiori temerè judicare, & in eo quòd excusationem tuam immo potiùs accusationem nostram allegas, tertium membrum omiseris, cùm in manifestis non sit ordo judiciarius requirendus. Verùm utrum excessus tuus fuerit manifestus, conscientiæ tuæ relinquimus discernendum, cùm non potuerit esse occultum quod tam publicè factum fuit & per totam Teotoniam publicum. Tu etiam confessus videris de crimine, cùm in litteris ad nos directis, quas adhuc apud nos in testimonium reservamus, Herbipolensem te præsumpseris Episcopum appellare. Vide lib. 2. epist. 204.

IDEM ARCHIPRESBYTERO sancti Andreæ Pallianensis.

QUàm sit grave crimen in Clericis gloriari cùm malefecerint & in rebus pessimis exultare nullus sanæ mentis ignorat. Accepimus sanè, quod non sine dolore referimus, quòd cùm Ricius de Serrone R. filiam suam cuidam Iohanni nomine tradiderit in uxorem, Petrus Diaconus Ecclesiæ sancti Petri, filius sacerdotis, non erubuit publicè profiteri se prædictam feminam carnaliter cognovisse. Unde factum est quòd prædictus vir ad propria eam remitteret cui fuerat matrimonialiter copulata. Quapropter per apostolica scripta mandamus quatenus si tibi constiterit de præmissis, omni contradictione & appellatione cessantibus præfatum ab officio & beneficio suspendere non postponas, compellens virum ut uxorem suam recipiat, eique sicut justum est officium exhibeat maritale. Lib. 1. epist. 145.

Idem Exoniensi Episcopo.

TUa nos duxit fraternitas consulendos si de Clericis publicè concubinas habentibus, qui quando conveniuntur à te, se esse concubinarios diffitentur, Lib. 2. epist. 165.

nec apparet contra eos legitimus accusator, credendum sit testimonio bonorum virorum inter quos vivere dinoscuntur. Nos igitur consultationi tuæ taliter respondemus, quòd si crimen eorum ita publicum est ut meritò debeat appellari notorium, in eo casu nec accusator nec testis est necessarius, cùm hujusmodi crimen nulla possit tergiversatione celari. Si verò publicum est, non ex evidentia, sed ex fama, in eo casu ad condemnationem sola testimonia non sufficiunt, cùm non sit testimoniis sed testibus judicandum. Sed si de Clericis illis talis habeatur suspicio ut ex ea scandalum in populo generetur, licèt contra ipsos non apparuerit accusator, tu tamen eis canonicam poteris purgationem indicere, quam si præstare noluerint, vel defecerint in præstanda, eos canonica poteris animadversione punire.

IDEM SENONENSI Archiepiscopo.

Lib. 1. epist. 63. QUoniam ex dictis testium multa erat præsumptio contra Decanum Nivernensem, utpote cùm esset manifestè probatum eum familiaritatem hæreticorum non solùm habuisse, sed etiam captasse scienter, cùm publica etiam laboraret infamia, & tantum suscitatum esset scandalum contra ipsum quòd non posset canonica purgatione deleri, nec ipsum absolvere, nec purgationem quam obtulerat ab initio, & tunc etiam offerebat, recipere noluisti, sed ipsum cum litteris tuis ad sedem duxisti apostolicam destinandum, intelligens quòd ex concessa nobis plenitudine potestatis citra pœnam canonicam dispensare possumus & ultra eam rigorem severitatis attingere. Ceterùm ei postmodum in nostra præsentia constituto communem audientiam in consistorio nostro concessimus, ubi se multipliciter nisus est excusare, illud præsertim allegans, quòd cùm non apparente accusatore legitimo purgationem offerret, testes contra eum non fuerunt aliquatenus admittendi. Nos igitur litterarum scientiam & honestatem motum in te pariter attendentes, licèt ecclesiastica constitutio tales ab officio tantùm usque ad purgationem canonicam doceat suspendendos, quòd tamen etiam eum à beneficio propter immanitatem criminis, ut credimus, suspendisti, nolumus improbare; nec illud etiam propter causam improbamus eandem, quòd licèt nullus contra eum accusator legitimus compareret, ad detergendam tamen hujus pestiferæ mortis immo mortiferæ pestis radicem, ex officio tuo fama publica deferente voluisti pleniùs inquirere veritatem. Attendentes autem vulgatam infamiam, grave scandalum, & vehementem suspicionem ex testium dictis obortam, quia contra eundem Decanum facere videbantur, cùm propter eorum quodlibet ei esset purgatio injungenda, & servantes & mollientes rigorem fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum apud sedem apostolicam existentium, purgationem quatuordecimæ manus sui ordinis ei duximus injungendam. Ipsum igitur ad te cum litteris apostolicis remittentes, ut ibi purgaretur ubi noscitur infamatus, mandamus quatinus ascitis tecum Nivernensi & Parisiensi Episcopis, indictam ei à nobis purgationem accipias, ita tamen ut qui ad ejus purgationem accesserint comprobandam, sint fide catholici, vita probati, qui conversationem & vitam ipsius non tam moderno tempore noverint quàm transacto. Purgatione verò recepta, beneficium ei restituere non postponas, ne cogatur victus in cleri opprobrium mendicare. In pœnam autem familiaritatis illius quam cum hæreticis scienter habuisse dinoscitur, eum ab officio volumus manere suspensum, donec scandalum sopiatur; ita tamen ut publicè familiaritatem hæreticorum abjuret. Præcipias insuper ipsi districtè ut in prædicta & aliis villis circumpositis profiteatur & prædicet fidem catholicam, ac confundat & detestetur hæreticam pravitatem, sic deinceps vitam suam bonis adornans operibus ut infamia convertatur in famam, & omne scandalum & suspicio de catholicorum mentibus evellatur. Quòd si forsan in purgatione defecerit, eum ecclesiasticæ districtionis mucrone percellas, & ab officio beneficióque depositum ad agendam pœnitentiam in arctum monasterium retrudere non omittas.

Idem Bisuntio Archiepiscopo.

LIcèt in beato Petro Apostolorum principe ligandi atque solvendi nobis à Domino sit attributa facultas, quam in subditis juxta eorum exigentiam meritorum exercere liberè debeamus, exemplo tamen illius qui omnes salvat & neminem vult perire, libentiùs ad absolvendum intendimus quàm ligandum, etsi Lib. 1. ep. 176.

nonnullæ sint culpæ in quibus est culpa relaxare vindictam. Sanè cùm olim ex litteris G. Decani, C. Cantoris sancti Stephani, Iohannis Salinensis, T. de Grahi, & plurium aliorum Canonicorum Ecclesiæ Bisuntinæ ad apostolicæ sedis audientiam pervenisset te varia crimina commisisse, ac ab eis fuisse per easdem litteras super perjurio & crimine simoniæ & incestu delatum, felicis recordationis C. Papa prædecessor noster servata judiciaria gravitate tibi certum terminum assignavit quo, responsurus objectis, apostolico te conspectui præsentares. Cùm autem tu juxta tenorem factæ tibi citationis ad sedem apostolicam accessisses, te & dilectis filiis Io. & C. Archidiaconis apud sedem apostolicam constitutis, expectavimus aliquandiu si qui forsan contra te procederent, & quæ de te litteris intimaverant, proponerent in scribendo. Ceterùm cùm nec unus etiam appareret qui te impeteret de prædictis, ne aliquid de contingentibus omitterc videremur, prædictis Archidiaconis vocatis ad præsentiam nostram, & in nostra & fratrum nostrorum præsentia constitutis, quæsivimus diligenter si quid super prædictis adversùs te pro se vel aliis proponere vellent, & quod scripserant, legitimè demonstrare. Ipsi autem quòd non proposito accusandi hoc scripserant responderunt, sed quia tu super quibusdam incorrigibilis videbaris, quædam de te sedi apostolicæ duxerant intimanda, sed nuntius qui pro litteris impetrandis accessit, mandati formam præsumpsit excedere. Nos igitur famæ tuæ consulere cupientes, dictis Canonicis contra te super prædictis silentium duximus imponendum, ne te de cero eis super ipsis accusare liceat vel infamare, illius sequentes exemplum qui cum mulieri dixisset, *Nemo te condemnavit, mulier?* & illa, *Nemo, Domine, Nec ego*, inquit, *te condemnabo. Vade, jam ampliùs noli peccare.* Quia verò prædicti Canonici citra vinculum inscriptionis desistere voluerunt, eis de juris permissione id non duximus imputandum. Ne autem in absolutione tua nimis procedere videamur, quamvis potiùs in odore bonæ opinionis coëpiscoporum nostrorum quàm eorum infamia delectemur, venerabili fratri nostro Cabilonensi Episcopo & dilecto filio Abbati de firmitate inquisitionem famæ tuæ duximus committendam.

TITULUS XXI.

De inquisitione culparum.

Idem Neapolitano Archiepiscopo & C. sancti Laurentij in Lucina Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legato.

Nihil est penè quod magis debeat formidare prælatus quàm vitium negligentiæ: quia si juxta testimonium veritatis de omni verbo otioso in die judicij redditurus est rationem, quanto magis de omni bono neglecto, cùm eum etiam qui opus Dei fecerit negligenter scripturæ divinæ sententia maledicat. Heli namque summus sacerdos, licèt in se ipso bonus existeret, quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se pariter & in ipsis animadversionis divinæ vindictam excepit, dum filiis ejus in bello peremptis, ipse de sella corruens fractis cervicibus expiravit. Ad corrigendos igitur subditorum excessus tanto diligentiùs debet prælatus assurgere quanto damnabiliùs correctionem eorum negligeret; contra quos, ut de notoriis excessibus taceatur, etsi tribus monitis procedere possit, per accusationem videlicet, denuntiationem, & inquisitionem ipsorum; ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, sicut accusationem legitimam præcedere debet inscriptio, sic & denuntiationem caritativa correctio, & inquisitionem clamosa debet insinuatio prævenire. *Descendam* (inquit Dominus) *& videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere jam compleverint.* Tunc enim clamor pervenit ad prælatum, cùm per publicam famam aut insinuationem frequentem subditorum sibi referuntur excessus; & tunc debet descendere & videre, id est, mittere & inquirere utrum clamorem veritas comitetur. Si autem juxta canonicas sanctiones, si quid de quocumque clerico ad aures prælati pervenerit quod eum justè possit offendere, non facilè credere debet, nec ad vindictam eum res accendere debet incognita, sed coram Ecclesiæ suæ senioribus diligenter est veritas perscrutanda, ut si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis, non tanquam idem sit auctor, accusator, & judex, sed quasi fama deferente vel denuntiante clamore officii sui debitum exequatur, eo semper adhibito moderamine,

Lib. 2. ep. 160.

ut juxta formam judicij, sententiæ quoque forma dictetur.

IDEM CANTUARIENSI Archiepiscopo.

Cap. Dilectus. de simonia. DIlectus filius magister Andreas nuntius tuus pro parte tua fecit in audientia nostra proponi quòd cùm Cantuariensem diocesim secundùm consuetudinem prædecessorum tuorum visitas, ut quæ corrigenda sunt corrigas, & statuas quæ secundùm Deum videris statuenda, in monasteriis & canonicis regularibus & religiosis locis pullulasse repereris simoniacam pravitatem, ita ut in eis multi sint pretio recepti qui potiùs gratis recipi debuissent, immo etiam ad religionis observantiam invitari. Dubitas igitur utrum quia multitudo reperiatur in causa, severitati sit aliquid detrahendum, an in tales exercere debeas rigorem canonicæ disciplinæ. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd si adversùs eos qui labe fuerint hujusmodi maculati accusatio coram te fuerit canonicè instituta, postquam crimen ordine fuerit judiciaria comprobatum, tam in dantes quàm in recipientes canonicæ severitatis exerceas ultionem. Quòd si de hoc tibi per solam inquisitionem constiterit, eos qui per simoniacam pravitatem in locis talibus sunt recepti, ab illis amotos ad agendam pœnitentiam ad monasteria dirigas arctiora. Abbatibus autem, Abbatissis, Prioribus, prælatis quibuslibet, & officialibus eorundem injungas pœnitentiam competentem, & donec illam peregerint, eos à sacrorum ordinum executione suspendas. Studeas autem omnibus per Cantuariensem provinciam sub interminatione anathematis auctoritate tam tua quàm nostra districtiùs inhibere ne talia præsumant ulteriùs attentare, sed illud dumtaxat gratanter accipiant quod sine taxatione fuerit gratis oblatum, injungens Episcopis ut hanc ipsam formam per suas dioceses studeant observare.

TITULUS XXII.

Quæ probationes in simonia productæ recipiantur.

Idem Priori sancti Victoris, magistris L. Bononiensi & Vb. Mediocensi Canonicis.

Lib. 2. epist. 260. LIcet Heli sacerdos in se ipso &c. *Et infra.* Cùm igitur de Abbate Pomposiano ea nobis frequentes insinnata fuissent quæ ab honestate regulari nimiùm dissonabant, inquisitionem eorum viris prudentibus commisimus faciendam; qui cùm minimè processissent, ad iteratum sæpe clamorem de communi fratrum nostrorum consilio citavimus ad præsentiam nostram Abbatem & monachos, ut per nos ipsos causa morbi pleniùs inquisita, plagam ipsam meliùs curaremus. Eis igitur ad nostram præsentiam accedentibus, quidam ex Monachis nobis ipsum Abbatem de simonia, perjurio, dilapidatione, ac insufficientia detulerunt. Contra quos cùm idem Abbas exciperet quòd denunciationem hujusmodi fraterna correctio secundùm regulam evangelicam non præcesserat, & idem constanter assererent quòd correctionem hujusmodi præmisissent, licèt ad id probandum duorum monachorum juramenta fuissent exhibita, quia tamen super hoc ipso necdum contendere desistebant, nos, ut prædiximus, frequentibus clamoribus excitati, ex officio nostro maluimus inquirere de præmissis, omnes omnino monachos, qui vel cum ipso vel contra ipsum Abbatem accesserant, juramenti vinculo astringentes ut de propositis plenè quam scirent exponerent veritatem; quorum depositiones in scriptis redactæ cùm publicatæ fuissent, super illis cœperunt multipliciter disputare. Quia verò tum ex assertione monachorum, tum ex Abbatis confessione cognovimus quòd idem Abbas non modicam summam pecuniæ relictam à prædecessore suo totam expenderat, & in alia summa majori monasterium obligaverat, nos eum juxta canonicas & legitimas sanctiones propter has & alias præsumptiones quasi de dilapidatione suspectum ab administratione abbatiæ duximus suspendendum. Et quia per testes simonia multis modis contra ipsum Abbatem videbatur esse probata, ipse contra testes multas exceptiones proposuit, super quibus utrinque fuit multipliciter disputatum, aliis asserentibus in crimine simoniæ, sicut in crimine læsæ majestatis, omnes indifferenter tam infames quàm criminosos non solùm ad accusandum sed ad testificandum etiam admittendos, cum ad instar publici criminis & læsæ majestatis procedat accusatio simoniæ, multis super hoc & legibus & canonibus allegatis, aliis è contrario respondentibus quòd licèt hæc duo crimina quantum ad accusationem quasi paria judicentur, dif-

ferunt tamen in multis, cùm alia pœna in uno & alia pro altero inferatur, & inter personas accusatorum & testium sit utique distinguendum, cùm non per accusatores sed testes crimina comprobentur, multis super hoc & rationibus & argumentis inductis. Ne verò vel innocentiæ puritas confusa succumbat, vel simoniæ pravitas effugeret impunita, nos æquitate pensata, nec omnes exceptiones contra testes oppositas duximus admittendas, nec repellendas duximus universas, sed illas duntaxat probandas admisimus quæ fortè probatæ non de zelo justitiæ, sed de malignitatis fomite procedere viderentur, conspirationes scilicet & inimicitias capitales. Ceteras autem exceptiones appositas, ut furti, adulterii, & hujusmodi, propter immanitatem hæresis simoniacæ, ad cujus comparationem omnia crimina quasi pro nihilo reputantur, duximus repellendas; quoniam etsi fidem testium debilitarent in aliquo, non tamen evacuarent ex toto; præsertim cum alia contigerit adminicula suffragari. Ad probandas ergo exceptiones admissas Abbas quoddam protulit instrumentum &c.

Titulus XXIII.

De testibus ad exceptiones probandas & infamiam alicujus purgandam productis.

Idem Archiepiscopo.

Lib. 1. epist. 515. De testibus qui ad exceptionem probandam à partibus inducuntur tua nos duxit fraternitas consulendos, utrum cogendi sint super principali etiam negotio ferre testimonium veritati, & an illi sint sicut ceteri testes examinandi districtè qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur. Super hoc igitur fraternitatem tuam in Domino plurimùm commendantes, quæ in dubiis apostolicæ sedis vult certificari rescripto, taliter ad proposita respondemus, quòd si testes inducti jam sint ad exceptionem solummodo comprobandam, cùm super ea tantùm juraverint dicere veritatem, super principali non debent audiri nec cogi testimonium perhibere, utpote super quo deponerent non jurati. Si verò cùm ad probandam exceptionem peremptoriam ab alterutra partium inducuntur, reliqua pars super principali etiam eos deponere fortè petierit, & ut cogantur super toto negotio dicere veritatem, sacramento eos postulaverit obligari, ad id sunt sine dubitatione cogendi, nisi forsan sufficiens productio testium super principali facta jam fuerit, vel renuntiatum à partibus, vel depositiones testium fuerint publicatæ. Illi verò qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur, id solum tenentur juramento firmare, quòd veritatem eum credant juramento dicere qui purgatur.

Titulus XXIV.

De testibus ante litis contestationem productis & appellatione.

Idem Abbati sancti Proculi & magistro I. Canonico Bononiensi.

Ad hoc Deus in apostolica sede nos constituit totius Ecclesiæ magistratum ut quia secundùm scripturæ sententiam fecit Deus hominem rectum, sed ipse se infinitis immiscuit quæstionibus, ad eam nodi quæstionum difficiles referantur, suo recto judicio dissolvendi. Ad apostolatus quippe nostri notitiam literarum vestrarum insinuatione pervenit quòd cùm causa quæ inter B. & R. uxorem ejus vertitur à dilecto filio nostro G. sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinale, tunc apostolicæ sedis Legato, vobis commissa fuisset sine debito terminanda, viro ipso ad vos ad instantiam mulieris sæpius convocato, tandem R. patruum suum in causa ipsa coram vobis constituit responsalem. Qui assignata sibi die ut libello responderet uxoris, (quo virum à separatione thori, & ut dotem suam reciperet, de adulterio accusabat) qui (*patruus scilicet*) donec advocatus ejus, qui absens erat, rediret, inducias postulavit. Quibus ad diem certam obtentis, iterum propter eandem causam dilationes similes impetravit. Cùm autem tertiò dilationes hujusmodi cum instantia petens, obtinere non posset, publicè proclamavit se nunquam coram vobis aliter responsurum, nec quòd aliter suam vobis præsentiam exhibetet. Unde duobus ferè mensibus sic impedito causæ principio & progressu, cùm vobis dictus procurator illudere videretur, testes mulieris habito consilio recepistis, & allegationibus insuper præbuistis audientiam. Quo facto, dictus procurator ad præsentiam vestram accedens dixit se respondere paratum, velle negotio interesse. Qui sibi die statuta, cùm videretur libello de quo Lib. 1. epist. 361.

præmisimus responsurus, restitutionem uxoris ex parte viri priùs fieri postulavit, & ne secus fieret, ad sedem apostolicam vocem appellationis emisit. Verùm quia mulier ipsa dicebat se virum habere suspectum, vel quia in domo ejus coacta fuerat se adulteratam coram plutibus confiteri, vel quia meretricem publicè detinebat, ex qua etiam prolem susceperat, sicut evidentia facti & fama viciniæ demonstrabat, (super quo etiam testes produxerat, & alios parata erat ad hoc ipsum probandum inducere) ab ipso procuratore quæsistis an vellet de mulieris impunitate cavere. Qui dixit super hoc se de consilio responsurum. Sed ad diem statutam neque respondit, neque se vestro conspectui præsentavit. Quin etiam ad illum diem citatus se asseruit, nisi priùs advocatus ejus rediret, nullatenus responsurum, sicut nuntius vester juramento firmavit. Unde iterum testes mulieris de prudentium virorum consilio recepistis, & attestationibus publicatis diligenter audistis quæ fuerunt ipsius nomine allegata. Quia verò cùm de ferenda sententia cum jurisprudentibus tractaretis, diversorum invenistis diversa consilia, (quibusdam dicentibus appellationi simpliciter deferendum, aliis autem appellationi deferendum non esse; nonnullis etiam asserentibus appellationem nullatenus tenuisse, cùm mulier non sit viro restituenda suspecto, nisi de impunitate sufficienti præstita cautione) vos in tanta varietate nos consulere voluistis qualiter esset in hoc negotio procedendum. Nos ergo de fratrum nostrorum consilio consultationi vestræ taliter respondemus, quòd licèt ordo judiciarius in aliis controversiis observandus, in matrimonialibus causis non usquequaque servetur; quia tamen in præsenti negotio non est actum de fœdere matrimonij, sed de crimine adulterij, per quod ad separationem conjugum non ad conjunctionem intenditur, cùm lite non contestata testes fuerint recepti, & attestationes publicatæ, sive deferendum sive non deferendum appellationi fuisset, non est ad diffinitivam sententiam procedendum, potuit tamen præfatus R. propter contumaciam excommunicationis vinculo innodati.

Idem Constantiensi Episcopo.

Lib. 1. ep. 543. Cap. Quod ad. de sent. & re jud.

Quid ad consultationem quam &c. *Et infrà.* Siautem quod à nobis postulasti, utrum appellationi sit clerici deferendum qui purgationem indictam sibi per sententiam, & ad ipsius receptionem terminum competentem, puta xx. dies vel ampliùs sine contradictione recipiens, & ad diem veniens consequenter appellat, causam non exprimens appellandi, nec sit locus nisi suscipiendæ purgationi & executioni sententiæ, à cujus latione ac purgatione injuncta ultra decennium dicitur effluxisse, taliter credimus respondendum, quòd cùm post xx. dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat judicatæ, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit, cùm per hoc videatur per interpretationem juris latæ sententiæ paruisse, præsertim ubi causa non redditur appellandi. sed nec executionem ipsius sententiæ ideo convenit retardari, licèt ad hoc agendum quadrimestre tempus regulariter sit statutum, quia id artari potest nonnunquam à sedente in medio & etiam prorogari; & quòd ab initio sponte recepit terminum breviorem, imputare sibi potest & debet, cùm ex hoc videatur amplioris beneficium contempsisse. Unde talis non audietur appellans, nisi adversùs eum modus executionis canonicus excedatur.

IDEM SANCTI AVGVSTINI & sancti Gregorij Prioribus Cantuariensibus.

Lib. 1. epist. 551.

Dilecti filij I. & H. nuntij Ecclesiæ Cantuariensis nobis humiliter retulerunt quòd cùm pro causa quæ inter Priorem & monachos & venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem Archiepiscopum vertitur, ab ipsis Priore & monachis mitterentur, idem Archiepiscopus post iter arreptum in eos excommunicationis sententiam promulgavit. Cùm autem plus sit ad sedem apostolicam facto provocare quàm verbo, & ipsis propter prædictam causam ad Romanam Ecclesiam venientibus intelligatur ad sedem apostolicam provocatum, mandamus quatenus si verum est quod asseritur, dictos I. & H. appellatione postposita denuntietis excommunicationis vinculo non teneri.

Ex decretis ejusdem.

Licèt is cui causa committitur appellatione remota non possit eam alij sine provocationis obstaculo delegare, si tamen delegatus aut judex quisquam non tam cognitionem quàm executionem ad

aliquem certum articulum alterum deputaverit, ab eo, nisi modum excedat, non liceat appellari, dummodo de partium deputetur vel recipiatur assensu. Quòd si delegatus à nobis vel litis exordium, vel causæ finem, nedum totum negotium, ei duxerit committendum, ab ipso tanquam à judice licitè provocetur, cùm & lis ante judicem debeat contestari, & causa per judicium diffiniri.

Titulus XXV.

De officio judicis delegati.

Cap. *Sape*. de appell.

SÆpe contingit quòd cùm ad nostram audientiam appellatur, propter defectum partis alterius neque per se neque per responsalem idoneum appellationem interpositam prosequentis, vel forsan ex malitia responsalis mandatum procuratorium occultantis, lites quæ de facili poterant terminari, remaneant indecisæ, cùm frequenter juris quæstio moveatur cujus apud nos probationes necessariæ non existunt, & interdum etiam facti quæstio de levi posset partibus præsentibus comprobari. Unde licèt in Lateranensi Concilio fuerit constitutum ut si in quocumque negotio aliquis appellaverit, & eo qui appellatus fuerit veniente, qui appellavit venire neglexerit, competentem illi recompensationem faciat expensarum, ut hoc saltem timore deterritus in gravamen alterius non facilè quis appellet. Quia tamen propter hoc quæstiones nihilominus prorogantur, volentes ut finis litibus imponatur, & ne fraus & dolus alicui suffragentur, de consilio fratrum nostrorum præsenti decreto statuimus ut si hujusmodi appellatio vel à judice recepta, vel à parte fuerit approbata, post terminum appellationi præfixum, edicti peremptorij vires obtineat, ita videlicet ut ex tunc in absentem partem procedatur ac si peremptoriè vocatus ad judicium extitisset. Quòd si forsan interposita provocatio maliosè recepta vel approbata non fuerit, cùm constiterit legitimè provocatum, nihilominus eam vigorem volumus obtinere. Salvis constitutionibus de provocationibus post sententiam promulgatis, quibus appellationes suas prosequi non curantibus post terminum appellationi prosequendæ præfixum rata maneat sententia quæ fuerat appellatione suspensa. Quicquid autem contra citationem peremptoriam posset ab absente proponi, adversus appellationem hujusmodi valeat allegari. Si quis autem terminum appellationis præveniens tacita veritate literas reportarit, & careat impetratis, & pœnam contumaciæ non evadat.

Idem magistro Apollinari.

BRevi sedem apostolicam sciscitatus es quæstione utrum ille qui jura alicujus Ecclesiæ servare ac pro posse defendere juramento tenetur, si necessitate imminente sub debito juramenti ad hoc fuerit requisitus, & nolens hoc facere, ad sedem apostolicam duxerit appellandum, perjurij reatum incurrat. Nos autem quæstioni tuæ taliter respondemus, quòd in hoc articulo appellantem à perjurio talis appellatio non excusat; immo, nisi aliqua difficultas obsistat, propter quam non possit requisitus Ecclesiæ subvenire, culpa perjurij potiùs irretitur. Lib. 1. epist. 389.

Titulus XXVI.

De crimine usurarum.

Idem omnibus prælatis in regno Franciæ constitutis.

QUàm periculosum sit vitium usurarum discretionem vestram non credimus ignorare, cùm præter constitutiones canonicas quæ in eorum odium emanarunt, per prophetam detur intelligi eos qui suam dant pecuniam ad usuram à tabernaculo Domini repellendos, & tam in novo quàm in veteri testamento prohibitæ sint usuræ, cùm veritas ipsa præcipiat, *Mutuum date, nil inde sperantes*, & per prophetam dicatur, *Usuram & omnem super abundantiam non accipias*. Inde est quòd universitati vestræ mandamus quatinus manifestos usurarios, eos maximè quos usuris publicè renuntiasse constiterit, cùm aliquis eos convenerit de usuris, nullius permittatis appellationis subterfugio se tueri. Lib. 1. epist. 399.

Idem Mutinensi Episcopo.

Cap. *Tuas dudum*. de usuris.

DUdum ex parte tua recepimus quæstionem, quòd quidam usurarij tuæ diocesis eos quibus dant pecuniam ad usuram præstare faciunt juramentum quòd usuras non repetant, & super his quas solverint nullam moveant quæstionem. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, ut usurarios ipsos monitione præmissa & per censuram ecclesiasticam appellatione

pellatione remota compellas, ante usurarum solutionem, ab earum exactione desistere vel restituere ipsas postquam fuerint persolutæ, ne de dolo & fraude sua contingat eos commodum reportare qui ad hoc præstari faciunt juramentum quòd super usuris non valeant molestari.

IDEM NARBONENSI ARCHIEPISCOPO & suffraganeis ejus.

Cap. Per miserabil. De usuris.

POst innumerabile &c. *Et infrà.* Iudæos ad remittendas Christianis usuras per principes & secularem compelli præcipimus potestatem, & donec eis remiserint, ab universis Christi fidelibus tam in mercimoniis quàm in aliis per excommunicationis sententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari.

Titulus XXVII.

De restitutione.

Idem Mediolanensi Archiepiscopo.

Lib. 1. epist. 37.

AD hoc unxit nos Deus &c. *Et infrà.* Dilectus filius Abbas de Scocula postulabat à nobis ut sententiam restitutionis pro eo deberemus auctoritate apostolica confirmare, & possessione sibi cum fructibus restituta faceremus eum absque molestatione gaudere. Nos igitur intelligentes quod * venerabilis Episcopus Abbatem in possessionem causa rei servandæ solummodo decrevisset induci, sicut erat consentaneum rationi, utpote coram quo super proprietate lis non fuerat commota, & quòd per M. quondam Archiepiscopum non stetisset quin satisdationem infra annum oblatam præstiterit & contumaciam, si qua præcesserit, expurgarit, attendentes etiam Abbatem ipsum per surreptionem veritatis & falsitatis expressionem literas à Bobiensi & Ferrariensi Episcopis impetrasse, petitionem ejus non esse admittendam respondemus, & ipsum scriptis carere mandavimus quæ per mendacium impetravit.

* Veronensis

IDEM ARCHIPRESBYTERO & Canonicis Sutrinis.

Lib. 2. epist. 283.

DIlecti filij Clerici conventualium Ecclesiarum civitatis ejusdem apud nos suam de vobis depoluere querelam quòd cùm in Episcoporum electionibus faciendis ipsi ac prædecessores eorum consueverint interesse, vos eis invitis, renitentibus, & exclusis ad faciendam electionem procedere præsumpsistis, quam obhoc non confirmandam sed infirmandam potiùs asserebant. Partibus ergo &c. Nos ergo auditis allegationibus & rationibus partium, & depositionibus ipsis diligenter inspectis, quoniam liquidò deprehendimus testes vestros in perhibendis testimoniis varios extitisse atque adversùs fidem attestationis suæ coram dictis Cardinalibus vacillasse, sicut ipsi nobis postea retulerunt, & quòd negotiationem quodammodo astruere satagebant, probare volentes jus electionis ita quidem ad se spectare quòd ad adversarios minimè pertineret; per testes verò partis adversæ fuit sufficienter ostensum quòd in trium Episcoporum electionibus, de quibus præmissum est, clerici præsentes affuerunt & vocem habuerunt eligendi, præmissam electionem factam eis contradicentibus & exclusis decrevimus irritandam, clericos sæpedictos in eam quasi possessionem quam ante controversiam motam habuerant reducentes. Verùm quoniam in quæstione prædicta quicquid juris utraque pars in electione habebat deductum in judicium videbatur, cùm jure civili sit cantum id venire in judicium, non de quo actum est ut veniret, sed id non venire de quo nominatim actum est ne veniret, & secundùm statuta canonica electiones Episcoporum ad cathedralium Ecclesiarum clericos regulariter pertinere noscuntur, nisi forte alibi secùs obtineat de consuetudine speciali, nec ex eo quòd clerici antedicti se inter eligentes Sutrinos Episcopos probaverint tertiò extitisse, jus eligendi propter brevitatem temporis usque ad præscriptionem legitimam non producti sibi acquirere potuerunt, & actore non probante, qui convenitur, etsi nihil præstiterit, obtinebit, ab eorum impetitione super electionibus faciendis vos duximus absolvendos, prædictis Ecclesiarum clericis super hoc silentium perpetuum imponentes.

IDEM CANONICIS Bethleemitanis.

Cap. Cùm super, de cau. poss.

CVm super electione Bethleemitanensi inter R. Subdiaconum nostrum & P. Canonicum sepulcri dominici nuper in nostra præsentia quæstio verteretur, utroque se pro electo gerente, cùm primus etiam à venerabili fratre nostro Patriarcha Hierosolymitano fuerit confirmatus, alter verò favorem regium obti-

neret, eis dilectum filium P. Basilicæ xii. Apostolorum, I. tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyterum, & G. sanctæ Mariæ in porticu Diaconum Cardinales dedimus auditores; in quorum præsentia receptis utrinque testibus, & eorum depositionibus publicatis, quæ hincinde allegata fuerunt nobis & fratribus nostris retulerunt fideliter & prudenter. Nos verò tam per relationes Cardinalium quàm per gesta de causæ meritis sufficienter instructi, communicato fratrum nostrorum consilio jam dictum Subdiaconum nostrum, qui se probaverat per secularem potentiam spoliatum, restituendum decrevimus justitia mediante. Verùm quoniam tam possessorium quàm petitorium deductum fuerat in judicium, & tam restitutionis quàm electionis quæstio plenius actitata, constitit nobis electionem utriusque minùs canonicam extitisse, cùm judex de qua re cognoverit, & pronuntiare debeat juxta canonicas sanctiones, utramque duximus sententialiter irritandam. Cap. 1. de confess. Ceterùm quoniam W. Canonicus Bethleemitanensis fuit in jure confessus quòd pro præstando alterius electioni consensu quingentorum sarracenatorum obligationem receperat & promissum, & mediator extitit simoniacæ pravitatis, nos intelligentes contractum hujusmodi continere simoniacam pravitatem, quam persequi volumus, ut debemus, ipsum ab omni ordine clericali per diffinitivam sententiam duximus ab omni officio & beneficio ecclesiastico deponendum.

Idem Burgensi & Paletensi Episcopis.

OLim nos dedisse meminimus in mandatis ut venerabilem fratrem nostrum Ovetensem Episcopum ad debitam restitutionem partis Zamorensis diocesis, quam tenebat, cum perceptis fructibus cogeretis, si dilectum filium fratrem Raynerium, priùs quàm super hoc mandatum apostolicum adimpleret, viam ingredi contingeret omnis carnis. Verùm quia inanis est actio quam inopia debitoris excludit, mandamus quatenus non priùs Episcopum ipsum ad restitutionem fructuum compellatis quàm ipse taliter fuerit restitutus ut restituere possit quod percepit de proventibus alienis.

Idem Narniensi Episcopo.

Lib. 1. epist. 177. DIlectus filius Abbas de Ferentillo conquerens de nobilibus viris dominis de Atavo suam proposuit quæstionem quòd præfati nobiles, nulla requisitione præmissa, manu armata ad castra monasterij Ferentilli venientes in prædis animalium & damnis aliis usque ad cccc. vel. Luc. damnificare dictum cœnobium præsumpserunt. de quibus justitiam sibi fieri postulabat. Cui citra litis contestationem sub forma exceptionis fuit ex adverso responsum quòd per ipsius dolum & violentiam castrum sacratum amiserant, & in aliis multis usque centum marcas se spoliatos dicebant, petentes priùs restitui quàm ipsius petitionibus responderent. Verùm ex parte Abbatis fuit taliter replicatum, quòd libello suo secundùm regulam juris, qua dicitur ut qui prior appellat, prior agat, debebat primitus responderi, nec pro damnis illatis restitutio postulari, sed ad ea debebat actio competens intentari. Ceterùm ex parte Abbatis regulam introductam adversa pars in mutuis petitionibus locum habere dicebat, cùm causæ vicissim tractatæ una postea sententia terminantur. Nos verò distinguendum esse putantes utrum spoliationis quæstio ab eisdem nobilibus sit objecta in modum actionis ad restitutionem petendam, an in forma exceptionis ad intentionem adversarij repellendam, cùm ea in modum actionis proposita intelligantur diversæ petitiones sese minimè contingentes, ac per hoc juxta regulam juris præmissam quæ priùs esset proposita, priùs foret tractanda, quamquam in idem judicium ambæ deductæ vicissimque tractatæ simul essent eadem sententia terminandæ. Sed quoniam illa quæstio fuit ab eisdem nobilibus tantùm in modum exceptionis objecta, pronuntiavimus ut probationes eorum super ipsa exceptione primitus audirentur, & ea probata legitimè non cogerentur Abbati respondere super petitionibus memoratis donec restituerentur ab ipso, cùm spoliatus spoliatori non cogatur ante restitutionem ullatenus respondere. Spoliatione tamen in modum tantùm exceptionis probata, non est per hoc restitutio facienda; quemadmodum cùm in modum exceptionis aliquod testi crimen obicitur, ut sic à testimonio repellatur, etsi crimen contra eum civiliter probatum fuerit, non ideo sibi pœna infligitur ordinaria, sed ejus dumtaxat testimonio non creditur. quod ea ratione contingit, quoniam in ipsum actio non procedit. Testes etiam quorum testimonium reprobatur,

inter infames, quasi ex falso testimonio, non habentur.

TITULUS XXVIII.

Si quis deficiat in exceptione probanda.

Cap. 5. de dolo & contum.

FInem litibus cupientes imponi, ne partes ultra modum graventur laboribus & expensis, præsertim cùm de beneficiis & officiis ecclesiasticis litigatur, quæ sine dispendio diù vacare non possunt, præsenti decreto statuimus ut postquam intentionem suam altera pars fundaverit, si reliqua fortè voluerit legitimam exceptionem opponere, quam nolit aut nequeat in continenti probare, quia frequenter ad impediendum vel differendum processum exceptiones hujusmodi per excogitatam maliciam opponuntur, ad solvendas alteri moderatas expensas ex tunc in judicio faciendas, cùm acceptis induciis in probatione defecerit, condemnetur; & si solvendo non fuerit, aliàs secundùm arbitrium discreti judicis puniatur; ut hoc saltem timore perterritus non facilè quis in gravamen alterius falsas exceptiones opponat.

TITULUS XXIX.

Quòd judiciarius vigor gratis sit omnibus exhibendus.

Idem Prælatis & clericis Lombardiæ.

Lib. 1. epist. 376.

CVm ab omni specie mala præcipiat Apostolus abstinere, nos, qui, licèt indigni, constituti sumus à Deo super gentes & regna, ut juxta verbum propheticum evellamus & destruamus, ædificemus & plantemus, summopere debemus satagere quatinus evellamus vitia & plantemus virtutes, destruamus iniqua & ædificemus honesta, sicque nostra sollicitudine mediante prava transeant in directa & aspera vertantur in plana. Licèt autem hujus nostræ sollicitudinis labor generaliter debeat ad omnes extendi, quia sapientibus sumus & insipientibus debitores, specialiter tamen ad clericos, qui dormire debent à vitiis, ut sint pennæ columbæ deargentatæ, ne quid in illis appareat quod obfuscet candorem ecclesiasticæ puritatis. Sanè ad audientiam apostolatus nostri multorum assertione pervenit quòd cùm ex delegatione nostra causas suscipitis pertractandas more secularium super decima litis, vel parte alia, pro diversa terrarum consuetudine; præter expensas victualium, cum litigantibus receptis pignoribus pro salario conventis, quæ postmodum usque ad solutionem pecuniæ, nolentibus etiam partibus, contenditis detinere, non attendentes quòd ad hoc vobis & aliis clericis sunt ecclesiastici redditus deputati ut ex ipsis honestè vivere debeatis, ne vos oporteat ad temporalia lucra manus extendere vel ad iniqua munera oculos inclinare. Cùm igitur opera vestra lucere debeant laicis in exemplum, nec vos decear instar secularium ad temporale compendium juris occasionem arripere, universitati vestræ præcipiendo mandamus quatinus ab hujusmodi exactionibus de cetero abstinentes vigorem judiciarium gratis studeatis litigantibus impertiri, non obstante quòd in fraudem à quibusdam proponitur quòd id exigatur nomine assessorum, cùm nec justum judicium judici vendere liceat, & venales sententiæ ipsis etiam secularibus legibus reprobentur.

TITULUS XXX.

De sententia & re judicata.

Idem Decano & Cancellario Laudunensi.

SIcut nobis vestris litteris instimastis, cùm causa quæ inter H. Subdiaconum & V. Presbyterum super quinque frumenti modiis vertebatur, qui dicebantur ipsi H. per annos singulos exsolvendi, ex delegatione nostra vobis commissa fuisset, & partibus in vestra præsentia constitutis idem H. restitutionem sibi fieri postularet, adversarius se ad hoc non teneri respondit, eùm alia vice super hoc coram judice conventus fuerit & sententialiter absolutus. quod ostendere voluit duorum testimonio sacerdotum, ex quorum depositionibus vobis constitit quòd magister A. ex parte venerabilis fratris nostri Episcopi Laudunensis V. Presbyterum per judicium absolvit ab impetitione Subdiaconi memorati. Verùm quia testimonium eorum quasi nudè prolatum fuerat, ut de allegationibus & testibus quæ judicem movere solent ad sententiam proferendam nil se scire dixissent, variatum fuit inter jurisperitos à quibus consilium postulastis, aliis asserentibus tale testimonium non valere, aliis sentientibus quòd valeret. Vnde in hac ambiguitate quid tenendum sit sedem duxistis apostolicam consulendam. Cùm verò in pluribus locis, in quibus copia

Lib. 1. epist. 48.

prudentium habetur, id moris existat, ut causæ quæ judicem moveant non existimantur in sententiis proferendis, vobis taliter respondemus, quòd cùm ex depositionibus testium prædictorum constiterit vobis sententiam à judice suo fuisse prolatam, propter auctoritatem judiciariam præsumi debet omnia legitimè processisse.

Idem Abbati sancti Zenonis.

Cap. 13. de sent. & re jud.

CVm inter vos ex una parte &c. *Et infrà.* Quantum ad litigantes ipsos jus ex sententia factum fuit postquam in rem transiit judicatam, etiamsi contra jus constitutionis expressè lata non fuerit, veritate gestorum sermonibus prævalente, quæ præsumuntur rite per omnia celebrata.

TITULUS XXXI.

De sententia excommunicationis.

Idem Abbati & conventui sancti Germani Altisiodorensis.

Vide gesta Abbatum S. Germani Altissiodor. c. 13.

GRavis ex parte vestra fuit in auditorio nostro querela proposita quòd venerabilis frater noster Altisiodorensis Episcopus & Presbyteri ejusdem diocesis homines vestros absque manifesta & rationabili causa, non servato juris ordine, excommunicationi subiciunt pro suæ arbitrio voluntatis. Volentes igitur gravamini vestro paterna sollicitudine providere, si prædictus Episcopus & Presbyteri in homines vestros excommunicationis sententiam absque manifesta & rationabili causa & juris ordine non servato duxerint promulgandam, eam decernimus non tenere, & vos auctoritate apostolica divina eis officia celebretis.

Idem Assisinanensi Episcopo.

Lib. 2. epist. 166.

SIcut nobis tuis litteris intimasti, cùm aliquos tuæ diocesis clericos vel laicos culpis suis exigentibus excommunicationi supponis, ipsi postmodum ad te, nulla satisfactione præmissa, sine testimonialibus litteris redeuntes, dicunt se absolutionis beneficium recepisse. Quibus si credi debeat in hac parte, per nos instrui simpliciter postulasti, cùm propter causam hujusmodi, sicut dicis, tuæ sententiæ à subditis contemnantur. Nolentes itaque maliciis hominum indulgere, fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd nisi excommunicati à te super absolutione sua litteras nostras vel illius cui vices nostras in hac parte commisimus reportarint, aut alio modo legitimo de illorum tibi absolutione constiterit, tu eorum absolutioni fide non habita, ipsos pro excommunicatis ut priùs habeas & facias evitari.

Idem Archiepiscopo, Decano, & Præcentori Lugdunensi.

CVm pro causa quæ inter dil. fil. &c. *Et infrà.* Si vobis constiterit F. Archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum fuisse & expressisse tantùm alteram in litteris quas super absolutione sua ab apostolica sede obtinuit, ipsum tamquam excommunicatum satisfacere Ecclesiæ suæ de altera, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Cap. 17. de sent. excom.

Idem Colimbriensi & aliis Episcopis Portugalensibus.

CVm in partibus vestris peccatis exigentibus sæpe contingat diversa loca interdicto supponi, quando generale vel particulare dici debeat interdictum, apud vos accepimus in dubium revocari, cùm illi qui ab Ecclesia Romana decorari privilegio meruerint, videlicet ut cùm generale interdictum terræ fuerit, liceat eis clausis janius, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressa voce, divina officia celebrare, interdicto particulari se asserant non artari, asserentes illud interdictum generale duntaxat quando regnum vel saltem provincia tota subditur interdicto. Propter quod & justitia sæpius deperit, & prælatorum sententiæ contemnuntur, cùm in aliis interdictis promptiùs divina celebrent, & suspensis organis aliorum, ipsi pulsatis campanis & apertis janius quoslibet passim recipiant ad divina. Ne autem diversa interpretatio discordiæ causam inter vos ulteriùs & odij fomitem valeat ministrare, vel quod interdictum dici debeat generale amodo in dubium revocetur, significatione vobis præsentium intimamus quòd cùm in privilegio de regno vel provincia nihil expressè dicatur, nomine terræ non solùm regnum vel provinciam intelligi volumus, verùm etiam villam & castrum, ùt & in his locum habeat quod de generali dicitur interdicto, videlicet ut cùm villa vel castrum generali subjicitur interdicto, præscripta privilegij forma debeat observari.

Lib. 1. epist. 534.

Vide Baluzij notas ad Concil. Narbon. an. 1090.

* Nidrosiensi

*Idem * Nidronensi Archiepiscopo.*

Lib. 1. epist. 381.

QVòd in dubiis nostro postulas certificari rescripto, ut juxta illud tuæ discretionis arbitrium modereris, fraternitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus. Sanè consuluit nos tua fraternitas utrum altare in quo excommunicatus divina celebrare præsumpsit reconsecrari debeat, & an sit communicandum excommunicato qui quòd staret mandato Ecclesiæ juratoriam præstitit cautionem, sed nondum absolutionis beneficium est adeptus, & si excommunicato communicare aliquis, & qui etiam teneatur. Quæsivisti etiam quæ pœna his fuerit injungenda qui excommunicatis volentes communicant, vel inviti. Ad hæc autem fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd nec altare in quo excommunicatus celebrat debet, nisi aliud interveniat, consecrari, nec excommunicato, licèt quòd stet mandato Ecclesiæ juramento firmarit, communicari debet, donec fuerit per Ecclesiam absolutus. alioqui post juramentum non esset absolutio necessaria. Vtrum autem si absolutionis beneficium non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excluserit, tali vel saltem in morte communicare sit licitum, quia minimè per tuas litteras requisisti, ad præsens non duximus respondendum. Nullus autem omnino nominatim excommunicato scienter communicare tenetur, nisi quædam personæ quæ per illud Gregorij Papæ capitulum *Quoniam multos* specialiter excusantur. Illi autem qui nominatim excommunicatis præsumptuosè participant, præter personas dicto canone denotatas, nisi ab eorum participatione commoniti fortè destiterint, excommunicationis sunt vinculo innodandi. Secùs autem si ei scienter communicant qui cum participibus suis est vinculo excommunicationis sententialiter innodatus. Tunc enim & ipsi sententiam excommunicationis incurrunt. Altare verò in quo tabula cui consecrationis benedictio pontificali ministerio adhibetur, si mota fuerit vel enormiter fracta, debet non immeritò consecrari. Nec negamus quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri. Clerici autem qui excommunicati, vel ab excommunicatis scienter ad ordines sunt promoti, debent ab ordine sic suscepto deponi.

Idem Doctoribus decretorum Bononiensibus.

Cap. 31. de sent. excom.

INter alia quæ venerabilis frater noster Nidrosiensis Archiepiscopus dudum apostolatui nostro proponi fecit humiliter consulendo, illud etiam, si bene meminimus, inquisivit, utrum excommunicato communicare quis & qui etiam teneantur. Cui super illo recolimus articulo respondisse quòd nullus omnino nominatim excommunicato tenetur communicare scienter, nisi quædam personæ quæ per illud Gregorij Papæ capitulum *Quoniam multos* specialiter excusantur. Verùm ex hac nostra responsione magna quibusdam, sicut accepimus, exorta est occasio disputandi, aliis concedentibus quòd excommunicato communicare tenentur personæ in prædicto capitulo nominatæ, præsertim quæ priùs ad communicationem eorum ex debito tenebantur; aliis asserentibus eos excommunicatis communicare licitè posse, si velint, non tamen ex hoc ex necessitate teneri. Vt igitur unde jus prodiit, interpretatio procedat, ambiguitatem hujusmodi taliter duximus absolvendam, cùm quòd quædam personæ in præmisso capitulo denotatæ illis in quos lata fuit excommunicationis sententia subsequenter ante prolationem ipsius obsequi tenerentur & familiariter adhærere, neque postmodum ad contrarium teneantur, cùm adhuc ipsum debitum duret beneficio canonis id agente, priore non sunt obnoxietate solutæ, sed ad familiare tenentur obsequium, & ita per consequentiam ad communionem quoque tenentur, sine qua illud nequeunt exhibere. Id autem non ad omnes personas capituli credimus referendum, ut videlicet obnoxietati hujusmodi sint subjectæ, cùm viatores, peregrini & mercatores à communione talium personarum, nisi articulus necessitatis immineat, debeant abstinere, sicut ejusdem canonis serie colligitur manifestè, sed ad illas dumtaxat quæ talibus artiori tenentur obnoxietate constrictæ, quibus tamen in his pro quibus sunt excommunicatione notatæ, ut in criminibus, communicare non debeant, sed ab eis penitùs abstinere. Vnde prudenter in præmissa consultatione respondemus, non omnes personas, sed quasdam, quæ per illum Gregorij Papæ canonem specialiter excusantur, ad communionem hujusmodi præmisso modo reneti. Vtrum autem & illæ personæ propter atrocitatem facinoris severiùs punien-

di, à communione talium per excommunicationis sententiam debeant aliquando prohiberi, quia quæsitum non extitit, responsum non fuit.

Idem Laur.... Episcopo.

Lib. 1 epist. 66. NVper à nobis tua fraternitas requisivit quid sit de illis laicis sentiendum qui clericos violenter, sine læsione tamen, in custodia detinent publica vel privata, vel etiam detrudunt in vincula, utrum in canonem latæ sententiæ incidant, ut ipso facto sint vinculo excommunicationis innodati, sicut illi qui manus in clericos iniciunt temerè violentas, & utrum qui nominatim excommunicatis scienter communicant, absolvi ab excommunicatione possint per confessionem à simplici sacerdote, vel Episcopi seu Archipresbyteri sit ab eis absolutio expetenda. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter duximus ex ordine respondendum, quòd in primo consultationis articulo non credimus laïcos pœnam excommunicationis evadere, quamvis eorum facto corporalis læsio non fuerit subsequuta, citra quam violentia sæpius circa clericos nequiter perpetratur. In secunda verò quæstione credimus distinguendum, an is qui nominatim excommunicato scienter communicat, in crimine communicet criminoso, ei consilium impendendo, auxilium, vel favorem, aut aliàs in oratione, vel osculo, vel orando secum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cùm talis & communicet crimini & participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eundem delinquere qui damnavit, ab ejus superiore meritò delicti tunc erit absolutio requirenda, cùm juxta canonicas sanctiones facientes & consentientes pari pœna plectantur. In secundo verò casu, à suo Episcopo vel proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere. Quamvis enim & tunc non judicis sed illius sententia excommunicato communicans sit ligatus, quia tamen conditor canonum solutionem ejus sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi. Is qui juxta primum modum excommunicato communicat, cum juramento debet absolvi. Qui verò juxta secundùm modum illi participat, reconciliari poterit sine juratoria cautione. Verùm si difficile sit ex aliqua justa causa quòd ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo ut præstita juxta formam Ecclesiæ cautione quòd excommunicatoris mandato parebit, à suo absolvatur Episcopo vel proprio sacerdote.

Idem Spirensi, Argentinensi, & Vvarmaciensi Episcopis.

QVantæ præsumptionis & temeritatis existat in rectores Ecclesiæ manus inicere violentas in evangelio Dominus protestatur, qui se in ministris suis asserit, & in Apostolorum principe alibi se perhibuit iterum crucifigi. Hoc etiam pœnæ qualitas manifestè declarat, cùm excommunicationis in ipso actu feriat delinquentes, si non solùm in fratres & coëpiscopos nostros, sed & in minoris ordinis clericos violentiam præsumpserint operari. Neautem solos violentiæ hujus actores aliquorum præsumptio crederet taliter puniendos, facientes & consentientes pari pœna canonica censura condemnat, eos etiam delinquentibus favere interpretans qui, cùm possint, manifesto facinori desinunt obviare. Dist. 83. c. Error.

Idem B. Magistro scholarum & Vvalberto canonico Tarvisino.

SVper eo quo nos vestra discretio requisivit, videlicet quid faciendum sit de his qui captioni bonæ memoriæ Belunensis Episcopi, ex qua dinoscitur à quibusdam aliis crudelissimè interemptus, se diabolico instinctu interfuisse fatentur, si ad Ecclesiam redire voluerint, in qua sine forma recipiendi ab ea, vobis taliter respondemus, quòd cùm tam enorme flagitium debita velimus severitate punire, ne facilitas veniæ incentivum præbeat delinquendi, si communioni fidelium reconciliari desiderant, ad sedem apostolicam veniant absolvendi, nisi fortè articulus mortis immineat, vel hostilitas impediat capitalis, quibus in utroque casu, recepta secundùm formam Ecclesiæ sufficientissima cautione quòd vestris debeant obedire mandatis, absolutionis beneficium nostra auctoritate potestis impendere; ita tamen quòd opportunitate recepta, suscepturi mandatum, ad sedem apostolicam accedere non postponant. Vide Lib. 4 ep. 27.

Idem Abbati sancti Andreæ.

ANobis est sæpe quæsitum, utrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit quò minùs reconcilietur Lib. 2. epist. 61.

ecclesiasticæ unitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus, & utrum pro tali recipienda sit eleemosyna, & à fidelibus sit orandum. Vt autem quod intendimus per suppositionem exempli apertiùs exprimamus, quidam Presbyter & Canonicus regularis, sicut per tuas nobis literas intimasti, cùm publica laboraret infamia quòd ad quandam conjugatam accederet, maritus ejusdem mulieris & consanguinei ejus in eum manus injecerunt temerè violentas. propter quod per Episcopum denuntiati sunt excommunicationis sententiæ subjacere. Verùm ipsi postmodum ad eundem Episcopum accedentes, præstito in manibus ejus quòd parerent judicio Ecclesiæ corporaliter juramento, in mandatis receperunt ab ipso quòd propter hoc apostolico se conspectui præsentarent. Cùmque unus illorum se ad iter accingeret veniendi, à quibusdam suis æmulis est peremptus & extra cimiterium Ecclesiæ tumulatus. Et licèt contra interfectores amici & consanguinei interfecti graviter sint commoti, eis tamen omnem rancorem remitterent & offensam, dummodo interfecti cadaver traderetur ecclesiasticæ sepulturæ. Videretur igitur forsan in hoc casu quibusdam quòd cùm sacramentum non necessitatis articulus sed contemptus religionis excludat, & judicium Ecclesiæ divinum debeat judicium imitari, cùm etiam in interfecto prædicto manifesta pœnitentiæ signa præcesserint, & propter hoc absolutus apud Deum esse credatur, absolutus ab Ecclesia sit habendus. Sed è contrario, cùm ex sola culpa ligetur quis, quoad Deum, apud triumphalem Ecclesiam, ex sola sententia ligetur, quoad hominem, apud Ecclesiam militantem, quando vinculum culpæ remittitur, absolvitur apud Deum, sed apud homines non absolvitur nisi quando vinculum sententiæ relaxatur. Alioquin Ecclesiæ absolutio nullatenus necessaria videretur, si in sola cordis contritione præter sacerdotale officium rigor relaxetur ecclesiasticæ disciplinæ. Nos igitur consultationi tuæ de consilio fratrum nostrorum brevitet respondemus, quòd judicium Dei veritati, quæ nec fallit nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem prosequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli, & propter quod contingit interdum ut qui ligatus est apud Deum, absolutus apud Ecclesiam sit, & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus. Vinculum ergo quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissolvitur. Illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cùm sententia remittitur, relaxatur. quod in suscitatione Lazari sermo evangelicus manifestat, quem priùs Dominus suscitavit, & Apostolis præcepit postmodum solvere suscitatum. Vnde quantumcumque prædictus se juramento præstito quòd Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantumcumque in eo pœnitentiæ signa præcesserint, quia tamen morte præventus absolutionis non potuit beneficium obtinere, quamvis apud Deum absolutus fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri, sic ut cum de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat quòd Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi ac solvendi homines super terram, tamquam non possit solvere & ligare sub terra sepultos, & quod legitur ne communicetur mortuo cui non est communicatum & vivo; cùm etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus religionis sed necessitatis articulus impedivit, & in certis casibus à canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos & solvisse. Vt autem in uno pariter eodémque negotio & servemus rigorem & mansuetudinem ostendamus, statuimus ut illius mortui absolutio à sede apostolica requiratur, qui, cùm viveret, ab apostolica sede fuerat absolvendus. Aliorum autem absolutionem ex præmissa causa ceteris indulgemus à quibus, cùm viverent, fuerant absolvendi. Absolutionis autem forma servetur, ut fiat cum pœnitentiali psalmo & tam oratione dominica quàm alia consueta. Heredes tamen ipsius ad satisfactionem faciendam pro ipso, si commoniti parere noluerint, per districtionem ecclesiasticam compellantur.

Titulus XXXII.

De his qui excommunicati ad ecclesiasticos ordines promoventur.

Idem Episcopo sancti Andreæ.

Significante venerabili fratre nostro Andegavensi Episcopo per literas suas

nos accepisse cognoscas quòd cùm R. clericus natione Scotus in sua diocesi maneret gratia studiorum, in præterita quadragesima ordinationi suæ, licèt sub interminatione anathematis esset inhibitum quòd ad eam non accederet ignotus aliquis vel etiam non vocatus, ingerere se præsumpsit tam inopia consilij quàm lubrico minoris ætatis deceptus, & ita in Subdiaconum est promotus. Cùmque per ejusdem clerici confessionem lacrymabilem ad ipsius & dilecti filij P. sanctæ Mariæ in vialata diaconi Cardinalis tunc apostolicæ sedis Legati notitiam quæ præmisimus pervenissent, præfatus Episcopus de mandato ipsius Cardinalis eum à vinculo excommunicationis absolvit, sicut suis nobis literis intimavit, quærens quid esset super hujusmodi faciendum. Nos igitur simplicitatem clerici attendentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta duximus intimandum quoniam si quod in te deliquit se faciendo per alium in Subdiaconum ordinari, ei duxeris remittendum, nisi aliud quid obsistat canonicum, & in ordine suscepto de mansuetudine ministrare poterit & ad alios etiam promoveri.

Ejusdem.

Cap. 32. de sent. exc.

CVm illorum absolutio qui pro violenta manuum injectione in clericos labem excommunicationis incurrunt, præterquàm in quibusdam casibus à prædecessoribus nostris exceptis, sedi dumtaxat apostolicæ tesservetur, nonnulli ecclesiasticam negligentes sententiam in excommunicatione positi ecclesiasticos ordines accipere non formidant. Quid autem fieri debeat de hujusmodi, apostolicum sæpius oraculum imploratur. Circa quos credimus, sicut reperitur in subditis, distinguendum, quòd tales vel sciunt excommunicationis sententia se irretitos, vel non recolunt factum pro quo in canonem latæ sententiæ inciderunt, vel factum quidem scientes, juris ignari, nesciunt inde se teneri. Primos, si fuerint seculares, à subreptis ordinibus censemus in perpetuum deponendos. In reliquis casibus tam Archiepiscopi quàm Episcopi absque mandato sedis apostolicæ speciali dispensandi facultatem se noverint non habere, quibus est etiam absolutio talium interdicta, & majora intelligantur illis prohibita quibus vetita sunt minora. Poterunt tamen hæc Romani Pontificis auribus intimari, ut ab eo secundùm rigorem vel æquitatem responsum prodeat, prout sua discretio viderit faciendum. Quòd si claustrales hujusmodi fuerint, licèt à bonæ memoriæ Alexandro Papa prædecessore nostro fuerit constitutum quòd monachi & Canonici regulares, quocumque modo se in claustro percusserint, non sint ad apostolicam sedem mittendi, sed secundùm providentiam & discretionem Abbatis disciplinæ subdantur, & si Abbatis discretio ad eorum correptionem non sufficit, providentia est diocesani Episcopi adhibenda, & alibi dicat quòd de seculo fugientes, qui religionis habitum in monasterio receperunt, & inter cetera postmodum confitentur se tale commisisse delictum per quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrerunt, sine licentia Romani Pontificis Abbas nec potest nec debet absolvere; quamvis præsumptionem delinquentium debita possit animadversione punire. Nos tamen in religionis favorem, ut evagandi materia subtrahatur, uberiorem eis gratiam exhibere volentes, quòd etiam talibus absolutionis beneficium valeant impertiri, eorum Abbatibus indulgemus, nisi excessus ipsorum extiterit difficilis & enormis, utpote si ad mutilationem membri vel effusionem sanguinis est processum, aut in Episcopum vel Abbatem violenta sit manus injecta, cùm excessus tales & similes sine scandalo nequeant præteriri. Si verò claustralis aliquis in religiosam personam alterius claustri manus injecerit violentas, per Abbatem proprium & ejus qui passus est injuriam absolvatur. Quòd si clericum percusserit secularem, non nisi per apostolicam sedem, ut scandalum evitetur, absolutionis poterit gratiam promereri. Si autem & hos ad ordines promoveri contingat, juxta præmissam districtionem, qui scienter in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ se fecerint ordinari, ab executione suscepti officij decernimus manere suspensos. Circa reliquos verò facti memoriam vel juris peritiam non habentes, monasteriorum utilitate pensata, post injunctam regularem pœnitentiam & peractam, Abbates ipsorum poterunt dispensare, nisi grave fuerit & notabile factum, aut is qui fecit adultus fuerit & discretus, ut violenter & validè contra oblivionem vel ignorantiam præsumatur. Præcipimus autem Abbatibus ut formam istam diligenter observent, ne privilegium mereantur amittere si concessa sibi abusi fuerint potestate.

TITULUS

TITULUS XXXIII.

De his qui minores ordines & subdiaconatum vel duos sacros ordines simul recipiunt.

Idem Episcopo.... & Abbati sanctæ Leucadiæ.

ACcedens ad præsentiam nostram dilectus filius D. pauper sacerdos sua nobis insinuatione monstravit quòd cùm primos quatuor ordines & subdiaconatum à bonæ memoriæ Exoniensi Episcopo insimul recepisset, & postmodum, eo defuncto, à successore ipsius in Diaconum fuisset promotus, ac demum ipso defuncto, à venerabili fratre nostro Exoniensi Episcopo fuerit in Presbyterum ordinatus, quia eidem Episcopo fuit quorundam relatione suggestum ipsos præfatos quatuor ordines & subdiaconatum insimul recepisse, eum officio beneficióque privavit, licèt dilectus filius P. Capellanus sanctæ Mariæ de Barrinovo in præsentia tua, frater Episcope, testimonium perhibuerit quòd tot simul idem sacerdos recepit ordines, de ordinatoris sui beneplacito processisse. Cùm igitur in hoc præfatus sacerdos dinoscatur potiùs ex ignorantia quàm astutia deliquisse, præsertim cùm ordinator suus eidem insimul duxerit tot ordines conferendos, & secundùm Apostolum faciliùs consequi valeat indulgentiam quoniam ignoranter deliquit, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus præfato Presbytero, si verum est quod proponitur, officium beneficiúmque faciatis restitui, nec permittatis propter hoc à quoquàm molestatione indebita fatigari.

Idem Æ. Mutinensi Episcopo & magistro Vb. Theologo Subdiacono nostro Modiocensi Canonico.

Cap. 13. de temp. ordin. LIteras vestras recepimus responsivas super inordinata ordinatione A. Imolensis electi, quem G. Bononiensis Episcopus præcedenti sabbato in Diaconum, & sequenti Dominica continuato jejunio in Presbyterum ordinavit. in quo quantum uterque deliquerit, evidenter intelligit qui prudenter attendit. Si enim utrumque ordinem eodem die illi conferri non licuit, pari non licuit ratione unum ordinem uno die & alterum altero jejunio continuato conferri, cùm propter continuationem jejunij fictione canonica, sive mane diei dominicæ trahatur ad sabbatum, sive vespere sabbati ad diem dominicam referatur, profectò mane cum vespera, seu vespera cum mane, ad eundem diem pertinere dicetur. Nam si, quantum ad hunc necessitatis articulum pertinet, mane ad unum diem, & vespere referretur ad alterum, cur esset continuatio jejunij necessaria, cùm & sabbato ante cœnam & dominica ante prandium intelligamus esse jejunij? Ne autem si factum hujusmodi sub silentio transiremus, id alij licitum reputantes similia facere attemptarent, & sic facti perversitas traheretur à posteris in exemplum, præfatum Bononiensem Episcopum, ut puniatur in quo deliquit, à collatione diaconij scilicet & presbyterij, alterum verò ab executione sacerdotalis officij volumus manere suspensos, donec de ipsis aliter disponamus. Vt igitur mandatum apostolicum debitum consequatur effectum, per apostolica scripta mandamus quatenus quæ præmissa sunt faciatis tam ipsis Episcopis quàm per Bononiensem & Imolensem dioceses publicari.

TITULUS XXXIV.

De his qui favorem præstant pugnantibus, & homicidiis sponte vel non sponte commissis.

Idem Nidrosiensi Archiepiscopo.

QVòd in dubiis &c. *Et infrà.* Sanè consuluit nos tua fraternitas quid de Presbyteris sit agendum qui gubernant naves ad pugnam, & his qui alios incitant, sed non pugnant. Ad hæc fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd quia tam sacerdotes qui gubernant naves ad pugnam, quàm qui personaliter exercent pugnæ conflictum, & hi qui alios incitant ad pugnandum, enormiter peccant, de rigore canonico credimus deponendos. Lib. 1. epist. 381.

Idem Archiepiscopo & Archidiacono Senonensi.

EXposuit nobis dilectus filius M. Presbyter de Stabulis quòd cùm olim inviratus à quibusdam pueris de manu unius illorum arcum receperit & sagittam, & eam dirigere voluerit in arborem quæ obstabat, manu errante, sagitta eadem discurrens per aërem puerum quendam valde distantem modicùm vulneravit in capite, propter quod idem puer postmodum creditur expirasse. Quod cùm idem Presbyter bonæ memoriæ G. prædecessori tuo,

frater Archiepiscope, sponte curasset humiliter confiteri, ipse pœnitentiam & confessionem ipsius attendens, super beneficio Ecclesiæ de Stabulis, quam in archidiaconatu tuo, fili Archidiacone, adeptus fuerat, misericorditer dispensavit ut ipsum quoad viveret possideret, mandans eidem ut ad sedem apostolicam accederet mandatis super officio apostolicis pariturus. Quia verò in hoc non ex voluntate, sicut asserit, sed casu deliquit, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si verum est quod asseritur, factam cum eo misericordiam attendentes, quod à dicto Archiepiscopo factum est ratum habentes & firmum, eum super beneficio prædicto propter hoc nullatenus molestetis aut patiamini ab aliis molestari.

Idem Linconiensi Episcopo.

Cap. 13. de homic. Dilectus filius A. Capellanus in nostra præsentia constitutus sua nobis confessione monstravit quòd cùm quadam corporis molestia gravaretur, ita quòd somni & cibi desiderium raptum videretur ab eo, ut comedendi appetitum aliquantulùm excitaret, equum quem nutrierat ascendit; qui cùm non plenè pareret habenis, sed præter sessoris arbitrium suis calcibus lasciviret, ipse, ut ejus refrænaret impetum, & fræno vim intulit, & equum calcaribus stimulavit, cùmque fracto fræno equus quasi proprio relictus arbitrio curreret festinanter, ei mulier quædam veniens ex obliquo & infantulum bajulans obviavit; in quam equus irruens, procul projecto sessore, puerum prædictum oppressit, & Capellanus ipse ex repentino casu vix mortis periculum evitavit; sed ad ultimum convalescens, divina celebrare postmodum non præsumpsit. Quia verò nobis non constitit de præmissis, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus super his inquiras diligentiùs veritatem, & si rem inveneris taliter processisse, cùm idem Capellanus nec voluntate nec actu homicidium perpetraverit, nec dederit operam illicitæ rei, non impedias quò minùs divina possit officia celebrare.

Idem Paduano Episcopo.

Cap. 16. eod. Significasti nobis per literas tuas quòd cùm H. Clericus cum Archipresbytero sancti Fidantij equitaret, equus cui insidebat tam se quàm ipsum projecit in aquam. Vnde clericus ipsum graviter calcaribus stimulavit. Equus verò, ut literarum tuarum verbis utamur, cùm extiteret bucca durus, præter voluntatem sessoris raptus in cursum & malè parens habenis, quandam mulierem, quam obviam habuit, ex improviso pedibus interfecit. Cùmque nos ab eodem clerico fecissemus inquiri utrum equi vitium priùs scivisset, illud se asseruit ignorasse. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus inquiras super his diligentiùs veritatem; & si rem inveneris taliter processisse, ad majorem cautelam injungas eidem clerico pœnitentiam competentem; quâ peractâ, nequaquam impedias quò minùs & in susceptis ministret ordinibus & ad majores valeat promoveri.

Idem Metensi Episcopo.

Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus quòd cùm lator præsentium N. Presbyter fœnum vellet de curru deponere, perticam superiùs alligatam, cùm neminem circa currum videret, projecit in terram, & cum fœno insisteret deponendo, quidam prope ipsum accedens puerum quendam juxta currum reperit semivivum, in quo præter modicum livoris in fronte nihil invenire potuit lesionis. Nos autem ab eodem quæsivimus sacerdote si priusquàm deiceret perticam, circumspexisset sollicitè an esset aliquis juxta currum, qui quòd diligenter circumspexisset asseruit, sed quòd vidisset aliquem denegavit. Ad te igitur remittentes eundem, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si res ita se habet, nisi contra eundem Presbyterum grave scandalum sit exortum, vel tanta laborat infamia quòd deficiente accusatore oportet ei canonicam purgationem indici, ipsum liberè permittas exequi officium sacerdotis. Cap. 14. eod.

Idem Oscensi & Tyrasonensi Episcopis.

Diaconus & monachus sancti Iohannis de Pinna sua nobis insinuatione [monstravit] quòd cùm in seculari adhuc habitu constitutum in Ecclesia de Rigulo quoddam beneficium obtinentem Abbas ipsius Ecclesiæ illum eodem beneficio spoliasset, cognati & amici eius Abbati sæpius supplicarunt ut beneficium restitueret memoratum; quo nolente ipsorum precibus acquiescere, irati plurimùm & commoti, nocte quadam in domo Diaconi convenerunt, & cœna facta dixerunt quòd vindictam volebant sumere de Abbate. Inhibiti

autem expresse à Diacono ne Abbatem occiderent vel aliquid ei facerent unde ordinis sui discrimen incurrerent & animæ detrimentum, in eum nihilominus irruerunt, & plagis impositis abierunt semivivum relicto, unde post dies aliquot spiritum exhalavit. Ab illo autem tempore usque hodie prædictus Diaconus de eo quod contigerat tristis effectus, ab administratione cessavit, & nondum expleto biennio habitum induit monachalem. Vnde à nobis petiit suppliciter edoceri utrum posset in officio Diaconi ministrare, & si hoc ei liceret, an posset ad majorem promoveri. Licèt autem, si præmissis veritas suffragatur, præfatus Diaconus super Abbatis interitu non videatur fuisse culpabilis, quia tamen bonarum mentium est culpam agnoscere ubi culpa non est, quòd ab administratione officij se propria voluntate suspendit vel habitum regularem [induit] sibi non ad peccatum adscribimus, sed ad meritum reputamus. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si præmissa noveritis veritate subnixa, sæpedictum Diaconum non solùm in diaconatus officio ministrare sed etiam ad ordinem presbyteratus ascendere, si aliud canonicum non obstiterit, liberam concedatis auctoritate apostolica facultatem; præsertim si super hoc non fuerit respersus infamia, cùm ei non debeat imputari quòd contra prohibitionem ejus expressam, eo causam vel occasionem non dante, ausu sacrilego proponitur à consanguineis attentatum, divina scriptura testante quòd anima quæ peccaverit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filij, quamvis hoc ipsum verius ad æternam quàm ad temporalem referatur vindictam.

Idem rectori, judicibus, consulibus, & populo Beneventano.

CVm impunitas scelerum parere consueverit audaciam delinquendi, sic malefactorum excessus animadversione sunt debita puniendi ut & ipsi pœniteant de commissis, & ceteri qui audierint, suam à consimilibus metu pœnæ retrahant voluntatem. Licèt enim ex apostolicæ servituris officio sollicitudo nobis immineat generalis, de illis tamen qui spiritualiter & temporaliter nostræ sunt jurisdictioni subjecti nos oportet sollicitiùs cogitare; quatenus sub nostro regimine boni digna recipiant præmia meritorum, & malos debitæ ultionis pœna castiget. Audivimus equidem, & non potuimus non moveri, quòd G. filius R. civis Beneventani diabolico inebriatus veneno, Dei & nostro timore postposito, & honore civitatis Beneventanæ abjecto, I. D. S. dum consulatus fungeretur officio interfecit, & pater ac frater interfectoris, qui tam atroci sceleri personaliter interfuisse dicuntur, licèt in præsentia vestra se nostro juraverint conspectui præsentare, ad nos tamen, sicut credimus, non venerunt, immo tam prædictus homicida quàm ipsi in civitate Beneventana non metuunt, sicut audivimus, commorari. Volentes igitur ut malefactorem prædictum & fautores ipsius debita pœna percellat, & civitas Beneventana similem in posterum valeat evitare jacturam, præsentium auctoritate statuimus ut memoratus homicida de cetero Beneventanam civitatem non audeat introire, nec hereditatis paternę percipiat aliquam portionem; immo pars ejus, si patrem præmori fortè contigerit, ad opus curiæ reservetur, nec unquam in eadem civitate prævaleat aliquod officium gerere dignitatis, nisi fortè fuerit illi concessum ex indulgentia sedis apostolicæ generali. Hoc etiam de futuris temporibus decrevimus observandum de illis qui judices, consules regales, vel alios ministeriales curiæ vulnerare aut interficere qualibet temeritate præsumpserint. Patrem autem & fratrem homicidæ jamdicti tamdiu extra civitatem vestram præcipimus permanere donec ad præsentiam nostram accedant & ad vos cum literarum nostrarum testimonio revertantur.

Titulus XXXV.

De his qui ad Ecclesiam confugiunt.

Idem Regi Corraciæ.

INter alia quæ nobis regalis prudentia tuis literis intimavit, quid de illis fieri debeat qui maleficia perpetrantes confugiunt ad Ecclesias, ut pro reverentia loci sacri debitas pœnas valeant evitare, sollicitè requisivit. Nos ergo tuis inquisitionibus respondentes juxta sacrorum canonum instituta & traditiones legum civilium, ita duximus in hujusmodi distinguendum, quòd confugiens ad Ecclesiam vel liber vel servus existit. Si liber, quantumcumque gravia maleficia perpetrarit, non est violenter ab Ecclesiis extrahendus, nec inde donari debet ad mortem & Cap 7. de Imm. eccl.

Lib. 5. capitular. c. 155. & Addit. III. c. 50.

pœnam, sed rectores Ecclesiarum obtinere vitam & membra. super eo tamen quod iniquè fecit est legitimè componendum. Et hoc verum, nisi publicus latro fuerit vel nocturnus populator agrorum, dum itinera frequentata & in publica strata obsidet aggressionis insidiis, pro facinoris magnitudine, cùm & communem utilitatem impediat & nocere omnibus moliatur, ab Ecclesia extrahi potest, impunitate non præstita, secundùm canonicas sanctiones.

Concil. Aurelian. I. c. 3.

Si verò servus fuerit qui confugit ad Ecclesiam, postquam de impunitate sua dominus ejus clericis juramentum præstiterit, ad servitium domini sui redire compellitur & invitus. alioquin à domino poterit occupari. Tu ergo, fili carissime, cùm in regno tuo aliquid horum contigerit, juxta præmissam distinctionem sic procedere studeas quòd honor Ecclesiarum & emunitas servetur illæsa, & malignandi facultas pravæ voluntatis hominibus auferatur.

Titulus XXXVI.

Quòd monasteria monachorum possint in canonicos-regulares converti.

Idem Colocensi Archiepiscopo.

CVm nobis, licèt immeritis, in apostolicæ sedis specula consistentibus sit universarum Ecclesiarum sollicitudo commissa, de statu illarum sollicitudinem nos convenit gerere diligentem & providere attentè ut per fratres & coëpiscopos nostros, cùm non possimus ubique nostram præsentiam corporaliter exhibere, possint in melius reformari. Ex parte siquidem tua nostris est auribus intimatum quòd cùm bonæ memoriæ An. antecessor tuus monasterium sancti Stephani protomartyris situm in loco qui dicitur Keu concessisset fratribus sancti Abraham de valle Ebron, monachis nigri ordinis propter dissolutionem suam inde remotis, & iidem fratres sancti Abrahain bona ejus dilapidando, & ducendo vitam nimiùm dissolutam, ipsum deduxissent ad nimiam paupertatem, bonæ memoriæ C. Papa prædecessor noster & nos etiam tibi dedimus in mandatis ut restitutioni ejusdem monasterij provideres, tuo committentes arbitrio utrum prædicti fratres sancti Abrahæ tolerandi, an monachi nigri essent in ipso monasterio reducendi. Tu verò, sicut accepimus, fratres sancti Abraham propter dissolutionem suam inde penitùs abjecisti, & nos per petitionem tuam duxisti super provisione ipsius monasterij requirendos. Ideoque mandamus quatenus si per monachos Ecclesiam illam videris reformari non posse, in ipsa Ecclesia Canonicos instituas regulares, qui secundùm regulam beati Augustini devotum ibi Domino famulatum impendant, & per eorum religionem locus ipse in melius tuo * faciente reformetur.

Titulus XXXVII.

Si regulares ad seculares Ecclesias possint in prælatos assumi.

Idem Vbaldo plebano sancti Gavini.

Cap. 5. de statu monach.

QVòd Dei timorem præ oculis habeas ex fructibus tuis colligitur evidenter, cùm opera quæ facis testimonium perhibeant veritati. Vnde tuum propositum in Domino commendamus. Sanè, sicut jam dudum auribus nostris insonuit, quondam desiderans ad frugem vitæ melioris transire, officium plebani resignans, coram fratribus sancti Victoris Bononiensis promissionem de tua conversione fecisti, neque professionem solemnem emittens, neque habitum religionis assumens. Sed nobilis vir Comes Albertus & parrochiani plebis ejusdem attendentes te laudabiliter præfuisse, ac de recessu tuo eidem loco jacturam non modicam imminere, desiderium tuum hactenus retardarunt, à venerabili fratre nostro Florentino Episcopo impetrantes ut ministrares ibidem. Hoc etiam dilectus filius noster P. basilicæ duodecim apostolorum Presbyter Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legatus, pensata utilitate plebis proponitur annuisse, quod jam dicti Comes & populus à nobis ratum haberi suppliciter postularunt; præsertim cùm de licentia Prioris sancti Victoris Bononiensis dinosceris hactenus id fecisse. Licèt autem in Lateranensi Concilio de monachis caveatur ne singuli per villas & oppida seu per quascumque parrochiales ponantur Ecclesias, sed in majori conventu aut cum aliquibus fratribus maneant, ne soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent, Salomone dicente *Væ soli, quia si ceciderit, non est qui sublevet eum*, quia tamen istud de Canonicis regularibus specialiter non cavetur, qui etsi à sanctorum monachorum consortio non putentur sejuncti, re-

gulæ tamen inserviunt laxiori, & per antiquos canones etiam monachi possunt ad partochialium Ecclesiarum regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium, quod privilegiatum est, exercere, sic annuendum duximus postulatis, ut plebani exercens officium, si commodè fieri poterit, unum Canonicum regularem tecum habeas ad cautelam, cujus in his quæ Dei sunt & regularis observantiæ tam consortio quam solatio perfruaris.

Titulus XXXVIII.

Quòd Canonici regulares ad religionem hospitalariorum transire non possint.

Idem Ci. Lubussensi Episcopo.

Referente dilecto filio fratre V. hospitalario nostro est apostolatui reseratum quòd cùm à tempore juventutis suæ secundùm institutiones Canonicorum regularium Aurovvasiensis Ecclesiæ beati Augustini regulam professus fuisset, & in ea ultra decennium permanens, sacros ordines usque ad sacerdotium suscepisset, juventute postmodum impellente, curiositate potiùs quàm religionis amore devictus, terram Hierosolymitanam & alias videre desiderans, ab Abbate suo non tam voluntariam sub eadem conditione licentiam obtinuit quàm extortam ut si bonæ memoriæ Alexandrum Papam prædecessorem nostrum inveniret in viam, causam itineris sibi exponeret, & juxta mandatum vel procederet vel rediret. Verùm ipse neglecta conditione procedens suscepit habitum hospitalis, in cujus servitio usque ad hæc tempora fideliter laboravit. Sed cùm ordo præmissus districtioris sit observantiæ quàm secundus, prudenter attendens quòd de laxiore ascendendum sit ad ordinem arctiorem, non autem de arctiore ad laxiorem sit ratione aliqua descendendum, ad se Domino inspirante reversus, ad bonum redire desiderat quod dimisit. Cùm itaque non mediocriter delinquat qui minus bonum majori bono præponit, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatinus inquisita super præmissis diligentiùs veritate, si rem inveneris ita esse, præfato fratri V. licentiam auctoritate apostolica præbeas ad primum ordinem redeundi.

Titulus XXXIX.

De voto & habitus susceptione.

Idem Aconensi Episcopo.

Sicut nobis est ex parte tua propositum, quidam clericus cùm ægritudine nimia laboraret, quasi de morte securus, & de recuperanda sospitate desperans, habitum Canonicorum regularium petiit & accepit, ea in susceptione habitus exprimens ac promittens quæ solent in hujusmodi repromitti. Sed nec ad Ecclesiam transiit, utpote infirmitate gravatus, nec bonis suis uti cessavit. Postmodum verò sospitate suscepta, post quindecim annos & ultrà, videntibus & scientibus venerabili fratre nostro Archiepiscopo & dilecto filio Priore & Canonicis Ecclesiæ Nazarensis, à quibus habitum susceperat regularem, tu, licèt eo tempore quo habitum susceperat, in Ecclesia Nazarena Prioris sollicitudinem exerceres, immemor eorum quæ facta fuerant circa ipsum, in Aronensem eum Canonicum suscepisti. Quia verò quid super hoc facere debeas, per nostras expostulas literas edoceri, fraternitati tuæ duximus respondendum, quòd si regularem habitum se postulante suscepit & ad observationem religionis canonicæ sua se professione ligavit, ad resumendum habitum ecclesiastica est districtione cogendus, cùm quòd tanto tempore extra canonicam mansit, non in excusationem ejus, sed in majoris transgressionis augmentum meritò valeat allegari. Lib. 1. epist. 517.

Idem Episcopo & Capitulo Traguriensi.

Sicut tenor vestrarum literarum nobis aperuit, cùm P. lator præsentium in sacerdotali esset officio constitutus, & tanta rerum temporalium indigentia laboraret quòd nec sibi nec suis progenitoribus seu fratribus in necessitatibus propriis posset aliquatenus providere, proprij corporis laboribus & maris periculis multis se non dubitavit exponere, ut de suo labore & acquisitione honesta suam & suorum posset indigentiam relevare. Contigit autem post hæc quòd ipse longè à vestra civitate consistens tam gravi cœpit ægritudine laborare quòd extra se positus desperaret de vita præsenti; & cùm in tali esset articulo constitutus, à quodam simplici monacho indutus fuit habitu monachali, & ad monasterium deportatus. Deinde Lib. 1. epist. 18.

paucis diebus elapsis, cùm jam esset in principio suæ convalescentiæ, deposuit habitum, & de licentia ejusdem loci Abbatis monasterium reliquit; & cupiens progenitorum indigentiis subvenire, à vobis suppliciter postulavit ut, sicut priùs, posset in sacerdotali officio ministrare & vobiscum pariter conversari. Quid autem super bis vobis fuerit faciendnm sacro apostolicæ sedis oraculo humiliter petiistis edoceri. Nos igitur vestræ consultationi taliter duximus respondendum, quòd licèt ista duo inter se repugnantia videantur, ut scilicet quisquam sit extra se positus, & de præsenti vita desperet, si tamen eo tempore quo positus extra mentem asseritur, indutus fuit habitu monachali, cùm alienatus non sentiat, ac per hoc non valeat consentire, Presbyterum præfatum denuntietis ab observatione monastici ordinis absolutum, nisi postquam mentis suæ factus est compos, voluntate spontanea professionem fecerit monachalem.

Idem Pisano Archiepiscopo.

Lib. 2. epist. 455. AD apostolicam sedem, quæ disponente Domino cunctorum fidelium est magistra, super diversis articulis quæstiones dubiæ referuntur, ut quod ab ea fuerit super earum solutione responsum, indubitanter ab omnibus teneatur. Ex parte si quidem tua tales nuper suscepimus quæstiones, quòd cùm monachum fieri ante unius anni probationem regularis institutio interdicat, monachi & moniales in tua diocesi constituti tam clericos quàm laïcos utriusque sexus, sanos pariter & infirmos, religionis habitum volentes assumere, nutu etiam aliquo profitentes, interdum absque omni professione recipiunt, quandoque professionem illico facientes. Vnde multa mala noscuntur sæpius provenire, cùm infirmi ad monasterium jam translati & emissa professione, postqnam de infirmitatibus convaluerint, habitum religionis abiciant, & ad propria revertantur. Contingit etiam tales in propriis domibus remanere, cùm monachi per eos, dum vivunt, nolunt sua monasteria prægravari. Sani etiam sic absqne probatione recepti retro aspicientes, matrimouia contrahunt, rejecto babitu regulari; de quibus si habitum religionis assument ante unius anni probationem vel temporis competentis, utrum facta professione à talibus vel omissa, debeant monachi reputari, & si conjugatus converti desiderans sit recipiendus in monachum nisi uxor perpetuam continentiam repromittat, certificari à se apostolica postulasti. Nos ergo quæstionibus tuis taliter ex ordine respondemus, quòd licèt tempus probationis à sanctis patribus sit indultum, non solùm in favorem conversi, sed etiam monasterij, ut & ille asperitates istius & istud mores illius valeat experiri, quod utrinque diligenter est observandum, præsertim cùm ab utroque de reliquo certa notitia non habetur, quia tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum is qui converti desiderat, habitum recipit & professionem emittit, Abbate per se vel per alium professionem recipiente monasticam & monachalem babitum concedente, uterque renuntiare videtur ei quod pro se noscitur introductum, obligetur quidem per professionem emissam pariter & acceptam ad observantiam regularem, & verè monachus est censendus, quia multa fieri prohibentur quæ, si facta fuerint, obtinent firmitatem. Prohibendum est tamen Abbatibus ne passim ante tempus probationis quoslibet ad professionem recipiant, & si contra formam præscriptam qnoslibet indiscretè receperint, animadversione sunt debita corrigendi, cùm in subsidium fragilitatis humanæ spatium probationis sit regulariter institutum. Cùm autem vir & uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti possit ad Deum & altera in seculo remanere, profectò non est alter conjugum recipiendus ad observantiam regularem nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat, vitam quoque debeat mutare, nisi fortè ejus sit ætatis ut sine suspitione incontinentiæ valeat remanere.

Idem Abbati de Flore.

PORrectum nobis ex parte tua petitorium continebat quòd I. Canonicus Acheruntinus infirmitate gravatus votum ut fieret monachus se asseruit emisisse. unde metuens ne voto decederet non completo, junctis manibus tibi se reddidit in monachum & in fratrem. alij qnoque in absentia tua sese in manibus sacerdotum monachos se fieri denoventes, sani facti ad vomitum redierunt; & cùm familiares monasterij tui antea extitissent, quia non fuerunt ad antiquam familiaritatem admissi, adversarij facti sunt pro amicis. Vtrum ergo talia facta dissimulare valeas, ne fiant deteriores, an compellendi sint Cap. 13. de regul.

ad complenda promissa, per nos postulas edoceri. Nos ergo inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd cùm monachum faciat non habitus, sed professio regularis, ex quo à convertendo votum emittitur & recipitur ab Abbate, ut talis fiat monachus & reddat Domino quod promisit, erit utique non immeritò compellendus.

Idem Vlixbonensi & Colimbriensi Episcopis.

Lib. 2. epist. 232.

INsinuante V. nobili muliere nostro est apostolatui reseratum quòd dudum puella & in annis teneris constituta M. Sacracij accepit in virum, post cujus obitum à quibusdam curialibus fuit Regi Legionensi pro relictæ copula supplicatum. Quod dum ad consanguineorum ejus notitiam devenisset, ut maritum acciperet ei sub attestatione regia suggesserunt. Ipsa verò quod tunc nollet nubere protestante, consilium accepit ab eis quòd votum emitteret castitatis. Hoc autem in manibus cujusdam de fratribus sancti Augustini eo fecit adjecto tenore, ut in domo propria cum omni sua substantia remaneret. Sanè in ejusdem ordinis habitu biennio pòst mansit, licèt id se invitam fecisse & coactam asserat tam metu regio quàm parentum. Post hæc eidem Regi quæ fecerat indicavit. Quod approbans vetuit ne quis ea nolente domum intraret ipsius vel exinde aliquid asportaret. Interim verò tempore modico elabente, P. curialis regias literas secum portans, & F. Farnandi, dictæ mulieris domum intrantes, ut ipse P. vi saltem eam duceret in uxorem, acceperunt ab ipsa quòd si eam idem P. duceret, ipsius manibus interiret. Post hæc verò dimissis domo & omnibus quæ habebat, in domo cujusdam Iudæi per tres, in Ecclesia verò sanctæ Mariæ de Ociga per sex latitans septimanas, ita quòd exinde propter necessitates humanas egredi non auderet; tandem se coactam videns & omnibus destitutam, & attendens nihilominus quòd invita votum emiserat, eo dimisso de parentum consilio P. Michaelis publicè fuit matrimonialiter copulata, de quo quatuor sustulit filios tempore procedente. Verùm quia salutem animæ omnibus desiderat anteferre, ac metuens quòd hujusmodi conjunctio licita non existat, quid super his tenere debeat, edoceri responso nostro suppliciter postulavit. Nos ergo attendentes quòd in emissione voti quod præstitit nulla vel modica coactio affuisset, quam patientia & perseverantia sequentis temporis penitùs promulgavit, & quod sequens conjunctio potiùs iniqua fuit & violenter extorta, mandamus quatenus si præmissis veritas suffragatur, præfatam feminam ad malè dimissum religionis habitum resumendum & servandum quod vovit monere ac inducere procuretis, & si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam coërcere.

Idem Cantuariensi Archiepiscopo.

Cap. 8. de voto & vo. red.

QVòd super his sedem apostolicam consulere decrevisti quorum executio spectat ad officium pastorale, fraternitatem tuam in Domino commendamus, sperantes quòd per responsionem nostram instructus ea diligentiùs exequaris. Quæsisti sanè de his qui pro succursu terræ sanctæ signo crucis assumpto propter infirmitatem vel paupertatem aut aliam justam causam votum peregrinationis non possunt utiliter adimplere, quid tibi sit faciendum, cùm per apostolica scripta sine distinctione receperis in mandatis ut eos qui signum crucis assumptum abjecerunt, ad resumptionem ipsius & executionem voti per censuram ecclesiasticam appellatione remota compelleres, non obstante aliqua indulgentia, si fortè à prædecessore nostro fuerat impetrata. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd debiles & inopes magis illuc in defectum quam ad profectum accedunt, cùm isti pugnare non possint & illi mendicare cogantur; nisi fortè sint nobiles & magnates qui suis secum expensis bellatores adducunt, vel artifices & agricolæ, qui de laboribus suis sibi possunt acquirere necessaria & terræ subsidia ministrare. quamvis non multi talium propter brevitatem possessionum & paucitatem inhabitantium ibi sint opportuni. Vnde credimus distinguendum inter illos qui temporalem & eos qui perpetuam impedimenti causam creduntur habere, quòd primis est indulgenda dilatio, secundis autem est redemptio injungenda, ac rerum facultate pensata, quas possuntaut quas facturi essent expensas, personarum præterea recompensato labore, in subsidium terræ sanctæ transmittant, exequentes per alios quod per se nequeunt adimplere. Rursus inter illos qui pro defensione terræ sanctæ votum peregrinationis emittunt, & eos quibus pro satisfactione suorum criminum iter peregrinationis injungitur, credimus distinguendum. Quocirca primos plus ter-

ræ sanctæ succursus, & circa secundos plus labor itineris, secundùm intentionem voventis vel pœnitentis, debet attendi. Vnde si quis hoc modo voventium est inutilis ad pugnandum, quamvis habilis ad eundum, melius est redimere votum quàm expensas consumere. quod & de pœnitente qui propter debilitatem non potest iter injunctæ peregrinationis implere, sanè valet intelligi, non autem de illo qui quamvis sit impotens ad bellandum, potens est tamen ad eundum. Super his autem diligens est adhibenda discretio, ne quid prece vel pretio, amore vel odio, sive occasione quacunque contra salutem animæ vel utilitatem terræ quomodolibet attentetur. Vnde per viros religiosos & probos dispensationem hujusmodi volumus provideri. De mulieribus autem hoc credimus observandum, ut quæ remanere noluerint, viros suos sequantur euntes; ceteræ verò, nisi fortè sint divites, quæ secum in suis expensis possint ducere bellatores, votum redimant quod voverunt, aliis ad terræ sanctæ subsidium singulis secundùm proprias facultates diligenter inductis.

Cap. 7. de fide instrum. Quæsisti præterea quid agere debeas circa illos qui dicentes se ab apostolica sede redire, super absolutione sua ignota Cardinalium sigilla reportant, cùm eis super impedimentis expositis non fuisset de levi credendum. Ad quod fraternitati tuæ taliter duximus respondendum, quòd cùm nos, si quando talibus literas apostolicas indulgemus, illis qui personas & facultates eorum pleniùs cognoverint scribamus ut super impedimentis expositis inquisita diligentiùs veritate statuant circa illos quod animarum saluti & succursui terræ sanctæ magis noverint expedire, attentiùs providentes, sicut superiùs continetur, ne quid in fraudem voti fallaciter confingatur, si tales per veritatis suppressionem aut falsitatis expressionem literas non solùm Cardinalium sed & nostras, nec solùm dubias, sed & certas constiterit impetrasse, carere volumus impetratis, & eis in nullo prorsùs obstantibus ad executionem vel redemptionem voti compelli præcipimus appellatione remota, sicut superiùs est expressum.



TITULUS XL.

De matrimonio.

Idem Parisiensi Episcopo.

CVm omnia orta occidant & aucta senescant, ne operum Domini primitiæ penitùs deperirent, posuit Deus sementem juxta species suas in aliquibus creatorum, ut quæ super cursum temporis deficerent in se ipsis, in sua semente proficerent, & in reparatione sui generis uberiùs prosilirent. Sic etiam ne homo ad imaginem Dei factus, & tam volucribus cœli quàm piscibus maris & universis animantibus quæ moventur super terram munere divino prælatus, in sterilem cinerem sterilis ipse rediret, formata muliere in auxilium ejus de latere dormientis audivit *Crescite & multiplicate & replete terram.* Cùm ergo ex tunc Adæ posteritas sibi invicem jungi consueverit fœdere nuptiali, usque adeo in hoc ipsi comparata est etiam post lapsum parentis dextera conditoris ut juxta illud evangelicum, *Quod Deus conjunxit homo non separet*, non humanæ adinventioni, sed divinæ auctoritati potiùs adscribatur matrimonij sacramentum. Propter quod licèt inter homines contrahatur, significatur tamen in Christo conjunctio Ecclesiæ & animæ fidelis ad Christum juxta illud Apostoli: *Hoc autem dico magnum sacramentum in Christo & in Ecclesia.* Vnde quantum in nobis est Ecclesiæ filiis debemus summo studio præcavere ne si quis impiè agens in se ipsum partem sui corporis, quia scindere eam omnino non potest, à se forsan avellere attentarit, animam suam divinæ bonitatis amplexibus efficiat alienam, & propter hoc totam Ecclesiam tanto ampliùs sibi reddat offensam quanto providum minùs figuram dispensationis ejus ad Christum, quantum etiam in ipso fuerit, maculaverit. Hæc autem non ad instructionem &c.

Idem Ferentino Episcopo.

SIcut ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, cùm L. Parrochianus tuus P. mulierem se ducturam in conjugem in manu patris ejus P. jurantis quòd eam ipsi traderet in uxorem, proprio juramento firmarit, nec per virum steterit, sed per mulierem potiùs, quò minùs matrimonialis inter eos sollemnitas sit secuta, quatuor postmodum vel quinque annis elapsis Lib. 1 epist. 19.

idem

idem L. G. mulierem per verba de præsenti, ut ejus consanguinei asserunt, desponsavit. Propter quod frater prædictæ P. suam deposuit in tua præsentia quæstionem. Quia verò quid super his agendum sit nostro postulas responso doceri, fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd si tibi constiterit quòd idem L. P. mulierem per verba de futuro, G. verò per verba desponsaverit de præsenti, imposita ei pœnitentia competenti, quia primam fidem irritam fecit, nisi forsan juramento certum terminum infra quem dictam P. duceret in uxorem præfixerit, nec per eum steterit quin ad statutum terminum matrimonium consummaret, secundùm contractum legitimum judices, & ad illud servandum eum, si opus fuerit, ecclesiastica districtione compellas, nisi forsan aliud quid obstiterit quod ipsum debeat impedire. Quòd si fortè per verba de futuro sponsalitia cum utraque contraxit, juramentum primum, sicut licitè factum est, ipsum servare compellas, de secundo ei pœnitentiam injuncturus. Quòd si de his tibi non constat ad plenum, tamdiu adhuc cognoscas de causa donec super his sufficientiùs instruaris. Quod enim in attestationibus quas ad sedem apostolicam destinasti de compaternitate habetur, non facit ad causam, cùm neuter contrahentium sit illa persona qua mediante inter parentes eorum compaternitas est contracta.

Idem Matiscano Episcopo.

Lib. 1. epist. 48. Significasti nobis per literas tuas quòd cùm B. vir O. mulierem priùs carnaliter cognitam desponsasset, eam postmodum non cognovit, immo ipsa ad partes alias transeunte, sibi aliam copulavit, ex qua filias & filios jam suscepit. Verùm quia eadem O. ad te reversa, vel virum ipsum sibi restitui postulat, vel dari licentiam contrahendi, & tu quid super his fieri debeat nostris quæris literis edoceri, fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd si dictus vir eam desponsavit per verba de præsenti, ad ipsam cogendus est de jure redire. Quòd si forsan in desponsatione ipsius verbis usus est de futuro, imposita utique pœnitentia de fide meotita, mulieri eidem nubendi cui voluerit in Domino liberam tribuas facultatem.

Idem Mutinensi Episcopo.

Cap. Tua. de spon. duo. Ex parte tua recepimus quòd de consuetudine diù in Mutinensi obtinuit civitate ut si quis jurasset aliquam, & citra carnis copulam desponsasset, si consequenter desponsasset aliam, & etiam cognovisset, primò cognita adjudicaretur viro, non quæ priùs extitit desponsata. Ne verò turpis sit pars quæ suo non congruit universo, & Ecclesia Mutinensis teneat humiliter & observet quod beati Petri sedem & suam metropolim sequi viderit & docere, in matrimoniis de cetero contrahendis illud te volumus observare, ut postquam inter personas legitimas consensus mutuus intervenerit de præsenti, qui sufficit in talibus juxta canonicas sanctiones, & si solus defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur; & si personæ junctæ legitimè cum aliis postea de facto contrahant, quod priùs de jure factum fuerit, non poterit irritari.

Idem Madeburgensi Episcopo.

Discretionem tuam in Domino commendamus quòd in his quæ dubia reputas vel obscura sedem consulis apostolicam, ut in eis de cetero ipsius auctoritate procedas. Cap. 6. De eo qui cogno. Sanè in audientia nostra fuit ex parte tua propositum quòd quidam vir cum muliere quadam legitimè per verba de præsenti contraxit, quam postmodum à se incognitam cuidam consanguineo suo tradidit in quantum poterat renitentem. Ille verò cum ipsa, licèt invita, matrimonij sollemnia celebravit. Sed mulier quàm citiùs fuit reddita libertati, aufugit ab eo, & se priori viro vel priorem sibi restitui cum instantia postulavit. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd & viro pro tam turpi facinore quàm gravis est pœnitentia injungenda, & mulier ipsa propter publicam honestatem est commonenda sollicitè ut nec primum repetat, cujus consanguineus eam, licèt invitam, cognovit, nec redeat ad secundum, qui non potest præter reatum adulterij commisceri, sed in continentia maneat donec prior fuerit viam universæ carnis ingressus. Quòd si forsan ad id induci nequiverit, vir prior redire cogatur ad ipsam & maritali eam affectione tractare, cùm adulterium ei non possit obicere qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam. Nam etsi secundùm evangelicam veritatem nunquam nisi propter causam fornicationis aut vir uxorem aut uxor possit dimittere virum, non tamen semper propter eandem causam vel uxor virum vel vir dimittere valeat uxorem, cùm possit exceptione

vel replicatione legitima impediri. Sed nec affinitas quæ post contractum legitimum inter virum & uxorem iniquè contrahitur, ei debet officere quæ hujus iniquitatis particeps non existit, cùm suo jure non debeat sine culpa sua privari. Quamquam à quodam prædecessorum nostrorum dicatur in simili casu fuisse distinctum, utrum videlicet adulterium vel incestum manifestum fuerit an occultum, aliis asserentibus inter gradum proximum vel remotum esse potiùs distinguendum.

Cap. Super eo. de consang.

Idem Arelatensi Archiepiscopo.

Lib. 1. epist. 355.

CVm apud sedem apostolicam, cui, licèt immeriti, præsidemus, totius ecclesiasticæ disciplinæ resideat magistratus, dignum est & consonum rationi ut quotiens circa negotia varia & diversa quicquam dubitationis emerserit, ad ipsius judicium recurratur, quæ disponente Domino inter omnes Ecclesias obtinere meruit principatum. Sanè consuluisti nos per nuntios & literas tuas utrum mutus & surdus alicui possit matrimonialiter copulari. Ad quod fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd cùm prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, ut quicquid non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiat ad matrimonium solus consensus eorum dequorum quarumque conjunctionibus agitur, videtur quòd si talis velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari quod cùm verbis non possint, signis valeant declarare.

Idem Vivariensi Episcopo.

ACcedens ad præsentiam nostram B. mulier latrix præsentium sua nobis insinuatione monstravit quòd cùm N. viro legitimè conjuncta in lapsum carnis instigante diabolo incidisset, tandem quòd neuter eorum repeteret alterum mutuò jurarunt, & licèt ipsa continentiam observarit, vir tamen ejus nequaquam voluit continere. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus nisi commoniti continentiam curaverint observare, tu, si res ita se habet, præfatum virum ut eam recipiat & maritali affectione pertractet monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, cùm nec adulterium ei possit adulter opponere, nec etiam juramentum obsistat quod de non repetendo, non autem de non recipiendo, præstitum fuisse narratur.

Idem Nitiniensi Episcopo.

COnstitutus in præsentia nostra Hugo Vitalis lator præsentium humillima nobis insinuatione monstravit quòd cùm esset in acolythatus ordine constitutus quandam puellam R. nomine in facie Ecclesiæ duxit uxorem, cùmque aliquandiu cohabitassent insimul, & ipse eam carnaliter cognovisset, orta discordia inter eum & amicos puellæ coram te, [habito] diligenti tractatu, prædicta puella fuit cuidam alij Vitali nomine copulata, & tu memoratum Hugonem usque ad gradum sacerdotij ordinasti, & eidem Ecclesiam concessisti. Cùm autem eum sua conscientia remorderet, & de consilio quorundam religiosorum habitum Cisterciensis ordinis assumpsisset, tandem N. Abbati suo omnia prædicta revelavit; qui eum commonuit diligenter ut super hoc saluti suæ animæ provideret. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si res ita se habet, prædictam R. ut recedat à præfato Vitali, cui per adulterium est conjuncta, nec præscriptum monachum impetat quò minùs regulare votum valeat adimplere, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo cogere non omittas.

Cap. 5. de conv. conjug.

Idem Mananensi Episcopo & Archidiacono Bangoranensi.

POstulavit à nobis dilectus filius Princeps Norvvaliæ ut de concessione nostra sibi liceret filiam dilecti filij Principis insularum subarratam ab ipso accipere in uxorem, nonobstante quòd patruo ejus eadem infra nubiles annos extitit desponsata, cùm tamen à neutro traducta fuisset. Verùm quoniam nobis constare non potuit cujus ætatis puella tempore subarrationis vel desponsationis extiterit, & cui antea fuerit, puta nepoti vel patruo, desponsata, cùm secundùm diversitates factorum jura etiam sint diversa, in hujusmodi certum non potuimus dare responsum, quoniam juxta canonicas sanctiones in rebus ambiguis non est absolutum judicium proferendum. Quocirca mandamus quatenus sollicitè inquiratis utrum puella septennium non attigerit quando subarrata extitit à nepote vel patruo desponsata. In utroque namque istorum casuum, quia tam subarratio quàm desponsatio de jure non tenuit, quæ non potest septennium prævenire, quod factum est à patruo primò vel

postea non obstante, nisi aliud quid impediat, puella eadem legitimè contrahere poterit cum nepote. Si verò tam subarrationis quàm desponsationis tempore septennis extitit vel majoris ætatis, cùm extunc incipiant placere sponsalia, si præcessit desponsatio patrui, non potuit contrahere cum nepote; quoniam secundùm traditiones & observantias regulares nullus potest sponsam consanguinei sui accipere in uxorem, & ij duo casus non ad imparia judicantur. Si autem subarratio facta cum nepote præcessit, quod secutum fuit postea non tenente, cùm per secundùm factum non potuerit primum dissolvi, quod quantum ad sponsalia fortitum fuerit firmitatem, volentibus personis principalibus matrimonium inter eos poterit consummari. Si verò nepos eam ante septennium subarravit, & patruus in septennio vel post septennium desponsavit, idem nepos eam propter rationem præmissam ducere non poterit in uxorem. Sin vice versa, eam sibi legitimè poterit.

Idem Conrado & Petro quondam filiis Malebrac.

Lib. 1. epist. 325.

AD dissolvendum quod factum fuit inter I. filium nobilis viri L. de Monumento & S. filiam quondam Matthæi de Fortibrachio super matrimonio contrahendo, accusatione super consanguinitate proposita, & tam ex parte juvenis quàm ex parte puellæ consanguinitatis gradibus computatis, cùm eam velletis idoneis testibus comprobare, de consilio fratrum nostrorum pronuntiavimus inter dictos juvenem & puellam nec matrimonium nec sponsalia fuisse contracta, cùm constet puellam nondum ad septennium pervenisse. Quocirca nec accusatio locum habebat, cùm non esset quod posset legitimè accusari, denuntiati non poterat consanguinitas, ut interdiceretur matrimonium contrahendum.

Idem Mensicensi Episcopo.

ALiquo dubitationis scrupulo emergente, ea quæ incerta videntur sancti patres ad sedis apostolicæ decreverunt oraculum perferenda. Quorum siquidem vestigia laudabiliter imitatus, à nobis inquirere studuisti utrum inter duos parrochianos tuos matrimonium quod, puella probante infra nubiles annos se ductam à viro fuisse, de consilio dilecti filij P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis tunc apostolicæ sedis Legati per divortij sententiam diremisti, possis redintegrare licenter, cùm eadem puella jam nubilem ætatem attingens consensum adhibeat, & nullus ex eis ad alia vota se duxerit transferendum. Ad quod tibi taliter respondemus, quòd nisi aliam causam rationabilem intervenire cognoveris, securus ad copulam ipsius matrimonij tibi patet absque aliqua dubitatione processus.

Idem Rosan. Archiepiscopo.

QVòd super his atticulis qui tibi aliquam dubitationem inducunt nostrum ducis consilium requirendum, & ad ea exequenda quæ officium postulant pastorale, apostolicæ sedis procuras auxilium invocare, sollicitudinem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, & postulationibus tuis grato animo respondemus. Significasti siquidem nobis quòd in dioecesi tua patet & filius matrem & filiam, duo cognati duas cognatas, avunculus & nepos duas sorores ducunt in conjugium. Super quo taliter tibi duximus respondendum, quòd licèt omnes consanguinei viri sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris affines sint viri, inter consanguineos tamen viri & consanguineos uxoris ex eorundem, viri videlicet & uxoris, conjugio nulla prorsùs affinitas est contracta propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Lib. 1. epist. 161.

Idem Ferrariensi Episcopo.

QVanto te novimus in canonico jure peritum, tanto fraternitatem tuam ampliùs in Domino commendamus quòd in dubiis quæstionum articulis ad apostolicam sedem recurris, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est & magistra, ut opinio quam in eis quondam habueras, dum alios canonici juris peritiam edoceres, vel corrigatur per sedem apostolicam vel probetur. Sanè tua nobis fraternitas suis literis intimavit quòd altero conjugum ad hæresim transeunte, qui relinquitur ad secunda vota transire desiderat & filios procreare. quod utrum possit fieri de jure, per easdem nos duxisti literas consulendos. Nos igitur consultationi tuæ de communi fratrum nostrorum consilio respondentes, distinguimus, licèt quidam prædecessorum nostrorum sensisse aliter videantur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter la- Lib. 1. epist. 50.

batur in hæresim vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo vel saltem non absque blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus quod dicit Apostolus, *Si infidelis discedit, discedat, frater enim & soror non est servituti subjectus in hujusmodi*, & canonem in quo dicitur quòd contumelia creatoris solvit jus matrimonij circa eum qui relinquitur. Si ergo alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quòd in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare, licèt in hoc casu major appareat contumelia creatoris. Namsi matrimonium verum, quod inter fideles existat non tamen est ratum, inter fideles autem verum quidem & ratum existit, quòd sacramentum fidei, quod semel admissum nunquam amittitur, ratum efficit conjugij sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. Nec obstat quòd à quibusdam forsan obicitur, quòd infidelis relictus non debeat suo jure sine culpa privari, cùm in multis casibus hoc contingat, ut si alter conjugum incidatur. Per hanc autem responsionem quorundam malitiæ obviatur qui in odium conjugum, vel quando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim ut ipsi à conjugibus nubentibus resilirent. Per hanc ipsam responsionem illa solvitur quæstio, qua quæritur utrum ad eum qui vel ab hæresi vel ab infidelitate revertitur, is qui permansit in fide redire cogatur.

Cap. Si infidelis. 28. q. 1.

Idem Livoniensi Episcopo & eis qui cum ipso sunt fratribus.

Cap. Deus qui, de divor. & cap. 6. de vit. & hon.

DEus qui Ecclesiam suam nova semper &c. *Et infrà.* Quia verò in matrimoniis contrahendis dispar est ritus eorum à nostro, cùm in consanguinitate vel affinitate distinctionem canonicam non attendant, & relictas fratrum indistinctè sibi consueverint copulare, ne propter hoc à bono proposito, sicut hactenus, retrahantur, cùm nec quidam eorum voluerint credere nisi relictas fratrum eorum pateremur retinere, nec vos eos, nisi tales dimitterent, recipere volueritis ad baptisma, propter novitatem & infirmitatem gentis ejusdem concedimus ut matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur, si tamen fratribus decedentibus sine prole, ut defuncti semen juxta legem Mosaicam suscitarent, cum talibus contraxerunt, ne tales sibi de cetero, postquam ad fidem venerint, copulent prohibentes. Ad hæc, sanctæ memoriæ beati Gregorij Papæ prædecessoris nostris adhærentes vestigiis, ne populus Livoniensis à bono quod cœpit austeriora metuendo recedat, ut in quarta & ulteriùs generatione matrimonium contrahant donec in fide pleniùs solidentur, cum eis auctoritate apostolica dispensamus, non ea intentione concedentes hoc ipsis ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, talibus conjungantur. Nam secundùm Apostoli verbum, *Lac dedi vobis potum, non escam*, illis modò, non posteris temporibus tenenda concessimus, ne, quod absit, exuratur bonum quod adhuc est infirma radice plantatum, sed firmetur potiùs & usque ad perfectionem fideliter conservetur. Cùm autem sacramentum conjugij apud fideles & infideles &c. *Et infra decretum* gaudeamus *usque* crimina dimittuntur. Ceterùm cum pœnitentia non tam secundùm quantitatem excessus, quàm pœnitentis contritionem & discreti sacerdotis sit arbitrium moderanda, pensata qualitate personæ super fornicatione, adulterio, homicidio, & aliis criminibus, consideratis circumstantiis omnibus, & præsertim novitate Livoniensis Ecclesiæ, competentem pœnitentiam delinquentibus injungatis, prout saluti eorum videritis expedire. Apostoli autem vestigiis inhærentes dicentis, ut prædiximus, *Lac dedi vobis potum, non escam*, paulatim, eos instruatis in fide, confessionis formam, orationem dominicam, & symbolum ipsum sollicitiùs edocentes. Interim tamen corporis & sanguinis dominici sacramentum renatis fonte baptismatis consuetis festivitatibus & in mortis articulo tribuatis.

Idem Tiberiadensi Episcopo.

Cap. 8. de divor.

GAudemus in Domino & in potentia virtutis ejus, & patri luminum, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, uberes gratiarum exsolvimus actiones quòd, sicut nobis tuis literis intimasti, diebus istis novissimis ille qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, quòd ad fidem Christianam venirent multorum paganorum

cordibus inspiravit. Et quoniam uxores acceperant in secundo, tertio, vel ulteriore gradu sibi convinctas, utrum sic conjuncti debeant post conversionem suam insimul remanere vel ab invicem separari, edoceri per rescriptum apostolicum postulasti. Super quo fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd cùm sacramentum conjugij apud infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus dicens, *Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*, & in præmissis gradibus à paganis quoad eos licitè sit contractum, qui in constitutionibus canonicis non artantur, (Quid enim ad nos, secundùm eumdem Apostolum, de his qui foris sunt judicare?) in favorem præsertim Christianæ religionis & fidei, à cujus perceptione per uxores deseri se timentes viri possent facilè revocari, fideles hujusmodi matrimonialiter copulati liberè possunt & licitè remanere conjuncti, cùm per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur. Et quoniam pagani circa plures insimul feminas affectum dividunt conjugalem, utrum post conversionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immeritò dubitatur. Quia verò tam Patriarchæ quàm alij viri justi ante legem pariter & post legem multas uxores insimul habuisse leguntur, nec contrarium apparet in evangelio vel lege præceptum, neque pagani subiciuntur institutis canonicis pòst inventis, quemadmodum est præmissum, videtur quòd & nunc juxta ritum suum licitè contrahant cum diversis, quorum conjunctiones legitimas unda sacri baptismatis non dissolvit, & ita Patriarcharum exemplo ad fidem Christi pagani conversi conjugiorum pluralitate gaudebunt. Verùm absonum hoc videtur & inimicum fidei Christianæ, cùm ab initio una costa in unam feminam sit conversa, & scriptura divina testetur quòd *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Non dicit *tres* vel *plures*, sed *duo*. Nec dicit *adhærebit uxoribus* sed *uxori*. Unde Lamech, qui plures simul uxores legitur habuisse, reprehenditur in scripturis eò quòd ipse primus reprobandam bigamiæ speciem introduxit. Licèt autem de hujusmodi non quæsieris, volentes tamen tam te quàm alios super his etiam reddere certiores, & quòd veritas prævaleat falsitati, sine dubitatione qualibet protestamur quòd nulli unquam licuit plures insimul uxores habere, nisi cui divina fuit revelatione concessum, quæ mos quandoque interdum etiam fas censetur, per quam sicut Iacob à mendatio, Israelitæ à furto, & Sanson ab homicidio, sic & isti ab adulterio excusantur. Sanè juridica hæc sententia probatur etiam testimonio veritatis in evangelio protestantis: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Sic ergo uxore dimissa, duci alia de jure non potest. Fortiùs etiam ipsa retenta. Per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cùm non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam. Ceterùm prolem de hujusmodi conjunctionibus natam, quæ secundùm opinionem eorum matrimoniali contrahuntur affectu, post fidem receptam, utilitate publica suadente, legitimam volumus reputari. Qui verò secundùm ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cùm tale repudium veritas in evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente aliam licitè poterit, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat habitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, in quo casu restitutionem petenti, quamvis de injusta spoliatione constaret, restitutio negaretur; quia secundùm Apostolum frater aut soror non est in hujusmodi servituti subjectus. Quòd si conversum ad fidem & illa conversa sequatur antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur. Et quamvis secundùm evangelicam veritatem qui duxerit dimissam mœchetur, non tamen dimissor poterit opponere fornicationem dimissæ, pro eo quòd nupserit alij post repudium, nisi aliàs fuerit fornicata.

Cap. 15. qui filij sunt legit.

Titulus XLI.

De legitimis filiis.

Idem Ovetensi & Burgensi Episcopis.

AD nostram noveris audientiam pervenisse quòd .. quondam pater dilecti filij .. Archidiaconi Ovetensis matrem ejus, quæ uxor consanguinei sui extiterat tertio sibi gradu consanguinitatis conjuncti, sollemniter duxit & publicè in uxorem, & eam maritali affectu cognoscens, ipsum qui modò est Archidiaconus

& quosdam alios genuit antequam inter eos esset divortij sententia promulgata. Verùm quoniam viro & femina sublatis de medio, ignoratur si scienter conjuncti fuerint vel ignoranter, idem Archidiaconus dubitat, tamquam homo providus & discretus, ne sibi ex hoc possit in posterum præjudicium circa spiritualia vel temporalia generari. Nos igitur eidem Archidiacono benignitate paterna providere volentes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si præmissis veritas suffragatur, non obstante quod de ignorantia est præmissum, ei auctoritate nostra suscipiendi sacros ordines concedatis liberam facultatem, cùm aliàs idoneus censeatur.

Idem Episcopo & Archidiacono Lemonceonensi.

IVstus laicus cum labore maximo ad præsentiam nostram accedens humiliter coram nobis exposuit quòd cùm P. Perches ex concubina sua per simplicis fornicationis amplexum filias suscepisset, tandem eandem concubinam ad commonitionem Ecclesiæ sibi matrimonio copulavit, sed quidam, ut eas ab hereditate possint excludere, minùs legitimas reputant, eò quòd ante matrimonium sunt susceptæ. Quia igitur proles hoc modo suscepta sacris constitutionibus legitima judicatur, cùm favore sequentis matrimonij excusetur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictas filias, cujus alteram præfatus W. sibi legitimè copulavit uxorem, tamquam legitimas auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam monitione præmissa, nisi aliud rationabiliter obstet, faciatis ad hereditatem admitti, & nullam super hoc permittatis molestationem indebitam sustinere.

Idem Ydrontino Archiepiscopo.

Lib. 1. epist. 112. PEr tuas nobis litteras intimasti quòd Racd. à Ceresia ex muliere quadam, quam secundùm opinionem majoris partis viciniæ in concubinam habebat, prole susceptà, & quandam priùs, & aliam ea defuncta duxit uxorem, & ea ex qua susceperat prolem, virum sibi alium copulavit. Processu verò temporis idem R. in præsentia multorum firmavit proprio juramento quòd eam quam habere visus fuerat concubinam, priùs affidaverat in uxorem quàm ex ea filiam genuisset, & cùm post juramentum illud per sex annos & ultrà vixisset, dum ageret in extremis, eum quem ex ipsa susceperat, filium legitimum appellavit, instituit in testamento. Cùm autem tuæ fuisset inquisitioni & decisioni commissum an filius sic susceptus legitimus esset heres ipsius R. & ad ejusdem patrimonium admittendus, tu, præter id quod ex quadam decretali bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri standum esse super hoc verbo viri & mulieris credebas, testes à filio ejusdem R. productos providè suscepisti, quibus legitimè comprobavit dictum R. matrem suam in capella sancti Sergij affidasse. propter quod eum ipsius R. heredem esse legitimum judicasti. Nos igitur attendentes quòd plus est quod in veritate agitur quàm quod simulatè concipitur, licèt tam dictus R. quàm ea quam ut concubinam habuerat, cùm ad alia vota transivit, videatur ex ipso facto quòd matrimonium inter eos fuerit denegasse, quia tamen desponsatio per testes legitimos comprobata eos matrimonialiter fuisse conjunctos ostendit, sive desponsatio ipsa fuerit de præsenti, ut per consensum legitimum & verbis de præsenti expressum, sive de futuro, ut per sequentem carnis copulam matrimonium inter eos fuerit celebratum, non tam decretali dicti prædecessoris nostri, quæ in casu dissimili loquitur, quàm inductis probationibus innitentes, te processisse legitimè respondemus, & sententiam tuam auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, auctoritate tibi præsentium injungentes ut sententiam facias monitione præmissa per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari.





EPISTOLARVM SIVE REGESTORVM INNOCENTII III. ROMANI PONTIFICIS LIBER QVINTVS.

EPISCOPO PISTORIENSI.

Epist. I. De monialibus excommunicatis absolvendis per Episcopum proprium. *Cap.* De monialibus. *De sent. excom.*



De monialibus à oobis tua fraternitas requisivit, per quem eis absolutionis sit beneficium impendendum si vel in se iovicem, vel cooversos aut conversas suas, aut Clericos etiam in suis monasteriis servientes, manus iojecerint temerè violentas. Super hoc igitur consultationi tuæ taliter respondemus, ut auctoritate nostra per Episcopum in cujus dioecesi eorum monasteria fuerint absolvantur. Datum Laterani III. Kalend. Martij.

Ademaro Priori Grandimontensi, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris regulariter substituendis.

Epist. 2. De confirmatione privilegiorum.

IMmaculata ordinis vestri religio, quæ taoquam vitis abuodaos palmites suos latiùs propagavit, & velut lucerna non absconsa sub modio, sed in Grandimonte tanquam supra candelabrum posita perlucidæ radios claritatis ostendit, apostolicæ sedis fastigium ad honestas concessiones inclinat, ut vitis cultori suo desideratum fructum reddat in tempore, ac lucernæ succensæ oleum non deficiat caritatis, sed magis ac magis superabundet ac crescat, ut qui ingrediuntur, lumeo videant, & in vestris operibus glorificetur altissimus, qui est io secula beoedictus. Epropter, dilecti in Domino filij, vestris justis petitionibus clementer annuentes, ad exemplar fel. rec. Vrbani, Clementis, & Celestini prædecessorum nostrorum Romanorum Pootificum apostolica auctoritate decernimus ut qui relicto seculo ad ordinem vestrum confugiunt, Priori qui pro tempore fuerit & successoribus ejus catholicis, vel Capitulo, si Prior non fuerit, obedientiam & reverentiam absolutè promittant. Fratribus autem singulis io his quæ ad commodum & honorem domus pertinent, fraternæ caritatis officium & auxilium debitæ subventiooìs impeodant, minores se invicem secuodùm Apostolum arbitrantes; quatinus juxta evaogelicam apostolicámque doctrinam se invicem honore præveniant, & qui fortè major est meritis, non erubescat amore Domioi fieri minor omnibus. Paci vestræ præterea providentes statuimus ut ad recipiendum alterius religionis hominem nemo vos cogat invitos; ne dum instituta relicti ordi-

nis, qui ad vos confugerit, æmulatur, à vestræ observantia disciplinæ animos simpliciorum avertat, & aliis vos contingat injuriosos & molestos existere, si professos eorum volueritis retinere. Priori autem tam in spiritualibus quàm in temporalibus plenam concedimus auctoritate apostolica potestatem, ita ut uni conversorum, qui magis idoneus fuerit, in cellis vestris temporalia disponenda committat, qui de ipsius Prioris mandato eleemosynas depositáque recipiat, & eas in pios usus ac necessitatem domus provida consideratione convertat. Cura verò spiritualium liberè de mandato Prioris circa Clericos ipsos resideat; ita quòd nullus laicorum fratrum in confessionibus, pœnitentiis, divinis officiis celebrandis, corrigendis excessibus Clericorum, ullam sibi auctoritatem usurpet; sed hæc omnia per Priorem jam dictum, vel de mandato ipsius per Clericos impleantur. Sanè laborum vestrorum &c. *usque* præsumat. Liceat quoque vobis laicos vel Clericos &c. *usque* retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post &c. *usque* retinere. Quòd si quis fortè retinere &c. *usque* in ipsos Clericos vel conversos proferre sententiam regularem. Licitum præterea sit vobis in causis propriis &c. *usque* valeat deperire. Pro consecrationibus verò altarium vel Ecclesiarum &c. *usque* impendat. Alioqui liceat vobis à quocunque malueritis &c. *usque* vobis quod postulatur impendere non postponat. Porrò si Episcopi vel alij Ecclesiarum rectores in Ecclesia vestra &c. *usque* irritandam. Sanè cùm locus vester longè sit ab hominum habitatione semotus, vobis de sedis apostolicæ benignitate concedimus ut cùm generale terræ fuerit interdictum, liceat vobis unius campanæ pulsatione competentibus horis fratres vestros de laboribus ad Ecclesiam convocare. Hoc autem & in aliis locis vestris ad instar fel. mem. prædecessorum nostrorum Alexandri & Vrbani concedimus observari, quæ à civitatibus, castris, ac vicis adeo separantur ut in eis sonus campanæ vestræ minimè audiatur. Ad hoc, ut instar prædictorum prædecessorum nostrorum Alexandri, Vrbani, Clementis, Celestini, & fel. rec. Lucij Romani Pontificis, omnibus regulam vestram servantibus, sicut in vestro ordine continetur, laborem loco pœnitentiæ & in peccatorum suorum remissionem injungimus, quam in ipsa observantia patiuntur. Institutionem quoque quæ ad castigationem vestram post confirmationem fel. rec. Adriani Papæ prædecessoris nostri salubriter adhibetur, auctoritate apostolica confirmamus, ac perpetuis decernimus temporibus valituram, statuentes ut liberum sit vobis secundùm regulam vestram & instituta ordinis absque aliquorum gravaminibus vel molestiis Domino famulari. Præterea domum & loca vestra, cum omnibus quæ in præsentiarum justè ac pacificè possidetis, vel in futurum concessione Pontificum &c. *usque* poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus &c. *usque* communimus, statuentes ut ea firma vobis vestrísque successoribus & illibata permaneant. Obeunte verò te ejusdem loci Priore &c. *usque* præponatur; sed juxta regulæ vestræ statutum sex Clerici & sex laici eligantur; qui, sicut in eadem regula continetur, electionem secundùm Dei timorem faciant. Volumus tamen ut, sicut in electione Prioris vestri ordinis noscitur hactenus observatum, præfati sex Clerici per laicos, & sex Laici per Clericos electores eligantur. Præterea Priori vestro, qui pro tempore fuerit, si tamen sit Presbyter, tonsurandi fratres vestros Clericos, & pannos eorum benedicendi licentiam indulgemus. Præsenti insuper decreto sancimus ut si quis eo voto, quod secundùm canones teneat, se & sua Grandimontensi Ecclesiæ voverit, ac bona sua piè ac rationabiliter in ultima legaverit voluntate, ipsum ad votum Domino & ad legatum reddendum Ecclesiæ diocesanus Episcopus ecclesiastica censura compellat; districtiùs inhibentes ne aliquis Clericus ordinis vestri, nisi Prior fuerit, vel hoc fecerit de mandato Prioris, fratres suos excommunicare præsumat. Decernimus ergo &c. *usque* profutura. Salva in omnibus apost. sedis auctoritate. Si qua igitur &c. *usque in finem.* Datum Laterani per manum Blasij sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subscriptoris & Notarij III. Kalendas Martij, Indictione V.

Priori & fratribus Grandimontensibus.

Epist. 5. Concordiam revocat in ordine Grandimontensi. Vide infrà lib. 14. epist. 144.

OFficium exigit pij patris ut corda discordantium filiorum ad concordiam revocet, & de his quæ dissensionis materiam pariunt inter eos sic providè ac consultè disponat ut cessent lites & jurgia sopiantur, nec repullulent denuo in germen contentionis antiquæ. Sanè cùm in lege Domini die ac nocte vos deceat meditari & in chordis & organo psallere coram eo,

eo, ne psalterium vestrum non consonet, si dissociaverint corda vestra, reducendæ sunt chordæ dissonæ ad consonantiam harmoniæ; ut consonanrer tunc psallatis, cùm vobis fuerit cor unum & anima una. Vnde cùm olim fuisset apostolatui nostro suggestum quòd inimico homine superseminante zizania, dissensionis inter vos materia fuisset exorta, & in mulris Clerici ac laici gravarentur, tibi, fili Prior, dedimus in mandatis ut taliter talia corrigeres per te ipsum cum consilio sapientum quòd aures nostras super his denuo querimonia non pulsaret. Verùm quoniam quibusdam impedientibus literæ nostræ ribi non fuerant præsentatæ, moti replicata querela, venerabilibus fratribus nostris Bituricensi Archiepiscopo, Parisiensi & Lemovicensi Episcopis dedimus in mandatis ut ad locum vestrum personaliter accedentes, inquirerent tam de his quæ proposita fuerant coram nobis quàm de aliis super statu domus, religionis observantia, & omnibus de quibus inquirendum foret, diligentiùs veritatem, & corrigerent appellatione remota quæ regulariter corrigenda viderent, & statuerent quod secundùm Deum cognoscerent statuendum; cogentes tam Clericos quàm Conversos per censuras Ecclesiæ, si crederent expedire, perhibere testimonium veritati; si quid autem arduum appareret quod per eorum solicitudinem expediri non posset, ad nos facta inquisitione referrent, ut per eorum relationem instructi, consultiùs in hoc procedere valeremus. Qui cùm nobis quæ gesta fuerant rescripsissenr, quoniam quibusdam occasionibus emergentibus nec ad reformationem nec ad inquisitionem etiam processerunt, dilectis filiis P. & Hel. Presbyteris & V. Diacono pro parte Clericorum, & dilectis filius RR. & G. Presbyteris, P. B. Hel. VV. & G. Conversis pro te, fili Prior, ex alia parte in nostra præsentia constitutis, attendentes quòd boni judicis est litem minuere, non augere, & quòd servum Dei lirigare non decet, cœpimus inter eos de pacis reformarione tractare; sicque factum est, Domino concedente, quòd tam capitula quæ olim in litem deducta fuerant, & per prædecessores nostros decisa, sed denuo suscitata, quàm quæ de novo exorta fuerant, sopiremus. Clerici siquidem querebantur in primis, quòd cùm Conversi ad collationem pulsandi sibi vendicarent officium, quod tantum vocaris, usque adeo differendo pulsationem eos interea expectare cogebant ut de nocte cogerentur completorium decantare. Conversi verò taliter respondebant quòd cùm olim super hujusmodi pulsatione controversia mota fuisser, per bonæ mem. C. Papam prædecessorem nostrum eis fuit hujusmodi adjudicatum officium, & certa bora constituta, in qua ad collationem diebus singulis pulsaretur, licèt interdum fratres redeuntes ab operibus suis aliquantulùm expectarent. Nos igitur & præfati prædecessoris nostri sententiam observare volentes & dissensionis materiam amputare, de consilio fratrum nostrorum statuimus ut semper hora statuta pulsetur, ita ut si frater Conversus, qui ad hoc officium fuerit deputatus, vel alius, neglexerit, si forsan ille defuerit illa hora pulsare, frater Clericus, cui hoc à te, fili Prior, vel successoribus tuis injunctum fuerit, vel alius Clericus loco ejus, ei ut pulset injungat, & ille pulsare ad denuntiationem ipsius sine omni contradictione ac disceptatione festinet. Pari modo si Clericns ipse super hoc exhiberet se forsan negligentem, Conversus pulset nihilominus hora præfata. Quisquis autem eorum, sive Clericus, sive Conversus, contra præsumpserit, tanquam inobediens regulariter puniatur. Præterea, quia Clerici querebantur quòd Conversi coram eis de receptis & expensis nolebant reddere rationem, attendentes quòd tu, fili Prior, duos Visitatores, unum Clericum, & alterum Conversum, consuevisti ac debes annis singulis per cellas singulas destinare, præsenrium auctoritate decernimus ut de cerero in præsentia Visitatorum illorum in singulis cellulis coram Clericis & Conversis, vel si omnes propter multitudinem non deceat interesse, quibusdam de iis præsentibus, reddant de receptis & expensis omnibus rationem, eo modo quo tu, fili Prior, consuevisti computationes andire. Conquerebantur præterea Clerici memorati quòd in quibusdam Ecclesiis paucissimi Clerici ponebantur, cùm tamen in eis esset Conversorum plurima multitudo. Vnde statuimus ut in nulla cella de cetero unus tantummodo frater Clericus collocetur; sed ea potiùs in boc adhibeatur discretio ut ubi sex Conversi fuerint, tres Clerici, ubi octo Conversi, quatuor Clerici, ubi decem Conversi, quinque Clerici, ubi duodecim Conversi, sex ad minus Clerici statuantur. Vbi verò duodenarium numerus

excefferit Converſorum, in arbitrio tuo, fili Prior, & tuorum ſucceſſorum exiſtat multiplicare Clericos & Converſos, prout viſum fuerit expedire. Hoc autem dicimus ſi in ordine veſtro tot poterunt Clerici reperiri. Si verò Clericis exeundum fuerit ad laborem, exeant cum Converſis, & cum eis pariter revertantur. Semper tamen hebdomadarius in cella remaneat, ne deſit aliquo modo Sacerdos. Quòd ſi forſan Clericus contra regulare ſtatutum exceſſerit exeundo, contra eum vel à Clerico vel Converſo in Capitulo proclametur; ubi tamen non judicetur per laicum, ſed per hebdomadarium Presbyterum regulariter corrigatur. Prohibemus inſuper ne Clerici à cellis in quibus fuerint ad cellas alias ſine cauſa transferantur honeſta. Et hoc ipſum, cùm fuerit faciendum, fiat providè à Priore, ſine præjudicio auctoritatis ipſius, cum diſcretorum conſilio Clericorum. Si quando verò ex juſta cauſa fuerint transferendi, nec librum nec ſcripturam nec aliquid penitùs ſecum ferant, niſi quantum eis fuerit de tua, fili Prior, vel ſucceſſorum tuorum conceſſione permiſſum, cùm nihil proprium debeant vendicare. Nulli ergo &c. Datum Laterani III. Kal. Martij.

Poteſtati, Conſiliariis, & populo Piſanis.

Epiſt. 4. Ne Piſani foveant Marcualdum.

RECepimus literas quas nobis veſtra devotio deſtinavit benignitate qua decuit, & reſponſionum veſtrarum tenorem notavimus diligenter. Gratum autem gerimus & acceptum, quòd devotionis obſequia, quæ civitas veſtra exhibuit apoſtolicæ ſedi, per veſtras nobis literas replicatis, & in eorum delectamur auditu, credentes quòd & vos ad devotionem noſtram inducamini per pia progenitorum veſtrorum exempla, & ſicut eorum ſervitia, ſic prædeceſſorum noſtrorum beneficia memoriter teneatis; cùm noveritis quòd Eccleſia Romana non fuerit ſervitiorum veſtrorum ingrata, ſed ea beneficiorum multitudine compenſarit; quæ ad præſens referre nolumus, tanquam nota. Licèt autem per literas veſtras ſatis reſpondiſſe videamini humiliter & devotè, minùs tamen ſufficienter & plenè, ſicut credimus, reſpondiſtis. Præmiſſo etenim quòd communitatis nomine præſtitiſſetis auxilium Marcualdo, nec propoſuiſſetis ulteriùs etiam exhibere, vel permittere quòd ei à Piſanis ſubveniretur in perſonis aut rebus, protinus ſubdidiſtis quòd cùm Piſani ex diverſis partibus in Siciliam de conſuetudine mercationis cauſa confluxerint, qui tibi, fili Poteſtas, juramenti vinculo non tenentur, eos non poteſtis ad propria revocare, præſertim ſine periculo perſonarum & rerum illorum qui in Sicilia commorantur. Præterea, fili Poteſtas, aſſeruiſti juramento regiminis te teneri univerſos ſalvare Piſanos, & nullum eorum ſine decreto civilis lædere rationis. Verùm nos, ſicut indemnitati Regis & regni caveri volumus per Piſanos, ſic immunitati præcavere diſponimus Piſanorum, ut de damnis ultimis quæ in regno incurriſſe dicuntur, de quibus tamen nihil ipſi ſcripſiſtis, (licèt nec de mandato noſtro nec regio fuerint ſpoliati, unde contra nos vel Regem non debuerant commoveri) recompenſationem poſſint regiam obtinere. Monemus igitur univerſitatem veſtram & exhortamur attentè, & per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, quatenus ſicut de gratia noſtra confiditis, & nos de veſtra devotione ſperamus, ne vel vos ſervitia Eccleſiæ Romanæ à prædeceſſoribus veſtris impenſa perdatis, vel nos amittamus beneficia quæ tam Eccleſiæ quàm civitati Piſanæ prædeceſſores noſtri Romani Pontifices impenderunt, ſed utrinque ſervata maneat hactenus gratitudo, Piſanos qui in Sicilia commorantur à præfati Marcualdi auxilio, favore, ac obſequio revocetis, quem ſaltem ex eo quòd cum omnibus fautoribus & participibus ſuis excommunicationis eſt vinculo innodatus, ſi Chriſtianos ſe, ſicut condecet, recognoſcunt, debuerant evitare. Caveas quoque nobis tu, fili Poteſtas, ſaltem juratoria cautione, quòd Piſanos ipſos bona fide, quantum fieri poterit, revocabis, nec permittes Marcualdo à Piſanis juxta poſſe ſuum in perſonis vel rebus de cetero ſubveniri. Sanè non debetis vobis injurioſum aliquatenus reputare ſi Romano Pontifici hujuſmodi præſtiteritis cautionem, ut vos de gratia noſtra & nos de veſtra ſimus devotione ſecuri. Alioquin, quia juxta ſanctorum patrum canonicas ſanctiones negligere, cùm poſſis perturbare, perverſos, nihil eſt aliud quàm fovere, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ qui manifeſto facinori deſinit obviare, nec apoſtolica ſedes æquanimiter valeat tolerare ut quacunque occaſione per eos tam nobili patrimonio, videlicet regno Siciliæ, ſpolietur, quod ad eam ſpecialiter noſcitur pertinere, & quod nos hoc tempore tenemur ſpecialiter defenſare, in vos, juxta quod ſignifi- Diſt. 83. cap. Error.

cavimus per alias literas, procedemus. Mallemus autem ut progenitorum vestrorum sequentes exempla, & in devotione sedis apostolicæ persistentes, nos, licèt voluntarios, cogeretis prædecessorum nostrorum vestigiis inhærere, quorum propositum in honorificentia tam Ecclesiæ quàm civitatis Pisanæ; nisi forsan per vos staret, libentissimè sequeremur. Eligatis igitur, sicut viri providi & discreti, acquiescere monitis apostolicæ sedis; cùm longè sit durius expressam aliis literis nostris pœnam incurrere quàm præstare hujusmodi cautionem. Datum Laterani IIII. Nonas Martij.

Ignatio Priori & Clericis sancti Gregorij Spoletani.

Epist. 5. Dessoluuntur controversiæ quæ erant inter Episcopum Spoletanum & Priorem & Clericos S. Gregorij.

CVm inter vos ex una parte, & venerabilem fratrem nostrum B. Episcopum Spoletanum ex altera plures verterentur ad invicem quæstiones, & de eis dilectus filius noster L. sanctæ Luciæ ad septa solis Diaconus Cardinalis ex delegatione nostra pleniùs cognovisset, motæ coram eodem Cardinali controversiæ, ipso referente, ad nostram audientiam pervenerunt. Nos autem diligenter intelleximus universa, & investigavimus proposita & probata, ea postmodum de consilio fratrum nostrorum calculo sententiæ terminantes. Primò enim contra vos Episcopus proponebat quòd vos quatuor solidos Papiensis monetæ annis singulis sibi & Ecclesiæ suæ canonis nomine solvere debebatis, & quòd per octo annos in solutione cessaveratis. Vnde præteriti temporis canonem sibi restitui super hoc judicium possessorium intentabat. Nos verò probationes Episcopi attendentes, considerantes nihil ad possessionem pertinens per testes ab ipso inductos fuisse probatum, vos ab impetitione Episcopi super restitutione petita duximus absolvendos; quæstione tamen super proprietate, si eam movere voluerit, eidem Episcopo reservata. Secundò verò contra vos idem Episcopus proponebat vos mandatum paschale sibi debere persolvere, videlicet in tertia feria post Pascha annis singulis quatuor agnos vivos, quatuor latera porcorum, centum panes, centum ova, quatuor brocas vini, dimidiam libram piperis, unum fascem porrorum. Et hæc dicebat à vobis, jam est triennium, non fuisse soluta. Quare dictarum rerum restitutionem triennij postulabat. In hoc autem articulo intellectis propositis, & quæ probata fuerant attendentes, vos duximus condemnandos ad prædictarum rerum restitutionem triennij jam transacti; salva vobis super jure proprietatis nihilominus quæstione. In tertia siquidem quæstione proponebat Episcopus vos quinque vel sex salvas frumenti una vice, & octo vel novem alia de decimis parochiæ sancti Angeli de Egio suis officialibus per violentiam abstulisse, quas cum instantia sibi restitui postulabat. quod per testes inductos videbatur efficacissimè comprobatum. E contrario asserebatis vos nihil officialibus abstulisse, sed quod vobis debitum fuerat de illis decimis, ratione prædictæ capellæ ad vos pertinentis, volentes jura vestræ Ecclesiæ conservare. Dicebatis etiam quòd etsi ab Episcopo proposita vera essent, hujusmodi tamen petitione se fecit indignum, cùm vos fecerit super hoc ad seculare judicium evocari. unde videbatur à jure sibi debito cecidisse. In hac autem quæstione licèt Episcopus factam à vobis violentiam comprobasset, quia tamen vos ad examen vetitum contra jura tam civilia quàm canonica trahere minimè formidavit, sicut per testes inductos evidentissimè probabatur, vos decernimus à petitione Episcopi absolvendos; cùm etsi rem petitam Episcopus possideret, eum ad restitutionem damnare propter illicitæ petitionis vitium deberemus. Quarto equidem loco conquerebatur idem Episcopus de te, fili Prior, qui non petita confirmatione in Ecclesia sancti Gregorij Prioris officium exercebas, quam sibi dicebat competere, super hoc allegans jura communia, quæ dicunt confirmationes Prælatorum ad Episcopum in sua diocesi pertinere. Vos verò proponebaris contra Episcopum hoc sibi minimè de jure competere, cùm Ecclesia sancti Gregorij per Romanos Pontifices sit exempta. quod nitebamini per quendam librum cameræ nostræ, qui vocatur Breviarium, comprobare. Nos verò attendentes non esse probatum Ecclesiam sancti Gregorij exemptam ab Ecclesia Spoletana, decernimus Priores sancti Gregorij per Episcopos confirmandos, & te Priorem volumus ab ipso Episcopo postulare, ipsique præcipimus ut te confirmare procuret. In quinto verò articulo contra vos Episcopus proponebat quòd super perceptione mortuariorum vallis Bonzanin. sibi infertis molestiam & gravamen, postulans ut ab ipsorum perceptione vos pe-

nitùs arceremus, cùm ipse ea longo temporis spatio possedisset. Vos autem è contrario dicebatis ea de jure vos debere percipere, eò quòd ea vobis concesserant Episcopi Spoletani, & eorum concessio per Romanum Pontificem fuerat confirmata, & quia possessio Episcopi fuerat interrupta. quæ tam per testes inductos quàm per instrumenta exhibita probabantur. Nos itaque in hac quæstione considerantes proposita & probata, vos à petitione Episcopi duximus absolvendos. Sextam autem illud sibi vendicat qoæstionem, qnòd Episcopus repetebat à vobis omnia jura episcopalia quæ vos percepistis ex quo fuit Episcopus in plebatu sancti Gregorij, quæ sibi dicebat competere tam de jure communi, scilicet cùm plebatus in sua sit diocesi constitutus, quàm ratione possessionis longævæ. quod vos denegabatis, dicentes jura episcopalia vobis per Spoletanos Episcopos de ipso plebatu fuisse concessa, & ipsorum concessionem esse per Romanum Pontificem confirmatam. quod evidentissimè per instrumenta Episcoporum exhibita ex parte vestra probabatur. Nos verò in hoc articulo intellectis probatis, vos & Ecclesiam sancti Gregorij ab impetitione Episcopi super jure episcopali plebatus sancti Gregorij duximus absolvendos, eidem Episcopo super his perpetuum silentium imponentes. Septimo loco Episcopus Ecclesiam sancti Savini in civitate sitam repetebat à vobis. Super qua petitione per probationes ex parte vestra exhibitas Episcopum condemnamus. E contrario postulabatis quicquid percipiebat de Egio Episcopus supradictus; quod idem Episcopus denegabat, dicens se ipsius villæ decimas longo tempore possedisse. Sed probatum fuit possessionem ipsam fuisse aliquando interruptam, & Ecclesiam sancti Angeli in ipsa villa sitam per privilegia Spoletanorum Episcoporum pertinere ad Ecclesiam sancti Gregorij constitit manifestè. Quia verò secundùm statuta canonica rationabiliter esse noscitur institutum de decimis quatuor fieri portiones, quarum una Clericis, secunda Episcopo, tertia fabricæ; quarta verò pauperibus conferatur, unam quartam illius decimæ Clericis debitam vobis nomine capellæ sancti Angeli de Egio, quæ vobis est subdita, per sententiam judicamus, quartam alteram Episcopo decernentes. Alias verò duas quartas, quarum una fabricæ, & alia pauperibus debet dari juxta canonicas sanctiones, dispositioni Episcopi reservamus; ita tamen ut eas secundùm approbatam consuetudinem diocesis Spoletanæ debeat fideliter dispensare, quoniam ex illis rationem est in divino examine redditurus. Proponebatis etiam mortuaria de Ecclesia sancti Savini extra civitatem posita ad vos de jure spectare. quod Episcopus denegabat. super quo vos decrevimus condemnandos. Synodaticum tamen vobis duximus decernendum, quod ex concessione pontificali ad vos dinoscitur pertinere. Repetebatis etiam ab Episcopo duos calices argenteos, quos vos prædecessori suo M. nomine commodastis. quod Episcopus denegabat, asserens unum calicem prædecessori suo pro cujusdam causæ salario à vobis fuisse donatum. Quia verò probatur à vobis alter calix Episcopo commodatus, alter verò sine patena pro salario Episcopo fuisse collatus per probationes exhibitas apparebat, ipsum Episcopum in restitutione nnius calicis commodati duximus condemnandum, eum super petitione alterius absolventes. Impetebatis insuper Episcopum super quinque modiolis terræ in podio sitæ, quam dicebatis ad vestram Ecclesiam sancti Gregorij pertinere. Sed quia vos nihil ad proprietatem pertinens probabatis, cùm fuisset petitorium intentatum, Episcopum à petitione vestra decrevimus absolvendum. Nulli ergo &c. Datum Laterani VI. Non. Martij.

Ravennatensi Archiepiscopo.

Epist. 6. De translatione Episcopi Imolensis ad Ecclesiam Ravennatensem.

CAssata quondam tam postulatione tua, quia fuerat in discordia multa facta, quàm electione dilecti filij nostri S. tituli sanctæ Praxedis Presbyteri Cardinalis, quia eum magis Ecclesiæ Romanæ quàm Ecclesiæ Ravennatensi dilexirnns, non admissa; dilecti filij Ravennatenses Canonici, quorum quidam in te, quidam in Cardinalem eundem priùs contulerant vota sua, juxta formam mandati nostri convenientes in unum, ut super electione tractantes Ecclesiæ consulerent viduatæ, post deliberationem diuturnam, in te unanimiter convenerunt à sede apostolica postulandum. Cùmque postulationem eorum dilectus filius Io. de Curviaco, & P. Io. Canonici Ravennat. & L. Abbas sancti Severi & nobiles viri P. Traversarius Potestas Ravennas & Comes Malvicinus tam per se quàm per illorum literas nobis humiliter præsentassent, petierunt

supplicirer ut postulationem eandem approbare de solita sedis apostolicæ mansuetudine dignaremur, & largiri tibi licentiam transeundi. Nos igitur attendentes quòd Ecclesia Ravennas quasi primogenita filia sit apostolicæ sedis, & eadem ordinationem & formam Ecclesiæ ferè præ ceteris imitetur, postulationem eandem de consilio fratrum nostrorum admisimus, tibi licentiam concedentes ab Ecclesia Imolensi ad Ravennatensem metropolim transeundi. Ceterùm nuntij memorati gratiam ex gratia vel post gratiam potiùs humiliter requirentes, propter multiplices necessitates Ecclesiæ Ravennatensis, quæ pluribus est debitis aggravata, cum instantia petierunt ut fraternitati tuæ palleum, videlicet insigne plenitudinis pontificalis officij, mitteremus. Licèt autem prædecessores tui vel confirmationis munere, vel gratia consecrationis, vel ornatu pallei consueverint apostolicam sedem personaliter visitare, propter necessitatem tamen oppressionis quam patitur Ecclesia memorata, & sterilitatem temporis, quam non urbs sólummodò, sed & magna pars orbis cum urbe deplorat, per dilectum filium R. Subdiaconum & Capellanum nostrum, nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum, palleum tibi de multa gratia destinamus, per nuntium ipsum juxta formam nostram, quam sub bulla nostra dirigimus, conferendum. Ne autem ex gratia quam tibi & Ecclesiæ Ravennatensi causa necessitatis impendimus, antiqua consuetudo vacillet, & in te, quod absit, exceptionem inveniat quod in prædecessoribus tuis generaliter dicitur hactenus observatum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatinus usque ad annum post susceptionem pallei nostro te conspectui repræsentes, ut quod de fidelitate apostolicæ sedi servanda in præsentia nuntij nostri firmaveris juramento, profitearis apud sedem apostolicam viva voce. Tu ergo taliter eidem Ecclesiæ præesse studeas & prodesse quòd per tuæ sollicitudinis studium tam in spiritualibus quàm temporalibus auctore Deo suscipiat incrementum. Datum Laterani VI. Idus Martij.

Scriptum est in eundem ferè modum suffraganeis Ecclesiæ Ravennatensis usque viva voce. Monemus igitur universitatem vestram & exhortámur attentiùs, & per apostolica scripta mandamus quatenus eidem Archiepiscopo tanquam Metropolitano vestro debitam exhibeatis reverentiam & honorem, & taliter assistatis eidem quòd & ipse in vobis experiatur filialis devotionis affectum, & vos sentiatis in eo paternæ viscera pietatis. Datum ut suprà.

Scriptum est in eundem ferè modum Capitulo & universo Clero Ecclesiæ Ravennatensis usque reverentiam & honorem, & salubria monita & mandata ipsius recipiatis humiliter, & inviolabiliter observetis. Datum ut suprà.

In eundem ferè modum Potestati & populo Ravennatensi.

Magistro Simoni de Melu Canonico Herfordensi.

Epist. 7. Filij duorum compatrum nō possunt jungi per matrimonium. Cap. 7. de cognat. spirit. * In tertia collectione & apud Gregor 9. legitur: *filiam compatris vel commatris.*

TVa nos duxit discretio consulendos an natus * ante compaternitatem filiolam patris sui vel matris procedente tempore sibi possit matrimonialiter copulare, & si cum ea contraxerit & pluribus annis simul permanserint, an postea debeant separari. Quæsivisti etiam an conscij talis matrimonij teneantur illud in publico accusare. Super quo discretioni tuæ taliter duximus respondendum, quòd hujusmodi personæ matrimonium non possunt contrahere, & si contraxerint, de rigore juris possunt ab invicem separari, & qui contractum sciverint, debent illud Ecclesiæ nuntiare. Datum Laterani XV. Kal. Aprilis.

Pranestino Episcopo apostolicæ sedis Legato.

Epist. 8. Mandat ei ut Archiepiscopum Magdeburgensem absolvat ad cautelam.

PEr tuas nobis literas intimasti quòd cùm N. Magdeburgensem Archiepiscopum ad tuam præsentiam evocasses, ipse per nuntium suum proprij corporis infirmitatem allegans, se à labore itineris excusavit, & iterum evocatus hostilitatis impedimenta prætendit, & sic nec primò nec secundò ad te vocatus accessit. Tu verò ipsius honori volens & honestati deferre, ut apud Corbeiam, quæ non multùm distabat, tibi occurreret, per tuas ei literas mandavisti. Cùmque spe de ipsius adventu concepta. Corbeiam accessisses, ipse, sicut semel & iterum, sic tertiò etiam in tua noluit præsentia comparere. Propter quod in eum, utpote contumacem, excommunicationis sententiam promulgasti, quam ipse nullatenus observavit. Verùm Archiepiscopus idem per suas nobis literas intimavit quòd cùm propter prædictas causas se semel & iterum excusasset, & tu ei tandem ut Corbeiam accederet mandavisses, quia locus ipse ad jurisdictionem hostium pertinebat,

vel saltem hostes erant potentiores in eo, non ex contumacia, sed necessitate potiùs, videlicet causâ metus, ad te illuc accedere non est ausus. Et licèt tuas ei postmodum literas direxeris, ipse tamen priusquàm literas aperiret, Magdeburgensibus Clericis convocatis ad sedem apostolicam appellavit, & postmodum, ut tuo deferret honori, literas ipsas legit. Cùm igitur nobis de excommunicatione constiterit, sed utrum appellatio præcessisset, aut etiam utrum legitima fuisset, non constet, cùm & apostolica sedes tales absolvere consueverit ad cautelam, volentes tam tibi quàm ipsi deferre, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus vel per te ipsum, si Archiepiscopus securè tuo se poterit conspectui præsentare, vel per nuntium providum & discretum, ab eo quòd mandatis nostris super eis pro quibus excommunicatus est pareat, juratoriam recipiens cautionem, beneficium ei absolutionis impendas; ita tamen quòd si post appellationem ad nos legitimè interpositam aut etiam aliàs minùs justè, quod tamen vix credimus, excommunicatum eum fuisse constiterit, mandatum ipsi non fiat, cùm nolimus eum occasione hujusmodi *, alioquin super faciendo mandato nostræ expectetur beneplacitum voluntatis. Datum Laterani XII. Kal. Aprilis.

Vvaltero Præposito S. Petri de Monte-Sereno, ejúsque fratribus tam præsentibus quàm futuris.

Epist. 9. De confirmatione privilegiorum.

Religiosam vitam eligentibus &c. *usque* Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris & dilecti filij nostri junioris Marchionis orientalis precibus inclinati, Ecclesiam B. Petri de Monte-Sereno, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar fel. record. Honorij Papæ prædecessoris nostri, in jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ recipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundùm Deum & beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona, Iudita & Coradus Marchio fundator ejusdem Ecclesiæ, & Otto, Theodoricus, & Dedo Marchiones ejus filij eidem Ecclesiæ contulerunt, cum ceteris quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pontificum &c. in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis, Ecclesias in Turbech, in Oimstrovve, in Vlbirch, in Numech, Lubechun, Welpered, Wiltu, in Wilzum & Sconovve, vineas & molendinum in Witin, villas in Halez, Nobedis, Papedorp, Siliistorp, Braucorvius, Welpædhe, Wiltuim, Sconovve, Wilcium, Colzouve, Colhire, Rohdenbor, Pavendorp, Cordeneuvin, Grabuvvim, & Sorduvvim, cum omnibus pertinentiis suis, jus parochiale in tredecim villis, sicut bonæ mem. Docberus Magdeburgensis Archiepiscopus veteri capellæ vestræ, quæ sita in aquilonali parte majoris Ecclesiæ, propria liberalitate concessit, statuens ut habitatores villarum ipsarum in eadem capella baptisma & sepulturam acciperent, & Præpositus vester, qui pro tempore fuerit, ipsius capellæ curam haberet, ita tamen ut unus Canonicorum de auctoritate Præpositi prædicaret populum, pueros baptizaret, visitaret infirmos, mortuos sepeliret, & alia quæ ad jus parochiale pertinent exerceret. cujus concessionem quatuor successores ipsius postmodum confirmarunt. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, exclusis excommunicatis & interdictis, clausis januis, non pulsatis campanis, submissa voce divinum officium celebrare. Chrisma verò, oleum sanctum &c. à diocesano accipietis Episcopo, siquidem gratiam &c. Alioquin liceat vobis quem malueritis &c. Sepulturam quoque &c. Salva &c. Baptismus autem tam in Ecclesia sancti Petri quàm in capella prædicta, sicut à quadraginta annis hactenus sine contradictione cujuslibet celebratus est, ita de cetero celebretur. Obeunte verò te, fili Præposite &c. Ad hæc præsenti privilegio prohibemus ne contra id quod fuit ab Ecclesiæ vestræ fundatore statutum, & ab ejusdem Ecclesiæ fundatione servatum, advocatia ejus in feudum cuiquam conferatur. Decernimus ergo &c. salva sedis apostolicæ auctoritate, & in parochialibus Ecclesiis quas habetis diocesani Episcopi canonica justitia. Ad indicium autem hujus perceptæ à sede apostolica libertatis bisantium auri vel fertonem argenti nobis nostrísque successoribus persolvatis. Si quis igitur &c. *usque in finem*. Datum Laterani per manum Blasij S. R. Ecclesiæ Subdiaconi & Notarij XII. Kal. Aprilis, Indictione V.

Præposito & Conventui Montis-Sereni.

Epist. 10. Indulgetur eis ut carnes comedere possint Vide Chroni- Montis-Sereni pag. 70. & seq.

EXposuisti nobis, fili Præposite, in nostra præsentia constitutus quòd cùm Ecclesia vestra sit in excelsi montis cacumine constituta, & distet non modicùm à locis illis in quibus piscium consuevit abundantia inveniri, non potest vobis congruè in esu piscium provideri. Propter quod humiliter postulabas à nobis ut vobis infra septa Ecclesiæ vestræ vescendi carnibus licentiam præberemus, cùm necessitas postulet, & utilitas hoc requirat, quia sufficientiam piscium absque magnis expensis habere nequitis, & abstinere tam à piscibus quàm à carnibus gravissimum reputatis. Nos igitur ex hoc devotionem vestram in Domino commendantes, quòd sine speciali licentia nostra consuetudinem Ecclesiæ vestræ infringere noluistis, præsenti vobis pagina taliter respondemus, quòd cùm regula beati Augustini, quam estis professi, vobis esum carnium non inhibeat, sed concedat, vos secundùm tenorem regulæ, nisi voto vos astrinxeritis speciali ab esu carnium penitùs abstinere, carnes certis & statutis diebus, dummodo sine scandalo fiat, de nostra licentia comedatis. Sic autem id moderatè fieri concedimus quòd & regularis ordo servetur illæsus, & vos hoc videamini non ad saturitatem sed ad necessitatem potiùs postulasse. Datum Laterani XI. Kal. Aprilis.

Senonensi Archiepiscopo.

Epist. 11. Pro absolutione Nivernensis Episcopi.

NOn tam Petro quàm petræ &c. pro absolutione Nivernensis Episcopi, *usque ad* satisfacere plenè volens, nuntium suum ad sedem apostolicam destinavit, per quem &c. *usque* supplicatur. Nos igitur eidem laborem itineris de consueta sedis apostolicæ mansuetudine relaxantes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ab eo quod mandatis apostolicis pareat &c. *usque* suspendimus ad cautelam. Datum Laterani XVII. Kal. Aprilis.

Abbati sancti Dionysij, Priori sancti Martini de Campis, & I. Magistro scholarum Aurelianensium.

Epist. 12. De recipienda purgatione canonica Archidiaconi Carnotensis. Cap Cùm dilectus. De purgatione canonica.

CVm dilectus filius P. tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis dudum in regno Franciæ legationis officio fungeretur, & Ecclesiæ Carnotensi, quæ inter Ecclesias Gallicanas multa consueverat religione florere, debitæ visitationis solatium impendisset, sicut ex conscriptis & dictis ejus accepimus, domum Dei factam domum negotiationis & negotiatores assiduè vendere in templo Dei columbas invenit, & vineam Domini Sabaoth, quæ uvas facere consueverat, conversam in amaritudinem vitis alienæ germinare labruscas. Sanè inter alia quæ ibidem sibi reprehensibilia occurrerunt, dilectum filium Henricum majorem Archidiaconum de suæ dignitatis emptione, multisque aliis, nec etiam nominandis, dicit publicè infamatum. Vnde, ut saltem de multis quæ ibi corrigenda erant, quoniam in agro illius Ecclesiæ pro frumento tribulus & spina pro hordeo nascebatur, animadvertisse aliqua videretur, eum suspensionis duxit sententiæ supponendum, venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis Abbati de Sarnaio & magistro G. de Duaco Canonico Parisiensi mandans & in virtute obedientiæ districtè præcipiens ut ipsam sententiam, cum aliis quæ statuerat, infra quinque dies post susceptionem literarum suarum tam suspenso quàm aliis publicè intimarent, sicut ex rescripto Cardinalis ejusdem perpendimus evidenter. Consequenter verò idem Archidiaconus ad præsentiam nostram accedens, super imposito sibi crimine simoniæ suam nitebatur innocentiam, canonicam super hoc purgationem coram nobis offerens, demonstrare, humiliter postulans, purgatione recepta, suspensionis per nos sententiam relaxari, cui subjectus fuerat præter suorum exigentiam meritorum. Nos autem, ut hujusmodi purgatio, si præstita fuerit, debitum consequatur effectum, eam in partibus vestris satiùs credimus exhibendam, quatinus ubi malum ortum fuerat, moriatur, & auferatur scandalum de cordibus aliorum quos fama vel infamia veriùs tanti mali reddiderat tristiores. Cùm igitur de prudentia & honestate vestra indubitatam fiduciam habeamus, vices nostras vobis in hac parte duximus committendas, per apostolica scripta mandantes quòd nisi post denuntiationem indicendæ purgationis publicè factam in Ecclesia Carnotensi legitimus contra eum infra viginti dies apparuerit accusator, vos ei purgationem canonicam indicatis ad minus tertia manu sui ordinis exhibendam; qua præstita, & suspensionis sententia relaxata, boni eum testimonij nuntietis, arctiùs inhibentes ne quisquam ipsum super hoc deinceps molestare præsumat. Si verò indictam sibi purgatio-

nem præstare noluerit, vel defecerit forsitan in præstando, aut crimen ipsum rite probatum fuerit contra eum, per vos canonicam excipiat ultionem. Illud autem vos attendere volumus ac mandamus, ut tales personæ ad purgationem hujusmodi admittantur quæ vicinæ sint & honestæ. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IX. Kal. Aprilis.

Scriptum est eisdem in eundem modum pro Ph. Archidiacono Pisciacensi. Datum ut suprà.

Episcopo Prænestino apost. Sedis Legato, sancti Benedicti Cisterciensis ordinis & Belliloci Abbatibus Virdunensis diocesis.

Epist. 13. De accusatione contra Episcopum Tullensem. *Vide Chron. con Senonense lib. 3. c. 1.*

VEniens ad apostolicam Sedem dil. filius P. major Archidiaconus Tullensis coram nobis & fratribus nostris venerabilem fratrem nostrum M. Tullensem Episcopum super pluribus criminibus publicè ac solemniter accusabat, asserens ipsum esse simoniacum, dilapidatorem, perjurum, quæ omnia se probaturum instantissimè proponebat; & super eis vinculum inscriptionis arripiens, se ad pœnam canonicam, si in probando deficeret, obligabat. Verùm quoniam accusare absentem tam leges seculares quàm canonica prohibent instituta, libellum accusationis nobis porrectum in ejusdem Episcopi absentia nequaquam duximus admittendum. Sanè ne maleficia remaneant impunita, & crimina subjectorum clausis videamur oculis pertransire, quia ex officij nostri debito corrigere volumus & debemus, ipsum Archidiaconum ad vos, de quorum discretione honestatéque confidimus, duximus remittendum, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus vocatis partibus, super prædictis criminibus appellatione postposita causam secundùm formam canonum audiatis, in ipso negotio usque ad diffinitivam sententiam, quam nobis reservari volumus, legitimè procedentes. Processum autem vestrum cum allegationibus & attestationibus sub sigillis vestris inclusum nobis fideliter remittere debeatis, partibus competentem terminum assignantes quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent, nullis litteris ob harum tenorem tacitum &c. Quòd si non omnes his &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani V. Kalend. Aprilis.

Canonicis Maguntinis.

Epist. 14. Electio Archiepiscopi Moguntini confirmatur. *Cap. Bonæ. de elect.*

BOnæ memoriæ C. Archiepiscopo Maguntino Episcopo Sabinensi viam universæ carnis ingresso, cùm vota vestra se in varia divisissent, quibusdam petentibus Warmatiensem Episcopum, quibusdam verò venerabilem fratrem nostrum nunc Archiepiscopum vestrum, tunc Præpositum S. Petri Maguntinensis, sibi eligentibus in pastorem, dilectus filius Magister P. Scholasticus cum quibusdam aliis, pro illis qui Warmatiensem Episcopum postularunt procurator ad apostolicam sedem accessit, pro aliis verò dilecti filij E. & R. Clerici Maguntini venerunt, quorum alter institutus fuerat procurator. Partibus igitur in nostra præsentia constitutis, & eis in consistorio nostro diligenter & sufficienter auditis, de fratrum nostrorum consilio venerabili fratri nostro Prænestino Episcopo apostolicæ sedis Legato dedimus in mandatis ut si eundem Episcopum quoad spiritualia vel temporalia recepisse constaret Ecclesiam Maguntinam, vel ministrasse in spiritualibus aut in temporalibus in eadem, prout objectum fuerat ex adverso, postulationem factam de ipso sublato cujuslibet appellationis obstaculo irritam nuntiaret, de gratia nostra concedens eidem ut Warmatiensem sibi Ecclesiam retineret. Nam de jure communi, quia præter auctoritatem nostram transire præsumpsit, utraque fuerat spoliandus, ut & ea careret quam concupivit avarè, ac ea quam superbè despexit. Quòd si parere contemneret, utraque ipsum Ecclesia denuntiaret auctoritate nostra privatum. Deinde inquireret de electione ipsius Archiepiscopi diligentiùs veritatem; & si ei de vi, quam ipse & sui metuebant, constaret, eo nonobstante quòd post appellationem ad nos interpositam in ipsius fuerat electione processum, cùm alij, qui appellationi ad nos interpositæ non duxerant deferendum, uti contra ipsum hac exceptione non possent, quoniam frustra legis auxilium invocat qui committit in legem, (unde nec ab eis posse obici videbatur quòd idem esset à paucioribus secundùm eorum assertionem electus, cùm ipsi appellationem ad nos legitimè interpositam contemnentes, & præter licentiam nostram recipientes Episcopum memoratum, reddiderint se indignos) electionem Archiepiscopi, dummodo nihil obstaret de canonicis institutis, sublato appellationis obstaculo

obstaculo confirmaret. Quòd si nec recepisse præfatam Ecclesiam quoad spiritualia vel temporalia, nec in spiritualibus vel temporalibus ministrasse constaret Episcopum memoratum, idem Legatus audiret quæ super postulatione ipsius & electione Archiepiscopi proponerentur hinc inde, testes utrinque reciperet, & eorum depositionibus publicatis, usque ad calculum sententiæ diffinitivæ procedens, gesta omnia sub sigillo suo ad nostram præsentiam destinaret, statuens partibus terminum competentem quo apostolico se conspectui præsentarent sententiam recepturi. Licèt autem essent notoria quæ fuerant contra dictum Warmatiensem Episcopum & ejus fautores objecta, prædictus tamen Legatus ad majorem cautelam multos & magnos testes recepit ex ipsius Archiepiscopi parte productos, qui super prædictis deposuere jurati. Vnde ipse juxta tenorem mandati nostri procedens, postulationem factam de Warmatiensi cassavit, & electionem Archiepiscopi memorati curavit auctoritate apostolica confirmare, ipsúmque ordinavit in Presbyterum, & tandem in Episcopum consecravit. Ipse autem humiliter ad præsentiam nostram accedens, suppliciter postulavit ut palleum sibi, videlicet insigne pontificalis officij, de consueta sedis apostolicæ benivolentia conferremus. Verùm quidam simplex nuntius ab adversariis ejus ad sedem apostolicam destinatus, ex eorum parte apertas nobis cum pendente sigillo literas præsentavit, per quas iidem significabant Canonici quòd prædictus Legatus corruptus pecunia iniquam sententiam protulisset. Addebant etiam quòd Maguntini cives pariter juraverunt quòd eum nunquam haberent Episcopum, & quòd universi Clerici, paucis exceptis, suo favebant electo. Cùm autem super his cœpissemus deliberare cum fratribus nostris, electioni ejusdem Archiepiscopi duo videbantur obstare, videlicet quòd à paucissimis, & post interpositam à se ipso appellationem dicebatur electus. Nam cùm postulatio Warmatiensis Episcopi fuerit præcedentis appellationis ratione cassata, Archiepiscopi electio debebat etiam ex eadem causa cassari. Sed è contrà, sicut superiùs est expressum, qui in appellationem deliquerant, appellationem contra eundem Archiepiscopum non poterant allegare. Poterat quoque dici quòd etsi post appellationem, non tamen contra formam appellationis fuisset electus Archiepiscopus sæpedictus, cùm appellaverit in hac forma, ne Canonici Maguntiæ residentes sine ipso ac sociis suis haberent in electione processum. Nec nocet quod posset ex altera parte replicari, quia nec ipse & socij sui debuerant procedere sine ipsis, quia ipsi appellationem ad nos interpositam contemnendo, reddiderant se indignos, & abusi fuerant jure suo. Vnde cùm in Lateranensi Concilio de his qui quasdam personas illicitas eligunt sit statutum ut eligendi tunc potestate privatos & ab ecclesiasticis beneficiis triennio noverint se suspensos, illis pro longè majori delicto tanquam indignis ab electionis potestate cadentibus, penes eundem ac socios suos tantùm jus remanserat eligendi. Quare si multò pauciores in ipsum quam convenerint convenissent, intelligendum est tamen quòd omnes qui tunc eligere poterant, elegerunt eundem. Contra Legati verò processum hoc facere videbatur quòd dicebatur in loco suspecto, & non citatis Warmatiensi Episcopo & ejus fautoribus, processisse. Porrò juxta canonicas sanctiones excessus notorius examinatione non indiget, & pro his quæ à judice sunt acta præsumitur quòd omnia rite fuerint celebrata; quamvis & quòd citati non fuerint non posset de facili comprobari, quia negantis factum secundùm rerum naturam nulla esse probatio perhibetur; cùm etsi quilibet de se posset asserere quòd ad eum citatio minimè pervenisset, singuli tamen vestrum essent in suo testimonio singulares. Ad ipsum quoque Legatum secretè, si voluissent, potuissent procuratorem idoneum destinare, sicut & nuntium destinarunt, quemadmodum ex ipsorum ad nos directis literis comprobatur, qui securè ad eundem Legatum accessit, & ad propria remeavit, cùm & ipse Legatus paratus fuerit securitatem omnimodam providere. Nec obest quòd idem nuntius dicitur appellasse, cùm appellationi renuntiaverit, & in commissione nostra, quam pars reportavit utraque, obstaculum fuisset appellationis amotum. Sed nec apparebat etiam qui contra factum Legati quicquam posset obicere ac probare, cùm non procurator sufficiens, sed simplex ad nos contra prædictum Archiepiscopum fuisset nuntius destinatus. Præterea si appareret, etiam non esset aliquatenus audiendus, cùm adversarij ejus per præsumptionem, contemptum, & blasphemiam audientia

noſtra reddiderint ſe indignos. Præſumptio enim fuit quòd virum paſtorali præditum dignitate, alteri Eccleſiæ ſpirituali conjugio copulatum, præter auctoritatem noſtram contra formam canonicam non ſolùm eligere ſed recipere præſumpſerunt. Contemptus acceſſit ex eo quòd poſtquam procurator eorum noſtras literas reportavit, in quibus mandabatur expreſsè quòd ſi Warmatienſis Epiſcopus Eccleſiam quoad ſpiritualia vel temporalia recepiſſet, vel in ſpiritualibus aut temporalibus miniſtraſſet in ea, ipſius poſtulatin caſſaretur, & eiſdem non veniret in dubium, ſed potiùs manifeſtè conſtaret quòd Warmatienſis temporalia ſaltem receperat, & miniſtrarat in eis, ipſi poſtmodum tanquam electo ſuo, ſicut literis ipſorum apparet, in quibus eum ſuum electum nominant, & ei ſe aſſerunt unanimi conſenſu favere, temerè paruerunt & conſenſerunt in ipſum, ſpirituale cum eo adulterium perpetrantes, cùm & per nuntium ad nos ultimò deſtinatum electionem ipſius in publico conſiſtorio poſtulaverint confirmari. Blaſphemia verò in eo fuerat ſubſecuta, quòd ponentes in cœlum os ſuum, Legatum noſtrum, qui fungebatur in illis partibus vice noſtra, & qui priùs etiam quàm aſſumeretur ad officium paſtorale, meritæ religionis extiterat, utpote qui in Ciſtercienſi ordine fuerat primò Abbas, quantum in eis extitit infamantes, eum corruptum fuiſſe pecunia ſunt mentiti. Nos igitur etſi propter auctoritatem judiciariam præſumamus pro his quæ acta ſunt à Legato, illi tamen plus innitimur rationi quòd adverſarij Archiepiſcopi ex tribus cauſis prædictis ſe uſque adeo reddiderunt indignos quòd contra eum non debebant audiri. Vnde quod de ipſo factum fuerat, non poterat impediri per vos. Quin etiam ſi electores ejuſdem pariter deliquiſſent ut ſe reddidiſſent indignos, ad nos devoluta fuiſſet hac vice ordinatio Eccleſiæ Maguntinenſis. Quare dictum Archiepiſcopum ſine juris injuria potuiſſemus eidem Eccleſiæ præficere in paſtorem, præſertim cùm per Legatum apoſtolicæ ſedis fuiſſet in Maguntinum Epiſcopum conſecratus. Super his ergo cum fratribus noſtris habito diligenti tractatu, de ipſorum conſilio caſſationem poſtulationis factæ de Warmatienſi Epiſcopo ratam habemus, & electionem Archiepiſcopi memorati auctoritate apoſtolica duximus confirmandam; & ne quid ad executionem archiepiſcopalis officij ſibi deſit, palleum, videlicet inſigne plenitudinis pontificalis officij, ipſi duximus concedendum. Licèt autem ex eo quòd Eccleſia Maguntina filia eſt ſedis apoſtolicæ ſpecialis, & in ejus ſemper devotione permanſit, de ipſius non turbari turbatione minimè valeamus; quia tamen exigente juſtitia, in qua ſumus ſingulis debitores, ſuper hoc aliud non potuimus diffinire, univerſitatem veſtram monemus, exhortamur, atque per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, & in virtute obedientiæ diſtrictè præcipimus quòd eidem Archiepiſcopo debitam exhibeatis reverentiam & honorem, & ei tamquam patri & paſtori veſtro devotè ac reverenter intendere procuretis. Alioquin noveritis nos ſæpedicto Legato & venerabili fratri noſtro Hildeſemenſi Epiſcopo & dilecto filio Præpoſito Bonnenſi per apoſtolica ſcripta mandaſſe ut vos ad id monitione præmiſſa per excommunicationis ſententiam &, ſi neceſſe fuerit, per ſubſtractionem beneficiorum veſtrorum appellatione remota compellant. Quòd ſi nec ſic, quod non credimus, mandatis noſtris volueritis obedire, depoſitionis ſententiam poteritis non immeritò formidare. Sanè ſi vel Legatus noſter erraſſet in hoc, vel nos etiam erraſſemus, debueratis tamen bonori matris veſtræ humiliter & devotè deferre, nec ſic quod foret ejus opprobrium revelare, cùm ex divinæ paginæ didiceritis lectione quòd Cham maledictionem incurrit, quia patris pudenda non texit. Multò magis ergo in eo nobis parere debetis in quo ſecundùm conſcientiam noſtram, teſte Deo, juſtè nos credimus judicaſſe. Volumus etiam & diſcretioni veſtræ præcipiendo mandamus quatenus Warmatienſem Epiſcopum moneatis ut Eccleſia Maguntina dimiſſa, Warmatienſi Eccleſia ſic contentus, cui eſt adhuc ſpiritualis conjugij vinculo alligatus. Alioquin denuntietis eum illa etiam auctoritate noſtra privatum, & ſi neceſſe fuerit, excommunicationis eum ſententia feriatis, & excommunicatum ſingulis diebus dominicis & feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis, publicè nuntietis, & mandetis ab omnibus arctiùs evitari. Quòd ſi nec ſic receſſerit ab Eccleſia Maguntina, à nobis ſe noverit deponendum. Præterea nobilem virum Philippum Ducem Sueviæ moneatis ut ſe prædicto Epiſcopo non opponat quò minùs Maguntinam Eccleſiam tam in ſpiritualibus quàm temporalibus ſalubriter

valeat gubernare. Alioquin cùm nullus Imperator, nullus Princeps, Episcoporum translationi se unquam præsumpserit immiscere, nos ecclesiasticam libertatem in hoc & sedis apostolicæ dignitatem, quæ à prædecessoribus nostris ad nos hactenus emanavit, & à nobis ad successores nostros in finem seculi favente Domino protendetur, nullatenus pateremur infringi, quin pro ea potiùs, si necesse foret, animam poneremus. Datum Laterani X. Kal. Aprilis.

Scriptum est super hoc dicto Legato, Hildesemensi Episcopo, & Præposito Bonnensi.

Siffrido Archiepiscopo Maguntino &c. in eundem ferè modum usque cassationem postulationis factæ de Warmaciensi Episcopo ratam habemus, & electionem tuam auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Et ne quid ad executionem archiepiscopalis officij tibi desit, palleum, videlicet insigne plenitudinis pontificalis officij, fraternitati tuæ duximus concedendum. Nulli ergo &c. confirmationis &c. Datum Laterani XII. Kal. Aprilis.

Cabilonensi Episcopo & Abbati Cisterciensi.

Epist. 15. De absolutione Abbatis S. Sequani.

SIgnificantibus filiis dilectis G. Priore & conventu sancti Secani ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quòd Abbas eorum, de quo spem certam conceperant quòd ruinas monasterij resarciret, signum crucis de manibus dilecti filij nostri P. tituli S. Marcelli Presbyteri Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legati, suscepit & proposuit transfretare. Vnde quia ex ejus absentia paupertatem rerum temporalium, dissolutionem ordinis, & ædificiorum ruinam dicti Prior & monachi metuebant, postularunt à nobis ut vel eum absolveremus à voto peregrinationis emisso, vel faceremus illud in aliud commutari. Quare monasterio ipsi volentes paterna sollicitudine providere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, cùm ex defectu senilis ætatis idem Abbas asseratur impotens ad eundum, ipsum auctoritate nostra suffulti à voto hujusmodi absolvatis, sic tamen ut juxta vestræ discretionis arbitrium & sui monasterij facultates subventionem idoneam dirigat in subsidium terræ sanctæ, ac vacet devotiùs operibus pietatis, & ferventiùs ad observantiam ordinis & monasterij sui restaurationem intendat. Datum Laterani V. Idus Aprilis.

Capitulo Ragusino.

Epist. 16. Datur facultas eligendi propter diuturnam absentiam Archiepiscopi. Cap. 9. De cler. non resid.

QValiter Archiepiscopus vester temeritate propria recesserit ab Ecclesia Ragusina, nec jam ultra quadriennium expectatus redierit, & per literas nostras etiam revocatus, vestra universitas plenè novit, cùm sæpius apud nos super hoc deposueritis de ipso querelas, & vobis concedi postulaveritis licentiam eligendi. Nos autem expectantes diutiùs duximus expectandum si fortè reverteretur ad cor, & ad Ecclesiam suam, quam taliter reliquerat, remearet. Nolentes igitur quòd diutiùs Ecclesia ipsa pastoris maneat solatio destituta, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus, nisi forsitan jam redierit, vos post mensem à receptione præsentium personam vobis idoneam in Archiepiscopum eligatis, & electionem vestram nobis curetis quàm citiùs præsentare. Datum Laterani.

Regi Hungarorum.

Epist. 17. Hortatur Regem ad devotionem apostolicæ sedis. *Vide Rainaldum ad an.* 1202. § 9.

SCientes serenitatem regiam in devotione sedis apostolicæ solidatam, de ipsius prosperitate gaudemus, & felices successus ipsius, proprios reputamus. Vnde cùm nobis per dilectum filium N. nuntium suum intimasset sollicitudo regalis quòd terram Meganipani ad suum dominium revocasset, gavisi sumus in Domino, & ei qui dispersa congregat, & congregata conservat, gratiarum exsolvimus actiones. Credimus autem serenitatem regiam meminisse qualiter etsi olim ad instantiam ejusdem Meganipani disposuerimus Legatum nostrum mittere in Sarmam, tandem voluntate tua pleniùs intellecta, à proposito desistentes, magnificentiæ tuæ duximus deferendum. Monemus igitur magnificentiam tuam & exhortamur in Domino quatenus sicut nos tibi & regno tuo in hac parte detulimus, sic celsitudo regalis curet nobis & apostolicæ sedi deferri, institutiones Ecclesiæ Romanæ in terra ipsa servari præcipiens, eam pleniùs ad obedientiam nostram reducens, ut fiat unum ovile & unus pastor, cùm hoc ipsum tibi & regno tuo videatur plurimùm expedire. Datum Laterani.

Electo Cameracensi.

Epist. 18. De supplenda negligentia Prælatorum.

EX parte tua fuit nostris auribus intimatum quòd sæpe in diocesi Cameracensi contingit ut dum quempiam de ne-

gligentia sua circa debitam Ecclesiæ suæ providentiam &c. *ut in illa quæ mittitur Metensi Archidiacono in regesto quarti anni Domini Innocentij usque in finem.* Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum Laterani XIV. Kal. Aprilis.

Illustri Regi Anglorum.

Epist. 19. Invitatur Rex ad opera pietatis.

IN medio duorum hostium positus miser homo, dum caro adversùs ipsum & adversùs carnem spiritus concupiscit, dum corpus quod corrumpitur aggravat animam, vix potest in carne carnis sordes exuere & cum corruptibili non corrumpi, cùm sæpe Dalila prævaleat in Samsonem, & capiatur in amplexu virginis etiam unicornis. Sanè nulla pestis efficacior ad nocendum quàm inimici hominis domestici ejus, quibus tanto minùs resistitur quanto difficiliùs evitantur. Quis autem pugnam hujusmodi levem putet, quis eam valeat evitare, cùm Apostolus etiam de se dicat, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*, nisi qui ejus exemplo castigaverit corpus suum & in servitutem redegerit, ut caro spiritui & rationi serviat sensualitas? Non enim in hoc conflictu finis est æquanimiter expectandus, aut tamquam tutius medium eligendum, ut vel neutri faveatur omnino, vel utrique pariter faveatur; sed juvandus est spiritus, & caro contraria subjuganda. Verùm dum caro spiritum vel spiritus carnem culpat, immo, ut rectiùs dicamus, impugnat, nemo vivit absque peccato; quoniam si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et quia non tantùm lusisse in culpa est, sed non incidere quoque ludum, ad lamentum est pœnitentiæ recurrendum, ut sordes criminum confitentis abluantur lachrymis, & pulvis cogitationum pœnitentis suspiriis exsuffletur, fiatque majus gaudium angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente quàm super nonaginta novem justis qui noscuntur pœnitentia non egere, gaudemus & tui propositi puritatem in Domino commendamus quòd, sicut venerabilis frater noster Cantuariensis Archiepiscopus nobis intimare curavit, serenitas regia quæ prædiximus diligenter attendens, ei peccata sua, quæ ab ætate ineunte commisit, humiliter est confessa, & juxta consilium ejus Deo satisfacere repromisit. Idem autem Archiepiscopus saluti tuæ cupiens providere, inter alia tibi diligenter consuluit ac prudenter injunxit ut centum milites dirigas in subsidium terræ sanctæ in obsequio crucifixi per annum integrum moraturos, & monasterium instituas in quo conventus fratrum Cisterciensis ordinis statuatur. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus posteriorum oblitus, ad anteriora jugiter te extendas, nec retrorsum respicias, sed de cetero vaces operibus pietatis, & sic satisfacias de commissis ut caveas cautiùs committenda. Speramus enim quòd si te in operibus exercueris pietatis, & feceris quæ sunt placita coram Deo, prosperabitur regnum tuum, & honor regius temporaliter etiam recipiet incrementum. Nos autem de misericordia Dei omnipotentis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ut satisfactionis effectus tibi ab Archiepiscopo eodem injunctus, & sponte à tua devotione susceptus, in remissionem tibi proficiat peccatorum &c. Datum Laterani VI. Kal. Aprilis.

Boet. lib. 3. de cons. philos.

G. fratri militiæ templi familiari nostro & nobili viro Lug. & M. de Potentia Magistris Camerariis Apuliæ & terræ Laboris & ducatus Amalphiæ.

Epist. 20. Irritantur quæ à V.V. de Plear acta sunt.

AD nostram noveritis audientiam pervenisse quòd W. de Plear. exhausto thesauro regio, ne quid remaneret intactum, terras, possessiones, tenimenta demanij & montitij, molendina, & furnos, & macella, & alios redditus quibus voluit pro sua voluntate concessit, & concessionem suam sigillo regio, quod ipse tenuerat, confirmavit. Præterea cùm à quibusdam Ecclesiis, civibus, & mercatoribus pecuniam mutuò recepisset, & extorsisset ab aliis violenter, tandem ut læsos utrinque placaret, bajulationes concessit eisdem, & in dispendium Regis retorsit quod in suum & suorum commodum attentarat. Cùm igitur tantum Regis dispendium nec debeamus nec velimus æquanimiter sustinere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus & ea quæ ipse concessit, nonobstante appellatione vel contradictione cujuscunque, ad Regis dominium revocetis, & eos quibus bajulationes commisit, eisdem bajulationibus curetis auctoritate apostolica spoliare, nisi forsan vobis per literas nostras ostendant quòd eis fuerint per apostolicam sedem confirmatæ. Datum Laterani X. Kal. Maij.

Archiepiscopis Episcopis, Abbatibus, Prioribus & Vniversitatibus, Capitulis, Comitibus, Baronibus, Civibus, & aliis per Apuliam, & terram Laboris, & ducatum Amalphiæ constitutis.

Epist. 21. Providetur gubernationi Apuliæ & terræ Laboris.

AD vestram volumus audientiam pervenire quòd de dilecto filio G. fratris militiæ templi familiaris nostri & nobilis viri Lug. & M. de Potentia legalitate ac prudentia confidentes, constituimus eos Magistros Camerarios Apuliæ & terræ Laboris, & justitiariatus officium in demanio totius Apuliæ & terræ Laboris & ducatus Amalphiæ ipsis committimus exequendum. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur attentiùs, & per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus quatenus eis de omnibus præteritis & præsentibus & futuris quæ ad magisterium camerariatus pertinent intendatis, & de his quæ in demanio Regis ad justitiariam spectare noscuntur, curetis eisdem ad mandatum & Regis honorem & regni profectum humiliter intendere. Datum Anagniæ X. Kal. Maij.

VVigorniensi Episcopo.

Epist. 22. De facultate appellandi sedem apostolicam. Cap. 47. de appellat.

EX parte tua fuit propositum coram nobis quòd cùm inter Anglicos & Wallenses sint inimicitiæ manifestæ, & ad partes illas Anglicis periculosus sit transitus pro viarum periculis & guerra, quæ inter gentes illas frequens esse dinoscitur vel continua, multi de causæ suæ meritis diffidentes te aliquando vel tuos auctoritate literarum nostrarum trahere satagunt ad judices in Wallia constitutos, ut sic indefensas causas, etiam justissimas, relinquatis, vel compositionem subeatis injustam pariter & damnosam. Cùm igitur causas quas committimus sic velimus fine debito terminari quòd neutra partium contra justitiam aggravetur, fraternitati tuæ præsenti pagina taliter respondemus, quòd cùm talis excusatio sit honesta, cùm ad præsentiam delegatorum judicum non potest securè venire citatus, tu vel tui, quotiens ad illos judices vos evocari contigerit ad quorum præsentiam vobis periculosum est ire, liberè poteritis ad sedem apostolicam appellare, etiamsi in literis commissionis nostræ appellationis fuerit remedium interclusum, nisi judices ipsi vobis assignent locum idoneum & securum. Datum Laterani X. Kal. Maij, pontificatus nostri anno quinto.

Eidem.

Epist. 23. Interdum non esse defendendum appellationibus.

LIcèt appellationis obstaculum ad remedium inventum fuerit oppressorum, multi tamen oppressi indulto beneficio abutentes, illud in clypeum iniquæ defensionis assumunt, ut & correctionem valeant effugere prælatorum, & liberiùs quæ religionem non sapiunt exercere. Ad audientiam siquidem nostram te significante pervenit quòd cùm ad abbatias & alias domos conventuales tuæ diocesis, juxta quod officij tui sollicitudo deposcit, visitaturus accedis, ut errata corrigas, ædificanda ædifices, & destruenda destruas, Abbates, Priores, seu alij locorum eorundem rectores, ut canonicam correctionem evirent, appellationis obstaculum interponunt, ac sic tuum conantur propositum impedire, ut neque de intrinseca vel extrinseca correctione locorum ipsorum aliquid valeas ordinare. Volentes igitur & fraternitati tuæ deferre & præsumptionibus occurrere malignantium, devotioni tuæ auctoritate præsentium indulgemus ut quotiens te ad Ecclesias conventuales diocesana tibi lege subjectas necessitas vel utilitas traxerit, non obstante appellationis objectu, si qua interposita fuerit in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ, liberè de prudentum & religiosorum consilio in eis corrigenda corrigas & statuas quæ secundùm Deum fuerint statuenda. Datum Laterani VIII. Kal. Maij.

Decano & Capitulo Cathalaunensi.

Epist. 24. De electione Episcopi Catalaunensis.

CVm nuper Ecclesia vestra pastoris foret regimine destituta, vos convenientes in unum, super electione habuistis Pontificis substituendi tractatum, sed intelligentes quòd vestra vota erant divisa, licèt aliquos duxeritis nominandos, ad electionem tamen nullatenus processistis, sed ad sedem curastis potiùs apostolicam appellare. Cùm ergo dilectus filius R. Archidiaconus & G. Canonicus vester ex una parte ad nostram præsentiam accessissent, postulabant à nobis dilectum filium Willelmum de Iovisvilla Ecclesiæ vestræ Canonicum in Episcopum sibi dari. Verùm dilectus filius Decanus Meldensis, qui pro parte altera missus fuerat procurator, licèt proponeret dilectum filium I. majorem Archidiaconum Ecclesiæ à parte pro qua venerat postulatum, petiit tamen ex adverso electionis vobis licentiam non auferri, sed remitti potiùs utramque pariter

ad Ecclesiam memoratam, ut illic vobis personam eligeretis idoneam in pastorem. Nolentes igitur vos eligendi potestate privare, & partes ad propria remittentes, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus districtè præcipimúsque quatenus infra mensem pro præsentationem literarum istarum personam idoneam de gremio ejusdem Ecclesiæ, si talis in ea poterit reperiri, vobis canonicè in Episcopum eligatis, & si electio facta fuerit in concordia, ipsam venerabili fratri nostro W. Remensi Archiepiscopo sanctæ Sabinæ Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legato repræsentare curetis; quam si canonicè factam repererit & de persona idonea celebratam, per eum mandavimus confirmandam, & electum in Episcopum consecrandum. Quòd si forsan non poteritis convenire, sed plures duxeritis eligendos, eidem Archiepiscopo & venerabili fratri Episcopo Parisiensi & dilecto filio Primicerio Metensi dedimus in mandatis ut omni gratia & timore postpositis, examinatis prudenter & studiis eligentium & meritis electorum, quem magis utilem Ecclesiæ viderint, electionem ipsius, dummodo canonica reperiatur, nullius contradictione vel appellatione obstante confirment, reducentes in irritum si quid ante susceptionem præsentium literarum invenerint attentatum, alioquin utraque electione cassata personam vobis idoneam sublato appellationis obstaculo in Episcopum assignare procurent, ut vos ipsi tanquam Episcopo vestro debitam exhibeatis reverentiam & honorem, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes; si verò non omnes his exequendis valuerint aut noluerint interesse vel etiam convenire, prædictus Parisiensis Episcopus cum altero ea nihilominus exequatur. Datum Laterani VIII. Kal. Maij.

Patriarchis, Archiepiscopis, Abbatibus, Prioribus, & universo clero in transmarinis partibus constitutis.

Epist. 25. De Legatis destinatis in terram sanctam. Vide gesta Innocentij III. cap. 46.

SI sub potenti manu Domini humiliasset se populus Christianus, nec præsumpsisset contra stimulum calcitrare, sed flagellum quod ex justo judicantis judicio suæ videbat imminere cervici, suis criminibus imputasset, ascendisset ad Dominum forsitan clamor noster, & ipse qui miserator & misericors est, tristitiam nostram in gaudium convertisset. Verùm quia omnes declinavimus, simul inutiles facti sumus, nec est qui faciat bonum etiam usque ad unum, nec placatus est hactenus Dominus nec pepercit, sed usque nunc manus ejus mansit ad flagellum extenta. Sanè si dissimulasset populus cismarinus crucis injuriam & opprobrium crucifixi, nec se flagellatum in occupatione terræ nativitatis dominicę credidisset, vos tamen, qui & strages vestrorum & victrices hostium acies è vicino vidistis, non debuistis profanationem civitatis Hierosolymitanæ, coinquinationem templi dominici, vincula & captivitates vestrorum, occisionem gentis nostræ, ac translationem salutiferæ crucis, in qua salus mundi pependit, siccis oculis intueri, qui debuerant potiùs deducere lacrymas per diem & noctem, ut sic saltem Dominum ad misericordiam provocarent; quatinus cùm vos conversi fuissetis ad ipsum, & ipse converteretur ad vos, & propitius fieret peccatis vestris, & vestræ dignaretur miseriæ misereri. Verùm quia nec cismarini nec ultramarini hactenus, sicut debuerant, Dominum placaverunt, quasi frustra prædecessores nostri Romani Pontifices laborarunt, frustra laboravit etiam populus Christianus, nisi forsan quamplures, etsi Hierusalem terrenam recuperare nequiverint, cælestem tamen, ut credimus, palma martyrij adepti sunt. Cùm ergo nos, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, fidelium populos ad subsidium terræ sanctæ duxerimus commonendos, etiam eo favente qui actiones nostras aspirando prævenit & prosequitur adjuvando, multi nobiles & potentes de regno Francorum, immo etiam multa de diversis partibus multitudo assumpserint signum crucis, & in subventionem vestram viriliter accingantur, ne, quod absit, inanis sit labor eorum, zizania inter eos superseminante homine inimico, si angelus qui de ipsorum medio colligat omnia scandala non mittatur, dilectis filiis nostris S. tituli sanctæ Praxedis & P. tituli sancti Marcelli Presbyteris Cardinalibus apostolicæ sedis Legatis, viris providis & discretis, tam in opere quàm sermone potentibus, laborem injunximus peregrinationis, ut uterque, vel alter eorum, exercitum Domini cum humilitate præcedat, & eum in concordia foveat, & ad pacem revocent impacatos. Verùm ne in vacuum nos & ipsos laborare contingat, si ultrà maligni populi demereantur merita quòd cismarini non de suis meritis sed divina potiùs mise-

ratione sperantes obtinere nitantur, universitatem vestram monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus tales vos exhibere curetis & sic commissos vobis populos informetis ad opera pietatis ut cùm vobis & nobis fuerit complacatus, exercitui suo vim tribuat, & inimicos crucis in eorum tradat manibus, & confundat hereditatem suam, heredibus Dei, coheredibus autem Christi restituens, ut inhabitent in ea qui diligunt nomen ejus. Volumus etiam & discretioni vestræ præcipiendo mandamus ut prædictos apostolicæ sedis Legatos sicut personam nostram, immo nos in eis benignè recipere ac honorificè pertractare curetis, salubria monita & statuta ipsorum, quæ per se vel nuntios aut literas suas duxerint facienda, suscipientes humiliter & inviolabiliter observantes, & convenientes ad vocationem ipsorum. Alioquin sententiam quam uterque vel alter eorum tulerit in rebelles, ratam haberi volumus & inviolabiliter observari. Nos enim eorum utrique legationis officium duximus committendum, ut in terris suæ legationi commissis evellant, destruant, disperdant, ædificent & plantent, prout quæque sollicitudine sua cognoverint indigere, ac in illis, cùm de paganorum manibus fuerint liberati, statum Christianitatis reforment, & statuant quæ secundùm Deum & fidem catholicam viderint statuenda. Vt autem nihil eis desit ex his quæ ad plenitudinem legationis pertinent exequenda, plenariam illis concedimus facultatem ut cùm necesse fuerit, vice nostra etiam illa exequantur quæ nostro sunt speciali privilegio reservata, firmiter inhibentes ne quis eorum processum provocationis objectu audeat impedire. Quod autem scribimus communiter pro ambobus, specialiter etiam pro utroque mandamus, si forsan non poterunt convenire. Datum Laterani.

S. tituli S. Praxedis Presbytero Cardinali, apostolicæ sedis Legato.

Epist. 26. Committitur ipsi legatio in orientem.

CVm aliquos ex fratribus nostris exigentibus variis Ecclesiæ necessitatibus ad varias provincias destinamus, sic debemus injunctæ illis legationis onus jurisdictione auctoritatis ecclesiasticæ compensare, ne ipsorum fiat labor inanis, si tenuis eis fuerit collata potestas, cùm plerique ipsorum præsumant propositum impedire quos præsumptionem suam intellexerint non posse districtionis ecclesiasticæ gladio pio cohibere. Cùm ergo te in ultramarinam provinciam de fratrum nostrorum consilio non tam Ecclesiæ quàm totius populi Christiani exigente necessitate à nostro latere destinemus, plenæ legationis officium tuæ discretioni committimus, ut cum dilecto filio P. tituli S. Marcelli Presbytero Cardinale apostolicæ sedis Legato, quem ad partes destinamus easdem, vel etiam per te solum, evellas, destruas, dissipes, ædifices, & plantes juxta quod quodlibet sollicitudine tua cognoveris indigere. Vt autem nihil tibi desit ex illis quæ ad plenitudinem legationis pertinent exequenda, plenariam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem ut cùm necesse fuerit vice nostra illa etiam exequaris quæ nostro sunt speciali privilegio reservata, firmiter inhibentes ne quis processum tuum provocationis objectu audeat impedire. Tu ergo, tanquam vir providus & discretus, sic deferas apostolicæ sedis honori sicut tibi vides ab ipsa deferri, ut & nos consulas in quibus videris consulendos, & plenitudinem auctoritatis nostræ requiras in quibus eam cognoveris requirendam, & sic modestè procedas in omnibus & discretè ut & quæ agenda sunt agas, & ab illis abstineas à quibus fuerit abstinendum, ac talem te omnibus exhibere procures ne cui meritò possis esse suspectus. Datum ut supra.

Capitulo Andegavensi.

Epist. 27. De electione Episcopi Andegavensis.

CVm olim Ecclesia vestra vacasset, & vos de præficiendo vobis Pontificis electione tractantes convenire non potuissetis in unum, quidam vestrum dilectum filium W. Archidiaconum ejusdem Ecclesiæ, quidam verò .... Cantorem sancti Martini Turonensis, sicut dicitur, elegerunt. Cùmque venerabili fratri nostro Octaviano Ostiensi Episcopo tunc apostolicæ sedis Legato utraque fuisset electio præsentata, ipse auditis quæ fuerant hinc inde proposita, utramque cassavit; sed utraque pars ad nostram duxit audientiam appellandum. Verùm cùm dilecti filii Robertus, Hugo, & Reginaldus concanonici vestri ex una parte ad nostram præsentiam accessissent, postulabant à nobis memoratum Archidiaconum in Episcopum sibi dari, magister verò Petrus & Bricius Canonici ejusdem Ecclesiæ, qui pro alia accesserant, ex adverso petebant vobis electionis licentiam non auferri, sed remitti potiùs utramque partem ad Ecclesiam me-

moratam, ut illic vobis eligeretis personam idoneam in pastorem. Nolentes igitur vos eligendi potestate privare, ipsos ad propria duximus remittendos, per apostolica vobis scripta districtè præcipiendo mandantes quatenus infra mensem post susceptionem præsentium personam idoneam canonicè vobis in Episcopum eligatis, & si electio facta fuerit in concordia, ipsam venerabili fratri nostro Turonensi Archiepiscopo præsentetis, qui eam, si canonicè factam repererit & de persona idonea celebratam, metropolitica fretus auctoritate confirmet, & electum in Episcopum non differat consecrare. Quòd si forsan non potueritis convenire, sed plures duxeritis eligendos, noveritis nos venerabilibus fratribus nostris.... Bituricensi & eidem Turonensi Archiepiscopis & Episcopo Lexoviensi per scripta nostra mandasse ut ipsi, omni gratia & amore postpositis, examinatis prudenter & studiis eligentium & meritis electorum, si alterutram electionem invenerint confirmandam, eam cessante cujuslibet contradictione & appellatione confirment, alioquin utraque cassata vobis personam idoneam sublato appellationis obstaculo in Episcopum assignare procurent, vos ut ipsi tanquam Episcopo vestro debitam exhibeatis reverentiam & honorem monitione præmissa per censuras appellatione postposita compellendo. Datum Laterani IV. Kal. Maij.

Scriptum est illis super hoc, addito: Non obstantibus literis ad venerabilem fratrem nostrum Pictavensem Episcopum & conjudices suos ab his qui priùs venerant impetratis. Quòd si non omnes his exequendis valueritis aut nolueritis interesse vel etiam convenire, tu frater Bituricensis cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Laterani ut suprà.

Capitulo Pragensi.

Epist. 28. De absolutione Episcopi Pragensis. *Cap. Veniens. De accusat.*

VEniens olim ad apostolicam sedem dilectus filius A. Pragensis Canonicus contra venerabilem fratrem nostrum Pragensem Episcopum proposuit coram nobis quòd cùm esset filius sacerdotis, in Ecclesiam fuerit Pragensem intrusus, & contra ejusdem Ecclesiæ privilegium imperiali ei liberalitate concessum, & per sedem apostolicam confirmatum, hominium dilecto filio nobili viro Duci Bohemiæ præstitisset, & regalia recepisset ab eo, sic subiciens Pragensem Ecclesiam servituti. Proposuit etiam quòd uxorem evidenter haberet, de qua filios generavit, quòd sit sigillum adulterinum confinxit, quòd sit ebriosus, fornicator, publicus histrio, ita quòd quadam vice cum duobus joculatoribus contra tres alios histriones certamine inito enormiter fuit læsus in naso & eo ferè, sicut apparet hodie, mutilatus, & unus reliquorum trium joculatorum, contra quos decertabat, qui ibidem interiit, ab eo creditur interfectus. Ad hoc subjunxit idem A. quòd thesauro Ecclesiæ Pragensis usque ad mille marcas per eum malè distracto, consiliariis ipsius Ducis usque ad quinquaginta villas & ampliùs conferre non timuit in grave Pragensis Ecclesiæ detrimentum, & ipsi Duci notabile quoddam castrum dedit, quod eidem Ecclesiæ pietatis intuitu fuit ab O. quondam Duce collatum. Vnde prædictum Episcopum ad festum beati Martini proximè tunc futurum meminimus vos peremptoriè citavisse, sed tandem ad petitionem ipsius, usque ad festum resurrectionis dominicæ tunc primò venturum ipsi datas duximus inducias propagandas. Idem verò Episcopus per nuntios & literas ad suam excusationem viarum discrimina, consecrationem chrismatis imminentem, & quòd filius nobilis viri Bohemiæ Principis esset per ipsum baptizandus, tunc temporis allegavit. Licèt autem excusationes hujusmodi, sicut erant, frivolas æstimantes, ipsum reputaverimus contumacem, nec procuratores ejus in causa possemus admittere criminali, eis tamen dilectos filios nostros G. sancti Angeli & H. sancti Eustachij Diaconos Cardinales concessimus auditores, ut si possent, ipsum aliquatenus excusarent. Cùmque prædictus A. coram eis repetisset objecta, ei fuit ex adverso responsum quòd cùm olim super hoc ad venerabilem fratrem nostrum C. Magdeburgensem Archiepiscopum literæ fuerint impetratæ, idem A. qui contra Episcopum solus agebat, in objectorum se videns probatione deficere, depositis vestibus & pedibus nudis ad pedes ejus humiliter se prosternens veniam postulavit, & quòd adversùs eum calumniosè processerat est confessus. Ceterùm cùm super hoc stare mandatis ejusdem Archiepiscopi juravisset, ipse præcepit eidem sub debito præstiti juramenti ut contra eundem Episcopum de cetero talia proponere non auderet. Nos igitur intellectis per Cardinales eosdem quæ fuerunt hinc inde proposita, cùm

cùm nobis ex ipsius A. confessione constaret ipsum juramentum hujusmodi præstitisse ac tale recepisse mandatum, super impetitione prædicti Episcopi silentium ei duximus imponendum, propter contumaciam tamen Episcopo citationem & purgationem propter infamiam indicentes, & venerabili fratri nostro Archiepiscopo Salsburgensi per apostolica scripta mandantes quatenus eundem Archiepiscopum denuntians ab officio pontificali suspensum, donec post purgationem suam iter arriperet ad sedem apostolicam veniendi, ab eo publicè cum duobus Episcopis & tribus Abbatibus, qui bonæ opinionis existerent & vitam ejus nossent tam illo tempore quàm transacto, nisi aliquod prædictorum esset adeo manifestum ut propter illud ab ejusdem Ecclesiæ prælatione deberet meritò amoveri, canonicam purgationem super objectis reciperet, ex parte nostra injungens eidem ut usque ad dominicam qua cantatur *Lætare Hierusalem* proximè tunc futuram nostro se conspectui præsentaret; quòd si forsan in purgatione deficeret, aut nostro se contemneret conspectui præsentare, ipsum à Pragensis Ecclesiæ prælatione sublato appellationis obstaculo amoveret, licentiam vobis auctoritate nostra concedens alium per electionem canonicam in Episcopum eligendi. Ceterùm cùm prædictus Salsburgensis Archiepiscopus ad nostram præsentiam à quibusdam Principibus mitteretur, vices suas dilectis filiis Præposito & N. Decano Salsburgensi delegavit, asserens quòd Episcopum ipsum ad præsentiam suam bis peremptoriè citavisset. Vnde cùm Episcopus ad terminum sibi secundò præfixum nec ivisset, nec misisset aliquem responsalem, qui suam saltem absentiam excusaret, delegati prædicti, sicut per suas nobis literas intimarunt, in eum excommunicationis sententiam protulerunt. Sed quoniam Episcopus tandem accedens ad eos, quòd citatio Archiepiscopi nullatenus pervenisset ad cum proprio juramento firmavit, absolutionis ei beneficium præstiterunt. Deinde discussa diligentiùs veritate, cùm nullum depositione dignum de objectis ei criminibus notorium invenissent, admiserunt purgationem ipsius, cùm venerabiles fratres nostri Ratisbonensis & Hamburgensis Episcopi & dilecti filij C. de Brumen, B. de Sazau, S. de Cladomb. Abbates eum pariter compurgarent, & ipsum tandem ab objecta sibi absolventes infamia, in integritatem bonæ famæ restituere curaverunt, & injunxerunt eidem ut nostro se conspectui præsentaret, quod ipse tàm celeriter quàm humiliter adimplevit. Nos igitur laboribus ejus pio compatientes affectu, & gravaminibus volentes in posterum præcavere, ipsum cum gratiæ nostræ plenitudine ad vos remittimus absolutum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatenus bonæ famæ denuntietis eundem, & ei de cetero sicut patri & pastori vestro debitam exhibeatis reverentiam & honorem, & si quis eum temerè super prædictis impetere fortè voluerit, præsumptionem ejus monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Datum Laterani III. Non. Maij.

Nobili viro .... Comiti Tropea.

Epist. 29.

NObilitati tuæ, quam hactenus fidelem & devotam sumus experti cùm, *ut in illa quæ fit Comiti Celanensi in regesto quarti anni Domini Innocentij.*

Archiepiscopo Rothomagensi.

Epist. 30. Vt rebelles Regis Anglorum castiget.

FRaternitatem tuam credimus non latere qualiter carissimo in Christo filio nostro Iohanni illustri Regi Anglorum, quantum cum Deo potuimus, adesse curaverimus hactenus & deferre, inter ipsas primitias promotionis ipsius ad exaltationem regiam intendentes. Ne igitur credamur mutasse propositum vel aliter quàm olim sentiebamus de ipso sentire, nunc etiam ipsum sinceræ dilectionis brachiis amplexamur, & in magnificentia sua manutenere volumus & fovere. Ideo fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quòd si qui in Normannia vel aliis partibus cismarinis eidem Regi subjectis contra eum præsumpserint rebellare, & ipsi debitam subtraxerint reverentiam & honorem, præsumptionem eorum auctoritate nostra suffultus monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas, mandatum apostolicum taliter impleturus quòd & nostram & regiam gratiam valeas uberiùs promereri. Datum Laterani Non. Maij.

A. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Veronensi Episcopo.

Epist. 31. De archidiaconatu Veronensi.

CVm olim dilectus filius G. tituli Mariæ Transtyberim Presbyter Cardinalis in Lombardiæ partibus legationis offi-

cio fungeretur, & ad ejus audientiam pervenisset quòd archidiaconatus Veronensis Ecclesiæ tanto tempore jam vacaverat quòd secundùm Lateranensis Concilij decreta ad nos ejus erat donatio devoluta, ipse dilectum filium G. Subd. nostrum Canonicum basilicæ beati Petri Archidiaconum Veronensem instituit, &c.... Clericum de eodem archidiaconatu ipsius nomine investivit, tibi & Clericis Veronensibus literis suis districtè præcipiens ut ipsum G. in Archidiaconum Veronensem recipere ac omnia quæ ad archidiaconatum spectabant ei curaretis in integrum assignare. Vos verò credentes vobis super institutione hujusmodi non modicum gravamen inferri, nuntios vestros ad sedem apostolicam destinatos misistis, rationes multiplices proponentes quare prædicta Cardinalis institutio facta de Archidiacono non teneret. Vnde nos inquisitionem totius negotij venerabili fratri nostro Ferrariensi Episcopo & dilectis filiis Abbati de Vangadicia & Priori sancti Salvatoris de Ficarol. duximus committendam, apostolica ipsis auctoritate mandantes ut attestationes utriusque partis redactas in scriptis sub sigillis suis nostro apostolatui destinarent, præfigentes vobis terminum quo receptum sententiam ad nostram præsentiam veniretis. Ipsi verò juxta mandatum nostrum in ipso negotio procedentes, receptas attestationes utriusque partis nostro apostolatui direxerunt; ac tu cum quibusdam Clericis Veronensibus pro ipsius decisione negotij ad nostram præsentiam accessisti. Cùmque super ipso negotio fuisset coram nobis aliquandiu disceptatum, mediantibus tandem venerabili fratre nostro Octaviano Episcopo Ostiensi & dilecto filio Petro tituli sanctæ Cæciliæ & Iohanne tituli sanctæ Priscæ Presbyteris Cardinalibus causa eadem de licentia nostra fuit per arbitrium terminata. Verùm ne te vel successores tuos, clerum vel Ecclesiam Veronensem contingat aliquando super hoc indebitè molestari, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ut absque speciali mandato Romani Pontificis, quod etiam non sit per suppressionem veritatis aut expressionem falsitatis elicitum, circa institutionem Archidiaconi vel ordinationem archidiaconatus Ecclesiæ Veronensis nullus omnino procedat, nisi fortè Veronensis Episcopus & ejus capitulum unanimi consensu canonicè duxerint procedendum. Quòd si contra formam hujusmodi cujuscunque fuerit temeritate processum, nos quod taliter fuerit attentatum decernimus irritum & inane. Nulli ergo &c. prohibitionis & constitutionis infringere. Datum Laterani VI. Idus Maij.

Vide infrà epist. 34.

Eidem.

Epist. 32. Adversùs improbas appellationes. Vide Raynaldum ad an. 1202. § 7.

TVa nobis fraternitas intimavit quòd quidam Abbates, Priores, monachi, & alij Clerici Veronensis diocesis nimis dissolutè viventes, non verentur multa turpia perpetrare & lucris illicitis inhærere, quibusdam etiam, quod deterius est, maculatis hæretica fœditate, quorum malitiam detestandam si quando juxta debitum pastoralis officij extirpare labores, ut liberiùs in malitia concepta perdurent, vocem protinus appellationis emittunt, ut ita imposito tibi silentio, canis mutus non valens latrare dicaris & fautor etiam vitiorum. Quare indulgeri tibi suppliciter postulabas ut non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, in eis posses talia emendare. Nos igitur tibi tanquam fratri carissimo, quantum justitia sinit, deferre volentes, ne hujusmodi prætextu maleficia quæ publicè interest puniri, remaneant impunita, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus quatenus cùm appellationis remedium non ad defensionem iniquitatis, sed ad subsidium innocentiæ fuerit institutum, si præmissi excessus & similes in his qui diocesana sunt tibi lege subjecti fuerint manifesti, cùm secundum traditiones canonicas accusatione non indigeant manifesta, in eos qui talia perpetrarint provocationis obice nonobstante rigorem exercere judiciarium non omittas. Si verò adversùs aliquos Clericorum prædictorum super non manifestis criminibus quæstio coram te fuerit intentata, semoto appellationis diffugio, si qua interposita fuerit in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ, per districtionem ecclesiasticam hujusmodi poteris coërcere. Nulli ergo &c. concessionis &c. Datum ut suprà.

Eidem.

Epist. 33. De eodem argumento.

TVa nobis fraternitas intimavit quòd laici Veronensis diocesis, viri etiam & feminæ, nimis dissolutè viventes, non verentur quæque turpia perpetrare, quibusdam macularis hæretica fœditate, nonnullis, adulteriis & usuris, aliorúmque criminum generibus variis & diversis. quo-

rum, malitiam detestandam si quando juxta debitum &c. *in eundem modum ut suprà usque in finem.* Datum ut suprà.

Eidem.

Epist. 14. Vide suprà epist. 51.

CVm pro quæstione archidiaconatus Veronensis Ecclesiæ de quo dilectum filium G. Subdiacoonm nostrum Canonicum basilicæ beati Petri iovestierat dilectus filios G. tituli sanctæ Mariæ Trans Tyberim Presbyter Cardinalis, cùm in Lombardiæ partibus legationis officio fungeretur, tu & idem G. in nostra effetis præsentia constituti, & coram nobis & fratribus oostris super attestationibus quæstionis ejusdem, quæ de mandato nostro fuerunt in Lombardia receptæ, fuisset aliquaodiu disceptatum, tandem eodem G. omni juri quod ex iostitutione facta per Cardinalem prædictum & electione per Caoonicos Veronenses in Archidiaconum Veroneosem habebat, in manibus venerabilis fratris nostri Octaviani Ostiensis Episcopi & dilectorum filiorum B. tituli sanctæ Cæciliæ & I. tituli sanctæ Priscæ Presbyterorum Cardinalium renuntiante omnioo tu & idem G. eorundem Episcopi & Cardinalium de licentia nostra vos arbitrio commisistis, qui deliberato coosilio dictum G. Canonicum Veronensis Ecclesiæ instituere curaverunt, & ad augmentandos reditus ejus in ipsa Ecclesia tantum dari eidem à te de redditibus episcopalibus præceperunt unde centum libras Veronenses recipiat annuatim. Nos igitur quod per prædictos Episcopum & Cardinales deliberatione provida de licentia nostra & communi fratrum nostrorum assensu dinoscitur esse factum, ratum habeotes, eorum arbitrium, sicut est sioe pravitate collatum, & ab utraque parte sponte receptum, auctoritate apostolica coofirmamus & præseotis scripti pagina communimus. Nulli ergo. Datum ut suprà.

Bituricensi Archiepiscopo, Episcopo Nivernensi, & Abbati Cluniacensi.

Epist. 15. Quomodo procedendum sit adversùs suspectos de hæresi. Vide lib. 2. epist. 61 99 & lib. 10. epist. 206

ACcedentes nuper ad apostolicam sedem burgenses de Cbaritate contra venerabilem fratrum nostrum Altissiodorensem Episcopum querimoniam iotenderunt, asserentes quòd cùm olim idem Episcopus in eos taoquam suspectos de hæresi excommunicationis sententiam promulgasset, ipsi tandem ad dilecti filij nostri P. tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis apostolicæ sedis Legati præsentiam accedentes, juraverunt se mandatis Ecclesiæ parituros. Vnde Cardinalis ipse io Concilio apud Divionem habito præsentibus multis Archiepiscopis & Episcopis eos tam ab excommunicatione quàm infamia prorsùs absolvit, & pœnitentiam eis comperentem injunxit, quam ipsi postmodum humiliter compleverunt. Cùmque sicut eis injunctum fuerat ad nostram præseotiam accessissent, de processu negotij per Cardinalem eundem redditi certiores, pro ipsis venerabilibus fratribus nostris Eduensi & bonæ memoriæ Matisconensi Episcopis & tibi, fili Abbas, nostras curavimus literas destinare, ut eos, qui ad præsentiam nostram accesserant, denuntiaretis auctoritate nostra catholicos & fideles, nec permitteretis eos ab aliquo super erroris infamia propulsari, dummodo nihil de cetero contra fidem catholicam machinentur opere vel sermone. Mulieres autem quasdam de Cbaritate, quæ pro simili causa nostro se conspectui præsentarunt, & oos eis feceramus beneficium absolutionis impendi, senes quoque ac valetudinarios, & mulieres, quos hæc infamiæ nota resperserat, & propter boc fuerant vinculo excommunicationis astricti, vestræ discretioni commisimus, ut statueretis de ipsis quod videretis secundùm Deum & fidem catholicam statueodum. Verùm dictus Altissiodorensis Episcopus nec sic ab eorum molestatione desistens contra eos primò ad veoerabiles fratres nostros Parisiensem, Suessionensem, & Silvanecteosem Episcopos, secundò ad dilectos filios Decanum Parisiensem, Magistrum scholarum Aureliaoensium, & Magistrum P. Werel. literas impetravit. Cùm aotem secuodi judices attendentes quòd per literas directas ad ipsos primæ noo fuerant literæ revocatæ, burgenses ipsos à jurisdictione sua penitùs absolvissent, intelligentes burgenses ipsi quòd idem Episcopus malitiosè ageret cootra eos, cùm ut gravaret famam eorum, ad diversos judices literas impetraret, nec causam prosequeretur postmodum coram ipsis, ad oostram audientiam appellarunt. Superveniens autem supradictus Episcopus proposuit ex adverso quòd cùm olim prædicti borgenses super hæretica pravitate fuissent mala fama respersi, nec ipsius se voluissent conspectui præsentare, qui propter hanc causam frequenter ad villam eorum de Cbaritate cum multis viris religio-

sis accessit, in eos excommunicationis sententiam prumulgavit, tandem verò ad villam eandem propter hoc bonæ memoriæ Senonensem Archiepiscopum cum quibusdam suffraganeis ejus adduxit; sed burgenses ipsi eorum præscientes adventum, se tunc temporis absentarunt. Archiepiscopus autem cùm diem eis apud Altissiodorum assignasset, nec ipsi voluissent in ejus præsentia comparere, testes contra ipsos recepit, & eos tandem tanquam hæreticos condemnavit. Et licèt in Concilio apud Divionem habito à Legato dicti burgenses curaverint comparere, in eo tamen non de condemnatione ipsorum sed excommunicatione solummodo fuit actum. Præterea burgenses ipsi injunctam sibi pœnitentiam non servarunt, sed factus est potiùs novissimus error priore deterior, cùm participare postmodum hæreticis contra sacramentum proprium præsumpsissent. Vnde cùm ipsi burgenses in absolutione sua se tanquam hæreticos & publicanos petierint evitari si mandatis Ecclesiæ non parerent & injunctam sibi pœnitentiam non servarent, excommunicari meruerant & ab omnibus evitari. Licèt autem dicti burgenses proposuerint assertivè quòd nec priùs nec postea participassent hæreticis, sicut objectum fuerat ex adverso, tandem confessi fuerunt quòd quidam eorum, priusquàm Legati se conspectui præsentassent, participarant eisdem, sed postmodum ab eorum communione curarunt penitùs abstinere, injunctam sibi pœnitentiam adimplentes. Verùm Episcopus cum instantia postulabat ut vel ipsi articulos in quibus erraverunt, se fatentes errasse, proponerent in communi, vel testes reciperentur quos ipse produceret ex adverso. Cùm igitur tanto in his sit sollicitiùs procedendum quanto sine fidei fundamento, quod superædificatur, minùs, immo nequaquam poterit prævalere, quia sine fide impossibile est placere Deo, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus nisi dicti burgenses publicè ac distinctè suum confiteantur errorem & profiteantur catholicæ fidei veritatem, & juxta vestræ discretionis arbitrium sufficientem cautionem præstiterint, & satisfactionem exhibuerint competentem, testes quos idem Episcopus vel alius super hæretica pravitate, hæreticorum communione, vel pœnitentia non servata, vel aliis ad ipsum negotium pertinentibus, duxerit producendos, accipere procuretis. Et si vobis de aliquo constiterit prædictorum vel alio quod ad damnationem eorum sufficiat, ipsos in priorem sententiam reducatis, & tanquam ethnicos & publicanos mandetis ab omnibus evitari, commonentes attentiùs & efficaciter inducentes Principem secularem ut ex quo nos quod ad officium nostrum pertinet fuerimus executi, ipse quod ad eum pertinet exequatur, attentiùs provisuri ut si fidem diligitis, mandatum nostrum fideliter impleatis. Quòd si non omnes &c. duo &c. Datum Laterani IV. Idus Maij.

Iovino Magistro scholarum Aurelianensium.

Epist. 36. De electione Prioris Traciacensis.

Ecclesia sancti Austregisili Traciacensis suo viduata Priore, & votis fratrum ipsius super electione facienda discordantibus invicem, tandem appellatione facta partes ad nostram præsentiam accesserunt, quibus dilectum filium L. tituli sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem dedimus auditorem; in cujus præsentia dilectus filius magister P. de Vico, qui se à majori & saniori parte asserebat electum, taliter proponebat, quòd de consuetudine Ecclesiæ Traciacensis existit ut cùm eam Priore carere contingit, fratres ejusdem Ecclesiæ tres de Canonicis sancti Austregisili Bituricensis, quam tanquam matricem habent Ecclesiam & majorem, eligere ac nominare tenentur, Decanus verò & Capitulum ipsius majoris Ecclesiæ unum ex tribus nominatis, quem tamen voluerint, eis in Priorem assignant. Accidit ergo quòd Priore Ecclesiæ supradictæ defuncto, Canonici ejus cœperunt de substituendo Priore tractare, & cùm omnes ferè in ipsum magistrum P. Canonici majoris Ecclesiæ convenirent, Decanus suus, qui ex familiari odio prosequebatur eundem, cœpit multis modis laborare qualiter posset impedire promotionem ipsius, quosdam ex Canonicis minoris Ecclesiæ precibus, quosdam minis studens revocare à proposito jam concepto. Sed major pars per ipsum magistrum suæ prævidens utilitatem profuturam Ecclesiæ, in suo constanter perseveravit proposito, & ipsum magistrum convocatis his qui vocandi erant, secundùm consuetudinem minoris Ecclesiæ, in Priorem unanimiter nominavit, & nominatione illa majoris Ecclesiæ Capitulo præsentata, pars major ipsi nominationi favorem præbuit pariter & assensum, sicut idem magister per de-

creta utriusque Canonicorum Ecclesiæ subscriptionibus insignita evidenti nitebatur argumento probare, & licèt quidam malitiosè ab illorum voluntatibus dissentirent, nil tamen rationabile prodebant quare illius contradicere nominationi deberent. unde cùm majoris partis haberet assensum, electio ejus stare debebat, etiam non obstante contradictione paucorum. propter quod idem magister electionem suam confirmari petebat, multas ad hoc rationes & allegationes inducens. Dilectus verò filius A. prædictæ majoris Ecclesiæ Canonicus, quantum ad consuetudinem minoris Ecclesiæ ac majoris, ejusdem magistri narrationi concordans, taliter proponebat è contrà, quòd cùm minoris Ecclesiæ Priore defuncto fratres ipsius super electione seu nominatione tractaturi Priores in Capitulo sæpius convenissent, quidam eorum ad eligendum vel nominandum Priorem nullatenus voluerunt procedere cum effectu. Verùm cùm jam ventum esset ad arma circa finem sex mensium, qui electioni faciendæ à Lateranensi Concilio præfiguntur, & Canonici minoris Ecclesiæ viderent tempus effluere, ne jus suum ad majorem Ecclesiam transferretur, tandem in Capitulo convenerunt, cùmque diutiùs super electione tractassent, quidam eorum, quinque videlicet, in ipsum A. & duos alios Canonicos Ecclesiæ convenere majoris, præsentibus aliis, nec contradicentibus, uno tantùm excepto, qui ex nostra & diocesani sui parte prohibuit ne aliqua nisi de communi consensu electio seu nominatio fieret. Prædicti verò quinque se ac sua & electionem suam protectioni sedis apostolicæ supponentes sub appellationis emissione terminum præfixerunt quo appellationem prosequerentur emissam. Quo facto, tam ipsi quàm alij qui erant, nec contradixerant electioni eorum, à Capitulo recessere; ipsi verò quinque electionem suam Decano & Capitulo majoris Ecclesiæ, ad quos electionis approbatio vel reprobatio pertinebat, unanimiter præsentantes, unum ex tribus nominatis sibi conferri & in Priorem præfici postularunt, appellationem quam fecerant innovantes, ne quis contra electionem eorum præsumeret aliquid attentare, vel ille solus qui, sicut superiùs est expressum, inhibuit ne aliqua electio seu nominatio fieret nisi de communi consensu, prohibuit iteratò ne illorum approbaretur electio, & adjecit tunc primo quòd secum in hac prohibitione consortes habebat, illos videlicet qui ad electionem seu nominationem trium voluntates suas exprimere nec electioni contradicere voluerunt. ad quorum inquirendas diligentiùs voluntates Decanus & Capitulum utrique parti jus suum illæsum conservare volentes, diem illis assignare curarunt, ad quam communiter accedentes, si scirent, contra electionem impedimentum canonicum allegarent. Qui convenientes ad diem cum quinque qui, sicut superiùs enarratur, elegerant, electionis suæ confirmationem ab ipsis Decano & Capitulo cum instantia postularunt, & pars esset altera requisita si quid vellet contra electionem prædictam obicere, prædictus magister P. inhibuit ne ibi super electione inquireretur ulteriùs aut etiam tractaretur, & appellationem ad sedem apostolicam interponens, se protectioni nostræ ac suos supposuit electores, tunc primò dicens quinque in ipsum de Canonicis minoris Ecclesiæ consensisse. Vnde idem A. electionem ipsius magistri, cùm secundùm consuetudinem Ecclesiæ facta non fuerit, tanquam nullam requirebat haberi, & suæ tanquam canonicæ nostrum impendi favorem. Verùm prædictus magister ejusdem A. narrationem asserebat destitui veritate, cùm post prohibitionem & appellationem ad nos legitimè interpositam tractatus ille, quo se dicit cum aliis nominatum, die non assignata, prout moris est, ad eligendum fuerit celebratus, & illa qualiscunque nominatio ratione multiplici reprobanda, facta tantummodo fuerit à duobus, cùm unus illorum, qui nominationem de illo fecerunt, R. de Burgonovo videlicet, priùs præbendam suam spontaneè resignarit. unde vocem habere non potuit nominandi. Cùm igitur hæc & alia multa fuissent ab utraque parte in ejusdem Cardinalis præsentia recitata, & ipse nobis ea fideliter retulisset, quia nobis plenè non potuit de veritate constare, discretioni tuæ de utriusque partis assensu per apostolica scripta mandamus quatenus de utriusque nominatione diligenter inquiras, & si neutram eorum canonicam & de persona idonea celebratam fuisse cognoveris, Capitulo minoris Ecclesiæ apostolica auctoritate injungas ut infra quindecim dies ad nominationem canonicam de persona idonea facienda procedant, eam Capitulo majoris Ecclesiæ, sicut est de consuetudine, præsentantes, qui eam nonobstante Decani sui absentia,

cùm Bononiæ morari dicatur, auctoritate nostra sublato appellationis impedimento confirment, aut tu, eis forsan nolentibus confirmare, confirmes. Si verò Capitulum minoris Ecclesiæ non potuerit sive noluerit ad nominationem habere processum, aut talem fecerit quæ meritò debeat reprobari, tu auctoritate nostra suffultus, nullius contradictione vel appellatione obstante, eis in Priorem de persona idonea providere non tardes. Contradictores &c. testes &c. nullis literis obstantibus si quæ apparuerint præter assensum partium &c. Datum Laterani Idibus Maij.

Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, Comitibus, Baronibus, civibus, & aliis per regnum Siciliæ constitutis.

Epist. 37. De causa Valteri Brenensis.

OPera testimonium perhibent veritati, & nostri animi puritatem actionis sinceritas manifestat, quæ abscondita cordium publicat, & consilia etiam occulta revelat. Noveritis etenim omnes & singuli qualiter pro carissimi in Christo filij nostri I. Siciliæ Regis illustris honore ac regni quiete nec personis fratrum & consanguineorum nostrorum pepercerimus hactenus, nec onera vitarimus expensarum, sed regni necessitatibus in rebus subvenerimus & personis, opponentes nos murum pro eo ascendentibus ex adverso, & tam infra regnum quàm extra iniquorum consiliis obviantes. Nec fuit labor noster inanis, sed in tantum profecimus, Domino favente, quod hodie plenè fuisset regno tranquillitas restituta, nisi hostem directum familiaris inimicus erigere præsumpsisset, & in gremio Regis fovere serpentem, & in domini sui excidium servum furentem armare. Cùm autem dilectus filius nobilis vir Walterus Comes Brenensis ad nostram præsentiam accessisset, verentes ne Regis & regni hostibus adhæreret, fieretque novissimus error pejor priore, si non posset in jure suo favorem apostolicum obtinere, memores ejus quod legitur, *Arma tenenti omnia dat qui justa negat*, recognovimus ipsi jus suum, & eum ad Regis obsequium duximus admittendum; ne si aliter ageremus, videremur obviare justitiæ veritatique resistere. Est enim in partibus vestris notorium & ferè omnibus manifestum qualiter H. quondam Imperator, cum W. filius inclytæ recordationis Regis Tancredi ipsi se reddidisset, ei & heredibus ejus principatum Tarenti & Litij concesserit comitatum.

Vide Gesta Innocentij III. cap. xxv.

Noveritis autem quòd idem W. & sorores ipsius in nullo penitùs deliquerunt, per quod deberent facta sibi concessione privari, cùm ætatis beneficio excusentur. Recepimus ergo ab eodem Comite super crucem & evangelia publicè juramentum quòd nec per se nec per alium quicquam contra personam vel coronam regiam attentabit, sed potiùs hostes Regis & regni, nominatim autem Marcualdum, Diubuldum, & fratrem ipsius Oddonem de Laviano, & ejus germanum viriliter impugnabit. quod ipse fideliter executus, bis concedente Domino mirabiliter obtinuit de Diubuldo triumphum, & prostratis multis ex fautoribus ejus, Oddonem de Laviano & Sa. Diubuldi germanum cum quibusdam aliis adhuc detinet vinculis alligatos. Volentes igitur per eum Regi & regno pleniùs subvenire, ipsum contra Marcualdum in Siciliam destinamus, sperantes in Domino quòd desideratam de ipso victoriam citiùs assequetur. Licèt autem usque adeo in obsequio Regis & regni jam eluceat fides ejus ut de puritate intentionis ipsius nullus penitùs debeat dubitare, ut tamen omnis penitùs suspicio sopiatur, dilectum filium R. tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum extraordinarium & nobilem virum Iacobum consobrinum & Marescalcum nostrum in Siciliam duximus dirigendos, concessa eis plenaria potestate ut gerant in illis partibus vices nostras, & personam regiam, si de Marcualdi manu fuerit liberata, faciant per familiares regios fideliter custodiri. Comiti etiam dedimus in mandatis ut procedat juxta dispositionem eorum & ipsorum statutis humiliter acquiescat. Speramus enim quòd Marescalcus ipse, sicut olim strenuè contra Marcualdum se habuit, sic nunc etiam prudenter & discretè procedet, & regiam in omnibus tuebitur dignitatem. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur attentiùs & per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus Marescalcum ipsum sicut personam nostram recipientes humiliter & honorificè pertractantes, ei & Legato prædicto sicut nobis humiliter intendatis, & cum eis pariter & ad mandatum eorum contra excommunicatum & perfidum Marcualdum assistatis Comiti memorato viriliter & potenter, mandatum apostolicum taliter impleturi quòd in hoc appareat pleniùs fides vestra & constantia ve-

Raynald. ad an. 1202. §. 1.

ſtra fiat omnibus manifeſta, ſcituri quòd honorem eidem Mareſcalco impenſum reputabimus nobiſmetipſis exhibitum, & pro eo vobis & veſtris curabimus, dante Domino, magnificè reſpondere. Si quis autem, quod non credimus, eum inhonorare præſumeret, præſumptionem ejus tanquam in noſtram & regiam injuriam redundantem curaremus graviter vindicare. Datum Laterani.

B. Epiſcopo in Archiepiſcopum Panormitanum electo, regio familiari &c.

Epiſt. 38. Ut Walterum Brenenſem adjuvet.

NOn poteſt facere filius niſi quod patrem viderit facientem, nec arbor bona faciet fructus malos. Sanè bonæ memoriæ Walterus Panormitanus Archiepiſcopus, qui te ſibi adoptavit in filium, qui & parvulo priùs lac potum tribuit & non eſcam, & creſcenti ſcientiæ panem fregit, & majori tandem cibum ſolidum miniſtravit, ut in te mortuus quoque viveret, & ſuam imaginem expreſſiùs figuraret, in corde docili mores proprios digito ſuo ſcripſit, & ſic ſigillo ſuo ceram adhuc rudem impreſſit ut adhuc etiam eum rectè intuentibus repræſentet. Noverat etenim, tanquam doctus, quòd vaſi quis infunderet non ſincero, vas tui pectoris adhuc creſcens non permiſit niſi redolenti incernari liquore, nec maſſam terrenam paſſus eſt malitiæ aut nequitiæ corrumpi fermento, ſed immunem eam ab omni contagio conſervavit. In bonum quoque olivam plantam inſeruit, quam plantavit, ut fierent tandem filij tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ, ac tu Romanam Eccleſiam, ſine cujus rore non poteras roborari, non impinguares oleo peccatoris, ſed exultationis oleo irrigares, & ei tam multitudinem quàm plenitudinem tuorum fructuum devoveres. Nunc ergò, ſicut in moribus, ſic etiam in cathedra ſuccedens eidem, in devotione ſedis apoſtolicæ ipſius te demonſtrans heredem, eligens non ſolùm perſecutionem pati propter juſtitiam, ſed malens etiam pro Eccleſiæ Romanæ reverentia exulare quàm habitare in tabernaculis peccatorum, verùm quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, in tribulatione ampliùs dilataris, & ſicut aromata meliùs flagrant, ſic plures currunt in odorem unguentorum tuorum, dum æſtus perſecutionis ea in te cogit ampliùs æſtuare. Oleum enim effuſum nomen tuum. Ecce ſiquidem uſque adeo fecit tecum Dominus in tentatione proventum ut non ſolùm familiares & domeſtici te ſequantur, ſed illi etiam qui ſunt foris, eloquentiæ tuæ dulcetudine, ab eo qui ad illos foras exierat recedentes, ad commonitionem tuam ad mandatum noſtrum humiliter redierint, & devotè à nobis conſolationis remedium & ſalutis angelum expectantes. Factum eſt autem Domino concedente ut in literarum tuarum ſuſceptione dilectus filius nobilis vir Walterus Comes Brenenſis apud nos præſens exiſteret, & tam literarum ipſarum tenorem quàm noſtram intelligeret pleniùs voluntatem. Ei ergo ſub quanta potuimus diſtrictione mandavimus ut poſtpoſitis ſollicitudinibus aliis ad iter protinus ſe accingat, & in Siciliam in Regis & regni ſubſidium transfretare. Ipſe autem mandatum apoſtolicum, licèt videretur initio nimis grave, ut dimiſſis propriis, aliena negotia procuraret, humiliter tamen & devotè recepit, & ſe promiſit illud celeriter & hilariter impleturum. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino, & per apoſtolica tibi ſcripta mandamus quatenus de auxilio Dei & ejuſdem Comitis adventu ſecurus, in inceptæ devotionis fidelitate perſiſtas; quoniam in proximo deſideratum diutiùs Regis & regni ſalutare videbis quod Dominus pro illorum ſalute qui de ipſius miſeratione confidunt miſericorditer & mirabiliter præparavit. Tu autem de plenitudine gratiæ ſecurus, nec movearis in aliquo, nec turberis, nec qualibet occaſione præſumas ut quod per nos laudabiliter eſt inceptum, velimus relinquere inexpletum. Scribimus autem Sarracenis, prout eis ſcribi per tuas literas poſtulaſti. Datum &c.

Autiſiodorenſi Epiſcopo.

Epiſt. 39. Quid Clericorum nomine intelligatur, & qui cenſeantur decedere inteſtati. Cap. Cùm tibi, De teſtamentis. Cap. Cùm tibi, De verbor. ſignificat.

CUm tibi de benignitate ſedis apoſtolicæ ſit indultum quòd ordinatio rerum Clericorum ab inteſtato decedentium liberè in tua poteſtate ac diſpoſitione permaneat, volens omnem materiam ſcandali removere, quod aliquando inter te & tuos Canonicos eſt ſubortum, ſuper duobus nos conſulere ſtuduiſti. Primò, an appellatio vocabuli Clericorum tam ad Canonicos quàm ad non Canonicos extendatur. Secundò, an illi qui in diſpoſitione & voluntate alterius ſuam committunt ultimam voluntatem, nil per ſe penitùs ordinantes, nec determinantes quid, cui loco, vel perſonæ conferri debeat, dican-

tur decedere intestati. Primæ igitur consultationi tuæ duximus respondendum quòd appellatio Clericorum non solùm alios, sed etiam Canonicos comprehendit. In secunda verò dicimus quòd qui extremam voluntatem in alterius dispositione committit, non videtur decedere intestatus. Datum Laterani.

Episcopo Noviomensi.

Epist. 40. Quomodo procedi oporteat cùm agitur de proprietate. Cap. Pastoralis. De causa possess. & propriet.

PAstoralis officij debitum sollicita mente prosequeris, cùm justitiæ zelo succensus, super dubiis juris articulis per apostolicæ sedis oraculum, à qua tuæ pendet jurisdictionis auctoritas, responsum humiliter expetis, & devotus expectas, ne fortè nova opinionum varietas, aut juris expositio varia novitate distincta, non juris effectum pariat, sed justitiæ potiùs defectum inducat. Sanè, sicut nobis per tuas literas intimasti, contingit aliquando cùm is qui se asserit spoliatum, suum trahit spoliatorem in causam, inter ipsa juris auspicia requisitus quo malit experiri judicio, litem proprietatis ingreditur, de illata sibi violentia nullam faciens mentionem. Cùm autem adeo fuerit in causa processum, ut testes sint hinc inde producti, novum judicium super possessorio nititur inchoare, dicens quia non videtur possessorio renuntiare judicio qui rem cœperit vendicare; cui ex adverso resistitur, quia dum querelam proprietatis sponte proposuit, præjudicium sibi fecit in quæstione possessionis, quam secundùm juris ordinem priùs proponi licuit, & debuit terminari. Quid igitur in his statuendum sit, tua fraternitas requisivit. Nos autem consultationi tuæ taliter respondemus, possessorio quidem judicio, quod de recuperanda seu adipiscenda possessione proponitur antequam renuntiatum sit aut conclusum in proprietatis judicio primitus instituto, primitus agi potest ab eo qui rem cœperit vendicare, cùm legali sit provisione statutum, eum qui fundum vendicavit ab eo cum quo interdicto unde vi potuit experiri, pendente judicio interdictum posse nihilominus intentari, aliis possessoriis judiciis suo robore duraturis, quæ vendicationem dominij sui natura præcedunt. Si verò renuntiatum fuerit seu conclusum ut jam possit proprietatis causa diffinitivæ sententiæ calculo terminari, ne lites litibus inculcentur, & via possit fraudibus aperiri, causa non decisa possessorio non erit utendum, nisi judex qui de causa cognoscit, hoc ipsum ex justa causa viderit expedire, puta cùm ex perspicuis indiciis facilè arguitur iniquitas invasoris, & spoliato casus seu malitia probandi dominium subtraxerit facultatem. His igitur & aliis causis inspectis quæ continent æquitatem, aut justè moverint animum judicantis, postquam etiam conclusum fuerit, posse agi possessorio judicio non negamus. Datum Laterani V. Kal. Iunij.

Capitulo Sipontino.

Epist 41. De dignitate & auctoritate Archiepiscopi Sipontini.

IN literis bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri perspeximus contineri quòd olim Garganici Canonici suam ad eum querimoniam detulerunt asserentes quòd cùm in privilegiis prædecessorum ipsius Sipontinæ & Garganicæ Ecclesiæ Archiepiscopo scriberetur, ipse, Garganica Ecclesia de privilegio subtracta, scripserat Archiepiscopo tantùm Ecclesiæ Sipontinæ. Insuper ad suggestionem vestram in privilegio ipso quædam subtrahi fecerat, & quædam apponi, quæ prædecessorum ejus privilegia minimè continebant. Præterea postulabant ab eo ut cùm Sipontina & Garganica Ecclesia duæ sedes archiepiscopales existerent, in cœna Domini chrisma confici faceret in utraque, ac ex his qui præficerentur Ecclesiæ Vestanensi pastores, unum in Sipontina, & alium in Garganica præciperet consecrari. Cùmque idem prædecessor noster tam Sipontinis Canonicis, qui tunc erant, quàm Garganicis mandavisset ut cum privilegiis prædecessorum ipsius, & præsertim felicis recordationis Eugenij Papæ, cui Garganici multùm videbantur inniti, ejus se conspectui præsentarent, utraque partium suos propter hoc ad eum nuntios destinavit. Eis ergo in ipsius præsentia constitutis, felicis recordationis Benedicti, Paschalis, & Eugenij privilegia diligenter inspexit; ex quorum tenore manifestè cognovit Ecclesiam Sipontinam tantummodo sedem archiepiscopalem existere, cùm eosdem prædecessores nostros non nisi Archiepiscopum Ecclesiæ Sipontinæ in eisdem privilegiis nominasse constaret. Privilegium verò ejusdem Eugenij Papæ abrasum & corruptum in quadam sui parte liquidò deprehendit; quia cùm in titulo ejusdem privilegij fuisset tantummodo positum *Archiepiscopo Ecclesiæ Sipontinæ*, ultima syllaba dictionis ipsius abrasa fuerat cum præcedente vocali, duabus præcedentibus syllabis dictionis ejusdem remanentibus

nentibus integris, & t literæ superposita linea titulari, loco ejus quod abrasum fuerat, hæc dictio *Garganico* erat sub brevitate notata. Ex sequentibus etiam manifestè perpendit privilegium ipsum in prædicta tantummodo fuisse parte falsatum, cùm licèt in titulo ipsius privilegij hæc dictio *Garganico* quocunque modo fuisset vitio falsitatis inserta, inferiùs tamen non recipiebatur sub protectione apostolicæ sedis nisi Ecclesia Sipontina, Garganica ei, tanquam subdita, confirmata. Inspexit quoque scriptum bonæ memoriæ Benedicti Papæ, cujus tempore in Ecclesia vestra sedes archiepiscopalis fuerat constituta, & ex tenore ipsius, quem Garganici pro se facere reputabant, comperit manifestè tantùm Ecclesiam vestram archiepiscopalem sedem fuisse constitutam ab ipso, cùm ipse Leonem quondam Sipontinensem Archiepiscopum non in Sipontinam & Garganicam, sed in Sipontinam tantùm, Angeli obtentu se assereret promovisse. In privilegio quoque prædicti Paschalis reperit contineri quòd ipse inter alia Vestanensem episcopatum Ecclesiæ Sipontinæ concessit, de Garganica non habita mentione. In alio etiam privilegio ejusdem Paschalis habebatur expressum quòd ipse oblationes Ecclesiæ beati Michaëlis Alberto quondam Sipontino Archiepiscopo confirmavit. Idem igitur Alexander prædecessorum suorum inhærens vestigiis, cùm Garganici nihil penitùs probavissent in privilegio ejus positum fuisse vel demptum nisi quod supradicti Eugenij Papæ privilegium continebat, tam ipsorum quàm dictorum prædecessorum suorum privilegia confirmavit, statuens de consilio fratrum suorum, non duas, sed unam tantùm archiepiscopalem sedem existere, videlicet Ecclesiam Sipontinam, & ne de cetero Sipontinus & Garganicus, sed Sipontinus Archiepiscopus solummodo diceretur; chrisma quoque confici, & Vestanensem electum per Archiepiscopum consecrari in Ecclesia Sipontina decrevit, sicuti bonæ memoriæ G. Archiepiscopus Sipontinus Maragdum Vestanensem electum in eadem Ecclesia consecravit. Subjunxit autem, ne scriptum suum in archidiaconatu & aliis dignitatibus, si quæ olim canonicè concessæ fuerant Ecclesiæ Garganicæ sæpius nominatæ, aliquod ei præjudicium generaret. Et licèt bonæ memoriæ Lucius Papa prædecessor noster prædecessoris sui sententiam confirmasset, Garganici tamen sententiæ non parentes, tempore felicis recordationis Vrbani Papæ prædecessoris nostri sopitam controversiam suscitarunt, dicentes quòd vos verum privilegium sæpedicti Eugenij Papæ præsumpseratis infringere, ac aliud falsum confingere in Ecclesiæ Garganicæ detrimentum, & ut non per vos, sed per eos videretur falsitas procurata, tres literas ultimas hujus dictionis, *Sipontino*, de privilegio falso feceratis abradi, & hanc dictionem, *Garganico*, loco earum apponi. Vnde idem Vrbanus bonæ memoriæ Barensi Archiepiscopo & Melphiensi & Troiano Episcopis per apostolica scripta mandavit ut à Canonicis sancti Angeli requisiti, ab his quos ipsi exprimerent nominatim veritatem diligenter investigare curarent super privilegiis quæ vos dicebamini vel falsasse vel incidisse in Ecclesiæ Garganicæ detrimentum. Verùm quamvis Archiepiscopus & Episcopi memorati quamplures testes receperint productos ab eis, interveniente tamen obitu tam ejusdem Vrbani quàm sanctæ memoriæ Gregorij successoris ipsius, & guerris in Siciliæ regno subortis, non fuit ampliùs tunc processum. Deinde cùm Garganici depositiones testium receptorum bonæ memoriæ Cælestino Papæ prædecessori nostro præsentare curassent, ipse illas recipere noluit, sed potiùs latam à supradicto Alexandro Papa sententiam confirmavit, & Garganicis super prædictis omnibus perpetuum duxit silentium imponendum. Tandem cùm partes ad nostram præsentiam accessissent, exhibitas nobis depositiones testium prædictorum fecimus publicari. Sed post disceptationem longam hinc inde præmissam vester proposuit procurator quòd in personas testium ab altera parte productorum vellet opponere ac eas objectu quorundam criminum reprobare. Quare nos partium parcentes laboribus & expensis, bonæ memoriæ Melfiensi & venerabili fratri nostro Vigiliensi Episcopis dedimus in mandatis ut cùm neutra partium ante publicationem testium se velle in personas eorum excipere prædixisset, ab ipsis juramento recepto quòd hoc malitiosè non facerent, audirent & in scriptis redigerent quæ super objectis criminibus pars vestra contra testes prædictos vel pars altera contra vestros dicerent proponenda, & ea nobis mitterent sub suarum testimonio literarum, festum omnium sanctorum pro edicto peremptorio partibus assignan-

tes, quo recepturæ ſententiam noſtro ſe conſpectui præſentarent; ad quod ſi qua partium venire contemneret, nos nihilominus procederemus in causa, quantum juſtitia pateretur. Mandavimus etiam eiſdem Epiſcopis ut privilegia Paſchalis, Eugenij, & Alexandri, & alia communia documenta quæ Garganici requirebant, ſibi facerent percenſuras eccleſiaſticas exhiberi, & ea nobis dirigere non differrent. Iidem ergo Epiſcopi juxta mandatum apoſtolicum procedentes receperunt teſtes ab utraque parte productos, & tam depoſitiones eorum quàm privilegia quæ ipſis fuerunt à Sipontinis exhibita, nobis ſub ſigillis ſuis dirigere procurarunt. Licèt autem ad præfixum vobis terminum pars veſtra non venerit, immo nec poſt terminum etiam diutiùs expectata, quia tamen terminus ipſe peremptoriè vobis fuerat aſſignatus, & abſentia veſtra divina præſentia ſupplebatur, dicta teſtium examinavimus diligenter, & omnibus quæ utrinque propoſita fuerant pleniùs intellectis, cognovimus manifeſtè quòd nihil à Garganicis fuerat ſufficienter oſtenſum, per quod ejuſdem Alexandri deberet ſententia retractari. Quare ipſam de fratrum conſilio in conſiſtorio noſtro per diffinitivam ſententiam voce viva confirmavimus, & nunc etiam auctoritate apoſtolica confirmamus &c. *uſque* communimus. Nulli &c. Datum Laterani VIII. Kal. Iunij.

Literæ Regis Armeniorum ad D. Papam.

Epiſt. 42. Reſpondet epiſtolis quas ad ipſum Papa ſcripſerat, quæ extant ſuprà l. 2. epiſt. 253. 255.

PAternitatis veſtræ literas, quas per dilectum & fidelem nuntium noſtrum nobis direxiſtis, ea qua decuit reverentia & devotione ſuſcepimus, & per earum ſignificata pleno collegimus intellectu vos caritatis viſceribus regiam majeſtatem noſtram amplexari. Continebant etiam quòd in devotione & amore apoſtolicæ ſedis perſiſteremus; & in hoc ſemper perſeverare cupimus, & optamus, & teſtis eſt rerum effectus, dum de omnibus negotiis noſtris ad apoſtolicam ſedem appellamus. Miſiſtis autem nobis per eundem nuntium noſtrum vexillum ſancti Petri in memoriam dilectionis ſedis apoſtolicæ, quod ſemper ante nos portari contra inimicos crucis ad honorem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ faciemus. Nuntius verò noſter nobis inſinuare curavit ſe benignè & honorificè à beatitudine veſtra eſſe ſuſceptum, & quòd omnibus petitionibus noſtris aures pietatis veſtræ diligenter & efficaciter accommodaſtis. quod quidem mellifluis literis veſtris perſpicuè intelleximus. Super his omnibus prædictis ſanctæ paternitati veſtræ gratiarum actiones exſolvimus aſſiduas. Precari autem & exhortari nos voluiſtis ut contra conatus & violentias paganorum nos murum opponeremus aſcendentibus ex adverſo. quod quidem qualiter hactenus fecerimus, veſtræ, prout credimus, non extat incognitum paternitati, atque de cetero pro lege noſtra & defenſione fidei Chriſtianæ, muniti veſtra gratia, fortitudinis noſtræ clypeum in manu forti & brachio extento contra barbaricas nationes opponemus, quouſque deſideratum ſubſidium nobis mittatis. Mandaſtis nobis ſæpe & ſæpius quòd teneremus pacem Antiochiæ & Comiti Tripolitano. Vide ſuprà lib. 2. epiſt. 253. 259. quod amoris veſtri gratia nunc uſque bene obſervavimus. Verùm nulli veniat in dubium quòd per Dei gratiam bene non habeamus poſſe Antiochenorum repugnantiam & audaciam refrenare. Quomodo autem & qualiter nuper adversùm nos ſe habuerunt, ſanctam paternitatem veſtram latere nolumus. Miſerunt nuncios ſuos Comes Tripolitanus & Antiocheni ad Roconodenſem crucis inimicum & adverſarium noſtrum, & contra nos ſe ei alligaverunt, & machinari ſunt ad invicem quòd Roconodenſis crudeliſſimus ex una parte, Comes Tripolis & Antiocheni ex altera, nos infeſtare non ceſſarent, donec à regni ſolio nos eliminarent. Quod cùm audivimus, noſtros miſimus exploratores, qui tamdiu inſidiati ſunt quoad uſque ceperunt prædictos nuntios; quibus ante pedes potentiæ noſtræ adductis, trementibus & verentibus, rei veritatem aperta voce nobis expoſuerunt. Dehinc ad fines Antiochenorum acceſſimus, ibique per tres menſes cum multo labore & ſudore inviti plurima ſuſtinuimus. Poſt hæc quicquid voluerunt Antiocheni, non timore illorum, ſed precibus veſtris, moleſtè ferentes ſupplevimus. Eapropter in regno noſtro non modica damna incurrimus, & à ſervitio Dei & Chriſtianitatis nos declinare invitos oportuit. Venientibus autem deſideratis Legatis veſtris, prævia divina potentia, in præſentia ipſorum rei certitudinem per eoſdem nuntios, ſi vita eis comes fuerit, explicari faciemus. Ad hæc ſanctitati veſtræ ſupplicamus ut diù expectatum & deſideratum ſuccurſum feſtinanter tranſmittatis. Magna etenim diſcordia inter barbaricas nationes eſt emerſa, &

desæviunt crudeliter ad invicem; & si antequam inter eos concordia fuerit reformata, subsidium miseritis, Christianitas exaltabitur, & si, quod absit, antequam veniat subsidium, inter eos concordia fuerit reformata, non erit qui eorum violentiam possit cohibere, & reliquiæ Christianitaris vix aut nunquam poterunt eis resistere. Super hoc quod nobis scripsistis de negotio Rupini dilecti nepotis nostri, quòd absente alia parte super re incerta nec vultis nec debetis proferre judicium, hoc decet sanctitatem vestram, hoc exigit universale jus. Verùm propulsati sumus non modica lætitia, eò quòd causam nostram in manibus Legatorum vestrorum commisistis, & literis & firmis mandatis, non in manibus personarum nobis suspectarum. Super quo sanctitati vestræ gratiarum actiones exsolvimus assiduas & omnium conditori laudes referimus copiosas. Ad hæc piissimam paternitatem vestram exposcimus, & flexis genibus flagitamus, quatenus cum Legatis vestris, de quibus non modicùm confidimus, venerabilem Archiepiscopum Maguntinum ad succursum terræ sanctæ, futurum in eadem causa nostra judicem constituere dignemini, quia nihil est de quo nos lætificari magis possitis. Scripsistis etiam nobis quòd per literas vestras misistis Comiti Tripolitano ut de alieno jure se subtraheret. quod gratum duximus & acceptum, & vobis immensas gratiarum actiones exsolvimus. Sed sciatis nil nobis profuisse, quia insidiatur ut lupus in absconditis, & non cessat nocte dieque sibi quos potest Antiochenos & pretio & precibus attrahere. Igitur sanctitatem vestram latere nolumus quòd mense Julii exercitum nostrum coadunavimus contra barbaricas nationes, quas duriùs cum Dei auxilio lædere sperabamus, propter discordiam inter eas emersam, in quo negotio misimus pro Templariis tenentibus in regno nostro de possessionibus valentibus viginti millia bysantiorum ut venirent in auxilium nostrum ad honorem Dei & defensionem Christianitaris. Qui Antiochiam usque venerunt, & nos in propria persona cum gaudio & exultatione usque ad fines Antiochiæ obviam eis exivimus. Ad hæc destinavit nobis literas Magister Templi ex parte vestra directas; quas cùm vidissemus, eo quo decuit honore suscepimus. quibus perlectis, per earum tenorem intelleximus vos nos precari ut eis redderemus Gaston, & nos in momento pro Magistro & quibusdam fratribus suis misimus secundùm preces vestras causa loquendi cum eis. qui ad nos venientes communicaverunt nobiscum colloquia. Post multas verò verborum nebulas rogavimus Magistrum Templi, ad supplendas preces vestras, ut ipse & Dominus Patriarcha Antiochenus & nos mitteremus nuntios nostros simul ad sedem apostolicam, quia per manus vestras ipsum Gaston sopita omni occasione Templariis reddere volebamus, & Rupinum dilectum nepotem nostrum ad nutriendum & custodiendum bona fide & sine malo ingenio in ipso castello eis tradere cupiebamus, & ut deberent semper esse auxiliantes prædicto puero ad acquirenda jura sua, in quantum dignitas ordinis sui permitteret, & ut quodlibet damnum in regno nostro per ipsum castellum non contigisset, & donec nuntij nostri irent & redirent, precum vestrarum obtentu, quantum valebant redditus pertinentiarum ipsius castelli, in corpore terræ nostræ Templariis restituere volebamus. Nos itaque & puer dilectus nepos noster hac conditione fieri confratres eorum quærebamus, & ad acquirendum aliud castellum nomine Trapesach eis pertinens cum omni gente nostra & viribus nostris eis similiter auxiliari volebamus. Videntes autem ipsi Templarij me tanto negotio circumventum, & scientes copiosum exercitum paganorum contra nos in bello esse coadunatum, in humilitate nostra contritum nos exaudire contempserunt, immo conventum quem ad partes regni nostri direxerant redire mandaverunt. Et nulli veniat in dubium quòd precibus quibuslibet, exceptis vestris, ad hanc formam pacis de ipso castello pervenire nequivissent. Misimus iterum eis, rogando ut pro Dei amore in regnum nostrum venirent, & ex quo non placebat eis nobiscum contrà paganos exire, saltem Dei pietate regnum nostrum usque ad reditum nostrum recommendatum haberent. Qui in obstinatione sua perseverantes, neque hoc neque illud facere voluerunt; immo nobis exeuntibus contra crucis inimicos, regnum nostrum luporum morsibus austeritate sua reliquerunt. Tamen cum Dei auxilio sani & salvi redeuntes, invenimus terram nostram precibus vestris illæsam & intactam. Ex hoc conquerimur Deo & vobis. Nam quid inde factum sit, vestræ non exrat incognitum sanctitati. Præterea nos obedientiæ vincu-

Vide lib. 2. epist. 259.

lis de cetero apostolicæ sedi esse alligatos non dubitetis. Ea propter, si placet sanctitati vestræ, cuilibet alteri Ecclesiæ Latinæ nec volumus nec debemus alligari. Hinc est quòd sanctitatem vestram suppliciter flagitamus quatenus nobis literas apertas mittere dignemini ut non teneamur, neque Latini de terra nostra, de qualibet conditione, excepta sancta Romana Ecclesia, cuilibet Ecclesiæ Latinæ, & quòd non habeat potestatem nos seu Latinos de terra nostra excommunicandi vel sententiam in regno nostro proferendi super Latinos qualibet Ecclesia, excepta, ut dictum est, sede apostolica. Præsentium denique latorem dilectum & fidelem nostrum militem nomine Garnerium Teutonem ad pedes sanctitatis vestræ dirigimus, cui super his quæ ex parte nostra vobis dixerit, tanquam nobis ipsis credere non dubitetis. Datum Sisi primo die mensis Octobris.

L. Regi Armeniorum illustri.

Epist. 43. Quòd Rex & regnum Armeniæ excommunicari aut interdici non possint nisi de speciali mandato Papæ.

Regiæ serenitatis devotio promeretur & sinceritas tuæ caritatis exposcit ut non solùm tibi, sed etiam toti regno tuo specialem gratiam faciamus, & ob tuæ devotionis meritum totam Armenicam Ecclesiam honoremus. Tu enim præ ceteris prædecessoribus tuis, quorum extat memoria, specialiùs in nostra & Ecclesiæ Romanæ devotione persistis, & apostolicæ sedis primatum & magisterium recognoscens, ad eam velut ad matrem tuam humiliter & devotè recurris. propter quod ab ea debes rationabiliter honorari. Accepimus autem ex literis quas regia nobis serenitas tua destinavit quòd cùm regnum Armeniæ obligatum sedi apostolicæ obedientiæ vinculis recognoscas, illud, sicut non debebas, ita etiam non volebas obligari cuilibet alteri Ecclesiæ Latinorum. Vnde petebas tibi per literas apostolicas indulgeri ut præter Romanum Pontificem nullus Latinus in te vel regnum tuum vel homines Regni, sive Latinos, sive alios cujuscunque conditionis, excommunicationis aut interdicti possit sententiam promulgare. Volentes igitur, quantum cum Deo possumus, tuæ serenitati deferre & cum honestate nostra petitiones regias exaudire, tuis precibus inclinati, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne quis in te vel regnum tuum aut homines regni tui, cujuscunque conditionis existant, qui mediantibus tamen ejusdem regni Prælatis sedi apostolicæ sint subjecti, præter Romanum Pontificem aut ejus Legatum, vel de ipsius speciali mandato, districtionem ecclesiasticam audeat exercere. Nulli ergo &c. inhibitionis &c. Datum Laterani Kal. Iunij.

Litera Catholici Armeniorum ad D. Papam.

Epist. 44. De primatu Papæ, & de persecutionibus Ecclesiæ Armenicæ. Raynaldus ad an. 1202. §. 41.

Post Deum, qui est caput omnium bonorum, apostolicam sedem tenenti, & summo capiti totius Ecclesiæ, & totius terrenæ sedis magno Christi confessori, primæ domui hospitalitatis totius populi & religionis, & successori beati Petri majoris nati post Christi principis & patris totius mundi, sedenti secus Deum, & portanti Christum in corpore suo, Innocentio Dei gratia summo Pontifici & universali Papæ summæ sedis Romanæ urbis quæ imperiali triumpho universum mundum suo subjugavit dominio, & nostro in Christo patri spirituali, tantæ civitatis gloria sublimato, Gregorius minimus Episcopus Catholicus omnium Armeniorum, peccator, & servus fidelium Christi, omnesque Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Sacerdotes, & Clerici sub nostro regimine viventes, orationes in Domino assiduas. Quia supra sedem dilecti discipuli Christi sedetis, universæque dominamini Europæ, eò ampliùs vos de jure venerari debemus, & quia pater estis totius fidei Christianitatis, mandatum vestrum cum amore recepimus, & posuimus super oculos & faciem nostram, & referimus laudes Creatori totius mundi, & benedicimus Deum patrem nostrum, qui dignatus est in nos tantum amorem habere ut ipse amor noster fierer, & voluit baptizari, ut exemplo sui omnes baptizarentur & fratres in ipso fieremus. Nam dicente eo per os Iohannis evangelistæ, *Vos mei discipuli eritis, si alter alterum dilexeritis*, hoc summe pater in vobis est, quia Deus pater principium & caput fuit novem ordinum, quod ostendit vobis per filium suum; & mandastis salutem in eo, & per ipsum nobis, qui longiùs & prope vos sumus. Visu oculorum remoti sumus à vobis, sed lege & caritate unum quasi sumus, quia baptismus nos omnes unum fecit per regenerationem, & sumus oves unius pastoris, qui est gratiæ claritas, & majestas Dei patris omnipotentis, & omnes nos coadunavit in unum ovile, scilicet Ecclesiam Dei vivi, & didicimus quòd curia Christi, curia est sanctitatis, & sumus obumbrati sub umbraculo cujus-

dam lapidis de monte abscisi sine manibus complectentium, sicut Daniel dicit; & quia in hac forma, ut dictum est, coadunati sumus, non removemur, immo in sinu maternæ pietatis vestræ quasi in eodem sumus ovili amplexati, & in vestro paterno sinu nutriti cupimus etiam & volumus, ut in loco herboso, aquoso, & amœno, secus fontem scientiæ fidei vestræ & præceptorum legis & Ecclesiæ quiescamus & nutriamur & sugamus quotidie mamillas vestras, & inebriemur lacte de pectore vestro manante, & inde producamur. Didicimus etiam ex hoc fundere sanguinem pro lege Christi, sicut Paulus Apostolus Tharsis dicit, cornu aliatum legum. Verùm gavisi sumus in Christo quia audivimus à vobis legem nostram prope Romanam esse admotam, quæ est totius mundi Ecclesia catholica, & sedet in capite Italiæ & Hispaniæ, & ab ea à principio habuimus legem, & nunc usque neque augmentavimus neque minuimus, immo tenemus & consuetudines secundùm instituta præcedentium sanctorum patrum. Hæc quæ audivimus & cognovimus, & absit quòd à sancta Romana Ecclesia removeamur usque in finem. In Christo igitur gavisi sumus quia mater Ecclesiarum, quæ totum orbem sua claritate irradiat, voluit catholicam Ecclesiam Armeniorum bono corde respicere & consolari. Eo namque quòd ita nos respexit, gaudemus in Christo. Nam oculi nostri nobis non dederunt malum exemplùm ad instruendum fratres & subjectos nostros ut præcipitarentur, docente Christo, non ostendamus gentibus malam consuetudinem. Nos verò, qui minimi sumus, certissimè scimus, & per nos tota Armenica Ecclesia novit vestrum apparentem & clarum amorem; & ideo clariùs vestrum recognoscimus amorem, quia diligitis in Christo nostrum dilectum filium Leonem triumphantem Regem Armeniæ, & sic adimpletum est quod per Apostolum Paulum dicitur, *Honorate alterutrum*. & Dominus dicit: *Quod tibi vis fieri, alij facias*. De cetero, Ecclesia Armeniorum per me & per populum, tam majores quàm minores, qui sunt in montibus & abbatiis, simul manibus elevatis pacem à Deo exigimus, & gratiarum actiones vestræ exsolvimus paternitati propter honorem quem Rex noster triumphator à vobis semper recepit. Nostræ itaque parvitatis voluntas fuit & est in perpetuum quòd quandiu Deo volente hac dignitate freti fuerimus, dilectum in Christo filium nostrum Regem, omnes Barones & fideles suos, sub vestro dominio stare faciemus. Hinc est quòd precibus assiduis vos precamur ut non tradatis oblivioni ipsum Regem nostrum vobis devotum, neque orientalem plagam, neque domum Dei; immo succurrite oppressis, prout Deus vobis inspiraverit, & gentibus & ceteris necessariis. Nam preces sanctorum habent potestatem juvandi debiles. Igitur propter rumores quos evangelista pacis nobis nunciavit, scilicet quòd inter illustres Reges Francorum & Anglorum sit pax reformata, gavisi sumus sicut fuerunt sancti Apostoli veniente super eos spiritu sancto in monte Sion & Dominus dixit eis: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet vobis*. Hoc gaudium, quod à sanctitate vestra audivimus, sic credimus sicut si duodecim Apostoli & Dominus tredecim nobis dixissent, & sic speramus, Deo dante, per eos legis observatores ab inimicis crucis liberari nostris temporibus. Sed ab hac credentia longè sumus, & morimur sicut propheta, & si modò contigisset sicut contigit Ezechieli ponere signum in frontibus illorum qui suspirant propter destructionem Hierusalem, mandatum propterea vestrum, sicut nobis mandastis, adimplevimus, & omni tempore adimplebimus, verbo aperiemus portam eundi ad Christum, quam quidem nobis ostendistis & aperuistis in omni sanctitate & caritate. Vnde vestra sanctitas trahet cor lapideum ab hominibus, & ponet suis sanctis cor carneum. Nam verbum vestrum non cadit inter spinas, neque supra petram, neque in loco infructuoso, neque in loco ubi sub meridie volucres inveniunt semen, & comedunt illud, neque in loco ubi siccat & non affert fructum; sed in bono loco, qui defert fructum centenum, sexagenum, & trigenum. Recipimus ex parte Dei & vestra remissionem peccatorum, & idem mandatum augmentavimus auctoritate Dei & vestra omnibus sub sacerdotio nostro constitutis, & præconium non cessamus alta voce mittere, & prædicare sanitatem infirmis, & remissionem peccatorum, & Dominus dixit contracto, *Remittuntur tibi peccata*, & quia credidit, recepit sanitatem. Iterum dixit ei: *Tolle grabatum tuum, & ambula*, quia qui plus diligit, plus accipit; & vos qui consilium Dei scitis, hoc quod remittitis, remissum est.

Idem habemus mandatum præcepto Dei & vestro remittendi peccata omnibus qui pro lege Dei fundunt sanguinem. Nam nostra vita alligata est filiis ancillæ Abrahæ, qui crescunt sicut spinæ, nos volentes suffocare, & sicut serpentes deglutire volentes, & propter inflammationem suam nocte diéque non cessant mordere creaturas Christi, nec permittunt eas quietem habere, sed semper exasperant & infestant. Manè dicimus, quando veniet vesperum, & serò, quando veniet manè. Cum dolore & anxietate nunc usque sustinnimus, nec est qui ad lætitiam nos pertrahat. Anxietates autem & angustiæ & pruritus noster nos semper faciunt vigilare & desudare in orationibus, & non permittunt quietem habere quandiu viderimus Christum inhonoratum & crucem Christi postpositam non dubitari, Ecclesias dirui, sacerdotes servos fieri, & omnia Christi mandata conculcari & vilipendi à barbaris gentibus incircumcisis, sed retaliatis; & vita nostra non est nisi solummodo pœna, dolor, & gemitus. Nam hoc non solùm non audimus, immo quotidie videmus, & in corpore portamus. Ideo sanctitas vestra magis & magis debet orare. Audistis enim non solùm Christianos ab ortu solis esse seminatos & dispersos & ligatos; immo, quod gravius est, non solùm ligant nos, sed & derident. De cetero autem ponite studium vestrum contra mortem, & ad portandum pondus nobiscum contra illos qui inhonorant Christum, collum supponatis. Nec moremini pro Dei pietate mittere subsidium, ne peccatis exigentibus nimia nostra dilatio fiat confusio; quia nostrum credere decepit nos, & patimur quotidie naufragium sine spe humani subsidij.

Catholico Armeniorum.

Epist. 45. Respondet superiori epistolæ.

QVòd die ac nocte in lege Domini mediteris, ex literarum tuarum tenore cognovimus, quas variis auctoritatum floribus decorasti, de thesauro cordis tui nova & vetera proferens, & hæc illis & ista istis doctiùs intermiscens, ut uberiùs juncti simul flosculi redolerent. Sanè licèt didiceris ex verbis Apostoli quòd omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, & quòd cunctos quos sacri baptismatis unda regenerat, fratres facit, quoniam unus est pater noster qui est in cœlis, prout in evangelio veritas protestatur, in nobis tamen, qui beato Petro successimus, Christianæ fidei magisterium recognoscis. Vnde secus fontem scientiæ fidei nostræ ac præceptorum legis & Ecclesiæ quiescere desideras & nutriri, ut fugas mamillas nostras quotidie, & inebrieris lacte doctrinæ à sede apostolica emanantis. Et licèt loco quidem à nobis remotus existas, fide tamen nobis gaudes tam te quàm Armenicam Ecclesiam conniri, cùm ex illo sitis ovili de quo Dominus in evangelio protestatur, *Alias*, inquiens, *oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor.* Oves enim hujus ovilis uni Dominus pastori commisit, Petro videlicet, cùm inquit ad eum, *Pasce oves meas*, innuens per verbum tertiò repetitum quòd quicunque fidem habuerit trinitatis, in quacunque trium orbis partium regione, ac trino fidelium ordine, cum Noe, Iob, & Daniele, sive in lecto, sive in agro, sive in mola consistant, Petri magisterio sunt commissi. Gavisus es igitur quòd mater Ecclesiarum omnium, quæ totum orbem sua irradiat claritate, catholicam Armenorum Ecclesiam bono corde respiciens voluit consolari, in hoc illud impletum intelligens quod inquit Petro Dominus Iesus Christus: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Asseris quoque quòd ab Ecclesia Romana fidem ab initio Armenica suscepit Ecclesia, quam tu & coëpiscopi tui & grex tibi & ipsis commissus non minuistis in aliquo nec auxistis, sed sicut accepistis, sic usque hodie inviolabiliter observatis, ejus tenentes consuetudines secundùm sanctorum patrum præcedentium instituta. Nos igitur, qui diligere debemus proximos ut nos ipsos, de tuæ fidei puritate gaudemus in Christo, & te velut venerabilem fratrem nostrum & magnum Ecclesiæ Dei membrum gerimus in visceribus caritatis, ac carissimum in Christo filium nostrum Leonem Regem Armenorum illustrem honorare disponimus, & universam Armenorum Ecclesiam, ut pote filiam sedis apostolicæ specialem, specialiter confovere. Ne autem heres sit filius ancillæ cum filio liberæ, immo ne ancillæ filius heredis liberæ sibi ampliùs hereditatem usurpet, sed ancilla potiùs, & ejus filius expellatur, posuimus signum Tau in frontibus gementium & dolentium, ita quòd per Dei gratiam crucesignatorum exercitus Venetias jam applicuit pro parte majori, unde in

Raynaldus ad an. 1204. §. 45.

proximo naves ascendent in terræ sanctæ subsidium transituri. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs, & per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in divini nominis timore persistens & in apostolicæ sedis reverentia perseverans, prædictum Regem & universam Armenorum Ecclesiam in lege Domini & nostra devotione confirmes, & eis, sicut per alias literas nostras mandavimus, formam apostolicæ remissionis exponas, & exhorteris ipsos attentiùs ut se murum pro domo Domini opponant ascendentibus ex adverso, nec dubitent, si opus fuerit, pro illo fundere sanguinem qui pro eis crucis non dubitavit subire tormentum, cùm sic regnum sibi possint acquirere sempiternum & terrena in cœlestia laudabili commercio commutare. Expectent autem efficax de cœlo auxilium, & festinum de terra succursum, & spem suam ponant in eo qui est in se sperantium fortitudo, qui facit in tentatione proventum, & post lacrymationem & fletum, gaudium & exultationem inducit. Datum ut suprà.

Litera Sisensis Archiepiscopi Regis Armeniæ Cancellarij ad D. Papam.

Epist. 46. Mitram & pallium & indulgentiam petit.

PAternitatis vestræ literas ea qua decuit reverentia & devotione suscepimus, & per earum continentiam pleno collegimus intellectu sanctitatem vestram parvitatem nostram caritatis visceribus ampléxari. Continebatur etiam in literis illis ut magisterium & primatum sanctæ sedis apostolicæ recognosceremus, & in devotione ipsius persisteremus, & ut non solùm Regem, verùm etiam & Barones & reliquum populum ad fidem & unitatem ejusdem induceremus. In verbo veritatis ad hoc laborat nostra sollicitudo, ad hoc inclinata est nostra intentio. Tenemur nempe de obedientiæ vinculis & devotionis reverentia omnibus mandatis sanctæ sedis apostolicæ pro viribus obsecundare. Eapropter nulli veniat in dubium ut ubi ab his quæ honori & utilitati ejusdem spectare videntur vel videbuntur, nostram subtrahamus voluntatem, immo manum ad aratrum mittemus, & ut bonus arator, spinas & tribulos eradicare studebimus, & terram bene laboratam ad honorem sanctæ apostolicæ sedis colere & exornare usque ad messem, Deo auxiliante, non deficiemus. Super his igitur omnibus in quibus parvitatem nostram vestra sanctitas dignata est monere & exhortari, paternitati vestræ, quas sufficit nostra valetudo, gratiarum actiones exsolvimus, de debito & merito vobis adstricti. Quia verò in remotis partibus inter barbaricas nationes ad Dei servitium sumus constituti, & in propria persona vestram nequivimus, quod molestè ferimus, visitare paternitatem, flexis genibus cordis vestræ supplicamus sanctitati ut nos non tradatis oblivioni, immo tanquam obedienti vestro mandatum vestrum humeris nostris imponere non dedignemini, scientes nos ad omnia beneplacita vestra promovenda & exequenda tam mente quàm animo promptos & paratos esse. Præterea nova vestra planta effecti, multa precum instantia exposcimus ut in memoriam dilectionis sanctæ sedis apostolicæ anulum, mitram, & palleum nobis mittere dignemini, & ut eandem remissionem quam peregrinis transfretantibus pro Dei servitio concediris, ex parte vestra militibus pugnantibus sub illustri Rege nostro contra crucis hostes pro honore & defensione Christianitatis confirmare possimus, quatinus hujus remissionis gratia sumptis animi viribus in bello fiant audaciores. Raynaldus ad an. 1201. § 44.

Archiepiscopo Sisensi.

Epist. 47. Responsiva.

NOn processit ab homine, sed à Deo, quoniam nec caro nec sanguis, sed is potiùs cujus vices in terris gerimus Iesus Christus tibi misericorditer inspiravit ut, sicut per tuas nobis literas intimasti, magisterium sedis apostolicæ recognosceres & primatum, & in ipsius devotione persistens, non solùm carissimum in Christo filium nostrum Leonem Regem Armeniæ illustrem, sed populum ad id induceres & Barones. Recognoscis etenim & per tuas literas profiteris obedientiæ vinculis & devotionis reverentia te teneri universis mandatis sedis apostolicæ pro viribus obedire. Ideoque ab his quæ ad honorem, & utilitatem ipsius spectare videntur, tuam non subtrahis voluntatem. Nos igitur tantæ fidei puritatem & tantam devotionis constantiam attendentes, ei à quo bonum omne procedit, licèt exiles, quas possumus tamen gratiarum exsolvimus actiones quòd tam pium tibi tribuit intellectum & animum tam humilem inspiravit. Tibi quoque sicut venerabili fratri nostro & magno Ecclesiæ Dei membro deferre proponimus, & preces tuas in his quæ à nobis secundùm Deum postulaveris, exandire. Super eo autem quod à nobis per tuas Raynaldus ad an. 1201. § 45.

literas poſtulaſti, ut fraternitati tuæ palleum deſtinemus, annuere tuis deſideriis cupientes, per dilectos filios Soffredum tituli ſanctæ Praxedis & Petrum tituli ſancti Marcelli Preſbyteros Cardinales apoſtolicæ ſedis Legatos, quos in terræ ſanctæ ſubſidium deſtinamus, palleum, inſigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, de corpore beati Petri ſumptum, tranſmittimus, tibi ab ipſis vel eorum altero juxta formam ſolitam, quam ſub bulla noſtra dirigimus, ſollemniter conferendum. Monemus igitur fraternitatem tuam ac exhortamur attentiùs & per apoſtolica tibi ſcripta mandamus &c. *ut in illa quæ ſcribitur Catholico uſque* confirmes, & eis formam apoſtolicæ remiſſionis exponas &c. *uſque in finem*. Datum ut ſuprà.

Remenſi Archiepiſcopo S. R. E. Cardinali, apoſtolicæ ſedis Legato.

Epiſt. 48. De divortio Philippi Francorum Regis.

QVantumcunque cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Regem Francorum illuſtrem & nos in eo ſuper negotio matrimonij expedire velimus, in duobus tamen cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ I. Reginæ Francorum illuſtri nos convenit providere, ne indefenſa ſit, & examinetur à ſuſpectis judicibus cauſa ejus; cùm nec juſtitia id permittat, nec nos debeamus in hoc noſtram conſcientiam vulnerare. Quantum autem ipſius Regis voluerimus ſerenitati deferre, fraternitatem tuam jam credimus ex tranſcripto quod dilecti filij magiſtri F. Aurelianenſis Decanus & W. ſancti Frambaudi Theſaurarius à nobis ſecum detulerunt noſcere potuiſſe. Si ergo Rex ipſe deſiderat expediri, libenter teſtes quos ſuper conſanguinitate, affinitate, ſeu maleficio duxerit producendos faciemus admitti, dum tamen teſtes, ſi quos prædicta Regina ad defenſionem ſuam producere fortè voluerit, per delegatos judices admittantur. Cùm ergo nos in omnibus in quibus cum juſtitia poſſumus regiæ velimus ſerenitati deferre, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus Regem ipſum moneas & inducas ne illa requirat à nobis quæ ſine juris injuria & tam noſtræ quàm ipſius animæ detrimento & infamia, etiamſi vellemus, non poſſemus aliquatenus adimplere; quia ſuper his in quibus eum honeſtè poſſumus exaudire, nullam moram vel difficultatem volumus adhibere. Datum Laterani III. Non. Iulij.

Illuſtri Regi Francorum.

Epiſt. 49. De eodem argumento. Raynaldus ad an. 1202. §. 21.

DOloris aculeus noſtræ mentis intima penetravit, & cordi noſtro mœror irruit improviſus, cùm in eo de nobis ſerenitas regia, ſicut accepimus, conqueratur ſuper quo ab ipſo gratiarum & meruimus & expectavimus actiones. Propoſuerunt enim dilecti filij magiſtri F. Aurelianenſis Decanus & W. Theſaurarius ſancti Frambaldi nuntij tui ex parte regiæ celſitudinis in audientia noſtra querelam, firmiùs, ut eis injunctum fuerat, ſicut credimus, aſſerentes quòd te in cauſa matrimonij ſeveriùs tractabamus quàm alij Principes in ſimili cauſa conſueverint pertractari. Nam olim inclytæ recordationis Ludovicus pater tuus & Fridericus quondam Imperator, & nuper cariſſimus in Chriſto filius noſter Iohannes Rex Anglorum illuſtris, coram Prælatis in terris propriis conſtitutis adverſùs eas quas habere videbantur uxores quæſtionem ſervato juris ordine intenderunt, & eccleſiaſtico ab eis fuerunt judicio ſeparati. quod poſtmodum ſedes apoſtolica minimè retractavit. Ceterùm ſi verum attendas, Imperator prædictus ab ea quæ conjux dicebatur ipſius, licèt in regno Theutonico, fuit tamen per Legatos ſedis apoſtolicæ ſeparatus; & nos in regnum tuum Legatos noſtros deſtinare curavimus, ut de matrimonij cauſa cognoſcerent, & eam ſervato juris ordine terminarent. Licèt autem prædictus Ludovicus quondam pater tuus & præſens etiam Rex Anglorum ab his quas ſibi junxerant Prælatorum terræ ſuæ judicio fuerint ſeparati, ſuper divortio tamen non fuit ad ſedem apoſtolicam querela delata. unde quod à Prælatis ipſis factum fuerat, cùm nullus penitùs reclamaret, noluit revocare. Vtrum autem apoſtolica ſedes diſſimulare valeat querimonias oppreſſorum, & mulierum præcipuè, quæ quanto infirmioris conditionis exiſtunt, tanto ſunt ampliùs in ſua juſtitia confovendæ, utinam intelligeret regia ſerenitas pleniùs per ſeipſam, vel illi eam meliùs docuiſſent qui conſiliarij ejus & familiares exiſtunt, & in utroque ſunt jure periti. Cùm autem ſententiam illam divortij, tanquam inordinatè prolatam, bonæ memoriæ Celeſtinus Papa prædeceſſor noſter duxerit revocandam, nos, ne ſi cauſa tua maneret diutiùs in ſuſpenſo, cor regium ſollicitudo nimia moleſtaret, per Legatos noſtros, quos in regnum Francorum direximus, te

volumus

voluimus expedire: qui hodie forsan negotium ipsum veritate comperta juxta desiderium tuum terminassent, nisi eorum judicium declinasses. Per te namque recessum est à judicio, postquam carissima in Christo filia nostra Ingeburgis Regina Francorum illustris ab appellatione recessit. Novimus autem, & in hoc etiam tuæ serenitati compatimur, quòd hujusmodi querimonia non quidem ex ratione sed sensualitate procedit, cùm æquitatem severitatem appelles, & justitiam quasi violentiam ægrè feras. Ceterùm potuisset apostolica sedes, nisi tuo detulisset honori, non solùm prædictam retractare sententiam latam juris ordine non servato, sed in latorem ipsius ultionem canonicam exercere, sicut bonæ memoriæ Nicolaus Papa prædecessor noster in Guntarium Coloniensem & Tetgualdum Treverensem Archiepiscopos in casu penè simili legitur processisse, qui & latam ab eis revocavit sententiam, & eosdem Archiepiscopos deposuit ab officio pastorali; immo etiam in Lotharium Regem & superinductam excommunicationis sententiam promulgavit, quoniam idem Rex occasione sententiæ ab eisdem Archiepiscopis promulgatæ, relicta Terberga, quam sibi legitimè copularat, Gualdradam, quam superinduxerat, in conjugem retinebat. Nos autem serenitati regiæ, quantum cum Deo potuimus, deferre volentes, nec in eum qui sententiam tulerat, cùm tibi sit sanguinitate conjunctus, processimus, nec in personam superinductæ vel tuam sententiam aliquam duximus proferendam, sed terram tantùm post frequentes commonitiones subjecimus interdicto. Cùm ergo non secundùm severitatem juris sed æquitatem potiùs te duxerimus pertractandum, non demereri sed promereri potiùs devotionem tuæ serenitatis credidimus; nec lædi te putavimus, si justè prosequeremur justitiam, sed juvari. Vellemus autem ut nunc saltem, acquiescens consilio saniori, patienter moram modici temporis sustineres, & permitteres ut tam te quàm nos ipsos super tanto expediremus negotio, servata pastoralis officii gravitate. Nos enim nos minus quàm te credimus in hoc negotio impeditos, cùm molestum sit nobis celsitudinem regiam molestare & à via regia discedere non sit tutum, ne propter Regem terrenum cælestis Regis incurramus offensam. Quid autem prædictis nuntiis tuis ad honorem regiæ serenitatis duxerimus offerendum, ne sinistra interpretatione forsitan depravetur, tibi præsentibus explicamus. Obtulimus enim quòd si beneplacito regio resideret, duos viros honestos, providos, & fideles ad tuam præsentiam mitteremus, qui non extra regnum Francorum, sed Stampis etiam, ubi prædicta Regina moratur, sive ipsa litem in eorum vellet præsentia contestari, sive nollet ut contumax respondere, dummodo advocatum, si peteret, obtineret, super impedimento affinitatis vel consanguinitatis aut aliis quæ proponerentur audirent, & testes tuos recipere procurarent, deinde si Regina contumax non fuisset, sed lite potiùs contestata, peteret recipi testes suos, quia id ei non possemus de jure negare, sicut regalis prudentia non ignorat, ipsimet in expensis nostris, ne carissimus in Christo filius noster Canutus Rex Danorum illustris germanus ipsius, si vocaretur ab eis, se per importunitatem temporis, maris turbationem, & viarum discrimina, sicut hactenus, excusaret, properarent in Daciam, testes quos ipse induceret recepturi, & audituri rationes, si quas duceret proponendas. quòd si tuo beneplacito resideat ut aliquis honestus, providus, & fidelis de regno tuo ad examinationem hujusmodi facti adderetur eisdem, ipsi quoque cum aliquo tali viro de regno Daciæ testes reciperent ex parte Reginæ, statimque cum festinatione redeuntes in Franciam, si Reginæ voluntas liberè posset induci, depositiones testium publicarent, & examinato negotio proferre sententiam appellatione postposita non differrent, alioquin causam sufficienter instructam referre secum ad nostram præsentiam procurarent, quoniam coram nobis Regina ipsa per suum procuratorem nec locum suspectum, nec Advocati defectum, nec aliam exceptionem allegare posset ad subterfugium, nec etiam appellare. quòd si etiam malles in regno tuo proferri sententiam, nos eam cum consilio fratrum nostrorum occultè formatam mandaremus in regno tuo solemniter publicari, nec pateremur decisionem hujus negotij prorogari, quin illud, quantum in nobis esset, curaremus quanto citiùs expedire. Ad hoc etiam pro te fuimus inclinati ut nuntiis nostris ad tuam præsentiam accedentibus, si de ipsius Reginæ libera procederet voluntate, eligerentur aliqui de regno tuo viri discreti qui causam ipsam, consentientibus partibus, mediante justitia terminarent. Quòd autem liberum ejusdem Reginæ consensum

volumus, causam ipsam personis de tuo tantùm regno committere, vel sententiam per eosdem in tuo regno formari, hoc ad duplicem causam noveris esse provisum, & propter justitiam, quæ non patitur ut judex aut locus parti, maximè quæ impetitur, debeat esset suspectus, & propter cautelam, ne propter validam suspicionem talis posset sententia revocari, ut sic & nostrum opprobrium & tuum dispendium vitaremus. Licèt autem iidem nuntij tui quod eis obtulimus non duxerint acceptandum, si tamen serenitati tuæ, sicut credimus, visum fuerit expedire, id, cùm per literas & nuntios tuos requisiti fuerimus, faciemus, cùm nil tibi negare velimus quod cum honestate nostra concedere valeamus. Et ut pleniùs intelligas nostræ propositum voluntatis, per quod te cupimus expedire, in præsentia nostra coram nuntiis tuis reciperemus ab his qui mittendi essent à nobis ad hoc negotium exequendum corporaliter juramentum quòd ad expediendum illud bona fide, quanto meliùs possent, procedere non tardarent. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur attentiùs quatenus paternæ dilectionis affectum quem circa te habemus intendas, considerans diligenter quòd alia forma nobis non occurrat ad præsens per quam citiùs hujusmodi possit negotium expediri. Sæpe verò contingit quòd nimia festinentia nimiam generat tarditatem. quod in causa matrimonij semel expertus, ne iterum experiaris, evites. Nam si ab initio in ea ordo fuisset judiciarius observatus, hodie fortè nullius dubitationis scrupulus remansisset. Vtinam igitur quid liceat, quid expediat, & quid deceat diligenter attendas, & de anima tua sollicitus agas quod divinæ complaceat voluntati. Ad hoc regiam celsitudinem monemus attentiùs & hortamur quatenus prædictam Reginam, sicut te decet & ipsam, honorificè facias pertractari, cùm si nec tibi copulata fuisset, sed ex aliqua necessitate divertisset ad regnum Francorum, ipsam honorare meritò debuisses. quod ea præsertim debes facere ratione, ne tuæ causæ processus valeat aliquatenus impediri.

NOBILI VIRI IACOBO consobrino & Marescalco nostro.

Epist. 50. De matrimonio Regis Siciliæ cum Aragoniæ Regis sorore.

AD tuam volumus audientiam pervenire nos carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Aragonum & Reginæ matris ipsius literas & nuntium recepisse firmiter promittentium quòd parati sunt nobilem mulierem sororem Regis ipsius carissimo in Christo filio nostro Friderico illustri Regi Siciliæ copulare. Promittunt autem quòd, si opus fuerit, ad liberandum Regem ducentos milites in expensis suis in Regis ejusdem subsidium destinabunt, vel prout venerabiles fratres nostri Archiepiscopi & Episcopi & dilecti filij nobiles viri Comites Regis familiares, ut audivimus, postularunt, & nos posse credimus obtineri, ipsa Regina in persona propria illuc cum quadringentis vel quingentis militibus juxta mandatum nostrum ad Regis defensionem accedet. Verùm ne amittant operam & impensam, si causa qualibet matrimonium non fuerit consummatum, cùm nec contrahi sponsalia sola possint, sibi petunt pro tantis expensis debita securitate caveri. Postulabant quoque donationem propter nuptias fieri nobili memoratæ, ac si Regina eadem, tanquam mater, ad Regem accesserit nutriendum, certos sibi redditus assignari, ex quibus sibi & filiæ ac Regi possit honorificè providere. Licèt autem contractum hujusmodi regno utilem & Regi non solùm nunc, sed etiamsi in omni pace regnaret, honorabilem reputemus, quia tamen super hoc per nos & dictos familiares jam dudum habitus est tractatus, ad consummationem negotij noluimus sine conscientia eorum procedere, sed honori suo duximus deferendum. Vnde eisdem per apostolica scripta mandavimus ut super hoc tam infra se quàm tecum & cum dilecto filio R. tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbytero Cardinale Cassinensi Abbate apostolicæ sedis Legato consilium communicent, & quod ad consummationem hujus negotij statuerint, nobis significare procurent, idoneos nuntios super prædictis omnibus sufficienter instructos ad sedem apostolicam destinantes; ut cum nuntio nostro, quem propter hoc destinare proponimus, ad Regem & Reginam Aragonum accedant, & sponsalia contrahere non postponant, ceteraque perficiant quæ super hoc fuerint consummanda. Ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus familiaribus ipsis studeas suadere uti ad hujus negotij consummationem intendant, & tu ipse ad id des operam efficacem. Datum Laterani Non. Iunij.

Raynald. ad an. 1202. § 6.

In eundem modum familiaribus usque consummanda. Datum ut suprà.

BITVRICENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 51. Non temerè accusandum esse matrimonium quod per multa tempora constitit. Cap. Veniens. Qui matrim. accus. in tertia collect. * In tert. collect. accusatione

VEniens ad apostolicam sedem dilectus filius nobilis vir And. de Calviniaco fideli nobis relatione monstravit qualiter matrimonium quod inter eum & dilectam in Christo filiam Dionysiam uxorem suam contractum extiterat, coram bonæ memoriæ prædecessore tuo fuerit accusatum, qualiter etiam super * actione processerit. Literas quoque tam confirmationis quàm commissionis quæ à felicis recordationis Cœlestino Papa prædecessore nostro super hoc diversis temporibus emanarant, nobis exhibuit, & contra latam sententiam rationes plurimas allegavit, proponens præpterea quòd circa quindecim annos cum prædicta uxore sua in bona voluntate permanserat, & quinque liberos susceperat ex eadem. Quia verò ingressus Ecclesiæ sibi fuerat interdictus, & nos recepta secundùm formam Ecclesiæ cautione ab interdicto fecimus eundem absolvi, fraternitati tuæ de communi fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta mandamus quatenus cùm negotium ipsum ad sedem apostolicam sit translatum, tu eum, sententia non obstante, super ipso matrimonio non molestes, nec permittas ab alio molestari, sed si quis contra mandatum aliquid duxerit proponendum, illud referas ad apostolicam sedem. Et quia contra conjugium quod tanto tempore jam duravit, & ex eo proles multiplex est suscepta, actio non facilè consuevit admitti, præsertim in gradu remoto, inter personas pacificè commanentes, provideat tua fraternitas discreto consilio, circumstantiis universis diligenti meditatione pensatis, quid deinceps super ipso negotio sit agendum. Datum Laterani II. Non. Iunij.

NOBILI VIRO AND. DE Calviniaco.

Epist. 52. De eodem argumento.

IN nostra præsentia constitutus fideli nobis relatione monstrasti &c. *in eundem ferè modum usque in finem.* Volentes igitur pleniùs quieti tuæ paterna sollicitudine providere, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne quis te vel uxorem tuam contra formam præmissam super hoc audeat molestare. Nulli ergo &c. Datum ut suprà.

Scriptum est Turonensi Archiepiscopo & Episcopo Cenomanensi ut sive Bituricensis Archiepiscopus sive alius eum vel uxorem suam super hoc contra formam præmissam præsumpserit molestare, præsumptionem ipsius, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quòd si non ambo &c. Datum ut suprà.

MAGISTRO HONORIO Archidiacono Richemundiæ.

Epist. 53. Determinatur controversia de archidiaconatu Richemundiæ. Cap. 7. de concess. preb.

POst electionem & confirmationem venerabilis fratris nostri Eustachij Eliensis Episcopi, vacante archidiaconatu Richemundiæ, quem tenuerat, cùm id ad venerabilis fratris nostri Eboracensis Archiepiscopi notitiam pervenisset agentis tunc in partibus cismarinis, eum tibi propria liberalitate concessit, dans Eboracensi Capitulo suis literis in mandatis ut te in Archidiaconum, sicut moris est, recipere procurarent. cujus noluerunt mandato parere propter hujusmodi rationes. Quia videlicet bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster inter alia quæ Decano & Capitulo Eboracensi suo privilegio nescitur indulsisse, ordinationem quoque Canonicorum seu personarum, sicut ab ipsa fundatione loci erat hactenus observatum, liberam esse decrevit, ut videlicet idonea & honesta persona, cui Archiepiscopus ipse vacantem in Ecclesia Eboracensi præbendam vel dignitatem duceret conferendam, secundùm antiquam ipsius Ecclesiæ consuetudinem præsentaretur Capitulo & Decano, receptus autem à Capitulo in Canonicum per librum & panem, per manum Decani deberet in Capitulo investiri, postmodum verò in osculo fratrum receptus, de conservanda fidelitate ipsi Ecclesiæ, libertatibus & consuetudinibus juri consentaneis pro viribus defendendis, non detegendis secretis Capituli, juramentum consuetum & debitum interponeret, & tunc de mandato Decani & Capituli, prout moris est, per manum installaretur Cantoris, & si quis contra consuetudinem istam antiquam & approbatam in ipsa Ecclesia esset per aliquem introductus, nec pro persona nec pro Canonico haberetur, quòd si Archiepiscopus vacantem in Ecclesia ipsa præbendam vel personatum infra terminum Lateranensis Concilij secundùm formam præscriptam canonica admonitione præmissa personæ idoneæ non conferret, liceret Decano & Capitulo auctoritate apostolica, nullius contradictione vel appellatione obstante, illud juxta ejusdem Concilij statuta conferre. Cùm igitur in literis Archiepiscopi directis Capitulo De-

Vide Roger. de Hovedem pag. 817. & seqq. edit. Francofurt.

cani mentio nullatenus haberetur, per cujus manum debebas in Capitulo investiri, ejus mandato fuit meritò contradictum, & illa prætereà ratione quòd cùm idem prædecessor noster I. de sancto Laurentio de cancellaria Eboracensi curaverit manu propria per anulum investire, mandans nuntio suo ipsius nomine stallum in choro & locum in Capitulo & processione cum integritate redditnum & omnibus ad cancellariam pertinentibus assignari, tu pro eo quòd proventus ipsos in contemptum præsumpsisti mandati apostolici retinere, per Decanum & Capitulum Eboracensem fuisti excommunicationis laqueo irretitus, unde non eras ad dignitatem interim admittendus. cui prætereà illa ratio repugnabat, quòd ante investituram à Capitulo habitam archidiaconali te officio ingessisti. unde juxta privilegij continentiam pro persona non debebas haberi, præsertim cùm tibi homicidia, sacrilegia, incendia, & alia multa gravia & enormia obicerentur, quæ, archidiaconatum ipsum manu armata tibi usurpare contendens, perpetrare minimè timuisti. Ipsius igitur institutione propter præmissas rationes & alias à Capitulo reprobata, ipsi, ne juris sui dispendium sustinerent, intelligentes etiam archidiaconatus ipsius * dispositionem ad eos tam auctoritate Lateranensis Concilij quàm indulti sibi privilegij devolutam, habito prudentum consilio, illum dilecto filio Rogerio de sancto Eadmundo unanimiter contulerunt, investientes eum de ipso, prout moris est, & solemniter * installantes. Processu verò temporis præfatus Archiepiscopus ab apostolica sede rediens in Normanniam, post resignationem & abjurationem à te factam & receptam ab ipso, eidem R. archidiaconatum contulit antedictum. Petebat igitur ab impetitione prorsùs absolvi, & archidiaconatum ipsum tam ratione primæ quàm secundæ concessionis sibi rationabiliter assignatum per sedem apostolicam confirmari. Ad cujus objectiones ex ordine taliter respondebas, quòd licèt Decani mentio in literis Archiepiscopi directis Capitulo expressè facta non fuerit, non tamen ob hoc exclusus videri poterat vel debebat, sicut pars proponebat adversa; immo continebatur in Capitulo sicut pars continetur in toto, cujus Decanus pars est honorabilis; Archiepiscopus verò caput existit; ne in uno contingat corpore, non sine monstruoso prodigio, duo capita inveniri. Quòd autem te excommunicationis sententia lata

* Tert. collect. donationem

Vide cap. Constitutus. De testib.

* Cod. Andeg. inthronizantes.

per Decanum & Capitulum non ligaverit, multipliciter ostendere satagebas; tum quia fructus cancellariæ nequaquam perceperas, cùm tantùm spiritualium procurator esses ab Archiepiscopo constitutus, tum quia nec tu nec alius, occasione mandati simplicis, per quod coërcitio nemini mandatur, potuit coërceri; præsertim cùm illa sententia qualiscunque post appellationem à te interpositam fuerit promulgata. Vnde venerabilis frater noster Cantuariensis Archiepiscopus, tunc apostolicæ sedis Legatus in Anglia, communicato multorum coëpiscoporum & aliorum prudentium virorum consilio, pronuntiavit te hujusmodi sententia non teneri, sicut ex rescripto literarum ipsius Legati ostendere satagebas. Administrationi autem archidiaconatus, cùm tempore illo absens fueris, te minimè ingessisti; sed cùm videres postmodum inventaria tibi à Capitulo contra justitiam denegari, de mandato superioris archidiaconatum ingressus, cœpisti in eo, prout ad tuum pertinebat officium, ministrare. Quòd autem homicidia vel alia hujusmodi per te illic fuerint perpetrata, vel quòd archidiaconatum renuntiaris aut etiam abjuraris, penitus denegabas, asserens quòd eo tempore quo pars adversa te renuntiasse vel abjurasse dicebat & sibi archidiaconatum fuisse collatum, Archiepiscopus te pro Archidiacono & adversarium pro excommunicato habuit pariter & intruso. Vnde auctoritate literarum nostrarum, de mandato dilecti filij nostri P. tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legati, coram venerabili fratre nostro Rothomagensi Archiepiscopo & suis conjudicibus in Normannia, & demum coram bonæ memoriæ Lincolniensi Episcopo & conjudicibus suis in Anglia, idem Archiepiscopus super intrusione ipsum adversarium traxit in causam, nosque receptas attestationes super ipso negorio meminimus recepisse. Adjecisti prætereà quòd si etiam ea fecisses, per adversarium tamen tuum tibi non poterant obici cum effectu, cui potiùs super ipso archidiaconatu esset silentium imponendum, & approbata institutione tua, tibi restitutio facienda, ex confessione partis adversæ in judicio facta & sæpius repetita ostendere nitebaris. Ipse namque Rogerius à nobis interrogatus in jure ex quo tempore archidiaconatus Richemundiæ sibi per Capitulum fuerit assignatus, respondit quòd circa festum Ascensionis proximum triennium complere.

tur. Cùm igitur ex data literarum nostrarum constraret tempore illo Archiepiscopum apud sedem apostolicam constitutum, & in eis per nos antiquum jus fuerit declaratum, ut tempus quo ad apostolicam sedem accessit, & apud illam permansit, vel recessit ab ipsa, non esset infra tempus sex mensium computandum; liquidò constare dicebas tempus illud Archiepiscopo minimè cucurrisse, sed si etiam quadriennium effluxisset, sicut prioris responsi pœnitens ultimo loco proposuit pars adversa, quod ex parte tua de jure non posse fieri dicebatur, cùm etiam tunc arripuisset iter ad sedem apostolicam veniendi, licèt illud non fuerit continuè prosecutus, impedimentis multiplicibus retardatus, interpretatio rescripti nostri ad tempus etiam hujusmodi pertinebat, cui prætereà præscriptio nocere non poterat in exilio constituto. Factum autem Capituli eundem R. non potuit excusare, quoniam cùm institutio facta per Archiepiscopum præcessisset, quod superior ordinaverat, Capitulum tamquam inferiùs non poterat reprobare, cùm etsi contra statutum privilegij non fuisset admissus, ipsi tamen, quia nec fuerant executores privilegij constituti, nec poterant simul esse judices & actores, contrà te, præsertim absentem & non contumacem, procedere non valebant. Si quid ergo per ipsos erat contra factum Archiepiscopi proponendum, hujusmodi quæstio ad tribunal erat superius deferenda, ut auctoritate finiretur ipsius. Pendente proinde institutione tua, facta per illum ad quem tam jure communi quàm auctoritate privilegij antedicti, per quod collatio personatuum & præbendarum Archiepiscopo reservatur, idem R. non debuit in locum viventis obrepere, cùm sciverit vel scire debuerit hoc jure canonico interdictum. Ait enim beatus Gregorius: *Eum qui contra justitiæ regulam in archidiaconatum alterius provehi se consensit, ab ejusdem archidiaconatus honore deponimus: qui si ulteriùs in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione sacræ communionis noverit esse privatum.* Hujus ergo auctoritate decreti adversarium tuum asserebas ab archidiaconatus officio, quem malè receperat, deponendum, præsertim cùm illi primæ irreptioni vehementer insisteret, & per institutionem ejusmodi suum niteretur propositum demonstrare, ipsumque archidiaconatum tibi restitui suppliciter postulabas. Nos igitur auditis his & aliis quæ partes in præsentia nostra proponere voluerunt & pleniùs intellectis, quoniam constitit

S. Gregor. lib. 1. indict. 10. epist. 14. & 16. Gratian. 7. 4. 1. c. 40.

nobis archidiaconatum præmissum tibi per Eboracensem Archiepiscopum & primitus fuisse concessum, & quòd institutione facta per ipsum secundùm juris ordinem minimè reprobata, archidiaconatus non vacans nec potuerit nec debuerit in alium ritè transferri, memorato R. qui contra justitiæ regulam in archidiaconatum alterius provehi se consensit, super eo silentium duximus imponendum, sententialiter decernentes ut institutio facta per Eboracensem Archiepiscopum de te sortiatur effectum. Exinde verò, si super renuntiatione vel abjuratione aut aliquo præmissorum aliquis qui velit & valeat, adversùs te duxerit proponendum, ordine poterit judiciario experiri. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. Datum Laterani Kal. Iunij.

In eundem modum Decano & Capitulo Eboracensi *usque* experiri. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus quod à nobis est de jam dicto magistro Honorio provida deliberatione statutum, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, humiliter observare curetis, recipientes ipsum tamquam Archidiaconum, & à subditis recipi facientes. Nos enim si quid in præjudicium ejus de ipso archidiaconatu fuerit aliquatenus ordinatum, decernimus irritum & inane. Quod si fortè, quod non credimus, mandatum nostrum nolueritis adimplere, noveritis nos venerabilibus fratribus nostris Eliensi & Norvvicensi Episcopis & dilecto filio Decano Lincolniensi dedisse firmiter in mandatis ut vos ad id per districtionem ecclesiasticam, contradictione & appellatione cessante, cogere non omittant. Datum Laterani III. Nonas Iunij.

Illis scriptum est super hoc contradictores &c. *hoc addito*. Si verò dictus R. de sancto Eadmundo possessionem archidiaconatus præsumpserit detinere, vos præsumptionem ipsius etiam per subtractionem aliorum beneficiorum suorum, appellatione postposita, compescere procuretis. Quòd si non omnes &c. Datum ut suprà.

REGI ANGLORVM ILLVSTRI.

Epist. 54. De eodem argumento.

CVm partibus apud sedem apostolicam constitutis super archidiaconatu Richemundiæ diutiùs fuisset in nostra præsentia litigatum, nos pro dilecto filio magistro Honorio exigente justitia sententiam duximus proferendam, sicut ex rescripto nostræ diffinitionis seriem ple-

nius continente perpenditur evidenter. Quocirca celsitudinem regiam attentiùs monemus per apostolica tibi scripta mandantes quatenus pro devotione apostolicæ sedis & nostra, cùm & ipse magister apud nos quæ ad honorem & exaltationem regalis magnificentiæ pertinebant sæpe curaverit promovere, nec impedias nec impediri permittas quò minùs quæ nobis est &c. *usque* statutum sortiatur effectum, ejusdem Honorij obsequium excellentiæ regiæ multipliciter poterit existere fructuosum. Nos quidem si quid &c. Venerabili etiam fratri nostro *usque* firmiter in mandatis ut Archiepiscopo, Decano, & Canonicis Eboracensibus ac clericis archidiaconatus ipsius, quibus super hoc scribimus, in executione mandati nostri cess. ipsi quæ præmisimus &c. contradictores &c. Datum Laterani.

ARCHIEPISCOPO Cantuariensi.

Epist. 55. De judicio Abbatis Toreæ.

IN nostra præsentia constitutus dilectus filius R. quondam Abbas Torneæ proposuit coram nobis quòd cùm olim ad ejus monasterium accessisses, quod ipse in centum marcharum redditibus ampliarat, & ingressus Capitulum monachorum, inquisitionem cœpisses facere contra eum, ipse gravari se timens, ad sedem apostolicam appellavit, tu verò appellationi non deferens, eum ab administrationis officio suspendisti, & in ejus absentia, inquisitione pòst facta, ipsum usque ad monasterium de Ramessia, licèt invitum, turpiter post te tractum super crucem fecisti jurare quòd te usque Londoniam sequeretur. Ipse igitur Londoniam veniens, appellationem quam priùs interposuerat, solemniter innovavit, & ad venerabilem fratrem nostrum Wintoniensem Episcopum & conjudices ejus commissionis obtinuit literas destinari, quas deferendas cuidam tradidit mercatori. tu verò ipsum in Angliam redeuntem capi fecisti Londoniis, & in Eliensi monasterio carceri mancipari. propter quod mercator, qui literas deferebat, venire in Angliam non præsumpsit. tandem verò à carcere liberatus, ad sedem apostolicam appellavit. tu verò ejus appellationi non deferens, sicut priùs, in ipsum depositionis sententiam protulisti, & depositum in carcerem fecisti retrudi. Ceterùm cùm fuisset à vinculis absolutus, ad præsentiam nostram venit, & ad venerabilem fratrem nostrum Dunelmensem Episcopum & dilectum filium magistrum Io. de Londoniis literas impetravit ut super propositis diligenter inquirerent veritatem, & causam ipsam, si partes vellent, concorditer fine debito terminarent. alioquin causam sufficienter instructam ad nos remittere non differrent. Proponebat igitur idem Abbas quòd prædicta omnia sufficienter fuerant coram eisdem judicibus comprobata. Verùm dilectus filius magister Honorius Archidiaconus Richemundiæ nuntius tuus proposuit ex adverso quòd cùm olim legationis officio fungereris, ad monasterium de Tornea, ut ei visitationis impenderes gratiam, accessisti, cùmque de vita ipsius R. diligentiùs inquisisses, de dilapidatione, incontinentia, & turpi ejus conversatione per testimonia tibi constitit monachorum. Vnde communicato prudentum virorum consilio, eum ab administrationis officio suspendisti, cùm juxta canonicas sanctiones de dilapidatione suspectus debeat ab administratione suspendi. Nec appellaverat tunc temporis idem Abbas; nec etiam si appellasset, tibi eum innotuerat appellasse, cùm, sicut asserunt testes ejus, egressus Capitulum, in secreto collocutorio duxerit appellandum. Verùm cùm postmodum apud Londonias appellasset, non solùm appellationem interpositam recepisti, sed ministrasti etiam ad prosecutionem ipsius sufficienter expensas. Deinde cùm enormitates ipsius bonæ memoriæ Celestino prædecessori nostro per tuas literas intimasses, ipse tuam fraternitatem monuit ut eum ab officio deponeres abbatiæ, ac carceri mancipatum tamdiù detineres donec ad te mandatum ejus denuo perveniret. Ipse igitur depositionis sententiam expavescens, in præsentia multorum Episcoporum & aliorum religiosorum virorum renuntiavit spontaneus abbatiæ; sed post paululum pœnitens, se renuntiasse penitùs denegavit. Tu igitur cùm Metropolitanus existeres ejus, & legationis officio fungereris, & ad hoc esses specialiter delegatus, mandati apostolici formam sequens, propter criminum evidentiam super abbatia ei perpetuum imponere silentium curavisti. Tandem verò cùm prædicto Dunelmensi & conjudici ejus sub forma prædicta sententiæ tuæ foret cognitio delegata, coram eis quòd idem Abbas renuntiaverit abbatiæ, quòd incontinentiæ vitio laborabat, quòd vasa quædam monasterij præter consensum monachorum alienaverat, quòd tu ejus appellationi detuleras, & expensas ministraveras appellanti,

Vide Gratian. 1 q. 2. c. 8 Si Episcopus. §. Quod si.

quòd auctoritate literarum prædicti prædecessoris nostri propter criminum evidentiam & spontaneam cessionem processeras ad depositionem ipsius, & de speciali mandato ejusdem prædecessoris nostri eum in monasterio Glocestrensi, ubi priùs monachus fuerat, carceri manciparas, per testes legitimos comprobasti, deinde autem cùm judices ipsi gesta omnia redegissent in scriptis, & terminum partibus assignassent, idem R. in manibus tuis & liti cessit & renuntiavit spontaneus abbatiæ, tuque renuntiationem ejus ad multam quorundam religiosorum virorum instantiam recepisti. Ceterùm licèt sæpedictus R. se renuntiasse abbatiæ ab initio denegasset, tandem tamen id in nostra præsentia confessus est, adiciens quòd quia renuntiaverat spoliatus, ejus renuntiatio non tenebat. Præterea cùm tu ei congruè promiseris providere, nec volueris adimplere promissum, nec ipse ratum habere quod fecerat tenebatur. Insuper metu fuerat ad renuntiationem inductus, cùm tu ei fueris comminatus quòd si ad nos cum judicum relatione veniret, obtineres à nobis quòd eum in caveam poneremus. Contra hoc autem dictus Archidiaconus replicavit quòd eidem R. prodesse non poterat nec debebat quòd renuntiaverat spoliatus, utpote quem non adversarius, sed judex potiùs spoliarat. Metus autem quem allegaverat pars adversa, eum non poterat excusare, cùm cadere non debuerit in constantem. Quis etenim constans præsumeret quòd nos ad nutum tuum aliquem retruderemus in carcerem & tyrannidem exerceremus in eos qui causas suas apud sedem apostolicam prosequuntur? Non ergo dictus R. debuit qualibet occasione præsumere quòd nos hujusmodi vellemus sævitiam exercere. Quòd autem præsumptio ejus frivola fuerit, apparuit ex pòst facto. Licèt igitur judex non semper ad unam speciem probationis mentem suam applicet, sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, aliisque quæ in ejus præsentia proponuntur formet animi sui motum, & tanta sit judicialis auctoritas ut semper debeat præsumi pro ea donec contra ipsam aliquid legitimè comprobetur, sub prætextu quasi tu contra prædictum R. coram Dunelmensi & ejus conjudice nihil penitùs probavisses, standum tamen sententiæ fuerat, nisi dictus R. eam ostenderet irritandam. Quia tamen præter ista constitit de ipsius renuntiatione spontanea per quorundam Episcoporum literas & confessionem ipsius, nos de consilio fratrum nostrorum ei super eadem abbatia silentium duximus imponendum. Volumus autem ut eidem, divinæ pietatis obtentu, de redditibus monasterij de Tornea in aliquo loco religioso congruè facias provideri. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. Datum Laterani &c. II. Non. Iunij.

EIDEM.

Epist. 56. Datur Archiepiscopo facultas instituendi Archidiaconos.

EX parte tua fuit in audientia nostra propositum quòd prædecessores tui correctiones excessuum, examinationes & decisiones eorum in quibusdam Ecclesiis quæ ad re pertinent pleno jure, per seipsos consueverant exercere, ita quòd vices & officium Archidiaconi gererent in hac parte. Tu verò pondus curæ pastoralis attendens, alios vis in partem commissæ tibi sollicitudinis evocare, & ad curam archidiaconalem in prædictis Ecclesiis exercendam duos Archidiaconos ordinare disponis, ut leviùs in singulis fiat onus quod in plures fuerit distributum, & Ecclesia Cantuariensis tribus Archidiaconis de cetero gaudeat, quæ unum solum hactenus noscitur habuisse. Nos igitur propositum tuum in Domino commendamus, & ut illud effectui mancipes, suademus, si tamen sine gravi scandalo & præjudicio aliquorum poterit adimpleri. Datum Laterani II. Kal. Iunij.

ELIENSI EPISCOPO, DECANO Lincolniensi, & Archidiacono de Bedfor.

Epist. 57. Committitur eis ut examinent accusationem propositam adversùs Archiepiscopum Eboracensem. Vide epistolas tres Innocentij 3. apud Howden. ad an. 1201.

QVerelarum diversitas & frequentia quæstionum quæ nobis contra venerabilem fratrem nostrum H. Eboracensem Archiepiscopum assiduè proponuntur nostrum fatigat vehementer auditum: qui cùm à nobis sæpe commonitus fuerit & correctus, ut actus suos in melius emendaret, ipse nec admonitiones, sicut decuit, acceptare nec correctiones, prout oportebat, asseritur admisisse; & licèt à dilectis filiis Decano & Capitulo Eboracensis Ecclesiæ, tamquam pater à filiis, à quibusdam vicinis Episcopis & aliis nonnullis viris religiosis commonitus fuerit diligenter ut ab ipsorum indebita molestatione cessaret, & se circa eos & alios subditos suos tamquam benignus pastor haberet, ac super aliis nonnullis quæ pontificale fastigium decebant, suæ corrigeret operationis excessus, ipse propter hoc gravior est illis effectus, tamquam qui semper in illorum molestia gloriatur. Nolentes igitur hæc & alia quæ sæpe nobis denuntiata fuerunt

ulteriùs ſub diſſimulatione tranſire, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus ad Eboracenſem Eccleſiam accedentes, Abbatibus, Prioribus, & aliis, perſonis honeſtis, cujuſcunque ordinis, evocatis, præſente Archiepiſcopo, ſi voluerit, & ſe, ſi potuerit, defendente, ſub pœna excommunicationis appellatione remota, prout neceſſe fuerit, injungatis eiſdem ut teſtimonium perhibeant veritati ſuper quibus idem Archiepiſcopus à jamdictis Decano & Capitulo monitionem accepit, teſtes recipientes eorum quos voluerint producere ad illa probanda in quibus dicunt ipſum Archiepiſcopum exceſſiſſe, inquirentes per illos & famam quoque communem utrum Archiepiſcopus ipſe ſit utilis & ſufficiens ad regimen pontificalis honoris, audituri nihilominus & ſuper his probationes appellatione poſtpoſita recepturi, ſi quæ forſan idem Archiepiſcopus contra Capitulum vel aliquem de Capitulo duxerit proponenda, & omnia ſub ſigillis veſtris incluſa nobis quantocitiùs transmittatis, eiſdem Archiepiſcopo, Decano, & Capitulo certum terminum aſſignantes in quo per ſe vel ſufficientes reſponſales noſtro conſpectui ſe præſentent, & irritum pòſt reducentes ſi quid idem Archiepiſcopus per ſe vel per aliquem alium contra Capitulum vel eorum immutaverit aliquem, poſtpoſita appellatione ab eis rationabiliter ad apoſtolicam ſedem emiſſa. Quòd ſi non omnes iis exequendis valueritis aut volueritis intereſſe, duo veſtrum &c. Datum ut ſuprà.

ARCHIEPISCOPO *Meſſanenſi.*

Epiſt. 58. Relaxat ſententiam ſuſpenſionis qua Archiepiſcopus Meſſanenſis tenebatur aſtrictus.

QVantum nos & Eccleſiam Romanam offenderis, nolumus nunc literis explicare, ſed conſcientiæ tuæ relinquimus diſcernendum. Nos autem licèt offenſam noſtram & apoſtolicæ ſedis injuriam in te potuiſſemus graviter vendicare, tuæ tamen honeſtati parcentes, non ſolùm de commiſſis non inflximus tibi pœnam, ſed excommunicationis ſententiam, quam ipſo facto incurreras, per venerabilem fratrem noſtrum Regin. Archiepiſcopum ſecundùm formam Eccleſiæ mandavimus relaxari, ſic tamen ut ſuſpenſionis ſententiam obſervares. Verùm quia, ſicut accepimus, præteritum jam damnas errorem, & ea efficaciter promoves quæ nobis æſtimas complacere dilecti fratris noſtri G. tituli ſancti Vitalis Preſbyteri Cardinalis precibus annuentes, ſuſpenſionis ſententiam, qua teneris aſtrictus, de ſolita ſedis apoſtolicæ manſuetudine relaxamus. Reſervamus tamen adhuc nobis tanti correctionem exceſſus, ut juxta tuorum exigentiam meritorum miſericordiam tecum vel judicium faciamus. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentè per apoſtolica ſcripta mandantes quatenus in devotione noſtra & regia fidelitate perſiſtas, & taliter Regis & regni hoſtibus te opponas ut gratiam noſtram poſſis pleniùs promereri, & præcedentem offenſam per ſatisfactionem aboleas ſubſequentem. Datum Laterani XIII. Kal. Iulij.

ABBATI ET CONVENTVI *Ciſtercienſi.*

Epiſt. 59. Adverſus deſertores ordinis Ciſtercienſis.

CVm paci ac quieti eorum qui Mariæ officium elegerunt paterna ſollicitudine providemus, officij noſtri debitam proſequimur actionem; qui quanto ferventiùs in Dei ſervitio perſeverare noſcuntur, tanto ampliùs, ne ab eo valeant revocari, debent in ſuo laudabili propoſito confoveri. Hinc eſt quòd cùm fugitivi Ciſtercienſis ordinis ſuper receptione ſua aliquotiens literis impetratis contra debitum vos moleſtare præſumant, ob favorem religionis & ordinis veſtri volumus & mandamus ut hujuſmodi ordinis veſtri deſertores, ſi ſuper receptione ſua fortè literas impetraverint, in quibus non contineatur ut recipiantur ſalva ordinis diſciplina, vel ſi regulare fuerit & honeſtum, tales literæ, ne ipſarum occaſione poſſitis à divinis laudibus revocari, nullam obtineant firmitatem, & ne earum obtentu ad fugitivorum receptionem aliquis vos compellat auctoritate apoſtolica prohibemus. Nulli ergo &c. prohibitionis &c. Datum ut ſuprà XIV. Kal. Iulij.

IOHANNI QVONDAM *Lugdunenſi Archiepiſcopo.*

Epiſt. 60. Mittit collectas de ſancto Bernardo.

NEgare noluimus quod petere voluiſti, cùm ex eo tam nobis quàm tibi fructus æternæ retributionis accreſcat. Petiſti namque rogatus à fratribus ut ad honorem beati Bernardi primi Clarevallenſis Abbatis, quem apoſtolica ſedes ſanctorum adſcripſerat catalogo venerandum, nos ipſi collectam & alias orationes ore proprio dictaremus, tum propter auctoritatem dictantis, tum propter ſtilum dictaminis, cum majori devotione dicendas. Et ecce ſicut potuimus ad inſtantiam

tiam dilecti filij fratris Rainerij petitionem tuam curavimus exaudire.

Perfice quæsumus, Domine, pium in nobis sanctæ religionis affectum, & ab obtinendam tuæ gratiæ largitatem beatus Bernardus Abbas & Doctor egregius suis apud te semper pro nobis meritis & precibus intercedat. Per Dominum nostrum &c.

Grata tibi sit, Deus, hujus oblatio sacramenti, quod in memoriam dominicæ passionis tuæ offerimus majestati. Per Dominum nostrum &c.

Sumu in nobis, omnipotens Deus, cibus quem sumpsimus operetur effectum, ut incorporet sibi nos ejus edentes, qui tecum &c. Datum Laterani VI. Idus Iunij.

CAPITULO CAPUTAQUENSI.

Epist. 61. Ecclesia Caputaquensis commendatur Archiepiscopo Salernitano.

QVantæ prudentiæ ac honestatis venerabilis frater noster Archiepiscopus Salernitanus existat, quantam perfectionem propter justitiam patiatur, vestra discretio non ignorat. Adhuc enim peccatis exigentibus exulat, nec ad sedem suam redire permittitur, cùm domos ejus in ipsius oculis possideant alieni, & sponsa ejus serviat violentis. Volentes igitur tam ejus necessitati consulere quàm vobis & Caputaquensi Ecclesiæ providere, procurationem ejusdem Ecclesiæ ipsi Archiepiscopo tam in spiritualibus quàm in temporalibus de consilio fratrum nostrorum commisimus, donec vel Ecclesia ejus pace gaudeat exoptata, vel nos aliud duxerimus statuendum. Monemus igitur devotionem vestram & exhortamur attentiùs, & per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus ei de cetero tam in spiritualibus quàm in temporalibus devotè ac humiliter intendatis, & taliter pareatis eidem quòd Ecclesia vestra per studium ejus in statum possit resurgere meliorem. Datum Laterani II. Idus Iunij.

P. TITULI SANCTI MARCELLI Presbytero Cardinali, apostolicæ sedis Legato.

Epist. 62. Datur ei facultas condendi testamenti.

PIum videtur habere propositum cui sua novissima memorantur, & in augmento temporis ejus potiùs decursum attendunt. Cùm ergo memor conditionis humanæ de novissimis cogites, & diligenti prævisionis oculo hujus vitæ mortalis ultima metiaris, tuis precibus annuentes, disponendi de rebus tuis, cùm tibi videris expedire, auctoritate tibi præsentium liberam tribuimus facultatem. Nulli ergo &c. concessionis &c. Datum Laterani III. Idus Iunii.

EXONIENSI EPISCOPO.

Epist. De concessione Ecclesiarum.

SOlet annuere &c. *usque* assensu sancti Petri, sancti Stephani Perani Theodori Probos, sancti Petri de Plinton. de Branton. sancti Stephani Exoniensis Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus &c. Nulli &c. Datum Laterani XIII. Kal. Maij.

EXONIENSI EPISCOPO.

Epist. 64. Ne filii patribus suis succedant in beneficiis ecclesiasticis.

ABolenda est in Ecclesia Dei consuetudo perversa, & quæ contra formam canonicam attentantur, pastorali sunt sollicitudine corrigenda. Sanè pervenit ad audientiam nostram quòd in diocesi Exoniensi plerunque contingit ut decedentibus Ecclesiarum vicariis vel personis, eorum filij absque conscientia tua Ecclesias vacantes invadant, & ut eas licentiùs valeant detinere ac tuam auctoritatem eludant, ad nos vocem appellationis emittunt, & sanctuarium Dei jure nituntur hereditario possidere. Volentes igitur obviare, sicut convenit, huic pesti, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus ut filios Clericorum quos in Ecclesiis diocesis tuæ patribus nullo medio sic inveneris substitutos, Ecclesiis & ecclesiasticis beneficiis spolies taliter occupatis, nonobstante appellationis objectu quæ interponitur in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ. Nulli ergo &c. Datum Laterani III. Idus Iunij.

ABBATISSÆ ET MONIALIBUS Romaricensibus.

Epist. 65. De eadem re.

OCcurrere debet apostolica sedes præsumptionibus malignorum & eorum excessus pastorali sollicitudine corrigere. Sanè ad audientiam apostolatus nostri pervenit quòd cùm monasterium vestrum ad Ecclesiam Romanam nullo pertineat mediante, Clerici qui per vos Ecclesias vel ecclesiastica beneficia sunt adepti, in eis filios vel nepotes suos quasi successionis jure substituunt, & hereditate nituntur Dei sanctuarium possidere. Faciunt enim secum filios vel nepotes suos de beneficiis quæ possident in solidum investiri, ut sic uterque possideat quasi totum, quòd si alter decesserit, reliquus in plena integritate remaneat, nec socium, nisi quem taliter forsan præsentarit, admittat; sicque contingit quòd interdum pueri vix quinquennes, idiotæ quoque, ac discretione carentes, in Ecclesiis obtinent personatum. Si autem aliquis talium filios

non habuerit vel nepotes, filiæ vel nepti suæ obtentum beneficium dat in dotem, & de ipso tamquam de propria hereditate disponit. Si quando verò quisquam eorum priùs viam fuerit universæ carnis ingressus quàm filium vel nepotem suum juxta formam præmissam secum de beneficio suo fecerit investiri, nihilominus filius vel nepos ipsius ei succedere nititur & patris beneficium obtinere. Si quis autem eorum semen non reliquerit super terram, nec clericus aliquis ex ejus consanguinitate compareat, laicus qui propinquior ei sanguine fuerat, per manum alicujus clerici vacantem Ecclesiam recipit, & percipit fructus. Ceterùm si super his interdum non annuitis votis petentium, vel eis beneficium investituræ negatis, rapiunt bona vestra, & ecclesiastica spoliant quæ requirunt, & aliter etiam vos non dubitant molestare, guerras & dissensiones contra vos sæpius suscitantes. Quia verò abusus hujusmodi canonicis obviat institutis, volentes monasterio vestro paterna sollicitudine providere, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne quod ex ecclesiasticis beneficiis, quorum donatio ad vos spectat, vel duobus conferatur in integrum, vel post patrem nullo mediante filio tribuatur, aut cuiquam assignetur in dotem, vel ad consanguineos tamquam jure hereditario devolvatur. Nulli ergo &c. Datum Laterani III. Idus Iunij.

Scriptum est super hoc Treverensi Archiepiscopo & Episcopo Tullensi præcipiendo ut si quis Abbatissam & moniales ipsas contra inhibitionem prædictam molestare præsumpserit, ipsi præsumptionem ipsius monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescatis. Quòd si non ambo &c. alter vestrum. Datum ut suprà.

IOHANNI ILLVSTRI REGI *Anglorum.*

Epist. 66. Redarguitur de his quæ egerat adversùs Episcopum Lemovicensem.

VTinam gemitus & dolores prodenter attenderes quos nobis in Ecclesiarum oppressionibus & afflictionibus Clericorum frequenter infligis: Vtinam celsitudo regalis anxietates animi nostri respiceret quibus affligimur vehementer cùm per eam coëpiscopos nostros audimus irreverenter offendi & in opprobrium nostrum ac divinam injuriam ignominiosè tractari. Accepimus enim quòd tu villas, possessiones, & alia bona venerabilis fratris nostri Lemovicensis Episcopi per ministros tuos fecisti irrationabiliter occupari, quasdam à villis & hominibus ejus exactiones indebitas exigendo, ad oblationes etiam altaris sancti Leonardi, quæ ad ipsum Episcopum pertinere noscuntur, fecisti manus extendi, & per tuos facis recipi servientes. (In quo quantum regali magnificentiæ derogatur cognoscere poteris, si velis diligentiùs intueri) sicque universa bona ipsius Episcopi per Seneschalcos & ministros tuos occupari fecisti quòd extra civitatem & villas suas cogitur exulare. Nolentes igitur, quantumcunque personam tuam in Domino diligamus, ut apud Deum nostra conscientia nos accuset si hæc dimiserimus ulteriùs incorrecta, celsitudinem regiam monemus attentiùs & hortamur in Domino per apostolica scripta mandantes quatenus eidem Episcopo ablata restituas universa, & de damnis etiã illatis sibi ac suis & injuriis satisfaciens competenter, ab ipsius indebita molestatione desistas, & permittas eum tam in civitate quàm Lemovicensi diocesi liberam mansionem & quietam habere. Alioquin noveris nos venerabili fratri nostro Bituricensi Archiepiscopo firmiter injunxisse ut post frequentes & diligentes admonitiones tibi factas ex parte tam nostra quàm sua, te ad hoc per interdictum terræ, ad quamcunque deveneris, dum in ea præsens extiteris, nollius contradictionis vel appellationis obtentu nostra fretus auctoritate compellat.

BITVNTINO EPISCOPO & Marsicano Subdiacono & Capellano *nostro.*

Epist. 67. De electione Archiepiscopi Tranensis. *Cap. 5. de off. Legati.* * *Cod. Colbert.* E. *Andegav.* C.

LIcèt Tranenses Canonici ab initio dissensissent, tandem tamen omnes unanimiter consenserunt, dilectum filium * G. fratrem Casinensis Abbatis in Archiepiscopum eligentes; cujus electionem venerabilis frater noster P. Portuensis Episcopus tunc apostolicæ sedis Legatus examinari præcipit, & examinationem redactam in scriptis fecit sigillis dilectorum filiorum Archidiaconi & magistri * Petrarchæ muniri, cum suo quoque sigillo ad sedem apostolicam transmittendam. Literas quoque suas nobis pro dicto fratre Casinensis Abbatis deprecatorias destinavit, quas cum decreto electionis omnium Canonicorum subscriptionibus roborato, necnon & litteris suffraganeornm & populi, tres de Canonicis Tranensis Ecclesiæ ab universo Capitulo destinati nobis humiliter præsentarunt, petentes electionem ca-

* *Cod. Colbert.* Petri Chic, *Andeg.* Patriarchæ

nonicam de persona idonea celebratam auctoritate apostolica confirmari. Nos autem ad majorem cautelam à prædictis Canonicis juramentum recepimus, non à nobis exactum, sed ab ipsis oblatum, & factum electionis, sicut est & moris & juris, examinavimus diligenter. Interim verò nuntius prædicti Casinensis Abbatis suas nobis litteras præsentavit, gravem contra jam dictum Legatum querimoniam continentes quòd postquam electionem examinaverat, & eam ad nostræ transtulerat deliberationis examen, nuntiis jam directis, iterum eandem electionem malitiosè nimis examinare præsumpsit. Vnde petebat per viros idoneos suspicione carentes de ipso facto diligenter inquiri. Cùmque præfatus supervenisset Episcopus, & ea quæ gesta sunt intellexissemus ab ipso, de communi fratrum nostrorum consilio examinationem secundam, tamquam à non suo judice factam, postquam negotium ad nostrum fuerat translatum examen, censuimus irritam & inanem. Quia tamen ex his quæ de quibusdam juramentis & promissionibus factis audivimus, non levis in animo nostro dubitatio est suborta, ut secundùm Apostoli dictum manus citò nemini imponamus, super his per inquisitionem legitimam volumus pleniùs edoceri. Quocirca devotioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ad Tranensem accedentes Ecclesiam, juramenti vinculo Canonicos astringatis ut super electionis processu plenam & meram aperiant veritatem, diligenter & fideliter inquirentes de juramentis & promissionibus & aliis articulis ad negotium facientibus, utrum videlicet aliqua promissio vel datio facta fuerit, à quo, & cui, quando, & ubi, quibus mediantibus vel præsentibus, utrum recepta vel spreta, & quis eam recepit aut sprevit, & si quisquam promissionem vel donationem noverat præcessisse, quare postea eligebat, distinguentes inter scientiam & auditum, & inter eos qui ab initio contradixerant & alios qui consenserant à principio, de quo fuit, & à quibus, qualiter, & quare juratum; sicque fideliter omnia conscribentes, sub sigillis vestris ad nostram præsentiam destinens. Quòd si non ambo his exequendis infra mensem potueritis interesse, alter vestrum &c. Datum Laterani VIII. Kal. Iulij.

PRIORI ET CAPITVLO Sagiensi.

Epist. 68. De electione Episcopi Sagiensis.

Post obitum Sagiensis Episcopi, votis eligentium in diversa divisis, tu, fili Prior, cum quibusdam ex Canonicis pro parte tua, pro parte verò altera Archidiaconus Oximensis & quidam similiter de Canonicis, ad sedem apostolicam accessistis. Vt autem de processu negotij notitia plenior haberetur, utrinque de mera veritate dicenda præstari fecimus juramenta. Tu ergo, Prior, pro parte tua coram dilecto filio I. tituli S. Priscæ Presbytero & Hug. S. Eustachij Diacono Cardinalibus deposuisti juratus quòd defuncto Episcopo Sagiensi fratres in Capitulo convocasti, proponens coram ipsis qualiter per F. & L. prædecessores, qui de gremio Sagiensis Ecclesiæ non fuerunt, Canonicorum erant reditus diminuti, & multa gravamina passa fuerat Ecclesia Sagiensis, consulens eis ut aliquis de ipsa eligeretur Ecclesia, qui paupertatem vestram expertus, compassionis vobis viscera exhiberet. Cùmque hoc verbum omnibus placuisset, tu sub professionis debito & obedientiæ vinculo promisisti quòd ab hoc proposito non recederes, præsertim cùm juri canonico consonaret, per quod electio de gremio Ecclesiæ statuitur facienda, si persona ibi reperiatur idonea. Id etiam promiserunt à te singuli requisiti. Tu ergo & benedixisti omnibus hoc statutum perscrutantibus, & in transgressores de universorum assensu excommunicationis sententiam protulisti. Exin tribus tibi Canonicis sociatis ad venerabilem fratrem nostrum Rotomagensem Archiepiscopum & carissimum in Christo filium nostrum Iohannem illustrem Regem Angliæ accessisti, ut defuncti obitum nuntiares. Sed cùm nihil proficeres apud eos, ad tuam Ecclesiam es reversus. Post hæc verò Rex ipse Sagium veniens, duos nuntios Capitulo destinavit, ex parte ipsius proponentes quòd Decanum Lexoviensem in Episcopum recipere procurarent. Respondentibus autem Canonicis quòd utiliores & meliores haberentur in Ecclesia Sagiensi, regij nuntij subjunxerunt ut tres de Ecclesia & tres de extraneis nominarent, unum quem Rex vellet in Episcopum recepturi. Exclusis autem nuntiis, cùm super hoc commune consilium haberetur, Canonici omnes in te vota sua voluntate libera transtulerunt, ut quot & quos velles de Capitulo nominares. Tu autem pleniùs sciens merita

ſingulorum, S. Sagienſem & W. Chobon. Archidiaconum & Magiſtrum G. & R. de Merula nominaſti, & Canonici omnes te, licèt invitum, pariter nominarunt, parati unum ex his quinque recipere in paſtorem. Redeuntibus verò nuntiis, literas regias recepiſti ut tu cum ſex vel ſeptem de Canonicis Argentonium ires, literas portans de rato, ut quod cum ipſis faceres, ceteri acceptarent. Venientes autem illuc tecum nonnulli de Canonicis cum hujuſmodi literis in te vota ſua unanimiter contulerunt, ut quem eligeres reciperent in paſtorem, inſtantes poſtmodum apud Regem ut in aliquem de gremio Eccleſiæ conſentiret. Cùmque id obtinere non poſſent, nec ipſi vellent recipere de nominatis à Rege, recepta licentia tandem ad propria ſunt reverſi. Poſt aliquot verò dies nuntij Regis denuo advenerunt rogantes ut ſatisfieret regiæ voluntati. Sed licèt antequam id proponerêt, tu ad ſedem apoſtolicam appellaſſes, in craſtinum tamen, te vidente, iidem nuntij theſaurum Eccleſiæ rapuerunt, & deponentes illum apud abbatiam ſancti Martini, die ſequenti equos tuos & omnia bona Canonicorum per violentiam abſtulerunt, & veſtros exinde famulos expellentes, abreptis domorum clavibus, portas exteriores & alias firmarunt, & conſanguineis Canonicorum in quadrigis abductis & carceri mancipatis, bona eorum fuerunt omnia totaliter occupata; quibus etiam, ſicut audiſti, fuit commercium victualium denegatum. Poſtmodum etiam nuntij cum Majore villæ ad Capitulum redeuntes, dixerunt Canonicis quòd nec manducarent nec biberent quouſque ſatisfacerent regiæ voluntati. Tu ergo cum Canonicis cruce textuque evangelij receptis Eccleſiam proceſſionaliter exiviſti, ipſam & epiſcopatum totum interdicto ſupponens; & appellans iterum, quinque de fratribus ad Eccleſiæ cuſtodiam dimiſiſti. Ceteris autem tecum apud Trapam manentibus, ſub pœna excommunicationis nequis ab eorum ſocietate recederet inhibere curaſti. Et cùm neque per venerabilem fratrem noſtrum Cantuarienſem, neque per jam dictum Rotomagenſem, à quo benignè recepti fuiſtis, reſtitutionem obtinere poſſetis, timentes ne metu regio Canonici qui apud Sagium & obedientias morabantur, procederent ad aliquem eligendum, ab ipſo Metropolitano veſtro literas impetraſtis ut excommunicationis vinculo ſubjacerent qui ſine conſcientia Prioris & Capituli eligere attentarent. In craſtinum verò convenientibus tam matricis Eccleſiæ quàm obedientiarum fratribus univerſis, ſex duntaxat exceptis qui apud Sagium morabantur, & de electione tractantibus, vota omnium in R. de Merula convenerunt. Duodecim autem, de quibus tres ad noſtram præſentiam acceſſerunt, metum regium allegantes & electioni factæ intereſſe timentes, receſſerunt, firmiter promittentes quòd ſalva pace Regis electum libenter reciperent in paſtorem, & contra ipſius electionem non irent niſi coacti. Die verò ſequenti habito prudentum conſilio electionem in capella ſancti Andreæ apud Rotomagum ſolemniter celebraſtis, * ipſam Metropolitanus per quoſdam de Capitulo de electo, ne quid in veſtrum præjudicium fieret, ſedi Apoſtolicæ approbavit, tandem ab ipſo Archiepiſcopo benedictione recepta iter arripuiſtis ad ſedem apoſtolicam veniendi. Poſtmodum verò de Argenteio Miles ex parte Regis & R. Abbatis G. accedens rogavit & multa promiſit ut rediretis, filium ipſius R. in Epiſcopum recepturi, addens quòd vobis nolentibus & volentibus futurus eſſet Epiſcopus Sagienſis. Iterum etiam idem Abbas per quendam Clericum & ſervientem ſuum vos ſuper eodem attentè rogavit. Sed vobis in priore manentibus voluntate, cœptum iter proſecuti fuiſtis. Electo autem apud ſanctum Moran ſublato de medio, venientes Lucaniam in capella, epiſcopali habito.. quondam Lucanenſis Epiſcopi & aliorum prudentum conſilio, S. Archidiaconum, unum de quinque à principio nominatis, ſolemniter elegiſtis; & cum ipſo pariter ad ſedem apoſtolicam accedentes, electionem ipſius petebatis ſuppliciter confirmari, electione partis adverſæ (quæ fuerat ab excommunicatis appellatione poſtpoſita poſtquam vos iter arripuiſtis ad ſedem apoſtolicam, electo veſtro vivente) de filio illius qui Sagienſem Eccleſiam & Canonicos ſpoliarat, penitùs reprobata. Ceterùm ex parte adverſa Arnaudus Preſbyter profeſſus, licèt narrationi tuæ, fili Prior, in aliis verò omnibus concordaret, per maledictionem tamen tuam ſe non intellexiſſe propoſuit excommunicationis ſententiam in aliquem fuiſſe prolatam, rationem ſupponens quare ſuper electione Lexovienſis Decani regia petitio non fuerit admittenda, cùm ipſius conſanguinei eſſent Sagienſis Eccleſiæ inimici, & quòd ea die qua Eccleſiam proponebas exire

* *ſ.* ipſam Metropolitano per quoſdam de Capitulo præſentaſtis, & electo, ne q. in ve. præ fieret, ſedem apoſtolicam appellante i tand.

propter persecutiones præmissas, V. de Aspri ipso & quibusdam aliis præsentibus ad nos appellans, ne sine assensu Capituli ad electionem procederes interdixit. Addidit etiam quòd rediens nuntius ex parte Regis proposuit quòd id de ipsius non processerat voluntate, portans Archiepiscopo literas continentes quòd Canonicos ad propria redire faceret, & eis plenè omnia resignaret. Tu autem, Prior, Archidiacono Corboniensi & R. fratri ejus ut ad Sagiensem Ecclesiam accederent injunxisti, nuntiaturi quod invenirent de restitutione facta vel etiam facienda, postmodum verò cum quibusdam Canonicis Argentonium accessisti; ubi cùm non posses colloquium habere cum Rege, de consilio dicti Cantuariensis Archiepiscopi, pro bonore ejus, qui erat in diocesi Sagiensi, sententiam in nativitate Domini relaxasti; exinde verò Rotomagum veniens, de consilio Archiepiscopi omnes fratres ad octavam circumcisionis dominicæ convocasti; quibus apud Rotomagum constitutis, cùm omnes convenire non possent, ad vocationem Archiepiscopi, qui apud abbatiam sancti Audoëni morabatur, tu cum tribus Archidiaconis & quinque aliis Canonicis illuc ivisti; cujus stare, post multa verba, sicut sacerdotes, legali consilio promisistis. Fuit autem ipsius consilium quòd ad matricem Ecclesiam ipsius Canonici, obedientiales verò ad suas obedientias remanerent, ipso autem non andente ad Ecclesiam suam redire in locis competentibus faceret provideri, & quòd ad electionem non procederent donec restitutionem plenariam obtinerent, sub pœna excommunicationis inhibens ne sigillo Capituli apud superiorem invento sine consensu Capituli sigillarent. quod etiam priùs factum fuerat per Priorem, ad cujus petitionem & aliorum novem Archiepiscopus idem excommunicavit omnes qui sine consensu communi eligere attentarent. Quatuor autem ex ipsis W. Archidiacones Corboniensis, magister Guarinus, constitutus ipse testis, & Martinus Blandinensis ad Archiepiscopum accesserunt, ut absolveret eos à promissione quam sibi Prior fecerat de non assumendo aliquo in Episcopum nisi de gremio esset Ecclesiæ postulantes. Quibus respondit Archiepiscopus quòd Deus non erat ut eos posset ab hujusmodi absolvere sacramento. Cùmque magister Guarinus constitutus se dixerit non jurasse, respondit Archiepiscopus, *Ite in nomine Domini*. Die verò sabbathi octava circumcisionis sequente omnibus Canonicis in archiepiscopali capella manentibus, sex exceptis qui remanserant ut Ecclesiam custodirent, cùm tu Prior proposuisses quòd licet quinque nominati fuissent, per R. tamen de Merula Ecclesiæ vestræ melius poterat provideri, Archidiaconus Corboniensis si electionem velles facere requisivit. Respondenti autem tibi quòd velles eligere, ipse pro se suisque subjunxit quòd interesse propter promissionem quam fecerat Archiepiscopo non audebant, cujus perlectis litteris appellavit, & cum decem & novem exivit; tu verò cum sociis tuis sequenti dominica R. de Merula elegisti; electionem autem Archiepiscopo confirmare volente, ipse Archidiaconus Corb. appellationem interpositam innovavit, & cum parte sua rediens ad Ecclesiam Sagensem, & pro excommunicata partem alteram habens, habito consensu regio & prudentum virorum consilio, Erbertum filium præfati R. Abbatis elegit; sed electus ipse, nisi nobis placeret, noluit consentire. Petebatis proinde pro parte ista facto suo tamquam ad apostolicum favorem impendi. Quòd autem præmissa electio de jure stare non poterat, multipliciter ostendere satagebas. Fuerat enim ab excommunicatis post appellationes multiplices contra promissionem factam præfatis Archiepiscopis attentata. Cùm enim præfatus Rotomagensis Archiepiscopus ad petitionem tuam, fili Prior, excommunicasset eos qui eligerent sine tuo Capitulique consensu, te tuosque tenuit boc edictum, in quo faciendo partem incidere præsumpsistis, licèt idem Archiepiscopus per suas nobis literas intimarit quòd in eos excommunicationis sententiam promulgarat qui ad electionem procederent regula canonum non servata. Apostolicam sedem appellaverat etiam H. Archidiaconus Oximensis ne ipso contempto eligeretur aliquis in pastorem. V. etiam de Aspris in egressu Ecclesiæ Sagiensis, & Archidiaconus Corboniensis in archiepiscopi capella itidem appellavit, ne absque consensu Capituli deberet electio celebrari. Vos etiam promittendo quòd juxta consilium præfatorum Archiepiscoporum eligere deberetis, à primo videbamini proposito recessisse. Quòd si pars altera tamquam excommunicata jus in electione nullum haberet, sicut ex parte tua, fili Prior, extitit allegatum, cùm quidam de Canonicis partis tuæ ad electionem ultimam vocati non fuerint, &

sic meritò intelligantur exclusi pariter & contempti, hac solummodò ratione factum ultimum partis tuæ proponebatur penitùs irritandum, cùm plus noceat contemptus unius quam contradictio plurimorum. Verùm has objectiones pars tua refellere nitebatur, negans se penitùs in excommunicationem aliquam incidisse. Cùm enim ab initio ipsius negotij de communi consensu omnium fuerit ordinatum ut nullus eligeretur externus, sed de gremio duntaxat Ecclesiæ, in qua plerique idonei habebantur, nec hujusmodi statuto per consequentiam fuerit derogatum, cùm etsi compromissum fuisset in consilium præfatorum, per hoc tamen non recederetur à primo statuto, quia consulere potuissent & etiam debuissent ut secundùm illud statutum is de gremio eligeretur Ecclesiæ qui posset in ea idoneus inveniri; & si tibi, fili Prior, de facto fuerit per aliquos contradictum, de jure tamen contradici non potuit, cum de communi consensu quinque fuissent de gremio Ecclesiæ nominati ut unus assumeretur eorum. quare unus ex ipsis sine contradictione qualibet eligi poterat & debebat. Appellationes etiam interposiræ id non poterant impedire, quoniam Oximensis Archidiaconus non poterat appellare, cùm non sit Canonicus vel professus, nec ad electionem alius admittatur, sicut ex Canonicorum depositionibus evidenter apparet. Cùmque Canonici & professi per testes etiam partis ipsius Archidiaconi nominentur, ipse inter numeratos hinc inde minimè reperitur. Aliis autem provocationibus dicebatur fuisse delatum, cùm inspecto principio quod cujusque rei potissima pars extitit, non sine communi consensu Capituli electio fuerit celebrata. Defuncto igitur electo priore, de cujus facto personaliter agi non poterat, de medio persona sublata, nisi forsitan ut de viribus latæ sententiæ quæreret pari potestate, ad secundam fuit electionem processum, cùm electus ipse de quatuor fuerit primitus nominatis, cui absentia quorundam, fili Prior, tuæ parti faventium nocere non poterat vel debebat, cùm longiùs extra provinciam constitutus eos causa necessitatis ad electionem cōvocare nequiveris vel etiam expectare, præsertim cùm se ratum habituros promiserint quicquid super ordinatione ipsius Ecclesiæ tu & alij feceritis. Adversariis ergo tamquam excommunicatis ab electionis jure semotis, in te tuosque qui tecum aderant potestas totius Capituli residebat. Vnde factum tuum propter præmissas & alias rationes favore petebas apostolico roborari. Nos igitur his & aliis diligenter auditis & cognitis, quia constitit nobis, prima electiōne pendente, post appellationem ad sedem apostolicam, factum partis alterius ab excommunicatis perperam attentatum, illud decrevimus irritum & inane. Electionem autem illam ultimam à te, fili Prior, & tibi faventibus tamquam à toto Capitulo propter præmissas rationes & alias canonicè celebratam communicato fratrum consilio exigente justitia sententialiter confirmamus. Nulli ergo &c. Datum Laterani VII. Kal. Iulij.

N. DECANO MAIORIS *Ecclesiæ Coloniensis, Præposito Bunensi, & Priori de Heisterbach.*

Epist. 69. De electione Abbatissæ de Gerensim.

SI licuisset nobis personas accipere in judicio, profectò in causa monasterij de Gerensim, quæ vertebatur inter dilectas in Christo filias Gertrud & Gudan, tot & tales ac tantos pro ipsa Guda intercessores habuimus quòd libenter pro ipsa sententiam tulissemus. Verùm quia Deus in sua lege præcipit quòd nec accipiamus personas nec munera, sed justè quod justum est judicemus, nos sine personarum acceptione via regia procedentes, causam ipsam juxta canonicas sanctiones exigente justitia curavimus terminare. Ad audientiam siquidem apostolatus nostri referente dilecto filio procuratore dilectæ in Christo filiæ Gertrud pervenit quod cùm olim vacante monasterio prædicto de præficienda sibi Abbatissa moniales diutiùs tractavissent, demum in duas partes vota eligentium sunt divisa, quarum altera Gertrud, altera Gudan sibi in Abbatissam elegit. propter quod ab utraque illarum fuit ad sedem apostolicam appellatum, & ad prosequendam appellationem nuntij destinati, qui in certos judices multis coram positis convenerunt, juramento firmantes quòd à literis quas communiter impetrarent nullatenus resilirent, nec examen electorum judicum pariter declinarent; sed postmodùm Gud. nuntius contra præstitum veniens juramentum, ad A. quondam Abbatem de Monte & dilectos filios Abbatem de Campis & Præpositum sancti Gereonis furtivas literas impetravit. Qui cùm vellent in causa procedere, Ger. nuntius ab apostolica sede reversus ad dilectos filios majoris Ecclesiæ & sancti Gereonis Decanum &c. quondam majorem

ſcholaſticum Colonienſem impetratas literas exhibuit ſub hac forma, ut videlicet literas quas Gud. nuntius per fraudem extorſerat denuntiarent irritas penitùs & inanes, revocarent etiam quicquid per eas eſſet in dictæ Ger. præjudicium attentatũ, cauſam poſtea fine canonico terminantes. Qui prioribus literis revocatis, cùm vellent ſuper electione cognoſcere, pars Gud. literas illas ſibi ſuſpectas eſſe propoſuit & ad ſedem apoſtolicam remittendas; cujus intentionem cùm Ger. ea ratione duceret eludendam quòd nullas cauſas ſuſpicionis proponeret nec probaret, eadem Gud. ad noſtram audientiã appellavit. Iudices verò intelligentes appellationi hujuſmodi minimè deferendum, probato quòd Ger. à majori & ſaniori parte monialium fuiſſet electa, ipſam in poſſeſſionem abbatiæ auctoritate apoſtolica induxerunt. Qui cùm poſtmodum nuntium cum actis judicum ad ſedem apoſtolicam deſtinaſſent, ipſe nuntius immemor fidei quam ſuper negotio fideliter procurando præſtiterat, cum nuntio Gud. colluſit, cui univerſa tradidit inſtrumenta, & cum eo in judices ſuſpectos omnino convenit. Vnde cùm ad venerabilem fratrem noſtrum Colonienſem Archiepiſcopum & dilectos filios Decanum Exactenſem & Præpoſitum S. Gereonis impetratæ literæ comparerent, Ger. ad ipſorum tribunal accedens adversùs Archiepiſcopum proponebat quòd ab ipſo ſuper eodem negotio fuerat appellatum & ab initio litis foverat partem Gud. & proventus Eccleſiæ, quos ut judex ordinarius lite pendente debuiſſet fideliter conſervare, illi poſtmodum conferendos quæ per ſententiam obtineret, adverſariæ ſuæ conceſſerat, & ſic illam contra ſe duxerat muniendam. Dicebat inſuper quòd Xant. Decanus adverſariam proxima linea conſanguinitatis attingeret, & quòd Præpoſitus ſancti Gereonis non eſſet judex idoneus, tamquam infra ætatem legitimam conſtitutus. Ad hæc autem pars Gud. taliter reſpondebat, quòd cùm de aſſenſu utriuſque partis judices fuiſſent obtenti, ipſa Ger. non debebat nec poterat eorum judicium declinare. Sed eadem contra hæc taliter replicabat, quòd ſi prædictas cauſas ſuſpicionis ad plenum ejus nuntius advertiſſet, doloſè poſtmodum in tales judices convenerit. Vnde factum ejus ratum habere minimè tenebatur. Denique cùm ejus rationes nollent admittere judices memorati, ipſa ſe & cauſam apoſtolicæ protectioni ſupponens noſtram audientiam appellavit. ſed judices, juris ordine prætermiſſo, Gud. de abbatia inveſtire curarunt, moniales quæ excommunicatæ fuerant ſine ſatisfactione qualibet abſolventes. Præfatus autem Gud. nuntius reſpondebat quòd cùm à ſex fratribus & ſeptem ſororibus in Abbatiſſam canonicè fuiſſet electa, Ger. verò à parte numero & dignitate minore, ipſa Gud. per nuntium ad Abbates de Monte ac de Camp. & Præpoſitum ſancti Gereonis literas impetravit: qui cùm cauſa legitimè ventilata uſque ad ſententiam proceſſiſſent, Ger. nuntius ad majoris Eccleſiæ & ſancti Gereonis Decanum & majorem ſcholaſticum Colonienſem literas noſtras reportavit; qui cùm partes peremptoriè citaviſſent, Guda tamen, quia unus judicum advocatus, reliqui verò ab initio fautores fuerant prædictæ Ger. ſedem apoſtolicam appellavit. Sed nihilominus judices prædictæ Ger. poſſeſſionem abbatiæ adjudicare curarunt, in ipſam Gudam & ejus fautrices ſententiam proferentes excommunicationis. Vnde poſtmodum ad earum petitionem cauſam ipſam prædicto Archiepiſcopo & Præpoſito ſancti Georgij & Decano Xanten. commiſimus terminandam; qui latam à prædictis judicibus ſententiam revocarunt, electionem de Guda factam auctoritate apoſtolica confirmantes. Ger. autem ad ſedem apoſtolicam accedens ad probandum quod propoſuerat coram dilectis filiis B. tituli S. Suſannæ Preſbytero & M. S. Theodori Diacono Cardinalibus, quos conceſſeramus in eodem negotio auditores, teſtes induxit, & procurator Gud. ſe teſtes aſſeruit producturum, quorum copiam apud ſedem apoſtolicam non habebat. Vnde negotium ipſum dilectis filiis Abbati de Stavelt, Præpoſito ſancti Severini Colonienſis, & Priori de Mare duximus committendum; quibus per noſtras dedimus literas in mandatis ut auditis propoſitis, & receptis teſtibus quos pars utraque duceret producendos, atteſtationibus etiam coram jam dictis Cardinalibus exhibitis, quas ſub bulla noſtra his miſimus intercluſas, & aliis quæ coram ipſis eſſent exhibitæ, publicatis, Deum habentes præ oculis, ſi partes conſentirent, diffinitivam ſententiam promulgarent. alioquin geſta omnia in ſcriptis redacta ſub ſigillis ſuis ad ſedem apoſtolicam deſtinarent, partibus competentem terminum aſſignantes quo per ſe vel procuratores idoneos accederent diffinitivam ſententiam recepturæ. Convocatis igitur partibus, & in ipſorum delegato-

rum præsentia constitutis, Ger. nostras judicibus literas præsentavit, postulans sibi justitiam exiberi. Quibus de more perlectis, Gud. earum copiam sibi petiit exhiberi. Cujus petitionem dicebat Ger. nullatenus audiendam, cùm easdem literas sibi suus procurator, quem ad nos miserat, reportasset. Cùmque fuisset super hoc diutiùs disputatum, Ger. tandem fecit Gud. inspiciendarum copiam literarum. Quibus diligenter inspectis, deliberatorias inducias postulabat; quas Ger. denegandas penitùs asserebat, cum sæpe ac sæpius concessæ fuissent ac diù negotium ventilatum. Cùmque super his diutiùs ventilassent, ipsi judices habito prudentum & religiosorum consilio non esse dandas Gud. deliberatorias inducias decreverunt, tum quia coram pluribus judicibus causa fuerat agitata, tum quia Gud. facere fidem noluit quòd easdem literas per suum nuntium minimè recepisset. Vnde Gud. nostram duxit audientiam appellandam. Ipsi verò appellationem in literis inhibitam attendentes, testes Ger. ad ipsius petitionem sub isto nenegotio receperunt, quorum attestationes cùm fuissent legitimè publicatæ, cum illis quæ coram memoratis Cardinalibus receptæ fuerant, prout tenor mandati apostolici continebat, sub sigillis suis ad nos transmisere conclusas. Nos igitur procuratoribus utriusque partis cominus constitutis, cùm per memoratum B. Presbyterum Cardinalem, quem eis dedimus auditorem, nobis quæ proposita sunt fuissent fideliter recitata, auditis rationibus & allegationibus pleniùs intellectis, attendentes Ger. à majori & saniori parte monialium, quæ, sicut probatum fuerat, solæ jus obtinent eligendi, canonicè in Abbatissam electã fuisse, Gud. denuntiatione cassata, electionem Ger. auctoritate apostolica duximus confirmandam. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eam in possessionẽ ipsius abbatiæ nostra freti auctoritate inducere remoto cujuslibet appellationis obstaculo procuretis, & faciatis eam pacifica possessione gaudere, contradictores &c. Quòd si non omnes, duo &c. Datum Laterani VI. Kal. Iulij.

ABBATI ET CONVENTVI Dolensi.

Epist. 70. Confirmatur concordia inita cum domino Castri Rodulphi.

CVm lites quæ ad discordiam emersfe-runt amicabili fuerint compositione sopitæ, quod ad eas sopiendas provida fuerit deliberatione statutum, decet scripturæ testimonio communiri, ne ad renovandum litigium quorumlibet malitia quæstio rediviva consurgat. Sanè cùm inter vos & Ecclesiam vestram ex una parte & dilectum filium nobilem virum Andream de Calviniaco dominum castri Rodulphi ex altera super justitiis & libertatibus Burgi Dolensis quæstio verteretur, tandem inter vos & ipsum amicabilis compositio intervenit, quam tu, fili Abbas, & idem nobilis in nostra præsentia constituti postulastis à nobis suppliciter confirmari. Nos igitur vestræ postulationi clementer annuimus, & compositionem ipsam, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque patte sponte recepta, & in scripto dicti nobilis plenariè continetur, auctoritate apostolica confirmamus &c. Vt autem super hoc certitudo major possit haberi, scriptam ipsum de verbo ad verbum huic nostræ paginæ duximus inserendum, cujus tenor talis est. AD EVITANDVM oblivionis incommodum & retundendam calumniantium malitiam, qui super rebus gestis suscitare solent multiplices quæstiones, adhibendum est scripturæ remedium: quatenus quod longævi protractio temporis humanæ memoriæ derogat, hoc scripturæ testimonium, quod oblivionis dispendium non patitur, recompenset. Idcirco ego Andreas de Calviniaco dominus Castri Radulphi notum facio per præsentem paginam omnibus præsentibus & futuris quòd cùm inter me & Ecclesiam Dolensem super justitiis & libertatibus Dolensis burgi fuisset quæstio diutius ventilata, per Dei gratiam taliter fuit inter me & eandem Ecclesiam compositum & ad pacem perventum quòd ego dimisi & concessi in perpetuum Dolensi Ecclesiæ, propter chartas quas habet Ecclesia ipsa à dominis quibusdam castri Radulfi, omnes justitias Dolensis burgi tam in duellis quàm furtis, quàm raptu & morte, & quòd omnes clamores qui de commissis infra cruces ejusdem burgi perpetratis fiunt, ad Abbatem vel ejus ministeriales ferantur, & qui justitiam suam infra cruces habere voluerint, per prædictam Ecclesiam habeant, & quòd equi ejusdem Ecclesię sive jumenta sive asini qui cum quadriga seu alio modo ad adducenda ligna seu alia usibus monachorum necessaria foras missi fuerint non capiantur, nisi tamen inventi fuerint in delicto. Habitatores burgi Dolensis quicquid & ubique extra cruces delinquant, dummodo infra cruces venire valeant exhibebunt justitiam per Abbatem vel ejus mandatum, nisi tamen capti fuerint in delicto.

licto. Questam etiam illam quam super homines burgi Dolensis propter vindemiandas vineas ego & prædecessores mei consueveramus facere, Deo & beatæ Mariæ ego & Diooysia uxor mea & heredes mei omnino & io perpetuum dimisimus, ita quòd nullus bomioum vel mulierum infra cruces burgi habitantium aliquid de cetero propter vineas vindemiaodas per solvat, sed quaodocunque voluerint, liberam vindemiandi habeant facultatem. Coocessi etiam quòd panoi sine tinctura qui fuerint in burgo Dolensi & in Castro Radulphi, sicuti burellum & reatum, quod fit ibidem, vendantur in burgi domibus, fenestris non apertis; panni etiam linei & canabei, undequaque veniant, similiter ibi vendantur. Homines etiam qui molas in borgo Dolensi adducere voluerint, eas securè adducant & vendant, & ego vel bomioes mei oullam vim faciemus quò minùs io burgo molæ adducantur & vendantur. Coocessi præterea quòd mercerij perducant merces suas & vendaot in plateis burgi Dolensis; si Abbas voluerit, nisi forum vel nundinæ fuerint apud Castrum Radulphi; ita quòd oullam alicui persolvant consuetudinem. Fabri etiam uodecunque veniant, vendaot ferrum fabricatum sine omni consuetudine. Io omnibus ouodinis quæ fiuot in burgo Dolensi, jacebuot mercatores, si volueriot, in burgo in vigiliis nundinarum & in die cum rebus & equitaturis suis. In oundinis verò quæ fiunt in burgo Dolensi io visitatione Dolensis Ecclesiæ, quas ego dedi, & io nundinis Aonuntiatioois beatæ Mariæ quas D. Ebbo & D. Radulfus filius ejus dederunt, quæ sunt trium dierum, jacebunt mercatores, si voluerint, in burgo Doleosi io vigiliis nuodinarum & io die, & altera sequenti die cum rebus & equitaturis suis. Propter damna quæ ego intuli Dolensi Ecclesiæ dedi io perpetuum Ecclesiæ decem modios bladi de frumento, de filigine, de bordeo, de avena, equaliter. Præterea coocessi quòd burgus de Maslinio babeat eandem libertatem quam burgus Dolensis habet. Propter damna & injurias quæ homines mei fecerunt & Coterelli apud Maslinium coocessi qoòd apud Maslinium quotanois Dominica post festū S. Dionysij fiant oundinæ juxta consuetudinem onodinarum quę fiunt in burgo Dolensi io festo S. Michaëlis. Io burgo de Obbeis oihil babeo nisi questam unius marcæ argenti & unam procuratiooem mei in anno, sicut D. Ebbo quondam habuit. Villam de Hyonali teoebo & servabo liberam & immunem, reddita mihi consueta censa avenæ. Io domo de Oddohooe non descendam oec bospitabor, oec aliquam violentiam irrogabo. Medietarij Dolensis Ecclesiæ eruot ab omni consuetudine & violentia liberi & immunes, & res monachorum vel bominum suorum oon capientur quandiu ipsi voluerint justitiam exhibere, vel Abbas, vel mandatum suum pro eis. Vt autem ista omoia babeant perpetuam firmitatem, ego juravi me illa inviolabiter servaturum, & præsentem paginam sigilli mei munimine roboravi, & ad majus testimonium sigilla sancti Gildasij & Millebecensis Abbatum feci apponi. Hæc omnia sicut suprà scripta fuot etiam Diooysia uxor mea & G. filius meus coocesserunt. Hujus rei testes sunt isti H. Prior Dolensis, A. Prior de Rocca Cerveoa, Aym. Eleemosynarius, P. Camerarius, P. Sacrista, A. Cellarius, O. Armarius, M. Hostellarius, P. Ferraodi, I. Archipresbyter Castri Radulfi, N. Correus Pelet, G. Hebodet, H. Vivertius, P. Garni, W. Atlavi, A. Viventius, G. Bergorolæ, H. de Seusa, Ga. de Aventioiaco, A. Buret, G. Moralz, O. de Valenxai, Magister Erveus, R. Burgers, & B. frater ejus, G. filius ejus, Gir. Peteft, Terr. Bonatus de Vriaco, Hu. Aonellus, P. de Crescen. Iobannes scriptor Abbatis Dolensis, & multi alij. Actum est hoc aono verbi in carnati MCCII. Noo. Aprilis in capitulo Dolensi, regnaote Philippo Rege Francorum, Iohanoe Rege Aoglorum, sedente Inoocentio Papa III. G. Præsule Bituricensi, Radulfo Abbate Dolensi.] Nulli ergo &c. Datum Laterani III. Kal. Iulij.

CLAROMONTI CANONICO *Terdonensi.*

Cvm pro quæstiooe Terdonensis præbendæ; quæ vertebatur ioter te ex una parte & veoerabilem fratrem oostrum Episcopum & dilectos filios Caoonicos Terdooenses ex aliâ tu & procuratores partis alterius io oostra essetis præsentia constituti, vobis dilectum filium Hug. tituli S. Martini Presbyterum Cardinalem concessimus auditorem. Coram quo pro te taliter fuit allegatum, quòd cùm bonæ memoriæ O. Episcopus Terdonensis patruus tuus ab apostolica sede reversus Terdooeoses Caooicos atteotiùs rogavisset ut te reciperent in Canonicum & in fratrem, ipsi ejus precibus annuentes hilariter te receperunt, oulla primæ vel se-

Epist. 71. Ei confirmatur præbenda. Cap. 8. de concess. præb.

Vide suprà lib. 1. epist. 131. 187.

eundæ præbendæ habita mentione, qui ab illo tempore usque nunc locum in choro & capitulo sicut alij Canonici habuisti, lectiones legisti in Ecclesia, & responsoria cantavisti, ac per prædictum Episcopum tibi fuerunt domus in ipsa canonica nomine Canonici assignatæ, quas tu possedisti ac possides in quiete. Et cùm in eadem Ecclesia Terdonensi ex illis Canonicis qui præbendam in ea non possident tu primò institutus fueris & receptus, & nunc vacet beneficium in eadem, humiliter postulabas à nobis ut Terdonensibus Canonicis dare dignaremur districtius in mandatis quòd vacans beneficium tibi omni dilatione postposita assignarent & facerent pacifica possessione gaudere. Procuratores verò partis alterius è contrario respondebant quòd cùm in Terdonensi Ecclesia certus sit Canonicorum numerus institutus & scriptis Romanorum Pontificum confirmatus, Canonicique constitutionem ipsam observare teneantur præstito juramento, nos eis literis nostris dedimus in mandatis ut dilectum filium B. Subdiaconum & Capellanum nostrum in Canonicum reciperent & in fratrem, eique præbendam sicut uni ex aliis Canonicis assignarent. Verùm quia statutus canonicorum numerus tunc in eadem Ecclesia plenus erat, mandatum nostrum non potuerunt executioni mandare. Post non modicum verò temporis prædictus O. quondam Episcopus persuasionibus, minis, & terroribus institit apud Canonicos Terdonenses ut te reciperent in Canonicum ad præbendam proximò vacaturam, eis constanter promittens quòd eos tam à petitione civium Terdonensium quàm ab executione mandati apostolici quod ipsi pro ejusdem Subdiaconi nostri receptione reciperent liberaret; sicque eos circumveniens fraudulenter, recipi te fecit ad præbendam proximò vacaturam. Cùm autem dilectus filius B. tituli sancti Petri ad vincula Presbyter Cardinalis in Lombardiæ partibus legationis officio fungeretur, eundem Subdiaconum nostram per quendam Clericum suum institui fecit Canonicum Ecclesiæ Terdonensis, assignans ei stallum in choro & locum in capitulo, præsente prædicto quondam Episcopo nec faciente de receptione tua aliquam mentionem. Sed prædicti Canonici institutionem de ipso B. factam, licèt in publico non ostenderent propter insolentiam laicorum, ratam omnimodis habuerunt. Cùmque circa præteritum Pascha dictus quondam Episcopus carnis debitum exoluisset, & Episcopus qui nunc est fuisset subrogatus eidem, qui fuerat Archidiaconus Ecclesiæ Terdonensis, præbendam vacantem iidem Canonici prædicto Subdiacono nostro unanimiter decrevere conferri, sicut in eorum literis perspeximus contineri, & ipsius procuratores Capituli prædictam præbendam vacantem in nostra sibi præsentia concessērunt. Unde suppliciter petebatur à nobis ut institutionem tuam, tamquam contra Lateranense Concilium attentatam, penitùs irritantes, & absolventes Terdonensem Ecclesiam ab impetitione tua, concessionem eidem Subdiacono nostro factam de præbenda prædicta dignaremur auctoritate apostolica confirmare. Nos igitur ex his quæ fuerunt hinc inde proposita certiores effecti per Cardinalem prædictum, concessionem prædicto Subdiacono nostro à Canonicis prædictis factam de præbenda prædicta de fratrum nostrorum consilio ratam habentes, ei auctoritate apostolica duximus confirmandam. Verùm cùm tam assertione tua quàm confessione constet partis alterius te in fratrem & Canonicum Terdonensis Ecclesiæ fuisse receptum, licèt receptionem tuam factam contra Lateranense Concilium pars adversa proponat, quia tamen probatum non extitit, parte altera penitùs hoc negante, nec ipsi Canonici hoc videbantur tibi opponere posse de jure, qui se fatebantur te contra statuta prædicti Concilij recepisse, sententiando decernimus ut tibi, quàm citò se facultas obtulerit, præbendale beneficium in Terdonensi Ecclesia conferatur, cùm ex quo receptus es in Canonicum, non debeas carere præbenda. Volentes autem tecum benignitatem apostolicam exercere, ut non videaris diutiùs, sicut nec convenit, sine stipendio ecclesiastico militare, provida deliberatione statuimus ut fructus præbendæ prædicti Subdiaconi nostri tamdiu inter te & ipsum æqualiter dividantur donec præbendam tu fueris in Terdonensi Ecclesia consecutus. Datum Laterani VII. Idus Iulij.

ARELATENSI ARCHIEPISCOPO & sancti Ægidij & Vallis magnæ Abbatibus.

Epist. 71. De accusatione adversùs Abbatem S. Vvillelmi & depositione ejus.

CUm accessissent olim ad apostolicam sedem dilecti filij M. monachus sancti Vvillelmi, qui Hu. quondam Abbatem ipsius loci super reatu perjurij, dilapidatione, ac dissolutione ordinis accusabat, ac

W. Ricc. procurator ipsius quondam Abbatis, quia per mutuas assertiones illorum non potuimus elicere veritatem, causam ipsam dilecto filio fratri Raynerio tunc in partibus illis apostolicæ sedis Legato duximus committendam. Sed postmodum de infirmitate ipsius Legati rumore accepto,* ne aliquid de ipso humanitus eveniret, dilectum filium magistrum Petrum de Castronovo Magalonensem Archidiaconum negotio eidem adjunximus. Qui capitulo innitens quod in literis nostris erat insertum, videlicet ut si Legatus interesse non posset, idem Archidiaconus ea nihilominus executioni mandaret, partes ad suam præsentiam convocavit. Coram quo dictus monachus supradicta crimina objecit eidem quondam Abbati, asserens etiam ipsum commisisse simoniacam pravitatem apertè. in cujus testimonium criminis quoddam instrumentum produxit in medium, in quo idem quondam Abbas certesh Ricc... uxorem ejus & infantes ad conversionem pro duobus millibus solidorum Melgoriensis monetæ confiteri videbatur sub caritatis nomine recepisse. Sed cùm idem M. hæc & multa alia in Abbatem proponeret, & multis modis exciperet contra ipsum, suámque niteretur innocentiam expurgare, dictus Archidiaconus receptis testibus quos pars induxit adversa, in dictum quondam Abbatem suspensionis sententiam promulgavit. Idem verò quondam Abbas veritus ne judex procederet ad depositionem sui ipsius, vocem ad nos appellationis emisit. Ipse nihilominus appellatione contempta, postquam idem quondam Abbas iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi, in eum excommunicationis & depositionis sententiam promulgavit. Postmodum autem dictus quondam Abbas ad præsentiam nostram accedens, cùm nobis proponeret se à dicto judice injustè gravatum, & postularet instanter ut quod ab ipso factum fuerat irritum faceremus haberi, supradictus monachus postulabat è contrà quòd à nobis obtineret factum Archidiaconi firmitatem. Qui cùm concertatione mutua nobis contraria proponerent & diversa, & dilectus filius I. tituli sanctæ Pudentianæ Presbyter Cardinalis eis datus fuisset auditor, coram ipso & dilectis filiis P. tituli sancti Marcelli Presbytero & H. sancti Eustachij Diacono Cardinalibus, quos eidem auditori ad consilium duximus adgendos, aliquandiu litigarunt. Qui visis attestationibus & allegationibus utriusque partis, auditisque diligenter & conspectis, quoniam ex attestationibus adversæ partis nihil intelligere potuerunt quod depositionem induceret, licèt aliqua quæ continebantur in eis famam ipsius quondam Abbatis in aliquibus denigrassent, vobis, frater Archiepiscope & fili Abbas Vallis magnæ, & dilecto filio B. de Costa Archidiacono Ruthenensi literis nostris mandavimus ut nisi coram vobis prædictus quondam Abbas sufficienter ostenderet se à crimine simoniacæ pravitatis super præmissis immunem, depositionis sententiam latam in eum curaretis auctoritate apostolica confirmare, & faceretis eidem monasterio de persona idonea in Abbatem regulariter provideri. quòd si probaret se forsan immunem à simoniaca pravitate, prædictam depositionis sententiam revocaretis in irritum, pœnam tamen eidem quondam Abbati ad correctionem infligeretis secundùm disciplinam canonicam & ordinem regularem, suspensionis sententia usque ad purgationem canonicam suo in robore permanente. Vos autem cùm juxta mandatum nostrum parati essetis in causa procedere memorata, prædictus M. monachus conjudicem vestrum Archidiaconum Ruthenensem sibi suspectum asseruit, eò quòd in causa eadem contra ipsum fuerat Advocatus, postulans ut vos duo in causæ cognitione procederetis, vestro conjudice remoto, sic ad nostram audientiam appellavit, cùm in literis nostris appellationis non esset remedium interdictum. Post appellationem tamen objectam partes vobis multipliciter obstiterunt ut vos duo pietatis intuitu ejusdem causæ cognitionem suscipere curaretis secundùm formam commissionis nostræ in omnibus processuri, eo solo excepto quòd si eundem quondam Abbatem videretis depositione dignum, latam in eum depositionis sententiam non possetis auctoritate apostolica confirmare, sed nobis curaretis totius negotij seriem per vestras literas intimare; si verò ipsum videretis per sententiam absolvendum, ferendi pro ipso absolutionis sententiam haberetis facultatem. Causa itaque suo tramite decurrente, cùm Abbas ipse niteretur se immunem ostendere à labe simoniacæ pravitatis, & ad asserionem suam testes aliquos produxisset, & è contrà pars M. monachi ad improbandos testes ipsius quondam Abbatis produxisset testes alios ex adverso, & multa fuissent hinc inde proposita coram vobis, & compromisissent partes præstito juramento

Vide suprà lib. 1. epist. 167. 341.

ſe in ipſa cauſa plures teſtes minimè producturos, vos auditis rationibus & allegationibus utriuſque partis, cùm partes in vos compromiſiſſent iterum præſtito juramento ſe juri & mandato veſtro per omnia parituros, quoniam eidem eidem quondam Abbati & quieti monaſterij credebatis plurimùm expedire ut idem quondam Abbas ſponte cederet abbatiæ, ipſo vocato ſeorſum, ei ſuggerere ut cederet procuraſtis. Et quoniam moniris veſtris in hac parte acquieſcere non curavit, vos in cauſa ipſa ultrà procedere noluiſtis, partem utramque cum allegationibus & atteſtationibus quas recepiſtis & literis veſtris totius cauſę ſeriem continentibus ad noſtram præſentiam remittentes. Cùmque nos omnibus diligenter inſpectis, de fratrum noſtrorum conſilio cauſam ipſam parati eſſemus per ſententiæ calculum terminare, idem quondam Abbas ſponte ceſſit pro bono pacis, uſus conſilio ſaniori, & renuntians omni juri quod in eadem abbatia ſe credebat habere, ipſam in noſtris manibus reſignavit; cujus ceſſionem recepimus, præcipientes eidem ut ſe intromittere de abbatia de cetero minimè attentaret. Volentes igitur ipſi monaſterio, quod eſt Romanæ Eccleſiæ, paterna providere ſollicitudine, ut tenemur, cùm occaſione queſtionis prædictæ ſit, ut dicitur, in temporalibus & ſpiritualibus diminutum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ad monaſterium ipſum pariter accedentes, ceſſionem & renuntiationem prædicti quondam Abbatis publicè nuntietis, dantes conventui auctoritate noſtra liberam facultatem ut perſonam idoneam per electionem canonicam cum conſilio veſtro ſibi præficiant in Abbatem, vóſque Deum habentes præ oculis tale ipſis detis in hoc conſilium quòd in examine diſtricti judicis, ubi quiſque de factis ſuis mercedem propriam eſt recepturus, bonam valeatis ex hoc reddere Domino rationem, & per veſtræ ſollicitudinis ſtudium ſtatus ipſius monaſterij, quod multipliciter eſt dilapſum, valeat auctore Domino reformari. Ei autem qui de conſilio veſtro electus fuerit in Abbatem, quia ipſius monaſterij parcere volumus gravaminibus & expenſis, tu, frater Archiepiſcope, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo, vice noſtra munus benedictionis impendas, & ab eo juramentum pro Eccleſia Romana recipias, quod tibi ſub bulla noſtra mittimus interclusum. Si verò idem conventus electionem celebrare noluerit, vel malitioſè diſtulerit, ſeu eorum vota in electione non potuerint unanimiter concordare, vos nihilominus auctoritate noſtra, ſublato appellationis obſtaculo, curetis ipſi monaſterio de perſona idonea providere; cui tu, frater Archiepiſcope, juxta quod prædiximus, benedictionis munus impendere non moreris, contradictores, ſi qui fuerent, vel rebelles appellatione remota per diſtrictionem eccleſiaſticam præmiſſa monitione compeſcens. Quia verò prædictus quondam Abbas in proſecutione cauſæ ſuæ multa, ut aſſerit, jam expendit, pro quibus amicorum ſuorum bona ſunt pignori obligara, & ipſe cum eis nihilominus eſt pro eiſdem debitis obligatus, volentes ei, ſicut convenit, providere, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus ut ei de bonis monaſterij antedicti moderatas expenſas, quas in proſecutione hujuſmodi feciſſe dinoſcitur, receptis ab eo privilegiis monaſterij & ſigillo Capituli, reſtitui ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo faciatis. Poſſeſſiones autem ipſius monaſterij alienatas illicitè auctoritate apoſtolica ſtudeatis legitimè revocare, detentores ad reſtitutionem earum, ſicut juſtum fuerit, eccleſiaſtica diſtrictione cogentes. Quòd ſi non omnes &c. tu frater Archiepiſcope cum eorum altero &c. Datum apud monaſterium Sublacenſe VIII. Idus Auguſti, anno quinto.

EPISCOPO, ARCHIDIACONO, & Præpoſito Placentino.

Epiſt. 73. De contumacia Clericorum S. Antonini Placentin.

Contumaciam Præpoſiti & Canonicorum ſancti Antonioi Placentini jamdiu ſumus per indicia eorum rebellionis experti, & ad correctionem inobedientiæ ſuæ noſtrum nuper animum vehementiùs concitarunt. Licèt enim pro dilecto filio T. Clerico canonicando in eadem Eccleſia noſtras preces & litteras multoties recepiſſent, ac mandatum noſtrum non fuiſſent veriti ſurdis auribus pertranſire, tandem tamen vobis, fili Arcbidiacone & Præpoſite, noſtris dedimus literis in mandatis ut ſi prædicti præpoſitus & Canonici eundem in fratrem & Canonicum non reciperent, vos in eos non poſtponeretis excommunicationis ſententiam promulgare. Sed cùm ipſi perdurantes in contumacia ſua, ipſum T. à vobis etiam commoniti recipere non curaſſent, vos eos juxta tenorem mandati noſtri excommunicationis vinculo aſtrinxiſtis. Ceterùm cùm

prædictus Præpositus propter hoc ad sedem apostolicam accessisset, ab eo secundùm formam Ecclesiæ juramento recepto, beneficium ei fecimus absolutionis impendi & injungi eidem sub debito juramenti ut si prædictus T. receptus esset in fratrem & Canonicum Ecclesiæ antedictæ, sicut idem Præpositus asserebat, ipse receptioni ejus nec per se nec per alium verbo vel opere contradiceret, & si fortè receptus non esset, eum reciperet, & ipsum in sua receptione fovere curaret, & ut alij eum reciperent, pro posse suo daret operam. Verùm volentes Canonicis ipsius Ecclesiæ, qui propter hoc erant simili sententia innodati, misericorditer providere & eorum parcere laboribus & expensis, vobis literis nostris, quas idem Præpositus ad vos debuit reportare, dedimus in præceptis ut illos de Canonicis antedictis qui ad nostrum vellent redire mandatum, receptis ab eis secundùm formam Ecclesiæ juramentis, ab excommunicationis vinculo absolvere curaretis, injungentes eisdem sub debito juramenti quatenus prædicto Præposito, * ut præmissum est de mandato nostro injunctum fuisse dinoscitur, attentiùs provisuri ne cujuslibet tergiversatione vel fraude seu quolibet ausu contra mandatum nostrum, quod prædicto T. fecimus, valeret aliquid attentari. Sed cùm crederemus prædicto T. Clerico in suo negotio satis congruè providisse & ipsum præbendæ suæ pacifica possessione gaudere, post reditum prædicti Præpositi à præsentia nostra, sicut ejusdem Clerici nobis conquestio patefecit, illata sunt ei gravamina duriora, & pacem quam per ipsum habere credidit, non potuit obtinere, & ex literis nostris quas idem Præpositus reportavit fructum non fuit aliquem consecutus, quia idem Præpositus vobis eas non curavit, ut debuit, præsentare. Sed cùm idem Præpositus eundem T. nomine & vice omnium fratrum suorum, ut dicebat, in pacis osculo recepisset, & ei stallum in choro, locum in Capitulo, dormitorio, & refectorio assignasset, à te postmodum, frater Episcope, iidem Canonici requisiti si ratum haberent quod Præpositus fecerat de receptione Clerici antedicti, se id ratum habituros noluerunt aliquatenus præsente eodem Clerico confiteri. Cùmque idem Clericus in loco sibi assignato in dormitorio lectum & in refectorio, sicut moris est, suum fecisset scrinium deportari, ipsi Canonici vel per se vel per alios de scrinio res ejus extrahentes furtivè, ipsum in refectorio igni apposito concremarunt, postmodum lectum ejus cum cultellis nequiter inciderunt. Sed cùm idem Clericus crederet sibi per Præpositum, qui tunc ab apostolica sede redierat, de damnis & injuriis irrogatis satisfactionem aliquam exhiberi, ipsi afflicto afflictionem addentes, pulvinar ejus de dormitorio abstulerunt, & in quendam consanguinem ejus Clericum, qui pro pane & vino more solito ad Camerarium accedebat, quidam de Canonicis cum servientibus suis manus injicientes temerè violentas, & ipsum inhonestè tractantes, graviter vulnerarunt in facie, ac extra portam Ecclesiæ turpiter expulerunt, & servientibus ejusdem Ecclesiæ districtiùs inhibere curarunt ne ipsi præsumerent aliquod servitium exhibere, & sic eundem Clericum minis assiduis & contumeliis affligentes, non sine contemptu nostro, ipsum fatigare non desinunt plurimis laboribus & expensis. Prædictus quoque Præpositus, prout effectus operis manifestat, oblitus præstiti juramenti, & mandati nostri transgressor, licèt ipsum Clericum sub quadam dolositate receperit, contra eum secretò non dubitat malignari, & Canonicos suos fovens in malitia præconcepta, ipsis excommunicatis participat in refectorio, & extra etiam cum eis non metuit conversari, & duobus ex illis qui excommunicatione tenentur, postquam à nobis rediit, administrationem temporalium Ecclesiæ memoratæ contulit, & cum aliis divina non metuit officia celebrare, eidem T. præbendam cum integritate juxta mandatum nostrum denegans exhibere. Cùm igitur contemptum hujusmodi non debeamus sub dissimulatione transire, immo manum extendere severitatis apostolicæ ad correctionem ipsorum, ut aliis auferatur audacia similia perpetrandi, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & in virtute obedientiæ districtè præcipimus quatenus si prædictus Præpositus præmissas literas, quas vobis de ipsius absolutione & receptione Clerici antedicti direximus, occultaverit, vos ipsum tamdiu candelis accensis & campanis pulsatis publicè denuntietis excommunicationis sententiæ subesse donec ad nos cum eisdem literis revertatur, à nobis super tanto excessu pœnam debitam recepturus. Si verò vobis in suo reditu ipsas literas præsentarit & contra tenorem earum ipsum venisse constiterit, vos eum tamquam perjurum ab administratione ejusdem Ecclesiæ penitùs amo-

ventes, ipsum ab officio & beneficio sublato appellationis obstaculo deponatis. Alios autem Canonicos Ecclesiæ prædictæ tamdiu nuntietis accensis candelis & pulsatis campanis per civitatem & diocesim Placentinam excommunicationis sententiæ subjacere, quam omnibus diebus dominicis & festivis præcipimus solemniter innovari, & sic excommunicatos præcipiatis ab omnibus arctiùs evitari donec singuli præstiterint corporaliter juramentum quòd Clericum ipsum in Canonicum & fratrem admittant, fraternáque benignitate pertractent, stallum in choro sibi, locum in Capitulo & refectorio assignantes, & ei præbendam suam non subtrahant, de contemptu cum literis vestris procuratores ad nostram præsentiam curaverint destinare. Quæ verò de præbendæ fructibus, postquam de ea fuit auctoritate apostolica investitus, sæpedicto Clerico sunt subtracta, & moderatas expensas quas eum propter hoc veniendo ad sedem apostolicam, morando & redeundo, fecisse constiterit, ipsi faciatis sine diminutione restitui, & de illatis damnis & injuriis irrogatis satisfieri competenter, contradictores monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Illos autem quos vobis constiterit in prædictum Clericum servientem ipsius manus temerarias injecisse, tamdiu appellatione remota excommunicatos publicè nuntietis & faciatis ab omnibus arctiùs evitari donec passo injuriam satisfecerint & cum vestrarum testimonio literarum ad sedem accesserint apostolicam absolvendi. Quòd si nec sic ab inobedientiæ vitio, quod secundùm prophetam idolatriæ comparatur, poterunt coërceri, ne tantum malum præsumptoribus transeat in exemplum, & per hoc sedis apostolicæ auctoritas contemnatur, vos post mensem Clericorum tam civitatis quàm diocesis Placentinæ generale consilium convocetis; in quo præter præmissa, quæ volumus & jubemus solemniter publicari, denuntietis auctoritate nostra statutum quòd nos Ecclesiæ S. Antonini Canonicos universos rebelles & contumaces decernimus ad nullam ecclesiasticam dignitatem nullumque posse de cetero ecclesiasticum beneficium promoveri, sed omnem vocationem, nominationem, seu electionem, sive institutionem faciendam de ipsis censemus irritam & inanem; ut quia prædictum T. Clericum ad unum beneficium ecclesiasticum propter mandatum nostrum recipere contempserunt, ipsi de cetero justo judicio secundùm mandatum nostrum ad nullum ecclesiasticum beneficium admittantur. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Qui tamen in hujus executione mandati negligens apparuerit aut remissus, indignationem nostram se noverit incursurum. Qui verò diligens fuerit & obediens, nostram se noverit gratiam uberiùs promereri. Datum apud monasterium Sublacense V. Idus Augusti.

In eundem ferè modum Consulibus & universo populo Placentin. usque admittantur. Ideóque universitatem vestram rogamus, monemus, & per apostolica scripta mandamus quatenus sæpedictos Canonicos sancti Antonini sicut excommunicatos usque ad satisfactionem condignam arctiùs evitantes, eundem T. Clericum ob reverentiam beati Petri & nostram taliter manutenere ac in sua justitia confovere curetis quòd nos habere gratum possimus & devotionem vestram meritò commendare. Datum ut suprà.

AMALPHITANENSI Archiepiscopo.

Epist. 74. De rebus regni Siciliæ.

Sicut ex literis tuis nobis præsentatis accepimus, cùm juxta mandatum nostrum proventus regios velles colligere in ductu Amalphiæ & ad opus regium conservare, & quæsisses primò rationem villicationis eorum qui jam duobus annis bajulationem ducatus in terra & in mari habuisse noscuntur, cujus proventus sexcentarum unciarum auri numerum, ut proponitur, jam excedit, Sergius Scrofa, qui de bajulatione maris & justitiarum, quam hactenus habuit, trecentas uncias solvere regiæ duanæ tenetur, non solùm tibi rationem reddere non curavit, immo ausu temerario publicè non metuit acclamare nos in regno ordinare aliquid non debere, propter quod ipse non tenebatur nostris jussionibus obedire nec ad mandatum nostrum de bajulatione alicui respondere. Nolentes itaque quòd profectus & regni commodum alicujus interveniente malitia retardetur, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus firmitérque præcipimus quatenus prædictum Sergium & alios ducatus Amalfiæ, ut tibi de proventibus regiis omni postposita dilatione respondeant, temporaliter & spiritualiter appellatione remota compellas. Nos enim damus eis nostris literis distinctiùs in præceptis ut tibi de proventibus regiis & bajulationibus & aliis quæ ad administra-

tionem ducatus pertinent vice nostra respondeant & tuæ penitùs ordinationi intendant. Præterea quia, sicut ex literis tuis & dilectorum filiorum Amalphitanorum atque Scalensium nostro est apostolatui reseratum, quidam proventus regios pignori detinent obligatos, alij per privilegium sibi dicunt fore concessos, volumus & mandamus ut cùm nos consuetudinum regni plenam notitiam minimè habeamus, & nullos velimus in sua ratione gravare, & cum dilectis filiis Magistris Camerariis Apuliæ & Terræ Laboris vel cum eorũ aliquo inquiras diligentiùs veritatem, & quod statuendum videntis, auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo secundùm approbatam regni consuetudinem statuaris, ità quòd, prout non convenit, alicujus justitia non lædatur. Ad hæc, quoniam, sicut audivimus, quidam ducatus Amalphiæ à perfido Marcualdo Regis & Ecclesiæ inimico, maledicto & excommunicato à nobis, sub nomine regio literas receperunt, & quantum in eis est, aliorum fidelitatem nituntur suggestione pessima maculare, nec metuunt se fateri sequaces ipsius, præsentium tibi auctoritate mandamus firmiterque præcipimus quatenus illos quos hujusmodi macula respersos inveneris, usque ad dignam satisfactionem & vinculo excommunicationis adstringas, & temporaliter etiam præsumptionem eorum debita severitate castiges.

RAIN. CANONICO Ferentinati.

Epist. 75. Ecclesiæ tradi non possunt monasteriis sine licentia proprij Episcopi.

QVerelam venerabilis fratris nostri B. Ferentinensis Episcopi recepimus continentem quòd tu, eo non consentiente, immo contra prohibitionem ipsius, post appellationem ad nos interpositam, Ecclesiam sancti Silvestri, quæ in tua dicitur possessione fundata, sibique dioceesana est lege subjecta, cui lapidem dederat benedictum, B. & I. monachis Casæmarij præsumpsisti ad opus monasterij assignare. Nos autem monachos ipsos ad nostram præsentiam accedentes super iis corripuimus sicut decuit, & quod per eos factum fuerat decrevimus irritum & inane. Ne autem alij exemplo tui ejusmodi præsumant de cetero attentare, per apostolica tibi scripta mandamus quatenus infra quinque dies post receptionem præsentium nostro te conspectui repræsentes, nobis super tanto contemptu, si poteris, responsurus.

PRIORI ET FRATRIBUS juxta specum beati Benedicti regularem vitam servantibus.

Epist. 76. Eis concedit annuatim sex libras usualis monetæ.

ACcedentes causa devotionis ad locum quem beatus Benedictus suæ conversionibus primordio consecravit, & invenientes vos ibi secundùm institutionem ipsius laudabiliter Domino famulari, ne pro temporalis sustentationis defectu spiritualis observantiæ disciplina torperet, apostolicum vobis subsidium duximus impendendum, sperantes quòd idem beatissimus Benedictus nostræ devotionis affectum suis meritis & precibus apud piissimum patrem & justissimum judicem commendabit. Vestris itaque cupientes necessitatibus providere, sex libras usualis monetæ vobis & successoribus vestris de camera beati Petri singulis annis percipiendas concedimus donec in aliquo certo loco vobis fuerint utiliter assignatæ, statuentes ut ea quæ ad sustentationem vestram consuevistis percipere de monasterio Sublacensi, vobis & successoribus vestris nullatenus subtrahantur. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis & constitutionis infringere &c. Datum apud monasterium Sublacense Kalendis Septembris.

Vide Bullarium Casin. to. 2. c. 225.

ORCHADENSI EPISCOPO.

Epist. 77. De Episcopo Catenesiæ, cui lingua abscissa fuerat. Odor Raynald. ad an 1202. §. 10.

EX literis tuæ fraternitatis accepimus quòd Lomberd laicus lator præsentium cum Comite suo Catenesiam in expeditione perrexit: ubi castello ab excercitu Comitis expugnato, & interfectis ferè omnibus qui erant in ipso, captus est Episcopus Catenesiæ, cujus ut linguam abscideret à quibusdam, ut dicit, de exercitu Comitis est coactus. Quia verò gravis est & grandis excessus, nos ei secundùm formam Ecclesiæ absoluto talem & ad satisfactionem suam & ad terrorem aliorum injunximus pœnitentiam, ut cum festinatione revertens in patriam, discalceatus & nudus prærer bracchas & laneum vestimentum curtum & sine manicis, lingua subtili funiculo religata & paulisper extracta, ut promineat extra labia, summitatibus ejusdem funiculi nexis in collo, cum virgis in manu, quindecim diebus continuis per terram suam, unde ipse est oriundus, & terram illam unde erat Episcopus mutilatus, & circumpositam regionem, videntibus universis, manifestè procedat, veniensque ad ingressum Ecclesiæ, sed nequaquam ingrediens, prostratum in terram

disciplinari se faciat cum virgis quas in manu gestabit, sicque in silentio & jejunio usque post vesperam diem ducat, & tunc ad sustentationem naturæ pane tantùm reficiatur & aqua, illis verò quindecim diebus peractis, præparet se ut infra mensem incipiat Hierosolymitanam provinciam proficisci, ubi per triennium desudet in obsequio crucifixi, arma de cetero contra Christianos minimè assumpturus, & per duos annos omnibus sextis feriis in pane & aqua jejunet, nisi fortè per indulgentiam alicujus discreti Pontificis, vel propter debilitatem corporis, vel propter fervorem ætatis, hæc abstinentia temperetur. Tu ergo redeuntem hoc modo recipias, & injunctam sibi pœnitentiam eum facias observare. Datum apud monasterium Sublacense.

ARCHIEPISCOPIS, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, ad quos istæ litteræ pervenerint.

Epist. 78. De pœnitentia injuncta ei qui pr mò filiam suam, deinde uxorem occidit propter famem. Oder. Raynald. ad an. 1202. §. 11.

AD apostolicæ sedis clementiam lator præsentium Robertus accedens, peccatum suum grande quidem & grave lacrymabiliter est confessus, quòd cùm captus à Sarracenis cum uxore detineretur & filia, mandatum exiit à Principe, quem ipsi nominant Admiratum, ut quia famis invalescebat inedia, quicunque captivus prolem haberet, illam occideret; cujus occasione mandati miser ipse, cùm famis angustia perurgeret, occidit filiam & comedit. Cùmque iterum aliud exisset edictum, propriam interfecit uxorem; sed de carnibus ejus gustare non potuit, cùm ad vescendum coctæ sibi fuissent oblatæ. Nos igitur tanti criminis horrore turbati, talem ei pœnitentiam duximus injungendam ut nunquam de cetero carnibus pro quacunque necessitate vesceretur, sed singulis sextis feriis in pane & aqua jejunet, similiter in secunda & quarta feria quadragesimæ quæ antecedit natalem, & ejus quæ pascha præcedit, ceteris autem diebus utriusque quadragesimæ devotè jejunans, uno tantùm sit pulmento contentus. quod & in sanctorum vigiliis diligenter observet. Discalceatus incedat cum tunica lanea, brevissimo scapulari, pœnitentialem baculum ad mensuram unius cubiti gestans in manu, nihil ampliùs à quocunque accipiens nisi quantum ad esum sibi sufficiat uno die, nec unquam per duas noctes in eodem loco moretur, nisi fortè articulus necessitatis ingruerit, & propter infirmitatem vel hostilitatem aut etiam intemperiem transire non possit, sicque sanctorum limina visitet per triennium, & cùm venerit ad Ecclesiam, prostratus, non intret nisi priùs cum virga vel corrigia susceperit disciplinam, sine spe conjugij perpetuò perseveret, & publicis luctis nunquam intersit, orationem dominicam centum vicibus dicat in die, & toties ac quoties genu flectat, peracto verò triennio cum literis istis ad sedem apostolicam revertatur misericordiam petiturus, & quod ab ea sibi fuerit injunctum satagat observare. Vos ergo, fratres & filij, misero misericordiam impendentes, in necessitatibus aperiatis ei viscera caritatis. Datum ut supra III. Nonas Septembris.

ABBATI ET CAPITVLO sancti Iohannis Senonensis.

Epist 79. Indulget ne quis sententias interdicti vel excommunicationis ferre possit in illud monasterium.

EX susceptæ nobis imminet officio servitutis Ecclesiarum utilitatibus studiosiùs imminere sicque præcavere ipsarum gravaminibus & jacturis ut sub regimine nostro debita gaudeant libertate, ac ab aliquibus contra justitiam non graventur. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus inclinati, devotioni vestræ auctoritate præsentium indulgemus ut nullus in vos vel Ecclesias vestras, nisi pro manifesta & rationabili causa, interdicti vel excommnnicationis audeat sententiam promulgare. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ concessionis &c. Datum apud monasterium Sublacense Non. Septembris, pontificatus nostri anno quinto.

ABBATI ET CONVENTVI Sublacensi.

Epist. 81. De quibusdam vitiis emendandis quæ inter monachos irrepserant. Cap Cùm ad monaster. De statu monachor.

CVm ad monasterium Sublacense personaliter venissemus. *Et infrà.* Firmiter inhibuimus ne quis de cetero monachorum lineis camisus uteretur. Ad defectum autem hospitalitatis supplendum mouturam unius molendini concessit, ampliora pro tempore concessurus, ita tamen quòd ad necessitatem pauperum sublevandam eleemosyna de cellario conferatur. Nos autem præfatas Ecclesias, quæ Clericis secularibus in beneficium fuerant assignatæ, ad usum revocavimus infirmorum, concessionem hospitalis quæ facta fuerat Episcopo Anagnino irritam decernentes, & statuentes ne cuiquam ulteriùs in beneficium concedatur, sed infirmarius disponat de illis Ecclesiis prout ad necessitates infirmorum magis noverit expedire. Prohibemus ergo districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicij, ne quis

quis de cetero monachorum proprium aliquo modo possideat; sed si quis aliquid habet proprij, totum incontinenti resignet. Si verò post hæc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari admonitione præmissa, de monasterio expellatur; nec recipiatur ulteriùs, nisi pœniteat secundùm monasticam disciplinam. Quòd si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipse cum ea in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundùm quod beatus Gregorius narrat in dialogo se fecisse. Abbas tamen & Prior frequenter inquirant & diligenter explorent ne quis fratrum proprietatem possit habere. Vnde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati vel Priori vel Cellarario assignetur. In oratorio verò, refectorio, & dormitorio continuum semper silentium observetur, in claustro quoque certis horis & locis secundùm antiquam consuetudinem monasterij laudabiliter observatam, sed amodo laudabiliùs observandam. In refectorio verò nullus omnino carne vescatur; nec in quibusdam solemnitatibus, sicut aliquando fieri consuevit, conventus exeat cum Abbate, paucis ibi relictis, ut extra refectorium edant carnes, cùm in illis diebus præcipuè regularis disciplina sit studiosiùs observanda; sed nec extra refectorium, nisi in infirmitorio, esum carnium credant sibi licere. quamquam ex indulgentia possit Abbas interdum aliquos fratrum, nunc hos, nunc illos, prout necessitas postulaverit, advocare, ipsosque secum in camera sua meliùs & pleniùs exhibere. Porrò debiles & infirmi, qui * minutione indigent vel aliqua medicina, non seorsum in cameris, sed omnes in infirmitorio, quæ necessaria fuerint sibi tam in carnibus quàm in aliis recipiant competenter. Quòd si quisquam eorum debilitatis fuerit aut delicatus ut non possit communibus cibis esse contentus, sic ei provideatur sine scandalo aliorum ut si Abbas vel Prior voluerit in refectorio misericordiam facere, specialem cibum aliquem competentem non ante illum sed ante se faciat apportari, de quo ipse faciat illi pitanciam pro sustentatione naturæ. Tales autem ad agenda officia monasterij deputentur qui fideles sint & discreti, nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tamquam in sua sibi vita locetur, sed cùm oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur. Prior autem præ ceteris post Abbatem potens sit in opere & sermone, ut exemplo vitæ verbóque doctrinæ fratres suos & instituere possit in bono & à malo revocare, zelum religionis habens secundùm scientiam, ut delinquentes corripiat & castiget, obedientes verò foveat & confortet. Abbas verò, cui omnes in omnibus reverenter obediant, quanto frequentiùs poterit sit cum fratribus in conventu, vigilem curam & diligentem sollicitudinem gerens de omnibus, ut de officio sibi commisso dignam Deo possit reddere rationem. Quòd si prævaricator ordinis fuerit aut contemptor seu negligens aut remissus, pro certo se noverit non solùm ab officio deponendum, sed etiam alio modo secundùm regulam castigandum, cùm offensa non solùm propria verùm etiam aliena de suis manibus requiratur. Nec æstimet Abbas quòd super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.

Vide suprà lib. 2. epist. 154.

S. Gregor. lib. 4. dial. c. 4.

* Vide capitulare 3. an. 789. c. 3. & capitulare Aquisg. an. 817. c. 22.

GVALTERIO COMITI, RECTORI * Apuliæ & Campaniæ.

Epist. 84. De negotiis regni Siciliæ.

HOc est consilium & beneplacitum nostrum, quod tibi sub obtentu gratiæ nostræ mandamus, ut quia tibi locus offertur & tempus, & tam urgens necessitas quàm evidens utilitas hoc requirit, omni excusatione cessante festines in Siciliam proficisci contra perfidum Marcualdum, qui procul dubio te non expectabit in campo, sed in aliquo recludetur castello, sicque de facili totam terram tibi faventem invenies, & tam in expensis quàm aliis tibi & tuis sufficienter poteris providere, tantúmque bonum inde proveniet quantum nec possumus nec volumus literis explicare. Quòd si fortè non ires, tantum inde malum accideret quantum omnipotens Deus accidere non permittat. Dum ergo te fama præcedit, & succedit fortuna, res non solùm difficiles sed penè impossibiles aggredi non formides. *Et infrà:* In tua præterea ponimus voluntate utrum velis dilectum filium nobilem virum Iacobum consobrinum & Marescalcum nostrum tecum venire, an ad custodiam terræ in Apulia remanere. Apud Comites etiam & Barones aliosque fideles, & præcipuè nobiles viros Rogerium Theatinum & Iacobum Tricaricensem Comites, quibuscunque modis poterimus, studebimus pro-

curare ut Diubuldum impediant & impugnent ne terram tuam possit offendere vel intrare, túque per treguas & alias conventiones placabiles componere studeas cum adjacentibus, & vicinis; nec timeas pro terra quam personaliter deseres, quia si oporteret te damnum incurrere ex hac parte, tanto majus erit commodum quod consequeris ex illa ut damnum æquanimiter sit commodo postponendum &c. Datum Velletri XVIII. Kal. Octobris.

ARCHIEPISCOPO Montis regalis & Parisio Episcopo in Archiepiscopum Panormitanum electo, Regis Siciliæ familiaribus.

Epist. 89. De morte Marcualdi.

BEnedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui post nubilum fecit serenum, & post lacrymationem & fletum gaudium & exultationem induxit, qui non dereliquit virgam peccatoris super sortem justorum, sed causam vestram discrevit à gente non sancta, & eripuit vos ab homine iniquo pariter & doloso, qui non posuit Deum adjutorem sibi, sed in sua prævaluit vanitate, ut omnipotens Deus vos aliosque fideles tamquam aurum in fornace probaret: quatenus probatio vestri multò pretiosior esset auro, quod per ignem probatur, similis grano synapis, quod quantò plus tunditur, tantò fortiùs inardescit. Vnde flagellato tandem miserabiliter pestilentiæ viro, qui justo judicio dies suos finivit in malum, nunc fidei vestræ sinceritas invenitur in laudem & gloriam & honorem. Licèt enim ad tempus propter nubis objectionem solis radius non illuxerit, ex quo tamen nubes evanuit, splendor ipsius gratiùs elucescet; & vos, qui non curvastis genua vestra coram Baal, postquam nefandæ memoriæ Marcualdus interiit, quæ vestræ circa nos voluntatis impediebat effectum, ea tam vigili studio quàm studiosa vigilantia studebitis operari quæ ad apostolicæ sedis honorem & regiæ personæ salutem totiusque regni commodum magnificè redundabunt &c. Datum Velletri VIII. Kal. Octobris.

CAPITVLO AVXITANO.

Epist. 96. Quòd epileptici non possunt esse Episcopi. Vide infrà lib. 13. epist. 88. & lib. 14. epist. 32. Vide etiam Gratian. 7. q. 2.

V*Acante Ecclesia Auxitana, Canonici Episcopum Lectorensem, qui morbo comitiali laborare ferebatur, sibi postularunt Archiepiscopum dari. Qua occasione hac ad eos inter alia scripsit Innocentius.* Nos igitur sanctorum patrum nolentes institutionibus obviare, qui morbo epileptico laborantes à Missarum solemniis arcendos esse decernunt, & præsertim bonæ memoriæ Gelasii Papæ prædecessoris nostri, qui edidit in simili casu canonicum institutum, quod est ultimum septimæ causæ capitulum in corpore decretorum, jamdictis Xantonensi Episcopo & Notario & dilecto filio Abbati de Corona nostris damus litteris in mandatis ut veritate diligentiùs inquisita, quæ secundùm institutionem ejusdem Gelasii Papæ viderint facienda, Deum habentes præ oculis, faciant auctoritate nostra suffulti appellatione remota. Si verò propter præmissam occasionem postulatio jamdicti Lectorensis Episcopi juxta institutionem canonicam non fuerit admittenda, ea penitùs non obstante vobis eligendi Pontificem auctoritate nostra tribuant facultatem.

PENNENSI EPISCOPO.

Epist. ... Eum reprehendit de excessibus.

TActi sumus dolore cordis intrinsecus & gravi mœrore turbati quòd tu, sicut accepimus, in injuriam ordinis tui & infamiam ordinationis nostræ agis in pluribus ut apostata, qui, teste scriptura, vir inutilis appellatur. Si enim diligenter attenderes quòd te de monacho non simplici sed Abbate duximus in Episcopum assumendum, reprobatis successivè duobus quos dilecti filij Pennense capitulum nobis præsentarunt electis, eam deberes servare tam in vita quàm moribus honestatem quę ad salutem tibi proficeret & subditis ad exemplum. Verùm, de quo miramur non modicùm & movemur, propriæ conditionis oblitus, quòd post acceptum episcopatum quædam illicita liceas & expedias quæ fratrum Cistercienfium observantia reputat inhonesta, picturata sella & chirothecis uteris sericatis, amplo te galero coronas, & carnibus publicè usque ad saturitatem te reples, ei forsitan per insignia hujusmodi comparandus de quo data ei tunica pellicia scriptum esse legitur: *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, sciens bonum & malum.* Præterea cùm quidam prædecessorum tuorum pro libertate Pennensis Ecclesiæ non dubitarint etiam exilium sustinere, Pennensis civitatis dominium secundùm justitiam potenter & viriliter defendentes, tu, sicut dicitur, de civitate ipsa nobili viro B. Lanreti & Cupersani Comiti fidelitatem & hominium præstitisti; & quasi non sufficiat iniquitas tua tibi, ea nobis niteris imputare ad excusandas excusationes in peccatis, allegans quòd super hoc mandatum apostolicum recepisses, tam in his quàm in aliis tantum ex-

Vide suprà lib. 1. epist. 185 & collect. Rainerij tit. 4.

cedens ut jam contra te verbum Domini assumere compellamur: *Pœnitet me fecisse hominem.* Quod à sanctis patribus sic exponitur: Faciam quod solent facere pœnitentes, destruendo quod feci. Et nos forsitan quod construximus destruere compellemur. Meminimus quidem, & tu debueras meminisse qualiter in recessu tuo coram fratribus nostris districtè tibi duximus injungendum ut Cisterciensis ordinis observantias custodires, cùm pontificalis susceptio dignitatis non absolveret te à voto, ex qua, licèt cum honore sit, sic onus sibi magis auxerit ut religioni nihil penitùs deperiret, per quod ejus habenas taliter relaxares. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus usque ad quindecim dies post susceptionem præsentium cum conscientia dilectorum filiorum Atchidiaconi & capituli Pennensis tam formam juramenti quod prædicto Comiti præstitisti quàm litteras quas super hoc nos asseris direxisse per nuntios tuos ad præsentiam nostram omni excusatione cessante transmittas, ut super hoc prout expedire videbitur procedamus. In ceteris autem ita corrigas vitam tuam & te sic observantiæ regulari conformes ut non rediisse ad seculum sed in seculo potiùs ipsum & pompas ejus contemnere videaris. Alioquin, cùm admonitio præcesserit, de cetero vindicta sequetur. Datum Laterani IV. Kalend. Novembris.

DILECTIS FILIIS ABBATI sanctæ Columbæ Senonensis & Magistro Scholarum Aurelianensi.

Epist. 100. Confirmatur concordia inita inter Episcopum Paris. & Abbatem S. Genovefæ.

CVm inter venerabilem fratrem nostrum Parisiensem Episcopum & dilectos filios Abbatem sanctæ Genovefæ ac eorum Capitula & Ecclesias super jure parochiali in parochia de Monte super capella sanctæ Genovefæ sita in civitate Parisiensi & super procurationibus quas dictus Episcopus in parochialibus Ecclesiis Parisiensis diocesis ad prædictam Ecclesiam sanctæ Genovefæ de Monte pertinentibus requirebat, dudum fuisset controversia ventilata, tandem post labores varios & fatigationes multimodas quas propter hoc sustinuerunt utrinque, de utriusque partis assensu, mediantibus bonis viris, salva sedis apostolicæ reverentia, ea fuit inter eos tenore compositum quem suis nobis litteris pleniùs expresserunt, pari desiderio & voluntate unanimi supplicantes ut eidem compositioni ipsis & eorum Ecclesiis necessariæ manum confirmationis apponere dignaremur. Nos ergo ipsorum precibus inclinati compositionem ipsam, sicut sine pravitate providè facta est & ab utraque parte sponte recepta & in scriptis authenticis continetur, dummodo non vergat in præjudicium apostolicæ sedis, ad quam Ecclesia sanctæ Genovefæ nullo mediante dinoscitur pertinere, mandavimus atque præcepimus inviolabiliter observari. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus cognita pleniùs veritate, si compositionem ipsam secundùm præscriptum modum factam inveneritis & receptam, eam auctoritate nostra confirmare curetis, id nobis postmodum per vestras litteras intimantes, ut & nos ipsam, per vestram relationem instructi, auctoritate apostolica confirmemus. Datum Laterani V. Idus Novembris, pontificatus nostri anno quinto. *Vide cap. Olim inter. De restitut. spoliat. & appendicem hujus libri.*

VENERABILI FRATRI Archiepiscopo Bisuntinensi & dilectis filiis Archidiacono Salinensi & aliis Ecclesiarum rectoribus per Bisuntinensem diocesem constitutis.

Epist. 107. Ne monachi Cisterc. ad secularia judicia pertrahantur.

NOn sine grandi cogimur admiratione referre quæ nuper dilectis filiis fratribus de Roseriis Cisterciensis ordinis in vestra diocesi accepimus contigisse. Sunt enim nonnulli de parochianis vestris, quemadmodum nostris est auribus intimatum, qui ad ea quæ Dei sunt respectum debitum non habentes, eos ad secularia pertrahere judicia non formidant, & examen aquæ frigidæ ignisque candentis vetitumque duellum subire compellunt, nullatenus attendentes sacros canones non censere confessionem à quolibet per hujusmodi extorquendam, & quod sanctorum patrum non est documento sancitum non esse superstitiosis adinventionibus præsumendum. Nos ergo quæ præmissa sunt circa prædictos viros religiosos attentari de cetero districtiùs inhibentes, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatinus parochianos vestros monere studiosiùs & inducere procuretis ut ab hujusmodi conatibus illicitis penitùs abstinentes similia de cetero non præsumant, quæ in contemptum Dei & ecclesiasticæ libertatis dispendium attentari noscuntur; alioquin eos ad id per excommunicationis sententiam appellatione remota cogatis, quam usque ad satisfactionem condignam præcipimus inviolabiliter observari. Datum Latera-

ni Idibus Novembris, pontificatus nostri anno quinto.

EPISTOLA CALOIOHANNIS Imperatoris Bulgarorum ad Papam.

Epist. 115. Respondet epist. 164. lib. 2. Vide gesta Innocentij III. cap. 66.

VEnerabili & sanctissimo patri summo Pontifici ego Calojohannes Imperator Bulgarorum & Blacorum gaudium & salutem mando tibi. Notum facimus sanctitati vestræ quòd nos recepimus vestras sacrosanctas litteras, quas nobis portavit religiosus Archypresbyter Brundusinus, & nos reputavimus eas caras super omne aurum & quemlibet lapidem pretiosum. Vnde multas egimus gratias omnipotenti Deo, qui visitavit nos servos suos indignos secundùm suam ineffabilem bonitatem, & respexit humilitatem nostram, & reduxit nos ad memoriam sanguinis & patriæ nostræ, à qua descendimus. Et nunc, sancte Pater, tanquam bonus pastor & caput omnium fidelium Christianorum, filios sanctæ catholicæ & apostolicæ sedis congregare volens in unum, requisisti nos remotos secundùm corpus. Et quamvis fratres mei bonæ memoriæ jamdudum voluerint mittere sanctitati vestræ, non tamen ad vos pervenire propter multos nostros contrarios potuerunt; & nos similiter probantes semel, secundò, & tertiò ad vos dirigere, deducere non potuimus quod optabamus in fructum. Et nunc videntes quòd sanctitas vestra dignata est mittere imperio nostrò, tamquam proprij & dilectissimi filij, sicut amantissimo & desiderantissimo patri mittimus misericordiæ vestræ religiosum electum Brandizuberensem fidelem Presbyterum Blasium unà cum fideli nuntio vestro Archipresbytero Brundusino, referentes vobis ex parte nostra gratiarum actiones & amicitiam & servitium sicut patri spirituali & summo Pontifici. Sanctissime pater, significastis nobis per sacras litteras vestras quòd nos significaremus vobis quid ab Ecclesia Romana petamus. Hoc autem petit imperium nostrum ab apostolica sede, ut nos simus in Ecclesia Romana sicut matris filialitate firmati. In primis petimus ab Ecclesia Romana matre nostra coronam & honorem tamquam dilectus filius, secundùm quod Imperatores nostri veteres habuerunt. Vnus fuit Petrus, alius fuit Samuel, & alij qui eos in imperio præcesserunt, sicut in libris nostris invenimus esse scriptum. Nunc autem, si placitum est sanctitati vestræ nobis istud implere, quidquid imperio nostro duxeris injungendum, illud ad honorem Dei & Ecclesiæ Romanæ complebitur. Nec miremini quòd nuntius vester citò non rediit, quia nos suspicati fuimus aliquid contra eum, quia multi venerunt in imperium nostrum nos decipere cogitantes, sed nos ab omnibus bene novimus præcavere. Sed nos pro eo testimonium recepimus Prætaxati, & ei acquievimus. Verùm si placet vobis, sanctissime pater, mittite nobis magnos nuntios de quibus nobis per vestras litteras intimastis, & istum destinate cum eis, & tunc certificabimur de prima missione pariter & secunda. Det vobis Dominus multos annos.

CALOIOHANNI DOMINO Blacorum & Bulgarorum.

Epist. 116. Respondet epistolæ superiori.

APostolica sedes, cui licèt immeriti præsidemus, evangelici verbi memor quo beato Petro Apostolorum principi & cuilibet successori ejus intelligit esse dictum, *Si diligis me, pasce oves meas*, ut puræ dilectionis affectum habere circa Dominum se ostendat, oves ejus pascere satagit & in unius Ecclesiæ gremio remotas etiam congregare, ut sit unum ovile & unus pastor. Cùm enim mater sit omnium generalis, ut circa filios matris exhibeat lenitatem, convocare ipsos & congregare conatur in unum, sicut gallina congregat pullos suos, & eos tum per Legatos tum per litteras suas visitat, ut & pastor suas oves agnoscat & cognoscant oves ovile pariter & pastorem. Hoc igitur attendentes, jampridem nobilitatem tuam per nuntium & litteras nostras duximus visitandam, ut intellecto devotionis affectu quem habes ad Romanam Ecclesiam matrem tuam, majores ad te nuntios postmodum mitteremus, qui tam te, qui ex nobili Romanorum prosapia diceris descendisse, quàm degentem sub te populum verbo pascerent & exemplo, & de benivolentia & gratia sedis apostolicæ redderent certiorem. Et licèt de nuntio nostro primùm tua nobilitas dubitaverit, sciens quòd angelus Sathanæ interdum in lucis angelum se transfigurat, intellecta tamen postmodum per nobilis viri Prætaxati testimonium veritate, benignè ac honorificè ipsum recipere procurasti, sicut transmissæ ad nos tuæ litteræ continebant. Rescripsisti autem nobis per eum & humiliter intimasti quòd litteras nostras reputaveras pretiosas super omne aurum & quemlibet lapidem pretiosum, & Deo

gratiarum exsolveras actiones quòd te dignatus fuerat visitare. Addidisti etiam quòd licèt inclytæ recordationis fratrum tuorum secutus exemplum, semel & secundò & tertiò ad nos nuntios dirigere tentavisses, non potueras tamen quod desideraveras adimplere, sed nunc per nostras litteras confortatus B. Presbyterum Brandizuberensem electum cum nostro nuntio destinabas, quamvis idem electus ad nos propter viarum discrimina non potuerit pervenire. Petisti verò humiliter ut coronam tibi Ecclesia Romana concederet, sicut illustris memoriæ Petro, Samueli, & aliis progenitoribus tuis in libris tuis legitur concessisse. Nos igitur ut super hoc majorem certitudinem haberemus, regesta nostra perlegi fecimus diligenter, ex quibus evidenter comperimus quòd in terra tibi subjecta multi Reges fuerint coronati. Præterea continebatur in eis quòd tempore bonæ memoriæ Nicolai Papæ prædecessoris nostri Rex Bulgarorum, ad cujus consulta sæpissime respondebat, cum toto regno sibi commisso ad prędicationem ejus fuerat baptizatus, & Rex ipse ab eo Archiepiscopum postularat. Legatus quoque Michaëlis Regis Bulgarici cum donis regalibus Adriano Papæ prædecessori nostro regias litteras præsentarat, & postularat ab eo ut aliquē ex Cardinalibus in Archiepiscopum deligendum dirigeret, quem post approbationem eorum ad sedem apostolicam remeantem ipse postmodum consecrarer. Cùmque idem Adrianus illuc cum duobus Episcopis quendam Subdiaconum direxisset, Bulgari corrupti donis Græcorum & promissionibus circumventi, Romanis ejectis Græcos Presbyteros receperunt. Licèt igitur tantæ memoria levitatis nos usque adeo induxerit ad cautelam ut nullum ex fratribus nostris, Cardinalibus scilicet, ad tuam præsentiam mitteremus, nihilominus tamen dilectum filium Iohannem Capellanum & familiarem nostrum apostolicæ sedis Legatum, virum providum & discretum, quem nos & fratres nostri suæ religionis & probitatis obtentu inter ceteros Capellanos nostros specialis in Domino dilectionis brachiis amplexamur, ad te duximus destinandum, cui etiam commisimus vices nostras, ut in tota terra tua quoad spiritualia corrigat quæ corrigenda cognoverit, & statuat quæ secundùm Deum fuerint statuenda. Per ipsum quoque Archiepiscopo terræ tuæ pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, destinamus, ei juxta formam quam sub bulla nostra dirigimus conferendum. Eidem quoque Legato nostro dedimus in mandatis ut si qui forsam in terra tua promovendi ad ordines fuerint vel in Episcopos consecrandi, per vicinos catholicos duntaxat Episcopos & ordinandos ordinet & consecret consecrandos. Mandamus quoque ipsi ut de corona progenitoribus tuis ab Ecclesia Romana collata tam per libros veteres quàm alia documenta inquirat diligentiùs veritatem & de omnibus tecum tractet quæ fuerint pertractanda, ut cùm per ipsum & nuntios tuos de omnibus redditi fuerimus certiores, consultiùs & maturiùs prout procedendum fuerit procedamus. Monemus igitur nobilitatem tuam & hortamur in Domino quatenus Legatum ipsum sicut personam nostram benignè suscipias & honorificè studeas pertractare, salubria monita & statura ipsius & tu ipse recipiens & ab universa Bulgarorum & Blacorum multitudine recipi faciens & servari. Expedit enim tibi tam ad temporalem gloriam quàm salutem æternam ut sicut genere, sic sis etiam imitatione Romanus, & populus terræ tuæ, qui de sanguine Romanorum se asserit descendisse, Ecclesiæ Romanæ instituta sequatur, ut etiam in cultu divino mores videantur patrios redolere. Data V. Kal. Decembris.

Vide gesta Innoc. III. cap. 70.

EPISTOLA BASILII
Archiepiscopi Zagorensis ad Papam.

Epist. 119. Gratias agit Papæ. Vide gesta Innoc. III. cap. 67.

HOnorantissimo & sanctissimo summo Pontifici Papæ ego Basilius indignus Archiepiscopus sanctitatis vestræ & pastor de Zagora salutem, gaudium, & adorationem meritò vobis tamquam patri nostro spirituali. Quamvis non possimus vos corporaliter adorare, vos tamen spiritualiter adoramus, notificantes sanctitati vestræ quòd cùm nos vidimus missum à vobis Dominicum Archipresbyterum Brundusinum, Deo gratias egimus, qui non despexit nos humiles & indignos servos suos esurientes & sitientes gratiam & benedictionem sanctæ catholicæ & apostolicæ sedis: quia Domini nostri Imperatores & nos voluimus à multis annis mittere ad vos, sed non potuimus, Et nunc per voluntatem omnipotentis Dei & vestræ sanctitatis, quia misistis Domino nostro Imperatori orationem & benedictionem, valde bene fecistis. Nos autem hæc ab Imperatore discentes, qui fecit nos vocari, levavimus manus ad cœlum cum universo

populo sic dicentes: Memor fuit nostri Dominus, quod nos non cogitavimus. Unde nos omnes parvi & magni, sicut boni filij, rogamus vos sicut bonum patrem ut Dominus noster Imperator quod petit à vobis obtineat, quia dignus est hoc obtinere; quia ipse ac totum imperium ejus bonam devotionem ad Ecclesiam Romanam habent, tamquam heredes descendentes à sanguine Romanorum. Item rogamus sanctitatem vestram quòd sint vobis recommendati filius & socius noster Blasius Presbyter Brandizuberensis electus unà cum fidelissimo nuntio vestro Dominico Archipresbytero Brundusino, quia eis commisit Dominus noster Calojohannes Imperator sua secreta; & quod isti dixerint vobis & nostræ litteræ, firmum habeatis. Et precamur sanctitatem vestram quòd festinetis vestros nuntios destinare.

BASILIO ARCHIEPISCOPO de Zagora.

Epist. 219. Respondet epistolæ superiori.

QVia nobis in beato Petro Apostolorum principe intelligimus esse dictum, *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, cùm ab innumeris sollicitudinibus quæ nobis incumbunt ad tranquillitatem convertimur nostræ mentis, remotos etiam fratres & coëpiscopos nostros, quos etsi habeamus absentes corpore, præsentes tamen spiritu reputamus, confirmamus in his quæ ad salutem eorum & Ecclesiæ pertinent unitatem; ut sicut sunt in partem sollicitudinis evocati, sic etiam nostris monitis roborentur. Sanè cùm unum sit Ecclesiæ sanctæ corpus, juxta illud Apostoli, *Omnes unum corpus sumus in Christo*, æstimari non debet in uno corpore capita esse plura, sed is duntaxat post Dominum intelligendus est Ecclesiæ Dei caput quem Iesus Christus Dominus noster Vicarium sibi substituit & caput etiam nominavit, dicens ad Petrum: *Tu vocaberis Cephas.* quod & Petrus interpretatur & caput. Sanè cùm ei Dominus pascendas commiserit oves suas, *Pasce*, inquiens, *oves meas*, ab ovili Christi, quod est Ecclesia, extraneum se demonstrat qui caput eum habere noluerit & pastorem. Nos ergo, quos Dominus, licèt immeritos, Vicarios suos esse voluit & Apostolorum principis successores, ut paternæ dilectionis affectum circa Bulgarorum & Blacorum Ecclesiam, quæ ex Romanis secundùm carnem & sanguinem descendisse dicitur, per effectum etiam operis monstraremus, jampridem dilectum filium Archipresbyterum Brundusinum ad dilecti filij nobilis viri Calojohannis domini Bulgarorum & Blacorum præsentiam duximus destinandum, qui tam ipsum quàm degentem sub eo populum Christianum in devotione sedis apostolicæ roboraret, & nos de puritare fidei & sinceritate devotionis ipsius rediens redderet certiores. Gaudemus autem & tuam prudentiam in Domino commendamus quòd apostolicę sedis magisteriũ recognoscens scripsisti gratiam & benedictionem sanctæ catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ te sitire ac Deo gratiarũ actiones egisse quòd prædictus nobilis nostris meruerat litteris visitari. Volentes igitur adhuc pleniùs te ac Ecclesiam tibi commissam in ecclesiastica unitate ac devotione sedis apostolicæ roborare, dilectum filium Iohannem Capellanum & familiarem nostrum apostolicæ sedis Legatum, virum providum & discretum, quem nos & fratres nostri suæ religionis & probitatis obtentu inter ceteros Capellanos nostros specialis in Domino dilectionis brachiis amplexamur, ad te ac nobilem memoratum duximus destinandum; cui etiam commisimus vices nostras, ut in tota terra ejusdem nobilis corrigat quæ corrigenda cognoverit, & statuat quæ secundùm Deum fuerint statuenda. Per ipsum quoque fraternitati tuæ palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, destinamus, tibi juxta formam quam sub bulla nostra dirigimus conferendum. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus magisterium & primatum sedis apostolicæ recognoscens, & in nostra & Ecclesiæ Romanæ devotione persistas, & Legatum ipsum sicut personam nostram benignè recipias & honorificè studeas pertractare, salubria monita & statuta ipsius & ipse recipiens & ab universa Bulgarorum & Blacorum multitudine recipi faciens & servari; ut qui à Romanis rraxerunt originem, Ecclesiæ Romanæ instituta sequantur. Noveris autem quòd eidem Legato nostro dedimus in mandatis ut si qui forsan in provincia tua promovendi ad ordines fuerint vel in Episcopos consecrandi, per vicinos catholicos duntaxat Episcopos & ordinandos ordinet & consecrandos consecret. Mandavimus quoque ipsi ut de corona progenitoribus ejusdem nobilis ab Ecclesia Romana collata tam per libros veteres quàm alia documenta inquirat diligentiùs veritatem, & de omnibus tecum tractet quæ fuerint pertractanda; ut cùm

per ipsum & nuntios tuos de omnibus redditi fuerimus certiores, consultiùs & maturiùs potuit procedendum fuerit procedamus.

IOHANNI QVONDAM Archiepiscopo Lugdunensi.

Epist. 121. Respondet ad ejus consulta Cap. Cùm Marthæ de celebr. miss.

CVm Marthæ circa plurima satagentis officia in cura regiminis pastoralis pro majori parte renuntians, in domo Domini quasi abjectus eligens habitare cum illis qui partem optimam elegerunt, sedentes ad pedes Domini cum Maria, ut in ejus lege jugiter meditentur, lippitudini Liæ Rachelis pulchritudinem præferentes, eam in te credimus vigere intelligentiam scripturarum ut non solùm parvulis frangere possis panem, sed provectis etiam cibum solidum ministrare ac nodos solvere difficilium quæstionum. Verùm quoniam in primatu Apostolorum principis apostolicæ sedis magisterium recognoscens, ad eam credis majores causas Ecclesiæ referendas, consultationibus tuis, quas non ob commodum utilitatis terrenæ, cùm non civilem contineant quæstionem, sed animarum profectum, ut videlicet in lucem prodeant obscura scripturæ, novimus te movisse, libenter quod nobis inspirat Dominus respondemus. Quæsisti siquidem quæ sit forma verborum quam ipse Christus expressit, cùm in corpus & sanguinem suum panem transsubstantiavit & vinum, cùm illud in canone Missæ, quo Ecclesia utitur generalis, adjecerit quod nullus Evangelistarum legitur expressisse. Cùm enim in evangelio sic legatur, *Accipiens calicem, gratias agens benedixit, & dedit discipulis suis, dicens, Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, in canone Missæ sermo iste, videlicet *mysterium fidei*, verbis ipsis interpositis invenitur. Vnde cùm non Evangelista Christum hoc dixisse testetur, moveris non modicùm & miraris quòd aliquis asseverare tentaverit eum aliquid plus dixisse quàm Evangelistarum aliquis asseveret. Verùm si formam ipsius canonis inspicias diligenter, præter hoc de quo tua fraternitas requisivit, alia duo, videlicet, *elevatis oculis in cælum*, & *æterni testamenti*, poteris in ipso canone reperire, quæ in textu evangelico non leguntur. Sanè multa tam de verbis quàm factis dominicis invenimus ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli vel supplevisse verbo vel facto expressisse leguntur. Paulus enim in actibus Apostolorum sic ait: *Meminisse vos oportet verbi Domini Iesu, quod ipse dixit: Beatius est magis dare quàm accipere.* Hoc nullus quatuor Evangelistarum descripsit. Nullus etiam eorundem expressit quod Paulus de Christo ad Corinthios scribens ait: *Visus est plusquam quingentis fratribus simul, deinde visus est & Iacobo, novissimè autem, tamquam abortivo, visus est & mihi.* Ipsi etiam Evangelistæ inter se mutuò supplevisse leguntur quæ ab eorum aliquo vel aliquibus sunt omissa. Vnde cùm tres Evangelistæ posuerint, *Hoc est Corpus meum*, solus Lucas adjecit: *quod pro vobis tradetur.* Et cùm Matthæus & Marcus dicant, *pro multis*, Lucas dicit: *Pro vobis.* Matthæus autem *in remissionem peccatorum* adjungit. Ceterùm ea quæ adduntur in canone Missæ, possunt ex aliis locis evangelij comprobari. Iohannes enim suscitationem Lazari descripturus, Iesum sursum oculos elevasse asserit & dixisse: *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me.* Alibi etiam idem dicit: *Hæc locutus est Iesus, & sublevatis oculis in cælum dixit: Pater, clarifica filium tuum.* Si tunc igitur oculos in cælum levavit ad patrem cùm ad corpus exanime animam Lazari revocabat, probabilius esse videtur quòd tunc oculos levaverit ad patrem in cælum cùm panem & vinum in corpus & sanguinem proprium commutavit. Ceterùm, sicut superiùs est expressum, cùm in textu evangelico *novi testamenti* ponatur, hic interponitur & *æterni*. Nam vetus testamentum, quod hircorum & vitulorum fuit sanguine dedicatum, temporalia promittebat; novum autem, quod est Christi sanguine consecratum, promittit æterna. Et ideo testamentum illud fuit vetus & transitorium, hoc autem novum est & æternum; vel ut utamur alia ratione, unde novum id est ultimum esse describitur, æternum inde id est perpetuum comprobatur. Novissimum etenim hominis testamentum immobile perseverat, quia testatoris obitu confirmatur, juxta quod Apostolus testamentum in morte asserit confirmatum, alinquin non valere dum vixerit qui testatur. Præterea non solùm scriptura, sed & promissio dicitur testamentum, juxta quod Apostolus ipse scribit: *Ideo novi testamenti mediator est ut repromissionem accipiant qui vocati sunt hereditatis æternæ.* Sic ergo intelligi debet quod in ipso canone reperitur: *Hic est enim sanguis meus novi & æterni testamenti*, novæ & æternæ promissionis scilicet confirmator sicut Dominus re-

promittit, *Qui manducat*, inquiens, *carnem meam & ſanguinem meum bibit, habet vitam æternam.* Ex eo autem verbo de quo movit tua fraternitas quæſtionem, videlicet *myſterium fidei*, munimentum erroris quidam trahere putaverunt dicentes in ſacramento altaris non eſſe corporis Chriſti & ſanguinis veritatem, ſed imaginem tantùm & ſpeciem & figuram, pro eo quòd ſcriptura interdum commemoret id quod in altari ſuſcipitur eſſe ſacramentum & myſterium & exemplum. Sed tales ex eo laqueum erroris incurrunt quòd nec auctoritatem ſtirpturæ convenienter intelligunt, nec ſacramenta Dei ſuſcipiunt reverenter, ſcripturas & virtutem Dei pariter neſcientes. Si enim ideo quia figura eſt ſacramentum altaris, veritas eſſe negatur, ergo nec mors nec reſurrectio Chriſti, cùm figura ſit, veritas eſt credenda. ſiquidem mortem & reſurrectionem Chriſti ſimilitudinem & imaginem eſſe Apoſtolus manifeſtat, *Chriſtus*, inquiens, *mortuus eſt pro delictis noſtris, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Apoſtolorum etiam princeps Petrus ſic in epiſtola ſua ſcribit: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus.* Sic ergo tam mors Chriſti quàm ejus reſurrectio eſt exemplum, ut & nos peccato mortui, juſtitiæ jam vivamus. Quare ſi non fuit veritas, quia fuit exemplum, ergo nec verè mortuus fuit Chriſtus, nec verè à mortuis reſurrexit. Sed abſit à fidelium cordibus error iſte, cùm ipſe Propheta de Chriſto teſtetur quòd verè languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portavit. Dicitur tamen *myſterium fidei*, quoniam & aliud ibi creditur quàm cernatur, & aliud cernitur quàm creditur. Cernitur enim ſpecies panis & vini, & creditur veritas carnis & ſanguinis, ac virtus unitatis & caritatis. Quod autem *myſterium fidei* dicitur in hoc loco, alibi ſecundùm Iohannem ſpiritus & vita narretur. Nam ſpiritus eſt myſterium, juxta illud: *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat.* Fides autem eſt vita, ſecundùm quod legitur: *Iuſtus meus ex fide vivit.* Propter quod ipſe Dominus dicit: *Verba quæ locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt.* Diſtinguendum eſt tamen ſubtiliter inter tria quæ ſunt in hoc ſacramento diſcreta, videlicet forma viſibilis, veritas corporis, & virtus ſpiritualis; forma panis & vini, veritas carnis & ſanguinis, virtus unitatis & caritatis. Primum eſt ſacramentum, & non res; ſecundum eſt ſacramentum & res; tertium res, & non ſacramentum. Sed primum eſt ſacramentum geminæ rei, tertium verò gemini ſacramenti, ſecundum autem ſacramentum unius & alterius res exiſtit. Credimus igitur quòd formam verborum, ſicut in canone reperitor, & à Chriſto Apoſtoli & ab ipſis eorum acceperint ſucceſſores. Nam ſicut ſuperiùs eſt expreſſum, multa de verbis & factis dominicis ab Evangeliſtis omiſſa & ſermonibus ſuppleverunt Apoſtoli & operibus expreſſerunt.

Quæſiſti etiam utrum aqua com vino in ſanguinem convertatur. Super hoc autem opiniones apud ſcholaſticos variantur. Aliquibus enim videtur quòd cùm de latere Chriſti duo præcipua fluxerint ſacramenta, redemptionis in ſanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo vinum & aqua, quæ commiſceutur in calice, divina virtute mutantur, ut in hoc ſacramento plenè ſint veritas & ſignra. Alij verò tenent quòd aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem, cùm in vinum tranſeat mixta vino; licèt phyſici contrarium aſſeverent, qui aquam à vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari. Præterea poteſt dici quòd aqua non tranſit in ſanguinem, ſed remanet prioris vini accidentibus circumfuſa, ita quòd vini ſaporem aſſumit. Quod inde conjicitur quia ſi poſt calicis conſecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non tranſit in ſanguinem, nec ſanguini commiſcetur, ſed accidentibus prioris vini commixtum, corpori quod ſub eis latet undique circumfunditur, non madidans circumfuſum. Ipſa tamen accidentia vinum appoſitum videtur afficere; quia ſi aqua pura fuerat appoſita, vini ſaporem aſſumit. Contingit igitur accidentia permutare ſujectum, ſicut & ſubjectum contingit accidentia permutare. Cedit quippe natura miraculo, & virtus ſupra conſuetudinem operatur. Sed nec inconueniens creditur aut abſurdum, ſi aqua in corpore Chriſti eſſe credatur, cùm legatur de ipſius latere proceſſiſſe. Illud eſt autem nefarium opinari quod quidam dicere præſumpſerunt, aquam videlicet in flegma converti. Nam & de latere Chriſti non aquam ſed humorem aquaticum mentiuntur exiſſe, non attendentes quòd de latere Chriſti duo fluxerunt ſacramenta, & quòd non baptizant in flegmate, ſed in aqua, juxta quod Dominus proteſtatur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum Dei.* Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior videtur quæ aſſerit aquam cum vino in ſan-

Vide lib. 12. epiſt. 7.

ſanguinem tranſmutari ut expreſſiùs elu-ceat proprietas ſacramenti. Nam cùm aquæ multæ ſint populi multi juxta quod alibi legitur, *Beati qui ſeminant ſuper aquas*, ideo vino aqua unitur ut Chriſto populus adunetur. Per hoc enim quod & ſuſcepit ipſe de noſtro & accipimus ipſi de ſuo, tam inſolubili nexu conjungimur ut qui eſt unum cum patre per ineffabilem unitatem, fiat unum nobiſcum per admirabilem unionem, ac per hoc ipſo communiter mediante cum patre unum efficimur. *Pater*, inquit, *ſancte, ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos. Non pro eis rogo tantùm, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut & ipſi in nobis unum ſint, & mundus credat quia tu me miſiſti.*

Tertio verò loco fraternitas tua requiſivit quis mutaverit, vel quando fuerit mutatum, aut quare, quod in ſecreta beati Leonis ſecundùm antiquiores codices continetur, ſic videlicet, *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio*, cùm in modernioribus ſacramentoriis habeatur: *Annue nobis, Domine, quæſumus, ut interceſſione beati Leonis hæc nobis proſit oblatio*. Super quo tibi taliter reſpondemus, quòd quis illud mutaverit, aut quando mutatum fuerit, ignoramus. Scimus tamen qua fuerit occaſione mutatum; quia cùm ſacræ ſcripturæ dicat auctoritas quòd injuriam facit martyri qui orat pro martyre, idem eſt ratione conſimili de ſanctis aliis ſentiendum, quia orationibus noſtris non indigent, pro eo quòd cùm ſint perfectè beati, omnia eis ad vota ſuccedunt; ſed nos potiùs orationibus eorum indigemus, quos, cùm miſeri ſimus, undique mala multa perturbant. Vnde quod in pleriſque orationibus continetur, *proſit* videlicet vel *proficiat huic ſancto, vel illi talis oblatio ad gloriam vel honorem*, ita ſanè debet intelligi ut ad hoc proſit quod magis ac magis à fidelibus glorificetur in terris, aut etiam honoretur: licèt plerique reputent non indignum ſanctorum gloriam uſque ad judicium augmentari, & ideo Eccleſiam interim ſanè poſſe augmentum glorificationis eorum optare. Vtrum tamen in hoc articulo locum habeat illa diſtinctio qua docetur quòd defunctorum alij ſunt valde boni, alij ſunt valde mali, alij mediocriter boni, & alij mediocriter mali, unde ſuffragia quæ fiunt à fidelibus in Eccleſia pro valde bonis actiones ſunt gratiarum; pro valde malis, conſolationes vivorum, expiationes verò pro mediocriter bonis, & propitiationes pro mediocriter malis, tua discretio inveſtiget. De cetero tuis orationibus adjuvari petimus apud Deum.

Auguſtinus ſerm. 17. de verbis Apoſtoli.

ILLVSTRI
Conſtantinopolitano Imperatori.

Epiſt. 121. De cauſa imperij CP. Vide geſta Innoc. III. cap. 82.

Litteras & nuntios imperatoriæ dignitatis ea qua decuit benignitate recepimus, & tam ea quæ iidem nuntij proponere voluerunt quàm quæ in litteris continebantur eiſdem intelleximus diligenter. Propoſuerunt ſiquidem nobis dicti nuntij tui & id etiam tuæ litteræ continebant, quòd cùm Chriſtianorum exercitus, qui venturus eſt in ſubſidium terræ ſanctæ, præpoſuerit tuæ magnitudinis terram invadere & contra Chriſtianos arma movere, noſtro conveniebat officio ut eos à tali deberemus propoſito revocare, ne fortè manus ſuas de Chriſtianorum nece fœdantes, & Dei exinde offenſam incurrerent, ac inimicos Chriſti, debilitati non modicùm, non poſſent aliquatenus impugnare. Ex parte inſuper tuæ celſitudinis adjecerunt quòd Alexio filio Iſachij Angeli quondam Imperatoris, qui ad Philippum Ducem Sueviæ acceſſit ut imperium contra te ipſius poſſit auxilio obtinere, favorem nullatenus præſtaremus; quia imperium non debet ad eum aliqua ratione devolvi, cùm illud non per ſucceſſionem, ſed per electionem nobilium conferatur, niſi fortè genitus eſſet poſt adeptum faſtigium imperatoriæ dignitatis. quod utique idem Alexius non poterat allegare, cùm priùſquam pater ejus eſſet in Imperatorem promotus, natus fuerit, & quia pater ejus tunc privata erat perſona, in imperio non poterat ſibi jus aliquod vindicare. Id etiam ex parte tuæ celſitudinis fuit propoſitum coram nobis, quòd cùm Fridericus Imperator multùm offenderit Romanam Eccleſiam, & eam odio iniquo fuerit perſecutus, & filij ſui patris veſtigiis inhærentes eam non modicum aggravarint, prædicto Duci Sueviæ, ut regnum poſſet modo quolibet obtinere, non præſtaremus ſubſidiũ vel favorem. ad quod efficiendum de facili debebamus induci, cùm idem Philippus clericali fuerit charactere inſignitus, & perſonæ hujuſmodi nec contrahere poſſint nec militari cingulo decorari vel dignitatẽ aliquam in populo obtinere, cùm ſint excommunicationis vinculo innodati. Nos autem imperiali prudentiæ taliter duximus reſpondendum, quod prædictus Alexius olim ad præſentiam noſtram accedens, gravem in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia, multis nobilium Romanorum

adstantibus, proposuit quæstionem, asserens quòd patrem ejus injustè ceperis, & feceris etiam nequiter excœcari, eos diù detinens carcerali custodiæ mancipatos, & quia ad superiorem nobis non poterat habere recursum, & nos juxta Apostolum eramus tam sapientibus quàm insapientibus debitores, ei justitiam facere tenebamur. Cùmque nos eidem dedissemus responsum juxta quod vidimus expedire, recessit à nobis, & ad prædictum Philippum sororium suum concitus properavit; cum quo deliberato consilio sic effecit quòd idem Philippus nuntios suos ad Principes exercitus Christiani sine qualibet dilatione transmisit, rogans eos & petens ut quia pater suus & ipse fuerant jure suo & imperio nequiter spoliati, cum eo Constantinopolitanum deberent regnum intrare ac ad illud recuperandum eidem præstare consilium & favorem, promittens eisdem quòd tam in subsidium terræ sanctæ quàm in expensis & donativis eis magnificè responderet, paratus etiam in omnibus & per omnia nostris stare mandatis, & quòd sacrosanctam Romanam Ecclesiam vellet juxta posse suum modis omnibus honorare ac ea efficere quæ nostræ forent placita voluntati. Ceterùm dicti Principes deliberato consilio responderunt quòd cùm in tam arduo negotio sine mandato & auctoritate nostra non possent procedere nec deberent, nos volebant consulere super his, ac exinde præstolari nostræ beneplacitum voluntatis, inducentes dilectum filium nostrum Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem, qui cum eis transfretare debebat, ut ad præsentiam nostram rediret, & super prædictis omnibus nostram inquireret voluntatem. Verùm idem Cardinalis ad præsentiam nostram accedens, omnia nobis curavit proponere diligenter; & cùm nuntij tui ad nostram accesserint præsentiam, super his cum fratribus nostris habebimus tractatum, & illud statuemus quod tibi poterit meritò cōplacere; quamquam plures assererent quòd hujusmodi postulationi benignum deberemus præstare favorem, pro eo quòd Græcorum Ecclesia sit apostolicæ sedi minùs obediens & devota. Super eo autem quòd de juvando illo ad Romanum imperium obtinendum qui Romanam Ecclesiam deberet diligere & nostris obsecundare mandatis tua nos celsitudo voluit commonere, noveris quòd licèt prædictus Philippus potens sit & multùm abundet, tamen Rex Otho adeo nostro studio & diligentia mediante per Dei gratiam est promotus quòd contra eum ille hactenus non potuit prævalere; ad qnod exequendum quantum nobis subveneris, licèt multa fuerint nobis promissa, imperialis excellentia non ignorat; quod utique tantò gratius deberes habere quantò id te non promerente noscitur procuratum. Si enim idem Philippus obtinuisset imperium, multa tibi ex imperio suo gravamina provenissent, cùm per terram carissimi in Christo filij nostri Friderici illustris Regis Siciliæ nepotis sui in imperium tuum insurgere de facili potuisset, sicut Henricus olim Imperator frater suus per Siciliam tuum proposuerat imperium occupare. Licèt autem à tempore inclytæ memoriæ Manuelis prædecessoris tui Constantinopolitanum imperium non meruerit ut talia efficere deberemus, cùm semper nobis & prædecessoribus nostris per verba responsum fuerit, & nihil operibus demonstratum, in spiritu tamen lenitatis & mansuetudinis duximus procedendum, credentes ut inspecta gratia quam tibi fecimus emendare celeriter debeas quod tam à te quàm à prædecessoribus tuis minùs providè hactenus est omissum, cùm & secundùm humanam industriam id deberes studiosissimè procurare, ut ignem in remotis partibus extingueres, non nutrires, ne usque ad partes tuas posset aliquatenus pervenire. Rogamus igitur imperialem excellentiam, monemus, consulimus, & hortamur, quatenus quicquid super his duxeris statuendum, operibus nobis & non verbis dumtaxat studeas respondere; quia nos dilectionem quam ad te habemus in opere demonstrare curavimus & effectu. Disposuimus autem nostrum propter hoc nuntium destinare; qui si fortè tardaverit, tu tamen non tardes super hoc nobis sicut expedire cognoveris, respondere. Datum Laterani XVI. Kalend. Decembris.

NOBILI VIRO WILLELMO Domino Montispessulani.

PEr venerabilem fratrem nostrum Arelatensem Archiepiscopum ad sedem apostolicam accedentem tua nobis nobilitas supplicavit ut filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare, quatenus, eis quò minùs tibi succederent, natalium objectio non noceret. Quòd autem super hoc apostolica sedes plenam habeat potestatem, ex illo videtur quòd cùm diversis causis inspectis cum quibusdam legitimè genitis, non naturalibus tantùm, sed adulterinis etiam dispensarit, sic ad

Epist. 128
De legitimatione liberorum.
Cap. Per venerabilem. *Qui fil. si. legit.*
Vide lib. 2. de concord. sacerd. & imp. c. 3.

actus spirituales ipsos legitimans ut possent in Episcopos promoveri, verisimilius creditur & probabilius reputatur ut eos ad actus legitimare valeat seculares, præsertim si præter Romanum Pontificem inter homines superiorem alium non agnoscunt qui legitimandi habeat potestatem: quia cùm major in spiritualibus tam prudentia quàm auctoritas & idoneitas requiratur, quod in majori conceditur, licitum esse videtur etiam in minori. Per simile quoque idem videtur posse probari, cùm eo ipso quòd aliquis ad apicem episcopalis dignitatis extollitur, eximitur à patria potestate. Præterea si etiam simplex Episcopus scienter servum alterius in Presbyterum ordinaret, licèt ordinator satisfacere domino juxta formam canonicam teneretur, ordinatus tamen jugum evaderet servitutis. Videretur siquidem monstruosum ut qui legitimus ad spirituales fieret actiones, circa seculares actus illegitimus remaneret. Vnde cum quo in spiritualibus dispensatur, consequenter intelligitur in temporalibus dispensatum. Id autem in patrimonio beati Petri liberè potest apostolica sedes efficere, in quo & summi Pontificis anctoritatem exercet & supremi Principis exequitur potestatem. Cùm ergo videatur ex his legitimandi auctoritas, non tantùm in spiritualibus, sed in temporalibus etiam, penes Romanam Ecclesiam residere, ut super hoc filiis tuis gratiam faceremus ob tua & progenitorum tuorum merita, qui semper in devotione sedis apostolicæ perstitistis, humiliter ex parte tua idem Archiepiscopus requirebat. Videbatur autem ex eo trahere majorem audaciam postulandi quòd non longè petere cogebatur exemplum, sed in favorem petitionis hujusmodi quod nos ipsos in causa simili fecisse dicebat poterat allegare. Cùm enim carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris carissimam in Christo filiam nostram Ingeburgem Francorum Reginam illustrem dimiserit, & ex alia postmodum superducta puerum susceperit & puellam, & tu similiter exclusa legitima superduxeris aliam, ex qua filios suscepisti, sicut cum filiis Regis ejusdem, sic cum tuis credebatur de benignitate sedis apostolicæ dispensandum, præsertim cùm major id necessitas suaderet, & tu nobis specialiùs sis subjectus. Siquidem Rex Francorum ex inclytæ recordationis * Regina Francorum legitimum olim suscepit heredem, qui ei optatur & creditur in regni solio successurus. Tu verò ex legitima conjuge masculinum non habes heredem, qui tibi & in devotione nostra & propria hereditate succedat. Insuper cùm Rex ipse in spiritualibus nobis subjaceat, tu nobis & in spiritualibus & in temporalibus es subjectus, cùm partem terræ tuæ ab Ecclesia Magalonensi possideas, quam ipsa per sedem apostolicam temporaliter recognoscit. Quare Magalonensi Ecclesia mediante te nobis idem Archiepiscopus asserebat temporaliter subjacere. Verùm si veritas diligenter inspicitur, res non similis, sed valdè dissimilis invenitur. Nam Rex ipse à prædicta Regina per bonæ memoriæ Archiepiscopi Remensis apostolicæ sedis Legati fuit sententiam separatus. Tu verò uxorem tuam à te, sicut dicitur, temeritate propria separasti. Ipse quoque priùs quàm ad eum prohibitio de non contrahendo cum altera perveniret, aliam superduxit, ex qua prolem geminam noscitur suscepisse. Tu in contemptum Ecclesiæ aliam superinducere attentasti. Propter quod ipsa in te gladium exercuit ecclesiasticæ ultionis. Præterea Rex ipse prædictæ Reginæ contra matrimonium affinitatem objecit, & coram præfato Archiepiscopo testes induxit, cujus sententia quia cassata fuit solummodo propter judiciarum ordinem non servatum, nos ei post restitutionem præfatæ Reginæ super hoc venerabilem fratrem nostrum Octavianum Hostiensem Episcopũ & dilectum filium Iohannem tituli sanctæ Priscæ Presbyterum Cardinalem cognitores duximus concedendos. Tu verò uxori tuę nihil quod divortium induceret, sicut asseritur, objecisti, cùm etsi fides thori sit unum de tribus bonis conjugij, non tamen ipsorum violatio conjugale vinculum violasset. De filiis quoque Regis ejusdem, utrum legitimi an illegitimi fuerint, quandiu pendet quęstio affinitatis objectæ, potest non immeritò dubitari. Nam si affinitas fuerit comprobata, prædictam Reginam non esse Regis conjugem apparebit, & per consequens alia videretur sibi legitimè copulata & filios ei legitimos peperisse. De tuis verò, quòd sint legitimè nati, nec tu ipse proponis, nec ulla præsumitur ratione. Insuper cùm Rex ipse superiorem in temporalibus minimè recognoscat, sine juris alterius læsione in eo se jurisdictioni nostræ subjicere potuit & subjecit in quo forsitan videretur aliquibus quòd per se ipsum, non tamquam pater cum filiis, sed tamquam Princeps cum subditis, potuerit dispensare. Tu au-

* Isabella.

tem aliis noſceris ſubjacere. Vnde ſine ipſorum forſan injuria, niſi præſtarent aſſenſum, nobis in hoc ſubdere te non poſſes, nec ejus auctoritatis exiſtis ut diſpenſandi ſuper his habeas poteſtatem. Rationibus igitur his inducti, Regi gratiam fecimus requiſiti, cauſam tam ex veteri quàm ex novo teſtamento tenentes quòd non ſolû in Eccleſiæ patrimonio, ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem, verùm etiam in aliis regionibus, certis cauſis inſpectis, temporalem juriſdictionem cauſaliter exercemus; non quòd alieno juri præjudicare velimus vel poteſtatem nobis indebitam uſurpare, cùm non ignoremus Chriſtum in evangelio reſpondiſſe: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari & quæ ſunt Dei Deo.* Propter quod poſtulatus ut hereditatem divideret inter duos, *Quis*, inquit, *conſtituit me judicem ſuper vos?* Sed quia ſic in Deuteronomio continetur, *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & judicium intra portas tuas verba videris variari, ſurge, & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad ſacerdotes Levitici generis & ad judicē qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem, & facies quæcunque dixerint qui præſunt loco quem elegit, & docuerint te juxta legem ejus; ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio qui eo tempore miniſtraverit Domino Deo tuo, decreto judicis moritur, & auferes malum de Iſraël.* Sanè cùm Deuteronomium lex ſecunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur in hoc quod ibi decernitur ut in novo teſtamento debeat obſervari. Locus enim quem elegit Dominus apoſtolica ſedes eſſe cognoſcitur, ſic quòd eam Dominus in ſe ipſo lapide angulari fundavit. Cùm enim Petrus urbem fugiens exiſſet, volens eum Dominus ad locum quem elegerat revocare, interrogatus ab eo, *Domine, quò vadis*, reſpondit: *Venio Romam iterum crucifigi.* Quod intelligens pro ſe dictum, ad locum ipſum protinus eſt reverſus. Sunt autem ſacerdotes Levitici generis fratres noſtri, qui nobis jure Levitico in executione ſacerdotalis officij coadjutores exiſtunt. Is verò ſuper eos ſacerdos ſive judex exiſtit cui Dominus inquit in Petro, *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*, ejus vicarius qui eſt ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, conſtitutus à Deo judex vivorum & mortuorum. Tria quippe diſtinguunt judicia; primum inter ſanguinem & ſanguinem, per quod criminale intelligitur & civile; ultimum inter lepram & lepram, per quod eccleſiaſticum & criminale notatur; medium inter cauſam & cauſam, quod ad utrumque refertur tam eccleſiaſticum quàm civile; in quibus cùm aliquid fuerit difficile vel ambiguum, ad judicium eſt ſedis apoſtolicæ recurrendum, cujus ſententiam qui ſuperbiens contempſerit obſervare, mori præcipitur & auferri malû de Iſraël, id eſt, per excommunicationis ſententiam velut mortuus à communione fidelium ſeparari. Paulus etiam, ut plenitudinem poteſtatis exponeret, ad Corinthios ſcribens ait: *Neſcitis quoniam angelos judicabimus; quanto magis ſecularia.* Porrò ſecularis officium poteſtatis interdum & in quibuſdam per ſe, nonnunquam autem & in nonnullis per alios exequi conſuevit. Licèt igitur cum filiis ſæpe dicti Regis Francorû, de qoibus an fuerint legitimi ab initio dubitatur, duxerimus diſpenſandum, quia tamen tam lex Moſaica quàm canonica ſobolem ſuſceptam ex adulterio deteſtatur, teſtante Domino, *Manzer & ſpurius uſque in decimam generationem in Eccleſiam non intrabunt*, canone verò vetante tales ad ſacros ordines promoveri, ſecularibus quoque legibus non ſolùm repellentibus eos à ſucceſſione paterna, ſed negantibus ipſis etiam alimenta, ſuperſedendum adhuc duximus petitioni prædictæ, nec ad præſens ſuper hoc tuis precibus annuendum, donec, ſi fieri poterit, & culpa levior & juriſdictio liberior oſtendatur; licèt perſonam tuam ſpecialis dilectionis brachiis amplexemur, & in qoibus cum Deo & honeſtate poſſumus ſpecialem tibi velimus gratiam exhibere.

IOHANNI ILLVSTRI REGI Angliæ.

Epiſt 160. De electione Othonis IV. Imp. *Vide Raynald. ad an 1198 § 53. 54.*

CVm inclytæ recordationis Richardus Rex Angliæ frater tuus ſedi apoſtolicæ cum multa precum inſtantia ſupplicarit ut promotioni cariſſimi in Chriſto filij illuſtris Regis Othonis nepotis ejuſdem Regis & tui in Romanum Imperatorem electi efficaciter intendere dignaremur, promittens ſe ad id operam efficacem impenſurum, eodem Rege, prout Domino placuit, ſublato de medio, tu, qoi eidem in regni ſolio ſucceſſiſti, non ſolùm precibus, ſed etiam promiſſionibus per litteras plures & nuntios apud nos & fratres

nostros pro eodem negotio instare curasti, asserens te & terram tuam expositurum omnino ad ejusdem negotij complementum. Nos verò credentes ut quod promittebas verbo, curares opere adimplere, promotioni ejusdem Regis sollicitiùs intendere procuravimus, sicut per Dei gratiam effectus operis manifestat. Sed qualiter tu postmodum deserens nos & Romanam Ecclesiam, eidem Regi manum auxilij tui subtraxeris, & juraveris contra ipsum, utinam nescirent alij, quia non potuit nos latere.

EXERCITVI crucesignatorum.

Epist. 161. De captione Iaderæ. Vide gesta Innoc. III. cap. 86 87.

Dolemus non modicùm & movemur quòd iis quibus remissionis impendere gratiam solebamus & æternæ polliceri retributionis augmentum, nunc, quod sine mœrore multo non dicimus, nostræ salutationis alloquium & apostolicæ benedictionis præsidiū cogimur denegare. Ecce etenim aurum versum est in scoriam, & penè penitùs æruginavit argentum, cùm à puritate vestri propositi recedentes, & in invium declinantes à via, quasi manum retraxistis ab aratro, & retrorsum cum Loth conjuge respexistis. Cùm fugientes Ægyptum festinare debuissetis ad terram melle ac lacte manantem, errantes ad solitudinem divertistis; ubi redeuntes ad animum qualiter in Ægypto super ollas carnium sederatis, non solùm esuristis allia & pepones, sed fraternum sanguinem sitivistis. Sanè rememorans serpens antiquus qualiter inter semen mulieris & eum inimicitias Deus posuerit, post hominis primi lapsum, quia in caput prævalere non potuit, insidiatus calcaneo, seipsum occultavit in via, ut vel equorum ungulas tangeret, & cum equo prosterneret ascensorem, consueta fraudis astutia & solitæ nequitiæ malignitate procurans ut saltem modicum fermenti corrumperet totam massam, & omnium facti rei, cùm offenderetis in uno, totius laboris vestri meritum perderetis. Attendens siquidem ipse hostis antiquus, qui est diabolus & sathanas, qui seducit universum orbem, quòd majorem caritatem nemo habet quàm ut animam suam pónat quis pro amicis suis, ut vos tantæ caritatis affectu & mercede privaret, contra fratres vestros bellum movere vos fecit & signa vestra primùm contra fideles populos explicare, quatenus sic ei peregrinationis vestræ solveretis primitias, & tam vestrum quàm fratrum vestrorum sanguinem dæmonibus funderetis. Habentes igitur faciem non euntis in Hierusalem, sed descendentis potiùs in Ægyptum, in Hierico ab Hierosolymis descendistis, & incidistis ideo in latrones; qui & vos virtutum spoliarunt amictu, & peccatorum plagas imposuerunt spoliatis; nec abire tamen voluerunt hactenus nec relinquere semivivos, cùm adhuc apud vos immissiones per angelos malos fiant, ut tamquam pro necessitatibus vestris divertatis ad insulas, & in sumptus vestros Christianorum spolia convertatis, sicut nuper apud Iaderam accepimus vos fecisse. Cùm enim illuc navigio venissetis, signa vestra contra civitatem protinus expandentes, tentoria in obsidione fixistis, vallavistis undique civitatem, & muros ipsius non sine multa effusione sanguinis suffodistis. Cùmque cives subire cum Venetis judicium nostrum vellent, nec in hoc etiam apud vos potuissent misericordiam invenire, circa muros suos crucis imagines suspenderunt. Sed vos in injuriam crucifixi non minùs civitatem impugnastis & cives; sed eos ad deditionem violenta dextera coëgistis. Debuerant autem vos à tam nequissimo proposito vel reverentia crucis assumptæ vel carissimi in Christo filij nostri Henrici Regis Vngarorum illustris & nobilis viri Andreæ Ducis fratris ejus devotio, qui pro terræ sanctæ subsidio crucis signaculum assumpserunt, vel saltem apostolicæ sedis auctoritas, quæ vobis curavit districtiùs inhibere ne terras Christianorum invadere vel lædere tentaretis nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia causa justa vel necessaria forsan occurreret propter quam aliud agere, accedente consilio Legati, possetis. Ne verò præmissa inhibitio segniter audiretur, si qui contra eam venire præsumerent, eos denuntiavimus excommunicationis vinculo innodatos & beneficiis indulgentiæ quam apostolica sedes crucesignatis indulsit immunes. Ceterùm licèt dilectus filius noster Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus prohibitionis nostræ tenorem quibusdam ex vobis exponere curavisset, & tandem litteræ nostræ vobis fuissent publicè præsentatæ, nec Deo nec sedi apostolicæ detulistis, sed ut se tedderent coëgistis miseros Iadertinos. Veneti ergo in oculis vestris subverterunt muros civitatis ejusdem, spoliaverunt Ecclesias, ædificia destruxerunt, & vos cum eis Iadertinorum spolia divisistis. Ne igitur addatur pecca-

ro peccatum, & in vobis quod legitur impleatur, *Peccator contemnit cùm in profundum venerit vitiorum*, universitatem vestram monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica vobis scripta mandamus & sub interminatione anathematis districtè præcipimus quatenus Iaderam nec destruatis ampliùs quàm hactenus est destructa, nec destrui faciatis, aut quantum in vobis fuerit permittatis, sed nuntiis Regis ejusdem ablata omnia restituere procuretis. Alioquin vos excommunicationis sententiæ subjacere noveritis, & à promissa vobis venia remissionis immunes.

APPENDIX
LIBRI QVINTI.

DILECTIS FILIIS MATTHÆO Abbati & fratribus sancti Laurentij de Aversa tam præsentibus quàm futuris regulariter substituendis in perpetuum.

Commissæ nobis sanctæ & apostolicæ sedis hortatur auctoritas ut locis & personis ipsius auxilium devotione debita implorantibus tuitionis præsidium impendere debeamus: quia sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus assensus, sic legitima & justa desiderantium nulla est differenda petitio, præsertim eorum qui cum honesta & laudabili morum compositione gaudent omnipotenti Deo deservire. Eapropter, dilecti in Christo filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, cœnobium sancti Laurentij de Aversa, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, atque ab omni tam ecclesiasticæ quàm secularis personæ jugo ita omnino liberum manere decernimus ut soli sanctæ & apostolicæ Romanæ Ecclesiæ nullo medio perenniter sit subjectum. Statuimus quoque ut illa monasteria, Ecclesiæ, sive cellæ quæ cœnobio vestro concessa sunt, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; quæ quidem his nominibus annotantur, videlicet cœnobium sancti Laurentij de Aversa prædictum, situm extra mœnia civitatis Aversæ, cum Ecclesia sancti Petri sistente prope portam ejusdem monasterij, cum burgo quod est juxta dictum monasterium, ac cum alio burgo quod dicitur Verzalus, cum omnibus juribus, rationibus, & pertinentiis,* *& plures alias Ecclesias quas brevitatis causa prætermitto.* Quas quidem Ecclesias, sive parochiales, sive populum non habentes, cum suis juribus vobis & eidem cœnobio auctoritate apostolica confirmamus; ipsas, & si quas alias cum suis hominibus & parochianis poteritis in futurum canonicè adipisci, in favorem religionis vestræ, & ut quietiùs & tranquilliùs omnium creatori pro salubri statu universalis Ecclesiæ serviatis, ab omni jure episcopali eximimus de speciali gratia & plenitudine potestatis, ità quòd in nullo episcopali jure seu contentiosa jurisdictione monachi seu clerici seculares & parochiani in vestris Ecclesiis sive cellis commorantes respondere diocesanis Episcopis teneantur, neque coram eorum ordinariis conveniri valeant, etiamsi in loco non exempto delinquant forsitan, contrahant, vel res litigiosæ existant. Et in majorem vestræ religionis favorem similiter indulgemus ne quisquam Episcopus vel Archiepiscopus monasterij vestri monachos & homines, domesticos, servitores ipsius laicos pro ulla causa ullóve modo sine Romani Pontificis licentia suspendere aut excommunicare præsumat. Volumus etiam ac perpetua stabilitate firmamus ut nullus Episcoporum vel Archiepiscoporum audeat ædificare Ecclesiam sive capellam in locis quibus possit vestro monasterio, Ecclesiis sive cellis, vel earum parochianis aliquod præjudicium vel scandalum generari. Confirmamus etiam vobis & jamdicto cœnobio privilegia donationis ipsarum Ecclesiarum, sive à laicis sive viris ecclesiasticis factæ sint: quarum Ecclesiarum instrumenta nostro conspectui ut authentica & legitima præsentastis apostolico judicio approbanda; quibus diligenter visis & intellectis, ipsa approbavimus & ratificavimus & ex certa scientia confirmavimus; quibus etiam etsi quod fortè injuria seu negligentia minus firmitatis insertum est, vires plenissimæ notionis ex hac nostra suscipiant auctoritate. Nihilominus etiam confirmamus vobis & prælibato cœnobio privilegium centenariæ præscriptionis quod felicis memoriæ * Vrbanus Papa eidem cœnobio de benignitate apostolica indulsit, decernentes eos qui possessiones libertatesque ejusdē cœnobij vassallorumque suorum jura seu redditus detinuerint occupatos, exinde fore penitùs amovendos, ipsisque nullum omnino jus per de-

* Hæc non sunt Papæ, sed scribæ festinantis.

* Vrbanus II.

tentionem vel possessionem hujusmodi se posse acquirere vel habere, ac nullum vobis propter hoc vel juri ipsius cœnobij super his præjudicium factum esse vel posse in aliquo generari, nisi legitimè constiterit detentores ipsos præscriptione centenaria fore munitos. Statuimus etiam ut idem monasterium & universæ ejus Ecclesiæ & omnia quæ ad ipsum pertinent, quieta semper & ab omni jugo mortalium libera sub solius sanctæ Romanæ Ecclesiæ jure ac perpetua defensione permaneant & consistant, ita quòd super his nullo unquam tempore debeatis impeti vel modo quolibet molestari. Quòd si aliquis contra hoc salubre præceptum ire tentaverit, & possessiones & jura, libertates, vel alias res mobiles seu stabiles vestri monasterij vel ejus Ecclesiarum, obedientiarum, oblatorum, seu etiam aliquorum hominum vestro monasterio subjectorum abstulerint, sive ablata retinuerint, postquàm ipsorum ordinarij à vobis tertiò admoniti justitiam ecclesiasticam de his facere noluerint, à vobis admoniti semel, bis, & tertiò si non satisfactione congrua quod malè egerint emendare studuerint, ex indulgentia sedis apostolicæ duximus concedendum ut liceat tibi, Matthæe Abbas, tibique canonicè succedentibus apostolica auctoritate super eosdem impetitores canonicam excommunicationis proferre sententiam & illos vicinis Episcopis excommunicatos fore vestris denuntiare apicibus: qui Episcopi illos pro excommunicatis habeant, & omnibus sibi commissis ut excommunicatos à sacratissimo corpore & sanguine Christi separatos evitare jubeant, eisque ecclesiasticam denegent sepulturam. Quòd si ausu temerario, transactione seu arbitrio aliquo interveniente, per vos vel successores vestros seu per quemvis alium contra tenorem hujusmodi decreti absque licentia sedis apostolicæ non faciente de immunitate hujusmodi mentionem fuerit attentatum, ex nunc illud decernimus viribus omnino carere, & præfatum cœnobium cum omnibus suis membris habitis & habendis pleno jure sedi apostolicæ sit subjectum. De abundantiori quoque gratia sedis apostolicæ concedimus vobis & successoribus vestris ut si aliquam de vestris Ecclesiis, possessionibus, vel redditibus alicui viro ecclesiastico sive in beneficium sive ad annuum censum canonicè concesseritis, quòd licitum sit vobis vestrisque successoribus bona vestri cœnobij post obitum ejusdem personæ ecclesiasticæ, vel cùm beneficium ipsum vacaverit, à quoquam viro ecclesiastico concessum fuerit, beneficium ipsum sive redditus ad utilitatem vestram retinere, nonobstante super hoc aliquo jure communi à nobis vel à nostris successoribus edito vel edendo, seu litteris à sede apostolica aut à nostris Legatis Cardinalibus super hoc impetrandis, nisi de hujusmodi privilegio expressam fecerint mentionem. Præterea quæcunque bona concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium vestrum hodie cœnobium legitimè possider, vel in futurum canonicè possidebit, vobis vestrisque successoribus & eidem cœnobio auctoritate apostolica nihilominus confirmamus. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes monachorum seu clericorum tam in ipso cœnobio quàm in adjacentibus villulis ac in Ecclesiis civitatis & diœcesis Aversanæ, à quocunque malueritis catholico accipiatis Episcopo. In aliis verò monasteriis & obedientiis vestris hæc à diocesano Episcopo priùs postulabitis, siquidem gratiam & communionem sedis apostolicæ habuerit, & ea gratis & absque pravitate voluerit impartiri. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis adire antistitem, qui nostra fretus auctoritate quod postulatur indulgeat. Baptismum verò ac infirmorum oleum, visitationes per vos & per Clericos vestros seu monachos in oppidis vestris, castellis, seu villis habeatis. Missas autem publicas ab aliquo Episcopo tam in cœnobio quàm in adjacentibus ejus Ecclesiis celebrari, stationes fieri, processiones deduci absque licentia Abbatis & Priorum seu rectorum locorum voluntate omnimodè prohibemus, ne in servorum Dei recessibus secularibus occasio præbeatur ulla conventibus. Si quis autem adversùs prædictum cœnobium justam se putat habere querelam, ac apud ejusdem cœnobij Abbatem vel monachos litem per sententiam decidere aut diffinire noluerit, statuimus ut ante Legatos nostros querimonia deferatur, quatenus æquitate judicij sine personarum acceptione sua cuique justitia Deo auctore servetur. Sepulturam quoque cœnobij vestri & omnium Ecclesiarum seu obedientiarum vestrarum liberam esse omnino censemus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsi-

stat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundùm Dei timorem & beati Benedicti regulam præviderint eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem benedicendus accedat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum cœnobium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel injustè datas suis usibus vindicare, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integrè conserventur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus profutura. Salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita si non præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax ejusdem Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Blasij S.R.E. Subdiaconi & Notarij Idibus Iulij, Indictione quinta, incarnationis dominicæ anno MCCII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno quinto.

ACTA QVÆ SEQVVNTVR, CVM MVLTVM utilia sint ad intellectum epistolæ 100. & nondum edita sint, visum est heic edere, descripta ex veteri chartulario Episcoporum Parisiensium.

LITTERA ABBATIS ET CONVENTVS sanctæ Genovefæ Parisiensis facta inter ipsos & Episcopum Parisiensem super jure parochiali sanctæ Genovefæ & super procurationibus Episcopi super Ecclesiæ sanctæ Genovefæ in civitate & aliis Ecclesiis sanctæ Genovefæ prædictæ.

OMnibus Christi fidelibus ad quos litteræ præsentes pervenerint Iohannes Abbas totúsque conventus beatæ Genovefæ Parisiensis salutem in Domino. Cùm inter nos & Ecclesiam nostram ex una parte & virum venerabilem Dominum Odonem Episcopum & Ecclesiam Parisiensem ex altera super jure parochiali in parochia de Monte controversia verteretur, & quæstione possessionis per examen sedis apostolicæ jam decisa, proprietatis quæstio superesset delegatis judicibus ab apostolica sede commissa, cùm etiam tam super Ecclesia sanctæ Genovefæ* in civitate Parisiensi sita, in qua unum de Canonicis nostris institui petebamus, quàm super procurationibus quas ab Ecclesiis nostris parochialibus in Parisiensi dioecesi constitutis memoratus Episcopus exigebat, inter nos & ipsum contentio fuisset orta, tandem ad unitatem aspirantes, & pacem de querelis præmissis, videlicet tam super possessione quàm proprietate juris parochialis seu episcopalis in parochia supradicta, Ecclesia quoque sanctæ Genovefæ de civitate, necnon & procurationibus supradictis, in viros venerabiles Fulconem Camerarium & Hugonem Forte Canonicum Ecclesiæ nostræ, Gaufridum de Lenda Canonicum Parisiensem, & magistrum Nicolaum Carnotensem, aut magistrum Bernardum Canonicum Parisiensem loco magistri Nicolai, si Dominus Episcopus maluerit, absolutè compromisimus & præcisè, quicquid super prætaxatis querelis statuerint sine contradictione pro nobis & Ecclesia nostra non obstante sententia, privilegio, seu instromento alio suscepturi & perpetuò servaturi, ita quòd nec duorum nec trium ex ipsis sine consensu quarti sententia robur habebit, sed quod pariter ab ipsis quatuor fuerit ordinatum, firmum & stabile permanebit. De aliis verò rebus ac reditibus nostris vel Episcopi memorati pro bono pacis eisdem arbitris addere vel subtrahere, dare seu commutare licebit. Præfixum est etiam tempus infra quod arbitrium proferetur, Octavæ videlicet Pentecostes instantis, ita quòd nisi infra eundem terminum fuerit prolatum arbitrium, ex tunc compromissio non tenebit, sed ad judices à summo Pontifice constitutos litigaturi coram ipsis liberè revertemur. Hanc itaque compromissionem Dominus Episcopus in verbo Episcopi & ego Iohannes Abbas in verbo sacerdotis & periculo animæ meæ nos bona fide promisimus & concessimus servaturos. Pœna est insuper ducentarum marcarum adjecta memorato Episcopo solvendarum à nobis, si nos, quod absit, à compromisso resilire contingeret. In hujus itaque firmitatem & evidentiam præsentes literas fieri fecimus & sigillorum nostrorum impressione muniri. Actum anno

* S. Geneviefve des Ardents.

anno incarnati verbi MCCII. V. Kalendas Iunij.

LITTERA ARCHIDIACONORVM Pariſienſium ſuper eodem.

OMnibus Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis Mauricius & Hamericus Archidiaconi Pariſienſes ſalutem in Domino. Noverit caritas veſtra quicquid venerabilis Pater & Dominus noſter Odo Pariſienſis Epiſcopus ſuper querelis quæ vertuntur inter ipſum & nos ex una parte, & virum venerabilem Iohannem Abbatem & Eccleſiam ſanctæ Genovefæ ex altera, judicio vel compoſitione ſeu tranſactione fecerit nos ratum habituros & firmiter ſervaturos. In cujus rei evidentiam ſigillorum noſtrorum teſtimonium præſentibus litteris appoſuimus.

LITTERA ODONIS PARISIENSIS Epiſcopi de præſentatione facta per Abbatem ſanctæ Genovefæ ad præſentandum Theobaldum Canonicum ſanctæ Genovefæ Epiſcopo Pariſienſi, & de juramento facto à dicto Theobaldo prædicto Epiſcopo.

ODo dei gratia Pariſienſis Epiſcopus omnibus præſentes litteras inſpecturis in Domino ſalutem. Notum facimus quòd per Amauritium Canonicum ſanctæ Genovefæ de Monte, qui nobis tradidit litteras Iohannis Abbatis ſanctæ Genovefæ apertas, ex parte ejuſdem Abbatis nobis fuit præſentatus Theobaldus Canonicus ſanctæ Genovefæ ad curam animarum de Monte, & idem Theobaldus curam animarum ejuſdem parochiæ ſuſcepit à nobis, & præſentibus ſacroſanctis evangeliis & deoſculatis ab eodem promiſit nobis ſicut Epiſcopo Pariſienſi in verbo ſacerdotis & ſuper ordinem ſuum juſtitiam, obedientiam, & fidelitatem quandiu regeret parochiam memoratam. Hoc autem totum factum eſt Pariſius in Capella noſtra ſuperiori, præſentibus Archembaldo Decano Bituricenſi & magiſtro Iordano ſocio ejus, Gaufrido de Lenda, magiſtro Lotherio, magiſtro Bernardo, magiſtro Gaufrido de Piſſiaco, magiſtro Nicolao Gregorio Radulpho de Linetiis, Guidone Archipreſbytero, & Leodegario Clerico ejus, Odone Preſbytero de Vicceour, Petro nepote Engoliſmenſis Epiſcopi, Roberto Bituricenſi, Petro de Linetiis clerico, Nivelone Iohanne Clerico magiſtri Lotherij, Odone de ſancto Mederico, Vvillelmo Eſcuacol, Iohanne Maurino, tunc etiam præſentato ab eodem Vvilelmo, fratre Orranno, & fratre Petro de ſancto Lazaro. In cujus rei memoriam præſentem chartam ſigilli noſtri fecimus impreſſione muniri. Actum anno gratiæ MCCII. menſe Iunio, pontificatus noſtri anno quinto.

LITTERA G. ABBATIS SANCTI Benedicti Floriacenſis, Cantoris Carnotenſis, & I. magiſtri Scholarum Aurelianenſium, judicum à Domino Papa datorum ſuper quadam ſententia ab ipſis data inter Epiſcopum Pariſienſem & Abbatem ſanctæ Genovefæ Pariſienſis.

G. dei gratia ſancti Benedicti Floriacenſis Abbas, G. Cantor Carnotenſis, & I. magiſter ſcholarum Aurelianenſium, omnibus ad quos litteræ iſtæ pervenerint ſalutem in Domino. Mandatum ſummi Pontificis ad nos ſub hac forma deſcendit. *Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum dei dilectis filiis Floriacenſi Abbati, magiſtro ſcholarum Aurelianenſium, & Cantori Carnotenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inter venerabilem fratrem noſtrum Pariſienſem Epiſcopum & dilectum filium Abbatem ſanctæ Genovefæ ſuper poſſeſſione juris parochialis in parochia de Monte controverſia quondam mota, & per delegatos apoſtolicæ ſedis ad nos inſtructa cauſa remiſſa, eam, ſalva quæſtione proprietatis, curavimus ſententialiter definire, ſicut ex reſcripto apoſtolico perpenditur evidenter. Ne autem videamur inutiliter laboraſſe ſi ſententia noſtra non fuerit adimpleta, executionem ipſius vobis de conſenſu partium duximus committendam, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes quatenus utramque partem ad parendum legitimè inducentes, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellere procuretis, contradictores, ſi qui fuerint, vel rebelles ut à ſua præſumptione deſiſtant, diſtrictione ſimili compellentes; nullis obſtantibus litteris, ſi quæ apparuerint præter aſſenſum partium à ſede apoſtolica impetratæ. Quòd ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, tu ea, fili Abbas, cum eorum altero nihilominus exequaris. Datum Anagniæ IX. Kal. Ianuarij pontificatus noſtri anno quarto* Inſpecta igitur ſententia ſummi pontificis, intelleximus inter Pariſienſem Epiſcopum & Eccleſiam ſuam ex una parte, & Abbatem & Eccleſiam de Monte ex altera, ſuper poſſeſſione juris parochialis in parochia de Monte cōtroverſiam emerſiſſe, talem ſcil cet. Dicebat enim Epiſcopus quòd Preſbyter qui parochianis de Monte divina pro tempore miniſtrabat, etiamſi eſſet Canonicus regularis, à Pariſienſi Epiſcopo curam parochiæ recipiebat, & parochianos de Monte ad nutum Epiſcopi vel Archidiaconi citabat, vocabat, ligabat pariter & ſolvebat, & ſi quis excommunicatus eſſet ab Epiſcopo vel Archidiacono vel etiam interdictus, Preſbyter ipſe eum non admittebat aliquatenus ad divina; & in poſſeſſione totius juris parochialis ſe & prædeceſſores ſuos integrè fuiſſe dictus Epiſcopus aſſerebat. Cùm itaque Dominus Papa poſſeſſionem juris epiſcopalis ſeu parochialis tam in prædictis quàm in omnibus aliis in tota parochia de Monte adjudicaſſet Epiſcopo memorato, exceptis duntaxat interdicto burgi & inſtitutione & deſtitutione ſacerdotis, in quibus duobus articulis Abbas fuerat abſolutus, convenientes in Eccleſia ſanctæ Genovefæ, populo parochiæ convocato, deinde in Capitulo ſanctæ Genovefæ præſentibus Abbate & Canonicis, taliter ſumus mandatum apoſtolicum executi. Præcepimus ſiquidem prædicto Pariſienſi Epiſcopo auctoritate apoſtolica ne burgum ſanctæ Genovefæ interdicto ſupponeret, & ne Preſbyterum in prædicta parochia inſtitueret vel deſtitueret; Abbati verò & canonicis ne impediant Epiſcopum vel Archidiaconum Pariſienſem, qui in omnibus quæ ſuprà petita dicuntur & aliis parochialibus, exceptis duobus ſupradictis, in quibus Abbas

fuerat absolutus, possessione sibi à Domino Papa adjudicata & eidem Episcopo præsenti à nobis auctoritate apostolica assignata liberè otantot. De Presbytero etiam, quiconque ipsi parochiæ divina pro tempore ministrabit, præcepimus ut in his quæ suprà diximus fuisse petita & omnibus aliis ad jus episcopale vel parochiale spectantibus, exceptis supradictis duobus, Episcopi vel Archidiaconi mandatum adimpleat & fideliter exequatur. Salva utrique partium quæstione proprietatis, sicut in apostolica sententia continetur. Vt autem mandatum apostolicum & executionis nostræ series in omnibus supradictis inviolabiliter observetur, tam prædictos Episcopum & Archidiaconum quàm Abbatem & Canonicos de Monte, Presbyterum etiam qui pro tempore illi parochiæ ministrabit, & omnes alios tam clericos quàm laicos qui prædictæ sententiæ apostolicæ vel huic executioni nostræ rebelles seu contradictores extiterint excommunicavimus. Actum Parisius anno incarnati verbi M C C I. mense Martio.

LITTERA FORMÆ PACIS ET compositionis inter Dominum Odonem Episcopum Parisiensem & Abbatem & Ecclesiam sanctæ Genovefæ.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Amen. Hæc est forma compositionis & pacis inter Dominum Odonem Episcopum & Ecclesiam Parisiensem ex una parte, & Iohannem Abbatem & Ecclesiam sanctæ Genovefæ ex altera, super querelis quas dictus Episcopus movebat de jure parochiali in parochia de Monte & procurationibus quas in parochialibus Ecclesiis Canonicorum de Monte petebat, & è contrà Canonici de Monte adversùs Episcopum super capella sanctæ Genovefæ sita in civitate Parisiensi, scilicet quod Parisiensis Episcopus habebit omne jus episcopale seu parochiale in tota parochia de Monte, & Presbyter qui illi parochiæ spiritualia pro tempore ministrabit, etiamsi sit Canonicus regularis, præsentabitur Episcopo, & ab eo curam recipiet animarum, & parochianos ipsius parochiæ ad mandatum Episcopi vel Archidiaconi citabit, vocabit, ligabit pariter & solvet, chrisma & oleum ad opus parochiæ ab Ecclesia Parisiensi recipiet, ad synodum etiam veniet, nec tamen circatam vel synodaticum reddet. Item licebit Episcopo & Archidiacono in singulos de prædicta parochia & in omnes interdicti & excommunicationis ferre sententiam: quæ si lata fuerit, Presbyter qui illi parochiæ deserviet excommunicatos seu interdictos de ipsa parochia non admittet; tamen, illis exclusis, in altari parochiali quod est intra majorem Ecclesiam nihilominus celebrabit. Sed nec alios interdictos vel excommunicatos ab Episcopo vel Archidiacono, undecumque fuerint, nullo unquam tempore ipse vel alius in altari parochiali recipiet aliquatenus ad divina. Ab hac autem generalitate exceptæ erunt ab omni interdictione Episcopi & Archidiaconi viginti personæ inter servitores & garciones infra ambitum Canonicorum habitantes, comedentes, cubantes, & levantes, scilicet unus janitor, duo quadrigarij, duo cursores, unus bostelarius, unus carpentarius, unus bortolanus, quatuor in servitio forni, quatuor in servitio coquinæ, unus sarcinator, unus vigil, unus matricularius, unus infirmarius, & extra septa Canonicorum sex servitores, scilicet tres escuerij Abbatis, unus serviens Capicerij, unus clauserius vinearum, unus tolonearius. Nullus autem viginti sex prædictorum viarius poterit esse vel major burgi, ita ut prædicta gaudeat libertate. In his siquidem prædictis viginti sex personis, aut in illis quæ in locum earum per Abbatem fuerint subrogatæ, nullam Episcopus vel Archidiaconus potestatem habebit, nisi de earum matrimonio separando agatur. Illa etenim causa pleno jure ad Episcopum & Archidiaconum pertinebit. Vxores autem prædictorum sex servitorum in parochia de Monte extra Canonicorum septa manentium jurisdictioni Episcopi & Archidiaconi in omnibus spiritualibus subjacebunt; eo salvo ut pro forefactis maritorum suorum interdici vel excommunicari non possint, & quando in parochia positum fuerit interdictum, liceat ipsis, sicut & viris earum, in altari parochiali audire divina. In prædicta autem parochia de Monte neque Episcopo sine consensu Canonicorum, neque Canonicis sine Episcopo, novam Ecclesiam seu Capellam ædificare licebit. In augmentum verò prædictæ parochiæ dedit Episcopus ad habitandum viceam suam de brunello, ita ut omnes qui in loco illo habitaverint, cum aliis parochianis de Monte à Presbytero parochiæ supradictæ divina percipiant sacramenta, & ad Episcopum & Archidiaconum pleno jure pertineant. Similiter & illi qui habitabunt in in clauso quod dicitur mali vicini, si quando illud inhabitari contigerit. Præterea Ecclesiam de Roissiaco dedit Episcopus Canonicis memoratis ad eorum usum perpetuò possidendam, cum additamento villæ quæ dicitur Vallis Derlandi: in qua villa licebit prædictis Canonicis de Monte, si voluerint, ædificare Capellam, Episcopi tamen jurisdictioni subjectam, & tam in Ecclesia de Roissiaco quàm in ipsa Capella, sicut & in aliis eorum Ecclesiis parochialibus, ad curam animarum recipiendam Presbyterum Episcopo præsentabunt. De procurationibus autem quas Episcopus in eorum Ecclesiis exigebat ita statum est, ut Ecclesiæ de Iausseigny, de Espinolio, de Vaunis, de Nanturra, de Rooneyo, & sancti Medardi, à procurationibus Episcopi liberæ sint penitùs & immunes. Verùm in Ecclesia de Roissiaco quatuor libras Parisiensis monetæ accipiet prædictus Episcopus annuatim; de quibus procurationem sibi parabit Episcopus unam vel plures in ipsa Ecclesia de Roissiaco, vel in qua voluerit prædictarum. Prædicti quoque Canonici sanctæ Genovefæ, ut omnis amoveatur annuente Domino materia seditionis & scandali, Capellam sanctæ Genovefæ sitam in civitate Parisiensi dederunt

Episcopo & successoribus ejus in perpetuum liberam & quietam, nullo sibi in ea jure retento, ut possit ipse vel ejus successores de prædicta Capella pro sua voluntate disponere. Præbendam quoque & vicariam quas prædicti Canonici in Ecclesia beatæ Mariæ Parisiensis habebant, prædicto Episcopo & ejus successoribus quietaverunt, nihil omnino sibi juris in prædicta præbenda seu vicaria reservantes. Hæc autem omnia ita in perpetuum servabuntur, non obstante sententia summi Pontificis quam pro se Parisiensis Episcopus induceebat, vel aliis quibuslibet munimentis ab alterutra partium impetratis vel in posterum impetrandis. In hujus rei testimonium & perpetuam firmitatem duo scripta in eundem tenorem confecta sunt; quorum alterum habebit Ecclesia Parisiensis sub sigillis duobus, Abbatis videlicet & Capituli sanctæ Genovefæ; & reliquum habebit Ecclesia de Monte similiter sub duobus sigillis, Episcopi scilicet & Capituli beatæ Mariæ Parisiensis. Actum anno incarnati verbi M CC II. mense Iunio.

LITTERA ELIÆ ABBATIS SANCTÆ Columbæ Senonensis & Iohannis magistri Scholarum Aurelianensium commissariorum sedis apostolicæ super confirmatione compositionis & pacis prædictæ.

VNiversis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Helias Abbas sanctæ Columbæ Senonensis & Iohannes magister scholarum Aurelianensium, æternam in Domino salutem. Cùm rescriptum ad nos apostolicum emanasset ut compositionem quæ inter venerabiles viros Dominum Odonem Parisiensem Episcopum & Iohannem sanctæ Genovefæ Abbatem & eorum Ecclesias ac Capitula intercessit, sicut sine pravitate facta fuerat & à partibus sponte recepta, dummodo non vergeret in præjudicium sedis apostolicæ, confirmaremus, nos adhibito nobis consilio peritorum, formam compositionis ipsius tam Episcopi quàm Abbatis & Capitulorum suorum munitam sigillis diligenter inspeximus; cujus tenorem de verbo ad verbum præsenti paginæ duximus inserendum; videlicet quòd Parisiensis Episcopus habebit omne jus &c. *ut in præcedenti usque ad finem.* Facta igitur inquisitione plenaria super his de quibus summus Pontifex mandaverat à nobis inquiri, compositionem ipsam sine pravitate factam & à partibus sponte receptam invenimus, & Ecclesiam sanctæ Genovefæ in nullo damnificatam, nihilque quod in præjudicium sedis apostolicæ vergeret invenimus attentatum. Ideoque eandem compositionem, sicut in scriptis authenticis continetur & superiùs est expressa, auctoritate apostolica confirmamus. Actum anno Domini M CC II.

LITTERA FORMÆ COMPOSITIONIS & pacis inter Dominum Odonem Episcopum & Ecclesiam Parisiensem ex una parte & Iohannem Abbatem & Ecclesiam sanctæ Genovefæ ex altera.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Amen. Hæc est forma compositionis & pacis inter Dominum Odonem Episcopum & Ecclesiam Parisiensem ex una parte &c. *ut in præcedenti compositione usque ad finem.* Ego Iohannes Abbas Pontiniacensis authenticum scriptum inspexi munitum sigillis Abbatis sanctæ Genovefæ & Capituli, in quo idem de verbo ad verbum continebatur quod superiùs continetur. Et in hujus rei testimonium præsenti paginæ sigillum meum apposui. Ego Giraldus Abbas sacri Portus Cisterciensis ordinis authenticum scriptum inspexi munitum sigillis Abbatis sanctæ Genovefæ & Capituli, in quo idem de verbo ad verbum continebatur quod superiùs continetur. Et in hujus rei testimonium præsenti paginæ sigillum meum apposui. Ego Scbonius Abbas sancti Sulpitij Cisterciensis ordinis authenticum scriptum inspexi munitum sigillis Abbatis sanctæ Genovefæ & Capituli, in quo de verbo ad verbum continebatur quod superiùs continetur. Et in hujus rei testimonium præsenti paginæ sigillum meum apposui.

Sequentem quoque epistolam Innocentij III. qua, post relationem Heliæ Abbatis sanctæ Columbæ Senonensis & I. Magistri scholarum Aurelianensium, quos in hac causa delegaverat, compositionem istam confirmat, visum est isthic addere, quamvis data sit anno sexto pontificatus. Addentur etiam litteræ Odonis Episcopi Parisiensis, ex quibus constat eum Decano & Capitulo Parisiensi concessisse præbendam & vicariam quam Abbas & Capitulum sanctæ Genovefæ habebant antea in cathedrali Ecclesia Parisiensi.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Parisiensi & dilectis filiis Abbati sanctæ Genovefæ eorumque Capitulis salutem & apostolicam benedictionem. Cùm inter vos super jure parochiali in parochia de Monte, super * Capella sanctæ Genovefæ sita in civitate Parisiensi, & super procurationibus quas tu, frater Episcope, in parochialibus Ecclesiis tuæ diocesis ad prædictam Ecclesiam sanctæ Genovefæ de Monte spectantibus requirebas, fuisset quæstio diutiùs agitata, & post labores varios & expensas multiplices quas propter hoc sustinuistis utrinque, mediatibus bonis viris, salva tamen apostolicæ sedis reverẽtia, amicabili fuerit compositione sopita, tandẽ vobis humiliter postulantibus ut eidẽ compositioni vobis & Ecclesiis vestris nostræ manum cõfirmationis apponere dignaremur, dilectis filiis Heliæ Abbati S. Columbæ Senonensis & I. magistro scholarum Aurelianensiũ nostris dedimus litteris in mandatis ut si compositionem ipsam sine pravitate providè factam cognoscerent & hinc inde sponte re-

* S. Genovievæ des Ardents.

Vide suprà epist. 100.

ceptam, nec in præjudicium apostolicæ sedis, ad quam Ecclesia sanctæ Genovefæ nullo mediante pertinere dinoscitur, redundaret, vice nostra eam auctoritate apostolica confirmarent, id nobis postmodum per suas litteras insinuantes, ut & nos confirmaremus eandem cùm essemus pleniùs per eorum relationem instructi. Qui, sicut obedientiæ filij, legitimè in commisso sibi negotio procedentes, forma compositionis ejusdem & privilegiis Ecclesiæ sanctæ Genovefæ diligenter inspectis, compositionem ipsam invenientes secundùm quod præmisimus factam & hinc inde receptam, eam auctoritate nostra confirmare curarunt, sicut in eorum litteris pleniùs perspeximus contineri. Vnde pari desiderio & unanimi voluntate nobis humiliter supplicastis ut eidem compositioni manum confirmationis nostræ de benignitate sedis apostolicæ apponere dignaremur. Nos igitur quod per delegatos eosdem secundùm formam mandati nostri factum est ratum & firmum habentes, sæpedictam compositionem sine pravitate providè factam & à vobis sponte receptam, ut in scriptis authenticis exinde confectis pleniùs continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo &c. Datum Laterani VII. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

Odo Dei gratia Parisiensis Episcopus omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit æternam in Domino salutem. Ad universorum notitiam volumus pervenire quòd cùm venerabiles viri Abbas & Capitulum sanctæ Genovefæ præbendam & vicariam quam in Ecclesia beatæ Mariæ Parisiensis habebant, nobis & successoribus nostris ratione compositionis quæ inter nos & ipsos intercesserat contulissent penitùs & quitassent, nos postmodum tam præbendam quam vicariam memoratam dilectis fratribus nostris Hugoni Decano & Capitulo Parisiensi concessimus & quittavimus perpetuis temporibus possidendam, ut tam de præbenda quàm vicaria eisdem prout voluerint liceat ordinare; ita tamen quòd Capitulum supradictum, præter decem libras Parisiensis monetæ quas matricularis sacerdotibus in Ecclesia nostra à nobis noviter institutis habendas perpetuò contulerunt, eisdem matricularis septem libras Parisienses, & post cessionem vel decessum magistri Alberti sexaginta solidos ejusdem monetæ annuatim solvere tenebuntur. Vt igitur donatio ista & concessio perpetuo robore convalescat, præsentem chartam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum anno incarnati verbi MCCIV. pontificatus nostri anno septimo.

Suprà in epistola CXXVIII. *legitur Vuillelmum Dominum Montispessulani postulasse ab Innocentio III. uti liberos quos ex superinducta susceperat legitimationis dignaretur titulo decorare, exemplumque adductum fuisse Philippi Aug. Francorum Regis, cujus liberos ex superinducta susceptos idem Pontifex restituerat natalibus. Puto autem gratum me facturum studiosis istarum rerum si litteras Innocentij de legitimatione prolis Regis heic data occasione edidero, simulque quæ ab Episcopis Gallicanis gesta apud nos sunt post acceptas illas Innocentij litteras.*

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis & Episcopis per regnum Franciæ constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Apostolica sedes, quæ Deo disponente cunctorum fidelium mater est & magistra, prædecessorum nostrorum temporibus diversis causis inspectis, cum quibusdam minùs legitimè genitis dispensavit etiam ex adulterio procreatis; quos ad actus spirituales legitimans, in Pontifices quoque promoveri concessit. Cùm igitur major idoneitas in spiritualibus quàm in secularibus requiratur, dubitari non debet quin ipsa tales ad actus legitimare valeat seculares, præsertim ad petitionem eorum qui præter Romanum Pontificem alium inter homines superiorem minime recognoscunt habentem hujusmodi potestatem. Quoniam ergo carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum præter primogenitum suum, quem de conjuge prima susceperat, aliorum prolem non habet nisi puerum & puellam quos ei nobilis mulier quondam filia nobilis viri Ducis Meraniæ peperit nuper defuncta, de sua posteritate providè cogitans à nobis humiliter postulavit ut eos legitimare per favorem sedis apostolicæ curaremus, vehementer affirmans quòd postquam venerabilis frater noster Guillelmus Remensis Archiepiscopus, sanctæ Sabinæ Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legatus, inter eum ac carissimam filiam nostram Ingeburgem Reginam Francorum illustrem divortij sententiam promulgavit, licèt ipsa sententia per sedem apostolicam postmodum fuerit revocata propter judiciarium ordinem non servatum, nulla tamen ad ipsum de alia non ducenda prohibitio facta pervenit, & propter probationes affinitatis exhibitas coram eodem Archiepiscopo, quas idem Rex veras esse credebat, inter eum ac præfatam nobilem putabat esse vinculum conjugale, quamquam nostra fuerit auctoritate compulsus ut & ipsam dimitteret & Reginam reciperet memoratam. Nos igitur attendentes in eo devotionis constantiam & fidei puritatem quam à progenitoribus erga Romanam Ecclesiam quasi quodam hereditario jure contraxit, ut tam honori regiæ dignitatis quàm utilitati & necessitati regni Franciæ providè consulamus, prædictos puerum & puellam de speciali gratia legitimationis titulo de communi fratrum nostrorum consilio decoramus, ut nullus eis in naturalibus defectus

obsistat; ita videlicet ut per hoc nullum eidem Regi vel præfatæ Reginæ in matrimoniali causa præjudicium generetur. Vos ergo quod super hoc à nobis est provida deliberatione statutum, & vos ipsi firmiter observetis, & ab aliis faciatis per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari; & cùm ab eodem Rege fueritis requisiti, secundùm formam præscriptam solemniter publicetis. Datum Anagniæ xv. Nonas Novembris, pontificatus nostri anno quarto.

Littera Episcoporum Gallicanorum.

ODo Dei gratia Parisiensis Ecclesiæ minister humilis omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint tam clericis quàm laicis in perpetuum. Noverit universitas vestra quòd nos vidimus authenticum sanctissimi patris nostri Innocentij Papæ, in quo continetur quòd ipse filium & filiam excellentissimi Domini nostri Philippi Regis Francorum, quos ipse susceperat de Agnete filia nobilis Ducis Meraniæ, legitimationis titulo decoravit, ut nullus ex natalibus eis defectus obsistat. Nos verò, tamquam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ devoti filij, mandatum apostolicum humiliter suscipientes, eosque legitimos habentes, auctoritate apostolica, cujus in hac re mandatum suscepimus, excommunicavimus & anathematizavimus & à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ sequestravimus omnes illos qui aliquo modo huic sanctioni apostolicæ attentaverint contraire vel in aliquo derogare. Actum publicè Senonis anno gratiæ MCCI. mense Ianuario.

In eundem modum Petrus Archiepiscopus Senonensis, Garnerius Episcopus Trecensis, Ansellus Meldensis, Guillermus Nivernensis, Hugo Aurelianensis. Hugo Autissiodorensis, ita quòd unusquisque seorsim. Datum ut suprà.

In eundem modum Guillelmus Archiepiscopus Bituricensis & Robertus Episcopus Claromontensis, ita quòd unusquisque seorsim. Datum Bituriges anno MCCI. mense Ianuario.

In eundem modum Robertus Episcopus Laudunensis, Philippus Bellovacensis, Stephanus Noviomensis, Lambertus Morinensis, & Aymarus Suessionensis, ita quòd unusquisque seorsim. Datum Remis anno MCCX. mense Februario.


SECVNDA APPENDIX LIBRI QVINTI.

Epist. 163. De confirmatione privilegiorum.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Rogero Abbati monasterij beatorum Petri & Pauli sanctique Augustini quod juxta metropolim Dorobherniæ situm est, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regularem vitam professis in perpetuum. Licèt omnes Ecclesias ex injuncto nobis divinitus apostolatus officio diligere atque honorare generaliter debeamus & suam eis justitiam conservare, illis tamen propensiori cura nos convenit imminere quæ ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ specialiter pertinere noscuntur, cui auctore Domino deservimus. Hoc nimirum intuitu, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium in honore beatorum Apostolorum Petri & Pauli à gloriosæ memoriæ Æthelberto Anglorum Rege ad orientem Dornberniæ civitatis in suam sibique succedentium Regum ejusdemque urbis Præsulum sepulturam à fundamento constructum; & sub jurisdictione sedis apostolicæ sine medio constitutum, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Bonifacij, Adeodati, Agathonis, Iohannis, Calixti, Innocentij, Lucij, Eugenij, Alexandri, & Celestini Romanorum Pontificum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones quæcunque bona monasterium ipsum in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata consistant. Libertatem quoque ab eisdem prædecessoribus nostris per authentica privilegia eidem venerabili loco concessam nos auctore Deo ratam & inconcussam in posterum volumus conservari; & sicut monasterium ipsum in initiis nascentis Christianæ religionis apud regnum Anglorum in monasticæ religionis observantia extitit primum, ita nihilominus cum omnibus ad ipsum pertinentibus perpetuis futuris temporibus ab omni servitio liberum, ab omni mundiali strepitu maneat inconcussum, scilicet nec ecclesiasticis conditionibus sive angariis quibuslibet obsequiis secularibus aliquo modo subjaceat, neque ullus omnino in ejusdem monasterij dominium quolibet modo se ingerat, vel quamlibet imperandi sibi vindicet potestatem, vel aliquas molestias inferat, consuetudinem imponat, aut etiam in eo Missarum solemnia, nisi ab Abbate & fratribus invitatus, celebrare præsumat. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ad ejusdem loci regimen extraneus assumatur; nisi fortè, quod absit, in loco ipso idonea persona ad hujusmodi officium non poterit reperiri; sed de congregatione ipsa, & quem communis consensus fratrum seu pars consilij sanioris propria sibi elegerit voluntate, sine aliqua professionis exactione in monasterio benedicatur eodem.

Hæc igitur omnia, ſicut à jamdictis prædeceſſoribus noſtris conſtituta & privilegiorum ſuorum ſunt munimine roborata, ita & nos vobis veſtriſque ſucceſſoribus & per vos eidem monaſterio in perpetuum præſentis ſcripti pagina confirmamus. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei ac Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Datum Laterani per manum Blaſij S. R. Eccleſiæ Subdiaconi & Notarij II. Non. Novembris, Indictione V. incarnationis dominicæ anno MCCII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno quinto.

FINIS LIBRI QVINTI.



REGISTRUM DOMINI INNOCENTII III. SUPER NEGOTIO ROMANI IMPERII.

ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO, EPISCOPO Sabinensi.

Epist. 1. SOLIDATA in devotione sedis apostolicæ fides tua &c. in obsequiis probata tempore juventutis non deficiet &c. *ut supra lib. 11. epist.* CCXCIII.

UNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS quàm secularibus Principibus Alamaniæ.

Epist. 2. QUanta debeat esse concordia inter regnum & sacerdotium in se ipso Christus ostendit &c. *ut suprà lib. 11. epist.* CCXCIV.

LITTERÆ REGIS OTTONIS AD D. Papam.

Epist. 3. SAnctissimo in Christo Patri ac Domino spirituali Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Otto divina favente gratia Romanorum Rex & semper Augustus salutem ac filialis devotionis affectum cum debita reverentia. Navicula Petri quibusdam retro temporibus persecutionum fluctibus est agitata, & nisi Ecclesia Dei in petra Christo fundata fuisset & solidata, jam pravorum persecutionibus instabilis funditus corruisset. In ipsa etenim persecutione progenitor noster Henricus Dux Saxoniæ in fide sanctæ Romanæ Ecclesiæ indesinenter perseverans, & voluntati atque iniquæ dominationi Frederici quondam Imperatoris nullatenus acquiescens, matrem suam spiritualem, sanctam videlicet Romanam Ecclesiam, in omnibus est imitatus; ideoque prævalente impiorum persecutione, honoris sui dignitate privatus, exilio cum liberis & familiaribus suis addictus fuit & expositus. Volens igitur Dominus Ecclesiæ suæ statum in melius reformare & fidem ac devotionem jamdicti patris nostri in suis posteris remunerare, sua ineffabili clementia effecit quòd nos ab Optimatibus & Principibus imperii, ad quos de jure spectat electio, ad regni gubernacula ex inopinato vocati sumus & electi; in sede quoque Augustorum apud Aquisgranum locati, consecrationem & coronationem à manu Adolfi Coloniensis Archiepiscopi, præsentibus Principibus, ea qua decuit solemnitate cum plenitudine regiæ dignitatis accepimus. Cupientes igitur gressus nostros ab ipso dirigi per quem Reges regnant & potentes scribunt justitiam, dignum duximus ipsa electionis nostræ hora juramento firmare quòd possessiones & jura Romanæ Ecclesiæ aliarumque Ecclesiarum imperii firma & illibata servabimus, & quòd consuetudinem illam detestabilem, qua Episcoporum, Abbatum, Principum de hac vita migrantium bona tempore mortis relicta quidam nostri antecessores hactenus occupabant, omnino in posterum dimittemus, & de beneficentia nostra Principibus ecclesiasticis in perpetuum relaxamus. Petimus ergo & cum instantia paternitati vestræ supplicamus quatenus fidem ac devotionem nostram considerantes, merita quoque patris & avunculi nostri Regis Angliæ, qui nunquam ab obsequio Ecclesiæ Romanæ recesserunt, ad memoriam revocantes, injurias etiam Philippi Ducis Sueviæ quondam Ducis Tusciæ & patris & fratris ejus non dissimulantes, nos regiam dignitatem adeptos ad imperii consecrationem vocare dignemini, illos insuper Episcopos & Abbates ac laicos Principes qui jam dictum Philippum Ducem Sueviæ in excommunicatione vestra detentum in Regem nominare & fidelitatem ei jurare præsumpserunt, ab observatione illiciti juramenti absolvatis, & majestati nostræ obedire ecclesiastica censura compellatis, & excommunicationem ipsius Ducis Sueviæ per Theutoniam & universos fines imperii publicè denuntiari faciatis. Vestris quoque precibus, Pater sanctissime, altissimum exoretis ut vias & actus nostros in pace & tranquillitate dirigat, & quòd justitia, constantia, & veritas in corde nostro vigeat; ut per ipsius auxilium, de vultu Domini judicium nostrum prodeat, & promissum nostrum perpetua & inviolabili firmitate ad honorem Dei & Ecclesiæ ipsius nobis adimplere & conservare concedat. Ad hæc, paternitati vestræ significamus quòd dilectos & fideles nostros Legatos, videlicet G. Principem nostrum Abbatem Indensem, B. Præpositum Bunnensem, H. sancti Gereonis in Colonia Scholasticum, H. Priorem Verdinensem, & H. Aquilegiensem gloriosissimi Regis Angliæ avunculi nostri Capellanum, & fidelem nostrum M. de

Villa civem Mediolanenſem, pro conſummatione honoris noſtri ad veſtram tranſmittimus ſanctitatem. Quicquid igitur cum præfatis Legatis noſtris à veſtra tractatum vel ordinatum fuerit providentia, id majeſtatem noſtram in omnibus & per omnia ratum & firmum habituram præſentibus litteris ſanctitati veſtræ ſignificamus.

LITTERÆ REGIS ANGLIÆ.

Epiſt. 4. EXcellentiſſimo Domino ſuo & univerſali Patri Innocentio Dei gratia catholicæ Eccleſiæ ſummo Pontifici devotiſſimus ſuæ majeſtatis filius Richardus eadem gratia Rex Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, ſalutem, & debitum in omnibus cum reverentia & deſiderio famulatum. Quanta de apoſtolicæ gratia majeſtatis, tum per litteras ſpeciales, tum per fideles nuntios, tum etiam per interſigna munerum veſtrorum in interiorem ſinum & cubiculum animæ noſtræ plenior certitudo devenit, tantò præcordiis noſtris major exultatio veſtræque fiducia caritatis innaſcitur, qua non ſolùm ad referendas grates, verùm etiam ad exhibenda totius devotionis obſequia jugi reſponſione tenemur. Qualeſcumque etenim ceteri Reges & Principes veſtræ ſe paternitati exhibeant, nos & devotiſſimum filium veſtrum Ottonem nepotem noſtrum regnum & coronam regni Alemanniæ ad perpetuam devotionem veſtram & Eccleſiæ Romanæ nuper adeptum præceptis veſtris atque obſequiis inveniętis omnimodam mancipatos; nec vivunt in mundo duo Principes Chriſtiani qui adeo deſiderabiliter veſtræ majeſtati ſtudeant deſervire, & quorum miniſterio faciliùs poſſitis totius Chriſtianæ pacis adverſarios expugnare. Huc accedit quòd inter omnia & præ omnibus quibus ſpiritus noſter majori ſollicitudine ſtudioſiùs invigilat, & ad quorum efficientiam favorem apoſtolicum indulgentiùs inclinando ſuſpirat, ipſius eſt Ottonis negotium, ut ſcilicet de beneficio apoſtolicæ pietatis ad promotionem ipſius dexteram dignemini ſublevationis extendere, filium veſtrum devotiſſimum imperialis muneris diadematis inſignite. Nos enim, in quantum fides Chriſtiana & regalis devotio apud Deum & apud vos ipſamque Romanam Eccleſiam cavere poteſt aut poterit, quicquid ad nos ſpectat in anima & corpore & honore terreno pro ipſo vobis in perpetuum fœdus aſtringimus atque juxta diſpoſitionem veſtram & beneplacitum aſtringemus quòd vobis tamquam vero Domino ſuo & Eccleſiæ Romanæ debitam & juratam fidelitatem impendet, & quæcumque ab aliis Imperatoribus detracta ſunt & diminuta reſtituet, reſtituta quoque inviolabili firmitate ſervabit, omnemque pravitatem ſecularis potentiæ juxta conſilium veſtræ paternitatis eliminare curabit. Super præmiſſis autem & ſuper anulis quos nobis per Epiſcopum Lexovienſem veſtra tam nobilis quàm liberalis magnificentia deſtinavit, ſuper litteris etiam qualitates lapidum deſignantibus, coſque reddentibus, licèt admodum pretioſi exiſtant, longè ampliùs pretioſos, tamquam à ſupremo & ſuperexcellenti deſcriptore diſtinctos, grates totius cordis affectione referimus, & de tantæ dignationis veſtræ gratia glориamur; cuſ utinam vota cordis noſtri, quæ ad plenum per litteras aut nuntios explicare non poſſumus, viva voce, permittente Deo, & devotis obſequiis reſerare poſſemus; in cujus utique ſpe & deſiderio ſpiritus noſter aſſiduis vexationibus debellatus continuè refovetur, & ſalutari ſuſpenſus expectatione quieſcit. Dominus perſonam veſtram Eccleſiæ ſuæ diù ſervet incolumem.

Vide lib. 10. epiſt. 118.

LITTERÆ REGIS ANGLIÆ.

Epiſt. 5. SAnctiſſimo in Chriſto Patri Innocentio Dei gratia ſummo Pontifici Richardus eadem gratia Rex Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, ſalutem & ſinceram ſemper devotionem. Sanctitatem veſtram credimus non latere, totius etiam curiæ Romanæ, ſicut credimus, tenet memoria, quanto non minùs anteceſſorum noſtrorum quàm noſtra devotio ſanctæ ſedi apoſtolicæ & Romanæ præceptis Eccleſiæ affectu ſemper benigniſſimo fuerit alligata. Illud etiam paternitatis veſtræ novit diſcretio, quanto Ducis Saxoniæ pridem ſublati de medio Romanæ fuit Eccleſiæ ſemper devotio ſtudio dilectionis aſtricta. E contrario verò Imperatoris ultimi anteceſſorum ſuorum ſequentis veſtigia & in vexationibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non minori quàm pater ſuus repugnantia perſiſtentis cura fuit, ſicut & anteceſſorum ſuorum, præcepta apoſtolica non curare & jura ipſius intime non ſervare. Inde eſt quòd in ſanctitatis veſtræ conſpectu devotionis noſtræ ſpiritum totum ſupplicationibus exhaurientes quatenus Ottoni nepoti noſtro prælibati Ducis filio, quem ad regnum Alemanniæ celebris eorum vocavit electio quorum intereſt Regem eligere, & quem eorumdem conſenſus in loco ad hoc debito ſublimavit in Regem, favore veſtris apoſtolico conſentire & regnum ſibi Alemanniæ auctoritatis veſtræ munimine confirmare, electionem ipſius & coronationem approbantes, & propoſitum Ducis Sueviæ & ſequacium ſuorum ſuper hoc reprobantes. Velit itaque ſanctitas veſtra omnes qui eidem Duci in hac prærogativa ſua conſenſerint anathematis, ſi placet, vinculo innodare & … magnates apoſtolica commonitione ad hoc inducere ut ei tamquam domino ſine difficultate adhæreant, quem electio debita in loco debito coronavit. Hoc ſiquidem vobis in ſpiritu quo veſtri ſumus pollicemur, & nos ſuper hoc fidejuſſores ſtatuimus, quòd idem nepos noſter, dum noſtro conſilio acquieſcet, non ſolùm ſanctæ Romanæ Eccleſiæ jura conſervabit præſentialiter poſſeſſa, ſed in præterito habita ad ſtatum debitum revocabit. Teſte me ipſo apud Barnevillam XIX. die Auguſti.

LITTERÆ IOHANNIS RVSCÆ *Mediolanenſis Poteſtatis.*

CLementiſſimo Domino & Patri reverendiſſimo Innocentio divina diſpoſitione ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici Iohannes Ruſcha Mediolanenſis Poteſtas, ejus per omnia devotiſſimus, cum conſilio ejuſdem civitatis, cum vero animi famulatu tam promptum quàm fideliſſimum obſequium. Ex pagina litterarum Adolphi Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopi & aliorum plurimorum Principum inſinuatione indubitanter cognovimus quòd ipſi Principes, ad quos electio pertinet, ſæpius tractantes de Rege ſubrogando & ſubſtituendo, Dominum Ottonem Henrici Ducis Saxoniæ filium in inclitum Romanorum Regem unanimiter, ſicut ad eos de jure ſpectat electio, prout divinæ placuit diſpoſitioni, clementer elegerunt, & in conſuetam Auguſtorum ſedem ipſum collocaverunt. Verùm cùm ipſe & ejus prædeceſſores erga civitatem noſtram paternam & ſinceram ſemper habuerint affectionem, ut frequenter pluribus cognovimus experimentis, ſanctitati veſtræ, de qua fidem gerimus indubitatam, preces devotiſſimas ſuppliciter tranſmittimus ut nobiles & magnos ac honorabiles Alamanniæ viros, quos ipſe & Principes Theutonici ad veſtram clementiam tranſmittunt pro ejuſdem conſecratione & coronatione ac electione confirmanda, quam jure factam non ambigimus; adeo ejuſdem Domini Ottonis meritis & ſuorum prædeceſſorum, ac Domini Regis Angliæ, qui ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fideliſſimus ac devotiſſimus ſemper extitit, ac noſtræ civitatis interventu, quæ ad ſanctæ univerſalis Eccleſiæ Romanæ promotionem ac ſublimationem vigilans ac intendens jugiter perſeverabit, ſic benignè eos Legatos & ipſorum vota exaudiatis quòd debitè ad conſecrationem ſacri imperij ipſum ſine prorogatione convocetis; ut pro exauditis precibus, quæ jucundum fuerint ſortitæ eventum, innumerabiles gratiarum actiones obnoxij teneamur perpetuò veſtræ ſanctitati exhibere. Inſuper D. Monachus de Villa, noſtræ urbis magnus & nobilis civis, qui eſt vir providus & circumſpectus, pro hoc facto ad veſtram properat accedere clementiam cum eiſdem viris prudentibus. Quicquid ſuper iis ex parte noſtra veſtræ expoſuerit benignitati, eidem indubitanter fidem adhibeatis.

Epiſt. 6.

LITTERÆ BALDVINI *Comitis Flandriæ & Haynoviæ & Marchionis Namurciæ.*

SAnctiſſimo Patri ac domino Innocentio ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici Balduinus Comes Flandriæ & Haynoviæ & Marchio Namurciæ ſalutem & promptum cum omni devotione famulatum. Poſt obitum Henrici Imperatoris nos unà cum Principibus imperij, ad quos de jure ſpectat electio, de eligendo Rege ſæpius tractavimus. Poſt varios tandem affectus, ſicut Domino placuit, in ſereniſſimum Dominum noſtrum Regem Ottonem vobis & Eccleſiæ Romanæ devotiſſimum vota noſtra celeberrimè concurrerunt: qui poſtmodum in ſeda

Epiſt. 7.

Augustorum Aquisgrani coronationis ac consecrationis plenitudinem per manum Domini Coloniensis Archiepiscopi, cujus hoc interest, cum omni qua decuit solemnitate meruit obtinere. Nos igitur dicti Regis electionem quandoquidem justè factam esse non dubitamus, ratam habentes, terras nostras, quas de imperio tenemus, à manu sua recipientes, facto hominio illi fidelitatem juravimus. Sanctitati ergo vestræ, Pater Reverende, omni qua possumus affectione supplicamus quatenus rationabilem ipsius electionem, coronationem, ac consecrationem ratam habere volentes, eam confirmare atque ipsum Regem ad imperij consecrationem vocare paterna pietate dignemini, ut ad obsequium vestrum & Ecclesiæ Romanæ in perpetuum ampliùs invitemur & arctiùs obligemur.

LITTERÆ A. COMITIS DE Dasburg & Metensis.

Epist. 8. SAnctissimo Domino & Patri sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, & venerabilibus Dominis universis Cardinalibus, A. Comes de Dasburg & Metensis, debitam reverentiam, & paratum in omnibus obsequium. Cùm fuisset rebus humanis Henricus Imperator exemptus, nos & alij Principes Dominum Ottonem quondam Henrici Ducis Saxoniæ filium in Regem Romanorum elegimus, & ipsum ea qua decuit solemnitate per Dominum
Vide gesta Innoc. § 11. cap. 35. Adolphum Coloniensem Archiepiscopum apud Aquisgranum consecratum in sede regia, sicut à Karolo constitutum erat, locavimus. Rogamus ergo sanctitatem vestram ut habita consideratione ad miserias & oppressiones quas per novissimos Imperatores Fridericum & Henricum filium ejus sustinuimus, electionem Domini nostri Regis Ottonis confirmare & ad imperialem consecrationem vocare dignemini, & partem adversam à fidelitate quam Duci Sueviæ fecerunt absolvatis, & per censuram ecclesiasticam nostræ electioni consentire compellatis.

LITTERÆ COLONIENSIS Archiepiscopi.

Epist. 9. SAnctissimo Patri ac Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Adolphus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ minister humilis, devotum obsequium & orationes in Domino. Post obitum Henrici Imperatoris nos unà cum aliis Principibus de substituendo Rege sæpius tractantes quod sanctæ Romanæ Ecclesiæ expediret subditisque imperij, qualiter quoque priorum Imperatorum oppressiones evitare possemus sollicitè deliberavimus. Protendimus igitur animos nostros ad diversos imperij Principes, & sicut Domino placuit, serenissimum Dominum Ottonem Henrici Ducis Saxoniæ filium in Romanorum Regem rationabiliter elegimus. Postmodum verò in Augustorum sede Aquisgrani locavimus, & sicut debuimus, ea qua decuit solemnitate consecravimus ac coronavimus. Ipse verò Dominus Rex in timore Dei & reverentia sanctæ Ecclesiæ omnia jura Romanæ Ecclesiæ aliarumque Ecclesiarum bona fide conservare & manutenere juravit. Nobis etiam aliisque Episcopis pravam illam consuetudinem aliorum Imperatorum, qui decedentibus Episcopis & Abbatibus Principibus in mobilibus rebus seseque moventibus succedebant, liberaliter remisit. Paternitatem igitur vestram attentè rogamus quatenus rationabile factum nostrum aliorumque Principum qui de jure eligere debent attendentes, merita quoque Domini nostri Regis, patris ac fratris sui palatini, Regis quoque Angliæ avunculi sui, qui à servitio & unitate Ecclesiæ nunquam separati fuerunt, considerantes, quoque injurias Ducis Sueviæ, patris ac fratris ejus, non dissimulantes, magnos & honorabiles viros quos ipse ac Principes de communi consilio ad pedes sanctitatis vestræ transmittunt benignè recipiatis ac benigniùs remittatis, & rationabilem ipsius electionem, consecrationem, ac coronationem confirmetis, & ad imperij consecrationem vocetis, nostros quoque adversarios & Ecclesiæ à fidelitate Duci Sueviæ præstita absolvatis & nostro Regi obedire ecclesiastica censura compellatis. Nos etiam pro patrimonio Ecclesiæ Romanæ dimittendo ac conservando pro ipso Domino Rege spondemus atque fidejubemus.

LITTERÆ PRINCIPVM AC Baronum Alamanniæ Clericorum & laicorum.

SAnctissimo Patri ac Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ sedis summo Pontifici, Principes & Barones Alamanniæ Clerici & laici, debitam in Christo reverentiam & sinceritatem obsequij. Cùm placuisset ei qui aufert spiritum Principum, & magnus & terribilis est super Reges terræ, Dominum Henricum Imperatorem de medio auferre, necessarium nobis visum fuit de substituendo Rege tractatum & colloquium habere. Convenimus ergo sæpius, & miserias & oppressiones quas hactenus sustinueramus recensentes, per universos Principes regni animos nostros extendimus, & quid honori Ecclesiæ Dei & paci ac quieti subjectorum potissimùm expediret deliberantes, nunc unum nunc alium quasi finaliter eligere putabamus. Verùm quia non est prudentia, non est potentia, non est consilium nisi per Deum, placuit ei qui Abrahæ filium immolare volenti victimam providit, & David fratribus juniorem de postfœtantes accepit, atque Matthiam ex discipulorum numero ad sortem apostolatus elegit, serenissimum Dominum nostrum Ottonem quondam Henrici Ducis Saxoniæ filium ad regimen Romani imperij de terra peregrinationis suæ ex inopinato offerre nobis. Invocata itaque sancti spiritus gratia prædictum Dominum Ottonem, Christianæ fidei cultorem devotissimum, atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ Advocatum & defensorem fidelissimum, & judiciariæ potestatis observatorem justissimum, de longa & antiqua Regum prosapia ex utraque linea spectabiliter editum, ad Romani regni fastigium justè ac rationabiliter elegimus, & sicut debuimus, ipsius electioni consensimus, ipsumque in Augustorum sede à Karolo magno apud Aquisgranum huic dignitati deputata locavimus, & corona & regni diademate per manum Domini Adolfi Coloniensis Archiepiscopi ea qua decuit solemnitate scilicet decoravimus. Nos autem Principes, qui jam dictum Dominum Ottonem in Regem elegimus, feoda nostra quæ ab imperio tenemus à manu ipsius recipientes, hominium sibi fecimus & fidelitatem juravimus. Tantæ igitur dignitatis munus excellentissimus Princeps divinæ potiùs gratiæ quàm suis meritis ascribens, primitias hujus honoris offerens Domino, propria voluntate juramento firmavit in primis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, deinde omnium Ecclesiarum jura bona fide servare ac manutenere, & subjectos imperij exheredatos maximè & à suis possessionibus violenter ejectos in sua justitia pro posse juvare & conservare. Pravam insuper illam consuetudinem quam Imperatores antecessores sui in occupandis rebus mobilibus vel sese moventibus decedentium Episcoporum vel Abbatum Principum huc usque servaverant penitùs extirpans, nos ecclesiasticos Principes ab hac indebita vexatione regali benevolentia liberos dimisit, & decedentium bona suis successoribus servanda liberaliter statuit. Paternitati ergo vestræ dignum supplicare duximus quatenus fidem & devotionem Domini nostri Regis attendentes, merita quoque illustrissimi patris sui Henrici Ducis Saxoniæ, qui ab obsequio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ nunquam recessit, memoriter tenentes, paci & quieti vestræ & nostræ intuitu Dei ac nostri obsequij providentes, ipsius electionem & consecrationem auctoritate vestra confirmare & imperiali coronationi annuere paterna pietate dignemini. Sanctitatem insuper vestram obnixè rogamus quatenus Principes ac Barones à tam rationabili electione discordantes ecclesiastica censura ad concordiam revocetis, & ab illicita fidelitate partis adversæ clave Petri resolutos ad præstandam Domino nostro Regi fidelitatem & subjectionem auctoritate vestra compellatis. Vt autem à Domino Rege nostro jura Romanæ Ecclesiæ, ut prædictum est, integra & illibata serventur, nos in bona fide spondemus, & pro domino Rege nostro fidejubemus. Epist. 10.

† Ego Adolfus Coloniensis Archiepiscopus elegi & subscripsi. † Ego Gerardus Indensis Abbas elegi & subscripsi. † Ego Heribertus Vverdensis Abbas elegi & subscripsi. Ego Henricus Dux Lotharingiæ, qui & Brabantiæ, Marchio Romani Imperij, elegi & subscripsi. Ego Henricus Comes de Kuka consensi & subscripsi. † Ego Bernhardus Padeburnensis Episcopus elegi & subscripsi. † Ego Thietmarus Mindensis Episcopus elegi, & consecrationi cooperatus fui. † Ego Vvidikindus Corbeiensis Abbas elegi & subscripsi.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 11. GRatum gerimus & acceptum quòd tu & alij multi Principes Alemanniæ dilectos filios G. Abbatem Indensem, B. Bunnensem Præpositum, H. Priorem de Vverdr, H. sancti Gereonis scholasticum, M. de Villa civem Mediolanensem, & H. Capellanum quondam inclytæ recordationis Richardi Regis Anglorum, G. Canonicum sanctæ Mariæ ad gradus in Colonia, & magistrum P. viros providos & fideles, ad sedem apostolicam destinastis, per eos & litteras vestras & electionis modum & coronationis processum carissimi in Christo filij nostri Ottonis, quem elegistis in Regem, plenius intimantes, ac petentes ut quod à vobis factum fuerat ratum habentes & firmum, auctoritate vellemus apostolica confirmare, ac ipsum Ottonem ad suscipiendam coronam imperij vocaremus. Nos autem nuntios ipsos propter honorem imperij & tam ipsius Ottonis quam tuam & aliorum Principum, à quibus missi fuerant, devotionem, honestatem etiam & probitatem ipsorum, benignè recepimus, & sicut ipsi referre poterunt, curavimus benignius pertractare. Id autem per hæc apostolica scripta tam tibi quàm ipsis duximus respondendum, quòd ad honorem & profectum ipsius libenter & efficaciter, quantum cum Deo poterimus, intendemus, sperantes quòd ipse, sicut catholicus Princeps, in devotione quam progenitores ipsius circa Romanam Ecclesiam habuerunt non solùm persistere sed proficere cum honoris augmento curabit. Datum Laterani XIII. Kalendas Iunij, pontificatus nostri anno secundo.

In eundem modum Comiti Flandriæ.

In eundem modum Duci Lotharingiæ & Brabantiæ Marchioni.

In eundem modum Abbati Verdensi, Mindensi Episcopo, Padeburnensi Episcopo, Comiti palatino Rheni, Comiti de Dasburg, ita quòd unicuique seorsim.

Scriptum est super hoc aliis quàm pluribus Principibus Alemanniæ in eundem ferè modum.

Bremensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus. Gratum gerimus & acceptum quòd venerabilis frater noster Coloniensis Archiepiscopus & alij multi Principes Alemanniæ dilectos filios &c. *in eundem ferè modum usque in finem.*

LITTERÆ PHILIPPI.

Epist. 12. REverendo in Christo Patri & Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Philippus Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus salutem & filialem devotionem. Paternitatis vestræ nuntios Sutrinensem Episcopum & Abbatem sanctæ Anastasiæ, viros religiosos & discretos, quos ad nostram destinastis præsentiam, benignè recepimus, tum propter vestram & Romanæ Ecclesiæ reverentiam, tum etiam ob ipsorum honestatem, & ea quæ ex parte vestra ipsi nobis intimarunt ad plenum liquidoque collegimus intellectu. Quòd autem præfatos viros tandiu nobiscum detinuimus, nec eos vestræ remisimus sanctitati, scire vos cupimus id aliâ de causa non accidisse nisi quòd nostrorum hactenus præstolantes finem negotiorum, vobis eos post hæc remittere disposueramus, & per eos quid Ecclesiæ & imperij commodis conduceret & dilectionem discretioni vestræ insinuare. At nunc, quia divina faciente clementia, per quam universos actus nostros cupimus feliciter prosperari, honor noster debitum sumpsit incrementum, & quicquid contra nos adversitatis hactenus emerserat penè sopivimus & pro nostra credimus deducere voluntate, accepto consilio familiarium nostrorum & fidelium curiæ nostræ prænominatos viros ad vos usque remittimus; de quorum non immeritò confidentes prudentia, verbum nostrum per eos vestræ edisserendum duximus sanctitati, rogantes attentiùs & hortantes vos ut verbis ipsorum fidem adhibeatis indubitatam, & ea quæ à nobis acceperant vobis proponenda piè, sicut convenit, & affectuose audire procuretis.

LITTERÆ PHILIPPI REGIS *Francorum.*

SAnctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici, carissimo consanguineo nostro, Philippus eadem gratia Francorum Rex, salutem, & tam debitæ quàm devotæ subjectionis obsequium. Novit sancta paternitas vestra, novit & mundus quomodo nos & progenitores nostri Ecclesiæ Romanæ obedientiam, reverentiam, & in omnibus & per omnia exhibuimus famulatum, nec unquam cessavit devotio nostra, nec cessabit. quod non solum tempore serenitatis, sed & adversitatis, nos & regnum nostrum efficaciter comprobavit. Inde est quòd nos de meritis regni nostri & prædecessorum nostrorum & nostris plenius confidentes, sanctitatem vestram quanta possumus affectione rogamus & attentiùs supplicamus quatenus devotionem nostram & patrum nostrorum, regni etiam nostri sincetiùs intuentes, vice mutua nos & regnum nostrum & negotia/honorem nostrum contingentia oculo benignitatis vestræ dignemini contemplari. Ad hæc, cùm Rex Angliæ per fas & nefas pecunia sua mediante nepotem suum ad imperialem apicem conetur intrudere, vos nullatenus intrusionem illam, si placet, debetis admittere quod in opprobrium & detrimentum coronæ nostræ cognoscitur redundare; nec nos credimus quòd vos quicquam in præsenti statu in præjudicium nostrum debeatis statuere, cùm nos vel nostri nihil unquam contra Romanam Ecclesiam attentaverimus, nec unquam per Dei gratiam curabimus attentare. Porro de Philippo Rege Alemanniæ noverit sanctitas vestra quòd si aliquando pater ejus vel frater Romanam Ecclesiam in aliquo offenderint, nos dolemus. De querelis autem quæ inter Ecclesiam & imperium diutiùs agitatæ sunt prædictus Rex Alemanniæ Philippus consilio nostro, sicut asserit, paratus est acquiescere, & pro vestra gratia & Ecclesiæ obtinenda in terris, castellis, possessionibus, pecunia etiam competenti, de consilio nostro se perpetuo fœdere vobis & Ecclesiæ obligare. Quòd si ipse in hoc consilio nostro non acquiesceret, ipse nos nullatenus amicum inveniret. Ad hæc, de mandato vestro & auctoritate usque ad quinquennium treugas dedimus & fiduciavimus, tamquam qui nolumus in iis vel in aliis voluntati apostolicæ contraire, & sicut lator præsentium & alij vobis poterunt intimare, mandatum vestrum firmiter sumus prosecuti. Epist. 13.

LITTERÆ PRINCIPVM *Alemanniæ.*

REverendo in Christo Patri & Domino Innocentio sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Germaniarum Principes & magnates, in Christo filij, Magdeburgensis Archiepiscopus, Treverensis Archiepiscopus, Bisuntinæ sedis Archiepiscopus, Ratisponensis Episcopus, Frisingensis Episcopus, Augustensis Episcopus, Constantiensis Episcopus, Eistedensis Episcopus, Vvormatiensis Episcopus, Spirensis Episcopus, Brixiensis electus, Hildesemensis Episcopus imperialis aulæ Cancellarius, Abbas Fuldensis, Abbas Hersveldensis, Abbas de Tegerse, Abbas Elvvacensis, item Rex Boëmiæ, Dux Saxoniæ, Dux Bavvariæ, Dux Austriæ, Dux Meraniæ, Dux Lotharingiæ, Marchio Missenensis, Marchio Brandeburgensis, Marchio Moraviæ, Marchio de Rumespere, aliique totius Alemanniæ nobiles, debitum & paratum cum omni devotione & obsequio famulatum. Apostolicæ beatitudinis eminentia, quæ piis supplicantium desideriis & affectibus gratam semper consuevit impertire benevolentiam & assensum, firmam universitati nostræ certitudinem administrat quòd in iis quæ à sanctitate vestra justissimè postulamus benignitatem apostolicam debeamus & in exaudiendo persentire facilem & in exequendo quod Epist. 14.

petimus

petimus fructuosam. Quocirca magnitudini vestræ anximus declarandum quòd mortuo inclito Domino nostro Henrico Romanorum Imperatore Augusto, collecta multitudine Principum, ubi nobilium & ministerialium imperij numerus aderat copiosus, illustrem Dominum nostrum Philippum in Imperatorem Romani solij rite & solemniter elegimus, quo nec ingenuitate sublimiorem nec honorum luce magis conspicuum neque ad sceptra & regimina sacri imperij gubernacula nec ad Ecclesiam Dei, sicut dignum est & expedit, defensandam potiorem potuimus invenire. Verùm quoniam propter paucos Principes justitiæ resistentes ad negotia imperij utiliter pertractanda ad hæc usque tempora non convenimus, nunc deliberatione habita cum prædicto Domino nostro Rege Philippo apud Nurenberc solemnem curiam celebravimus, unanimiter, ita Domino nostro, disponente altissimo, contra turbatores suos adjutorium præstitum quòd nullus in imperio & in terris quas serenissimus frater suus habuit ipsius audebit dominium recusare. Quocirca dignitatis apostolicæ clementiam omni studio & attentione rogamus ut precum nostrarum interventu, qui Romanæ Ecclesiæ statum optimum semper diligimus, ad jura imperij manum cum injuria nullatenus extendatis, diligentiùs attendentes quòd non sustinemus jus Ecclesiæ ab aliquo diminui aut infringi. Igitur favorem vestrum & benevolentiam excellentissimo Domino nostro fructuosiùs impendatis, & ejus honores ac commoda ita, ubi potestis, erigere dignemini cum effectu ut justitiæ non dominetur iniquitas, sed subdatur semper falsitas veritati. Monemus insuper & precamur ut dilecto amico nostro devoto & fi-
Vide lib. 1. epist. 169. & gesta Innoc. III. cap. 24.
deli Domini nostri Regis Philippi Marcualdo Marchioni Aochonensi, Duci Ravennensi, procuratori regni Siciliæ, imperialis aulæ Senescalco, in negotiis Domini nostri apostolicam præstetis benevolentiam & favorem, nec resistentibus ei præbeatis adjutoria, sicut de vestra confidimus sanctitate; certissimè scientes quòd omnibus viribus quibus possumus Romam in brevi cum ipso Domino nostro divinitate propitia veniemus pro imperatoriæ coronationis dignitate ipsi sublimiter obtinenda. Hæc omnia vobis tam ex nostra, qui præsentes existimus, quàm ex parte aliorum Principum scripsimus, quorum nuntios & litteras habuimus; qui etiam Domino nostro fidelitatem fecerunt & hominium; quorum nomina sunt hæc. Patriarcha Aquilegiensis, Archiepiscopus Bremensis, Verdensis, Halverstadensis, Merseburgensis Episcopi, Nuvvenburgensis, Monasteriensis, Osnaburgensis, Babeburgensis Episcopi, Pataviensis, Curiensis, Tridentinus Episcopi, Metensis, Tullensis, Verdunensis, Leodiensis Episcopi, Comes Palatinus Burgundiæ, Dux Carangiæ, Dux Karinthiæ, Dux de Bites, Marchio de Lannespere, Marchio de Volebere, Comes Palatinus de Tuing, Comes Palatinus de Vvitelinesbach, & alij quamplures Comites & nobiles, quorum hic nomina reticemus. Datum Spiræ v. Kal. Iunij.

PRINCIPIBVS ALAMANNIÆ.

Epist. 15. Litteræ quæ nobis fuerunt ex parte quorundam vestrum per dilectum filium P. Iudicem Placentinum nuper oblatæ diligenter investigantibus in multis apparuere suspectæ; sicut idem Iudex, qui causas suspicionis à nobis audivit, viva voce vobis poterit explicare. Quatuor autem capitula memoratæ litteræ principaliter continebant, ad quæ per ordinem de consueta benignitate sedis apostolicæ duximus respondendum. In primo capitulo exprimebatur quomodo multi Principes Alemanniæ nobilem virum Philippum Ducem Sueviæ sibi præfecerunt per electionem in Regem, cui postulabant à nobis favorem apostolicum impertiri. In secundo rogabant ut non extenderemus manus nostras ad jura imperij cum injuria, cùm ipsi jura Ecclesiæ vellent illibata servari. In tertio intimabant quòd Romam erant in brevi venturi pro corona imperij præfato Philippo solemniter obtinenda. In quarto monebant ut Marchioni præstaremus benevolentiam & favorem, nec ei resistentibus auxilium præberemus. Nos autem, sicut per alias vobis litteras meminimus pleniùs intimasse, super discordia quæ inter vos peccatis exigentibus est suborta paterna compassione dolemus, cùm ex ipsa, nisi Deus averterit, multa prævideamus pericula proventura. Audivimus tamen & merita electorum & studia eligentium, videlicet quis & qualis, à quibus & qualiter sit electus, ubi & a quo etiam coronatus; ut non peniùs ignoremus si cui favor sit apostolicus impendendus. Fuerunt autem quidam homines pestilentes, & adhuc multi sunt tales, qui nunquam vellent videre concordiam inter Ecclesiam & imperium, ut liberiùs suas possent iniquas perficere voluntates, mentientes quòd nos ad diminutionem & depressionem imperij nequiter laboremus, cùm potiùs ad promotionem & conservationem ipsius efficaciter intendamus; quia licèt quidam Imperatores Ecclesiam vehementer afflixerint, alij tamen eam multipliciter honorarunt; atque otinam ita nobis Ecclesiæ jura servata fuissent illæsa sicut nos imperij volumus illibata jura servari: quia sic jura nostra & recuperare volumus & servare ut aliena nec invadere nec impedire velimus. Cùm autem imperialis corona sit à Romano Pontifice concedenda, eo rite priùs electo in Principem & priùs in Regem legitimè coronato, talem secundùm antiquam & approbatam consuetudinem libenter ad coronam suscipiendam vocabimus, & iis de more perfectis quæ ad coronationem Principis exiguntur, eam sibi favente Domino solemniter conferemus. Dignum verò responsione non credimus quod scriptum fuit super negotio Marchionis, cùm, si pleniùs iis qui scripserunt ejus iniquitas & perfidia patuissent, non pro ipso sed contra ipsum nos debuissent per suas litteras exorare, quia juramenta quæ jam tertiò nobis exhibuit tamquam perfidus violavit, atque regnum Siciliæ, quod ad jus & proprietatem apostolicæ sedis non est dubium pertinere, contra fidelitatem & hominium quæ fecerat carissimo in Christo filio nostro Friderico illustri Regi Siciliæ ratione terræ quam tenebat in regno, & nobis & ipsi moliebatur auferre, volens se ipsum, sicut pro certo cognovimus, facere Regem; qui cujus conditionis existat, vestra prudentia non ignorat. Propter quod & ab in- Vide gesta Innoc. III. cap. 31.
clitæ recordationis Constantia Imperatrice meruit publicè diffidari, & à nobis propter hæc & alia facinora, quæ in gravem imperij commisit & committit injuriam, cum suis fautoribus excommunicationis laqueis irretiri; qui suis exigentibus culpis ita cum suis fautoribus per Dei gratiam est compressus ut quasi diffidens longè aliud cogitare cogatur. Monemus ergo vestram universitatem & exhortamur in Domino quatenus in devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tamquam speciales filij persistentes, de ipsa quid rectum & honestum est sentiatis, avertentes aures ab iis qui fallaciis & mendaciis innocentiam & justitiam subvertere moliuntur: quia per merita beatissimi Petri, cui, licèt indigni, successimus in apostolatus officio, præcedente Christi gratia & sequente illa curabimus diligenter efficere quæ ad divini nominis gloriam, apostolicæ sedis honorem, im-

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 11. GRatum gerimus & acceptum quòd tu & alij multi Principes Alemanniæ dilectos filios G. Abbatem Indensem, B. Bunnensem Præpositum, H. Priorem de Vverdt, H. sancti Gereonis scholasticum, M. de Villa civem Mediolanensem, & H. Capellanum quondam inclytæ recordationis Richardi Regis Anglorum, G. Canonicum sanctæ Mariæ ad gradus in Colonia, & magistrum P. viros providos & fideles, ad sedem apostolicam destinastis, per eos & litteras vestras & electionis modum & coronationis processum carissimi in Christo filij nostri Ottonis, quem elegistis in Regem, plenius intimantes, appetentes ut quod à vobis factum fuerat ratum habentes & firmum, auctoritate vellemus apostolica confirmare, ac ipsum Ottonem ad suscipiendam coronam imperij vocaremus. Nos autem nuntios ipsos propter honorem imperij & tam ipsius Ottonis quam tuam & aliorum Principum, à quibus missi fuerant, devotionem, honestatem etiam & probitatem ipsorum, benignè recepimus, & sicut ipsi referre poterunt, curavimus benignius pertractare. Id autem per hæc apostolica scripta tam tibi quàm ipsis duximus respondendum, quòd ad honorem & profectum ipsius libenter & efficaciter, quantum cum Deo poterimus, intendemus, sperantes quòd ipse, sicut catholicus Princeps, in devotione quam progenitores ipsius circa Romanam Ecclesiam habuerunt non solùm persistere sed proficere cum honoris augmento curabit. Datum Laterani XIII. Kalendas Iunij, pontificatus nostri anno secundo.

In eundem modum Comiti Flandriæ.

In eundem modum Duci Lotharingiæ & Brabantiæ Marchioni.

In eundem modum Abbati Verdensi, Mindensi Episcopo, Padeburnensi Episcopo, Comiti palatino Rheni, Comiti de Dasburg, ita quòd unicuique seorsim.

Scriptum est super hoc aliis quàm pluribus Principibus Alemanniæ in eundem ferè modum.

Bremensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus. Gratum gerimus & acceptum quod venerabilis frater noster Coloniensis Archiepiscopus & alij multi Principes Alemanniæ dilectos filios &c. *in eundem ferè modum usque in finem.*

LITTERÆ PHILIPPI.

Epist. 12. REverendo in Christo Patri & Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Philippus Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus salutem & filialem devotionem. Paternitatis vestræ nuntios Sutrinensem Episcopum & Abbatem sanctæ Anastasiæ, viros religiosos & discretos, quos ad nostram destinastis præsentiam, benignè recepimus, tum propter vestram & Romanæ Ecclesiæ reverentiam, tum etiam ob ipsorum honestatem, & ea quæ ex parte vestra ipsi nobis intimarunt ad plenum liquidoque collegimus intellectu. Quòd autem præfatos viros tamdiu nobiscum detinuimus, nec eos vestræ remisimus sanctitati, scire vos cupimus id alia de causa non accidisse nisi quòd nostrorum hactenus præstolantes finem negotiorum, vobis eos post hæc remittere disposueramus, & per eos quid Ecclesiæ & imperij commodis conduceret & dilectionem discretioni vestræ insinuare. At nunc, quia divina faciente clementia, per quam universos actus nostros cupimus feliciter prosperari, honor noster debitum sumpsit incrementum, & quicquid contra nos adversitatis hactenus emerserat penè sopivimus & pro nostra credimus deducere voluntate, accepto consilio familiarium nostrorum & fidelium curiæ nostræ prænominatos viros ad vos usque remittimus; de quorum non immeritò confidentes prudentia, verbum nostrum per eos vestræ edisserendum duximus sanctitati, rogantes attentiùs & hortantes vos ut verbis ipsorum fidem adhibeatis indubitatam, & ea quæ à nobis acceperunt vobis proponenda piè, sicut convenit, & affectuosè audire procuretis.

LITTERÆ PHILIPPI REGIS *Francorum.*

Epist. 13. SAnctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici, carissimo consanguineo nostro, Philippus eadem gratia Francorum Rex, salutem, & tam debitæ quàm devotæ subjectionis obsequium. Novit sancta paternitas vestra, novit & mundus quomodo nos & progenitores nostri Ecclesiæ Romanæ obedientiam, servitium, & in omnibus & per omnia exhibuimus famulatum, nec unquam cessavit devotio nostra, nec cessabit. quod non solùm tempore serenitatis, sed & adversitatis, nos & regnum nostrum efficaciter comprobavit. Inde est quòd nos de meritis regni nostri & prædecessorum nostrorum & nostris plenius confidentes, sanctitatem vestram quanta possumus affectione rogamus & attentiùs supplicamus quatenus devotionem nostram & patrum nostrorum, regni etiam nostri sinceriùs intuentes, vice mutua nos & regnum nostrum & negotia honorem nostrum contingentia oculo benignitatis vestræ dignemini contemplari. Ad hæc, cùm Rex Angliæ per fas & nefas pecunia sua mediante nepotem suum ad imperialem apicem conetur intrudere, vos nullatenus intrusionem illam, si placet, debetis admittere quod in opprobrium & detrimentum coronæ nostræ cognoscitur redundare, nec nos credimus quòd vos quicquam in præsenti statu in præjudicium nostrum debeatis sustinere, cùm nos vel nostri nihil unquam contra Romanam Ecclesiam attentaverimus, nec unquam per Dei gratiam curabimus attentare. Porrò de Philippo Rege Alemanniæ noverit sanctitas vestra quòd si aliquando pater ejus vel frater Romanam Ecclesiam in aliquo offenderint, nos dolemus. De querelis autem quæ inter Ecclesiam & imperium diutiùs agitatæ sunt prædictus Rex Alemanniæ Philippus consilio nostro, sicut asserit, paratus est acquiescere, & pro vestra gratia & Ecclesiæ obtinenda in terris, castellis, possessionibus, pecunia etiam competenti, de consilio nostro se perpetuo fœdere vobis & Ecclesiæ obligare. Quòd si ipse in hoc consilio nostro non acquiesceret, ipse nos nullatenus amicum inveniret. Ad hæc, de mandato vestro & auctoritate usque ad quinquennium treugas dedimus & fiduciavimus, tamquam qui nolumus in iis vel in aliis voluntati apostolicæ contraire, & sicut lator præsentium & alij vobis poterunt intimare, mandatum vestrum firmiter fuimus prosecuti.

LITTERÆ PRINCIPVM *Alemanniæ.*

Epist. 14. REverendo in Christo Patri & Domino Innocentio sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Germaniarum Principes & magnates, in Christo filij, Magdeburgensis Archiepiscopus, Treverensis Archiepiscopus, Bisuntinæ sedis Archiepiscopus, Ratisponensis Episcopus, Frisingensis Episcopus, Augustensis Episcopus, Constantiensis Episcopus, Eistedensis Episcopus, Vvormatiensis Episcopus, Spirensis Episcopus, Brixiensis electus, Hildesemensis Episcopus imperialis aulæ Cancellarius, Abbas Fuldensis, Abbas Herfveldensis, Abbas de Tegerse, Abbas Elvvacensis, item Rex Boëmiæ, Dux Saxoniæ, Dux Bavvariæ, Dux Austriæ, Dux Meraniæ, Dux Lotharingiæ, Marchio Missenensis, Marchio Brandeburgensis, Marchio Moraviæ, Marchio de Rumesperc, aliique totius Alemanniæ nobiles, debitum & paratum cum omni devotione & obsequio famulatum. Apostolicæ beatitudinis eminentia, quæ piis supplicantium desideriis & affectibus gratam semper consuevit impertiri benevolentiam & assensum, firmam universitati nostræ certitudinem administrat quòd in iis quæ à sanctitate vestra jastissimè postulamus benignitatem apostolicam debeamus & in exaudiendo persentire facilem & in exequendo quod

petimus

petimus fructuosam. Quocirca magnitudini vestræ anximus declarandum quòd mortuo inclito Domino nostro Henrico Romanorum Imperatore Augusto, collecta multitudine Principum, ubi nobilium & ministerialium imperij numerus aderat copiosus, illustrem Dominum nostrum Philippum in Imperatorem Romani solij rite & solemniter elegimus, quo nec ingenuitate sublimiorem nec honorum luce magis conspicuum neque ad sceptra & regimina sacri imperij gubernacula nec ad Ecclesiam Dei, sicut dignum est & expedit, defensandam potiorem potuimus invenire. Verùm quoniam propter paucos Principes justitiæ resistentes ad negotia imperij utiliter pertractanda ad hæc usque tempora non convenimus, nunc deliberatione habita cum prædicto Domino nostro Rege Philippo apud Nurenberc solemnem curiam celebravimus, unanimiter, ita Domino nostro, disponente altissimo, contra turbatores suos adjutorium præstituri quòd nullus in imperio & in terris quas serenissimus frater suus habuit ipsius audebit dominium recusare. Quocirca dignitatis apostolicæ clementiam omni studio & attentione rogamus ut precum nostrarum interventu, qui Romanæ Ecclesiæ statum optimum semper dileximus, ad jura imperij manum cum injuria nullatenus extendatis, diligentiùs attendentes quòd non sustinemus jus Ecclesiæ ab aliquo diminui aut infringi. Igitur favorem vestrum & benevolentiam excellentissimo Domino nostro fructuosiùs impendatis, & ejus honores ac commoda ita, ubi potestis, erigere dignemini cum effectu ut justitiæ non dominetur iniquitas, sed subdatur semper falsitas veritati. Monemus insuper & precamur ut dilecto amico nostro devoto & fideli Domini nostri Regis Philippi Marcualdo Marchioni Anchonensi, Duci Ravennensi, procuratori regni Siciliæ, imperialis aulæ Senescalco, in negotiis Domini nostri apostolicam præstetis benevolentiam & favorem, nec resistentibus ei præbeatis adjutoria, sicut de vestra confidimus sanctitate; certissimè scientes quòd omnibus viribus quibus possumus Romam in brevi cum ipso Domino nostro divinitate propitia veniemus pro imperatoriæ coronationis dignitate ipsi sublimiter obtinenda. Hæc omnia vobis tam ex nostra, qui præsentes existimus, quàm ex parte aliorum Principum scripsimus, quorum nuntios & litteras habuimus; qui etiam Domino nostro fidelitatem fecerunt & hominium; quorum nomina sunt hæc. Patriarcha Aquilegiensis, Archiepiscopus Bremensis, Verdensis, Halverstadensis, Merseburgensis Episcopi, Nuvvenburgensis, Munasteriensis, Osnaburgensis, Babeburgensis Episcopi, Pataviensis, Curiensis, Tridentinus Episcopi, Metensis, Tullensis, Verdunensis, Leodiensis Episcopi, Comes Palatinus Burgundiæ, Dux Casingiæ, Dux Karinthiæ, Dux de Bites, Marchio de Lausnespere, Marchio de Vuliebere, Comes Palatinus de Tuing, Comes Palatinus de Vvitelinesbach, & alij quamplures Comites & nobiles, quorum hic nomina reticemus. Datum Spiræ v. Kal. Iunij.

Vide lib. 2. epist. 168. & gesta Innoc. III. cap. 24.

PRINCIPIBVS ALAMANNIÆ.

Epist. 25.

LItteræ quæ nobis fuerunt ex parte quorundam vestrum per dilectum filium P. Iudicem Placentinum nuper oblatæ diligenter investigantibus in multis apparuere suspectæ; sicut idem Iudex, qui causas suspicionis à nobis audivit, viva voce vobis poterit explicare. Quatuor autem capitula memoratæ litteræ principaliter continebant, ad quæ per ordinem de consueta benignitate sedis apostolicæ duximus respondendum. In primo capitulo exprimebatur quomodo multi Principes Alemanniæ nobilem virum Philippum Ducem Sueviæ sibi præfecerunt per electionem in Regem, cui postulabant à nobis favorem apostolicum impertiri. In secundo rogabant ut non extenderemus manus nostras ad jura imperij cum injuria, cùm ipsi jura Ecclesiæ vellent illibata servari. In tertio intimabant quòd Romam erant in brevi venturi pro corona imperij præfato Philippo solemniter obtinenda. In quarto monebant ut Marchioni præstaremus benevolentiam & favorem, nec ei resistentibus auxilium præberemus. Nos autem, sicut per alias vobis litteras meminimus pleniùs intimasse, super discordia quæ inter vos peccatis exigentibus est suborta paterna compassione dolemus, cùm ex ipsa, nisi Deus avertent, multa prævideamus pericula proventura. Audivimus tamen & merita electorum & studia eligentium, videlicet quis & qualis, à quibus & qualiter sit electus, ubi & a quo etiam coronatus; ut non penitùs ignoremus si cui favor sit apostolicus impendendus. Fuerunt autem quidam homines pestilentes, & adhuc multi sunt tales, qui nunquam vellent videre concordiam inter Ecclesiam & imperium, ut liberiùs suas possent iniquas perficere voluntates, mentientes quòd nos ad diminutionem & depressionem imperij nequiter laboremus, cùm potiùs ad promotionem & conservationem ipsius efficaciter intendamus; quia licèt quidam Imperatores Ecclesiam vehementer afflixerint, alij tamen eam multipliciter honorarunt; atque utinam ita nobis Ecclesiæ jura servata fuissent illæsa sicut nos imperij volumus illibata jura servari: quia sic jura nostra & recuperare volumus & servare ut aliena nec invadere nec impedire velimus. Cùm autem imperialis corona sit à Romano Pontifice concedenda, eo rite priùs electo in Principem & priùs in Regem legitimè coronato, talem secundùm antiquam & approbatam consuetudinem libenter ad coronam suscipiendam vocabimus, & iis de more perfectis quæ ad coronationem Principis exiguntur, eam sibi favente Domino solemniter conferemus. Dignum verò responsione non credimus quod scriptum fuit super negotio Marchionis, cùm, si pleniùs iis qui scripserunt ejus iniquitas & perfidia patuissent, non pro ipso sed contra ipsum nos debuissent per suas litteras exorare, quia juramenta quæ jam tertiò nobis exhibuit tamquam perfidus violavit, atque regnum Siciliæ, quod ad jus & proprietatem apostolicæ sedis non est dubium pertinere, contra fidelitatem & hominium quæ fecerat carissimo in Christo filio nostro Friderico illustri Regi Siciliæ ratione terræ quam tenebat in regno, & nobis & ipsi moliebatur auferre, volens se ipsum, sicut pro certo cognovimus, facere Regem; qui cujus conditionis existat, vestra prudentia non ignorat. Propter quod & ab inclitæ recordationis Constantia Imperatrice meruit publicè diffidari, & à nobis propter hæc & alia facinora, quæ in gravem imperij commisit & committit injuriam, cum suis fautoribus excommunicationis laqueis irretiri; qui suis exigentibus culpis ita cum suis fautoribus per Dei gratiam est compressus ut quasi diffidens longè aliud cogitare cogatur. Monemus ergo vestram universitatem & exhortamur in Domino quatenus in devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tamquam speciales filij persistentes, de ipsa quid rectum & honestum est sentiatis, avertentes aures ab iis qui fallaciis & mendaciis innocentiam & justitiam subvertere moliuntur; quia per merita beatissimi Petri, cui, licèt indigni, successimus in apostolatus officio, præcedente Christi gratia & sequente illa curabimus diligenter efficere quæ ad divini nominis gloriam, apostolicæ sedis honorem, im-

Vide gesta Innoc. III. cap. 25.

perialis excellentiæ magnitudinem, ſalutem animarum & corporum redundabunt.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 16. MIrabile gerimus & indignum quòd cùm de ſtatu regni Theutonici referantur tam varia & diverſa ut adverſa & contraria videantur, tu nec per litteras nec per nuntios curaſti nobis exprimere veritatem. Quamvis autem inter innumeras ſollicitudines noſtras de temporalibus etiam nos oporteat cogitare, quia tamen ſpiritualia, tamquam digniora, volumus, ut debemus, omnibus anteferre, nemo inaniter exiſtimet quòd Prælatorum tam eccleſiaſticorum quàm ſecularium manifeſtos exceſſus, & præſertim perjuria quæ recenter à quibuſdam vel infra annum commiſſa vel de cetero committenda nulla tergiverſatione poterunt excuſari, clauſis velimus oculis præterire, quæ cordi nobis eſt, cùm per Dei gratiam tempus acceperimus juſtitiam judicandi, animadverſione debita caſtigare. Vt autem interim à te negligentiam excuſias & torporem, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſtatus Principum, rerum eventus, & negotiorum proceſſus & per litteras & per nuntios intimare procures. Datum Laterani . . . Novembris,

In eundem modum nobili viro Duci Lovaniæ.

LITTERÆ PHILIPPI DVCIS Sueviæ.

Epiſt. 17. REverendo in Chriſto Patri Domino Innocentio ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici Philippus Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus, ſalutem & filialem dilectionem. Pro negotiis imperij cum ſanctitate veſtra pertractandis familiares & dilectos Capellanos noſtros Fridericum Præpoſitum ſancti Thomæ apud Argentinam & Johannem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum latores præſentium tranſmittimus ad apoſtolicam præſentiam, cum plena fiducia univerſa negotia quæ cum paternitate veſtra decrevimus pertractanda ipſorum providentiæ commendantes, & verba noſtra in ore ipſorum ponentes. Rogamus igitur & monemus benignitatem apoſtolicam quatenus ea quæ præfati Capellani noſtri ex parte noſtra vobis intimaverint, attenta aure intelligatis, & verbis ipſorum tamquam à proprio ore noſtro prolatis fidem indubitatam adhibeatis.

RESPONSIO DOMINI PAPÆ facta nuntiis Philippi in conſiſtorio.

Epiſt. 18. IN Geneſi legimus quòd Melchiſedech fuit Rex & ſacerdos, ſed Rex Salem, & ſacerdos altiſſimi, civitatis videlicet Rex, & deitatis ſacerdos. Sanè ſi diſtat inter civitatem & deitatem, diſtat utique inter regnum & ſacerdotium. Nam etſi Melchiſedech in figura Chriſti præceſſerit, qui habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum Rex Regum & dominus dominantium, ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, ad notandam concordiam quæ inter regnum & ſacerdotium debet exiſtere, propter quod & ipſe Chriſtus ſecundùm naturam carnis aſſumptæ de ſtirpe regali pariter & ſacerdotali deſcendit, ad notandum tamen præeminentiam quam ſacerdotium habet ad regnum, cùm Abraham rediret à cæde Regum, dedit Melchiſedech ex omnibus decimas, qui benedixit ei proferens panem & vinum. Erat enim ſacerdos altiſſimi. Dignior autem eſt qui decimas recipit quàm qui decimas tribuit, & minor qui benedicitur quàm ille qui benedicit, juxta quod probat Apoſtolus, qui de hoc ipſo loquitur dicens: *Sine ulla contradictione minus à meliore benedicitur.* Qui volens oſtendere ſacerdotium evangelicum dignius eſſe Levitico, probat illud per hoc quod Levi fuit in lumbis Abrahæ decimatus, quando Abraham dedit decimas Melchiſedech quaſi minor majori. Licèt autem tam Reges quàm ſacerdotes ungantur ex lege divina, Reges tamen unguntur a ſacerdotibus, non ſacerdotes à Regibus. Minor eſt autem qui ungitur quàm qui ungit, & dignior eſt ungens quàm unctus. Propter quod & ipſe Chriſtus, cui dictum eſt per Prophetam, *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, patrem ungentem aſſerit ſe uncto majorem. *Pater*, inquit, *major me eſt*. Nam pater eſt ungens ſecundùm quod Deus, filius autem eſt unctus in quantum eſt homo; qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Hinc eſt quòd Dominus ſacerdotes vocavit deos, Reges autem Principes appellavit. *Diis*, inquit, *non detrahes, & Principi populi tui non maledices*. Et de ſervo qui maluerit remanere cum domino dicit ut offerat eum diis, hoc eſt, ſacerdotibus, & perforabit aurem ejus ſubula, & erit ei ſervus in ſeculum. Sed & propter dignitatem officij ſacerdos angelus appellatur, dicente Domino per Prophetam: *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus. Angelus enim Domini exercituum eſt.* Dictum eſt etiam, non à quolibet, ſed à Deo, nec cuilibet, ſed Prophetæ, non utique de ſemine regio, ſed de ſacerdotibus qui erant in Anathot: *Conſtitui te ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas, ædifices & plantes.* Simile dicitur Petro, ſed excellentiùs. *Tu es*, inquit, *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Illi dictum eſt: *Conſtitui te ſuper gentes & regna.* Iſti dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Illi dictum eſt: *evellas & deſtruas, ædifices & plantes.* Iſti dicitur: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Illi dictum eſt: *Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego ſum ut eruam te.* Iſti dicitur: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Principibus datur poteſtas in terris, ſacerdotibus autem poteſtas tribuitur & in cælis. Illis ſolummodo ſuper corpora, iſtis etiam ſuper animas. Vnde quantò dignior eſt anima corpore, tantò dignius eſt etiam ſacerdotium quàm ſit regnum. Petro legitur vas oſtenſum quatuor initiis ſubmiſſum de cælo, in quo continebantur omnia animantia volatilia, quadrupedia, & reptilia, munda pariter & immunda; & dictum eſt ei: *Macta & manduca.* macta vitia, & manduca virtutes; macta errorem, & manduca fidem; quaſi evellas & deſtruas, ædifices & plantes. Quia ſinguli proceres ſingulas habent provincias, & ſinguli Reges ſingula regna; ſed Petrus, ſicut plenitudine, ſic & latitudine, præeminet univerſis, quia Vicarius eſt illius cujus eſt terra & plenitudo ejus, orbis ter-

tarum & universi qui habitant in ea. Porrò sicut sacerdotium dignitate præcellit, sic & antiquitate præcedit. Utrumque tam regnum quàm sacerdotium institutum fuit in populo Dei; sed sacerdotium per ordinationem divinam, regnum autem per extorsionem humanam. De sacerdotio namque præcepit Dominus Moysi. *Applica*, inquit, *ad me Aaron fratrem tuum & filios ejus de medio filiorum Israël, ut sacerdotio mihi fungantur.* De regno verò dixit Dominus Samueli: *Audi vocem populi petentis Regem. Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Verùm inter Moysem & Samuelem, inter Aaron primum sacerdotem & Saülem primum Regem fuerunt tempora Iudicum, in quibus multi anni fluxerunt. Ne quis autem obiciat quòd etsi sacerdotium præcesserit regnum in populo Iudæorum, regnum tamen præcessit sacerdotium in populo gentium, (Nam Belus cœpit primò regnare super Assyrios post turrem Babel & divisionem linguarum tempore Sarug proavi Abrahæ, cui Ninus filius ejus successit in regnum, qui civitatem magnam construxit quam à suo nomine Ninivem appellavit. Sed & de Nemroth dicit scriptura quòd principium regni ejus extitit Babylon) respondemus profectò secundùm fidem historiæ quòd & hos præcessit Noë, qui fuit rector arcæ, quasi sacerdos Ecclesiæ. Sed ne figuram pro veritate mendicare videamur, proponamus in medium quòd Moyses de illo testatur. *Ædificavit*, inquit, *Noë altare Domino, & obtulit holocaustum super altare.* Sem quoque primogenitus ejus dicitur fuisse sacerdos; quem Iudæi tradunt fuisse Melchisedech, & vixisse usque ad tempora Abrahæ. De Caim quoque natus est Enoch, qui primus civitatem ædificavit. Sed de Seth natus est Enos, qui cœpit nomen Domini invocare. Sed utrumque præcessit Abel, qui obtulit de primogenitis gregis sui & de adipibus eorum munera Domino, & respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus. Verùm in regno & sacerdotio non solùm causam institutionis sed & ordinem processus notare debemus. Contra utrumque siquidem in principio motum est scandalum & suscitatum est schisma. Contra sacerdotium Aaron schisma moverunt Chore, Dathan, & Abiron cum complicibus suis; sed statim eos ultio divina damnavit; quia quosdam ignis consumpsit, alios terra vivos absorbuit. Contra regnum autem Saülis schisma movit David, non tamen temeritate propria, sed auctoritate divina; qui licèt diù fuerit Saülis persecutionem perpessus, demum tamen prævaluit, quia manus Domini erat cum illo. Quid est hoc quòd schisma contra sacerdotium non prævaluit, sed succubuit, schisma verò motum contra regnum non succubuit, sed prævaluit? Magnæ rei magnum est sacramentum, & forsitan instantis temporis est parabola. Sed ne aliud intendere videamur, dicamus quòd ideo schisma contra sacerdotium non prævaluit quia sacerdotium institutum fuit per ordinationem divinam; schisma verò prævaluit contra regnum, quia regnum fuit extortum ad petitionem humanam. Sacra verò scriptura docente didicimus quia non est sapientia, non est scientia, non est consilium contra Deum. Cæterùm tempore procedente divisum est simul regnum & sacerdotium. Nam post obitum Salomonis divisum est regnum, & duæ tribus solummodo Roboam adhæserunt; cæteræ verò tribus secutæ sunt Ieroboam. Sed qui pauciores obtinuit, ipse habuit Ierusalem sedem regiam, templum & sacerdotium. Reliquus autem, quoniam iis omnibus caruit, etsi plures haberet, sicut regnum divisit, voluit etiam dividere sacerdotium, & fecit duos vitulos aureos, quorum unum posuit in Dan, alterum in Bethel, fanumque construxit, & ædificavit altare, constituens sacerdotes non de Levitis; sed venit Propheta in sermone Domini, & Ieroboam stante super altare & thus jaciente, inter cætera dixit: *Hoc erit signum quod locutus est Dominus. Ecce altare scindetur, & effundetur cinis qui est in ipso.* Quòd cùm Rex audivisset, extendit manum, & ait: *Apprehendite eum.* & exaruit manus ejus quam extenderat contra ipsum, altare quoque scissum est, & effusus est cinis. Ecce statim à Deo vindicatum est schisma contra sacerdotium suscitatum. Divisio verò regni permansit inter Iudam & Israël usque ad transmigrationem & captivitatem Iudaicam. Porrò quod accidit in veteri testamento, contingit in novo. Et ne longè petantur exempla, divisum est simul regnum & sacerdotium tempore Innocentij Papæ & Regis Lotharij. Contra Innocentium intrusus est Anacletus, contra Lotharium verò Conradus. Sed prævaluit uterque catholicus, Innocentius videlicet & Lotharius, quoniam Innocentius coronavit Lotharium; & succubuit uterque schismaticus, Anacletus videlicet & Conradus, quia veritas præjudicat falsitati. Deinde schisma divisit Ecclesiam tempore Alexandri, & imperium in unitate permansit tempore Frederici. Sed idem Imperator, non ut defensor, sed ut persecutor Ecclesiæ, schisma fovit & favit schismaticis. Porrò schisma periit cum schismaticis, & fomentum cum fautoribus est confusum. Nunc autem Ecclesia per Dei gratiam in unitate consistit, & imperium peccatis exigentibus est divisum. Verùm Ecclesia non sic illi retribuit quemadmodum illud Ecclesiæ; quia super ejus divisione condolet & compatitur, pro eo maximè quòd Principes ejus maculam posuerunt in gloria & infamiam in honore, libertatem & dignitatem ipsius pariter confundentes. Verùm ad apostolicam sedem jampridem fuerat recurrendum, ad quam negotium istud principaliter & finaliter dinoscitur pertinere; principaliter, quia ipsa transtulit imperium ab oriente in occidentem; finaliter, quia ipsa concedit coronam imperij. Verùm verbum tuum audivimus. Videbimus litteras domini tui, deliberabimus cum fratribus nostris, & dabimus tibi responsum. Inspiret autem nobis omnipotens Deus honestum consilium, & revelet nobis beneplacitum suum; quatenus in hoc negotio ad honorem ipsius, ad utilitatem Ecclesiæ, & salutem imperij procedamus.



LITTERÆ OTTONIS REGIS.

Epist. 19. SAnctissimo & reverendissimo Patri Innocentio sacrosanctæ Romanæ sedis summo Pontifici Otto Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, cum omni fidelitate & humilitate, subjectionem, filialem dilectionem, & reverentiam. Significamus paternitati vestræ quòd nos per Dei gratiam & vestram in bono & prospero sumus statu, & nunquam in meliori quàm modò sumus. Vnde vestræ multùm regratiamus sanctitati quòd nuncios nostros cum magno gaudio nobis remisistis. Rogamus itaque dominationem vestram ut negotium nostrum, quod per Dei adjutorium & vestrum bene est inchoatum, feliciter consummare dignemini. Testis enim nobis sit Deus quòd post mortem avunculi nostri Regis Richardi unicum nobis estis solatium & adjutorium: quia scimus veraciter, dum tantùm vos habeamus propitium, negotium nostrum promovebitur, & ad finem bonum, felicem, & optatum auxiliante Domino perducetur. Vnde vos sicut patrem carissimum & dominum omnibus modis honorare proponimus, & omnia jura vestra, sicut audivistis in litteris nostris, conservare. Negotium enim nostrum vestrum reputetis; quia vobis in adjutorio nunquam deesse volumus, & omnia negotia nostra, quæ vestra sunt, secundùm consilium vestrum terminabimus. Quòd sanctitati vestræ litteras nostras rarò transmittimus inde est quòd terra Suevi est inter nos & vos, & si sæpe mitteremus, à Suevis possent auferri: quod tamen in brevi mutabimus. Sed hoc intimo corde rogamus ut sicut per nuntios vestros nobis mandastis, negotium nostrum, quod est vestrum, ad effectum perducatis.

LITTERÆ OTTONIS REGIS.

Epist. 20. REverendissimo in Christo Patri ac Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Otto Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, ex toto sibi devotus, debita cum reverentia salutem, & quicquid patri filius. Quantam affectionem erga Romanum imperium vestra gerat clementia, quantumque ipsius exaltationi intendatis, ex vestrarum litterarum inspectione, quas Principibus Alemanniæ tam laicis quàm Clericis destinastis, manifestè potest perpendi. Quanto etiam desiderio, quantoque mentis affectu vestra nos amplectatur paternitas ex plurium litterarum tenore, quas multis Principibus Theutoniæ pro nobis destinastis, in quibus continebatur quòd ad honorem & profectum nostrum libenter & efficaciter, quantum cum Deo possetis, intenderetis, sperantes quòd nos in devotione quam progenitores nostri circa Romanam Ecclesiam habuerunt non solùm persistere, sed etiam proficere cum honoris augmento curaremus, & ex B. Præpositi Bonincusia ac M. de Villa civis Mediolanensis dilectorum nostrorum relatione ipsisque rerum experimentis manifestè cognovimus & intelleximus; qui quàm benignè ipsos aliosque nuntios receperitis, qui cum eis à nobis ad vos transmissi fuerunt, quàmque benigniùs eos tractare curaveritis, sigillatim ac diligenter nobis intimarunt.Epropter nos ex devotis devotissimi, paternitatis vestræ beneficia sentientes, utilitatemque exinde nobis provenientē dilucidè cognoscentes, sanctitati vestræ grates referimus ubertimas, excellentiæ vestræ omni omnino exulante mendacio notificantes quòd inter Principes inferiores & superiores qui sunt circa Renum tam ex parte nostra quàm ex parte Ducis Sueviæ, mediante Maguntinensi Archiepiscopo, qui ad hoc plurimam adhibuit operam, quo tamen nondum plenè novimus affectu, usque ad festum beati Martini treugæ sunt firmatæ. Inter Principes tamen Saxoniæ tam nobis quàm Duci Sueviæ adhærentes (quam cum festinatione intrare disposuimus ut Regi Dacorum dilecto sororio nostro occurramus, qui in auxilium nostrum ad debellandos inimicos nostros eandem terram proculdubio intraturus est) nullæ treugæ sunt factæ. Ad hoc etiam Maguntinensem Archiepiscopum elaborasse nostrosque consensisse juxta admonitionem vestram, ut colloquium esse debeat inter Andernatum & Confluentiam in proxima sexta feria post festum beati Iacobi Apostoli, vestram nolumus latere pietatem; in quo debent convenire, secundùm quod inter eos condictum est, ex parte nostra Coloniensis Archiepiscopus, Monasteriensis Episcopus, Leodiensis electus, Trajectensis Episcopus, Paderburnensis Episcopus, Abbas Corbeiensis, Dux Brabantiæ, & Comes Flandriæ; ex parte verò Ducis Sueviæ, Salzburgensis Archiepiscopus, Episcopus Frisingensis, Episcopus Basiliensis, Argentinensis Episcopus, Treverensis Archiepiscopus, Dux Meraniæ, Marchio *, Coiradus de Landisbere, B. Dux Ceringiæ, & ipse Maguntinus tamquam mediator, qui huic rei hactenus sollicitudinem quam potuit impendit. (* id est, Marcualdus) Qui Principes finaliter de facto imperij in eo colloquio tractare debent & præsentibus dissidiis omnino finem imponere; & quod à majori parte ipsorum de corona Romani imperij statutum fuerit, hoc ab ipsis cæterisque Alamanniæ Principibus inviolabiliter volunt observari. Inde est quòd licèt de prædictorum Principum nostrorum fide ac devotione nullatenus dubitemus, ac de voluntate eorum qui ex parte Ducis Sueviæ in eo debent interesse colloquio pro majori parte bene confidamus, tamen quia paternitatis vestræ protectionem ac Romanæ Ecclesiæ auxilium & auctoritatem in omnibus nostris desideramus negotiis, cogitantes utilius esse pietatem vestram in tempus occurrisse quàm post causam vulneratam remedium quærere, cognoscentes etiam concessum fore medentibus ægrotantibus subvenire, non tamen eos à mortuis suscitare, à sanctitate vestra petimus & devotissimè supplicamus quatenus dum se temporis offeret opportunitas, supradictis omnibus Principibus tam ecclesiasticis quàm secularibus aliisque, si quos prædicto colloquio interesse contigerit, auctoritate apostolica magnificentiæ vestræ à Deo collata sub pœna & interminatione qua potestis præcipere dignemini ut ipsi negotium nostrum promovere nobisque adhærere nullatenus postponant & coronam Alamanniæ, quam nos justè adeptam indubitanter existimamus ab eo qui debuit & in loco quo debuit nobis impositam, defendere & manutenere totis viribus adjuvent ac nitantur; ne prædicta admonitio, quam ad imperij concordiam nostramque utilitatem à mansuetudine vestra factam intelligimus, ad noxam tendat nostramque incommoditatem non modicam. Nos enim paratos in totum & ex toto ea omnia adimplere quæ à nunciis nostris cum sanctitate vestra sunt condicta & conscripta & eorum sigillis sigillata præsentibus scriptis paternitati vestræ significamus & in perpetuum nos observaturos promittimus. Clementiæ insuper vestræ notificandum duximus quòd ex quo coronam regni adepti sumus, nunquam adeo fortes fuimus sicut in præsentiarum existimus, nec Principes nostrique Barones nobis unquam fideliùs astiterunt quàm nunc in præsenti assistunt. Præterea paternitati vestræ notificamus nos præsentium latoribus dedisse licentiam jurandi in nostram animam quòd ea vera esse credimus quæ de colloquio quod fieri debet proxima sexta feria post festum beati Iacobi Apostoli inter Andernatum & Confluentiam superiùs scripsimus. Ad hæc, sanctitati vestræ preces porrigimus affectuosas quatenus in negotio Conradi quondam Hildesemensis Episcopi & Vvirzeburgensis electi taliter vos habeatis ut ejus exemplo similia committere cæteri teirreantur, & ipsius pœna in Alamannia & per imperij universos fines multorum sit metus, & ut in eo vigor Romanæ Ecclesiæ ejusque auctoritas nullatenus enervetur vel depereat. (Vide lib. 2. epist. 101. 104.) Qualiter enim conversatus fuerit in partibus ultramarinis Apuliæ, Tusciæ, cæterisque partibus imperij, ad quas ipse unquam divertit, quàmque flagitiosa persona in omnibus quæ unquam egit extiterit, quàmque reprehensibilis conversationis semper fuerit, adeo etiam quòd in ore ipsius nunquam veritas vel fides deprehendi potuerit, cùmque noster pejorus sit, & à nobis de infidelitate in veritate argui possit, cùm hoc omnibus sit notum, vestram non putamus latere sanctitatem. Nuntiis verò nostris dedisse nos in mandatis vestræ innotescere volumus mansuetudini, quòd qualitercunque vos in prædictis habueritis, de quo tamen nihil nisi paternum, nisi bonum, nisi nobis utile unquam suspicati fuimus vel in præsenti suspicamur, ut octo diebus ante diem supradicto colloquio præfixam conspectui nostro se repræsentare nulla unquam occasione postponant. Quicquid autem præsentium latores, Præpositus scilicet de Mersen & H. de Aquileia vel alter eorum ex parte nostra sanctitati vestræ retulerint, tamquam ab ore nostro processerit, pro constanti & firmo habere dignemini.



VNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS quàm secularibus Principibus Alemanniæ.

Epist. 21.

CVm de discordia quæ diebus nostris peccatis exigentibus super imperio est suborta vehementiùs doleamus, quia non, ut aliqui mentiendo confingunt, ad depressionem ejus intendimus, sed ad exaltationem potiùs aspiramus, cogitavimus sæpius intra nos ipsos, deliberavimus quoque frequenter cum fratribus nostris, & cum aliis viris prudentibus & discretis non semel tantùm tractavimus qualiter ad sopiendam dissensionem hujusmodi possemus impendere operam efficacem. Fuerunt autem quamplures qui nobis suggererent ut cùm duo fuissent per discordiam in Reges electi, de studiis eligentium & meritis electorum inquireremus sollicitè veritatem, quatenus intelligeremus pleniùs cui esset favor apostolicus impendendus. Dicebatur enim de altero quòd receptus esset a pluribus & insignia imperialia obtineret. Sed opponebatur protinus contra eum quòd nec ab eo qui potuit, nec ubi debuit, fuerit coronatus, cùm Tarantasiensis Archiepiscopus, tamquam extraneus, & ad quem id minimè pertinet, evocatus, ei regni præsumpserit imponere diadema. Præterea obiciebatur eidem quòd contra proprium juramentum, super quo nec consilium à sede apostolica requisierat, regnum sibi præsumpserat usurpare, cùm super illo juramento sedes apostolica priùs consuli debuisset, sicut & eam quidam consuluere prudenter, apud quam ex institutione divina plenitudo residet potestatis. Addebatur etiam contra ipsum quòd cum bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster ipsum pro temeritate sua excommunicationis sententia publicè innodasset, & nuntij nostri, quos pro liberatione venerabilis fratris nostri Salernitani Archiepiscopi quondam in Theutoniam miseramus, datam sibi formam à nobis in absolutione ipsius, qui jam in Regem se fecerat nominari, minimè servavissent, contra quam nihil agere poterant, idem profectò & excommunicatus electus fuerat in Regem & adhuc excommunicationis sententia tenebatur astrictus. Vnde juxta sanctorum patrum canonicas sanctiones ei qui talis existit non obstante juramento fidelitatis est obsequium subtrahendum. Hoc quoque contra eundem non modicùm facere proponebant quòd contra libertatem imperij regnum sibi jure nitebatur hereditario usurpare. Vnde si, prout olim frater patri successerat, sic nunc succederet frater fratri, libertas Principum deperiret, cùm non per eorum electionem, sed per successionem potiùs, regnum videretur adeptus; ut cetera benigniùs taceamus quæ contra genus ipsius super oppressione tam Ecclesiarum quàm Principum opponuntur, ne ipsum persequi videamur. Ceterùm proponebatur pro altero quòd ab eo qui potuit & ubi debuit fuerat coronatus, cùm à venerabili fratre nostro Coloniensi Archiepiscopo, ad quem id pertinet, apud Aquisgranum in solio augustali fuerit inunctus & coronatus in Regem. Sed opponebatur eidem quòd pauciores eum Principes sequerentur. Licèt autem nobis fuissent talia sæpe suggesta, & ut sic procederemus consultum à viris prudentibus & discretis, volentes tamen honori vestro deferre, universitatem vestram paterno commonuimus dilectionis affectu & per apostolica vobis scripta mandavimus ut Dei timorem habentes præ oculis, & honorem zelantes imperij, ne annullaretur dignitas ejus & libertas etiam deperiret, meliùs intenderetis ad provisionem ipsius; ne, dum foveretis discordiam, per vos destrueretur imperialis sublimitas, quæ per vestrum erat studium conservanda; alioquin, quia mora periculum ad se grave habebat, nos quod expedire sciremus sollicitè procurantes, ei curaremus favorem apostolicum impertiri quem crederemus majoribus studiis & meritis adjuvari. Gaudemus autem quòd licèt monita nostra distuleritis hactenus exaudire, nunc tamen redeuntes ad cor, & quid potiùs expediat attendentes, juxta commonitionem nostram proposuistis, ut accepimus, de imperij pace tractare. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & per apostolica scripta mandamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes quatenus iis quæ præmisimus diligenti meditatione pensatis, ad eum vestræ dirigatis considerationis intuitum qui merito strenuitatis & probitatis ad regendum imperium est idoneus; quod quasi præcipuum in hoc negotio procurare debetis; cùm, præsertim hoc tempore, non solùm imperium probum & strenuum exigat habere rectorem, sed & Ecclesia nec possit nec velit diutiùs justo & provido defensore carere, quem nos possimus & debeamus merito coronare; ab eo penitùs animum removentes cui propter impedimenta parentia favorem non debeamus apostolicum impertiri. alioquin, unde crederetis discordiam vos sopire, inde contingeret vos majus scandalum suscitare; quoniam præter id quod si fieret fortè contrarium, urbi & penè penitùs toti displiceret Italiæ, Ecclesia quoque id ferret graviter & molestè, nec se dubitaret pro justitia & veritate potenter opponere, quæ Deo desiderat potiùs quàm hominibus complacere. Essetis etiam perditionis occasio terræ sanctæ, ad cujus recuperationem totis viribus aspiramus. Hæc autem vobis prædicimus, non ut libertatis, dignitatis, & potestatis vestræ privilegio derogare velimus, sed ut dissensionis & scandali materiam amputemus, cùm is sit à vobis assumendus in Regem quem nos in Imperatorem possimus & debeamus meritò coronare; ne, si secus accideret, fieret error [illegible]vissimus pejor priore. Si verò salubribus monitis nostris, quæ de corde puro & conscientia bona & fide non ficta procedunt, prudenter ac reverenter curaveritis acquiescere, nos cum eo pariter & pro eo qui rite sic fuerit promotus in Principem ad honorem & exaltationem imperij efficaciter intendemus, cùm & ipse nobiscum pariter & pro nobis ad honorem & exaltationem Ecclesiæ intendere debeat, ut speramus; ita quòd eo faciente qui est Rex Regum & dominus dominantium, sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, regnum & sacerdotium diebus nostris mutuis subsidiis optatum recipient incrementum. Super juramentis etiam illud auctoritate apostolica statuemus

Vide gesta Innoc. III. c. 21. & infrà epist. 62.

LITTERÆ OTTONIS REGIS.

Epist. 19. SAnctissimo & reverendissimo Patri Innocentio sacrosanctæ Romanæ sedis summo Pontifici Otto Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, cum omni fidelitate & humilitate, subjectionem, filialem dilectionem, & reverentiam. Significamus paternitati vestræ quòd nos per Dei gratiam & vestram in bono & prospero sumus statu, & nunquam in meliori quàm modò sumus. Vnde vestræ multùm regratiamur sanctitati quòd nuntios nostros cum magno gaudio nobis remisistis. Rogamus itaque dominationem vestram ut negotium nostrum, quod per Dei adjutorium & vestrum bene est inchoatum, feliciter consummare dignemini. Testis enim nobis sit Deus quòd post mortem avunculi nostri Regis Richardi unicum nobis estis solatium & adjutorium: quia scimus veraciter, dum tantùm vos habeamus propitium, negotium nostrum promovebitur, & ad finem bonum, felicem, & optatum auxiliante Domino perducetur. Vnde vos sicut patrem carissimum & dominum omnibus modis honorare proponimus, & omnia jura vestra, sicut audivistis in litteris nostris, conservare. Negotium enim nostrum vestrum reputetis; quia vobis in adjutorio nunquam deesse volumus, & omnia negotia nostra, quæ vestra sunt, secundùm consilium vestrum terminabimus. Quòd sanctitati vestræ litteras nostras rarò transmittimus inde est quòd terra Suevi est inter nos & vos, & si sæpe mitteremus, à Suevis possent auferri. quod tamen in brevi mutabimus. Sed hoc intimo corde rogamus ut sicut per nuntios vestros nobis mandastis, negotium nostrum, quod est vestrum, ad effectum perducatis.

LITTERÆ OTTONIS REGIS.

Epist. 20. REverendissimo in Christo Patri ac Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Otto Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, ex toto sibi devotus, debita cum reverentia salutem, & quicquid patri filius. Quantam affectionem erga Romanum imperium vestra gerat clementia, quantumque ipsius exaltationi intendatis, ex vestrarum litterarum inspectione, quas Principibus Alemanniæ tam laicis quàm Clericis destinastis, manifestè potest perpendi. Quanto etiam desiderio, quantoque mentis affectu vestra nos amplectatur paternitas ex plurium litterarum tenore, quas multis Principibus Theutoniæ pro nobis destinastis, in quibus continebatur quòd ad honorem & profectum nostrum libenter & efficaciter, quantum cum Deo possetis, intenderetis, sperantes quòd nos in devotione quam progenitores nostri circa Romanam Ecclesiam habuerunt non solùm persistere, sed etiam proficere cum honoris augmento curaremus, & ex B. Præpositi Bunnensis ac M. de Villa civis Mediolanensis dilectorum nostrorum relatione ipsisque rerum experimentis manifestè cognovimus & intelleximus; qui quàm benignè ipsos aliosque nuntios receperitis, qui cum eis à nobis ad vos transmissi fuerunt, quàmque benigniùs eos tractare curaveritis, sigillatim ac diligenter nobis intimarunt. Expropter nos ex devotis devotissimi, paternitatis vestræ beneficia sentientes, utilitatemque exinde nobis provenientem dilucidè cognoscentes, sanctitati vestræ grates referimus uberrimas, excellentiæ vestræ omni omnino exulante mendacio notificantes quòd inter Principes inferiores & superiores qui sunt circa Renum tam ex parte nostra quàm ex parte Ducis Sueviæ, mediante Maguntinensi Archiepiscopo, qui ad hoc plurimam adhibuit operam, quo tamen nondum plenè novimus affectu, usque ad festum beati Martini treugæ sunt firmatæ. Inter Principes tamen Saxoniæ tam nobis quàm Duci Sueviæ adhærentes (quam cum festinatione intrare disposuimus ut Regi Dacorum dilecto sororio nostro occurramus, qui in auxilium nostrum ad debellandos inimicos nostros eandem terram proculdubio intraturus est) nullæ treugæ sunt factæ. Ad hoc etiam Maguntinensem Archiepiscopum elaborasse nostrosque consensisse juxta admonitionem vestram, ut colloquium esse debeat inter Andernacum & Confluentiam in proxima sexta feria post festum beati Iacobi Apostoli, vestram nolumus latere pietatem; in quo debent convenire, secundùm quod inter eos condictum est, ex parte nostra Coloniensis Archiepiscopus, Monasteriensis Episcopus, Leodiensis electus, Trajectensis Episcopus, Paderburnensis Episcopus, Abbas Corbeiensis, Dux Brabantiæ, & Comes Flandriæ; ex parte verò Ducis Sueviæ, Salzburgensis Archiepiscopus, Episcopus Frisingensis, Episcopus Basiliensis, Argentinensis Episcopus, Treverensis Archiepiscopus, Dux Meraniæ, Marchio*, Conradus de Landisberc, B. Dux Caringiæ, & ipse Maguntinus tamquam mediator, qui huic rei hactenus sollicitudinem quam potuit impendit. Qui Principes finaliter de facto imperij in eo colloquio tractare debent & præteritis dissidiis omnino finem imponere; & quod à majori parte ipsorum de corona Romani imperij statutum fuerit, hoc ab ipsis ceterisque Alamanniæ Principibus inviolabiliter volunt observari. Inde est quòd licèt de prædictorum Principum nostrorum fide ac devotione nullatenus dubitemus, ac de voluntate eorum qui ex parte Ducis Sueviæ in eo debent interesse colloquio pro majori parte bene confidamus, tamen quia paternitatis vestræ protectionem ac Romanæ Ecclesiæ auxilium & auctoritatem in omnibus nostris desideramus negotiis, cogitantes utilius esse pietatem vestram in tempus occurrere quàm post causam vulneratam remedium quærere, cognoscentes etiam concessum fore medentibus ægrotantibus subvenire, non tamen eos à mortuis suscitare, à sanctitate vestra petimus & devotissimè supplicamus quatenus dum se temporis offeret opportunitas, supradictis omnibus Principibus tam ecclesiasticis quàm secularibus aliisque, si quos prædicto colloquio interesse contigerit, auctoritate apostolica magnificentiæ vestræ à Deo collata sub pœna & interminatione qua potestis præcipere dignemini ut ipsi negotium nostrum promovere nobisque adhærere nullatenus postponant & coronam Alamanniæ, quam nos justè adeptam indubitanter existimamus ab eo qui debuit & in loco quo debuit nobis impositam, defendere & manutenere totis viribus adjuvent ac nitantur; ne prædicta admonitio, quam ad imperij concordiam nostrumque utilitatem à mansuetudine vestra factam intelligimus, ad noxam tendat nostramque incommoditatem non modicam. Nos enim paratos in totum & ex toto ea omnia adimplere quæ à nuntiis nostris cum sanctitate vestra sunt condicta & conscripta & eorum sigillis sigillata præsentibus scriptis paternitati vestræ significamus & in perpetuum nos observaturos promittimus. Clementiæ insuper vestræ notificandum duximus quòd ex quo coronam regni adepti sumus, nunquam adeo fortes fuimus sicut in præsentiarum existimus, nec Principes nostrique Barones nobis unquam fideliùs astiterunt quàm nunc in præsenti assistunt. Præterea paternitati vestræ notificamus nos præsentium latoribus dedisse licentiam jurandi in nostram animam quòd ea vera esse credimus quæ de colloquio quod fieri debet proxima sexta feria post festum beati Iacobi Apostoli inter Andernacum & Confluentiam superiùs scripsimus. Ad hæc, sanctitati vestræ preces porrigimus affectuosas quatenus in negotio Conradi quondam Hildesemensis Episcopi & Wirzeburgensis electi taliter vos habeatis ut ejus exemplo similia committere ceteri terreantur, & ipsius pœna in Alamannia & per imperij universos fines multorum sit metus, & ut in eo vigor Romanæ Ecclesiæ ejusque auctoritas nullatenus enervetur vel depereat. Qualiter enim conversatus fuerit in partibus ultramarinis Apuliæ, Tusciæ, ceterisque partibus imperij, ad quas ipse unquam divertit, quàmque flagitiosa persona in omnibus quæ unquam egit extiterit, quàmque reprehensibilis conversationis semper fuerit, adeo etiam quòd in ore ipsius nunquam veritas vel fides deprehendi potuerit, cùmque noster perjurus sit, & à nobis de infidelitate in veritate argui possit, cùm hoc omnibus sit notum, vestram non possumus latere sanctitatem. Nuntiis verò nostris dedisse nos in mandatis vestræ innotescere volumus mansuetudini, quòd qualitercumque vos in prædictis habueritis, de quo tamen nihil nisi paternum, nisi bonum, nisi nobis utile nunquam suspicati fuimus vel in præsenti suspicamur, ut octo diebus ante diem supradicto colloquio præfixam conspectui nostro se repræsentare nulla unquam occasione postponant. Quicquid autem præsentium latores, Præpositus scilicet de Mersen & H. de Aquileia vel alter eorum ex parte nostra sanctitati vestræ retulerint, tamquam ab ore nostro processerit, pro constanti & firmo habere dignemini.

* Id est, Marcualdus

Vide lib. 5. epist. 102. 104.



VNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS quàm secularibus Principibus Alemanniæ.

Epist. 21. CVm de discordia quæ diebus nostris peccatis exigentibus super imperio est suborta vehementiùs doleamus, quia non, ut aliqui mentiendo confingunt, ad depressionem ejus intendimus, sed ad exaltationem potiùs aspiramus, cogitavimus sæpius intra nos ipsos, deliberavimus quoque frequenter cum fratribus nostris, & cum aliis viris prudentibus & discretis non semel tantùm tractavimus qualiter ad sopiendam dissensionem hujusmodi possemus impendere operam efficacem. Fuerunt autem quamplures qui nobis suggererent ut cùm duo fuissent per discordiam in Reges electi, de studiis eligentium & meritis electorum inquireremus sollicitè veritatem, quatenus intelligeremus pleniùs cui esset favor apostolicus impendendus. Dicebatur enim de altero quòd receptus esset à pluribus & insignia imperialia obtineret. Sed opponebatur protinus contra eum quòd nec ab eo qui potuit, nec ubi debuit, fuerit coronatus, cùm Tarantasiensis Archiepiscopus, tamquam extraneus, & ad quem id minimè pertinet, evocatus, ei regni præsumpserit imponere diadema. Præterea obiciebatur eidem quòd contra proprium juramentum, super quo nec consilium à sede apostolica requisierat, regnum sibi præsumpserat usurpare, cùm super illo juramento sedes apostolica priùs consuli debuisset, sicut & eam quidam consuluere prudenter, apud quam ex institutione divina plenitudo residet potestatis. Addebatur etiam contra ipsum quòd cum bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster ipsum pro temeritate sua excommunicationis sententia publicè innodasset, & nuntij nostri, quos pro liberatione venerabilis fratris nostri Salernitani Archiepiscopi quondam in Theutoniam miseramus, datam sibi formam à nobis in absolutione ipsius, qui jam in Regem se fecerat nominari, minimè servavissent, contra quam nihil agere poterant, idem profectò & excommunicatus electus fuerat in Regem & adhuc excommunicationis sententia tenebatur astrictus. Vnde juxta sanctorum patrum canonicas sanctiones ei qui talis existit non obstante juramento fidelitatis est obsequium subtrahendum. Hoc quoque contra eundem non modicùm facere proponebant quòd contra libertatem imperij regnum sibi jure nitebatur hereditario usurpare. Vnde si, prout olim frater patri successerat, sic nunc succederet frater fratri, libertas Principum deperiret, cùm non per eorum electionem, sed per successionem potiùs, regnum videretur adeptus; ut cetera benigniùs taceamus quæ contra genus ipsius super oppressione tam Ecclesiarum quàm Principum opponuntur, ne ipsum persequi videamur. Ceterùm proponebatur pro altero quòd ab eo qui potuit & ubi debuit fuerat coronatus, cùm à venerabili fratre nostro Coloniensi Archiepiscopo, ad quem id pertinet, apud Aquisgranum in solio augustali fuerit inunctus & coronatus in Regem. Sed opponebatur eidem quod pauciores eum Principes sequerentur. Licèt autem nobis fuissent talia sæpe suggesta, & ut sic procederemus consultum à viris prudentibus & discretis, volentes tamen honori vestro deferre, universitatem vestram paterno commonuimus dilectionis affectu & per apostolica vobis scripta mandavimus ut Dei timorem habentes præ oculis, & honorem zelantes imperij, ne annullaretur dignitas ejus & libertas etiam deperiret, meliùs intenderetis ad provisionem ipsius; ne, dum foveretis discordiam, per vos destrueretur imperialis sublimitas, quæ per vestrum erat studium conservanda; alioquin, quia mora periculum ad se grave habebat, nos quod expedire sciremus sollicitè procurantes, ei curaremus favorem apostolicum impertiri quem crederemus majoribus studiis & meritis adjuvari. Gaudemus autem quòd licèt monita nostra distuleritis hactenus exaudire, nunc tamen redeuntes ad cor, & quid potiùs expediat attendentes, juxta commonitionem nostram proposuistis, ut accepimus, de imperij pace tractare. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & per apostolica scripta mandamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes quatenus iis quæ præmisimus diligenti meditatione pensatis, ad eum vestræ dirigatis considerationis intuitum qui merito strenuitatis & probitatis ad regendum imperium est idoneus; quod quasi præcipuum in hoc negotio procurare debetis; cùm, præsertim hoc tempore, non solùm imperium probum & strenuum exigat habere rectorem, sed & Ecclesia nec possit nec velit diutiùs justo & provido defensore carere, quem nos possimus & debeamus merito coronare; ab eo penitùs animum removentes cui propter impedimenta patentia favorem non debeamus apostolicum impertiri. alioquin, unde crederetis discordiam vos sopire, inde contingeret vos majus scandalum suscitare; quoniam præter id quod si fieret fortè contrarium, urbi & penè penitùs toti displiceret Italiæ, Ecclesia quoque id ferret graviter & molestè, nec se dubitaret pro justitia & veritate potenter opponere, quæ Deo desiderat potiùs quàm hominibus complacere. Esset etiam perditionis occasio terræ sanctæ, ad cujus recuperationem totis viribus aspiramus. Hæc autem vobis prædicimus, non ut libertatis, dignitatis, & potestatis vestræ privilegio derogare velimus, sed ut dissensionis & scandali materiam amputemus, cùm is sit à vobis assumendus in Regem quem nos in Imperatorem possimus & debeamus meritò coronare; ne, si secus accideret, fieret error novissimus pejor priore. Si verò salubribus monitis nostris, quæ de corde puro & conscientia bona & fide non ficta procedunt, prudenter ac reverenter curaveritis acquiescere, nos eum eo pariter & pro eo qui rite sic fuerit promotus in Principem ad honorem & exaltationem imperij efficaciter intendemus, cùm & ipse nobiscum pariter & pro nobis ad honorem & exaltationem Ecclesiæ intendere debeat, ut speramus; ita quòd eo faciente qui est Rex Regum & dominus dominantium, sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, regnum & sacerdotium diebus nostris mutuis subsidiis optatum recipient incrementum. Super juramentis etiam illud auctoritate apostolica statuemus

Vide gesta Innoc. III. c. 22. & infrà epist. 62.

qood ad purgandam & famam & coofcientiam redundabit. Vnde non permittatis vos aliquo modo feduci fub fpecie pietatis ab iis qui non communem fed fpecialem utilitatem inquirunt; quoniam ad hoc principaliter debet Principis electio procurari, nou ot provideatur certæ perfonæ, fed ut reipublicæ confulatur. quod utlque fieri non poteft, nifi perfona Principis provida fit & justa, fteoua & honefta. Vt autem de noftru beneplacito & confilio reddamini certiores, dilectum filium Ægidiũ Acolythum noftrum, virum providum & difcretum, oobis & fratribus noftris merito fuæ probitatis acceptum, de cujus plenè fidelitate confidimus, ad vos duximus deftinandum, cui in iis quæ vobis ex parte noftra proponet induhitata fide credatis. Quia verò per falfarios multa fulent fæpius obrioeri, fi forfan, quod non credimus, aliquæ litteræ contra tenorem præfentium ante datam iftarum quafi à nobis apparuerint impetratæ, ipfas noveritis effe falfas. Datum Laterani.

MAGUNTINO ARCHIEPISCOPO, *Epifcopo Sabinenfi.*

Epist. 22. SIcut frequenter tibi propofoimus viva voce, non eft qui poft Romanum Pontificem vel in Ecclefia Romana vel in imperio Romano tantum locum obtineat quantum obtioes in ottoqoe. Vode te oportet follicitè vigilare ut juxta quod de tua fraternitate confidimus, & honorem imperij cum Ecclefiæ exaltatiooe procures, & augmentum Ecclefiæ cum imperij promoveas incremento; quatenus per tuæ follicitudinis ftudium inter Ecclefiam & imperium pax perpetua confervetur. Miramur autem oon modicùm quòd cùm publicè nobis coram fratribus promiferis viva voce quòd nihil prius finaliter de imperij ordinatione tractares quàm per litteras & oontios tuos noftræ confuleres beneplacitum voluntatis, nuper io colloquio qood fuit inter Andernacom & Confluentiam te procurante, ficut pro certo didicimus, celebratum aliquid diceris quafi finaliter tractavifse, cùm facta comptomiffiooe io quofdam Principes tam ecclefiafticos quàm etiam feculares, quod illi decreverint in colloqoio quod in proximo eft condictum ab univerfis debeat obfervari. Quia verò nec litteras oec oontios fuper hoc, licèt expectaffemus ooo modicùm, à tua fraternitate recepimus, ne videremur meritò oegligentes fi propofitum noftrum antequam prædictum colloquium celebretur non exprimeremus Principibus, dilectum filium Ægidium Acolythum noftrum, virum providum & difcretum, nobis & fratribus noftris merito fuæ probitatis acceptum, ad te principaliter & ad alios Principes deftinamus, per ipfum & litteras quas dirigimus Principibus univerfis intentionis noftræ beneplacitum & falubre confilium, ficut ex eis colligere poteris, apertiùs innuentes. Rogamus igitur fraternitatem tuam, monentes attentiùs & exhortantes in Domino, & per apoftolica tibi fcripta mandamus quatenus cùm plenè intentionem noftram, cùm adhuc præfens apud nos exifteres, intellexeris, taliter annuas votis noftris, taliter in hoc negotio te habere procures ut contra communem utilitatem tam Ecclefiæ quàm imperij nihil penitùs attentetur. Ad hæc, prædictum Acolythum noftrum benignè recipias, & ea quæ tibi ex parte noftra duxerit proponenda & fine dubitatione credas & ftodeas efficaciter adimplere; ut zelus quem in juventute toa circa honorem Ecclefiæ prædeceffortum noftrorum temporibus habuifti, diebus etiam noftris in tua fenectute profiliat in effectum; & qui pro illa haftenus legitimè certavifti, curfum ftudeas tui certaminis laudabiliter confummare; ut fecurè cum Apoftolo clames: *Bonum certamen certavi, curfum confummavi, fidem fervavi: ideoque repofita eft mihi corona juftitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juftus judex.* Datum Laterani.

NOBILI VIRO DUCI BRABANTIÆ *& uxori ejus.*

AD noftram novetitis audientiam pervenifse quòd quidam genealogiam veftram à longè calculantes, dilectam in Chrifto filiam noftram oobilem mulierem [Mariam] filiam veftram cariffimo in Chrifto filio noftro Ottoni filio quondam illuftris memoriæ [Henrici] Ducis Saxoniæ fponfo fuo electo & coronato in Regem affinitatis linea ultra quartum gradum, quod vos non recogoofcitis, muffitant pertinere, licèt matrimonium ipfum nullus accufet. Vt autem confcientia veftra noo tam purgetur quàm confolidetur, fuit poftulatum à nobis ut fuper hoc dignaremur mifericorditer difpenfare. Si ergo res ita fe habet, fecurè, propter multam & magnam utilitatem quæ de ipfo matrimonio provenrura fperatur, ad confummationem ipfius cum divini ominis reverentia procedatis. Datum Laterani. Epist. 23. Vide infrà epist. 65.

PRINCIPIBUS ALAMANNIÆ.

VT ij qui fuper provifione imperij, quam fore laudabilem in omnibus affectamus, noftris monitis falubribus acquiefcent, apoftolicæ fedis patrocinio fpecialiùs foveantur, præfentibus litteris duximus intimandum quòd omnes qui cum eo qui affumptus in Principem, noftram obtinuerit gratiam & favorem, compofitionem inierint, fuper poffeffionibus, dignitatibus, & honoribus dante Domino manutenere curabimus & fovere, facientes eam auctoritate apoftolica inviulabiliter obfervari, ceteris nihilominus fecundùm officij noftri debitum apoftolicæ fedis gratiam impenfuri. Datum Laterani. Epist. 24.

EPISCOPO OSTIENSI *apoftolicæ fedis Legato.*

VT cariffimos in Chrifto filios noftros Philippum Francorum & Iohannem Anglorum Reges illuftres ad apoftolicæ fedis obfequium plenius inducere valeas & io ejus devotione firmiùs folidare, præfentium tibi auctoritate concedimus, per apoftolica fcripta mandantes quatenus fi qua forfan inter fe vel cum aliis obligatione tenentur illicita, eam fecurè diffolvas, cùm fecundùm Prophetam diffolvere debeamus colligationes impietatis & fafciculos deprimentes. Illam enim colligationem cenfemus illicitam quæ regiæ devotiooi obfequium Epist. 25.

erga sedem apostolicam impediret, præsertim in illo negotio quod super imperij Romani ordinatione versatur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Si quis autem &c. Datum.

TREVIRENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 16. GRavem contra te nobis venerabilis frater noster Coloniensis Archiepiscopus querimoniam destinavit, quòd cùm ei juramento præstito promisisses te recepturum & habiturum pro Rege quem ipse reciperet & haberet, & ut hoc pleniùs observares, thesaurum Coloniensis Ecclesiæ pro certa tibi pecunia obligasset, tu hactenus nec juramentum servasti, nec restituisti thesaurum. Quia verò secundùm Apostolum sapientibus sumus & insipientibus debitores, unde nec volumus nec debemus postulantibus justitiam denegare, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si res ita se habet, eidem Archiepiscopo taliter satisfacias de præmissis quòd ei justa de te non remaneat materia conquerendi. Alioquin & thesaurum illi restituas, & de juramento non observato te nostro conspectui responsurum usque ad initium quadragesimæ repræsentes. Quod si facere fortè contempseris, noveris nos venerabili fratri nostro Cameracensi Episcopo dedisse firmiter in mandatis ut sublato contradictionis & appellationis obstaculo te ab officio pontificali suspendat, tuamque nobis non differat contumaciam intimare. Datum.

Cameracensi Episcopo scriptum est super hoc.

MAGUNTINO ARCHIEPISCOPO, Episcopo Sabinensi.

Epist. 17. CArissimus in Christo filius noster Otto, de quo in Regem electo & coronato quid nobis complaceat, tua, sicut credimus, fraternitas non ignorat, gravem nobis querelam contra Landgravium Thuringiæ destinavit, quòd cùm ei fecisset hominium & fidelitatem jurasset, de manu ejus multis præsentibus regalia recipiens cum vexillo, & ut pleniùs & firmiùs quod juraverat observaret, certam illi dedisset pecuniæ quantitatem & Northusam contulisset in feudum, ipse tamen & quod juravit non servavit, & adhuc detinet quæ recepit. Nos autem in hoc fraternitati tuæ cupientes deferre, quam sincera diligimus caritate, cùm idem Landgravius neptem tuam habeat in uxorem, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ipsum ex parte tam nostra quàm tua moneas attentiùs & inducas ut si fortè juramenti religionem contra salutem & famam suam transgredi non veretur, saltem restituat quæ recepit. Alioquin, quantumcunque sibi deferre pro tuo velimus honore, quia tamen facti sumus secundùm Apostolum sapientibus & insipientibus debitores, unde nec volumus nec debemus postulantibus justitiam denegare, ipsum ad alterum prædictorum per excommunicationem in personam & interdictum in terram secundùm officij nostri debitum compellemus. Datum &c.

Cameracensi Episcopo scriptum est super hoc.

ILLUSTRI REGI ANGLORUM.

Epist. 18. ILla te cordis puritate diligimus ut quoties ea nobis de tuis actibus referuntur quæ prudentiam resonant & virtutem, jucundo tibi congratulemur affectu, & si quid fortè de tuis audimus operibus quæ famæ tuæ derogant & honori, mœsto tibi spiritu condoleamus, cupientes ea te semper efficere quæ ad profectum & exaltationem regiæ sublimitatis accedant, & ab iis penitùs abstinere quæ tibi vergunt ad injuriam & jacturam. Sanè quid egeris circa carissimum in Christo filium nostrum Ottonem nepotem tuum tua te conscientia conveniat & accuset; & utinam ita satagas super hoc tuum errorem corrigere ut infamiam aboleas & jacturam. Quia verò, quantumcunque tibi deferre velimus, postulantibus justitiam nolumus denegare, cùm secundùm Apostolum sapientibus simus & insipientibus debitores, ad gravem prænominati nepotis tui querelam paternum respectum habentes, serenitatem tuam monemus attentiùs & exhortamur in Domino, per apostolica scripta mandantes quatenus pecuniam quam inclytæ recordationis Richardus Rex frater tuus ei restamento legavit, ad cujus solutionem juramento diceris obligatus, ipsi solvere non omittas, ut sua saltem illi restituas qui de tuis ei debueras subvenire. Alioquin nos in sua sibi justitia nulla decrimus ratione quò minùs secundùm officij nostri debitum procedamus. Datum.

Vide Roger de Hoveden ad an. 1100. pag. 799. & 802. edit. Francof.

Cantuariensi Archiepiscopo scriptum est super hoc.

DELIBERATIO DOMINI PAPÆ Innocentij super facto imperij de tribus electis.

Epist. 19. IN nomine patris & filij & spiritus sancti. Interest apostolicæ sedis diligenter & prudenter de imperij Romani provisione tractare, cùm imperium noscatur ad eam principaliter & finaliter pertinere; principaliter, cùm per ipsam & propter ipsam de Græcia sit translatum, per ipsam translationis actricem, propter ipsam meliùs defendendam; finaliter, quoniam Imperator à summo Pontifice finalem sive ultimam manus impositionem promotionis propriè accipit, dum ab eo benedicitur, coronatur, & de imperio investitur. Quod Henricus optimè recognoscens, à bonæ memoriæ Celestino Papa prædecessore nostro, post susceptam ab eo coronam, cùm aliquantulùm abscessisset, rediens tandem ad se, ab ipso de imperio per pallam auream petiit investiri. Sicut autem super tres sunt in Reges electi, puer*, Philippus, & Otto, sic tria sunt circa singulos attendenda, quid liceat, quid deceat, quid expediat. Circa puerum quidem filium Imperatoris Henrici facie prima videtur quòd non liceat contra ejus electionem venire, quæ * juramento est Principum roborata. Nam etsi juramentum illud videatur violenter extortum, non est tamen ideo non servandum, cùm licèt juramentum quod Gabaonitis præstiterunt filij Israel fuerit per fraudem subreptum, illud tamen nihilominus decreverint observandum. Præterea etsi à principio fuerit sic extortum, postmodum tamen pater ejus intelligens se per-

* id est, Fridericus Rex Siciliæ.

* Vide gesta Innoc. III. cap 19 & Godefrid monac. S. Pantaleon. ad ann 1196. & 1199.

peram processisse, juramentum relaxavit Principibus, & litteras super ipsius electione remisit; qui postmodum puerum ipsum, patre absente, sponte ac concorditer elegerunt, fidelitatem ei penè penitùs omnes & quidam hominium exhibentes. Vnde non videtur licere contra licita juramenta venire. Videtur etiam non decere ut cùm ipse apostolicæ sedis sit tutelæ commissus, & sub ejus protectione receptus, per eam privetur imperio per quam in jure suo fuerat confovendus; maximè cùm sit scriptum: *Pupillo tu eris adjutor.* Quòd non expediat contra ipsum venire illa præsertim ratione videtur quòd cùm idem puer ad annos discretionis perveniens intellexerit per Romanam Ecclesiam imperij se honore privatum, non tantùm non exhibebit ei reverentiam consuetam, sed ipsam potiùs modis quibus poterit impugnabit, & regnum Siciliæ retrahet à devotione ipsius, & negabit ei obsequium consuetum. Verùm contrarium è contrà videtur, quòd liceat videlicet, deceat, & expediat venire contra electionem ipsius. Quòd liceat videtur ex eo quòd juramenta illa fuerunt illicita & electio indiscreta. Elegerunt enim personam non idoneam, nec non solùm imperio, sed nec alicui officio congruentem, puerum videlicet vix duorum annorum, & nondum sacri baptismatis unda renatum. Vnde non videntur tam illicita & indiscreta juramenta servanda. Nec obest quod de Gabaonitis obicitur, cùm juramentum illud potuerit sine Israëlitici populi læsione servari, hæc autem servari nequeant absque gravi jactura, non unius gentis, sed Ecclesiæ damno & dispendio populi Christiani. Nec obstat quod opponitur juramenta illa licita secundùm intentionem jurantium extitisse. Intelligebant enim quod etsi eum tunc in Imperatorem eligerent, non tamen ut tunc imperaret, sed postquam ad legitimam perveniret ætatem. Sed qualiter de ipsius idoneitate poterant judicare? Nonne potuisset esse stultus, vel usque adeo improvidus ut esset indignos minari etiam dignitate? Sed pone illos intellexisse ut tandem imperaret cùm esset idoneus ad imperium gubernandum, interim autem pater reipublicæ provideret. Casus postmodum intervenit propter quem non potest nec debet juramentum hujusmodi observari, de quo Principes nullatenus cogitabant, scilicet patris decessus. Vnde cùm per procuratorem non possit imperium procurari, nec Imperator debeat fieri temporaliter, nec possit aut velit Ecclesia Imperatore carere, videtur quòd liceat imperio in aliu providere. Quòd non deceat ipsum imperare, patet omnibus manifestè. Numquid enim regeret alios qui regimine indiget aliorum? Numquid tuetetur populum Christianum qui est alienæ tutelæ commissus? Sed nec obstat quod obicitur ipsum esse tutelæ nostræ commissum, cùm non sit nobis commissus ut ei obtineamus imperium, sed regnum Siciliæ potiùs defendamus. Patet enim illud idem ex verbo scripturæ dicentis: *Væ terræ cujus Rex puer est.* & rursus: *cujus Principes manè comedunt.* Quòd non expediat ipsum imperium obtinere patet ex eo quòd per hoc regnum Siciliæ uniretur imperio, & ex ipsa unione confunderetur Ecclesia. Nam, ut cetera pericula taceamus, ipse propter dignitatem imperij nollet Ecclesiæ de regno Siciliæ fidelitatem & hominium exhibere, sicut noluit pater ejus. Nec valet quod opponitur, quòd non expediat venire contra electionem ipsius ne postmodum molestet Ecclesiam, per quam imperium se cognoverit amisisse. Nunquam enim verè dicere poterit quòd Ecclesia imperialem ei abstulit dignitatem, cùm potiùs patruus* ejus non solùm imperium, sed & paternam hereditatem invaserit, & maternam possessionem occupare per suos satellites machinetur, ad cujus defensionem Ecclesia Romana non sine multis laboribus & expensis prudenter & potenter intendit. De Philippo videtur similiter quòd non liceat contra ejus electionem venire. Cùm enim in electionibus circa electores zelus, dignitas, & numerus attendatur, & de zelo non sit facile judicare, cùm ipse à pluribus & dignioribus sit electus, & adhuc plures & digniores Principes sequantur eundem, justè videtur electus. Vnde contra justam & legitimam electionem non videtur licere venire. Quòd non deceat videtur similiter, ne videlicet videremur nostrarum injuriarum ultores si, quia pater & frater ejus fuerunt Ecclesiam persecuti, eum persequi nos vellemus & aliorum culpam in pœnam ejus præter officij nostri debitum immutare; cùm potiùs præcipiatur à Domino: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quòd non expediat, patenter apparet. Cùm enim potens sit tam terra quam opibus & personis, non videtur expedire ut contra torrentem brachia dirigamus, tam potenti nos taliter opponentes, ut eum reddamus nobis & Ecclesiæ inimicum, & ne majorem videremur discordiam suscitare, fieretque novissimus error pejor priore, cùm nos potiùs pacem inquirere & persequi & evangelizare aliis debeamus, quæ fovendo illum posset de facili provenire. Verùm contrà videtur quòd liceat nos ei opponere. Fuit enim justè ac solemniter per prædecessorem nostrum excõmunicationis sententia innodatus; justè, quia B. Petri patrimonium partim per violentiam occuparat, partim damnificarat incendiis & rapinis, & super hoc commonitus semel & iterum per fratres nostros satisfacere non curarat; solemniter, quoniam in celebratione Missarum in Ecclesia beati Petri in festivitate non parva, quod ipse postmodum recognovit cùm pro absolutione sua nuntium ad sedem apostolicam destinavit, & eùm tandem per delegatos nostros contra formam mandati nostri post electionem suam se fecit absolvi. Vnde patet quòd fuerit excommunicatus electus. Videtur quoque forsan aliquibus quòd nondum sit ab excommunicationis vinculo absolutus, cùm quondam Sutrinus Episcopus in absolutione ipsius formam non servaverit sibi datam, cùm forma data eidem fuerit hæc, ut pro absolutione venerabilis fratris nostri Salernitani Archiepiscopi, quem ante absolutionem ipsius mandabamus ab ergastulo suæ captivitatis absolvi, ei laborem itineris veniendi ad sedem apostolicam relaxaret,

* id est, Philippus.

Vide infrà epist. 33.

Vide gesta Innoc. III. c. 22. & infrà epist. 62.

relaaatet, & postmodum recepto ab eo publicè secoodùm formam Ecclesiæ juramento quòd super iis pro qoibus excommunicatus fuerat mandato nostro pareret, munus ei absolorionis impenderet; sed ipse nondum Archiepiscopo absoluto, & oullo ab eo joramento recepto, non in poblico, sed clam, ipsum absolvere de facto solummodo, quia de jure non potuit, est conatus. propter quem ejus excessum, cùm ipsum tediens recognoverit, ab episcopatu remotus, in monasterio diem clausit extremum. Præterea cùm nos Marcualdum & omnes fautores ipsios tam Theutonicos quàm Latinos eacommunicarionis seotentia sæpius innodemos, & ipse non solùm fauror, sed auctor iniqoitatis ejus existat, patet eum excommunicationis sententiæ subjacere. Præterea cùm notarium sit ipsum juramentum fidelitatis puero præstitisse, & nunc regnum Thentonicum &, quantum in eo est, imperium occupasse, coostat eum perjorij esse reum. Sed obicitur quòd si, quemadmodum superiùs est expressum, jotamentum illud illicitum reputemus, quomodo dicimns eum reum esse perjurij & transgressorem præstiri juramenti quod dicitor oon servandum? Sed responderur quòd etsi juramentum illud illicitum fuerit, noo ramen ab eo temeritate propria resilira, sed nostram priùs debuisset coosulete voluntatem, ad eaemplum illios juramenti quod filij Israël Gabaonitis præstirerant; quod licèt fuerlt per fraudem surreptnm, non tamen sua temeritate resilietunt ab eo, sed Dominum consolere decreverunt. Præterea cùm omne quod contra conscientiam fit ædificet ad gehennam, quia secundùm Apostolum omne quod non est ex fide peccatum est, & idem Philippus super hoc negotio raliter se excuset qnòd regnum alirer nullatenus accepisset nisi nosset qoòd illud invadere alij disponebant, patet eum credidisse juramentum illud fuisse servandum, & ex eo quòd venit taliter contra illod, ejus esse conscientiam vùlneratam. Sic ergo videtur quòd licitè nos excommunicato & perjoro debeamus opponere & ejos conatibus obviare Quòd ei nos opponere deceat manifestè videtur ex eo quòd si, proor olim patri filius, sic nunc immediatè soccederet fratet frarri, videreror imperium ei non ex electione conferri, sed ex successione deberi, & sic efficeretur hereditariom quod debet esse grattitum; præsertim cùm non solùm Federicus substituerit sibi filium, sed Henricus etiam filium sibi voluerit subrogare; & per hoc forsan in posterum abusio traheretur in osum. Quòd autem expediat opponere nos Philippo liqoet omnibus manifestè. Cùm enim persecutor sit & de genere persecutorũ fuerit oriondus, si non opponeremus oos ei, videremor contra nos armare furentem & ei gladium in capita nostra dare. Henricus enim, qoi primus impetium de genere hoc accepit, persecutionem gravissimam in Ecclesiam suscitavit, & bonæ memoriæ Paschalem Papam, qui eum coronavit, com Episcopis Cardinalibus & multis nobilibos Romanorum cepit per violentiam & perfidiam, & tamdiu tenere præsumpsit donec pro liberatione non sua, sed eorum qoi fuerant capri secum, quos minabatur mutilare tyrannus, privilegium quodcunque voluit ei fecit. Cùmque postmodum idem Paschalis à detentionis suæ vinculis liberatos prædictum privilegium, quod dicendum erat potiùs * pravilegium, revocasser, dictus Henricus præter Cardinalium electionem hæresiarchas quosdam dati sibi privilegij occasione creavir, & idolum * contra Ecclesiam Romanam erexit; & eatunc schisma usqoe ad Calixtum tempore longo duravit. Huic de eodem genere successit in imperium Fridericus; qui cùm Tyburrinos tunc rebelles post coronarionem suam promisisser ad subjectionem Ecclesiæ revocare, eos sibi postmodum vendicavir, diceos quòd civitatem ipsam vellet in specialem imperij cameram retinere; & sic eos contra Ecclesiam Romanam armavir. Qui etiam cùm bonæ memoriæ Alexander prædecessor noster, tunc Ecclesiæ Romanæ Cancellarius, ad eum à felicis recordationis Adriano Papa, qoi eum coronaverat, destinatus fuisser, lectis litteris io quibus continebatur quòd Imperator deberet Ecclesiæ Romanæ deferre, cùm re ipsa ei coronæ beneficium contulisset, dicitur cum furore & iracundia respondisse: *Nisi essemus in Ecclesia, jam scirent qualiter Thentonicorum enses incidant.* Et protinus eum, infecto negotio pro quo iverat, terram suam jussit exire; & eundem Adrianom moliebatur, sed frustra, cum quibusdam deponere, oppooens ei quòd esset filius sacerdotis. Ipse idem postmodum contra eundem Alexandrum longo tempore schisma fovit, & qooscunque potuit contra eum conjurare coëgit, io juramento opponens quòd nullo tempore pœnitentiam teciperent de hujusmodi juramento; & ipse idem sub eadem forma juravit. Ipse quoque, cùm Venetiis terram Cavalca Comitis, quam occupaverat, & alia quædam Ecclesiæ Romanæ restituere per juramenta Principum promisisset, ipsam postmodum fortiùs occupavit, & bonæ memoriæ Lucio prædecessoti nostro accedeoti in Lombardiam satis fraodulenter illusit, ipsom & successorem ipsios apud Veronam quasi obsessos teoens. Henricus autem filius & successor ipsios in Ecclesiæ persecutionem suæ dominationis execravit primitias, cùm beati Petri patrimoniom violenter ingressus, illud multipliciter devastavit; qui etiam qoosdam familiares fratrum nostrorum naso fecit in injuriam Ecclesiæ mutilari. Ipse occisores bonæ memoriæ Alberti Leodiensis Episcopi, quem ipse coëgerat eaolare, post interfectiooem ipsius in multa familiaritate recepit, & publicè participavit eisdem, & beneficia postmodum majora concessit. Ipse venerabilem fratrem nostrum Analmanom Episcopum, quia confessus est coram eo qoòd episcopatom per sedem apostolicam obrineret, alapis in præsentia sua cædi fecit, & de barba ejus pilis avulsis, ipsom inhonestè tractari. Conradus Musca in * cerebro venerabilem fratrem oostrum Ostiensem Episcopum cepit, & in vinculis posuit, & inhooestè tractavit de mandato ipsios, sicut idem Conradus publicè testabatur, & sicut meliùs apparuit ex postfacto, cùm noo solùm non fuerit evitatus

* Vide Concil. Lateran. anu. 1122.

* Id est, Burdinam; de quo vide lib. 3. miscellaneor. nostror. pag. 472.

Vide Radevic. lib. 1. cap. 8. 9. 10.

Vide Albericũ ad an. 1192.

* Vide gesta Innoc. III. cap. 9.

aut punitus ab ipſo, ſed honoribus & poſſeſſionibus dilatatus. Ipſe poſtmodum Siciliæ regnum adeptus, publicè proponi fecit edictum ut nullus vel clericus vel laicus ad Eccleſiam Romanam accederet, nec ad eam aliquis appellaret. Philippus autem de quo agitur ab Eccleſiæ perſecutione incepit, & adhuc in ea perſiſtit. Olim enim patrimonium Eccleſiæ ſibi uſurpare contendens, Ducem Tuſciæ & Campaniæ ſe ſcribebat, aſſerens quòd uſque ad portas urbis acceperat poteſtatem & etiam illa pars urbis quæ Transtyberim dicitur ejus erat juriſdictioni conceſſa. Nunc etiam per Marcualdum, Dipuldum, & fautores eorum nos & Eccleſiam Romanam perſequitur, & regnum Siciliæ nobis auferre conatur. Si ergo id facit in arido, in viridi quid faceret? Et ſi adhuc aridus & exanguis, tempore cujus adhuc eſt meſſis in herba, nos & Eccleſiam Romanam perſequitur, quid faceret ſi, quod abſit, imperium obtineret? Unde videtur non irrationabiliter expedire ut priùs nos ejus violentiæ opponamus quam ampliùs invaleſcat. Quòd autem etiam in Regibus filij pro patribus ſint puniri divina pagina proteſtatur. Nonne propter peccatum Saulis dictum eſt à Domino per Samuelem: *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui quæ præcepit tibi. quod ſi non egiſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum; ſed nequaquam regnum tuum ultrà conſurget.* Salomoni quoque legitur à Domino eſſe dictum: *Quia non cuſtodiſti pactum meum & præcepta mea quæ mandavi tibi, dirumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo; verumtamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum, de manu filij tui ſcindam illud.* De Ieroboam ſimiliter dictum fuit à Domino per Achiam: *Ecce ego inducam mala ſuper domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem.* Et ibidem legitur quod interfecit Baaſa Nadab filium Ieroboam, & percuſſit omnem domum Ieroboam, non dimiſit nec unam quidem animam de ſemine ejus, donec deleret eam propter peccata Ieroboam quæ peccaverat, & quibus peccare fecerat Iſraël, & propter delictum quo irritaverat Dominum Deum Iſraël. De Baaſa quoque ſcribitur dixiſſe Dominus: *Quia ambulaſti in via Ieroboam, & peccare feciſti populum meum Iſraël, ecce ego demetam poſteriora Baaſa & poſteriora domus ejus.* Achab etiam dictum invenitur à Domino per Eliam: *Ecce ego inducam ſuper te malum, & demetam poſteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem.* Nam & Dominus dicit: *Ego ſum Deus zelotes, vindicans peccata patrum in filios uſque in tertiam & quartam progeniem in his qui oderunt me*, id eſt, in his qui circa me paternum odium imitantur. De Ottone videtur quòd non liceat ipſi favere, quoniam à paucioribus eſt electus; quòd non deceat, ne videamur, non ob gratiam ejus, ſed alterius odium, ipſi favorem apoſtolicum exhibere; quòd non expediat, quia reſpectu alterius videtur pars ejus debilis & infirma. Verùm cùm tot vel plures ex his ad quos principaliter ſpectat Imperatoris electio in eum conſenſiſſe noſcantur quot in alterum conſenſerunt, cùm non minùs idoneitas ſeu dignitas electæ perſonæ, immo plus quàm eligentium numerus ſit in talibus attendendus, nec tantum pluralitas quoad numerum, ſed ſalubritas quoad conſilium in eligentibus requiratur, & Otto magis ſit idoneus ad regendum imperium quàm Philippus, cùm Dominus etiam puniat peccata patrum in filios uſque in tertiam & quartam progeniem in his qui oderunt eum, id eſt, in his qui patrum peccata ſequuntur, & Philippus progenitorum ſuorum peccata in Eccleſiæ perſecutione ſequatur, cùm, etſi non debeamus reddere mala pro malis, ſed benefacere malefacientibus nobis, non tamen debeamus honorem pro injuria in his qui in ſolita perſeverant malitia compenſare aut contra nos armare furentes, cùm Dominus, ut confunderet fortia, humilia elegiſſe legatur, utpote qui David in Regem de poſtfœtantes accepit, videtur quòd & liceat, deceat, & expediat ipſi favorem apoſtolicum exhibere. Abſit enim ut deferamus homini contra Deum aut timeamus vultum potentis, cum ſecundùm Apoſtolum non ſolùm à malo, ſed ab omni ſpecie mala nos oporteat abſtinere. Scriptum eſt enim: *Maledictus qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium ſuum.* Nos igitur ex prædictis cauſis pro puero non credimus inſiſtendum ut ad præſens debeat imperium obtinere. Perſonam verò Philippi propter impedimenta patentia penitùs reprobamus, & obſiſtendum ei dicimus ne imperium valeat uſurpare. De cetero verò agendùm per Legatum noſtrum apud Principes ut vel conveniant in perſonam idoneam, vel ſe judicio aut arbitrio noſtro committant. Quòd ſi neutrum elegerint, cùm diu expectaverimus, cùm monuerimus eos ad concordiam, cùm inſtruxerimus eos per litteras & nuntium noſtrum, & conſilium noſtrum eis duxerimus exponendum, ne videamur eorum fovere diſcordiam & dicere cum Ezechia, *fiat pax & veritas in diebus noſtris*, ne ſi ſecuti fuerimus à longè ut videamus finem, cum Petro tandem veritatem, quæ Chriſtus eſt, negare cogamur, cùm negotium iſtud dilationem non capiat, cùm Otto & per ſe devotus exiſtat Eccleſiæ, & ex utraque parte trahat originem ex genere devotorum, ex parte matris de domo Regum Angliæ, ex parte patris de proſapia Ducum Saxoniæ, qui omnes Eccleſiæ fuere devoti, & ſpecialiter Lotharius Imperator proavus ejus, qui bis pro apoſtolicæ ſedis honore Apuliam eſt ingreſſus, & in obſequio Eccleſiæ Romanæ deceſſit, ei manifeſtè favendum, & ipſum recipiendum in Regem, & præmiſſis omnibus quæ pro honorificentia Eccleſiæ Romanæ debent præmitti, ad coronam Imperij evocandum.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO & ſuffraganeis ejus, & nobilibus viris Principibus in Colonienſi provincia conſtitutis.

NEc vos nec alios credimus dubitare quin imperij Romani proviſio principaliter & finaliter nos contingat; principaliter quidem, quoniam per Romanam Eccleſiam de Græcia fuit ſpecialiter pro Eccleſiæ defenſione tranſlatum; finaliter, quia etſi alibi coronam regni recipiat, ab apoſtolica tamen ſede ultimam manus impoſitionem & coronam imperij recipit Epiſt. 30.

Imperator. Unde audito quondam quòd vota Principum in Imperatoris fuissent electione divisa, tantò magis fuimus de ipsorum divisione turbati quantò bonos status imperij ex causis prædictis specialiùs ad nos spectat, & pro multis & magnis necessitatibus populi Christiani non solùm Ecclesia devotum habere desiderat defensorem, sed & imperium totum ind gere cognoscitur idoneo provisore. Verùm, quantumcunque grave nobis existeret & molestum quòd imperij provisio videbatur in commune religionis Christianæ dispendium ex tali divisione differri, ne tamen Principum dignitatem ignorare vel lædere videremur, expectavimus aliquandiu si forsan ipsi usi consilio saniori, vel per se ipsos, si fieri posset, dissensioni suæ finem imponerent, vel super hoc saltem nostrum consilium implorarent; ut per eorum studium nobis mediantibus discordiæ malum bono concordiæ purgaretur, & rugam schismatis unitatis simplicitas aboleret. Cùm autem expectatio nostra nec nobis, nec vobis, immo nec imperio ipsi prodesset, sed obesse potiùs videretur, ne dissimolando videremur hujusmodi fovere discordiam, ad concordiam vos curavimus per litteras apostolicas invitare, quas ad multos Principum novimus pervenisse. Postmodum verò audito quòd per sollicitudinem bonæ memoriæ Conradi Archiepiscopi Maguntini à nostra præsentia redeuntis disposuissent Principes ad colloquium convenire super ordinatione imperij tractaturi, ne quid ex contingentibus omittere videremur, litteras nostras ad eos per proprium nuntium duximus destinandas, consilium nostrum eisdem fideliter exponentes. Cæterùm, cùm nec sic hactenus inter eos bonum concordiæ poruerit provenire aut utiliter imperio provideri, deliberavimus cum fratribus nostris quid esset agendum & qualiter posset malis imminentibus obviari. Tandem verò in hoc resedit consilium, ut venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolicæ sedis Legatum, religione conspicuum, præditum honestate, magnum Ecclesiæ Dei membrum, quem inter ceteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, & cum eo dilectum filium magistrum Philippum Notarium nostrum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum, ad partes Germaniarum ex nostro latere mitteremus. Quia verò quantò negotium istud magis est arduum, tantò majores & maturiores exigit tractatores, venerabili fratri nostro Octaviano Ostiensi Episcopo apostolicæ sedis Legato, qui post nos in Ecclesia Romana obtinet primum locum, dedimus in mandatis ut si à negotiis illis quibus intendit in regno Francorum se poterit expedire, cum ipsis pariter & per ipsos nuper à nostro latere venientes instructos plenius ad partes vestras accedat, & ambo Episcopi simul, vel alter eorum, si ambo non poterint interesse, cum eodem Notario vestrum consilium audiant, & vobis beneplacitum nostræ voluntatis exponant. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus cùm ab eis vel eorum altero fueritis evocati, ad præsentiam evocantium aut etiam evocantis accedere non tarderis. Datum Laterani Non. Ianuarij; [pontificatus nostri anno quarto.]

In eundem modum scriptum est Capitulo & suffraganeis Ecclesiæ Maguntinæ, & Principibus in Maguntina provincia constitutis.

In eundem modum Saltzburgensi & suffraganeis ejus, & Principibus in Saltzburgensi provincia constitutis.

In eundem modum Bremensi & suffraganeis ejus, & Principibus in Bremensi provincia constitutis.

In eundem modum Treverensi & suffraganeis ejus, & Principibus in Treverensi provincia constitutis.

UNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS quàm secularibus Principibus Alamanniæ.

Quantum ex imperij divisione dispendium, non solùm nobis & vobis, sed etiam universo populo Christiano proveniat, instantis temporis malitia manifestat. Iam etenim contra catholicos invalescunt hæretici, Christianæ religionis termini coarctantur, contra fideles pagani super occupatione ac detentione terræ nativitatis dominicæ gloriantur. Pax & justitia, quondam invicem se complexæ, particulare nonc deplorant exilium, & in earum sedes violentia & seditio conjuratis manibus impune se jactitant successisse. Unde jam violenti bona Ecclesiarum sacrilega tam mente quàm manu diripiunt, potentiores impotentium colla premunt, & loculi pauperum in thesauros divitum inopem cognitor copiam vel copiosam inopiam parturire, ac in eorum explicationibus plicas veteres, ut jam ad litteram quod legitur impleatur: *Et qui non habet id etiam auferetur quod videtur habere.* Et ut singula breviùs perstringamus, jam sibi juris locum injutia vendicavit, & legem facit, non ratio, sed voluntas; ita ut quidam totum sibi licere putent quod noverint complacere. Nos autem jampridem hæc omnia prævidentes, & volentes præcavere sollicitè ne hujusmodi venirent abusiones in usum, licèt expectantes expectaverimus aliquantum ut vos usi consilio saniori hæc mala per utilem provisionem imperij tolleretis & in partu perimeretis hujusmodi genimina viperarum, tandem tamen, ne dissimulando fovere discordiam videremur, cùm non ad depressionem sed exaltationem imperij, sicut novit Dominus, intendamus, per litteras nostras, quas ad multos vestrum novimus pervenisse, vos ad concordiam curavimus invitare, ne imperialis sublimitas per eos, non solùm attenuari, sed & destrui videretur per quos magnificari debuerat & extolli. Tandem autem audito quòd per studium & sollicitudinem bonæ memoriæ Conradi Archiepiscopi Maguntini à nostra præsentia redeuntis quidam vestrum disposuissent ad commune colloquium convenire super ordinatione imperij tractaturi, litteras nostras ad vos per proprium nuntium duximus destinandas, consilium nostrum vobis exponentes fideliter, & super iis quæ videbantur necessaria vos diligentiùs instruentes. Ceterùm cùm nec per expectationem diutinam, nec per exhortationem honestam, nec per instructionem plenariam sit hactenus concordiæ prioris incommodum sequentis Epist. 31.

concordiæ commoditate purgatum, ne quid ex contingentibus omittamus, venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum &c. *ut in præcedenti usque* acceptum, ad partes Germaniarum duximus destinandos, ut ipsi cum venerabili fratre nostro Octaviano Ostiensi Episcopo apostolicæ sedis Legato, si tamen à negotiis quibus tenetur in regno Francorum se poterit expedire, aut etiam sine ipso, si forsan non poterit interesse, vos ex parte nostra diligenter moneant & inducant ut per vos ipsos eum eorum, si necesse fuerit, consilio & præsidio ad concordiam efficaciter intendatis, concordantes in eum quem nos ad utilitatem imperij cum Ecclesiæ honestate meritò coronare possimus, vel si fortè per vos desiderata non posset concordia provenire, nostro vos saltem consilio vel arbitrio committatis; salva in omnibus tam libertate vestra quàm imperij dignitate, cùm neminem magis quàm Romanum Pontificem super hoc deceat vos mediatorem habere, qui voluntatibus & rationibus intellectis, quid justum foret & utile provideret, vosque per auctoritatem cælitus sibi datam super juramentis exhibitis quoad famam & conscientiam liberaret, cùm & negotium imperij ad nos principaliter & finaliter pertinere noscatur; principaliter quidem, quia per Romanam Ecclesiam fuit à Græcia pro ipsius specialiter defensione translatum; finaliter autem, quoniam etsi ab alio regni coronam recipiat, à nobis tamen coronam imperij recipit Imperator. Monemus ergo universitatem vestram & exhortamur in Domino, & per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus Legatos ipsos vel eorum alterum in Theutoniam accedentem & eundem Notarium recipiatis hilariter &, sicut decet, honorificè pertractetis, ipsorum monita & consilia recipientes humiliter & inviolabiliter observantes. Nos enim eis dedimus in mandatis ut ad concordiam vestram & utilem ordinationem imperij prudenter & diligenter intendant. Datum ut suprà.

ILLVSTRI REGI OTTONI in Romanorum Imperatore electo.

Epist. 32. VT non solùm dispositio rerum & temporum omnipotentem Dominum demonstraret, sed ipsa quasi conformitas operum & eventuum ad se invicem eundem omnium fateretur auctorem, cælestibus Dominus terrestria conformavit; ut dum mirabili quadam similitudine respondere videremus ima summis, unum & eundem factorem & actorem omnium cognoscamus. Ipse etenim licèt sit magnus in magnis, ut mirabilis tamen etiam in minimis appareret, sicut circa mundi creationem & seculorum initia duo magna luminaria in firmamento cæli constituit, unum quod illuminaret diem, alterum quod in tenebris radiaret, sic processu temporum ad firmamentum Ecclesiæ, quæ cæli nomine designatur, duas magnas instituit dignitates; primam quæ illuminet diem, id est, in spiritualibus spirituales informet & animas diabolica fraude deceptas à peccatorum catenis absolvat, cùm ex privilegio sibi traditæ potestatis quos ipsa ligat & solvit in terris, Deus ligatos habeat & solutos in cælis; alteram quæ in tenebris radiet, dum in hæreticos mentis cæcitate percussos & hostes fidei Christianæ, quos nondum oriens ex alto respexit, Christi & Christianorum punit injuriam, & ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, materialis gladij potestatem exercet. Vnde sicut in eclypsi lunæ tenebræ amplius tenebrescunt & majoris caliginis obscuritas invalescit, sic ex Imperatoris defectu hæreticorum vesania & violentia paganorum contra catholicos & fideles perfidiùs & crudeliùs malitia multiplicata consurgunt. Hoc autem attendentes sollicitè, ac volentes malis imminentibus obviare, circa provisionem imperij solliciti fuimus, sicut per frequentes litteras directas ad Principes & Legatos transmissos ad eos omnibus credimus patuisse; in quo quantum celsitudini tuæ duxerimus deferendum, & tu ipse novisti, & res perhibet testimonium veritati. Novimus enim qualiter inclitæ recordationis Lotharius Imperator proavus tuus Ecclesiæ Romanæ devotus extiterit, qualiter pro defendendo ejus honore non solùm semel sed & secundò vocatus accesserit, qualiter in ipsius subsidio finierit dies suos, qualiter avus & pater tuus ejus vestigiis inhærentes prædecessoribus nostris exhibuerint se devotos, qualiter etiam Anglicana domus, ex qua ex parte matris es ortus, in devotione sedis apostolicæ ferè semper perstiterit & persistat, & ei tempore grandis persecutionis obsequium impenderit opportunum. In te igitur progenitorum tuorum devotionem suscitare pleniùs & abundantiùs remunerare volentes, credimus & quasi pro certo tenemus quòd non solùm in ea te verum ostendes heredem eorum & legitimum successorem, sed tantò ipsos in hoc præcedes ampliùs quantò te à nobis magis intelliges honoratum. Inspiret autem cordi tuo is qui corda Principum habet in manu sua, & per quem Reges regnant & Principes obtinent principatum, ut affectum nostrum penses pleniùs per affectum quàm nostro tibi explicemus vel explicare possimus affatu, & ea quæ acta sunt hactenus & aguntur, & adhuc dante Domino per nos circa te agentur in posterum, fideliter in tuo corde reponas, & ita memoriæ recommendes ut nec obliviosus videri valeas vel ingratus, sed ad apostolicæ sedis exaltationem & honorem potenter intendas, & ejus plenè benevolentiam recognoscas, quæ cùm defecissent ferè penitus vires tuæ, in tua dilectione non tepuit, nec te deseruit in adversis, sed tamdiu fovit donec juxta tuum te desiderium exaltaret. Nos enim serenitatem tuam in eo de consilio fratrum nostrorum honorare volentes ultra quod in seculo secularis Princeps nequeat honorari, auctoritate Dei omnipotentis nobis in beato Petro collata te in Regem recipimus, & regalem tibi præcipimus de cetero reverentiam & obedientiam exhiberi; præmissisque omnibus quæ de jure sunt & consuetudine præmittenda, regiam magnificentiam ad suscipiendam Romani imperij coronam vocabimus, & eam tibi dante Domino humilitatis nostræ manibus solemniter confe-

remus. Monemus igitur celsitudinem regiam & exhortamur in Domino quatenus spem tuam ponas in illo qui reprobato Saüle, David elegit in Regem, & talem te studeas exhibere ut de te quoque dicere valeat: *Inveni virum secundùm cor meum.* Ad hæc, venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolicæ sedis Legatum &c. *ut in præcedenti usque* acceptum, quos pro negotiis tuis specialiter & principaliter duximus destinandos, benignè recipias & pertractes, & honorificentiam eis, sicut te decet & ipsos, impendas; dilectum quoque filium Ægidium Acolythum nostrum, cujus fidem & sollicitudinem jam in pluribus es expertus, habeas propensiùs commendatum. Datum Laterani Kal. Martij.

VNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS quàm secularibus Principibus Alamanniæ.

Epist. 33.

ETsi quidam Imperatores Romani Ecclesiam in multis afflixerint, multi tamen eam in pluribus honorarunt, ita quòd per devotionem & liberalitatem ipsorum magnifica beneficia novimus Ecclesiæ provenisse. Vnde non est aliquo modo credendum quòd, sicut pestilentes aliqui mentiuntur volentes inter Ecclesiam & imperium immortalem discordiæ materiam suscitare, ad depressionem intendamus imperij; per quod, si fuerit bene ordinatum, Ecclesiam non solùm defendi credimus, sed etiam exaltari. Novimus etenim & vos nostis quòd ejus provisio principaliter & finaliter nos contingit; principaliter quidem, quia per Ecclesiam de Græcia pro ipsius specialiter fuit defensione translatum; finaliter autem, quoniam etsi alibi coronam regni accipiat, à nobis tamen Imperator imperij recipit diadema in plenitudinem potestatis. Attendentes autem olim quantum dispendium ex defensoris defectu pateretur Ecclesia, quantumque detrimentum ex Imperatoris carentia sentiret religio Christiana, licèt expectaverimus expectantes si fortè vos ipsi saniori usi consilio tantis malis finem imponere curaretis, vel ad divinum & nostrum saltem recurreretis auxilium, ut per Deum & nos vestro studio mediante tanta dissensio sopiretur, quia vos super hoc negligentes invenimus & remissos, ut nostrum exequeremur officium, vos per litteras nostras paterna curavimus sollicitudine commonere ut timorem Domini habentes præ oculis, & imperij zelantes honorem, ne vel annullaretur dignitas vel libertas deperiret ipsius, ad provisionem ipsius meliùs intendere curaretis, alioquin, quia mora trahebat periculum ad se grave, nos quod expedire sciremus utiliter procurantes, curaremus ei apostolicum impertiri favorem quem crederemus majoribus studiis & meritis adjuvari. Cùm autem nobis ad litteras istas, quas ad multos vestrum novimus pervenisse, nec verbo fuisset nec facto responsum, expectavimus iterum donec audivimus quòd per studium & sollicitudinem bonæ memoriæ Conradi Archiepiscopi Maguntini à nostra præsentia redeuntis fuerit procuratum ut quidam vestrum ad commune colloquium convenirent de provisione imperij tractaturi. Vnde, ne videremur ab incepto desistere, litteras nostras ad vos per proprium nuntium duximus destinandas, consilium nostrum vobis exponentes fideliter, & super iis quæ necessaria videbantur diligentiùs instruentes. Ceterùm cùm nec per expectationem diutinam, nec exhortationem honestam, nec instructionem plenariam fuerit discordiæ prioris incommodum sequentis concordiæ commoditate purgatum, ne quid ex contingentibus omittere videremur, venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolicæ sedis Legatum, virum religione conspicuum, præditum honestate, magnum Ecclesiæ Dei membrum, quem inter ceteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, & cum eo dilectum filium magistrum Philippum Notarium nostrum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris merito suæ probitatis carum admodum & acceptum, ad partes vestras duximus destinandos, qui cum venerabili fratre nostro Octaviano Ostiensi Episcopo apostolicæ sedis Legato, primum locum post nos in Ecclesia Romana tenente, si tamen ipse à negotiis illis quibus tenebatur in regno Francorum se posset utiliter expedire, ad vos simul accederent, & ex parte nostra monerent salubriter & inducerent diligenter ut per vos ipsos cum eorum, si necesse foret, consilio & præsidio ad concordiam intendere curaretis, vel si fortè per vos desiderata non posset concordia provenire, nostro vos committeretis arbitrio vel consilio, salva in omnibus tam libertate vestra quàm imperij dignitate, cùm neminem magis quàm Romanum Pontificem mediatorem in hoc vos habere deceret, qui voluntatibus & rationibus intellectis provideret quod esset justum & utile, vosque per auctoritatem cælitus sibi datam super juramentis exhibitis quoad famam & conscientiam liberaret, & ad quem negotium imperij ex causis superiùs assignatis non est dubium pertinere. Ceterùm quoniam hactenus nec expectationis nostræ modestia, nec exhortationis studium, nec consilij maturitas, nec instructionis discretio vos commovit, nec Legatorum nostrorum usque adeo sollicitudo profecit ut vel per vos ipsos sepulta discordia, sicut vos sæpe monuimus, concorditer ad provisionem intenderetis imperij, vel consilio aut arbitrio nostro committere vos velletis, cùm dispendium Ecclesiæ, quæ diutius nec vult nec debet idoneo defensore carere, sustinere nolimus ulteriùs vel dissimulare jacturam populi Christiani, cùm alteri de vestris electis favorem impendere non possimus propter excommunicationem publicam, perjurium manifestum, & vulgatam persecutionem quam progenitores ejus & ipse in apostolicam sedem & Ecclesias exercere nullatenus dubitarunt, propter insolentiam etiam quam exercuerunt in Principes & alios sibi subjectos, & ne libertas Principum in Imperatoris electione vilescat si non per electionem, sed successionem transferri à patribus in filios & in fratres à fratribus imperium videatur, consentire in alterum nos oportet. Fuit enim nobilis vir Philippus Dux Sueviæ à bonæ memoriæ Celestino Papa præ- Vide suprà epist. 29.

decessore nostro propter invasionem & devastationem patrimonij beati Petri commonitione secundò præmissa publicè ac solemniter excommunicationis sententia innodatus, cùm in Tuscia moraretur. quod ipse postmodum recognovit, dum per nuntium suum ab ipso prædecessore nostro absolutionis beneficium postulavit,
Vide gesta Innoc. III. cap. 21.
& postmodum à tunc Sutrino Episcopo, quem cum Abbate sancti Anastasij pro liberatione venerabilis fratris nostri Salernitani Archiepiscopi miseramus, contra formam mandati nostri de facto solummodo, quia de jure non potuit, post suam electionem apud Vvarmatiam occultè se fecit absolvi. Vnde patet quòd fuerit excommunicatus electus, & videtur non immeritò quodadhuc sit ex eadem causa excommunicationis sententia innodatus, cùm prædictus Episcopus eum auctoritate sua non posset absolvere, auctoritate verò nostræ delegationis nec plus nec aliter liceret hoc ipsi quam quod ei fuerat ab apostolica sede concessum. Ex eo etiam excommunicationis sententiæ subjacere creditur manifestè quòd cùm perfidus Marcualdus, Dei & Ecclesiæ inimicus, cum universis fautoribus tam Theutonicis quàm Latinis excommunicationis vulgatæ vinculis suæ iniquitatis meritis sit astrictus, sicut jam vobis per litteras nostras directas per P. Iudicem Placentinum ipsius Philippi nontium intimasse meminimus, quas ad ipsius Philippi audientiam credimus pervenisse, ipse nihilominus, quamvis id non tantùm ex relatione ipsius Iudicis, sed etiam per publicam famam ad notitiam ejus devenerit, eidem excommunicato non solùm communicat, sed cum in malitia sua fovet, & per nuntios & litteras suas exacuit furorem ipsius ut carissimum in Christo filium nostrum Fridericum Siciliæ Regem illustrem nepotem suum, quem jam hereditate paterna privavit, adbuc privet possessione materna. Idem etiam contra proprium juramentum, super quo nec consilium à sede apostolica requisivit, ambitionis vitio regnum sibi usurpare præsumpsit, non alium causa necessitatis in Regem eligere. Quod utcunque tolerabilius videretur, cùm super illo juramento sedes apostolica priùs consuli debuisset, sicut & eam quidam consulvere prudentet, apud quam ex institutione divina plenitudo residet potestatis. Nec valet ad plenam excusationem ipsius, si juramentum illud dicatur illicitum, cùm nihilominus super eo nos priùs consulere debuisset quàm contra ipsum propria temeritate venire; illo præsertim exemplo, quòd cùm Gabaonitæ à filiis Israel per fraudem subripuerint juramentum, ipsi tamen, cognita fraude, noluerunt contra illud sua temeritate venire. Quod autem de genere persecutorum existat, vos non credimus dubitare, cùm Henricus, qui primus imperium de genere hoc accepit, bonæ memoriæ Paschalem Papam prædecessorem nostrum cum Episcopis, Cardinalibus, & multis nobilibus Romanorum præsumpserit captivare. Fredericus autem pater ipsius Philippi contra felicis recordationis Alexandrum prædecessorem nostrum longo tempore schisma
Vide suprà epist. 29.
fovit. Henricus frater ipsius Philippi qualiter se habuerit circa interfectores sanctæ memoriæ Alberti Leodiensis Episcopi, quem ipse priùs coëgerat exulare, ac Conradus, qui prædictum Ostiensem Episcopum ceperat, satis nostis: qui etiam qualiter venerabilem fratrem nostrum Auximanum Episcopum alapis cædi fecerit, & pilos de barba ejus avelli & tractari eum in pluribus inhonestè, qualiter quoque quosdam familiares Ecclesiæ Romanæ naso fecerit mutilari, qualiter prædictum Salernitanum Archiepiscopum captivarit, & quosdam viros ecclesiasticos flammis torreri fecerit, quosdam verò vivos in mare submergi, ad vestram credimus audientiam pervenisse. Hæ sunt paucæ de multis injuriis personales quas apostolicæ sedi circa viros ecclesiasticos irrogarunt. Reales autem injurias subticemus, quas ei circa possessiones ecclesiasticas intulerunt, ne cui posset perversè intelligenti videri quòd pro jure ac honore imperij defendendo injurias hujusmodi perpetrarint, cum nos jus & honorem imperij conservare velimus per omnia illibatum. Quòd idem Philippus Ecclesiæ persecutor extiterit & existat, ex iis quæ præmisimus satis patet. Quòd pater & frater ejus vobis imposuerint grave jugum, vos ipsi perhibete testimonium veritati. Nam ut cetera taceamus, hoc solum quòd vobis in substitutione Imperatoris eligendi voluerint adimere facultatem, libertati & honori vestro non modicùm derogarunt. Vnde si, sicut olim patri filius, sic nunc immediatè succederet frater fratri, videretur imperium non ex electione conferri, sed ex successione deberi. Nos igitur, quoniam duobus ad habendum simul imperium favere nec possumus nec debemus, nec credimus personæ in imperio, sed imperio in persona potiùs providendum, quia etiam ad hoc dignior reputatur qui magis idoneus reperitur, ex causis prædictis, non amaritudinis sed rectitudinis zelo, sicut is novit qui renum est scrutator & cordium, personam Philippi, tamquam indignam quo ad imperium præsertim hoc tempore obtinendum, penitùs reprobamus, & juramenta quæ ratione regni sunt ei præstita decernimus non servanda, non tam propter paternos vel fraternos excessus quam propriam ejus culpam. Quamvis non ignoremus dictum à Domino: *Ego sum Deus zelotes, vindicans peccata patrum in filios usque in tertiam & quartam progeniem in iis qui oderunt me*, id est, in iis qui contra me paternum odium imitantur. Cùm autem carissimus in Christo filius noster Otto vir sit industrius, providus & discretus, fortis & constans, & per se devotus existat Ecclesiæ, ac descendat ex utraque parte de genere devotorum, cùm etiam electus in Regem, ubi debuit & à quo debuit fuerit coronatus, & ipse suæ strenuitatis & probitatis meritis ad regendum & exaltandum imperium idoneus esse nullatenus dubitetur, nos auctoritate beati Petri & nostra eum in Regem recepimus, & regalem ei præcepimus honorificentiam exhiberi, ipsumque ad coronam imperij, sicut decet, vocare curabimus & eam ipsi solemniter & honorificè ministerio nostro, Domino concedente, conferre. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino & in remissionem vobis injungimus peccato-

rum quatenus ei de cetero sicut Regi vestro in Romanorum Imperatorem electo reverenter & humiliter deferatis, regalem ei honorificentiam & obedientiam impendentes. Si enim salubribus monitis & consiliis nostris, quæ de corde puro & conscientia bona & fide non ficta procedunt, prudenter ac reverenter curaveritis acquiescere, nos cum eodem & pro eodem Rege ad honorem & exaltationem imperij efficaciter intendemus, cùm & ipse nobiscum pariter & pro nobis ad honorem & exaltationem Ecclesiæ intendere debeat, ut speramus; ita quòd eo faciente qui est Rex Regum & Dominus dominantium, sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, regnum & sacerdotium diebus nostris mutuis subsidiis optatum recipient incrementum. Super primis etiam juramentis illud auctoritate apostolica statuemus quod ad purgandam & famam & conscientiam redundabit. Eis autem qui super hoc monitis, consiliis, & mandatis nostris humiliter acquieverint, super honoribus, dignitaribus & possessionibus suis apud prædictum Regem & suos curabimus utiliter providere. Quòd si etiam idem nobilis vir Philippus de plano acquiescere vellet & Deo & Ecclesiæ satisfacere competenter, paterna eum curaremus sollicitudine confovere & ad honorem & profectum ejus intendere diligenter. Datum ut suprà.

Scriptum est in eundem modum eisdem usque ne quid ex contingentibus omittere videamur, cùm dispendium Ecclesiæ, quæ diutiùs nec valet &c. *usque in finem.*

Scriptum est in eundem ferè modum ministerialibus.

ELECTO ET CAPITVLO Hildesimensi.

Epist. 34. QVantum gratiæ & favoris vobis exhibuerit apostolica sedes non oportet nos litteris explicare, cùm res ipsa testimonium perhibeat veritati. Vnde tantò vos credimus faciliores & devotiores ad implendum nostrum beneplacitum invenire quantò magis benevolentiam nostram experti, de ipsa sumpsistis expressiùs argumentum. Cùm ergo Ecclesiæ Romanæ dispendium, quæ diutiùs nec vult nec potest idoneo defensore carere, sustinere nolimus ulteriùs vel dissimulare jactutam tam imperij quàm populi Christiani, cùm etiam eorum utrique qui in Theutonia electi dicuntur favere ad obtinendum imperium non possimus, nec credamus tam personæ in imperio quàm imperio in persona idonea providendum, sitque reputandus ad hoc dignior qui magis idoneus reperitur, personam nobilis viri Philippi Ducis Sueviæ propter impedimenta parentia quoad imperium obtinendum, præsertim hoc tempore, penitùs reprobamus, & juramenta quæ ipsi ratione regni sunt præstita decernimus non servanda, & carissimum filium nostrum Ottonem, quem esse novimus virum industrium & prudentem, fortem & strenuum, in Regem recipimus, & regalem ei præcipimus ab omnibus honorificentiam exhiberi. Monemus igitur discretionem vestram & exhortamur in Domino, & per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatenus ipsi firmiter adhærentes tamquam Regi vestro in Romanorum Imperatorem electo & à nobis dante Domino coronando, honorem & reverentiam impendatis, & fideliter assistatis eidem, ac quoscunque poteritis ad favorem & fidelitatem ipsius verbo & opere prudenter & efficaciter inducatis; Cùm enim gratum nobis fuerit & acceptum quicquid auxilij & favoris ei hactenus est impensum, de cetero grave nobis existeret & molestum si quis se ipsi duceret opponendum aut ei fideliter non adesset. Datum ut suprà.

In eundem ferè modum scriptum est Saltzburgensi Archiepiscopo.

NOBILI VIRO ALBERTO COMITI de Thaisburg.

SI nec simplex promissio quam viri nobiles & prudentes fecerint in re tam licita quàm honesta revocari debeat, sed firmiter potiùs observari, ea multò magis est tenenda quæ sub obtestatione divini nominis, evangeliis coram positis, exhibetur, cùm nemo in vanum debeat assumere nomen Dei. Gaudemus ergo quòd carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo juramentum fidelitatis, sicut accepimus, præstitisti, & ei disposuisti fideliter & firmiter adhærere. Sanè cùm Ecclesiæ Romanæ dispendium, quæ diutiùs &c. *in eundem ferè modum ut suprà usque* exhiberi. Monemus igitur nobilitatem tuam & exhortamur attentiùs, & per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus in ejusdem Regis fidelitate fideliter & devotè persistas, & ipsi de cetero regalem honorificentiam studeas exhibere, ad honorem & exaltationem ipsius per te ac tuos prudenter & potenter intendens, nonobstante juramento si quod Duci prædicto ratione regni forsitan præstitisti, cùm nos illud, eo reprobato, decreverimus non servandum. Datum ut suprà. Epist. 35.

In eundem modum R. Comiti de Thavesburc. In eundem modum nobili viro Langravio.

NOBILI VIRO COMITI DE VIANNA.

EXpectantes expectavimus olim ut Principes vel per se ipsos imperio utiliter providerent, vel super eo saltem divinum & nostrum auxilium implorarent. Ne autem expectando diutiùs dissimulare discordiam & dissimulando fovere forsitan videremur, eos ad concordiam per litteras nostras curavimus exhortari; ac postmodum, cùm audissemus quòd quidam eorum disposuerant ad commune colloquium convenire, consilium nostrum eis per proprium nuncium & litteras nostras fideliter duximus exponendum; tandem quoque Legatos nostros in Theutoniam destinantes, ipsos super utili provisione imperij mandavimus diligenter & efficaciter commoneri. Cùm ergo Ecclesiæ Romanæ dispendium &c. *in eundem modum ut in illa quæ sic incipit* * Quantum gratiæ, *usque* exhiberi. Monemus ergo nobilitatem tuam & exhortamur in Domino & per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram ipsi de cetero fideliter & constanter adhærens & tamquam Regi in Romanorum Imperatorem electo & à Epist. 36

*id est, epi 34.

nobis opportuno tempore dante Domino coronando reverentiam & honorem impendas, & nonobstante juramento &c. *in eundem modum ut*
*id est, epi. 35. *in prima * præcedenti usque* non servandum, per te ac tuos potenter & efficaciter intendas ad exaltationem ipsius, ut & nos pro tuæ nobilitatis honore apud eum intendere meritò debeamus. Datum ut suprà.

In eundem modum scriptum est Comiti Hirsuto.

In eundem modum Comiti de Zuanburc.

In eundem modum Comiti de Salzburg.

In eundem modum Comiti de Neojur.

In eundem modum Comitibus de Spanabim

In eundem modum Trevirensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

In eundem modum Salzburgensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

In eundem modum Capitulo & suffraganeis Ecclesiæ Maguntinæ.

In eundem modum Magdeburgensi Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

In eundem modum nobili viro Duci Bernardo.

In eundem modum Adulfo Comiti de Lovenburch.

In eundem modum Duci Bavariæ.

NOBILI VIRO GVARNERO DE Belland.

Epist. 37. GAudemus in Domino & in potentia virtutis ipsius, quæ tibi & quibusdam aliis amicis & consanguineis tuis misericorditer inspiravit ut ab eo discederes cui nos coronam imperij salva conscientia imponere non possemus, & adhæreres illi quem nos intendimus honorare. Sanè cùm Romanæ Ecclesiæ dispendium &c. *ut in præcedenti usque in finem.*

In eundem modum Guttifredo de Appelstaim.

MAGDEBVRGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 38. LIcèt carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum sincera diligamus in Domino caritate, & ad honorem intendamus ipsius, Magdeburgensis tamen Ecclesiæ incrementum nihilominus affectamus, & indemnitati ejus paterna volumus sollicitudine providere. Ne igitur promotio ejus eidem Ecclesiæ sit damnosa, & tu metu damni à devotione ipsius & obsequio retraharis, nos pro eo & fratribus ejus de ipsorum voluntate promittimus quòd super possessionibus & honoribus ejus in ipsius præjudicium nihil temerè attentabunt. Quòd si forsan contrarium præsumerent, nos contra eos apostolici favore subsidij Magdeburgensem Ecclesiam juvaremus. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus cùm nos eidem Ecclesiæ taliter providere velimus ut de cetero nobis humiliter deferas, & devotè eidem Regi fideliter & constanter adhæreas, regalem ei honorificentiam & devotionem impendens. Alioquin ex quo nos eum in Regem recipimus, sicut per alias tibi litteras pleniùs intimamus, non possemus ei contra illos qui se ipsi opponerent favorem apostolicum denegare, immo cogeremur in eos rigorem ecclesiasticum exercere. Datum &c.

In eundem ferè modum suffraganeis ejus.

In eundem ferè modum nobili viro Duci Bernardo.

In eundem modum Adulfo Comiti de Lovenburc.

In eundem modum Duci Bavariæ.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

GAudere debes in Domino & nobis & Ecclesiæ Romanæ in actionibus assurgere gratiarum quòd tuum & Coloniensis Ecclesiæ judicium commendantes, reprobare quod reprobastis & quod approbastis curavimus approbare. Ecce etenim cùm duobus favere ad obtinendum imperium non possimus, & cùm non tam personæ in imperio quàm imperio in persona deceat provideri, sitque reputandus ad hoc dignior qui magis idoneus reperitur, persona nobilis viri Philippi Ducis Sueviæ propter impedimenta patentia reprobata, carissimum in Christo filium nostrum Ottonem in Regem recipimus, & regalem ei præcipimus ab omnibus obedientiam exhiberi. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino & per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus sicut hactenus, immo fortiùs quàm hactenus in ejus de cetero dilectione ac devotione persistas, & ad honorem & profectum ipsius per te ac tuos efficaciter & potenter intendas, & quoscunque potes ad favorem ejus & fidelitatem inducas. Cùm enim gratum nobis fuerit & acceptum si quid auxilij ac favoris ei hactenus est impensum, de cetero grave nobis existeret & molestum si quis se ipsi duceret opponendum, cùm imperij Romani nolimus ulteriùs sustinere jacturam, cujus ei disposuimus conferre coronam. Datum. Epist. 39.

In eundem ferè modum suffraganeis Coloniensis Ecclesiæ.

NOBILI VIRO DVCI BRABANTIÆ.

GAudere debes in Domino &c. *usque* gratiarum, quòd tuam & aliorum Principum carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo faventium discretionem & industriam commendantes, reprobare quod reprobatis &c. *usque in finem.* Epist. 40.

In eundem modum Comiti Flandriæ, Duci de Limburg, Comiti Hollandiæ, Comiti de Sen & fratri ejus, Comiti de Aare, Comiti de Hostade, Comiti de Bergh, Comiti de Arnebergh, Comiti de Arnesbergh, Comiti de Therenebergh, Comiti de Vvolpia. Comiti de Everstau. ita quod unicuique seorsim.

In eundem modum Comitibus in Saxonia constitutis.

In eundem modum Comitibus in Brunesvvich.

HENRICO COMITI PALATINO Rheni.

GAudere debes in Domino & in actionibus nobis assurgere gratiarum quòd is cujus imperij non est finis, per nos, licèt indignos, vicarios suos genus tuum exaltare disposuit, & de fructu ventris illustris memoriæ Henrici Ducis Saxoniæ patris tui super sedem imperij stabilire. Quantum autem id ad gloriam tui nominis spectet & honoris tui pertineat incrementum satis intelligit tua nobilitas per se ipsam, cùm excepto nomine imperatoriæ dignitatis, cetera tibi & carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem Epist. 41.

ratorem electo, quem nos in Regem recepimus, & regalem ei præcipimus honorificentiam exhiberi, communia fiut futura. Cùm igitur negotium ejus propriè proprium debeas reputare, nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus ad honorem & exaltationem ejus, immo tuam in eo, viriliter & potenter intendas & ita promotionem ejus studeas procurare quòd idem Rex expertus in te fraternæ devotionis affectum, fratrem se tibi debeat in omnibus in quibus cum eo Dominus misericordiam fecit exhibere. Sanè cùm hactenus, dum adhuc negotij ejus esset finis incertus, viriliter pro eo steteris & cum eo, tantò de cetero ei fortiùs assistere ac favere teneria quantò de incremento ejus certior es effectus. Sic igitur nos in eo & ipsum in nobis studeas devotè ac efficaciter honorare sicut à nobis & ipso in tuis desideratis desiderabilibus exaudiri. Datum.

PATRIARCHÆ AQVILEGENSI.

Epist. 42. GRatum gerimus & acceptum quod, sicut dilectus filius noster Gregorius tituli sancti Vitalis Presbyter Cardinalis nobis exposuit, super facto imperij noluisti hactenus in partem alteram declinare, sed super eo disposuisti potiùs acquiescere consiliis nostris & monitis obedire, quod & tu priùs nobis per tuas litteras intimaras. Super quo fraternitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus & prosequimur actionibus gratiarum, cùm id certum nobis sit tuæ devotionis indicium & sinceritatis evidens argumentum. Sanè cùm Ecclesiæ Romanæ dispendium &c.

DVCI ZARINGIÆ.

Epist. 43. MEminimus nos olim tuæ nobilitatis litteras recepisse, quibus nos monebas humiliter & efficaciter inducebas ne nobili viro Philippo Duci Sueviæ super facto imperij præstaremus assensum, cùm genus ipsius tam Ecclesiam quàm Principes multipliciter fuerit persecutum. Nos autem ex iis intelleximus mentem tuam, videlicet quòd etsi ei favere forsitan, tum propter ejus potentiam, tum propter vicinitatem & alias circumstantias, videreris, ipsi tamen animo non favebas. Cùm ergo nos, quia duobus ad imperium obtinendum favere non possumus, nec est tam personæ in imperio quàm imperio in persona providendum, quia etiam ad hoc dignior reputatur qui magis idoneus reperitur, personam prædicti Ducis quoad imperium, præsertim hoc tempore, obtinendum penitùs propter impedimenta patentia quæ per litteras generales exprimimus reprobamus, sicut tu per tuas nos litteras monuisti, sic nobilitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur, & per apostolica scripta mandamus quatenus nonobstante juramento, si quod eidem Duci ratione regni forsitan præstitisti, cùm nos illud, eo reprobato, decreverimus non servandum, de cetero carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo & à nobis opportuno tempore dante Domino coronando fideliter & constanter adhæreas, & partem ejus viriliter & potenter studeas confovere; ita quòd devotionem tuam possimus in Domino commendare, & ad honorem & profectum tuum & tuorum apud ipsum intendere meritò debeamus. Sanè si aliter, quod non credimus, ageres, videreris scripsisse nobis aliud quàm sentires, & sic illudere voluisse; propter quod contemptum nostrum non possemus sub dissimulatione transire. Datum.

DVCI BOEMIÆ.

ETsi commendabilis in eo videaris quòd ad honoris & dignitatis tuæ profectum & augmentum intendis, reprehensibilis tamen appares ex eo quod ab eo imponi tibi petisti regium diadema qui nondum legitimè dignitatem regiam est adeptus. Qualiter enim posset nobilis vir Philippus Dux Sueviæ conferre alij quod nondum ipse accepit, cùm non colligantur de spinis uvæ nec de tribulis ficus, nec sit facile sugere mel de petra vel oleum de saxo durissimo, tua nobilitas satis intelligit per se ipsam. Licèt autem quia duobus &c. *in eundem modum ut in præcedenti usque* reprobemus, volentes tamen honori tuo sollicitudine paterna consulere, nobilitatem tuam monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus ut carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo & à nobis opportuno tempore dante Domino coronando fideliter & constanter adhæreas, & ab ipso imponi tibi postules regium diadema. Cùm autem apostolica sedes post fundamentum illud de quo inquit Apostolus, *fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus*, fundamentum totius Christianitatis existat, juxta illud evangelij, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, nos, qui, licèt insufficientibus meritis, ad ejus sumus regimen evocati, procurabimus ex collata nobis plenitudine potestatis ut quod factum fuit etiam posterorum tuorum temporibus obtineat firmitatem; eundemque Regem per venerabilem fratrem nostrum Episcopum Prænestinum apostolicæ sedis Legatum, virum scientia prædictum, conspicuum honestate, religione laudandum, quem inter ceteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, & dilectum filium magistrum Philippum Notarium nostrum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris acceptum, duximus commonendum ut se tibi facilem & benevolum studeat exhibere. quod ex quanta benignitate procedat, industriæ tuæ relinquimus discernendum. Datum ut suprà.

Epist. 44. Vide Dubravium lib. 15.

ARGENTINENSI EPISCOPO.

Epist. 45. CErto jampridem experimento didicimus quòd etsi nobili viro Philippo Duci Sueviæ quadam quasi necessitate coactus favere forsan videatis, carissimo tamen in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo & à nobis opportuno tempore dante Domino coronando interiùs mente faves, utpote cui te adhæsisse ab initio & fidelitatis juramentum intelleximus præstitisse. Quia verò necessitate cessante cessare debet pariter quod urgebat, fraternitatem tuam per

apoſtolica ſcripta & exhortamur attentiùs & per ſcripta noſtra præcipiendo mandamus quatenus cùm nos, quia duobus &c. *ſicut ſuprà uſque* reprobemus, & prædictum Ottonem recipiamus in Regem, nonobſtante juramento &c. *uſque* non ſervandum, eidem Regi publicè non differas adhærere ac fovere potenter & viriliter partem ejus. Alioqoin, cùm ei, ſicut prædiximus, fidelitatis præſtiteris juramentum, ſi, quod noo credimus, immo de quo nec etiam dubitamus, de cetero proprij fieres juramenti tranſgreſſor, in te procedere duriùs cogeremur. Datum ut ſuprà.

In eundem modum ſcriptum eſt Baſilienſi Epiſcopo, & nobili viro Alberto Comiti de Thatsburc, & nobili viro R. Comiti de Thavrsburch, verbis competenter mutatis, ita quòd unicuique ſeorſim.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, Prioribus, Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis.

Epiſt. 46. ADverſarius noſter diabolus, qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, animarum profectibus invidens & ſaluti, ne unde ipſe per vitium ſuperbiæ cecidit, homo per humilitatis meritum & opera pietatis aſcendat, quæ Dominus ad ſalvationem noſtram potenter & mirabiliter operatur, quantum in eo eſt, doloſè ac callidè in materiam perditionis aſſumit, dum in agro dominico zizania ſeminat, ne meſſis in manipulos tandem collecta recondatur in horrea, ſed in faſciculos alligata crematur. Habet enim mille nocendi modos, utpote qui mala ſuggerit, bona turbat, oſculum ſimplicem ſcandalizare nititur, & veritatis & ſinceritatis azyma fermento malitiæ ac nequitiæ fermentare. Ecce ſiquidem cùm Dominus noſter terram nativitatis ſuæ tradi permiſerit in manibus paganorom, ut fidei Chriſtianæ cultores peccatum ſuum ſaltem in pœna cognoſcerent, & inter flagella tandem à ſuis iniquitatibus pœnitetent, haberentque materiam non ſolùm præterita expiandi delicta, ſed cauſam etiam commutandi temporalia in æterna & per martyrij palmam immarceſſibilem promerendi coronam, inimicus homo ad ſolitæ malignitatis verſutiam ſe convertens, inter catholicos Principes & populos Chriſtianos diſcordiæ materiam adinvenit, fraternas acies contra ſe invicem & bella commovens inteſtina; ut dum frater in fratrem, proximos in amicum, & Chriſtianus in Chriſtianum leves niteretur injurias vindicare, oblivisceretur injuriæ Ieſu Chriſti, & ſanguis Domino conſecrandus, quo debuerant cœleſtia comparari, funderetur quaſi dæmonibus, & temporalibus perditis gehennæ ſupplicium emeretur. Nos autem, quibus ſecundùm Apoſtolum non eſt colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs Principes & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, & quibus eſt fidelium Chriſti ſollicitudo commiſſa, fraudibus verſuti hoſtis, quantum conceſſerit Dominus, obviare volentes, ſicut olim pro variis non tam Eccleſiæ quàm totius populi Chriſtiani neceſſitatibus fratres noſtros ad varias & diverſas direximus regiones, ut de agro Domini zizania quæ homo ſuperſeminaverat inimicus avellerent, ne triticum, ſi creſceret, ſuffocarent, ſic nunc venerabilem fratrem noſtrum Præneſtinum Epiſcopum apoſtolicæ ſedis Legatum &c. *in eundem modum ut in tertia* * *præcedenti uſque* acceptum, principaliùs & ſpecialiùs pro facto imperij, ex cujus diviſione multa incommoda ferè toti Chriſtianitati proveniſſe noſcuntur, de fratrum noſtrorum conſilio deſtinavimus, injuncto eidem Epiſcopo plenæ legationis officio, ut evellat quæ evellenda cognoverit, & plantet quæ ipſius viderit ſollicitudo plantanda. Monemus igitur univerſitatem veſtram & exhortamur attentiùs & per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenos eum cum eodem Notario ſicut Legatum apoſtolicæ ſedis, immo nos in eo recipientes humiliter & devotè ac honorificè pertractantes, quæ vel ſuper negotio pro quo ſpecialiter mittitur vel aliis inter vos ſtatuenda dixerit vel etiam corrigenda, inviolabiliter obſervetis. Alioquin ſententiam quam propter hoc tulerit in rebelles, ratam haberi volumus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter obſervari. Datum Laterani ut ſuprà. * id eſt, epiſt. 44.

ILLVSTRI REGI Francorum.

CVm te, tamquam Chriſtianiſſimum Principem, Regem catholicum, & ſpecialem filium, noverimus nobis & Eccleſiæ Romanæ devotum, utpote quem devotionis affectus exhibendus apoſtolicæ ſedi jure ſibi hereditario vendicavit, a progenitoribus tuis inclitæ recordationis Francorum Regibus, etſi ſucceſſivè per ſingulos, in te tamen totus & integer derivatus, qui hujus puritatis ſuccum contrahis à radice, vellemus ut & tibi, ſicut ſæpe jam ſcripſimus, plenè mentis noſtræ pateret arcanum; ut cùm intelligeretur quòd filialem reverentiam exhibes non ingratis, nobis fieres de devoto devotior, & piæ intentionis propoſitum de die in diem in corde tuo radicaretur ampliùs, & in germen uberiùs proſiliret. Pro certo igitur noveris & habeas pro conſtanti quòd inter ceteros Reges & Principes Chriſtianos te ſpecialis amoris prærogativa de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta diligimus, & ad honorem, profectum, & exaltationem tuam ardentiùs aſpiramus. Vnde ne vel levem etiam maculam in gloria tua poneres, ſi ſuper ordinatione imperij Romani, quod ad nos principaliter & finaliter noſcitur pertinere, ut dixerimus noſtræ diſpoſitioni reſiſteres, ſed noſtræ non ſequereris beneplacitum voluntatis, & ſic eum apoſtolica ſede regnum Franciæ non ſentiret, cui ſuper arduis negotiis ſemper adhæſit, licèt multa & magna nobis & noſtris fuerint utrinque promiſſa, nec ad munera tamen flecti potuimus nec ad preces induci ut alterutram partem præter conſcientiam tuam vellemus aſſumere, cùm velimus tecum favere alteri & cum eodem tecum pariter prævalere. Vt ergo ſerenitati tuæ noſtræ pateat diſpoſitionis arcanum, noveris quòd examinantes merita perſonarum, invenimus quòd alterius * promotio, præter alias rationes ſufficientes & validas quibus ejus debet promotio impediri, & quas * id eſt, Philippi

Epiſt. 47.

venerabilis frater noster Octavianus Ostiensis Episcopus apostolicæ sedis Legatus tibi poterit pleniùs explicare, nec nobis nec tibi nec regno tuo etiam expediret; cùm si, quod absit, imperium obtineret, saltem occasione nepotis ad regnum Siciliæ ardentiùs aspiraret, eùm ad illud jam manifestis indiciis ardenter aspiret. Quòd autem hojusmodi unio vel confusio potiùs non expediat regno tuo, satis intelligit regia serenitas per seipsam. Promotionem autem alterius ad honorem & commodum regni tui credimus pertinere, cùm inter eum & carissimum in Christo filium nostrum Lodovicum filium tuum affinitatis vinculum sit contractum, & inter te & carissimum in Christo filium nostrum Iohannem Anglorum Regem illustrem per Dei gratiam plenæ pacis sit concordia reformata. Præterea nos tam sumus certi de ipso quòd pro formanda & servanda tecum concordia mandatis nostris & consiliis acquiescet; nec nos ut fidejussores, si necesse fuerit, inter te & ipsum constituere recusamus. Cùm igitur negotium ipsum dilationem non capiat, cùm nobis à plurimis derrahatur credentibus & dicentibus eis quòd nos hujusmodi discordiam foveamus, cùm jam te duxerimus requirendum, nec duobus ad habendum simul imperium favere possimus, nec credamus tam personæ in imperio quàm imperio in persona, sicut expedit, providendum, disposuimus manifestè de cetero reprobare factum alterius propter multas rationabiles causas, & personam reliqui approbare. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur attentiùs & consulimus bono zelo quatenus ea quæ prædictus Episcopus apostolicæ sedis Legatus, qui ad honorem tuum & profectum intendit, tibi ex parte nostra proponet, audiat diligenter & exaudiat hilariter regia celsitudo, & monitis & consiliis ejus, immo nostris veriùs, acquiescat; & ut nobiscum dante Domino super instanti negotio valeas prævalere, teneas occultum, sicut de tua discretione confidimus, quod super his regali magnificentiæ duximus intimandum. Datum ut suprà.

OSTIENSI EPISCOPO, apostolicæ sedis Legato.

Epist. 48. GAudemus in Domino & tuæ fraternitatis prudentiam commendamus quòd ad ea feliciter consummanda quæ vel tibi sunt à nobis injuncta, vel quæ de beneplacito nostro procedere intelligis per te ipsum, impendis studium diligens & operam efficacem. Accepimus siquidem ex litteris tuis quòd licèt carissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum Regem illustrem super negotio imperij primò inveneris nimis gravem, utpote qui per domum Anglicanam sibi multa evenisse gravamina recolebat, sperans tamen, tum eo quòd nobis placere desiderat, tum quia tuis libenter consiliis acquiescit, tum etiam quia mediatores inter ipsum & alium bonos habes, quòd ad nostrum beneplacitum inclinetur, si indemnitati ejus per cautelam nostræ providentiæ consulatur. Vnde per easdem litteras consulebas quòd ipsi & tibi super hoc nostras litteras mitteremus. Quid igitur ipsi scribamus ex transcripto litterarum, quod tibi præsentibus mittimus interclusum, tuæ poterit discretioni patere. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus apud Regem ipsum interponas efficaciter partes tuas ut super hoc monitis nostris & consiliis acquiescat, cùm sufficienter velimus ejus indemnitati cavere, & dispositionem nostram ad honorem, profectum, & gloriam ejus pertinere credamus. Sanè cùm dispendium Ecclesiæ, quæ nec vult nec debet diutiùs idoneo defensore carere, sustinere non debeamus ulteriùs nec negligere incommoda populi Christiani, cùm diù expectaverimus, cùm præmonuerimus Principes, cùm eis etiam consilium nostrum per proprium nuntium & litteras duxerimus exponendum, nec profecerimus apud ipsos, de communi consilio fratrum nostrorum statuimus quod per rescriptum litterarum directarum ad Principes Alamanniæ negotium istud plenariè continentium plenè poterit tuæ discretioni patere, cùm illud tibi mittamus præsentibus litteris interclusum. Quia verò per tuas nobis litteras intimasti ut si crederemus forsitan expedire, apostolicis tibi litteris mandaremus quòd Archiepiscopos & Episcopos Alamanniæ ad tuam præsentiam convocares, quatenus si animum Regis ad nostrum posses desiderium inclinare, nostrum eis beneplacitum aperires, volumus & mandamus ut si à negotiis illis quæ tibi exequenda commisimus in regno Francorum utiliter te poteris expedire, cum venerabili fratre nostro Prænestino Episcopo apostolicæ sedis Legato ad partes Germaniarum accedas, cum eo juxta formam litterarum nostratum pariter processurus, cùm non videatur alius locus idoneus in quo Principes ad tuam deberes præsentiam convocare. Nolumus tamen ut hac occasione causas legationis injunctæ negligenter omittas; cùm etsi magna sint ista, illa tamen non debeant minima reputari. In omnibus autem occultè procedas & cautè, sicut de tua fidelitate confidimus & speramus. Datum.

ILLVSTRI REGI Anglorum.

QVòd promotio carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis nepotis tui in Romanorum Imperatorem electi ad tuum pertineat incrementum, & exaltatio ejus tibi proveniat ad honorem, nullus dubitat sanæ mentis. Epist. 49. Cùm enim de domo descenderit Anglicana, & usque adeo te proxima linea consanguinitatis attingat ut etsi alios consanguineos habeas & propinquos, nullum tamen propinquiorem habere noscaris, ad promovendum negotium ejus tantò libentiùs deberes tam res exponere quàm personam quantò genus tuum faciliùs magnificare potes in eo & per eum ampliùs extendere memoriam tui nominis & tibi perpetuæ laudis titulos comparare. Nam etsi, quod non credimus, ingratitudinis vitio laboraret, nec vellet tuis meritis respondere, negari tamen non posset quin saltem honorem nominis participaretis ad invicem, dum & tu diceretis tanti Princi-

pis patruus, & tantus Princeps vocaretur ab omnibus nepos tuus; ut cetera taceamus ex quibus tam tibi quàm regno tuo & robur maximum & augmentum non modicum proveniret. Ne igitur debitum ei negare in derogationem tui nominis videaris cui teneris gratis etiam beneficia plurima liberaliter elargiri, rogamus serenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus pecuniam quam inclitæ recordationis Richardus Rex Anglorum frater tuus ipsi testamento legavit, pro tot & tantis necessitatibus, quæ incumbunt eidem, nuntiis ejus tam hilariter quàm celeriter largiaris. Datum ut suprà.

Scriptum est Cantuariensi Archiepiscopo ut inducat eum ad hoc.

REGI FRANCORUM.

Epist. 50. QVantò major utilitas de concordia inter te & carissimum in Christo filium nostrum Ottonem Regem volente Domino reformanda creditur proventura, tantò serenitatem regiam ad ea quæ pacis sunt libentiùs invitamus. Ceterùm magnitudinem tuam præsentibus litteris volumus reddere certiorem quòd si pacis fœdera inter vos divinitus fuerint stabilita, & ipse, quod absit, ab eis præsumeret resilire, nos eum ad observantiam pacis per censuram ecclesiasticam cogeremus. Quod ne in oblivionem deveniat, sub cautione præsentium pollicemur. Datum Laterani v. Idus Iunij.

LITTERÆ EPISCOPI PRÆNESTINI Domino Papæ

Epist. 51. BEatitudinis vestræ mandatum devotione debita prosequentes, cùm venissemus Trecas, periculorum e verius & viarum dispendia ferè absque passi, venerabilem fratrem nostrũ Dominũ Ostiensem Episcopum & magistrũ Ægidium Acolythum vestrũ ibidem nos contigit invenisse. Quibus communicatis omnibus quæ à vobis suscepimus in mandatis, de communi consilio magister Philippus & magister Ægidius cum vestris & nostris litteris præcesserunt locuturi cum Rege pro facto Ecclesiæ quod novistis & Principibus ad certum locum & terminumq; vocandis. Nos verò cùm in Galliæ partibus expectandum duceremus, Domino Ostiensi similiter ad expediendum suæ legationis officium recedente, donec à vobis & ab antedictis sociis nostris responsum acciperemus, propter sæpissimas inculcationes nuntiorum Ecclesiæ Romanæ, ne Gallicia nos quoque essemus oneri, coacti sumus versùs Leodium festinare, ubi triduo commorantes, nuntios Domini Regis Ottonis & prædictorum sociorum nostrorum accepimus, nos litteris pariter & precibus urgentissimè sollicitantes, ut, quia negotium nullam ulteriùs capiebat dilationem, & mora irrecuperabiliter apparebat damnosa, cum omni festinatione accelerare deberemus. Ceterùm quia Dominus Ostiensis huic negotio maximè necessarius erat, directis ad eum tam Regis quàm nostris & sociorum nostrorum litteris ut veniret, nos arrepto itinere apud Aquisgranum Regi obviavimus congratulanti nimis de adventu nostro & cum devotione plurima se nobis offerenti: cum quo ingressi Coloniam, Principes quosdam ibidem die ipsis præfixa recepimus. Ad quosdam enim mandatum nostrum pervenire non potuit, quidam suscepto etiam mandato penitùs accedere nequiverunt, & quidam venire noluerunt; & hoc eos noluisse deprehendimus, quia ne nostros reciperent nuntios, civitates & domus suas clausisse feruntur, Maguntinus præcipuè, Spirensis, & Vvarmaciensis. Quidam præterea nuntij super eodem negotio à quibusdam Principibus directi, suspendio perierunt. Hoc etiam sanctitatem vestram latere non volumus, quòd si negotium dilatum fuisset, quorundam corda Principum sic immutata videbantur quòd in odium Romanæ Ecclesiæ tertium procreassent, nec nobis hoc in principio ita patere potuit sicut postea ipsorum mentium est plenius per affiduam familiaritatem comperta. Quare accepto consilio ab his qui honorem Ecclesiæ ac vestrum diligunt, in conspectu omnium qui convenerant litteras vestræ sanctitatis Regi & de ipsius receptione & approbatione cunctis exhibuimus, & eum de cetero auctoritate vestra publicè denuntiavimus Regem Romanorum & semper Augustum, excommunicatis omnibus qui se ei ducerent opponendos. Quod utique tota quæ aderat universitas gratanter accepit, & super eo Deo & providentiæ vestræ benedictionum & gratiarum vota persolvit. Sanè quia factum hoc necesse erat meliùs solidari, aliud colloquium apud Corbeiam indiximus: quò ad taxatum terminum accedentes, coram iis qui ibidem convenerunt eodem modo processimus. Eos verò qui se absque rationabili causa jam tertiò citati absentaverant sub pœna suspensionis & excommunicationis iterum duximus evocandos; quos, si non venerint, aut mandato vestro non obedierint, secundum quod vobis placere noverimus, auctore Domino puniemus. Eapropter ad factum hoc laudabiliter consummandum, cujus gloriosus finis etiam gloriam pariet Ecclesiæ, nomenque vestrum continuabit in ævum, supplicamus celsitudini vestræ & quantum possumus suademus quatenus ad stabiliendum id quod factum est & feliciter expediendum quod restat, secundùm quod providentiæ vestræ meliùs visum fuerit, & præsentium latores, de quorum dilectione confidimus, frater Gub. monachus Cistereiensis, frater F. Canonicus Mortariensis, nuntij nostri suggesserint, qui quod in litteris minus est verbo supplere poterunt, manum consilij & auxilij apponatis, & propositionibus adversæ partis, si accesserint, intendere non dignemini; istud pro certo scientes, quia si soli ecclesiastici Principes Domino Regi Ottoni à principio fideliter adhæsissent, vel adhuc eidem vellent viribus & animis adhærere, nulla vel modica esset difficultas in ipsius progressu negotij, finisque desideratus nostris principiis & nostris laboribus arrideret. Hoc præterea certum sit paternitati vestræ, Dominum Regem expositum esse fecisseque omnia quæ imperastis, & facturum libenter singula quæ vita sua comite sibi duxeritis imperanda.

LITTERÆ MAGISTRI PHILIPPI Notarij Domino Papæ.

POst pronuntiationem excellentissimi Domini Ottonis Dei & vestra gratia illustris Romanorum Regis semper Augusti Coloniæ in multorum præsentia solemniter celebratam, quia & nobis & Domino Coloniensi Episcopo ac aliis qui de consilio nostro erant videbatur quasi modicùm profecisse, nisi matrimonij negotium, quod inter eundem Regem illustrem & nobilem virum Ducem Brabantiæ olim initiatum fuerat, per vigilantiam nostram & sollicitudinem compleretur, accessimus & Dominus Prænestinus & ego apud Trajectum superius super Mosam, ubi multorum Principum, Comitum, Baronum, & nobilium ex remotis partibus multitudine congregata, pronuntiatio illa quæ Coloniæ solemniter facta fuerat, ibidem fuit ferè solemniùs repetita, & dispensatione præmissa, per juramenta nobilium ex utraque parte matrimonij fuit negotium confirmatum. Ex tunc autem præfatus Dux, qui cum Domino Rege non æquis passibus ambulabat, ita per gratiam Dei & merita vestra fuit in dilectione ipsius & benevolentia solidatus ut & in filiũ suum Regem ipsum assumpserit, & negotium imperij apud quosl ibet esse proprium sub voce præconia protestetur dicens: *Quicunque me diligit & meus esse voluerit consanguineus & amicus, in hujus mihi totis viribus articulo necessitatis assistat*, ita quòd ex hoc de Los & Gelren Comites, viri nobilissimi & potentes, qui nobis se manifestissimè opponebant & partem Suevi totis viribus tuebantur, incontinenti ubi eis innotuit de hoc verbo, ad mandatum Domini Regis & beneplacitum sunt reversi. Fecit etiam præfatus Dux edictum generale per totam terram suæ jurisdictioni subjectam ut quacunque domo duo, tres, quatuor, quinque, aut sex homines essent, uno tantùm relicto, reliqui secum egrederentur ad pugnam. Omnes etiam amicos suos & consanguineos invitavit ad bellum, ita quòd, sicut publicè dicitur, Dominus Rex tam cum Duce quàm cum Domino Coloniensi & Comite Palatino fratre suo, qui in omnibus potior pars consilij Regis & consilij nostri semper existit, & aliis Episcopis, Comitibus, & magnatibus terræ in expeditionem producet centum millia armatorum; nec creditur quod eis aliquis resistere valeat, si duntaxat omni-

Epist. 52. vide Godefrid. monach. S. Pantal. ad an. 1102. Vide infrà epist. 106.

Vide eundem ad an. 1199. & suprà epist. 23.

potens Deus, à quo factum est istud, quod in oculis omnium est mirabile, Ægyptiorum illorum, Suevorum videlicet, castra respiciat & ea deiciat in profundum, & partis dexteræ justitiam, causam scilicet sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, tueatur. Nam de Suevo, ut verum fatear, sicut testis est Deus, mentio non habetur, nisi quòd aliquando adscitis aliquibus Episcopis, quos potest difficulter habere, Vvormaciensi videlicet, Spirensi, & Cancellario suo, Lantgravio etiam, & quibusdam Comitibus qui cum eo non ambulant recto corde. Nam Dux Boëmiæ potior pars auxilij sui, & Dominus Argentinensis, ac plures de superioribus nobiscum sunt per illius gratiam qui rectè cuncta disponit. Conqueritur autem de vobis idem Dux Sueviæ & de Romana Ecclesia coram ipsis, dicens quòd ea sola ratione invehimini contra ipsum quia sine licentia vestra voluerit imperare, eos intelligere faciens quòd ex hoc deperit libertas eorum, & nemo præter voluntatem Romani Pontificis poterit imperare. Sed, sicut per illos qui in consilio sunt ipsius frequenter accepimus, in nullo per Dei gratiam nec proficit nec proficit, nec potest exercitum congregare. Ceterùm Dominus Prænestinus & ego cum magistro Ægidio in itinere sumus Bingam, quæ civitas est prope Maguntiam, accedendi; ubi credimus Maguntinum, Vvarmaciensem, multos Comites & Barones ad mandata sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & ad vestrum & ad Domini Regis servitium faciè per amicos nostros inducere; nec laborare desistimus nec etiam desistemus donec negotium Ecclesiæ & imperij Deo propitio feliciter consummetur. Quicquid autem profecerimus apud istos, processum etiam hujus negotij per ordinem citò per alias litteras vobis intimare curabo. Vestrum igitur est in Lombardiam honorabiles nuntios & litteras destinare; ut sicut in Alamannia, ita & ibi negotium Ecclesiæ & imperij procuretur.

LITTERÆ REGIS OTTONIS.

Epist. 53. REverendissimo in Christo Patri & Domino carissimo Innocentio Dei gratia summo Pontifici & universali Papæ, Otto eadem gratia Romanorum Rex & semper Augustus, debitam devotionem & fidelem subjectionem. Primitias nostræ promotionis & beneficia paternitatis vestræ mente sollicita recolentes, & attribuentes benignitatis vestræ beneficio totum quod dignitati aut viribus nostris accrevit vel in posterum accrescere poterit, tam devotas quàm uberes sanctitati vestræ gratiarum referimus actiones, quia in boni principij proposito perseverare dignati estis & illud per venerabilem patrem nostrum Dominum Prænestinum Episcopum laudabiliter consummare quòd ad Deum tantùm & ad prosecutionem mandati vestri, suo respectu habito, ita prudenter & circumspectè in iis quæ legationis suæ ministerio expedienda erant se gessit quòd licèt factum nostrum nimis implicitum in suo ingressu repererit, Deo & orationum vestrarum cooperante suffragio sic per opera studiorum suorum effecit quòd promotionem nostram ex parte maxima solidavit. Et quia Maguntinus & Leodiensis electi, Siffridus videlicet & Hugo, nobis potissimè necessarij videbantur, tum per se, tum per consanguineos suos, & quia factum nostrum omnino sine ipsorum conniventia turbationem timebat, apud eundem patrem nostrum Dominum Prænestinum effecimus quòd Siffrido administrationem Ecclesiæ Maguntinæ concessit, & Hugoni spem bonam, de gratia vestra confisus, in sua electione donavit. Ne igitur quod bene incepit paternitas vestra in nobis aliquo, quod absit, impedimento turbetur, & facta manuum vestrarum detrimentum patiantur, humiliter imploramus ut præfatis electis pro honore vestro & robore vestro, quod idem ipsum est, totum vestrum assensum & favorem apostolicum impertiri dignemini, sicque de nobis speciali plasmate Romanæ matris Ecclesiæ providere quòd diadematis nostræ purpura totus orbis auxiliante Deo per vestræ miserationis gratiam se gaudeat insignitum. Nec miretur sanctitas vestra si totam seriem facti præsenti paginæ non inserimus. In proximo enim, concedente Domino, qui vos plenè super omnibus instruent, solennes nuntios ad pedes vestros duximus destinandos.

Vide Godefrid. ad an. 1201.



LITTERÆ EIUSDEM AD Dominum Papam.

Epist. 54. SAnctitati vestræ præsentium insinuatione innotescat quòd dilectus & fidelis noster Cameracensis electus de mandato vestro ad nostram accessit præsentiam, & de manu nostra regalia sua solemniter recepit. Quoniam autem & in aliis ipsum Romanæ Ecclesiæ fidelem esse cognovimus & devotum, paternitati vestræ pro ipso preces affectuosas porrigimus quatenus eum in justis petitionibus suis exaudire & negotia ipsius & Ecclesiæ suæ benignè dignemini promovere. Ipsius etenim negotia tamquam & nostra propria reputamus, & promotionem ejus nobis credimus admodum profuturam.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 55. EX uno eodemque negotio te nobis & nos tibi credimus debitores, cùm nos tuo deferentes honori plantam irrigaverimus quam plantaras, & eo irrigatam à nobis, sicut plantator diligens, diligenter studueris confovere, dante Domino incrementum. Multùm Ecclesiæ Romanæ teneris ex eo quòd ipsa, quasi judicium tuum sequens, reprobavit quod reprobaveras, & quod approbaveras approbavit, & carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum, & à te coronatum in Regem, in Imperatorem proposuit coronare; ut quod per te faciente Domino feliciter est inceptum, per ipsam feliciùs consummetur. Nos ergo tuæ fraternitati tenemur, quæ voluntate nostra pleniùs intellecta, in suo proposito convalescens, tantò ampliùs in ejusdem Regis dilectionem & devotionem exarsit quantò factum suum ex favore nostro intellexit ampliùs roborari. Cùm ergo Rex ipse tibi post Deum sui honoris primitias, nobis autem consummationem ascribere debeat & ascribat, ad exaltationem ipsius mutuum nobis auxilium exhibere tenemur, ut status ejus prosperitatis de die in diem suscipiat incrementum; ne si respiceremus retro, quod absit, de levitate redargui meritò deberemus, & illud evangelicum in nostrum sæpius opprobrium legeretur: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* quòd si nobis persistentibus, sicut firmiter persistimus, in incepto, tu ab aratro retraheres manum tuam, quod credere non valemus, tantò ampliùs incurreres apostolicæ sedis offensam & merereris districtione severiori feriri quantò turpiùs nobis videreris illudere voluisse, si contra id qualibet occasione venires ad quod nos sæpius tam per litteras tuas quàm nuntios induxisti. Credimus enim quòd tu ipse in milite tuo proditionis vitium reputares, si is qui te induxisset ad arma, recederet ab armato, & qui te præcessisset in hostem, & tibi procedendi causam & audaciam præstitisset, recederet in congressu, & terga verteret hoste viso. Hæc autem non scribimus tamquam de te talia suspicemur, sed ut ex verbis nostris sumas materiam per quam alios, si qui forsan retro abire voluerint, increpare valeas vel potiùs revocare. Cùm ergo in facto ipso usque adeo sit processum quod venerabilis frater noster Episcopus Prænestinus apostolicæ sedis Legatus jam approbationem nostram in Teutonia publicavit, fraternitatem tuam monemus & exhortamur

attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus atque præcipimus quatenus in bono proposito perseverans, non deficias, sed proficias potiùs, & ad honorem & exaltationem ejusdem Regis viriliter & potenter intendas; ut cùm perseveraveris usque in finem, ex opere tuo fructum recipias & ex labore mercedem. Cùm enim propter favorem personæ hactenus impensum eidem, non solùm redditus tuos pro eo duxeris expendendos, sed thesaurum etiam Ecclesiæ Coloniensis pro ipso curaveris obligare, & jam per Dei gratiam, tuo studio faciente, negotium ejus ad finem perducatur optatum, totis debes viribus imminere ut quod restat tam feliciter quàm celeriter compleatur; quatenus sicut idem Rex hactenus in necessitatibus suis auxilium est tam tuum quàm Ecclesiæ Coloniensis expertus, sic de cetero in utilitatibus tuis & ejusdem Ecclesiæ opem salutarem impendat, & tantis obsequiis digna studeat vicissitudine respondere. Tantò ampliùs fervere debes in dilectione Regis ejusdem quantò nosti certiùs quòd si, quod absit, Dux Sueviæ prævaleret, in te ac Coloniensem Ecclesiam & tuos consanguineos & vassallos effervesceret ira ejus; utpote quibus totam turbationem præteritam imputans, suam in vos sævitiam sæviens exerceret. Nec te moveant maledicta quorundam, qui nos asserunt libertatem electionis adimere Principibus voluisse, cùm libertati eorum detulerimus potiùs in hoc facto, & illæsam eam duxerimus conservandam. Non enim elegimus nos personam, sed electo ab eorum parte majori, qui vocem habere in Imperatoris electione noscuntur, & ubi debuit & à quo debuit coronato, favorem præstitimus & præstamus, cùm apostolica sedes illum in Imperatorem debeat coronare qui rite fuerit coronatus in Regem. In eo quoque stamus pro Principum libertate quòd ei favorem penitùs denegamus qui sibi jure successionis imperium nititur vendicare. Videretur enim imperium non ex Principum electione conferri, sed sanguinis successione obtineri, si, prout olim patri filius, sic nunc fratri frater vel natus patri nullo succederet mediante. Frustra ergo bene facta depravant qui falsò nos impugnare confingunt; quoniam defendimus potiùs libertatem, sicut facti evidentia manifestat. Nec desperent obedientiæ filij, nec alij qualibet occasione præsumant quòd adversùs Ecclesiam quæcunque possit maligna potentia prævalere, quæ super firmam petram fundata consistit, eam videlicet de qua legitur: *Petra autem erat Christus.* Nam, juxta verbum Apostoli, *fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus.* Vnde portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, quoniam conteret Dominus omnem multitudinem se adversùs Ecclesiam extollentem, nec sævire permittet virgam peccatorum super sortem justorum, sed in baculum arundineum hanc convertet, ut manum perforet innitentis. Præterea non est Ecclesia in hoc sola. Immo præter Principes Alamanniæ qui Regi favent eidem, penè penitùs tota Italia, quæ non modica imperij pars existit, nostræ prorsùs est exposita voluntati, & alij multi Principum nostræ super hoc sequuntur propositum voluntatis. Vnde non est aliquatenus dubitandum quin perseveranti constantiæ finem tribuat exoptatum. Volumus etiam ut quicquid idem Legatus super hoc duxerit statuendum recipias humiliter & inviolabiliter studeas observare. Nos etenim sententiam quam rationabiliter tulerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Datum Anagniæ.

EPISCOPO PRÆNESTINO apostolicæ sedis Legato, magistro Philippo Notario, & Ægidio Acolytho nostro.

BOnorum omnium largitori, licèt exiles, tamen quas possumus gratiarum exsolvimus actiones, quòd super negotio imperij affectum vobis tribuit mandatis apostolicis obsequendi, & effectum affectus pro parte tam magna benignus indulsit, & in manibus vestris nostrum dignatus est propositum prosperare. Epist. 56. Sollicitudinem quoque ac diligentiam vestram in Domino commendamus quòd nec parcendo rebus, nec indulgendo personis, injuncto vobis negotio promovendo diligenter & prudenter insistitis, iniquorum frustrantes consilium, & machinationes vacuantes eorum. Gaudemus etiam & vestram prudentiam commendamus ex eo quòd, tamquam cum Apostolo & abundare & penuriam pati scitetis, licèt in quibusdam necessitas vos urgeret, esse tamen cuiquam oneri noluistis, ne aliqui propter onus forsitan vos vitarent, quos vobis sufficit ad honorem nostrum & carissimi in Christo filij nostri Ottonis Regis illustris in Romanorum Imperatorem electi juxta votum vestrum & nostrum pariter induxisse. Vide infra epist. 84. Cùm igitur ad publicationem super eodem negotio faciendam solemniter processeritis, districtè vobis per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus efficaciter insistentes incepto, Principes qui Regi favent eidem in dilectione ac devotione ipsius fortiùs radicetis, & ad idem alios prudenter & efficaciter inducatis. Vt autem os iniqua loquentium penitùs obstruatur, nec prævaleant maledicta quorundam qui nos asserunt libertatem electionis adimere Principibus voluisse, in auribus omnium verbis & scriptis sæpius inculcetis quòd libertati eorum in hoc facto detulimus, & illæsam eam duximus conservandam. Non enim nos personam elegimus, sed electo ab eorum parte majori &c. *ut in proxima præcedenti* usque finem tribuat exoptatum. Instate igitur, sicut de vestra discretione confidimus; nec deficiatis in aliquo, sed proficiatis potiùs, sollicitè procurantes ut quod faciente Domino est feliciter inchoatum, feliciùs consummetur. Vos verò mercedem vestri laboris in Deo primùm & in nobis ponite consequenter, qui meritis vestris, dante Domino, digna poterimus vicissitudine respondere. Ne autem vel retrahere manum ab aratro vel retro respicere vel ad propria negotio imperfecto redire necessitas vos compellat, si necesse fuerit, aliquam moderatam pecuniam pro expensis vestris mutuò recipere procuretis, quam nos congruo tempore persolvamus. In ferendis autem sententiis, præsertim excommunicationis & deposi-

tionis in magnas personas, cùm non deceat nec expediat totam districtionem ecclesiasticam pariter exercere, vos volumus & mandamus cum multa procedere gravitate; non ut impunitam rebellium contumaciam dimittatis, sed ut quod ligandum fuerit tantò ligetur fortiùs quantò nervus ad hoc fuerit fortior exquisitus. Quod autem de venerabili fratre nostro Archiepiscopo Maguntino tu, frater Episcope, secundùm formam mandati nostri fecisti, gratum & ratum nos noveris habuisse. Ad hoc, quoniam Vvarmatiensis Episcopus, sicut ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, in sua contumacia perseverat, volumus & mandamus ut nisi commonitus ad mandatum tuum redierit, Canonicis Vvarmatiensibus ex parte nostra districtè præcipias ut personam idoneam sibi eligant in pastorem. Dignum est enim ut qui temerè in alienam Ecclesiam se intrusit, & adhuc ei non desinit incubare, propria juxta sanctiones canonicas spolietur. De cetero, licèt pro diversitate negotiorum vobis diverso modo scribamus, interdum severitate, lenitate nonnunquam, & mediocritate frequenter utentes, quia vos in cunctis cautos esse volumus & discretos, nolumus tamen ut de nostra benevolentia diffidatis, sed de gratiæ nostræ plenitudine confidentes, ad honorem apostolicæ sedis & nostrum de bono semper in melius procedere procuretis. Vt autem vos de iis quæ circa nos geruntur prosperè reddamus certiores, pro certo noveritis quòd nobilis vir Vvalterus Comes Brenensis cum aliis fidelibus nostris de perfido Diupuldo & Marcualdi fautoribus jam secundò mirabiliter, faciente Domino, triumphavit, primò in Terra Laboris, & in Apulia consequenter; & præter strages hominum, hostium spolia, & recuperationes terrarum, multos cepit & magnos tam Theutonicos quàm Latinos; ex quibus duos, quos tenet, exprimimus nominatim, Soffridum videlicet Diupuldi germanum, & Ottonem de Laviano, qui sanctæ memoriæ Albertum Leodiensem Episcopum interfecit; & cùm jam quasi totum regnum citra Pharum nostræ pareat voluntati, Comes ipse de mandato nostro contra Marcualdum triũphaturus auctore Domino in Siciliam transfretabit. De urbe quoque scite vos volumus quòd eam per Dei gratiam ad beneplacitum nostrum habemus. Vnde si præfatus Rex & sibi faventes perseverare curaverint, speramus in Domino quòd non solùm superari non poterit, verùm etiam penitùs prævalebit. Postremò vestræ discretioni mandamus ut sicut de nostra benignitate confiditis, omni gratia & timore postpositis, puram & plenam nobis scribatis, sive communiter sive specialiter scripseritis, veritatem, locum & tempus quo scribitis vestris litteris subscribentes; ut cùm interdum quæ priùs fiunt nobis ultimò porrigantur, ex subscriptione hujusmodi quæ priores & quæ posteriores, & ubi datæ fuerint, agnoscamus. Datum Anagniæ.

Vide gesta Innoc. III cap. 25.

Ibid. cap. 34.



ILLVSTRI REGI OTTONI IN Romanorum Regem electo.

Epist. 37.

NOn multùm oportet mentis affectum oris officio explicare cùm opera testimonium perhibeant veritati, & intentionem tantò expressiùs quantò veriùs manifestant. Vnde cum quanta sinceritate in facto tuo duxerimus procedendum, quantam sollicitudinem & diligentiam in eo curaverimus adhibere, qualiter serenitati tuæ non jam occultè sed publicè faveamus, quantumque per favorem nostrum negotium tuum restauratum fuerit & etiam prosperatum, celsitudo regalis, sicut credimus, pleniùs est experta. In multis enim non expectavimus preces tuas, sed eas sæpius curavimus prævenire, ac ad exaltationem tuam nec pauca nec modica te tractavimus nesciente, de tua sinceritate sperantes quòd ad honorem apostolicæ sedis & nostrum, sicut catholicus Princeps, intendes, & exaltationem Ecclesiæ totis viribus procurabis, utpote per quam post Deum te intelligis exaltatum. Monemus igitur serenitatem tuam & exhortamur attentiùs quatenus principaliter & præcipuè spem tuam ponas in eo qui deponit de sede potentes, & humiles, sicut beata virgo testatur, exaltat: quoniam humilitatem tuam sua miseratione respiciet, & conteret inimici cervicem, & mittet auxilium de sancto, & de Sion tuebitur causam tuam. In nobis quoque, qui vicem ejus, licèt indigni, exercemus in terris, sine qualibet dubitatione confidas: quoniam ex quo cœpimus, usque in finem auxilium tibi præstabimus & favorem, nec unquam reprobabimus, Domino concedente, quod semel noscimur approbasse. Nec aliquorum suggestio mentem tuam à suo statu deiciat, aut animum tuum non solùm credere sed etiam suspicari compellat quòd in facto tuo velimus ab incepto desistere vel exhibitum tibi hactenus subtrahere vel negare favorem. Absit enim ut quod inter primitias tuæ promotionis non fecimus, nunc, cùm negotium tuum roboratum est per Dei gratiam & favorem sedis apostolicæ, faciamus, & plantam quam irrigare cœpimus permittamus urere, cùm ei Deus ex magna parte jam dederit incrementum. Sanè ab initio nobilis vir Dux Sueviæ favorem Ecclesiæ Romanæ quæsivit, pro quo institit obtinendo, confidens pro certo quòd si habere gratiam sedis apostolicæ potuisset, non solummodo prævalere in eum, sed nec ante faciem ejus subsistere potuisses. Quia verò in facto tuo perseverantia opus habes, quæ in cunctis bonis operibus commendatur, oportet ut exhibeas te constantem, ne vel iniqui suggestione vel promissione perversa te molliant; quorum molimina contra te, si perstiteris fortiter, non poterunt prævalere. Principes etiam qui alteri parti favent sic debes ad tuam devotionem diligenter inducere ut eos qui tecum fuerant studeas tibi diligentiùs conservare. Ceterùm licèt in te strenuitatis virtutem pluriumùm commendemus, quia tamen audacia nonnunquam in Principe solet esse damnosa si personam suam exponat improvidè periculis & fortunæ, sicut nuper fuisses expertus nisi tibi manus Domini adsti-

tiſſet, perſonæ tuæ ſollicitè ſtodeas præcavere, nec uſque adeo ſis prodigus vitæ tuæ ut qui victoriam velis morte mercari; cùm noris, ut credimus, quòd multi deficientibus viribus redierunt ad fraudes, & cùm pet potentiam nequeant, ſtudent ſaltem per nequitiam prævalere. Quamvis enim totum negotium tuum ſimul expedire non poſſis, non debes tamen uſque adeo feſtinare ot perſonam tuam fortunæ committas, ſed expectare potiùs ut qui cœpit in te perficiat opus bonum, & qui honori tuo dedir principium, ipſe quoque conſummationem apponat. Quid antem pro te diverſis ſcribamus perſonis tam eccleſiaſticis qoàm mundanis, per ipſarum litterarum teſcripta tuæ poterit ſerenitati patere. Monemus verò celſitudinem tuam & propenſiùs exhortamur quatenos ſenarui populoque Romano, Rectoribus Lombardiæ ac Tuſciæ, ſingulis etiam civitatibus & Baronibus, immo etiam Archiepiſcopis & Epiſcopis, de tuo proſpero ſtatu frequenter litteras tuas ſtudeas deſtinare; pet quas eis bona promittas, & inimicorum tuorum confuſionem exponas. Datum Anagniæ.

TREVIRENSI ARCHIEPISCOPO & ſuffraganeis ejus, & univerſo clero in Trevirenſi provincia conſtitutis.

Epiſt. 58. ETſi ægrè tulerimus & moleſtè quòd ex diſſenſione Principum & imperium Imperatore carebat & Eccleſia defenſore, ſuſtinuimus tamen diutiùs ſi Principes ducti conſilio ſaniori tam ſibi quàm univerſo populo Chriſtiano meliùs providerent & ſopita diſcordia concordarent. Verùm cùm expectatio noſtra obeſſe potiùs quàm prodeſſe imperio videretur, ad concordiam eos per uoſtras duximus litteras commonendos. Sed quia nec commonitio valuit apod ipſos, conſilium tandem noſtrum eis per nuntium & litteras noſtras curavimus aperire. Ceterùm quoniam nec conſilio acquieſcere curaverunt, venerabilem fratrem noſtrum Præneſtinum Epiſcopum apoſtolicæ ſedis Legatum propter hoc præcipuè in Theutoniam duximus deſtinandum; qui perſona Ducis Sueviæ propter cauſas ſufficientes & multiplices reprobata, nos conſentire in cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ottonem Regem illuſtrem in Romanorum Imperatorem electum publicè nuntiavit. Cùm ergo nos eum receperimus jam in Regem & ad coronam imperij congruo tempore diſpoſuerimus evocare, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus & in virtute obedientiæ diſtrictè præcipimus quatenus ei de cetero adhæreatis fideliter & potenter & tam potenter quàm viriliter aſſiſtatis, non obſtante juramento ſi quod ratione regni prædicto Duci forſitan præſtitiſtis, cùm nos illud, eo reprobato, decreverimus non ſervandum. Nec vos moveant &c. *in eundem modum ut in littera præcedenti uſque in finem.*

In eundem modum Salzburgenſi & ſuffraganeis ejus & univerſo clero in Salzburgenſi provincia conſtitutis.

In eundem modum Magdeburgenſi & ſuffraganeis ejus & univerſo clero in Magdeburgenſi provincia conſtitutis.

In eundem modum Bremenſi & ſuffraganeis ejus & univerſo clero in Bremenſi provincia conſtitutis.

In eundem modum ſuffraganeis & Canonicis Eccleſia Maguntinæ, & univerſo clero in Maguntina provincia conſtitutis.

PATEBVRNENSI EPISCOPO.

GRatum gerimus & acceptum & tuæ devotionis conſtantiam in Domino commendamus quòd cariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Regi Ottoni io Romanorum Imperatorem electo, quem nos recepimus jam in Regem, & ad coronam imperij congruo tempore diſpoſuimus evocare, fideliter & conſtanter adhæres, & ei auxilium tribuis & favorem. Super hoc ergo devotionem tuam proſequentes actionibus gratiarum, fraternitatem tuam monemus & exhortamur attentiùs & per apoſtolica tibi ſcripta mandamus qoatenus eidem Regi, nonobſtante juramento ſi quod Duci Sueviæ ratione regni forſitan præſtitiſti, cùm nos illud, eo reprobato, decreverimus non ſervandum, viriliter & potenter aſſiſtas, & oniverſos conſanguineos & amicos tuos ad ejus fidelitatem inducas, ita quòd ex hoc gratiam noſtram pleniùs merearis; ſciturus quòd ſicuti priùs quàm ipſum acceperimus in Regem, gratum reputàvimus & acceptum ſi quis ei fideliter adhæreret, de cetero, præſertim in viris eccleſiaſticis, non dimitteremus inultum ſi quis ſe ipſi duceret opponendum. Non autem te moveant maledicta quorundam &c. Epiſt. 59.

In eundem modum Epiſcopo Oſenbruchenſi, Monaſterienſi, Traiectenſi, Hildeſemenſi, Mindenſi, ita quòd unicuique ſeorſim.

In eundem modum Abbati Vverdenſi, Abbati ſancti Cornelij, Abbati Promienſi, & Præpoſito Bunnenſi, ita quòd unicuique ſeorſim.

In eundem ferè modum Colonienſi Archiepiſcopo & ſuffraganeis ejus.

In eundem ferè modum Comiti Flandrenſi ut Epiſcopo Patebumenſi uſque merearis. Non autem te moveant &c.

In eundem modum Comiti Namurcenſi, Duci de Lemburc, Comiti de Loën, de Vvaſſenberc, Vvaleranno, Comiti de Heſtaden, Comiti de Aire, Comiti de Sain, Comiti de Eppeſteim, Comiti de Tikenburc, Comiti de Ceſſele, Hermanno de Lippe, Comiti Hollandiæ, Comiti de Boren, Comiti de Los, Comiti de Techeburg, Comiti de Montana, Gut. fratri venerabilis Siffrido Archiepiſcopo Maguntino.

In eundem modum nobili viro Comiti de Viana, Comiti de Arnesberc, & Comiti de Acen. ita quòd unicuique ſeorſim.

IOHANNI ILLVSTRI Anglorum Regi.

CVm cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum illuſtris non potuerit te abſolvere à debito quo teneris inclito Regi Ottoni nepoti tuo in Romanorum Imperatorem electo, quemadmodum nec ipſe Rex Otto te poſſet abſolvere à debito quo teneris præfato Regi Francorum, cùm & ratio dictet & natura depoſcat ut avunculus debeat ſubvenire nepoti, profectò juramentum quod eidem Regi Francorum diceris præſtitiſſe, ne videlicet ſubvenires Epiſt. 60.

prænominato

prænominato Regi nepoti tuo, debet illicitum judicari. Nos igitur & tuæ saluti & tuæ utilitati paterna volentes sollicitudine providere, quia secundùm Prophetam debemus dissolvere colligationes impietatis & fasciculos deprimentes, juramentum hujusmodi, quantum ad hunc spectat articulum, tam à te quàm ab iis qui pro te taliter juraverunt decernimus non servandum, serenitati tuæ per apostolica scripta mandantes quatenus eo penitùs nonobstante debitum illi subsidium & favorem impendas.

LITTERÆ QVORVNDAM
Principum faventium parti Philippi.

Epist. 61. SAnctissimo Patri ac Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ sedis summo & universali Pontifici, Dei gratia Magdeburgensis, Bremensis Archiepiscopi, Vvarmatiensis, Pataviensis, Ratisponensis, Constantiensis, Augustensis, Ekstadensis, Havelbergensis, Brandeburgensis, Misnensis, Nuemburgensis Episcopi, Babenbergensis electus, Fuldensis, Herseveldensis, Campidonensis Abbates, Rex Boëmiæ, Dux Zaringiæ & rector Burgundiæ, Dux Saxoniæ, Dux Austriæ & Stiriæ, Dux Meraniæ, Turingiæ Langravius, Marchio Moraviæ orientalis, Misnensis, Brandeburgensis Marchiones, de Orlamund, de Summerenberch, de Brenen, de Vvitin Comites, salutem & debitam in Christo reverentiam. Extimare non valet ratio, nec rudis simplicitas hoc potest credere, ut inde juris cujusque inigat turbatio ubi juris soliditas permansit hactenus inconvulsa. Quis tam duri etiam tamque perversi sensus existimet ut inde emanet superstitio ubi quiescere debet sanctitas? Divina enim ordinatione, non humano judicio, piè & salubriter est provisum ut in urbe Romana, ubi olim erat caput superstitionis, illic quiesceret caput sanctitatis; & suppliciter omnibus est orandum ut ad extremitatem non retrahatur principium, ne omega dicatur revolasse ad alpha. Non ergo sacrosanctæ Romanæ sedis sanctitas & cuncta piè fovens paternitas hoc sentire ullo modo nos permittit, ea quæ juri dissona & honestati contraria à Domino Prænestino vestræ sanctitatis, ut ipse asserit, Legato in Romanorum Regis electione sunt indecenter nimiùm perpetrata, ut de vestræ meræ prudentiæ prodierint conscientia, nec sanctissimam sancti cœtus Cardinalium credimus huc* convenientiam accessisse. Quis enim huic similem audivit audaciam? Quis verus accedere potest testis fuere hactenus sic præsumptum, cùm nec hoc testetur fabula, nec affirmet res gesta, nec cujusquam hoc codicis asseveret series? Vbinam legistis, ô summi Pontifices, ubi audistis, sancti patres, totius Ecclesiæ Cardinales, antecessores vestros vel eorum missos Romanorum Regum se electionibus immiscuisse, sic ut vel electorum personam gererent, vel ut cognitores electionis vires trutinarent? Respondendi instantiam vos credimus non habere. In Romanorum enim electione Pontificum hoc erat imperiali diademati reservatum, ut eam Romanorum Imperatorum auctoritate non accommodata ulla ratione fieri non liceret. Imperialis verò munificentia, quæ cultum Dei semper ampliare studuit, & ejus Ecclesiam privilegiorum specialitate decorare curavit, hunc honoris titulum Dei Ecclesiæ reverenter remisit quod constitutio primi Henrici evidenter explanat, cujus series hæc est: *Vt nullus missorum nostrorum cujuscunque impeditionis argumentum in electione Romani Pontificis componere audeat omnino prohibemus.* Si laïcalis simplicitas bonum quod de jure habuit reverenter contempsit, sanctitas pontificalis ad bonum quod nunquam habuit quomodo manum ponit? Sed cùm vestræ sanctæ curiæ tamquam piæ matris nos tangat opprobrium, cùm ad Romani imperij simus ascripti titulum, ejus injuriam cogimur non tacere. Vobis ergo suprascriptorum Principum cum dolore aperit universitas quòd Prænestinus Episcopus in Romanorum Regis electione contra omnem juris ordinem se ingessit, nec videre possumus cujus personam inculpabiliter se gerat. Gerit enim vel personam electoris, vel personam cognitoris. Si electoris, quomodo quæsivis opportunitatem qualiter arbitris absentibus mendacio veritatem & crimine virtutem mutaret? Quomodo enim ea pars Principum quam numerus ampliat, quam dignitas effert, injustè nimiùm est contempta? Et si cognitoris, hanc gestare non potuit. Romanorum enim Regis electio, si in se scissa fuerit, non est superior judex cujus opera sententia integranda, sed eligentium voluntate spontanea consuenda. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus, actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit: ut & Deo militans, minimè se negotiis implicaret secularibus, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur qui esset negotiis secularibus implicatus. Sed si vos judicem confitemini, factum hoc excusationem habere non potest. Vestrum enim in vos possumus exercere gladium; quia absente alia parte, sententia à judice dicta nullam habeat firmitatem. Quid ergo prædicti Prænestini sententia in Ottone firmare potuit, cùm nihil notè in eo factum sit? Nam quid erit aut quas vires habere poterit quod ab iis fit quos tenuior compescit numerus, quos minor comitatur auctoritas, quod partis alterius reddit absentia vitiosum? Contra eum ergo qui talia operatus est minùs decenter vester so rigor exerceat, sit in eum tamen piè sæviens disciplina. Vobis enim, Pater sanctissime, insinuare decrevimus quia electionis nostræ vota in serenissimum Dominum nostrum Philippum Romanorum Regem & semper Augustum una voce, uno consensu contulimus, hoc spondentes, hoc firmiter promittentes, quòd à vestra & Romanæ sedis obedientia non recedet, & eum Deo & vobis sua devotio reddet acceptum, & filialis eum timor imbuet, & defensoris eum strenuitas commendabit. Vnde petimus ut veniente tempore & loco, sicut vestri officij est, unctionis ipsi beneficium non negetis.

Cap. *Absente.* 5. q. 9. Vide innoc. 3. lib. 1, epist. 181.

* Raînald. conniventiam

Vide lib. 3. Miscellaneor nostror. pag. 490. & seqq.

Apud Baron. ad an. 1024. §. 7.

NOBILI VIRO DVCI ZARINGIÆ.

Epist. 62. Cap. Venerabilem. De elect.

VEnerabilem fratrem nostrum Salzburgensem Archiepiscopum & dilectum filium Abbatem de Salem & nobilem virum Marchionem orientalem quorumdam Principum nuntios ad sedem apostolicam destinatos benignè recepimus, & eis benevolam duximus audientiam indulgendam. Litteras quoque quas per eos quidam nobiles Principes destinarunt diligenter perlegi fecimus, & quæ continebantur in eis notavimus universa. Inter cetera verò quæ dicti Principes per easdem nobis litteras intimarunt hac præcipuè objectione sunt usi, dicentes quòd venerabilis frater noster Prænestinus Episcopus apostolicæ sedis Legatus aut electoris gessit aut cognitoris personam; si electoris, in alienam messem miserat falcem suam, & electioni se ingerens, Principum derogaverat dignitati; si cognitoris, absente altera partium videtur perperam processisse, cùm citata non fuerit, & ideo non debuerit contumax judicari. Verùm nos, qui secundùm apostolicæ servitutis officium sumus singulis in justitia debitores, sicut justitiam nostram ab aliis nolumus usurpari, sic jus Principum nobis nolumus vendicare. Vnde illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus ut debemus ad quos de jure ac antiqua consuetudine noscitur pertinere; præsertim cùm ad eos jus & potestas hujusmodi ab apostolica sede pervenerit, quæ Romanum imperium in persona magnifici Karoli à Græcis transtulit in Germanos. Sed & Principes recognoscere debent, & utique recognoscunt, quod jus & auctoritas examinandi personam electam in Regem & promovendam in imperium ad nos spectat, qui eam inungimus, consecramus, & coronamus. Est enim regulariter & generaliter observatum, ut ad eum examinatio personæ pertineat ad quem impositio manus spectat. Num-

quid enim si Principes, non solùm in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcunque vel excommunicatum in Regem, tyrannum vel fatuum, hæreticum eligerent aut paganum, nos inungere, consecrare, ac coronare hominem hujusmodi deberemus? Absit omnino. Objectioni ergo Principum respondentes asserimus quòd Legatus noster Episcopus Prænestinus nec electoris gessit personam, juxta quod nobis per litteras suas quidam Principum opponebant, utpote qui nec fecit aliquem eligi nec elegit, & sic electioni nequaquam se ingessit; nec cognitoris personam exhibuit, cùm neutrius electionem, quoad factum eligentium, confirmandam duxerit aut etiam infirmandam; & sic jus sibi Principum nullatenus usurpavit, aut venit contra illud. Exercuit autem denuntiatoris officium; quia personam Ducis ejusdem denuntiavit indignam, & personam Regis ipsius denuntiavit idoneam quoad imperium obtinendum, non tam propter studia eligentium quàm propter merita electorum; quamvis plures ex illis qui eligendi Regem in Imperatorem promovendum de jure ac consuetudine obtinent potestatem consensisse perhibeantur in ipsum Regem Ottonem, & ex eo quòd fautores Philippi absentibus aliis & contemptis ipsum eligere præsumpserunt, pateat eos perperam processisse; cùm explorati sit juris quòd electioni plus contemptus unius quàm contradictio multorum obsistat. Vnde quia privilegium meruerunt amittere qui permissa sibi abusi sunt potestate, videri non immeritò potest quòd injuria hujusmodi nonobstante, ceteri uti potuerint jure suo. Et quoniam Dux prædictus nec ubi debuit nec à quo debuit coronam & unctionem accepit, memoratus verò Rex & ubi debuit, videlicet Aquisgrani, & à quo debuit, scilicet à venerabili fratre nostro Coloniensi Archiepiscopo, recepit utrumque, nos utique non Philippum, sed Ottonem reputamus & nominamus Regem, justitia exigente. In reprobatione verò præfati Philippi Ducis Sueviæ, propter manifesta impedimenta personæ, non accusatione sed condemnatione potiùs fuit opus, quia non accusatione sed condemnatione indigent manifesta. Quòd autem, cùm in electione vota Principum dividuntur, post admonitionem & expectationem alteri partium favere possimus, maximè postquam à nobis unctio, consecratio, & coronatio postulantur, sicut utraque pars à nobis multotiens postulavit, ex jure patet pariter & exemplo. Numquid enim si Principes admoniti & expectati vel non poterint vel noluerint convenire, apostolica sedes advocato & defensore carebit, eorumque culpa ipsi redundabit in pœnam? Sciunt autem Principes, & tua nobilitas non ignorat quòd cùm Lotharius & Conradus in discordia fuissent electi, Romanus Pontifex Lotharium coronavit, & imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad ejus gratiam redeunte. Nos ergo per nuntios Principum memoratos eos duximus commonendos ut sicut nos à juris ipsorum cessamus injuria, sic ipsi contra jus nostrum se nequaquam injuriosos ostendant, sed à præfato Duce justo quidem à nobis judicio reprobato recedant, & præfato Regi Ottoni non abnuant adhærere; nisi tunc demum contra personam vel factum legitimum quid ab eis objectum fuerit & ostensum. Sunt enim notoria impedimenta Ducis Sueviæ, scilicet excommunicatio publica, perjurium manifestum, & persecutio divulgata, quam progenitores ejus & ipse præsumpserunt in apostolicam sedem & alias Ecclesias exercere. Fuit enim [Vide suprà epist. 21.] à bonæ memoriæ Celestino Papa prædecessore nostro propter invasionem & devastationem patrimonij beati Petri, commonitione sæpe præmissa, publicè ac solemniter excommunicationis vinculo innodatus, cùm in Tuscia moraretur. quod ipse postmodum recognovit, dum per nuntium suum ab ipso prædecessore nostro absolutionis beneficium postulavit, & postmodum à tunc Sutrino Episcopo, quem cum Abbate sancti Anastasij pro liberatione venerabilis fratris nostri Salernitani Archiepiscopi nos in Theutoniam miseramus, contra formam mandati nostri de facto solummodo, quia de jure non potuit, post suam electionem apud Vvarmatiam occultè se fecit absolvi. Vnde patet quòd fuerit excommunicatus electus &c. *ut suprà in eundem modum quo scriptum est Principibus Alamanniæ usque* sua temeritate venire. Vtrum verò dictum juramentum licitum fuerit an illicitum, & ideo servandum an non servandum extiterit, nemo sanæ mentis ignorat ad nostrum judicium pertinere. Quòd autem Philippus de genere persecutorum existat, Principes non credimus dubitare, cùm Henricus &c. *in eundem ferè modum ut superiùs dictum est usque* vivos in mare submergi, ad tuam & aliorum Principum credimus audientiam pervenisse. Insuper, si supradictus Dux, quod absit, imperium obtineret, libertas Principum in electione periret, & imperij obtinendi de cetero ceteris fiducia tolleretur. Nam si prout olim Fredericus Conrado & Henricus postmodum Frederico, sic nunc vel Fredericus Philippo vel Philippus Henrico succederet, videretur imperium non ex electione sed ex successione deberi. Præterea cùm multi Principum ex imperio æquè sint nobiles & potentes, in eorum præjudicium redundaret si nonnisi de domo Ducum Sueviæ videretur aliquis ad imperium assumendus. Cùm ergo nos flecti à nostro proposito nulla penitùs occasione possimus, sed in eo potiùs firmissimè persistamus, & tu nobis sæpe per litteras tuas duxeris suggerendum ut eidem Duci nullatenus faveremus, nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino & per apostolica scripta mandamus quatenus, sicut de gratia nostra confidis, & nos de tua devotione speramus, de cetero à præfato Duce Philippo recedas omnino, nonobstante juramento si quod ei ratione regni fecisti, cùm eo quantum ad obtinendum imperium reprobato, juramentum hujusmodi non debeat observari. Prædicto verò Regi Ottoni, quem nos concedente Domino ad coronam imperij disponimus evocare, patenter adhæreas & potenter; ut cùm ei ad commonitionem nostram adhæseris, inter primos gratiam & benevolentiam ejus obtinere præcipuè merearis. ad quod nos pro tuæ nobilitatis amore dabimus operam efficacem. Datum Laterani.

LITTERÆ REGIS FRANCORVM ad Dominum Papam.

Epist. 63. SAnctissimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia supremo Pontifici Philippus eadem gratia Francorum Rex salutem & tam debitam quàm devotam in Christo reverentiam. Miramur plurimùm ex eo quòd vos Regem Ottonem, qui, sicut vestra novit paternitas, minùs legitimè electus est, tam per nuntios quàm per Legatos vestros modis omnibus in Imperatorem nitimini promovere; præsertim cùm ipse & omne genus suum regno Francorum manifesti semper extiterint inimici. Præterea mirandum est quòd cùm plures nobis per litteras vestras mandaveritis quòd vos & honorem nostrum necnon & regni nostri profectum plurimùm affectetis, vos hominem & ejus sequaces nobis & regno nostro inimicos super caput nostrum nitimini imponere & in imperium promovere, quamvis regnum Franciæ id erga sanctitatem vestram vel Ecclesiam Romanam nunquam meruerit. Veruntamen vestra noscat sanctitas quòd hujusmodi promotio, quam non considerata ratione intenditis facere, non tantùm in injuriam regni Francorum, verùm etiam in omnium Regum catholicorum ignominiam noscitur redundare. Præterea gravamina quæ vos nobis intogastis æquanimiter sustinuimus; ista verò quæ ad detrimentum honoris nostri & regni nostri exheredationem manifestè imminere videmus, nullatenus pateremur. Quòd si in hujusmodi proposito vestro volueritis perseverare, nos ad id competens consilium pro loco & tempore curabimus adhibere. Insuper multotiens vobis mandavimus & adhuc mandamus quòd si fortè de Rege Philippo timetis ne aliquid contra Romanam Ecclesiam velit in posterum machinari si ipsum in Imperatorem contigerit promoveri, sciatis quòd nos de nobis & de ipso & pro ipso vobis competentem cautionem super istis parati sumus præstare. Quòd si nostro consilio super iis nollet acquiescere, auxilium nostrum & consilium eidem Philippo penitùs denegaremus, immo potiùs ei nocumentum inferremus. Super prædictis autem carissimo consanguineo nostro Marchioni Montisferrati ex parte nostra indubitanter credatis.

PHILIPPO ILLVSTRI REGI Francorum.

Epist. 64. REcepimus litteras quas regia nobis serenitas destinavit solitæ benignitatis affectu, & diligenter notavimus quid dilectus filius nobilis vir Marchio Montisferrati ex parte tua nobis proposuit viva voce. Miramur autem non modicùm & turbamur quòd unquam de nobis regia serenitas cogitavit quòd super caput ejus & regni Francorum vellemus imponere hominem inimicum, cùm quantumcunque carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum in Domino diligamus, quantumcunque ad exaltationem intendamus imperij, plus tamen circa te nostræ vigeat dilectionis affectus & incrementum regni Francorum ardentiùs affectemus, maximè te regnante, quem scimus in devotione sedis apostolicæ solidatum, utpote in qua illustris memoriæ Ludovico Regi Francorum patri tuo hereditario jure velut in regno successis. Vnde inter ceteros Reges catholicos & Principes Christianos serenitatem tuam prærogativa dilectionis amplectimur, & ad ea quæ honorem tuum & incrementum regni Francorum respiciunt propensiùs aspiramus; utpote in cujus exaltatione exaltari credimus apostolicam sedem, & in cujus depressione, quod absit, ipsam deprimi crederemus. Quòd autem personam nobilis viri Philippi Ducis Sueviæ reprobandam duximus quoad imperium obtinendum, regalis excellentia non miretur, cùm impedimenta eidem obstantia sint quasi omnibus manifesta, & nulla possint tergiversatione celari, videlicet excommunicatio publica, perjurium manifestum, & persecutio divulgata quam progenitores ejus & ipse præsumpserunt in apostolicam sedem & alias Ecclesias exercere. Fuit enim &c. *in eundem modum ut in ea quæ scribitur Duci Zaringiæ usque* pervenisse. Ipse Suprà epist. 62.
quoque Philippus degenerare se credens si minùs perpetam ageret quàm egerant patres ejus & ejus mensuram in malitia non impleret, in apostolicæ sedis persecutione suæ promotionis primitias exercavit, dum terra illa quam pater ejus & frater occupaverant non contentus, ad aliud patrimonium beati Petri, quod pacificè prædecessores nostri possederant, manus violentas extendit, & Ducem Sueviæ & Campaniæ scribere se præsumpsit, asserens quòd usque ad portas urbis, ita quòd in Trans Tybetim etiam, ducatus acceperat potestatem. Vnde propter hoc à prædicto prædecessore nostro post frequentem commonitionem fuit excommunicationis sententia innodatus. Qualiter igitur Ecclesiam Romanam defenderet qui in ejus delectatur offensa? Qualiter eam tueretur ab aliis qui à se ipso eam noluit esse tutam? Præterea si Dux ipse, quod absit, imperium obtineret &c. *in eundem modum ut Duci Zaringiæ, usque* assumendus. Ceterùm regiæ celsitudinis litteræ continebant quòd ne quid contra Romanam Ecclesiam Philippus machinaretur in posterum, de te pariter & de ipso & pro ipso etiam nobis paratus eras competenti cautione cavere. Sed qualiter illius possemus credere cautioni qui eorum tam moribus quàm sanguine se exhibet successorem qui cautiones per se ipsos interdum & per Principes suos prædecessoribus nostris aliquando præstitas non servarunt, nisi fortè cùm opportunitatem non habuere nocendi? Quòd autem eidem Regi Ottoni favorem nostrum & apostolicæ sedis gratiam præstitimos & præstamus, ea præcipuè factum noveris ratione quòd cùm duo simul Imperatores esse non possint, & reprobato prædicto Duce Sueviæ, per nos creare tertium non possemus, personam Regis ejusdem ad reprimendam reprobati malitiam nos oportuit approbare, tutios reputantes ante tempus occurrere quàm remedium post causam quærere vulneratam. In approbatione verò, immo ante approbationem Regis ipsius, tam regiæ serenitatis quàm regni Francorum memores nos noveris extitisse, cùm ab eo tam per scripturam suam quàm per proprium juramentum sufficientem receperimus cautionem ut super facto tuo consiliis nostris & monitis acquiescat. Præterea cùm carissimo in Christo filio nostro Ludovico primogenito tuo, qui in regnum tibi Domino faciente succedet, proximæ affinitatis vinculo sit astrictus, & multis Principibus tam consanguineis quàm affinibus tois tum consanguinitate tum affinitate conjunctos existat, promotionem ejus regno Francorum credimus expedire. Nec est de facili præsumendum quòd pro carissimo in Christo filio nostro Iohanne Rege Anglorum illustri celsitudini regiæ aliquando se opponat, cùm in suis

necessitatibus eum sibi non senserit adjutorem, quare teneatur eum contra celsitudinem tuam in suis negotiis adjuvare, præsertim ex quo favore tuo senserit se juvari. Verùm præter alias cautiones quas poteris ab illo recipere, Ecclesia Romana tam te quàm regnum tuum semper faciet ab ipso securum, & ei, si, quod non credimus, malignari fortè præsumpserit, juxta officij nostri debitum se opponet. Vsque adeo enim regni Francorum diligimus libertatem ut non solummodo contra eum, sed contra omnem hominem qui illud molestare præsumeret, pro ejus immunitate staremus & ejus defenderemus pro viribus dignitatem. Rogamus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino, & quasi pro munere postulamus, quòd cum prædicto Rege Ottone amicitias statuas & firmes fœdera veræ pacis, ut ex favore tuo videatur tandem victoriam assecutus. Consideret apud se celsitudo regalis & deliberet cum viris prudentibus & discretis utrum honestati ac utilitati tuæ debeat expedire ut ei contra Romanam Ecclesiam regium favorem impendas qui, prout pro certo creditur & habetur, ad Romanum imperium non poterit pervenire, ac ei publicè te opponas de cujus pro certo promotione speratur. Speramus enim in eo qui est in se sperantium fortitudo quòd postquam Principes de puritate intentionis nostræ ac propositi firmitate per venerabilem fratrem nostrum Salzburgensem Archiepiscopum & dilectum filium Abbatem de Salem & nobilem virum Marchionem orientalem nuntios quorundam ex eis ad nostram præsentiam destinatos redditi fuerint certiores, & de quibusdam quæ falsò ipsis suggesta fuerant pleniùs intellexerint veritatem, juxta commonitionem nostram à prædicto Duce recedent, & eidem Regi fideliter adhærebunt. Siquidem nuntiis ipsis respondimus in hæc verba, quia secundùm apostolicæ servitutis officium suoius singulis in justitia debitores &c. *in eundem ferè modum ut Duci Zaringiæ usque* non abnuunt adhærere. Quare sub illius fiduciæ puritate quam de regia serenitate concepimus cum instantia postulamus ut nonobstante obligatione aliqua, cùm accessorium tenere non debeat si non tenuerit principale, Duci eidem auxilium subtrahas & favorem, & cum prædicto Rege componas, & nunc cum tuo noscitur auxilio indigere, ipsum tibi & regno tuo constituas debitorem. Taliter autem super iis preces nostras exaudias sicut à nobis desideras in tuis precibus exaudiri. Datum Laterani.

Sunt aliæ rationes quæ serenitatem tuam à favore Philippi retrahere satis debent & ad Regis Ottonis auxilium invitare. Nosti enim quod si Philippus, quod absit, imperium obtineret, saltem occasione nepotis, cujus curam sibi vellet ratione sanguinis vendicare, regnum Siciliæ occuparet, quod nunc quoque per satellites suos invadere, sed in vacuum, machinatur. Quòd si super hoc compleret, quod avertat, Dominus votum suum, cùm imperium ei virorum vires, regnum autem divitiarum copiam ministraret, in superbiam jam elatus aliud cogitaret, & regnum Francorum sibi disponeret subjugare, sicut olim obtento regno prædicto disposuerat frater ejus Imperator Henricus, affirmans quòd te de cetero ad fidelitatem sibi compelleret exhibendam. Ad audientiam quoque tuam credimus pervenisse quòd serenitati tuæ in Lombardia paravit insidias de ultramarinis partibus redeunti. Cùm ergo Dominus te de manu quærentis tuam animam liberarit, debes totis viribus præcavere ne te in priorem necessitatem inducas, neve frustra coneris reddere tigridem mansuetam. Vnde tutius credimus ut eum cadere patiaris qui, si staret, statui tuo propositi fratrum non immemor invideret, & alieno eum ictu prosternas vel saltem prosterni permittas quem, si subsisteret & imperij monarchiam obtineret, non posses sine multo gravamine sustinere. Potes autem per Regem Ottonem & hostem illum deicere & ab eo nunc talia obtinere quæ non posses ab ipso postquam pleniùs invalesceret impetrare. Vnde festinatione credimus opus esse, cùm ad promotionem ejus via sit paratissima & aperta. Ad hæc, serenitatem tuam nolumus ignorare quòd super imperij Romani negotio quicquid nobiscum feceris & pro nobis, ratum permanebit & firmum. Si quid autem faceret, & maximè contra nos, quam utilitatem & stabilitatem posset habere circumspectio regalis advertat. Præterea, sicut damnosum reputares & grave si Romanus Pontifex contra regnum Francorum cuiquam & maximè Imperatori faveret, ita grave nobis existeret & molestum, si Rex Francorum cuiquam contra Romanam Ecclesiam, præsertim super imperio Romano, faveret. Absit igitur ut vel Rex Francorum deserat unquam Romanam Ecclesiam, vel Ecclesia Romana desit unquam regno Francorum. Datum Laterani.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN Romanorum Imperatorem electo.

QVantum Deo debeas, quantumque sedi apostolicæ tenearis, si humiliter perscrutetur & diligenter inspiciat regia celsitudo, in ejus semper humiliabitur aspectu qui exaltat humiles & potentes de sede deponit, & in timore Domini suæ dignitatis primitias solidabit, ut in eo ad regendum imperium spiritum sapientiæ & intellectus accipere mereatur, (nam initium sapientiæ timor, intellectus bonus omnibus facientibus eum) apostolicæ verò sedi exhibebit in perpetuum sinceræ devotionis affectum, & ad defensionem ipsius potenter & prudenter intendet, utpote per quam præcipuè, post divinæ gratiam bonitatis, se imperio genitum recognoscet. & sic eam tam in religione fidei Christianæ quàm honoris augmento suam confitebitur genitricem, utpote quæ de se dicere verè potest: *Ego plantavi, ego rigavi, & planta mea dedit Deus incrementum.* Sanè propter dona naturæ quibus te Dominus, sicut accepimus, præ tuis participibus adornavit, propter munera gratiæ quæ in te copiosiùs & superabundantiùs benignus effudit, ad imperij Romani fastigium te vocare disposuit; ut per ipsum misericorditer & mirabiliter exaltatus, ad ea quæ sunt ejus intendas, quærens judicium, oppresso subveniens, pupillo judicans, defendens viduas, superborum colla conculcans, & ad vin- *Epist. 65.*

dictam malefactorum, laudem verò bonorum concessam tibi exerceas martialis gladij potestatem, Romanam autem Ecclesiam, quæ post Deum promotionis tuæ principium posuit, & in proximo dante Domino felicis manum consummationis apponet, tantò ampliùs venereris quantò exuberantem circa te gratiam beneficiorum ipsius teneris gratiùs acceptare; ut cùm se regia serenitas exhibueris gratam, gratiam ex gratia mereatur. Vt autem celsitudini tuæ pleniùs pateat apostolicæ constantia firmitatis, & de ipsa non possis in posterum aliquatenus dubitare, quid nuper apud nos & à nobis sit gestum, qualiter responsum quorundam Principum nuntiis, serenitati tuæ venerabilis frater noster Archiepiscopus Maguntinus & nuntij sui pleniùs intimabunt. Cùm ergo nos à proposito nostro non possimus aliquatenus revocari, licèt multa nobis & magna promissa fuissent, & speremus quòd multi Principum, postquam per nuntios ipsos intentionis nostræ puritatem agnoverint & intellexerint firmitatem, ab eodem Duce recedent & tibi fideliter adhærebunt, serenitatem tuam monemus & exhortamur attentiùs quatenus & tu constantiæ virtutem assumas, nec te circumveniri ab eis aliquatenus patiaris: quia cùm nos non potuerint ad suum consilium inclinare, te ac tuos aggredientur promissis, & quibuscunque modis poterunt circumvenire tentabunt. Vnde propensiore benignitatis affectu studeas retinere quos habes, & modis quibus poteris alios ad favorem & obsequium tuum trahas. Speramus enim in Domino quòd Principibus qui sunt tecum in regia fidelitate solidè persistentibus, in proximo imperij monarchiam juxta nostrum & tuum desiderium obtinebis. Nos autem præmissis iis omnibus quæ à regali magnificentia debent pro honorificentia Ecclesiæ Romanæ præmitti, ad coronam imperij te disponimus evocare. Tuum igitur erit procurare de cæterò qualiter & quo tempore iis quæ diximus præmittenda præmissis ad apostolicam sedem, sicut oportet & expedit, coronandus accedas. Ceterùm quam studiosè negotium tuum apud carissimum in Christo filium nostrum Philippum illustrem Regem Francorum promovere curemus, in proximo, dante Domino, desideratus declarabit affectus, de quo spem bonam concepimus ex litteris etiam quas Rex ipse nuper nostro apostolatui destinavit. De tuorum autem successuum prosperitate, quam per regias nobis litteras intimasti, gaudemus; utpote qui felices eventus tuos quasi proprios reputamus, & in exaltatione tua Romanam Ecclesiam credimus exaltari. Datum Laterani.

NOBILI VIRO DVCI BRABANTIÆ, & uxori ejus.

Epist. 66. Vide suprà epist. 23. & infrà epist. 111. 128.

IN iis quæ fratres nostri apostolicæ sedis Legati statuunt, non auctoritate propria, sed nostra procedunt, à quibus vocantur in partem sollicitudinis & suæ legationis accipiunt potestatem. Vnde tantò libentiùs institutis eorum robur apostolicæ confirmationis impendimus quantò magis ipsis in institutionis etiam actione non potestas propria, sed nostra potiùs auctoritas suffragatur. Cùm ergo venerabilis frater noster Prænestinus Episcopus apostolicæ sedis Legatus super matrimonio quod est inter carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum & carissimam in Christo filiam nostram natam vestram Domino disponente contractum, de speciali mandato sedis apostolicæ dispensarit propter multam utilitatem quæ ex hoc imperio noscitur proventura, nos dispensationem ipsam ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus &c. *usque* communimus. Nulli &c. Datum Laterani.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 67.

EXpedit sæpius persecutionis ollam succendi, ut in fornace aurum & fides in persecutione probetur, & seorsim dividat ignis ab auro, & necessitas discernat à fidelibus infideles. Flagellis enim palea excutitur à frumento, quæ postmodum ab area per ventilabrum exufflata triticum congregatur in horrea observandum. Sanè si non intervenisset necessitas, quæ adhoc pro parte noscitur imminere, nec in tantum tua paruisset puritas, nec usque adeo sua fuisset probitas approbata. Passus est igitur Dominus te tentari, ut faceret in tentatione proventum, & constantiam tuam omnibus demonstraret. Ecce etenim jam apparet quam sis Ecclesiæ Romanæ devotus, quàm fidelis imperio, quàm zelator honoris Coloniensis Ecclesiæ, cujus tueris potenter & viriliter libertatem, quàm etiam in proposito suo constans, cùm quibusdam nutantibus dicaris inflexibilis & invariabilis permansisse. Siquidem tales decet esse columnas Ecclesiæ, tales pastores gregis dominici, qui non vacillent in partes, sed immobiles potiùs persistentes, innitentes sibi superiores sustineant & inferiores defendant, nec fugiant viso lupo, sed opponant se potiùs ascendentibus ex adverso. Licèt autem tuæ devotionis constantiam & fidei puritatem experti ad honorem tuum intenderimus & profectum, redeunte tamen dilecto filio Ægidio Acolytho nostro tantò ampliùs sumus ad tuam dilectionem inducti quantò de sinceritate tua ipse nos reddidit certiores; quamvis etsi ipse taceret, opera tamen tua perhiberent testimonium veritati. Vt igitur hostiæ caudam immoles & talarem cum Ioseph tunicam induaris, ut perseveres in finem, ut quod laudabiliter incepisti laudabiliùs valeas consummare, fraternitatem tuam monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo, quem ad regnum post Dominum præcipuè tu vocasti, fideliter & potenter assistas, & quoscunque poteris ad devotionem ejus & fidelitatem inducas. Ecce enim citò dabitur laboribus tuis finis, citò ei quem tu plantasti & nos rigamus dabit Dominus incrementum, & in eo tam te quàm Coloniensem Ecclesiam misericorditer & mirabiliter exaltabit. Persistas igitur in incepto, & alios ad perseverantiæ virtutem inducas; quoniam merebitur perseverantia vestra coronam, & nomen tibi comparabitur sempiternum. Tu ergo cum aliis tali-

ter te accingas ut Regem ipsum nobis, ut decet, opportuno tempore repræsentes; quatenus præmissis iis quæ solent & debent præmitti, nos eum in Romanum Imperatorem auctore Domino coronemus. Datum Laterani Nonis Aprilis.

TREVIRENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 68. Expectavimos hactenus expectantes si forsan, beneplacito nostro per venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolicæ sedis Legatum plenius intellecto, carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Regem electo, maximè quia nobis ex generali debito & speciali juramento teneris, potenter & patenter adhærere jurares, & non fictè, sed verè potius præstares auxilium & favorem. Verùm, sicuti accepimus, mandatum nostrum implere dissimulas, & oblitus proprij juramenti, quod juraveras exequi vel differs nimiùm, vel omnino postponis. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus, & sub debito fidelitatis quo Ecclesiæ Romanæ teneris astrictus, & vinculo juramenti quod super hoc specialiter præstitisti, districtè præcipimus quatinus eidem Regi de cetero fideliter & constanter adhæreas & potenter & patenter assistas. Alioqui noveris nos eidem Legato per apostolica scripta mandasse ut te tamquam transgressorem proprij juramenti singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, excommunicatum publicè nuntiet, & mandet ab omnibus arctiùs evitari. Hoc idem etiam venerabilibus fratribus nostris Coloniensi, Maguntino, Bisuntino, Remensi quoque, ac Senonensi Archiepiscopis districtè præcipiendo mandamus. Quòd si nec sic forsan mandatum curaveris apostolicum adimplere, securim poterit arbor sterilis non immeritò formidare. Si verò elegeris potiùs obedire, te tamquam venerabilem fratrem nostrum & honorabile apostolicæ sedis membrum honorare curabimus & taliter studebimus confovere quòd lædere te non poterunt jacula quæ formidas. Datum Laterani VI. Idus Novembris, anno quinto.

IOHANNI REGI ANGLORUM illustri.

Epist. 69. Non debet alij debitum denegare qui ab aliis quod sibi debetur postulat exhiberi. Quotiens autem tuæ serenitati scripserimus ut carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo nepoti tuo ea quæ inclitæ recordationis Richardus Rex Anglorum germanus tuus ei legaverat exhiberes, tua serenitas non ignorat. Quantum autem profecerimus per litteras super hoc totiens replicatas, facti evidentia manifestat. Sanè si quid tuo expediret honori debita meditatione pensares, non solùm quæ ipsi ab alio sunt legata jamdudum ei sine diminutione qualibet solvere debuisses, sed efficax ei subsidium tam in personis quàm rebus regaliter ministrare; cùm credas, ut credimus, immo noris, ut novimus, aliquos contra eum, non in odium personæ, sed sanguinis, graviter commoveri, non tam ipsum quam te in eo vel ipsum pro te lædere cupientes. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur attentiùs quatenus nuntiis Regis ejusdem legatum ipsum cum integritate persolvas, & cùm nos ei jam publicè favorem apostolicum impendamus, tu quoque in ejus auxilium potenter ac regaliter accingaris. Alioquin districtionem quam venerabilis frater Cantuariensis Archiepiscopus propter hoc duxerit exercendam, ratam haberi volumus, & præcipimus inviolabiliter observari. Datum Laterani v. Kal. Aprilis, anno quinto.

SALSBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

Quantam venerabilis frater noster Pataviensis Episcopus invenerit gratiam in oculis nostris, cùm in nostra esset præsentia constitutus, & quantum ei & Ecclesiæ suæ per auctoritatem sedis apostolicæ commodi provenerit & honoris, à sua tam citò non debuerat memoria excidisse. Sed cùm eum inter alios Prælatos Ecclesiæ membrum firmissimum crederemus & ad exequenda mandata nostra promptum omnimodis invenire, dummodo ei constaret de nostræ beneplacito voluntatis, de ipso in contrarium sentire compellimur & aliud quàm credidimus cogitare. Poterat quidem satis sufficere quòd ex quo sibi super imperij Romani negotio nostra innotuit intentio manifestè, non solùm dispositioni nostræ acquiescere non curavit, verùm etiam modis omnibus in contrarium est enisus, sicut effectus operis manifestat. Sed ipse nobis mala pro bonis retribuens, non solùm se voluntati nostræ opponere attentavit; quin etiam longè antè quædam sinistra de nobis, super quibus per litteras suas, quas apud nos in testimonium facimus reservari, convinci poterit in nostra præsentia constitutus, scribere non expavit. Præterea cùm eidem Episcopo sæpe dederimus in mandatis ut carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Vngariæ duo millia marcarum, quas eidem * restituere procuraret, quibus pro Hierosolymitano itinere peragendo idem Rex plurimùm indigebat, ipse id non solùm efficere non procuravit, sed nec etiam super eo dignatus est nobis litteris vel nuntiis respondere, patenter ostendens se mandati apostolici contemptorem. Ad hæc, licèt eidem fuerit ab apostolica sede præceptum ut pecuniam quam iniquè receperat pro redemptione inclitæ recordationis Richardi Regis Anglorum injustissimè capti de crucifixi servitio redeuntis, cujus captores, detentores, & fautores eorum Romana Ecclesia excommunicationis vincolo innodavit, restituere non differret, ipse tamen & animæ suæ salutem postponens, cui deberet recepta taliter restituere per se ipsum, & apostolica mandata replicata sæpius parvipendens, pecuniam ipsam restituere non curavit. Obtento insuper litterarum falsarum, quas nullus sanæ mentis credere deberet à nobis aliquatenus emanasse, prædictus Episcopos cum Frisingensi & Heistetensi Episcopis venerabilem fratrem nostrum Maguntinum Archiepiscopum in favorem adversariorum suorum ad suam præscentiam citare præ- Epist. 70.

Maximè

sumpsit, cùm non debuerit aliquatenus ignorare quòd quæ sunt judicio sedis apostolicæ terminata, supra quam non potest aliquis hominum judicare, non consueverunt postmodum alieno judicio retractari. Propter quod si vigeret in ipso illa discretio quæ deberet, saltem de litteris illis debuerat dubitare quæ contra justitiam & formam sedis apostolicæ sapere dinoscuntur, & à nobis inquirere si ei & aliis esset per illas litteras procedendum; sed ad exequenda justa & honesta mandata nostra, sicut operis exhibitione clarescit, tepidum se exhibet & remissum; ea verò per quæ posset aliquid in contemptum & detrimentum sedis apostolicæ attentari, pro posse satagit celeriter & efficaciter adimplere. Vnde licèt quidam de dictis excessibus sint adeo manifesti quòd in præfatum Pataviensem Episcopum possemus de jure graviter vindicare, volentes tamen benignius secum agere, salva sententia si quam tulit in eum venerabilis frater noster Prænestinus Episcopus apostolicæ sedis Legatus, ut videamur rigorem mansuetudine temperare, eidem per scripta nostra districtè præcipiendo mandamus ut usque ad proximam Dominicam qua cantabitur *Lætare Hierusalem* personaliter nostro se conspectui repræsentet, super præmissis omnibus & pluribus aliis plenariè responsurus. Alioquin ex tunc se noverit ab officio pontificali & sacerdotali suspensum. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus litteras nostras, quas eidem Pataviensi dirigimus, ipsi faciens per tuos nuntios præsentari, si fortè ipse quod mandamus non curaverit adimplere, tu eum ab officio pontificali & sacerdotali suspensum per universam Salzeburgensem provinciam nunties, & facias ipsam suspensionis sententiam per districtionem ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter observari. Qualiter autem in negotio ipso processeris, nobis non differas tuis litteris intimare. Datum Velletri v. Non. Octobr. pontificatus nostri anno quinto.

Scriptum est super hoc prædicto Pataviensi Episcopo.

EPISCOPO LINGONENSI.

Epist. 71.

QVantum venerabili fratri nostro Bisuntino Archiepiscopo gratiam impenderimus, cùm olim in nostræ promotionis primordio ad sedem apostolicam accessisset, & qualiter ipsum in gratia & benedictione nostra, licèt contra eum multa fuissent proposita, duxerimus ad suam Ecclesiam remittendum, si vir fidelis existeret, non potuisset tam celeriter oblivisci. Sed licèt tam tempore felicis recordationis Celestini Papæ prædecessoris nostri quàm nostro proponerentur gravia & enormia, post suum tamen recessum à nobis deteriora de eo nostris auribus inculcantur, quæ nec possumus nec debemus sub silentio præterire. Præterea cùm ab Ecclesia Romana, cui tenetur juramento fidelitatis astrictus, nulla debuerit ratione divertere vel ab ea quomodolibet dissentire, ipse, ex quo ei patentet innotuit super negotio imperij nostræ beneplacitum voluntatis, non solùm se ipsi opponere non expavit, verùm etiam nobilem virum Philippum Ducem Sueviæ ad Burgundiam devastandam deduxit, & ipsum tamquam Regem catholicum processionaliter in Ecclesia recipiens Bisuntina, ei fecit à suis tamquam legitimo Regi honorem & reverentiam exhiberi. Nuntios insuper nostros & litteras in civitate ac terra sua capi permittit; & ipse, qui esse debuerat eorum defensor, factus est publicus inimicus. Cùm igitur excessus hujusmodi nolimus relinquere impunitos, ne impunitas sua præsumptoribus transeat in exemplum, eidem Archiepiscopo per scripta nostra districtè præcipiendo mandamus ut usque ad proximam Dominicam qua cantabitur *Lætare Hierusalem* per se vel responsales idoneos ad præsentiam nostram accedere non postponat, suam ostensurus, si poterit, innocentiam, vel nobis satisfactionem congruam impensurus. Alioquin ex tunc se noverit ab officio pontificali suspensum; salva sententia si quam tulit in eum venerabilis frater noster Prænestinus Episcopus apostolicæ sedis Legatus. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus nostras litteras, quas eidem Bisuntino dirigimus, per tuos eidem faciens nuntios præsentari, si forte ipse quæ mandamus neglexerit adimplere, tu eum suspensum per universam Bisuntinam provinciam publicè nunties, & facias ipsam suspensionis sententiam per districtionem ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter observari. Datum ut suprà v. Non. Octobris.

Scriptum est super hoc prædicto Archiepiscopo juxta præmissam formam.

Epist. 72.

CVm ab illis apostolicæ sedi discrimen infertur qui ejus esse debuerant defensores & se, si necesse foret, exponere periculis & tormentis, in amaritudinem inducimur vehementem, & ad vindictam non immeritò commovemur; ut pro impunitate unius non assumant audaciam præsumptores, & fideles in devotione fortiùs animentur. Audivimus equidem, & non potuimus non mirari, quòd venerabilis frater noster Spirensis Episcopus mandatis apostolicis inobediens & rebellis existens, dispositionem nostram impedire molitur, & nobis omnimodis se opponit; præterea in duos decursoribus nostris manus per se ipsum iniciens violentas, alterum eorum adhuc detinet carceralibus vinculis mancipatum, alium fecit ad suspendium in contemptum Ecclesiæ Romanæ deduci, qui quasi divino miraculo mortis dicitur periculum evitasse. Cùm igitur hæc non sint à nobis sub silentio transeunda, quæ noscuntur in contemptum sedis apostolicæ attentata, eidem Episcopo per scripta nostra districtè præcipiendo mandamus ut usque ad Dominicam qua cantabitur *Lætare Hierusalem* proximò venturam per se vel responsales idoneos ad præsentiam nostram accedere non postponat, suam ostensurus, si poterit, innocentiam, vel &c. *ut suprà usque* impensurus. Alioquin &c. *in eundem ferè modum ut in illis quæ mittuntur Lingonensi usque* suspensum per universam provinciam Maguntinam &c. *usque in finem.* Datum ut suprà.

Scriptum est super hoc Spirensi Episcopo.

Vide lib. 1. epist. 177. lib 14. epist. 111. & lib. 16. ep. 51. 158.

Epiſt. 73. TActi ſumus dolore cordis intrinſecus & gravi mœrore turbati quòd cùm Magdeburgenſis Eccleſia, tanquam filia ſpecialis, ſedi apoſtolicæ maxima ſemper fuerit dilectione conjuncta, & pro ipſa non dubitaverit labores ſubire pariter & expenſas temporibus opportunis, & prædeceſſores Magdeburgenſis Archiepiſcopi & ipſe uſque ad hæc tempora fideles eidem extiterint & devoti, nunc ipſe Archiepiſcopus ab ipſius devotione, qua de cauſa neſcimus, dinoſcitur declinaſſe, cùm & ejus auctoritati, cui repugnare ſcelus eſt idololatriæ, non veretur obviare, ac Legatis noſtris, immo nobis ipſis, negligit obedire. Olim ſiquidem cùm venerabilis frater noſter Prænestinus Epiſcopus apoſtolicæ ſedis Legatus ſuis nobis litteris intimaſſet quòd cùm ad ſuam ipſum convocaſſet præſentiam, idemque per nuntium proprium corporis infirmitatem allegans, ſe tunc a labore itineris excuſaſſet, & hoſtilitatis impedimenta poſtmodum prætendiſſet, iterum evocatus ab ipſo, & ſic nec primò nec ſecundò ad ejus præſentiam accedere procuraſſet, ac idem Epiſcopus ſuo volens honori deferre, quòd ei apud Corbeiam, quæ non multùm diſtabat, occurreret, per ſuas ei litteras mandaviſſet, & ipſe perſonaliter acceſſiſſet Corbeiam, ſpe de ſuo adventu concepta, & quia ipſe totiens evocatus in ejus præſentia noluit comparere, tandem in ipſum velut in contumacem excommunicationis ſententiam promulgaſſet, quam ipſe nullatenus obſervavit, quoniam idem Archiepiſcopus per litteras ſuas apoſtolatui noſtro ſuggeſſit quòd cùm propter prædictas cauſas ſe ſemel & iterum excuſaſſet, ac poſtmodum ut Corbeiam accederet fuiſſet injunctum ei à præfato Legato, quia locus ipſe ad juriſdictionem hoſtium pertinebat, vel ſaltem hoſtes erant potentiores in eo, non ex contumacia, ſed ex neceſſitate potiùs, videlicet cauſa metus, ad Legatum ipſum illuc accedere non eſt auſus. Et licèt idem Magdeburgi ſuas litteras direxiſſet, ipſe tamen priùs quàm litteras aperiret, Magdeburgenſibus Clericis convocatis ad ſedem apoſtolicam appellavit, & poſtmodum, ut ejuſdem Legati deferret honori, litteras ſuas perlegit, nos volentes ejus fraternitati deferre, licèt in ipſum potuiſſemus arctiùs inobedientiam vindicaſſe, eidem Epiſcopo, quia nobis de ejus excommunicatione videbatur manifeſtè conſtare, ſed utrum appellatio præceſſiſſet aut etiam fuiſſet legitima non conſtabat, cùm & apoſtolica ſedes tales etiam abſolvere conſueverit ad cautelam, litteris noſtris mandavimus ut idem Epiſcopus vel per ſe ipſum, ſi ejus ſecurè ſe poſſet conſpectui præſentare, vel per nuntium providum & diſcretum, recepta priùs ab ipſo quod mandatis noſtris ſuper iis pro quibus excommunicatus erat pareret juratoria cautione, ei beneficium abſolutionis impenderet; ita tamen quòd ſi poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam aut etiam alias minùs juſtè, quod tamen vix credimus, excommunicatum ipſum fuiſſe conſtaret, ei mandatum non fieret, cùm ipſum nollemus occaſione hujuſmodi gravare; alioquin ſuper faciendo ei mandato noſtræ expectaretur beneplacitum voluntatis. Sed dictus Archiepiſcopus, ſicut accepimus, favore noſtræ benignitatis abuſus, per duos Clericellos antedicto Legato fecit noſtras litteras præſentari; & licèt ipſe paratus fuerit ſecurum ei præſtare conductum tam per cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ottonem Regem illuſtrem in Romanorum Imperatorem electum quam per germanos ſuos & venerabilem fratrem noſtrum Colonienſem Archiepiſcopum & alios viros idoneos, & per quatuor etiam dietas ei voluiſſet occurrere, ut ipſe ei perſonaliter abſolutionis beneficium exhiberet, ac ei ſi etiam intimaſſet quod incontinenti vel quando placeret ad eum ſolemnes nuntios de ſuo latere deſtinaret, qui ipſum ſecundùm formam mandati noſtri a vinculo excommunicationis abſolverent, dummodo ipſe ad eundem Legatum aliquos de Canonicis Eccleſiæ ſuæ vel alios diſcretos nuntios deſtinaret, quorum dictis fides poſſet meritò adhiberi, quando ad ejus accedere præſentiam perſonaliter non valeret, idem tamen Archiepiſcopus hæc omnia parvipendens, nihil horum facere procuravit, ſed poſt receptionem mandati noſtri tractans eccleſiaſtica ſacramenta, nequaquam à divinorum celebratione ceſſavit. Licèt igitur præfatus Archiepiſcopus materiam nobis dederit præſumptionem ſuam ſeveriùs caſtigandi, nos tamen volentes eum in ſpiritu manſuetudinis pertractare, non adhuc rigorem judicij exercere, eidem diſtrictè præcipiendo mandamus ut omni mora & excuſatione poſtpoſitis ad præfatum Legatum accedens, ab eo juxta formam mandati noſtri beneficium abſolutionis recipiat, & ei taliter ſatiſfaciat ſuper iis in quibus dinoſcitur offendiſſe quòd eum ſibi reddat propitium & placatum, & ipſe Legatos ſedis apoſtolicæ contemnere minimè videatur. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtrictè præcipimus quatenus litteras noſtras, quas ipſi Magdeburgenſi dirigimus, eidem faciens per tuos nuntios præſentari, niſi ante receptionem litterarum noſtrarum ipſum per antedictum Legatum tibi conſtiterit abſolutum, eum tamdiu publicè denunties excommunicationis vinculo irretitum & ab omnibus præcipias arctiùs evitari, ſuffraganeis quoque ſuis & aliis ei diœceſana lege ſubjectis auctoritate noſtra ſub excommunicationis interminatione prohibeas ne ſibi exhibeant reverentiam vel honorem, donec per dictum Legatum beneficium abſolutionis recipiat, vel ad noſtram accedat præſentiam abſolvendus. Inquiras præterea diligenter ſi poſtquam præfati nuntij ſui à præſentia noſtra cum præfatis litteris redierunt præſumpſit divina officia celebrare vel eccleſiaſtica conficere ſacramenta; & quod inveneris, tuis nobis non differas litteris intimare; ut ſi ipſum conſtiterit contra eccleſiaſticam diſciplinam & claves Eccleſiæ attentaſſe, præſumptionem ſuam animadverſione debita caſtigemus, & de vultu noſtro judicium prodeat æquitatis. Datum ut ſuprà.

Scriptum eſt ipſi Archiepiſcopo ſuper hoc.



Cum

Epist. 74. CVm venerabilis frater noster Tarantasiensis Archiepiscopus quod fieri sibi nollet aliis non debuerit irrogare, mirum satis ducimus & molestum quòd falcem in messem alterius mittere non expavit & jus sibi alienum temeritate propria usurpare; cùm etiam de sua præsumptione adeo magnum scandalum sit subortum quòd nisi per sedem apostolicam auctore Domino sopiatur, ad totius orbis redundare poterit procuidubio detrimentum. Cùm enim dubium non existat coronationem Regum Alamannorum ad venerabilem fratrem nostrum Coloniensem Archiepiscopum pertinere, nec ipse deliquerit quare sua meruerit dignitate privari, cùm si etiam deliquisset, per eundem Tarantasiensem Archiepiscopum non erat suo jure privandus, cujus ipse jurisdictioni minimè subjacebat, ipse maturitate pontificali neglecta, nec considerans quæ debebat, nobilem virum Philippum Ducem Sueviæ in Regem temerè coronavit, (quod nullus Episcoporum vel Archiepiscoporum Alamanniæ attentavit) & cùm crederemus quòd excessum suum recognosceret per se ipsum & ad satisfaciendum nostro se conspectui præsentaret, diutiùs expectatus ipse adhuc quasi sub latibulo delitescens, putavit fortè quòd prolixitate temporis excessus ejus à memoria nostra recederet, & sic ipse pœnam evaderet quam timebat, sicut ipsum convenit non attendens quòd diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget. Nolentes igitur, sicut non debemus, quòd de sua valeant gloriari malitia præsumptores, eidem Tarantasiensi Archiepiscopo per scripta nostra districtè præcipiendo mandamus ut usque ad proximam Dominicam qua cantabitur *Lætare Hierusalem* personaliter nostro se conspectui repræsentet, super præmissis omnibus & pluribus aliis plenariè responsurus. Alioquin ex tunc se noverit ab officio pontificali & sacerdotali suspensum; salva sententia si quam tulit in eum venerabilis frater noster Episcopus Prænestinus apostolicæ sedis Legatus. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus litteras nostras, quas ipsi Tarantasiensi dirigimus, eidem faciens per tuos nuntios præsentari, si fortè quod mandamus neglexerit adimplere, tu eum suspensum per Tarantasiensem provinciam publicè nunties, & facias ipsam suspensionis sententiam per districtionem ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter observari. Datum Velletri ut suprà.

Scriptum est eidem Archiepiscopo super hoc.

TREVIRENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 75. SI gratiam quam tibi exhibuimus iis diebus recognosceres ut deberes, nequaquam sacris apostolicis te opponeres, nec mandatis nostris aliquatenus obviares. Sed, ut videmus & rerum indicia manifestant, abuteris patientia nostra, & quæ tibi per gratiam sunt collata videris deducere in contemptum. Nos autem nolentes de cetero in patientia sustinere quæ in contemptum sedis apostolicæ attentantur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus & sub debito juramenti quo nobis teneris districtè præcipimus quatenus carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum sine difficultate qualibet in Regem recipias, eique fideliter adhærendo, per te & suffraganeos tuos ac Ecclesiæ tuæ ministeriales potenter & patenter assistas, cùm per eum te ac Ecclesiam tuam non lædi, sed juvari. Si verò, quod non credimus, hac vice mandatum nostrum adimplere neglexeris, pœna docente cognosces quàm temerarium sit mandatis apostolicis obviare. Datum Laterani VI. Idus Novembris, pontificatus nostri anno quinto.

EPISCOPO PRÆNESTINO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 76. SVpplicavit nobis Archiepiscopus Trevirensis ut ei cedendi licentiam præberemus. Licèt autem eum & apostolicæ sedi minùs devotum & Ecclesiæ suæ minùs utilem cognoscamus, veremur tamen ne, si cesserit in hujus articulo tempestatis, Trevirensis Ecclesia non sine magno periculo dividatur, aut talis illi succedat qui magis nobis indevotus existat, nec nostrum velit propositum imitari. Tu ergo, sicut vir providus & fidelis, diligenter ac sollicitè investiges an fortè prædicta mala valeant præcaveri, & si pro certo cognoveris quòd talis ei valeat sine divisione substitui qui nostrum debeat adimplere propositum & curam Ecclesiæ Trevirensis utiliter exercere, to nostra fretus auctoritate licentiam sibi cedendi concedas, provisurus attentiùs ut malum non eveniat quod timemus & bonum proveniat quod optamus. Datum Laterani XVI. Kal. Decembris, anno quinto.

IVRAMENTVM OTTONIS Regis illustris in Romanorum Imperatorem electi.

Epist. 77. EGo Otto Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus tibi Domino meo Innocentio Papæ tuisque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ spondeo, polliceor, promitto, & juro quòd omnes possessiones, honores, & jura Romanæ Ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam & servaho. Possessiones autem quas Ecclesia Romana recuperavit liberas & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo, quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, & recuperatarum secundùm posse meum ero sine fraude defensor, & quæcunque ad manus meas devenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra quæ est à Radicofano usque Ceperanum, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, Marchia, Ducatus Spoletanus, terra Comitissæ Mathildis, comitatus Brittenorij, cum aliis adjacentibus terris expressis in multis privilegiis Imperatorum à tempore Lodoici. Has omnes pro posse meo restituam & quiete dimittam cum omni jurisdictione, districtu, & honore suo. Veruntamen cùm ad recipiendam coronam imperij vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab apostolica sede vocatus accessero, de mandato summi Pontificis recipiam procurationes ab illis. Adjutor etiam ero ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ regnum Siciliæ.

Tibi etiam Domino meo Innocentio Papæ & ſucceſſoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo quam devoti & catholici Imperatores conſueverunt ſedi apoſtolicæ exhibere. Stabo etiam ad conſilium & arbitrium tuum de bonis conſuetudinibus populo Romano ſervandis, & exhibendis & de negotio ſocietatis Tuſciæ ac Lombardiæ. Similiter etiam conſilio tuo & mandato parebo de pace vel concordia facienda inter me & Philippum Regem Francorum. Et ſi propter negotium meum Romanam Eccleſiam oportuerit incurrere guerram, ſubveniam ei, ſicut neceſſitas poſtulaverit, in expenſis. Omnia verò prædicta tam juramento quàm ſcripto firmabo cùm imperij fuero coronam adeptus. Actum Nuxiæ in Colonienſi dioceſi anno incarnati verbi MCCI. VI. Idus Iunij, in præſentia Philippi Notarij, Ægidij Acolythi, & Riccardi ſcriptoris præfati Domini Papæ.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 78. Vide ſuprà epiſt. 75 76. & infrà epiſt 83.

CONtumaciam Iohannis Archiepiſcopi Trevirenſis eſſe tibi credimus per ejus opera manifeſtam, qui propè poſitus jugiter intuetis quòd idem Iohannes judicium Dei & Eccleſiæ non formidans, in contemptum apoſtolicæ ſedis ſtatuta noſtra rebellione damnabili nititur impedire. Expectabamus enim hactenus expectantes ut rediret ad cor & ſecum pariter cogitaret quàm graviter in tranſgreſſione juramenti, quod nobis corporaliter præſtitit, & oculos divinæ majeſtatis offenderit, & læſerit famam ſuam; ſed, ut manifeſtè videmus & rerum experimenta declarant, non ſolùm excommunicationis ſententiam, qua tenetur, contumaciter vilipendit, ſed inebriatus calice iræ Dei, quod dolentes dicimus, ſe in laqueum deſperationis mittens, cum burgenſibus civitatis & quibuſdam Clericorum & miniſterialium Trevirenſis Eccleſiæ in noſtram injuriam conjuravit, prævaricationem prævaricationi nequiter addens, ut ſit peccans peccatum ipſius, & exiſtens in ſordibus ſordeſcat adhuc, donec de medio fiat juxta ſuorum exigentiam meritorum. Quia igitur in derogatione noſtra tibi non eſt dubium derogari, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ad ſpiritualia Trevirenſis Eccleſiæ, quæ in terra temporali tibi jurisdictione ſubjecta conſiſtunt, tamdiu noſtra fretus auctoritate appellatione remota manus extendas, & de ipſis utiliter ordines & diſponas, donec Trevirenſes nobis rebelles exſtiterint & ab Eccleſiæ gremio permanſerint ſequeſtrati; proviſurus attentiùs ut in eos tamquam inimicos Eccleſiæ ac imperij, ſedis apoſtolicæ matris tuæ, ſicut devotus filius, injurias perſequaris. Nos enim, niſi ad mandatum Eccleſiæ cum ſatisfactione debita revertantur, in eos manus noſtras curabimus aggravare, & meritò [poterunt] formidare ne ſub jugo quod de collo Trevirenſis Eccleſiæ miſericorditer aliquando ſedis apoſtolicæ manus excuſſit, eam ſicut ingratam reducamus in proximo, ſpoliantes eam metropolitica dignitate, ac reſtituentes eam Eccleſiæ cujus fuit. Datum Laterani XII. Kal. Decembris.

VNIVERSIS PRINCIPIBVS Alamanniæ.

SCrutator renum & cordium Ieſus Chriſtus, cui nihil penitùs eſt occultum, immo qui omnia novit antequam fiant, ſicut noſtri animi puritatem, & conſcientia nobis eſt teſtis quòd ſuper negotio imperij purè proceſſimus, nec in aliquo vel imperiali magnificentiæ vel noſtræ derogare voluimus dignitati. Epiſt. 79. Novimus enim quòd imperium à Græcia in Germaniam per Romanam Eccleſiam pro ſua fuerit defenſione tranſlatum; & ideo tantò ampliùs ad ejus exaltationem intendimus quantò in eo Eccleſiam credimus potiùs exaltari, cùm ſciamus quòd frequenter gladius ſpiritualis contemnitur ſi materiali gladio non juvatur. Novimus etiam quòd multarum hæreſum pravitates contra fidem catholicam ſe extollunt, & vulpes quæ in foveis ſuis ſuas conſueverant latebras confovere, in aperto jam vineam Domini Sabaoth demoliri nituntur, & non Philiſtinorum meſſes ſed noſtras caudis colligatis adinvicem devaſtare. Vnde tantò ardentiùs pacem affectamus imperij & optamus unitatem ipſius quantò per diſſenſionem veſtram diutiùs hujuſmodi vulpium captura differtur, & tantæ non tam injuriæ quàm jacturæ ultio prolongatur. Verùm dolemus non modicùm & movemur quòd litteræ noſtræ, per quas vobis pleniùs noſtræ mentis ſinceritas patuiſſet, quorumdam aſtutia ſupprimuntur, & quòd aliqui Eccleſiæ ac imperij concordiam odientes, ſcripta noſtra ſiniſtra interpretatione pervertunt; non attendentibus vobis quòd eorum eſt quod malè recitant, & non noſtrum. Sanè ad veſtram potuit audientiam ſaltem per famam publicam perveniſſe qualiter poſt expectationem diutinam primò vos ad concordiam curaverimus invitare, qualiter ſecundò conſilium noſtrum fideliter vobis duximus exponendum, & ſtuduerimus vos ſuper his diligenter inſtruere quæ negotio congruere videbantur. Ceterùm cùm nec per commonitionem nec conſilium aut inſtructionem in aliquo nos proficere vidiſſemus, nolentes ulteriùs ſuſtinere jacturam Eccleſiæ, cùm duobos ſimul non poſſemus favere ad imperium pariter obtinendum, & alter de electis veſtris propter excommunicationem publicam & perſecutionem vulgatam quam progenitores ejus & ipſe in apoſtolicam ſedem & Eccleſias non dubitaverant exercere, propter inſolentiam etiam quam exercuerunt in Principes & alios ſibi ſubjectos, & ne libertas Principum in Imperatoris electione viluiſceret ſi non per electionem ſed ſucceſſionem in filios transferri à patribus & in fratres à fratribus imperium videretur; & propter alias plurimas rationes non ſit idoneus ut imperium debeat obtinere, in reliquum nos oportuit conſentire, cùm à quibuſdam veſtrum electus ubi debuit & à quo debuit fuerit coronatus, nec aliquid in perſonam obiceretur ipſius per quod eſſet meritò reprobanda. Quia verò nec adhuc pax eſt imperio reſtituta, immo nunc etiam ex diſſenſione veſtra læduntur pauperes & Eccleſiæ confunduntur, volentes his malis quantum honeſtè poſſumus obviare,

universitatem vestram monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica scripta mandamus quatenus à festo resurrectionis dominicæ nunc primò venturo usque ad annum treugas ad invicem inearis, medio tempore de concordia pertractantes, &, si necesse fuerit, ad Romanam recurrentes Ecclesiam; quæ cùm singulis vestrum in negotio singulari adesse desideret & prodesse, in hoc negotio, quod est vobis & ipsi commune, tantò libentiùs vobis communiter aderit quantò in pace imperij tranquillitatem quoque suam efficaciùs procurabit. Datum Laterani.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 80. LIcèt de fraternitate tua diversi nobis per litteras & nuntios diversa sæpe significaverint & adversa, quia tamen ex divinæ paginæ didicimus lectione quòd non omni spiritui est credendum, cùm angelus Sathanæ se interdum in lucis angelum transfiguret, non potuimus, sicut non debuimus, quicquam de re suspicari sinistri, cùm fidem & devotionem tuam, constantiam & fortitudinem in multis fuerimus jam experti. Nam quis crederet sanæ mentis quòd occasione contrahendæ affinitatis vel obligationis cujuslibet eum desereres & abiceres quem creasti; & illi adhæreres pariter & faveres qui in Coloniensis Ecclesiæ ac tuæ personæ contemptum, ad quam specialiter inter reliquos Principes electio Regis spectat, per intrusionis vitium nomen sibi regium usurpavit, & in majus tui honoris dispendium & personæ despectum, cùm tu solummodo Reges in Imperatores electos coronare debeas ex antiqua Coloniensis Ecclesiæ dignitate, per Tarantasiensem Archiepiscopum imponi sibi fecit regium diadema? Quis etiam crederet, cùm hactenus pondus diei portaris & æstus, quòd nunc labores & expensas velis amittere quas pro defensione carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi & juris Coloniensis Ecclesiæ immo veriùs tui facti subisti? Quis crederet ut cùm apostolicæ sedis gratiam obtineas & favorem, & de Imperatore futuro & præsumere valeas & sperare, ipso turpiter derelicto, illi turpiùs immo etiam perniciosiùs adhæreres cujus progenitores ferè semper Coloniensem fuerunt Ecclesiam persecuti, sicque nostram indignationem incurreres, nec de alio, si in Imperatorem promoveretur, forsitan aliqua posses ratione sperare? Quis præsumeret ut cùm pro tuenda Coloniensis Ecclesiæ dignitate ea feceris hactenus ad quæ nullus prædecessorum tuorum ausus fuerat aspirare; quòd nunc maculam in gloria tua poneres, & retro respiceres, & opus manuum tuarum velles tam leviter abolere? Quis præsumeret quòd contra devotionem & obedientiam apostolicæ sedis, Coloniensis Ecclesiæ dignitatem pariter & honorem, fidelitatem & juramenta quæ prædicto Regi sæpius præstitisti, tam leviter desisteres ab incepto, & contra factum proprium qualibet facilitate venires? Ad hoc quidem nec te inducere illud debet quòd à quibusdam maliloquis in dispendium tuæ famæ confingitur, videlicet quòd labores & expensas hujusmodi solus nequeas tolerare, cùm pro tuenda Coloniensis Ecclesiæ dignitate non solùm terrenam erogare substantiam, sed animam etiam ponere tenearis. Præterea cùm Ecclesia Romana tuum in hac parte judicium sit secuta, licèt illud suum fecerit approbando, tibi est summopere præcavendum ne si aliquid egeris per quod intelligat se delusum, illusionem hujusmodi non possit nec debeat æquanimiter sustinere. Nosse quoque te credimus sicut virum providum & discretum quòd frustra formaretur concordia inter hominem & serpentem, cùm malè remuneret suos hospites serpens in gremio enutritus; nec sit facile nova in corde veteri meditari. Manet enim apud nobilem virum Philippum Ducem Sueviæ alta mente repostum qualiter quasi solus impedieris promotionem ipsius & ipsum coëgeris thesaurorum suorum copias in vacuum exhaurire, ac sua ipsum hactenus intentione frustraveris. Unde licèt forsan ex parte impedimenti materiam tolleres, quia tamen nec de ipsius pectore præcedentis repulsæ, quam valde injuriosam reputat, nec tantæ moræ memoriam aboleres, nec posses erogatam pecuniam restaurare, ipse sibi nec de damno nec de injuria crederet sati factum, sed in te potiùs quicquid amodo ipsi sinistri contingeret vel contigit hactenus retorqueret; & quamvis vasa iracundiæ suæ in te forsitan effundere non valeret, indignum tamen semper sui favoris gratia reputaret. Quia ergo plenè de prudentia tua & discretione confidimus, & tam de constantia quàm fidelitate speramus; nihil tale de te penitùs suspicantes, fraternitatem tuam monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica scripta sub obtentu gratiæ nostræ districtè præcipiendo mandamus quatenus in tuæ mentis proposito perseverans, ad promotionem Regis ipsius potenter intendas, nec patiaris plantam quam tu ipse plantasti per humoris defectum arescere, quam vales, si velis, uberiùs irrigare. Novimus enim quòd tanta prudentia & potentia tuæ fraternitatis existit ut cum favore nostro, qui à multis sollicitudinibus expediti, expeditiùs & meliùs promotioni ejusdem Regis intendere jam valemus, quod feliciter incepisti, si plenè velis, possis feliciùs consummare. Sanè nosse te volumus quòd damnatæ memoriæ Marcualdus, qui nos magis fraudibus quàm viribus molestabat, Conradus Dux olim Spoleti, qui ut in locum ejus succederet in Siciliam accedebat, Otto de Barenste, qui sanctæ memoriæ Leodiensem Episcopum interfecit, & frater ipsius, dextera Domini faciente virtutem, miserabiliter expirarunt. Unde cùm in eorum decessu pars ipsorum sit penè penitùs annulata, pro parte majori à sollicitudinibus regni Siciliæ liberati, super negotio imperij pleniùs intendemus. Nam etiam carissimo in Christo filio nostro Frederico illustri Regi Siciliæ soror carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Aragonum est de mandato nostro & assensu suorum familiarium desponsata; & nuntij sunt missi solemnes, qui non solùm eam sed & matrem deducant, ut ipsa puerum nutriat & puellam. Ceterùm tua fraternitas non ignorat quòd cùm multi Archiepiscoporum & Episcoporum

Vide lib 1. epist. 58. & gesta Innoc. III cap. 9.

Vide infrà epist. 221. & lib. 5. epist. 50. & lib. 11. epist. 4. 5.

fidem non teneant, juramenta non servent, & despiciant Petri claves, nobis suggeritur à plerisque ut propter hoc & alias multas necessitates Ecclesiæ generale Concilium convocemus; quod si duxerimus convocandum, te personaliter volumus interesse. Te igitur super hoc sicut venerabilem fratrem, & de quo plenè confidimus, consulentes, volumus & mandamus ut tam de his quàm de aliis quæ præmisimus nobis quàm citiùs per fidelem nuntium & discretum non differas respondere. Datum Laterani.

LITTERÆ OTTONIS REGIS IN Romanorum Imperatorem electi.

Epist. 80. VEnerabili in Christo Patri ac Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Otto Dei gratia & sua Romanorum Rex & semper Augustus debitam subjectionem & reverentiam cum filiali dilectione. Paternitati vestræ, Pater sancte, significamus quòd Coloniensis Ecclesia Coloniensem Archiepiscopum ita nobis in fidelitate alligavit quòd ipsum nunquam firmiorem & stabiliorem habuimus quàm nunc habemus; quia si à compromissione facta resilire vellet, non posset. Sciatis præterea quòd nos cum carissimo avunculo nostro Rege Angliæ sumus confœderati, ita quòd ipse contra omnes homines in rebus & in pecunia nobis subvenire tenetur unà cum regno suo, & nos ei, salvo honore & honestate Romanæ Ecclesiæ; cui nos & ipse nunquam deerimus. Tenatur enim avunculus noster cum Rege Franciæ facere pacem, sicut & nos de mandato vestro tenemur. Alioquin pacem & concordiam cum ipso non fecissemus, nisi vobis & Ecclesiæ Romanæ videremus expedire. Nihil etiam, teste Legato, fecimus in præjudicium Regis Franciæ. In spe sumus cujusdam magnæ nostræ promotionis; de qua cùm certificati fuerimus, quam Deo volente breviter sciemus, vobis tamquam Patri ac Domino nostro significabimus; & vos cum tota curia per Dei gratiam gaudebitis. Sciatis insuper certissimè quòd omnem promotionem nostram, post Deum, sanctitati vestræ recognoscimus, nuntios nostros, vos ad certificandum de statu nostro, vobis sæpius transmittimus; sed si ad vos veniant ignoramus. Nos enim super omnia prosperum statum vestrum audire desideramus. Ea quæ scripsistis pro nobis in Theutoniam supplicamus ut idem faciatis in Italia.

ILLVSTRI OTTONI REGI in Romanorum Imperatorem electo.

Epist. 81. NOn oportet ut animi puritatem, quam in promotionis tuæ negotio gessimus, litteris exprimamus, cùm jam intentionem nostram opera manifestent, nec super his egemus testibus peregrinis quæ tua serenitas recognoscit. Novit enim celsitudo regalis quòd post eum à quo est omnis potestas, cùm sit Rex Regum & Dominus dominantium, per nos vicarios ejus indignos tuæ promotionis initium felicem hactenus est sortita progressum, licèt principium debile processus difficilis sit secutus. Vnde regia serenitas non miretur si nondum juxta votum nostrum & suum cœptum est negotium consummatum, quia nihil repentè fit summum, ipsumque negotium tam magnum existit quòd in secularibus non est majus, & si ad hujus promotionis primitias & medij temporis obstacula respectus debitus habeatur, non sit modicum reputandum quod in tantum est per Dei gratiam prosperatum. Nos autem de tua prosperitate gaudemus, & successus tuos proprios reputamus; utpote qui plantæ nostræ oblivisci non possumus, sed quam plantavimus & rigavimus, lætamur ab eo sine quo neque qui plantat neque qui rigat est aliquid plenius augmentari. Gaudemus etiam quòd memor propriæ sponsionis, in forma pacis quam cum carissimo in Christo filio nostro * Philippo illustri Rege Francorum pacem, sicut & tu, ipse facere tenetetur. Monemus igitur serenitatem tuam & exhortamur in Domino quatenus de tua promotione sollicitus, quæ ad eam spectare cognoveris studeas efficaciter procurare. Specialiter autem tibi caveas ab insidiis malignorum, ne in personam tuam aliquid valeant machinari. Nos enim, quantum nobis permittit Dominus, ultra fortè quàm credas super promotionis tuæ negotio vigilamus, sperantes quòd illud dante Domino desideratum celeriter consequetur effectum. De nobis autem nosse te volumus quòd valemus per Dei gratiam & vigemus, & universa nobis, quantum tamen humana conditio patitur, pro voto succedunt. Datum Laterani Idibus Ianuarij.

PErfidiam Archiepiscopi Trevirensis vos non credimus ignorare; qui licèt præter communis obedientiæ vinculum & juramentum fidelitatis quo Ecclesiæ Romanæ tenetur, nobis promiserit firmiter & juramento firmarit quòd super facto imperij beneplacitum nostrum sine conditione qualibet sequeretur, quasi tamen hæc omnia parvipendens, non solùm super hoc nostris hactenus noluit obedire mandatis, sed pro viribus restitit & resistit ne nostrum beneplacitum impleatur, latam etiam in se excommunicationis sententiam parvipendens; nec credit suæ præsumptioni sufficere quòd inobedientiæ reus, transgressor fidei, & juramenti proprij violator effectus, contra id quod nobis firmiter repromisit, litteris suis patentibus super hoc apud nos in testimonium derelictis, venire præsumit, sed vos etiam, sicut accepimus, in testimonium invocat falsitatis, asserens quòd personam carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi exceperit cùm juravit. Nos igitur ejus contumaciam attendentes, excommunicationis in ipsum sententiam duximus proferendam; sed ipse adhuc in sua contumacia perseverans, eam contemnere non veretur. Nolentes igitur temeritatem hujusmodi relinquere incorrectam, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus excommunicatum, cum singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, publicè nuntieris & per vestras faciatis dioceses sub solemnitate simili nuntiari; ex parte nostra denuntiantes eidem quòd nisi post denuntiationem nostram infra sex menses ad mandatum nostrum redierit humiliter & devotè, ac sicut juramento tenetur, super facto imperij nostræ satisfecerit voluntati, ex tunc convocato vicinorum Episcoporum Concilio de consilio fratrum nostrorum depositionis in eum sententiam proferemus. Datum Laterani v 1. Kal. Martij, pontificatus nostri anno sexto. Epist. 82. Vide supra epist. 78.

❧

PRÆNESTINO EPISCOPO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 84. RECEPIMUS litteras quas tua nobis fraternitas destinavit benignitate qua decuit, & diligenter notavimus quæ per eas apostolicis auribus intimasti. Gaudemus autem & fraternitatem tuam in Domino commendamus quòd inter gentes priùs incognitas & populos linguæ quam non noveras constitutus, talem te studes tam in verbis quàm actibus exhibere ut videntes opera tua bona glorificent patrem nostrum, à quo est omne datum optimum & donum omne perfectum, & nobis in actionibus gratiarum assurgant quòd angelum pacis ad eos duximus destinandum. Vnde, post eum qui dirigit gressus nostros, tuæ non modicùm adscribimus probitati quòd in tantum per Dei gratiam in manibus tuis negotium est imperij prosperatum, cùm opere pariter & sermone carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo favorem comparaveris plurimorum, apud quos & loquebatur lingua prudenter & sufficienter perorabat honestas. Gaudemus etiam quòd etsi necessitates nimias patiaris, quia tamen abundare secundùm

Vide suprà epist. 56. Apostolum & penuriam pati novisti, noluisti cuiquam esse oneri, sed paucis contentus existens, paupertatem quasi divitias reputasti. Nos autem fraternitati tuæ providere, volentes venerabiles fratres nostros Episcopos & Canonicos Metenses & Cameracenses & universos Prelatos in Metensi & Cameracensi diocesibus constitutos per nostras litteras increpamus super eo quòd tibi, licèt absenti, noluerunt in procurationibus subvenire; quibus etiam districtè præcipimus ut sive ad ipsos accesseris, sive aliàs fueris commoratus, procurationum subsidia ita liberaliter tibi studeant exhibere quò[1] subsequens liberalitas culpam redimat præcedentem. Alioquin sententiam quam in eos duxeris proferendam ratam nos scribimus habituros & facturos inviolabiliter observari. Generales etiam litteras super procurationibus exigendis tibi transmittimus; quas sine simili terminamus, legationis tuæ litteris innovatis. Scribimus etiam carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Danorum ut cùm confœderationis inter eum & prædictum Regem Ottonem initæ mediator & confirmator extiteris, si propter hanc vel aliam causam te ad præsentiam ejus oportuerit proficisci, sicut Legatum apostolicæ sedis te benignè recipiat & honorificè studeat pertractare, consiliis tuis & monitis acquiescens. Similes quoque litteras, immo efficaciores etiam venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis per Theutoniam constitutis, sicut videre poteris, destinamus. Contra Trevirensem autem scribimus venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis per Theutoniam constitutis ut singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, excommunicatum eum publicè nuntient, & per dioceses suas sub solemnitate faciant similiter nuntiari; ex parte nostra denuntiantes eidem quòd nisi post denuntiationem eorum infra sex menses ad mandatum nostrum redierit humiliter & devotè, ac, sicut juramento tenetur, super facto imperij nostræ satisfecerit voluntati, ex tunc convocato convicinorum Episcoporum Concilio de consilio fratrum nostrorum depositionis in eum sententiam proferemus. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus non deficias, sed proficias potiùs, & ad promotionem negotij quod tuæ discretioni commisimus exequendum sicut hactenus, immo fortiùs quàm hactenus, sicut de tua devotione speramus, intendas; quoniam, prout credimus, in brevi terminabitur labor tuus ad exaltationem sedis apostolicæ, augmentum imperij, & tuæ fraternitatis honorem. Datum Laterani VI. Kal. Martij, anno sexto.

VNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS quàm secularibus Principibus Alamanniæ.

Epist. 85. CVM Ecclesia Romana supra firmam petram à Christo sit petra fundata, sicut ipse testatur ad Petrum, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non est de ipsius instabilitate temerè præsumendum, quæ super ipso summo angulari lapide Christo Iesu ædificata, constans & immobilis perseverat. Cùm enim fundamentum ejus positum sit præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus, & liquefacta terra, & omnibus habitantibus in eadem, ipsius columnas Dominus confirmaverit, nec fluminum impetus, nec impulsus ventorum, nec pluviarum formidabit insultus; quoniam in illo est stabilitate perpetua solidata quem Iordanis conversus retrorsum expavit, qui imperat ventis & mari, & pluviis ponit legem. Ipsa est etenim domus illa de qua Dominus in evangelio protestatur: *Descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, nec cecidit. fundata enim erat supra petram.* Absit igitur ab ea nota cujuslibet levitatis, absit ut leviter revocet quod maturè disponit, absit ut in se ipsa infirma sit & vacillet, quæ, si aliorum fluctuent instituta, illa, cùm expedit, concessa sibi cælitus auctoritate confirmat. Petro enim & successoribus ejus principaliter intelligitur à Domino esse dictum: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; sed tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Nòn igitur deficiet fides Petri, vel apostolicæ sedis auctoritas vacillabit; quoniam is qui se asserit orasse pro ea, in omnibus est pro sui reverentia, sicut testatur Apostolus, exauditus; qui licèt corporalibus subtractus aspectibus in cœlum ascenderit sedens ad dexteram Dei patris, Ecclesiam tamen orphanam non reliquit, quam potenter protegit, & præsentialiter ipsam custodit. Nam ipsemet Apostolis repromisit, *Ecce*, inquiens, *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* De hujus ergo protectione secura & præsentia confortata dum habet immo quoniam habet Dominum adjutorem, non timet quid faciat sibi homo, sciens quòd portæ inferi adversùs eam non poterunt prævalere, nec alius solvere quos ipsa ligarit vel ligare quos solverit tradita sibi à Domino potestate. Credi ergo non debet quòd in se ipsa discors

existat, cùm eam sibi elegerit Dominus non habentem maculam neque rugam. Hæc est enim tunica inconsutilis desuper contexta per totum, quæ divisa non fuit etiam tempore passionis. Hæc est una columba; de qua legitur in canticis canticorum: *Vna est columba mea, perfecta mea: una est matri suæ, electa genitrici suæ.* Hæc est unum ovile, de quo Dominus in evangelio protestatur: *Fiet unum ovile & unus pastor.* Licèt enim aliquando quidam conati sint illam dividere, ipsam tamen potiùs purgaverunt, cùm recedentibus tenebris, lucida tota remanserit non habens partem aliquam tenebrarum, de quibus Iohannes Apostolus ait: *A nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis.* Miramur ergo non modicùm & movemur quòd pestilentes quidam filij tenebrarum, sathanæ discipuli, prænuntij Antichristi, nobis & Ecclesiæ Romanæ notam volunt impingere levitatis, tamquam quod cum multa gravitate statuimus velimus leviter revocare. Nec hoc solo contenti, moliuntur innuere, licèt frustra, quòd inter nos & fratres nostros zelus sit & contentio, nec sapiamus idem, sed in æmulatione & contentione ad ea quæ statuimus procedamus; cùm tantus potiùs per Dei gratiam vigeat inter nos caritatis affectus & tam insolubile maneat vinculum unitatis ut sit nobis cor unum & anima una, secundùm psalmistam, ambulantibus in domo Domini cum consensu. Ipsi autem volentes auctoritati sedis apostolicæ derogare ac in dubium revocare quod fecimus, tam super imperij Romani negotio contra carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum quam super facto Ecclesiæ Maguntinæ adversus venerabilem fratrem nostrum Siffridum Archiepiscopum Maguntinum falsas præsumpserunt litteras exhibere, volentes quosdam ex fratribus nostris à nobis discordes ostendere, ac sic animos vestros à consiliis nostris & monitis revocare. Verùm mentita est iniquitas sibi, quia prævalere non potuit veritati figmentum, cùm litterarum falsitas manifesta sit rectè intuentibus per se ipsam, cùm nec litteræ quæ tamquam sub nomine nostro missæ fuerunt Pataviensi, Frisingensi, & Eistetensi Episcopis præsentatæ, Ecclesiæ Romanæ stylum redoleant, nec illæ quæ dicuntur à quibusdam nostris fratribus destinatæ fratrum nostrorum sapiant gravitatem; immo tanta sit inconcinnitas in utrisque ut nullus sanæ mentis de ipsis debuerit dubitare. Vnde culpabiles se ostendunt qui earum procedere occasione præsumunt. Cùm ergo nec super imperij Romani negotio nec super facto Ecclesiæ Maguntinæ à nostro velimus proposito declinare, universitatem vestram monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus super utroque consiliis nostris & monitis intendatis; scituri pro certo quòd nòn intendimus ad depressionem imperij, sicut mendaces aliqui mentiuntur, sed ad exaltationem ipsius propensiùs aspiramus. Datum Laterani Non. Aprilis.



LITTERÆ CARDINALIVM AD universos tam ecclesiasticos quam seculares Principes Alamanniæ.

TAm super imperij Romani scissura quàm super Ecclesiæ Maguntinæ discordia pio compassionis affectu dolemus, affectantes utriusque commodum & honorem. Cùm autem & Dominus Papa nobiscum & nos cum ipso simus per Dei gratiam unanimes & concordes, quoniam ipse nos tamquam fratres & filios diligit & honorat, & nos eum tamquam patrem & dominum reveremur & veneramur, mirari cogimur & moveri quòd quidam homines pestilentes, illius utique filij qui ab initio mendax fuit & in veritate non stetit, sub nomine ipsius Domini Papæ ac quorundam ex nobis tam super imperij Romani negotio contra illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum quàm Ecclesiæ Maguntinæ contra venerabilem fratrem nostrum Siffridum Archiepiscopum Maguntinum falsas præsumpserunt litteras exhibere, volentes super utroque negotio nos discordes ostendere, ut possent auctoritati sedis apostolicæ derogare. Quia verò Dominus Romanam Ecclesiam super firmam petram stabili soliditate fundavit, cujus idem ipse fundamentum est & fundator, frustra quis existimat ut ab iis quæ etiam multa disponit maturitate consilij profana facilitate recedat, præsertim hoc tempore quo, quantum hominibus est concessum, non impetu voluntatis efficitur, sed motu dirigitur rationis. Ideoque reprehensibiles convincuntur qui litteris falsis utentes, apostolicum moliuntur impedire statutum; præsertim cùm hujusmodi litteræ tam manifestam exprimant falsitatem ut nemo sanæ mentis super iis debuerit dubitare. Vniversitatem itaque vestram rogamus attentiùs & monemus quatenus tam de Domino nostro summo Pontifice quàm nobis ipsis nihil velitis suspicari sinistri, nec credatis immissionibus quæ fiunt per angelos malos; sed salubribus Ecclesiæ Romanæ consiliis intendatis, quæ non ad depressionem imperij, sed ejus exaltationem intendit. Licèt autem aliqui nostrum pro diversis Ecclesiæ necessitatibus sint absentes, quia tamen unum & idem eos novimus sentire nobiscum, has litteras cum sigillo omnium qui apud sedem apostolicam præsentes existimus sub universitatis nomine destinamus. Epist. 86.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, Rectoribus, Potestatibus, Consulibus, Marchionibus, Comitibus, & aliis nobilibus Lombardiæ.

INter activæ vitæ sollicitudines, quibus cum Martha jugiter occupamur, circa plurima satagentes, duo sunt quæ præcipua reputamus, utpote quæ angunt ampliùs mentem nostram, & familiariùs tangunt Ecclesiam generalem, videlicet imperij Romani divisio, & necessitas terræ sanctæ. Vnde tantò super iis nobis est consultiùs procedendum quantò majori egent gravitate consilij & ad plurium utilitatem pertinent si sollicitè prosequantur, & si fuerint negligenter omissa, redundant in plurium læsionem. Licèt igitur utrumque sic respiciat Romanam Ecclesiam ut totum tangat populum Christianum, quia tamen imperij Romani negotium specialiter ad statum pertinet Lombardiæ, per venerabiles fratres nostros Ferrariensem, Papiensem, & Placentinum Episcopos, qui nobis nullo mediante subjecti vinculo sunt fidelitatis astricti, consilium & auxilium vestrum duximus requirendum. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur attentiùs, & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus cùm ab eisdem Episcopis fueritis evocati, ad eorum præsentiam accedentes, consilium & auxilium vestrum super prædictis articulis eis & nobis per eos fideliter exponatis; scituri pro certo quod cùm opportunum videatur tempus adesse, non parcemus laboribus nec expensis Epist. 87.

quò minùs opportunè per nos & alios Ecclesiæ Romanæ devotos adjuti, utrumque favente Deo ad optatum perducamus effectum. Datum Ferentini XIII. Kal. Augusti.

FERRARIENSI, PAPIENSI, & Placentino Episcopis.

Epist. 88. INter activæ &c. *usque* Lombardiæ, per vos, qui nobis nullo mediante subjecti vinculo estis fidelitatis astricti, & ob hoc apostolicæ sedis negotia fiduciùs vobis committimus exequenda, consilium & auxilium venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum & dilectorum filiorum Rectorum, Potestatum, Consulum, Marchionum, Comitum, & aliorum nobilium Lombardiæ duximus requirendum. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus eos ad locum idoneum convocantes, inquiratis & simul ab omnibus & seorsim à singulis, secretè tamen & cautè, quid sentiant & quid velint super capitulis memoratis; & id nobis tam per vestras quàm per eorum litteras fideliter intimetis, vestra quoque consilia subscribentes. Taliter autem mandatum apostolicum impleatis quòd super hoc sollicitudinem vestram debeamus meritò commendare.

POTESTATI ET CONSULIBUS Mediolanensibus.

Epist. 89. CVm super facto imperij jampridem noveritis mentem nostram & consilium vestrum nobis per litteras vestras duxeritis exponendum, miramur quòd adesse nobis hactenus neglexistis; præsertim cùm pro certo noveritis quod nobilis vir Philippus Dux Sueviæ progenitorum suorum inhærens vestigiis, ad depressionem civitatis Mediolanensis intendat, & carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus inclitæ recordationis Henrici Ducis Saxoniæ patris sui, qui etiam contra mandatum imperij vestram dilexit pro viribus civitatem, sicut pleniùs id novistis, exempla secutus, ad honorem vestrum & augmentum aspiret. Non ergo deberetis finem negotij, quasi sedentes à longè, taciti expectare; ne inde amittatis gratiam Regis ipsius unde non possitis Ducis benevolentiam obtinere, quodque Rex vobis ad negligentiam, Dux imputet ad vindictam, utpote qui vestram novit pleniùs voluntatem. Licèt ergo super facto imperij venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum, dilectorum quoque filiorum Rectorum, Potestatum, Consulum, Marchionum, Comitum, & aliorum nobilium Lombardiæ consilium & auxilium requiramus; vos tamen per speciales litteras, secretò tamen & cautè, duximus visitandos, nobilitatem vestram monentes & exhortantes attentiùs & per apostolica vobis scripta mandantes quatenus taliter, cùm possitis, hoc negotium dirigatis quòd ad honorem apostolicæ sedis & vestræ civitatis augmentum nostrum & vestrum desiderium felicem exitum sortiatur; scituri pro certo quòd cùm tempus immineat opportunum, non parcemus laboribus nec expensis quò minùs opportunè per vos & alios Ecclesiæ devotos adjuti negotium ipsum auctore Deo ad optatum perducamus effectum.

SALZBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

AD usitatam fallendi speciem assueti fallaciæ recurrentes, quod viribus nequeunt, nituntur fraudibus obtinere, & falsò astruunt quod verè nequeunt affirmare, auctoritatem sibi ex mendacio mendicantes. Verùm quia frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, prævalere non poterit falsitas apud eos qui veritatem diligentiùs investigant, nec robur ex fallacia sortietur qui cùm fallere velit proximum; fallit potiùs semetipsum, quia cadent pariter figulus & figmentum. Sanè ad nostram noveris audientiam pervenisse quòd Sueviæ Dux Philippus, ut corda Principum carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo faventium infirmaret, & ex simulato favore nostro robur aliquod obtineret, fecit per Theutoniam divulgari quòd dilectum filium Priorem Camaldulensem ad ejus præsentiam miseramus, eum ad coronam imperij evocantes. Ceterùm, ut coram Deo sub testimonio conscientiæ nostræ loquamur, nec Priorem prædictum nec alium ad Ducem ipsum duximus destinandum; sed Priorem eundem ab eo missum recepimus offerentem plura & plurima referentem sub testimonio litterarum quas Dux ipse sigillo fecerat aureo roborari; cùmque idem Prior ex ejus parte proponeret coram nobis quòd paratus erat ad mandatum Ecclesiæ Romanæ redire, à nobis non potuit responsum aliud extorquere nisi quòd cùm redeuntibus ad Ecclesiæ gremium nolimus aditum veniæ denegare, prompti eramus eum recipere sicut quemlibet pœnitentem. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus quicquid malitiosè fingatur, quæcumque immissiones per angelos malos fiant, non credas quòd à constantia mentis nostræ tam leviter recedamus & quod velimus in duabus viis inæqualibus gressibus claudicare. Nullus ergo de nobis suspicetur hujusmodi levitatem, cùm non fuerimus hactenus in proposito nostro leves, nec apostolica sedes, quæ in petræ illius est firmitate fundata de qua dicit Apostolus, *Petra autem erat Christus*, quæ maturè disposuit, de facili soleat revocare. Ad hæc, licèt de te quædam nobis fuerint sinistrè suggesta, nos tamen de tuæ devotionis constantia indubitatam fiduciam obtinentes, fidem suggestis nolumus adhibere; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes quatenus in fidelitate stabiliter perseverans, ea semper efficias quæ ad honorem & profectum ipsius debeant provenire, ut & nos commodis & augmentis tuis efficaciter intendere teneamur. Datum Ferentini v. Idus Septembris.

Epist. 90.

Vide Raynald. ad an. 1203. §. 18.

ILLUSTRI REGI OTTONI IN Romanorum Imperatorem electo.

EI qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit, faciens in tentatione proventum, quas possumus gratiarum exsolvimus actiones quòd non est oblitus inutilis servi sui; Epist. 91.

sed in veræ dilectionis indiciom visirans visitavit nos, qui quos amat argoit & castigat, & in cotporis ægritudine manum suam super nos aliquantulùm aggravavit. Verùm quoniam non volt mortem peccatotis, sed ut convertatur & vivat, morti nos tradete noluit; sed secundùm molritudinem miserationum nostratum salvos nos faciens, alligavit contritiones nostras, & ægritudinem mitigavit, & flagellum quod super nos misericors & misetator induxit misericotditer relevans, adhuc nos Ecclesiæ suæ servitio resetvavit; ita quòd jam pet ejus gratiam io bona sumus convalescentia constitoti. Vtinam autem virtutem ex infirmitate perficiat, ut præcedens iofirmitas futuræ sit materia firmitatis; quatenus ex ipsa reddamur ægritudine sortiores, & cùm imperfectum nostrum perfectiùs nunc & pleniùs agnoscamus, si quid possumus, si quid sumus, aut scimus, si quid laudabiliter agimos, non nostris tribuamus meritis, sed ei potiùs ascribamus; scientes quòd neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Si ergo tanto tempore serenitatem regiam distulimus visitare litteris, non moveatur aliquatenus aut miretur; cùm satis nobis fuerit visitationis tempore in visitatorem intendere, nec visitari possemus de facili alios visitare. Inter ipsos autem doloris stimulos & infirmitaris angustias in eo qui consolatur nos in omni tribulatione nostra consolationem accepimus, & in ægritudinis tristitia sumus læriores effecti quòd lætos de tua serenitate audivimus rumores quòd is qui visitat & facit tedemptionem plebis suæ docuit manus tuas ad prælium & digiros instruxit ad bellum, infirmans arcum fortium qui in sua potentia confidebant, ut sic à facie tua fugerent quòd nec congressum etiam expectarent. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus in eo qui est fortitudo nostra figas anchoram spei tuæ, nec tuæ indostriæ imputes si quid tibi acciderit joxta votom, sed ei potiùs causam tuæ prosperitatis ascribas. De nobis autem sicut parte spirituali confidens, in omnibus quæ ad tui honoris spectaverint augmentum consilium nostrum & auxilium confidenter exquiras, cùm illud non tibi minùs libenter impendere proponamus quàm tibi necessarium aut voluntarium sit habere. Verùm qooniam ad usitatam fallendi speciem assueti fallaciæ recurrentes, quod viribus nequeunt, fraudibus obtinere nituntur, auctoritatem sibi ex mendacio mendicantes, sicut nostris auribus est intimatum, Soeviæ Dux Philippus &c. *ut in prima * præcedenti usque* pœnitentem. Hæc sicut scripsimus ita esse non dubites; nec credas si forsan immissiones &c. *usque* claudicare, cùm non fuerimus hactenus in proposito nostro leves &c. *usque* revocare. Cadant igitur & cadent, Domino faciente, figulus & figmentum, veritas autem de die in diem ampliùs invalescet. Datum.

* id est, epist. 90.



ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ET aliis Ecclesiarum Prælatis, Rectoribus, Potestatibus, Consulibus, Marchionibus, Comitibus & aliis nobilibus constitutis in Lombardia.

NOvit scrutator renum & cordium Dominus Iesus Christus, cui omnium sunt cogitationes & intentiones apertæ, quòd in facto imperij bono zelo processimus, id sollicitè procurantes ut persona talis assumeretur ad illud quæ pacem Ecclesiæ ac imperij affectaret, & urbis honores diligeret, & servaret Italiæ totius ac Lombardiæ specialiter libertatem. Non enim, sicut pestilentes aliqui mentiuntur volentes inter Ecclesiam & imperium immortalis discordiæ materiam suscitare, ad imperij depressionem intendimus, sed incrementum ipsius potiùs affectamus; utpote per quod, si bene ordinatum fuerit, Ecclesiam defendendam credimus & in pluribus exaltandam. Nam etsi quidam Imperatorum Romanam Ecclesiam, Lombardiam, & universam Italiam graviter fuerint persecuti, sicut universitatis vestræ discretio bene novit, novimus tamen quòd aliqui sunt sedem apostolicam venerati, ditantes & dotantes eandem, amantes Italiam, & diligentes specialiter Lombardiam. Attendentes igitur olim quantum dispendium ex defensoris defectu pateretur Ecclesia quantumque incommodum ex Imperatoris carentia sentiret religio Christiana, licèt diutiùs expectaverimus expectantes si forsan Principes vel per se ipsos vel de consilio nostro finem imponerent tantis malis, quia tamen eos super his invenimos negligentes, paterna ipsos curavimus sollicitudine commonere ut Deum habentes præ oculis, & imperij zelantes honorem, ad provisionem ipsius meliùs intendere procurarent; ne vel dignitas annullaretur ipsius, vel libertas per eorum discordiam deperiret. Alioquin, quia mora trahebat periculum grave secum, nos quod expedire crederemus ampliùs procurantes, illi favorem apostolicum præstaremus quem crederemus majoribus studiis & meritis adjuvari. Cùm autem ad hujusmodi litteras, quas ad multos Principum novimus pervenisse, nobis nec verbo fuisset nec facto responsum, audito quòd quidam eorum ad commune colloquium disponerent convenire, per litteras nostras consilium nostrum eis duximus exponendum, super iis quæ necessaria videbantur eos diligentiùs instruentes. Ceterùm cùm nec sic potuissemus proficere apud eos, nolentes ulteriùs Ecclesiæ ac imperij dissimulare jacturam, non posuimus carnem brachium nostrum, nec acceptavimus vultum potentis; sed in eo ponentes spem nostram qui non est personarum acceptor, & qui David de postfœtantes accepit pascere Iacob populum suum & Israël hereditatem suam, pensavimus & examinavimus, quantum tamen de plano potuimos, studia eligentium, cùm persona nobilis viri Ducis Soeviæ nostrum noluerit super hoc subire judicium; & intelleximus quòd licèt major pars Principum in electione ipsius ab initio convenisset, plures tamen ex iis ad quos Imperatoris spectat electio convenerunt postmodum in carissimum in Christo filium nostrum illustrem

Epist. 91.

Regem

Regem Ottonem; & quòd ex eo quòd fautores præfati Philippi, absentibus aliis & contemptis, ipsum prius eligere præsumpserunt, patet eos perperam processisse, cùm explorati sit juris quòd electioni plus contemptus unius quam contradictio plurimorum obsistat. Vnde quia privilegium meruerunt amittere qui permissa sibi abusi sunt potestate, videri non immeritò poterat quòd injuria hujusmodi nonobstante ceteri præfacti uti potuerint jure suo. Præterea Dux prædictus nec ubi debuit, nec à quo debuit, coronam & unctionem accepit. Memoratus verò Rex & ubi debuit, videlicet Aquisgrani, & à quo debuit, scilicet à venerabili fratre nostro Coloniensi Archiepiscopo, recepit utrumque. Insuper sufficienter examinavimus merita personarum, cùm dubium non existat ad nos examinationem hujusmodi pertinere. Est etenim generaliter & particulariter observatum ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat. quod & Principes sine contradictione qualiber recognoscunt; sicut expressè per venerabilem fratrem nostrum Salzburgensem Archiepiscopum & dilectum filium Abbatem de Salem & nobilem virum Marchionem orientalem legatos suos recognoverunt in nostra præsentia constitutos, etiam Principes supradicto Philippo faventes. Quòd autem cùm in electione vota Principum dividuntur, post admonitionem & expectationem alteri partium favere possimus, maximè postquam à nobis unctio, consecratio, & coronatio postulatur, sicut utraque pars à nobis multotiens postulavit, ex jure patet pariter & exemplo. Numquid enim si Principes admoniti & expectati vel non potuerint vel noluerint convenire, apostolica sedes advocato & defensore carebit, eorumque culpa ipsi redundabit in pœnam? Præterea vestra, sicut credimus, universitas non ignorat quòd cùm Lotharius & Conradus in discordia fuissent electi, Romanus Pontifex Lotharium coronavit, & imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad gratiam redeunte. Sunt autem notoria impedimenta, quæ præfato Duci ad suam promotionem obsistunt, videlicet excommunicatio publica, perjurium manifestum, & persecutio divulgata quam progenitores ejus & ipse præsumpserunt in apostolicam sedem & alios ecclesiasticos exercere. Vnde videri non immeritò poterat quòd ad reprobationem ipsius non erat ordo judiciarius observandus, cùm actione non indigeant manifesta. Fuit enim &c. *ut*

* id est, epist. 29 33. Vide gesta Innoc. III. c. 36 *suprà * de impedimentis.* Qualiter Philippus excommunicatus fuerit & est eùm adhuc faveat Cappatono, qui Marcualdo in malitia & excommunicatione successit, nec unquam fuerit absolutus, & quòd venerit contra proprium juramentum, fuerit etiam de persecutorum genere oriundus, & est Ecclesiam persecutus, & qualiter libertas Principum deperiret si ipsum eligerent, qualiter autem Fredericus & Henricus persecuti fuerint Lombardiam, qualiter eam subicere voluerint servituti, qualiter Philippus ipse adhuc patrum suorum inhærens vestigiis, regnum Siciliæ nobis & etiam nepoti suo subtrahere moliatur, vestra, sicut credimus, universitas non ignorat. In persona verò Regis Ottonis nihil impedimenti cognovimus quod promotioni ejus aliquatenus obviaret. Vnde cùm eum, licèt sine vobis, pro vobis tamen receperimus jam in Regem, & ei favorem apostolicum duxerimus impendendum, cujus pater pro Lombardia non solùm odium Imperatoris incurrit, sed suo etiam fuit patrimonio spoliatus, credebamus quòd non solùm consilium sed auxilium opportunum nobis ob favorem Regis ipsius & ei ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram potenter & viriliter impendere curaretis, præsertim postquam exegimus à vobis utrumque; cùmque consilium non super iis quæ sunt præterita requiratur, sed trahatur interdum à præteritis ad futura, credebamus quòd pensatis negotij circumstantiis & iis quæ jam fecimus super facto imperij pleniùs indagatis, qualiter ad promotionem ipsius procedendum esset in posterum nobis consulere curaretis & auxilium impertiri. Verùm plerique vestrum in nullo nobis auxilium promittentes, consilium vix superficie tenus præbuerunt, quasi esset adhuc quod factum fuerat faciendum, aut vellemus quod cum multa maturitate fecimus ex multa levitate in dubium revocare. Sed forsan quia non intellexeratis negotij seriem, nec adhuc erat processus nostri veritas vobis nota, taliter per vestras litteras respondistis? Sed non credebamus vobis ignotum quod jam erat in Theutonia divulgatum. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur attentiùs & per apostolica scripta mandamus quatenus ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram & propriæ libertatis obtentu quod omisistis hactenus sine dilatione qualiber suppleatis, & iis quæ jam fecimus pleniùs intellectis, qualiter in favorem Regis ipsius debeamus procedere rescribentes, non solùm consilium sed auxilium vestrum nobis efficaciter tribuatis, ut quod bene incepimus meliùs compleamus. Ecce etenim Dominus nostrum videtur approbasse consilium vel nobis illud misericorditer inspirasse, cùm Rex ipse de die in diem fiat se ipso robustior, & regnum ejus jugiter roboretur, & debilitetur quotidie pars adversa, non tam humana manu quàm divina dejecta. Cùm enim hoc anno Dux Sueviæ supradictus terram nobilis viri Langravij Torin- Vide Godefrid. monach. sancti
giæ fuisset ingressus & quandam civitatem ip- Pantaleon. ad
sius cum suis fautoribus obsideret, Rex ipse, an. 1203.
nutantibus etiam quibusdam ex suis, cum Duce Boëmiæ & aliis qui auxiliabantur eidem in auxilium Langravij properans, obsidentes obsedit; & faciente cum eo Domino signum in bonum, Philippus de Turingia in Saxoniam ad majorem exercitum colligendum aufugit; sed nec ibidem illum expectare præsumpsit, immo ad civitatem in qua sui obsidebantur occultè revertens, relicto exercitu & disperso, cum paucis in Sueviam latenter abscessit. Ceterùm Rex prædictus non paucis castris & terris quæ Duci faverant potenter acceptis, in locis quæ ipse priùs habuerat solemnes curias celebravit, tam à Langravio quàm Duce Boëmiæ, quem ipsi Regem appellant, & fratre ipsius Marchione Moraviæ, à multis quoque Comitibus

Suppanis fidelitatis juramenta recepit, & eos de feudis suis solemniter juxta imperij consuetudinem investivit. Ne igitur, si finem expectaveritis, veritatem negetis & *Nescio vos* cum fatuis virginibus audiatis, præveniatis Regem ipsum obseqnio, & eum recipientes in Regem, auxilium ei tam utile quàm efficax impendatis. Alioquin, dextra Domini faciente virtutem, Rex ipse promotionis suæ recipiet incrementum, & in proximo monarchiam imperij obtinebit; sed vobis in nullo tenebitur, & nos vobis minùs reputabimus debitores. Cùm autem venerabilibus fratribus nostris Ferrariensi, Papiensi, & Placentino Episcopis, quibus etiam venerabilem fratrem nostrum Mantuanum Episcopum sociamus, pro eo quòd quæ in nostra præsentia constiturus à nobis audivit vobis poterit viva voce referre, negotium istud apud vos injunxerimus procurandum, volumus & mandamus ut per eos nobis pleniùs respondere curetis. Datum Anagniæ III. Idus Decembris.

EISDEM.

Epist. 93. CVm per venerabiles fratres nostros Ferrariensem, Papiensem, & Placentinum Episcopos super facto imperij vos nuper duxerimus consulendos, qnia de negotio ipso non eraris ad plenum instructi, minùs sufficienter & plenè per eosdem nobis Episcopos respondistis. Vt igitur ex iis quæ acta sunt hactenus pleniùs formetis animi vestri motum & propositum vestrùm meliùs nobis exponere valeatis, per litteras generales totam seriem hujus facti, quam scire vos expedit, vobis duximus exponendam. Ideoqne universitatem vestram monemus attentiùs & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus eum prædictis Episcopis, quibus etiam venerabilem fratrem nostrum Mantuanum Episcopum duximus sociandum, utpote qui quæ à nobis audivit vobis pleniùs poterit viva voce referre, cùm ab eis fueritis evocati, ad diem & locum quem vobis præfixerint accedentes, auxilium & consilium vestrum per eos & litteras vestras nobis pleniùs exponatis. Datum Anagniæ ut suprà.

FERRARIENSI, PAPIENSI, Placentino, & Mantuano Episcopis.

Epist. 94. CVm per vos, fratres Ferrariensis, Papiensis, & Placentine, venerabiles fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates & alios Ecclesiarum Prælatos, Rectores quoque, Potestates, Consules, Marchiones, Comites, & alios nobiles Lombardiæ super facto imperij duxerimus consulendos &c. *in eundem fere modum usque* exponendam. Quia verò tu, frater Mantuane, quæ à nobis audisti eis poteris viva voce referre, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus prædictos omnes ad locum idoneum convocetis; ubi præsentatis eis majoribus litteris & perlectis, tenorem earum ipsis diligentiùs exponatis, exigentes ab eis ut non solùm consilium nobis tribuant, sed auxilium & favorem impendant, & super utroque per suas nos reddant litteras & nuntios certiores. Vos quoque per litteras vestras responsiones eorum nobis pleniùs intimetis. Datum ut suprà.

POTESTATI ET CONSILIARIIS Mediolanensibus.

NIsi constantiam vestram & industriam novissemus, potuissemus non immeritò commoveri quòd super facto imperij, de quo tam vos quàm alios Lombardos nuper duximus consulendos, ita summotenus & superficie tenus respondistis ut videremini aliud sapere quàm quod hactenus vos novimus sapuisse. Meminimus enim, nec credidimus vos oblitos, qualiter olim pro carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Ottone in Romanorum Imperatorem electo per litteras vestras, quarum inscriptum vobis sub bulla nostra mittimus interclusum, preces humiles porrexistis, inclitæ recordationis Henrici Ducis Saxoniæ patris ejus beneficia recolentes. Sanè cùm consuetudinis vestræ fuerit ut quod fortiter inchoastis, fortiùs compleretis, miraremur non modicùm si in ea promotione Regis ipsius tepuissetis in aliquo vel propositum mutassetis, quoniam fortitudinis vestræ constantiæ plurimùm mutabilitatis hujusmodi levitas derogaret. Monemus igitur discretionem vestram & exhortamur attentiùs & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus sicut de vestra devotione confidimus, & vos de nostra dilectione speratis, non recedatis à constantia mentis vestræ; sed in bono proposito persistentes, in colloquio ad quod per venerabiles fratres nostros Ferrariensem, Mantuanum, Papiensem, & Placentinum Episcopos vos & Lombardos alios convocari mandamus, tale date consilium & auxilium promittere procuretis quòd ceteri exemplo vestro ad devotionem Regis ipsius fortiùs inducantur, & consilium suum ex vestra responsione formantes polliceantur auxilium opportunum. Nec trepidetis ubi non est de cetero trepidandum, cùm ipsius Regis promotio optatum jugiter recipiat incrementum. Datum ut suprà. Epist. 95.

VNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS quàm secularibus Principibus Alamanniæ.

QVoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & divinæ voluntatis propositum quidam tunc ampliùs promovent dum illud se credunt fortiùs impedire, quosdam iniquitatis filios & falsitatis amicos, qui per mendacia concinnata divinæ dispositionis arbitrium in promotione carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi retardare volebant, permisit Dominus in mendacio publicè deprehendi; ut cùm mendaces apparerent in uno, demererentur in ceteris mendacijs suis fidem, nec favorem, quem mentiendo saltem indicare volebant, apud veritatis filios obtinerent. Ecce etenim ei qui quos amat arguit & castigat gratiarum exolvimus actiones quòd visitans visitavit nos & secundùm multitudinem miserationum suarum nos propitius castigavit, sed morti non tradidit; immo qui percusserat, jam sanavit, & nostris constitutionibus alligatis, pleniùs nos restituit sanitati. Crediderant autem quidam ex infirmitate nostra se nocendi mate- Epist. 96.

tiam assumpsisse, ac nos mortuus mentientes; confinxerunt etiam quòd nobis alius fuerat substitutus; quem, ut eurum crederetur amplius falsitati, vocavere pro sua voluntate Clementem; cui etiam cudentes nuvam bullam & litteras componentes, substitutionem illius nisi sunt per Theutoniam divulgare. Sed benedictus Dominus Deus noster, quoniam non nobis sed sibi potiùs iniquitas est mentita, & qui paraverant proximo suo foveam, ipsi absque illo inciderunt in eam. Iam enim manifestatur illorum malitia & iniqoitas publicatur qui contra Regem eundem sub fratrum nostrorum & contra venerabilem fratrem nostrum Magontinum Archiepiscopum sub nostru nomine litteras in falsitatis fabrica fabricarunt, sic oocere volentes illi ot nobis impingeretor vitium falsitatis. Cùm igitur mendaces hujusmodi apertè toties sint mentiti & toties in suæ testimonium falsitatis litteris falsis usi, monemus universitatem vestram & exhortamur in Domino & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus si similia forsan confingant de cetero, nun credatis, nec moveamini per sermonem aut epistolam tamquam missam sub nostru nomine ad credendum quòd usque adeo simus in proposito nostro leves ut quod maturè disponimus leviter revocemus. Datum Anagniæ Idibus Decembris.

ILLVSTRI REGI DANORVM.

Epist. 97. Sicut sibi spiritualis & materialis gladius mutuantur mutuæ subventionis auxilium, & vicissim communicant vires suas, ut defectus sui ope vicaria suppleant, & uterque alterius perficiat imperfectum, decet etiam ut sibi ad invicem suffragentur, & apud eos qui gladium spiritualem non timent; jus ipsius amittat gladius materialis alleget, & spiritualis temporali, cùm necesse fuerit, auctoritatis suæ robur impendat, sed etiam super his quæ minùs essent valida sine ipsius valorem. Cùm igitur carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus & fratres ipsius quasdam conventiunes tecum iniisse noscantur & litteris propriis roburasse, ut dispositioni regiæ auctoritas pontificalis accedat, conventiones ipsas, sicut ad honorem tam Ecclesiæ quàm imperij & utriusque partis utilitatem pruvidè facta sunt & ab utraque parte sponte receptæ, auctoritate apostolica confirmamus &c. Nulli &c. Datum Anagniæ xv. Kal. Ianuarij.

In eundem modum nobili viro Langravio Turingia usque electus quasdam conventiones &c. *usque* quàm imperij & ipsius Regis utilitatem & tuam pruvidentiam factæ sunt &c. *usque in finem.* Datum Agnaniæ 11. Idus Decembris.

NOBILI VIRO DVCI SAXONIÆ.

Epist. 98. Cum finem rerum providentia metiatur; & extendat sapiens suæ considerationis aciem ad futura, miramur non modicùm & movemur quòd cùm te virum esse noverimus exercitatum in temporalibus & in aliis circumspectum; in facto imperij caligare videris & finem ejus imprvvidus expectare. Sanè cùm Sueviæ Dux Philippus propter impedimenta quæ in litteris generalibus universis Principibus destinatis nos meminimus expressisse non possit nec debeat ad imperij monarchiam pervenire, jugiterque deficiat in se ipsu, & pars ejus de die in diem ampliùs infirmetur, carissimus autem in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus vir sit industrius & idoneus ad imperium obtinendum, fiatque jugiter in se ipso robustior & roburetur quotidie regnum ejus, non debueras tamdiu incumbere baculo arundineo, qui manum perforat innitentis, sed illi potiùs adhærere columnæ quæ in petræ soliditate firmata nec pluviarum imbres, nec impetus fluminum, aut ventorum formidabit impulsus. Cùm enim Dominus quod de ipsius Regis promotione disposuerat ab æterno jam inceperit temporaliter explicare, ac beneplacitum suum certis ex quadam parte indiciis revelarit, cujusdam fatuitatis est speciei divinæ velle dispositioni resistere ac ejus omnipotentiæ obviare. Ecquid igitur expectas adhuc, & nun prævenis in benedictione dulcedinis Regem ipsum, ut cùm coronam acceperit de lapide pretioso, circa te regiæ benevolentiæ dona diffundat & magnificet & inter se bonorantes bonoret? Sanè prudentiam tuam non credimus ignorare quòd si ultimos ad fidelitatem ejus venire volueris & post ceteros ejus gratiam obtinere, aut nullum aut difficilem invenies apud ipsum accessum, nec volet forsitan te rogatus recipere quem tu non recipis cùm rogaris. Audisse namque te credimus ex evangelica lectione quid virgines quæ tunc tandem oleum emere voluerunt cùm sponso fuerat occurrendum, quia cum aliis intrantibus ad nuptias non intraverunt, *Nescio vos* audire meruerunt novissimè venientes, & clausa janua; omnis eis fuerat præclusus ingressus. Ne igitur nobilitati tuæ simile sic contingat, monemus & exhortamur attentiùs, consulimus, & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus omni mora & difficultate cessante ad ejusdem Regis fidelitatem accedas, & sic ejus obsequiis te addicas ut dilationem temporis fideli auxilio redimas, & devotionis constantia moræ dispendia recumpenses; sciturus quòd si nunc saltem audias & exaudias vocem nostram & consiliis acquiescas, apud Regem ipsum interponemus efficaciter partes nostras ut te in gratiam regalem admittat & inter eos qui ei à principio adhæserunt honoret. Datum Anagniæ Idibus Decembris.

In eundem modum Bertoldo Duci Zaringiæ, Duci Moraviæ, Comiti Barensi, Duci Austriæ, Duci Bavariæ, Marchioni orientali, ita quod unicuique seorsim.

DVCI BRABANTIÆ.

Miramur non modicùm & movemur si pro te ac in te illud probabile improbatur & generale illud exceptionem recipere specialem quo diligere dicitur qui est pater. Ecce enim carissimum in Christu filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum, nobilis mulieris filiæ tuæ sponsum, generum immo ea media natum tuum, in eo articulo reliquisse ceteris cui eum sine te non de- Epist. 99. Vide suprà epist. 66.

bueras commiſiſſe. Sanè cùm neque qui plantat, neque qui rigat, ſit aliquid, & nonniſi qui legitimè certaverit coronetur, non ſufficit ſi plantaſti hactenus & rigaſti aliquandiu quod plantaras, niſi tamdiu rigare ſtudueris donec incrementum recipiat quod rigaras, & cùm perſeveraveris uſque in finem, gloriam aſſequaris debitam pro labore. Debueras ſiquidem eſſe ſollicitus ne pugnaret filius ſine patre, ac ſine te ſe dubio eventui bellorum committeret, qui te præſente ſecuriùs potuiſſet hoſtiles acies impugnare. Verùm etſi defecerit vel non profecerit ſaltem ei virtus hominum in quibus præcipuè confidebat, ille tamen eum in neceſſitatis articulo non reliquit qui ſecundùm Pſalmiſtam in opportunitatibus eſt adjutor. Vnde quia Dominum adjutorem habuit, non timuit, etſi relictus à ſuis, quid ei homo faceret inimicus. Vellemus autem ut trophæum tecum de hoſtibus reportaſſes, nec tu dediſſes tuam gloriam alienis, aut in laborem tuum alius introiſſet, & ſic foviſſes filij tui partem ut patri ſemper devotus ſubjaceret. Sed fueras forſan aliis occupatus, & privata neceſſitas ab ejus te ſubſidio revocavit, nec potueras ſimul intendere propriis & alterius negotia procurare, licèt cauſam ejus reputare debueras tamquam tuam. Monemus igitur nobilitatem tuam & exhortamur attentiùs & per apoſtolica tibi ſcripta mandamus quatenus cùm Dominus factum Regis ipſius manuteneat juſtitia exigente, ita ut jugiter fiat ſe ipſo robuſtior & de die in diem roboretur ampliùs regnum ejus, in proſperis non relinquas quem foviſti hactenus in adverſis, nec patiaris ut alius ponat principiis tuis finem & de labore tuo mercedis præmium aſſequatur. Cùmque nos Regem ipſum ad recipiendam imperij coronam vocabimus, eum in forti manu & extento brachio comiteris. Taliter igitur efficias quòd monemus ut de fortitudine ac conſtantia tua meritò commenderis, nec notam alicujus levitatis incurras, & cùm in ſtadio cucurreris, curſus dimidies & termines ante metam. Datum Anagniæ xi. Idus Decembris.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 102. CVm finis non pugna coronet, miramur non modicùm & movemur quòd, ſicut à multis audivimus, maculam in gloria tua ponis, dum quod foviſti hactenus in ſua promotione relinquis. Sanè cùm ſuper facto cariſſimi in Chriſto filij noſtri illuſtris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi diei & æſtus pondus portaveris, & quem poſt Dominum ſolus creaveras manutenueris ferè ſolus, non tam pro nobis & Eccleſia Romana quàm pro te ac Eccleſia Colonienſi dolemus quòd in famæ tuæ ac ipſius utilitatis diſpendium, cùm proficere magis debueras, deficis, & meritum tui laboris amittis cùm mercedem potueras obtinere. Scimus etenim, nec apud nos teſtibus ullis eges, quòd promotionis ejuſdem Regis principium fueris, & quem plantaveras curaveris hactenus irrigare. Nunc autem, qua occaſione neſcimus, eum videris penè penitùs reliquiſſe, ita ut jam ſine te triumphet de hoſtibus cum quo poteras triumphaſſe; ac quia Deus in ſui diſpoſitione non fallitur, te quoque ſub quadam diſſimulationis ſpecie tuum ei ſubtrahente favorem, de die in diem magis proficiat & ampliùs proſperetur; cujus proſperitas, ſi reſponderent ultima tua primis, tibi fuerat imputanda. Ne igitur perdas penitùs meritum & impenſam, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtrictè præcipimus quatenus illum in fine non deſeras quem in initio promoviſti, nec des tuam gloriam alienis, aut te ipſum efficias alienum ab eo quem quoad factum imperij genuiſti; ſed cùm eum ad recipiendam imperij coronam vocabimus, ipſum in forti manu & extento brachio comiteris, non tam ei vidaris illuſiſſe quàm nobis. Ideoque, unde noſtram merueras gratiam, indignationem incurreres, & pœnam reciperes unde præmium expectabas, nec etiam te cadente illud ædificium rueret quod in apoſtolicæ ſedis eſt fundamento firmatum. Quia ſicut niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam, ita vacuabitur conatus eorum qui quod ipſe conſtruxit deſtruere moliuntur. Datum ut ſuprà.

ILLVSTRI REGI DANORVM.

LIcèt cariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus ſerenitati tuæ ſit tam amicitia quàm affinitate conjunctus, nihilominus tamen auxilium quod inter ſuæ promotionis primitias ei potenter & viriliter impendiſti nobis reputamus impanſum, & ad honorem tuum propter hoc ſpecialiter intendimus & profectum. Nam quamvis ad favorem ipſius duplex affinitatis videlicet & amicitiæ, ratio te inducat, ut tamen triplex funiculus non rumpatur, devotionis ſinceritas, quam ad nos & Romanam Eccleſiam habere te credimus, prædictis accedens ei confert ampliùs firmamentum, cùm ſine conſcientiæ læſione ac famæ diſpendio favere valeas cui favemus. Super hoc igitur magnificentiam tuam proſequentes actionibus gratiarum, monemus & exhortamur in Domino quatenus de die in diem in ejuſdem Regis dilectione proficias, & tam potenter & efficaciter fovens & promoveas partem ejus ut auxilio tuo & favore ſuffultus in brevi poſſit imperij monarchiam obtinere, ſciturus quòd reputabimus nobis ipſis impenſum quicquid honoris & gratiæ ipſi duxeris impendendum. Datum ut ſuprà. Epiſt. 103.

SVPPANIS BOEMIÆ.

DEvotionem veſtram in Domino commendamus quòd, ſicut veridica multorum relatione comperimus, venerabilem fratrem noſtrum Præneſtinum Epiſcopum apoſtolicæ ſedis Legatum ob reverentiam Dei & noſtram humiliter recepiſtis & curaſtis honorificè pertractare, ita quòd ad commonitionem ejus, relictis uxoribus & filiis veſtris, in forti manu & brachio extento cum Domino veſtro Boëmiam exeuntes, cariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo potenter & viriliter aſtitiſtis, in acceſſu autem veſtro eiplurimum honoris acceſſit, cùm congreſſum ejus ipſius fugerit inimicus, nec Epiſt. 104.

coram vobis ausus fuerit comparere, sed disparuerit potiùs & ad propria redierit, relicto exercitu & disperso. Super hoc igitur nobilitatem vestram prosequentes actionibus gratiarum, monemus & exhortamur attentiùs quatenus, sicut bene cœpistis, eidem Regi de cetero fideliter & fortiter assistatis, & foveatis ac promoveatis taliter partem ejus quòd ipsius negotium in brevi dante Domino feliciter consummetur. Nos enim reputabimus nobis ipsis impensum quicquid gratiæ & honoris ei duxeritis impendendum. Datum ut suprà.

ARCHIEPISCOPO SALZBURGENSI.

Epist. 103. CUm ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo curaveris adhærere; miramur quòd, sicut nobis ex ejus est parte propositum, nec litteras ad eum nec nuntios destinasti, nec ipsi curasti aliter subvenire. Ne igitur fides sine operibus mortua videatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus eum de cetero non solùm litteris & nuntiis visites, sed taliter in aliis etiam ei studeas subvenire quòd in exhibitione operis tuæ ejus devotio pleniùs innotescat, & non videaris nos in eo & ipsum pro nobis tantùm labiis honorare. Datum ut suprà.

PRÆNESTINO EPISCOPO apostolicæ sedis Legato.

Epist. 104. QVanta sit obedientiæ virtus etsi ex sacræ paginæ didicerimus lectione, in te tamen jam apertiùs legimus & familiariùs experimur. Dum etenim quantum negotium tuæ devotioni commisimus intuemur, & quantum onus tuis humeris duxerimus imponendum attendimus diligenter, agnoscimus quòd gravitatem ejus tua devotio minuit, & molem oneris obedientia levigavit. Ecce etenim Romani Imperij negotium, cui non potest præferri aliud in temporalibus vel conferri, sic Dominus in tua manu direxit ut arcu fortium infirmato, infirmi robore sint accincti, & potente deposito, sit humilis exaltatus. Sollicitudinem ergo tuam in Domino commendantes & prosequentes actionibus gratiarum, monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus non deficias, sed proficias potiùs, & sic cœptis insistas ut in brevi ad nos dante Domino cum palma victoriæ revertaris, & præsentis gratiam sentias qui absentia hactenus servivisti. Datum Anagniæ Idibus Decembris.

ILLUSTRI REGI OTTONI in Romanorum Imperatorem electo.

Epist. 105. Arnold. Lubec. lib. 7. cap. 4. SInceræ intentionis affectum quem circa promotionem regiam habuimus hactenus & habemus explicare nos litteris non oportet, cùm pleniùs hoc exponat effectus & fideliùs interpretentur mentem nostram opera quàm scripturæ. Sanè præter opinionem plurium & multorum consilia suscepimus ab initio causam tuam, de cujus promotione omnes penè penitùs desperabant, & studuimus efficaciter promovere, nec te in articulo illo reliquimus quo per obitum inclitæ recordationis Richardi Regis Anglorum avunculi tui videbaris ab omnibus derelictus. Licèt enim non defuerint qui multipliciter nos tentarent & muneribus & promissis nos vellent à favoris tui proposito revocare, nec precetamen nec pretio, nec minis, nec monitis potuerunt aliquatenus flectere mentem nostram quin de die in diem ampliùs in tua dilectione ferveret & ad electionem tuam propensiùs aspiraret. Quamvis autem neque qui plantat neque qui rigat sit aliquid, sed qui incrementum dat Deus, gaudemus tamen in eo qui dat omnibus affluenter quia ei quod plantavimus & rigavimus incrementum benignus indulsit, ita ut sicut granum sinapis quod mulier in horto suo legitur seminasse, planta nostra in arborem magnam jam excreverit, in cujus ramis volucres cœli, dante Domino, in brevi sedebunt, & sub ejus umbra bestiæ terræ quiescent. Cùm igitur Dominus dirigat gressus tuos & firmet de die in diem ampliùs regnum tuum, monemus serenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus cùm tempus jam acceperis opportunum, opportunè ac importunè, vigilanter & inconstanter insistas ut bonum principium finis optimus subsequatur, & optatum commune desiderium nostrum sortiatur effectum, foveas in dilectione ac devotione tua Principes qui te fovent ut alios meliùs ad tuæ serenitatis favorem inducas, & dum Principum tibi favor arridet, ad tuæ promotionis perfectionem intendas, nec negligas in aliquo factum tuum, sed omni diligentia studeas promovere. Sanè speramus in eo qui est in se sperantium fortitudo quòd si denuo profeceris sicut hoc anno diceris profecisse, non erit qui tuo profectui se opponat vel divinæ dispositioni resistat. Datum Anagniæ XVII. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno sexto.

LITTERÆ OTTONIS REGIS.

SAnctissimo Patri ac Domino Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Otto eadem gratia & sua Romanorum Rex & semper Augustus salutem cum filiali dilectione. Cùm post Deum, Pater sancte, vos semper habeamus propitium & benignum, sicut exaltatio & sublimatio nostri honoris manifestè declarat, & honorem nobis divinitus collatum Deo & vobis semper velimus ascribere, cùm in cinerem & favillam negotium nostrum redactum fuisset si manus vestra vel auctoritas beati Petri in partem nostram non declinasset, hoc semper præ oculis habebimus quoad usque vixerimus. Sanè innotescere vobis cupimus quòd status noster de die in diem prosperatur; & hoc non excellentiæ nostræ, sed Deo & vobis & Ecclesiæ Romanæ ascribimus. Regem Bohmiæ, Langravium Thuringiæ, Marchionem Moraviæ per potentiam non habuimus, sed per magnam vestram sollicitudinem & frequentem: de quo non dubitamus, sed de die in diem super hoc magis certificamur. Curiam enim solemnem habuimus proxima quinta feria ante festum beati Martini; in qua multi Principes imperij fuerunt, Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Comites, & alij quamplurimi nobiles. In ea verò talis sunt ordinata & statuta quæ scriptis committere non audemus, sed latori præsentium dilecto & familiarissimo Clerico nostro H. de Aquileia memoriter commendavimus, & ei firmiter sub obtentu gratiæ nostræ injunximus ut vobis omnia per ordinem referat. Firmiter enim credimus quòd quod de nobis incepistis infra paucos dies, hoc est, in Purificatione beatæ Mariæ, bono fine consummabitur. Principes enim superiores, videlicet Archiepiscopus Salzburgensis cum suffraganeis suis, Dux Austriæ cum nobilibus terræ suæ, & Dux Bavvariæ, terras eorum à nobis recipiens & fide- Epist. 106. Vide suprà epist. 12.

litatem præſtabunt, ita per Dei gratiam quòd diſcordia in gratiam converteretur. Expedit enim vobis & nobis ut conſilium veſtrum & auxilium apponatis ſicut videritis expedire. Rogamus igitur paternitatem veſtram ut ſolito more benignè legationem noſtram audiatis, & conſilium veſtrum, quod magnum eſt, apponatis, & latorem præſentium H. de Aquileia quàm citiùs poteritis nobis tranſmittatis, quia in prædicta curia conſilio veſtro & auxilio unà cum Principibus imperij uti volumus, facturi quod nobis mandaveritis. Ea quæ lator præſentium ſuper his vobis dixerit indubitanter credatis. Prædicta curia erit apud Vvoldam. Dominus Legatus non intererit curiæ Saſak, quia pro negotiis Eccleſiæ ac noſtris ad partes ierat orientales.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN Romanorum Imperatorem electo.

Epiſt. 197. SErenitatem tuam in Domino commendamus quòd ingratitudinis vitium fugiens, & Eccleſiæ Romanæ beneficia recognoſcens, nobis poſt Dominum profectum ſuæ promotionis adſcribit & per ſuas litteras confitetur quòd negotium ejus redactum eſſet in cinerem & favillam, niſi ei manus noſtra & beati Petri auctoritas aſtitiſſet. Conſideras enim tecum & diligenter attendis quòd non labiis tantùm te curaverimus honorare, ſed in omnibus quæ ad promotionem tuam facere videbantur auctoritatem tibi præſtitimus & favorem; dumque ſtatum præſentem præterito confers, & utrumque altero diligenti meditatione metiris; & qualiter pars adverſa, quæ in ſua olim potentia confidebat, ſuis ſit ex magna parte viribus enervata, conſideras, intelligis quantum tibi per favorem apoſtolicæ ſedis acceſſerit, quantumque factus ſis te ipſo robuſtior, & qualiter in promotione tua pars ſit altera minorata; quæ per Dei gratiam se proficiente deficit, & te creſcente decreſcit. Gaudemus etiam quòd is cujus vices in terris, licèt inſufficientes, gerimus & miniſterium exercemus, judicium noſtrum videatur miſericorditer approbaſſe, cùm ei quod plantavimus & rigavimus dederit incrementum, & daturus credatur in proximo ad perfectum. Verùm non noſtrum, ſed ſuum potiùs judicium approbavit. Quoniam nos ejus exemplo ſuper imperij Romani negotio non fuimus perſonarum aut munerum acceptores, nec potentem reſpeximus & deſpeximus impotentem; ſed potente potiùs ob cauſas rationabiles & multiplices reprobato, elegimus & aſſumpſimus impotentem, ejus inhærentes veſtigiis qui exaltat humiles & humiliat contumaces. Monemus igitur ſerenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus quantò Deus te ampliùs exaltarit, tantò magis in ejus humilies te conſpectu, elationem cordis fugiens & extollentiam oculorum, non ſolummodo apud Dominum, ſed & apud imperij Principes & pauperes quoſlibet & minores. Beneficia quoque apoſtolicæ ſedis aſſidua tecum meditatione recenſens, eam, ſicut debes, in capite venereris, & in membris honores; ſciens quòd caput membro gaudenti congaudet, & parti dolenti ſuum condolet univerſum. De nobis autem, quorum conſtantiam es expertus, ſi quid ſibi fueris ſiniſtri ſuggeſtum, omnino non credas; ſed puritatem noſtram ex operibus noſtris attendas, non credens ſermonibus detractorum, qui ad tuum potiùs detrimentum immiſſiones per malos angelos facere moliuntur; non tam ut tu contra ſedem apoſtolicam movearis quàm ut noſtra circa te conſcientia vulneretur. Cùm autem Dominus tempus tibi conceſſerit opportunum, quo poſſis feliciter imponere laboribus tuis finem; vide ne in vacuum gratiam ejus accipias & accepto tempore negligas cauſam tuam; ſed opportunè ac importunè inſiſtas ut quod quæris invenias, & accipias quod expetis & exoptas. Quia verò, ſicut accepimus, in manu forti es Sveviam intraturus, volumus ut indemnitati Eccleſiarum & religioſorum locorum quantumcunque poteris ſtudeas providere, cavens ſollicitè ne monaſterium de Salem, in quo fratres Ciſtercienſis ordinis laudabiliter converſantur, deſtruatur occaſione hujuſmodi vel enormiter & graviter opprimatur. Ceterùm quoniam, ut docet Apoſtolus, non omni ſpiritui eſt credendum, ſed probandi ſunt ſpiritus ſi ex Deo ſint, cùm frequenter angelus Sathanæ transfiguret ſe in angelum lucis, & ſæpe immiſſiones fiant per angelos malos, verentes ne fraudibus noceat qui viribus nocere non poteſt, ſuper quibuſdam quæ dilectus filius H. Aquilegenſis nuntius tuus nobis propoſuit ob cautelam noſtram & commodum tuum ad præſens non duximus aliud reſpondendum niſi quòd in omnibus te circumſpectum exhibeas ac prudentem, nec verbis detinearis inanibus, ut cùm tempus acceperis, oblata tibi temporis opportunitas dilabatur, aut circumveniaris fraudibus exquiſitis, ut quos habes amittas, & quos habiturus fueras non acquiras. Datum Anagniæ VIII. Kal. Februarij.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, Abbatibus, Ducibus, & aliis Principibus cariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo faventibus.

SOlet eſſe tam meſſis quàm vindemia cultori gratior poſt laborem, & non ſolùm mercenarius finem ſui operis præſtolatur, ſed & viri fortes habent menſes vacuos, & dies ſibi laborioſos enumerant, donec quod feliciter inchoaverunt feliciùs exequantur. Epiſt. 198. Sanè ſumma intentionis finis operis eſſe debet, nec ſolet incipere ſapiens quod nolit aut nequeat conſummare, ſciens quòd finis non pugna coronat, & non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit, ſalvus erit, nec currentes, ſed percurrentes bravium apprehendant, aut coronentur qui niſi uſque in finem legitimè decertaverint. Siquidem cùm ad promotionem cariſſimi in Chriſto filij noſtri illuſtris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi tam in perſonis quàm rebus plurimum laboraveritis hactenus, nec fuerit labor veſter inanis, imò plantæ quam plantaſtis diligentiùs & rigaſtis dederit Dominus incrementum, ita ut maturitati proxima jam ſpondeat uberes fructus vobis, cavete ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ſed eam potiùs tempore acceptetis accepto, & cùm via vobis pateat & ſit oblata facultas, quia ſemper nocuit differre paratis, non quæratis moras aut dilationes captetis, ſed eis omnino poſtpoſitis, quod bene cœpiſtis, quantum permiſerit Dominus, con-

pleatis. Ecce enim regiones albent ad messem, ita ut nisi messor negligat messionem, sed falce se accingat potiùs ad metendum, metere non solùm quæ seminaverat ipse possit, sed in aliorum intrare laborem & quæ alij seminaverant congregare. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur attentiùs & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus ut finem de cetero tam vestris quàm imperij laboribus imponatis, taliter vos accingere procuretis ut cùm eum vocabimus ad coronam, nulla vos mora detineat quin in forti manu & brachio extento, prout videbitur expedire, ad nostram eum præsentiam honorificè adducatis, apostolicæ benedictionis gratiam & sacræ unctionis mysterium suscepturum. Taliter igitur exequimini quod mandamus ut ea intentione vos ostendatis hactenus laborasse quòd finem tantis imponeretis laboribus & dignè reciperetis pro tanto & tam diutino labore mercedem. Datum Anagniæ ix. Kal. Februarij.

In eundem ferè modum Lantgravio Thuringiæ.
In eundem modum Comiti Palatino Rheni.

ARCHIEPISCOPO MAGDEBVRGENSI, spiritum consilij sanioris.

Epist. 129. IN admirationem inducimur vehementer & non modico mœrore turbamur quòd cùm Magdeburgensis Ecclesia in magnæ necessitatis articulo, videlicet tempore schismatis, sinceritatem devotionis & constantiam fidei Ecclesiæ Romanæ servarit, & in eadem usque ad hæc tempora permanserit puritate, nunc te faciente, quod dolentes referimus, obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, & argentum tuum in scoriam est conversum, contra id quod de re hactenus putabamus. Inter ceteros etenim ecclesiasticos & seculares imperij Principes te credebamus Romanam Ecclesiam quodam modo specialiùs venerari & nos ipsos brachiis sincerioris caritatis amplecti & sic in apostolicæ sedis devotione firmiter permanere ut nec mors, nec gladius, nec fames, nec aliud te posset à caritate ipsius aliquatenus separare. Sperabamus siquidem quòd sic nobis fideliter adhæreres quòd velles cum triumphantibus triumphare, ac licèt casum non posses formidare nobiscum, reputares tamen, si cum cadentibus caderes, gloriosum, & beatum te crederes si persecutionem propter justitiam & obedientiam patereris. Sanè advertere debuisses ne relicta obedientiæ semita, contra stimulum calcitrans, ad inobedientiæ devia declinares, cum obedientia præferatur victimis, & idololatriæ inobedientia comparetur, dicente Propheta: *Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci ejus? Melior est enim obedientia quàm victima, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Legeras autem quòd inobedientia de paradiso primum hominem expulit, & Saülem à regno dejecit. De Christo verò, quia factus est obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis, in Apostolo novimus te legisse quòd propter hoc Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Quia ergo scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi, & servus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulabit multis, cùm quàm commendabile sit obedientiæ bonum & quàm detestabile inobedientiæ vinculum ex divinæ paginæ didiceris lectione, veterem hominem cum actibus suis exuere debuisses & novum induere. qui tibi & aliis reliquit exemplum ut sequamini vestigia ejus; quatenus sicut ipse non solùm obediens Deo patri, sed Mariæ ac Ioseph subditus fuisse describitur, sic & tu superioribus subditus non resisteres contumaciter, sed humiliter obedires; ne si aliter ageres, pro pari crimine punireris non impariter cum Saüle. Licèt autem inobedientiæ vitium potuissemus jam pridem in te graviter vindicare, cùm propter hoc per venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolicæ sedis Legatum, qui quantum in Cisterciensi ordine fuerit, & quantum locum in Ecclesia meruerit obtinere, quantumque per injunctum ipsi legationis officium auctoritatis ei accesserit & honoris, te non credimus ignorare, fueris excommunicationis sententia innodatus, nec te propterea excommunicatum habueris, sed excommunicatus præsumpseris celebrare, nos tamen canis tuis & honestati parcentes, quantumcunque videremur derogare Legato, licèt id non faceremus animo derogandi, te fecimus à vinculo excommunicationis absolvi, credentes quòd patientia nostra te ad pœnitentiam revocaret, nec gratiæ nostræ te de cetero exhiberes ingratum, sed gratias agens potiùs obedires. Verùm, sicut opera tua testimonium perhibent veritati, factus est novissimus error tuus pejor priore, cùm ex benignitate nostra sis ampliùs induratus, ita ut desipere videaris in senio qui tempore sapueras juventutis. Ecce etenim cùm idem Legatus, de quo fiducialiter gloriamur quòd à muneribus excutit manus suas, & de quo verè dicere possumus, *Non fuit qui ditaverit Abraham*, tibi ex parte nostra sub debito juramenti quod in tua nuper absolutione præstiteras districtè præceperit, & nos etiam per litteras nostras dederimus in mandatis ut super imperij Romani negotio nostræ acquiesceres voluntati, & carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo, quem nos in Regem suscepimus, tu quoque nobiscum eum in Regem suscipiens, fideliter adhæreres, tu tamen nec ejus nec nostro mandato deferens, nec præstitum juramentum attendens, noluisti quod mandatum tibi fuerat adimplere; immo cùm propter hoc excommunicatum te renuntiaverit & perjurum, relaxasti contra eum & Romanam Ecclesiam linguam tuam, & nescimus cujus appellationis obtentu deferre sententiæ contempsisti, cùm etiam in dubio debuisses viam eligere tutiorem, & donec res nostro diffiniretur judicio, sententiam observare. An fortè putas quòd mandatum tibi factum fuerit contra Deum, aut in tali negotio, tamquam ad apostolicam sedem non spectet, nobis

Vide suprà epist. 56. 84.

non debeas obedire? Certè multùm desipis, si hoc sapis. Nam & nos homines sumus, & Deum cœli timemus, nec quicquam vellemus contra ipsum statuere aut supra nos aliquid arrogare. Quantum autem in hoc facto deliqueris, & quam merueris ex contumacia tanta pœnam, meliùs experireris in opere quàm ex canonica teneas lectione, nisi adhuc, quantum possumus, tuæ vellemus honestati deferre; sed nisi deferentibus deferas, & deposito corde lapideo carneum cor assumas, & obedias voci nostræ, quantò differtur amplius, tantò graviùs inferetur. Sanè si fuissemus in facto imperij personarum aut munerum acceptores, si potentiam præposuissemus justitiæ, & pervertissemus judicium æquitatis, inobedientiam tuam vel dissimulatemus omnino, vel saltem minùs molestè ferremus. Verùm cùm personarum acceptione postposita, non attendentes vultum potentis, nec impotentis justitiam contemnentes, secuti fuerimus æquitatem, & jam Dominus judicium nostrum certis videatur indiciis approbasse, contumaciam tuam nec debemus nec volumus ulteriùs in patientia sustinere, cùm secundùm Apostolum parati simus inobedientiam omnem ulcisci, quam ex hoc & tu ipse ampliùs manifestas quod expectatus diutiùs, licèt promiseris, nullum tamen propter hoc miseris responsalem. Volentes autem adhuc, si possumus, te ad viam rectitudinis revocare, monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus quatenus omni excusatione cessante, prædicto Legato infra mensem post susceptionem præsentium plenè satisfacias de injuriis irrogatis, & sicut idem tibi ex parte nostra præcepit, super facto imperij nostræ consentias & obedias voluntati; præsertim cùm idem Rex sufficientem præstare velit super indemnitate Magdeburgensis Ecclesiæ cautionem. Alioquin noveris nos venerabilibus fratribus nostris Mindensi, Verdensi, & Hildesemensi Episcopis dedisse districtiùs in mandatis ut ex tunc te singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, appellatione remota, excommunicatum publicè nuntient, & per vicinas dioceses faciant sub solemnitate simili nuntiari; suffraganeis tuis & Magdeburgensi Capitulo ex parte nostra in obedientiæ virtute mandantes ut inobedienti tibi nullam reverentiam prorsùs impendant, nec te ut Metropolitanum honorent, sed ut excommunicatum evitent. Quòd si nec sic arbor tua fota stercoribus fructus protulerit requisitos, securim ad radicem ficulneæ infructuosæ ponemus; ut juxta proverbium veritatis, arbor quæ non fecerit fructum bonum, excidatur, & mittatur in ignem.

EPISCOPO PATAVIENSI.

Epist. 110. Non est tibi vel alij formidandum quòd nos, qui debemus omnium jura tueri, velimus imperij Romani jura turbare, ne inde nascantur injuriæ unde jura nascuntur, cùm illa simus mensura contenti quam Christus in evangelio diffinivit. *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ne quis igitur æstimet quòd contra jura imperij Romani aliquam nobis obligationem feceris aut etiam sponsionem, præsentes tibi litteras in testimonium duximus concedendas; in quibus scripturam illam quam ad tuam innocentiam ostendendam nobis dedisti de verbo ad verbum duximus adnotandam. EGO .. PATAVIENSIS EPISCOPUS *per hoc scriptum meo sigillo munitum profiteor & affirmo quòd litteras illas in quibus quoddam capitulum continetur per quod clavibus Ecclesiæ, quas Deus beato Petro & successoribus ejus concessit, videtur aliquatenus derogari, nec legeram nec audieram antequam ad præsentiam Domini Papa venissem, licèt litteris illis meum sit sigillum appensum; quoniam minùs cautè vacuo pergameno meum jussi sigillum apponi, credens quòd nihil in eo scribi deberet in derogationem ecclesiasticæ potestatis. Unde capitulum illud contra claves Ecclesiæ nec approbo nec defendo, sed corde credo & ore confiteor quod quicquid Romanus Pontifex, qui est successor beati Petri & Vicarius Iesu Christi, ex auctoritate ipsarum clavium ligaverit super terram, erit ligatum in cælis, & quicquid solverit super terram, erit solutum in cælis.* Datum Laterani x1. Kal. Iunij, anno septimo.

NOBILI VIRO DUCI BRABANTIÆ.

Epist. 111. Vide supra epist. 63. Olim, si bene recolimus, pro consummanda copula inter carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum, & dilectam in Christo filiam [Mariam] natam tuam nobis humiliter supplicasti, ut dispensationem quam venerabilis frater noster Prænestinus Episcopus apostolicæ sedis Legatus de speciali mandato sedis apostolicæ fecerat inter ipsos auctoritate dignaremur apostolica confirmare. Cui petitioni, propter multam utilitatem quæ noscitur ex hoc imperio proventura, consensum præbuimus pariter & favorem. Nunc autem, quod grave gerimus & molestum, occasionibus frivolis adinventis ipsam eidem Regi sponso suo tradere maliriosè recusas, cùm solemniter inter ipsos sponsalia sint contracta, & hinc inde tam per te quàm per homines tuos præstito juramento firmata, illicitum habens, ut dicitur, cum nobili viro Philippo Sueviæ Duce tractatum ut eam carissimo in Christo filio nostro Frederico illustri Regi Siciliæ nepoti suo copules in uxorem. quod utique tantò gravius reputamus quantò magis ex hoc & animæ tuæ periculum & famæ dispendium procuratur. Cùm enim prædictus Rex Siciliæ sororem carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Aragonum germanam, uxorem quondam illustris Regis Ungariæ, accipere debeat in uxorem, & jam inter ipsos per dilectum filium Roffridum tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem Casinensem Abbatem, tunc apostolicæ sedis Legatum, de mandato nostro, mediantibus & jurantibus familiaribus utriusque, sponsalia sint contracta, præter id quòd dicta filia tua ipsum Regem Siciliæ linea consanguinitatis attingit, quare non posset eidem matrimonio copulari, sustinere non possemus aliqua ratione ut contra hoc quod hinc etiam nobis approbantibus est firmatum temeritate qualibet veniretur. Nos autem, Vide supra epist. 50. & lib. 11 epist. 4.134.

tem, ne ſanguis tuus de noſtris manibus requiratur, qui tenemur ex injuncto nobis officio de ſalute animæ tuæ ſollicitè cogitare, nobilitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus & in virtute ſpiritus ſancti diſtrictè præcipimus quatenus uſus conſilio ſaniori, eandem filiam tuam prædicto Regi ſponſo ſuo, ſicut præſtito juramento teneris, tradere non differas in uxorem, famæ tuæ conſulens & ſaluti. Nos enim venerabilibus fratribus noſtris Maguntino Archiepiſcopo & Epiſcopo Cameracenſi noſtris damus litteris in mandatis ut ſi venerabilis frater noſter Colonienſis Archiepiſcopus requiſitus præfatam filiam tuam infra menſem noluerit coronare, ipſi vel eorum alter, ſi ambo nequeunt intereſſe, auctoritate noſtra ſuffulti, eam omni contradictione, occaſione, & appellatione ceſſante coronent. Si verò, quod non credimus, aliud duceres faciendum, noveris quòd in perſonam tuam, uxoris tuæ, ac terram tuæ dominationi ſubjectam eccleſiaſticæ ſeveritatis gladium exerceremus, cujus propter ſimilem culpam in quoſdam Reges & regna eccleſiaſticam jam duximus ſententiam proferendam, ſicut tua nobilitas non ignorat. Prætetea, quicquid de ipſa filia tua contra mandatum noſtrum feceris in derogationem canonicæ ſanctionis irritum decernimus & inane; prædicto Cameracenſi Epiſcopo & dilecto filio Præpoſito Bunnenſi & majori Decano Colonienſi noſtris dantes litteris in mandatis ut ea quæ præmiſimus non differant publicare. Datum Romæ apud ſanctum Petrum VI. Kal. Novembris, pontificatus noſtri anno ſeptimo.

MAGUNTINO ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 112. CVm propter defectum pallei, quod Placentinus tibi reſtituere noluerat, non modicum ſuſtinueris detrimentum, & nos tuis profectibus intendentes, aliud tibi palleum per venerabilem fratrem noſtrum Cameracenſem Epiſcopum & dilectum filium magiſtrum W. de Leiceſtria nuntium tuum duximus tranſmittendum, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus eo utaris ad divini nominis gloriam, apoſtolicæ ſedis honorem, ſalutem animæ tuæ, necnon utilitatem metropolis Maguntinæ. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes quatenus tam erga nos quàm erga cariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum talem te ſtudeas exhibere ut fidem & devotionem tuam magis & magis in opere comprobemus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum VI. Kal. Novembris.

MAGUNTINO ARCHIEPISCOPO, & Cameracenſi Epiſcopo, & Præpoſito Bunnenſi.

Epiſt. 113. CVm ij qui olim nullam vel modicam nobis & apoſtolicæ ſedi reverentiam & obedientiam exhibebant, Græci videlicet, Blachi, Bulgari, & Armenij, nunc ad obedientiam noſtram & devotionem apoſtolicæ ſedis plenè per Dei gratiam revertantur, ut ſit unum ovile & unus paſtor, dolemus plurimùm & turbamur quòd venerabilis frater noſter Colonienſis Archiepiſcopus, qui videbatur eſſe nobis obediens & devotus, ab obedientia & devotione noſtra declinat, cùm præcepta noſtra, quæ ipſi multotiens iteravimus pro cariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Rege Ottone in Romanorum Imperatorem electo, pertranſeat aure ſurda, & quod pejus eſt, ipſum penè penitùs deſeruiſſe videatur, quodque peſſimum, in contrarium machinari. Hoc autem malum tam grave reputamus & grande quod ex eo, niſi quantocius corrigatur, Eccleſia Colonienſis & civitas irreparabile detrimentum incurrent, & ipſe Archiepiſcopus, qui per hoc & famam ex toto corrumpit & etiam perdit omninò, nos & Romanam Eccleſiam in confuſionem, ſi poſſet, induceret vehementem. Cùm enim non ipſe noſtrum, ſed nos ejus in hac parte fuerimus judicium imitati, & in favorem ejuſdem Regis ipſe nos traxerit, non nos ipſum, ſi eum dimiſerit ſine nobis, quia nos eum nullatenus dimittemus, profectò tam ipſi quàm nobis illud poterit non immeritò coaptari: *Si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadunt.* Sed ſi voluerit, potiùs ipſe cæcus cadat in foveam quàm nos, qui nolumus ſequi cæcum, in foveam corruamus. Malentes igitur ut idem Archiepiſcopus per admonitionis veſtræ ſtudium a ſuo revocetur errore, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtrictè præcipimus quatenus ad Colonienſem Eccleſiam pariter accedentes, convocatis Prioribus & aliis quos videritis convocandos, coram eis dictum Archiepiſcopum monere diligentiùs & inducere procuretis, eidem ex parte noſtra in virtute obedientiæ firmiter injungentes ut ab hoc errore, uſus conſilio ſaniore, penitùs reſipiſcat, & ne omnino perdat operam & impenſam, eidem Regi, ſicut præſtito fidelitatis juramento tenetur, ſuum impendat auxilium & favorem, & alios ad devotionem & ſervitium ejus diligenter inducat; proponentes eidem quòd ſi ſecus duxerit faciendum, in eam ſe difficultatem inducet de qua non facilè poterit expediri. Si verò ad excuſationem ſuam propoſuerit coram vobis quòd idem Rex eum offenderit vel gravarit, ipſum cognita veritate ad ſatisfactionem ei debitam impendendam monere diligentiùs & inducere procuretis, & ſi neceſſe fuerit, auctoritate noſtra cogatis; cùm etſi prædicto Regi favere velimus, præfatum tamen Archiepiſcopum in ſuo cupiamus jure fovere. Alioquin veritatem diligenter examinatam per veſtras nobis litteras appellatione ceſſante fideliter intimetis; ut per relationem veſtram inſtructi, ſi prædictus Archiepiſcopus de inobedientiæ vitio, quod ſecundùm Prophetam idololatriæ comparatur, & juramenti tranſgreſſione, per quam juxta legem divinam in vanum aſſumitur nomen Dei, admirabilis * apparuerit, ſecurim ad radicem infructuoſæ arboris apponamus, & cùm ſtare non poſſit, apoſtolica falce ſucciſa, in locum ipſius talem faciamus ſuccreſcere plantam quæ fructum ſuavitatis proferat & odoris. Sanè nos eidem hac vice non ſcribimus; quia cùm ſuper hoc ipſi multotiens direximus ſcripta noſtra, nihil aut parum profecimus apud ipſum, quia mandata noſtra pariter & præcepta exaudire

* id eſt, culpabilis

noloit totiens iterata. Ideoque volumus & mandamus ut has literas in omnium legi præsentia faciatis, & eshortemini clerum ac populum diligenter ne permittant ut Ecclesia Coloniensis & civitas, quæ inter universas Ecclesias & civitates regni Theutoniei tam gloria quàm magnificentia est sublimis, enormiter confundatur. Ceterùm si dictus Archiepiscopus maluerit nostris obedire mandatis quàm in hujusmodi contumacia perdurare, ipsum de nostra reddatis gratia certiorem, ex parte nostra firmiter promittentes eidem quòd ad honorem suum pariter & profectum taliter dante Domino intendemus qoòd de nostra poterit gratia meritò gloriari. Vnde ut nostrum sibi sentiat patrocinium aliqoatenus non deesse, si fortè contra dilectum filiom nobilem virum Henticum Comitem Palatinum præfati Regis germanum querelam intorserit coram vobis, vos auctoritate nostra suffulti quod justum fuerit appellatione postposita deceinatis, & faciatis quod decteveritis per ee: suram ecclesiasticam firmiter obsetvari, Quòd si nnn omnes &c. duo vestrum. Datum Romæ apud sanctum Pettum xv. Kal. Novemb.

AQVILEGENSI PATRIARCHÆ.

Epist. 114. CVm in susceptioue pallei præstiturus sis corporaliter juramentum quòd nobis & successoribus nostris & Ecclesiæ Romanæ fidelis & obediens semper existes, fraternitati toæ per apostolica scripta mandamus & in virtute obedientiæ districtè præcipimus quòd post hujusmodi juramentum exhibitum & teceptum patentes litteras tuo sigillo munitas apostolatui nostro transmittas, in quibus profiteatis apertè quòd es debito præstiti juramenti tam soper imperij Romani negotio quàm etiam super aliis nobis secundùm Deum obedire teneris; ot ij qui tam in Theutonia quàm in Italia similem nobis professionem fecerunt, aut is qui pro eo quòd talem facere noluit, meruit ab officio pontificali suspendi, non debeant contra nos scrupuloso corde moveri tamquam apud nos sit acceptio personarum, aot in mano nostra pondus & pondus quasi statera dolosa consistat. Alioquin propter inobedientiæ culpam, quæ secundùm Prophetam idololatriæ comparatur, ut de reatu perjurij taceamus, nisi feceris quod præcipimus infra mensem, ex tuoc usum pallei tibi noveris auctoritate apostolica interdictum.

SALZBVRGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 115. FRustra jacitur rete ante oculos pennatorum, & durum est cuique contra stimolum calcitrare. Nos enim sathanæ non ignoramus astutias, & prompti sumus inobedientiam omnem ulcisci. Dominos ergo sit nobis adjutor, non timebimus quid faciat nobis homo. Maledictus enim homo qui confidit in homine, aut qui carnem brachium suum ponit. Væ autem ingredienti terram duabus viis, quia nemo potest duobus dominis deservire. Monemus igitur fraternitatem tuam & eshortamur attentiùs, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam de corde puro & conscientia bona & fide non ficta stodeas venerari, pro certo cognoscens quòd is qui supra se petram suam ædificavit Ecclesiam non permittet ut portæ inferi prævaleant contra eam juxta quod ipse testatur: *Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Erat enim supra petram fundata.* Quia verò semper diligit qui amicus est, & frater in necessitate probator, tu, amabilis frater, tamquam aurum in fornace te proba; quamvis fornax nondum septuplum quæ succendi consueverat sit succensa, sed in prosimo fulgura sint in pluviam convertenda. Datum Romæ apud sanctum Petrum vi. Idos Maij.

ARCHIEPISCOPO MAGVNTINO, Episcopo Cameracensi, & Scholastico sancti Gereonis Colonensis.

VT Adolphos Coloniensis Archiepiscopus incidat in foveam quam paravit & intret ipsius gladius io cor ejus, pertinax ipsius inobedientia, perjurium iteratum, & proditio divulgata deposcunt. Ipse etenim nec Deum timens, nec reveritus hominem, nec Coloniensis Ecclesiæ dignitatem attendens, in offensam Dei, Ecclesiæ Romanæ contemptum, & sedis suæ dispendium à se obedientiæ jugum excussit, juramentum semel & iterum præstitum violavit, & eum prodidit quem crearat. Sanè cùm ulim carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum coronasset in Regem, & fidelitatis ei præstitisset juramentum, apud nos multipliciter institit ut eidem Regi favorem apostolicum impendentes, ratum quod ipse fecerat haberemus. Cùmque multiplicatis intercessionibus obtinuisset à nobis ut in favorem Regis ipsius deferremus Ecclesiæ Coloniensis bonori, cœpit postmodum in ejus devotione tepescere, ac manum suam ab aratro retrahens, occasiones frivolas invenire ne quod plantaverat irrigaret; quatenus citò arescerer planta ejus, cùm sollicitodinem suam manus ei subtraherer plantatoris. Verùm quia neqoe qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus, invaluit nihilominus per Dei gratiam novos palmes; & cùm jam extenderet ramos soos & uberiùs pullularet, vidit plantator invidus & invidit, & quodammodo in ejos excidium conjuravit. Quia verò nihil est occultum quod non reveletur & absconditum quod non sciatur, sed testimonium veritatis, non potuit occultare diutiùs virus suum; quia nequam mentem iniqna operatio revelavit, & arbor agnita est in fructu. Commonitos igitur & conventus iterum præstitit juramentum quòd eundem Regem nunquam desereret nec in partem aliam declinaret; sed nec juramentum stabilire potuit mentem illam, quæ innatæ levitatis vitio fluctuabat. Nos autem, licèt non de facili crederemus quòd vir tanta præditus dignitate sic esset adversarius sibi ipsi ut quod fecerat intenderet annullare, ne quid tamen sollicitudini nostræ deesset, ad constantiam eum excitare volentes, & monitis & minis institimus apud ipsum & sub qoanta ei potuimus districtione præcepimus ut in ejusdem Regis fidelitate persisteret & ad promotionem ipsius

Epist. 116. Arnoldus Lubec. lib. 7. cap. 3.

efficaciter aſpiraret, cavens ſollicitè ne maledictionem pro benedictione reciperet ſi illuſiſſe nobis tam turpiter probaretur. Ipſe verò non attendens quòd ſicut obedientia victimis antefertur, ſic inobedientia idololatriæ comparatur, obedientiæ lora diſrumpens, inobedientiæ vitium non vitavit, ſed contra præceptum noſtrum & proprium juramentum, corruptus pecunia, ſicut fertur, dominum ſuum temerarius prodidit, & converſus in arcum perverſum, nobili viro Philippo Duci Sueviæ contra eum impudenter adhæſit; ac ne quid ejus præſumptioni deeſſet, & ne culpa ejus aliquo poſſit velamine palliari, nuper Aquiſgrani, ubi præfatum Regem ſolemniter coronaverat, memoratum Ducem publicè coronavit, quamvis excommunicationis ſententiam incurriſſet, quam in Eccleſia beatri Petri Colonienſis coram multitudine copioſa, ipſo præſente ac gerente ſacerdotalem ſtolam in collo & candelam accenſam in manu, venerabilis frater noſter Guillelmus Remenſis Archiepiſcopus, tunc Epiſcopus Præneſtinus, apoſtolicæ ſedis Legatus, promulgaverat in eos qui à præfato Rege recederent & parti alterius adhærerent. Vt igitur Colonienſes, qui noluerunt in malo caput languidum imitari, ſed in ejuſdem Regis fidelitate perſtiterunt firmiùs & perſiſtunt, expurgato fermento veteri, quod voluit corrumpere totam maſſam, ſint nova conſperſio, ſicut ſunt azymi nihil corruptionis habentes, cùm juxta canonicas ſanctiones accuſatione non egeant manifeſta. Vnde nos, ejus exemplo qui abſens corpore, præſens autem ſpiritu, Corinthium damnavit abſentem, potuiſſemus in eum ſententiam promulgare, ad majorem tamen cautelam de conſilio fratrum noſtrorum & tam Epiſcoporum quàm aliorum plurium Prælatorum diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus & diſtrictè præcipimus quatenus cùm apud vos ſint iſta luce clariùs manifeſta, dictum Archiepiſcopum pulſatis campanis, & candelis accenſis, ſingulis diebus dominicis & feſtivis excommunicatum publicè nuntietis & faciatis per omnes Colonienſes Eccleſias & vicinas diœceſes ſub ſolemnitate ſimili nuntiari, ſuffraganeos & omnes vaſſallos Colonienſis Eccleſiæ tam clericos quàm laicos abſolutos ab ejus obedientia nuntiantes. Quia verò ſi tantum ſcelus remaneret inultum, quivis de cetero poſſet impune inobedientiæ vitium, perjurij crimen, & proditionis facinus perpetrare, ſub eadem vobis diſtrictione præcipimus quatenus cùm hæc in illo nulla poſſint tergiverſatione celari, vos eum auctoritate noſtra ſuffulti à pontificali officio, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo, deponatis, niſi forſan infra menſem poſt factam ſibi denuntiationem à vobis ad ſedem apoſtolicam perſonaliter acceſſerit judicandus; his ad quos

Vide Godefrid. monach. S Pantaleonis ad an. 1205.

jus electionis noveritis pertinere auctoritate apoſtolica injungentes ut perſonam idoneam, quæ tanto congruat oneri & honori, canonicè ac concorditer ſibi eligant in paſtorem. Quòd ſi electionem contingeret aliqua fortè, quod abſit, occaſione differri, ne bona Colonienſis Eccleſiæ poſſint interim deperire, alicui perſonæ honeſtæ, providæ, ac potenti committatis adminiſtrationem ipſius. Quia verò ejuſdem Eccleſiæ tantò ampliùs zelamus honorem quantò clerum & populum ejus devotiores & firmiores ſumus experti, ne unitatem ejus aliqua ſciſſura corrumpat, ſi forſan ij ad quos ſpectat electio non potuerint convenire, præcipiatis eiſdem ut in aliquos viros idoneos conferant vota ſua, qui ad ſedem apoſtolicam accedentes, cum conſilio noſtro, qui ad eorum concordiam faciente Domino dabimus operam efficacem, perſonam idoneam ſibi eligant in Prælatum. Quòd ſi non omnes &c. Datum Romæ III. Idus Martij, pontificatus noſtri anno octavo.

PRIORIBVS ET VNIVERSO CLERO & populo Colonienſibus.

Epiſt. 119.

Sinceritati devotionis & fidei quam ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum illuſtrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum immo nos in eo habuiſtis hactenus & habetis in Domino congaudemus, & conſtantiam veſtram proſequimur actionibus gratiarum; qui ſemper in eodem propoſito perſiſtentes, non noviſtis etiam vacillante capite vacillare. Potuiſſet quidem in aliis propheticum formidari: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Sed vos attendentes quòd caput veſtrum transferebatur in caudam, noluiſtis caudæ ſequi mobilem levitatem, ſed ſtabiles & immobiles permanſiſtis. Voluerat quidem vetus illud fermentum inficere totam maſſam & vir unus confundere tam ſublimem Eccleſiam & infamare tam nobilem civitatem; ſed vos ejus fæcis immunes, azymi permanſiſtis, nec conſperſio veſtra nova virus antiquæ fraudis admiſit. Participavit forſan homo ille iniquitatis, Archiepiſcopus veſter, aliquibus veſtrum ſuæ proditionis conſilium, & perditionis propriæ propoſitum revelavit; ſed in conſenſum ejus non venit anima veſtra, nec potuit perfidiæ ſuæ pice vas inquinare ſincerum, quia ſerpentis prudentiam, quæ in evangelio commendatur, vox pulſat in vacuum incantantis. Licèt autem nec divinæ reverentia majeſtatis, nec apoſtolicæ ſedis auctoritas, nec religio juramenti tetigerit mentem ejus, utinam tamen dignitas Colonienſis Eccleſiæ ac immunitas civitatis ab hujuſmodi eum propoſito revocaſſet, ne vilem faceret in electione Principis eandem Eccleſiam, quæ inter alias fuerat hactenus glorioſa, & ne derogare juri ſuo immo ejuſdem Eccleſiæ videretur, ſi quod ad tuendam dignitatem ejus priùs providè fecerat proprio jure uſus, in ejus tandem injuriam improvidè condemnaret. Verùm quia nihil ſatis feſtinatur animo cupienti, nec animos cupidi ſatiatur, nihil ſibi ſufficere reputans niſi pecuniam biberet quam avidè ſitiebat, contra mandatum noſtrum ſæpius iteratum & juramentum proprium primò præſtitum & poſtea innovatum in infamiam veſtram, quantum fuerat in eodem, & Colonienſis Eccleſiæ detrimentum obedientiæ jugo depoſito, dominum ſuum temerè prodidit, & adverſario ejus impudenter adhærens, ne crimen ejus ulla poſſit tergiverſatione celari, cum apud

Aquisgranum publicè coronavit. Nos igitur providere volentes ne homo qui non conveniat operibus & actibus vestris, vobis de cetero principetur in perniciem corporum & periculum animarum, sed à vobis vetus fermentum penitùs expurgetur, vosque remaneatis azymi, sicut estis, de consilio fratrum nostrorum & tam Episcoporum quàm aliorum plurium Prælatorum venerabilibus fratribus Maguntino Archiepiscopo & Episcopo Cameracensi & Scholastico sancti Gereonis Coloniensis dedimus in præceptis ut cùm apud eos sint ista &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque in finem.* Monemus igitur universitatem vestram & hortamur in Domino & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus eisdem Archiepiscopo, Episcopo, & Scholastico ad exequendum mandata apostolica utiliter & humiliter assistatis, & in bono proposito persistentes, prædicto Regi sicut hactenus, immo fortiùs quàm hactenus, præstetis auxilium & favorem, scituri quòd nostra vobis gratia non deerit. Datum ut suprà.

ARCHIEPISCOPO MAGUNTINO, Episcopo Cameracensi, & Scholastico sancti Gereonis in Colonia.

Epist. 118. Licèt per alias litteras vobis dederimus in præceptis ut quia Coloniensis Archiepiscopus sententiam excommunicationis incurrit, quam in Ecclesia beati Petri Coloniæ coram multitudine copiosa, ipso præsente ac gerente sacerdotalem stolam in collo & candelam accensam in manu, venerabilis frater noster Guillelmus Remensis Archiepiscopus, tunc Prænestinus Episcopus, apostolicæ sedis Legatus, promulgavit in eos qui à carissimo in Christo filio nostro illustri Rege Ottone in Romanorum Imperatorem electo recederent & parti alteri adhærerent, memoratum Archiepiscopum pulsatis campanis & candelis accensis denuntiaretis excommunicationis vinculo innodatum, & faceretis per omnes Colonienses Ecclesias & vicinas dioceses sub solemnitate simili nuntiari, suffraganeos & omnes vassallos Coloniensis Ecclesiæ tam Clericos quàm laicos absolutos ab ejus obedientia nuntiantes. Licèt etiam vobis præceperimus districtè ut, quia ejus inobedientia, perjurium, & proditio sunt adeo manifesta quòd nulla possunt tergiversatione celari, vos eum auctoritate nostra suffulti sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo à pontificali deponeretis officio, nisi forsan infra mensem post factam sibi denuntiationem à vobis ad sedem apostolicam personaliter accesserit judicandus, quia tamen vos ex vicinitate locorum & notitia personarum potestis pleniùs & perfectiùs rerum & temporum circumstantias indagare, præsentium vobis auctoritate concedimus quatenus diligenti & prudenti deliberatione præhabita, si vobis visum fuerit expedire, præfatum Archiepiscopum monere diligentiùs & inducere procuretis ut ad fidelitatem carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi humiliter revertatur infra tempus quod ei duxeritis præfigendum, & de fide servanda tantam ei exhibeat cautionem quòd de levitate ipsius non possit in posterum dubitari, absolutionis beneficium ei secundùm formam Ecclesiæ impensuri, salva super excessibus ejus canonica disciplina. Alioquin juxta formam præscriptam & in aliis litteris pleniùs vobis expressam procedere non tardetis. Quòd si non omnes &c. Datum &c.

UNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS quàm secularibus Principibus & aliis per Teutoniam constitutis carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo faventibus.

Non est amicus hominis, sed fortunæ, qui sicut arundo vento, sic fortuitis casibus agitatus, ei cui arridet in prosperis, deficit in adversis. Licèt enim varij sint bellorum eventus, nec quod semper volvitur in eodem statu valeat permanere, non debent tamen viri constantes secundùm varietates rerum labentium variari, sed stabiles potiùs permanere, scientes quòd finis, non pugnæ, coronat, & non qui cœperit, sed qui perseveraverit, salvus erit. Fides etenim in necessitate probatur, & constantia in adversitate clarescit; nec qui cum fortuna rotatur, constans debet aut stabilis appellari, aut dici fidelis qui fidem variat cum eventu. Unde miramur non modicùm & movemur quòd quidam Principum qui carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo sponte hominium fecerant & fidelitatis juramenta præstiterant non coacti, ex eo quòd nobilis vir Dux Sueviæ visus est aliquantulum prosperari, contra honestatem propriam & fidem præstitam venientes, relicto eo cui priùs adhæserant, ejus adversario adhæserunt, illis merito comparandi de quibus legimus in psalmista: *Filij Effrem intendentes arcum & mittentes sagittas conversi sunt in die belli.* Verùm quantò detestamur ampliùs in talibus levitatem, tantò in vobis constantiam potiùs commendamus; qui cum eodem Rege in suis tentationibus fideliter perstitistis, nec voluistis maculam in gloria vestra ponere ac juramenta propria violare. Super hoc ergo firmitatem vestram in Domino commendantes & prosequentes actionibus gratiarum, monemus universitatem vestram & exhortamur in Domino & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus in bono proposito persistentes, eidem Regi tantò fortiùs assistatis quantò auxilio vestro noscitur ampliùs indigere; scituri quòd ex hoc vobis tantò magis constituetis nos in posterum debitores quantò sinceriùs diligimus Regem ipsum & incrementum honoris ipsius sicut hactenus, immo magis quàm hactenus, affectamus. Datum &c.

Epist. 119.

Vide Godefrid. monach. sancti Pantaleonis ad an. 1205.

MAGUNTINO ARCHIEPISCOPO, & Episcopo Hildesemensi.

Epist. 120. Suam apud nos carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus querimoniam destinavit quod cùm nobilis vir Henricus Palatinus Rheni fidelitatis ei præstiterit juramentum, contra factum suum venire non metuens, non solùm

servare contempsit quod ei sub jurisjorandi religione promisit, sed contra eum cum nobili viro Philippo Duce Sueviæ conjuravit. Vnde cùm ad nos pertineat judicinm juramenti, per nos sibi de eo justitiam petiit exhiberi. Cùm igitur salutem nobilis ejusdem, de quo in novissimo districti examinis die tenebimur coram Deo reddere rationem, paterno desideremus affectu, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus eum ex parte nostra monere diligentiùs & inducere procuretis ut juramentum eidem Regi præstitum, nonobstante juramento quod postmodum exhibuit contra illud, cùm ex eo quòd primum fuit licitum constet secundum illicitum extitisse, de cetero servare procuret. Alioquin eum ad id per excommunicationem personæ & interdictum terræ sublato appellationis obstaculo compellatis, facturi utramque sententiam singolis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, usque ad satisfactionem congruam firmiter observari.

Vide cap. Novit. De judiciis.

NOBILI VIRO HENRICO PALATINO Rheni.

Epist. 121.

AD infamiam nominis tui cedit & perpetuoni tuæ posteritatis opprobrium quòd carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum fratrem tuum, vel nulla vel modica violentia interveniente, relinquens, nobili viro Duci Sueviæ adhæsisti & quantum in te fuerat dejecisti eum quem erigere tenebatis. Sanè suam ad nos idem Rex querimoniam destinavit quòd cùm fidelitatis ei &c. *ut suprà usque* paterno desideremus affectu, nobilitatem tuam monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus juramentum eidem Regi præstitum &c. *usque* servare procures. Alioquin noveris nos venerabilibus fratribus nostris Siffrido Maguntino Archiepiscopo & Episcopo Paderburnensi per apostolica scripta præcipiendo mandasse ut te ad id per excommunicationem personæ &c. *usque in finem.*

Scriptum est nobili viro Duci Brabantiæ in eundem modum usque in Romanorum Imperatorem electum, *cus filiam propriam desponsaverat in uxorem*, vel nulla &c. *usque in finem. Executores dati sunt contra eum Leodiensis Episcopus, major Decanus & Præpositus sancti Gereonis Coloniensis.*

NOBILI VIRO LANGRAVIO Turingiæ.

Epist. 122.

QVia liberæ voluntatis arbitrium quantò violentiùs quis flectere nititur, tantò ampliùs in putitate sui propositi confirmatur, non credimus quòd violentia Ducis Sueviæ tuam mutaverit voluntatem & animum variaverit, licèt coactus fueris militare. Cùm ergo necessitate cessante cessare soleat necessitatis effectus, monemus nobilitatem toam & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus cùm tempus acceperis, ad carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi fidelitatis obsequium fine dilatione qualibet revertaris, & sic in ejus dilectione proficias ut in gratiam nostram proficere merearis.

Scriptum est in eundem modum Regi Boëmorum illustri.

MAIORI DECANO ET SANCTORVM Apostolorum & sancti Gereonis Præpositis Coloniensibus.

Epist. 123.

AD nostram noveritis audientiam pervenisse quòd Brnno Adolphi quondam Coloniensis Archiepiscopi clericus, statutis sedis apostolicæ temerariè se opponens, dominum suum irreverenter induxit ut in carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum crimen proditionis committeret & Duci Sueviæ pertinaciter adhæreret; à quo, sicut dicitur, tamquam alius Iudas in proditionis præmium pecuniam accipere non expavit. Ne igitur si post damnationem ejusdem Archiepiscopi prædictus Bruno, qui damnationis causam præstitit, remanserit indemnatus, illud evangelicum fallere videatur, quo dicitor, *si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt*, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eum omnibus beneficiis suis sine spe restitutionis appellatione remota privetis, ea personis idoneis conferentes. Quòd si non omnes &c.

EISDEM.

Epist. 124.

AD nostram audientiam noveritis pervenisse quòd Sibod clericus, qui beneficium quoddam de manu carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi receperat, & fidelitatis ei præstiterat juramentum, conversus in arcum perversum, contra proprium veniens juramentum, Sueviæ Duci juravit, & ab eo prædictum beneficium recepit. Ipse quoque, dum venerabilis frater noster Cameracensis Episcopus mandatis nostris insisteret exequendis, ab eodem Duce in diocesim ejus legatione suscepta, bona ejusdem Episcopi temerè occupavit, vassallos ejus Duci Sueviæ fidelitatem præstare compellens, fidelitate ipsius penitùs abjurata. Quia verò tantæ præsumptionis excessum relinquere nolumus impunitum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super iis & cognita pleniùs veritate, eundem Sibod ab omni officio sublato appellationis obstaculo deponatis, & omnibus eum beneficiis spoliantes, illa personis idoneis assignatis.

PADEBVRNENSI EPISCOPO.

Epist. 125.

QVàm detestabile sit crimen perjurij, veteris testamenti lectio manifestat. Nam cùm præcepisset Dominus Israëlitis ut universos habitatores terræ quam eis promiserat, de ipsa delerent propter fœdus quod Iosue cum Gabaonitis inivit circumventus, & juramentum quod principes multitudinis præstiterant eisdem incautè, Gabaonitæ mortis periculum evitarunt; licèt interrogati si in terra quæ filiis Israël sorte debebatur forsitan habitarent, quia de terra longinqua venerant respondissent. Præterea quæ pœna mendacibus debeatur Ananiæ & Saphiræ mors subita profitetur; qui quo-

niam mentiti fuerant spiritui sancto, à conspectu Apostolorum principis, cujus sumus, licèt immeriti, successores, mortui sunt educti. Cùm ergo nulla vel modica distantia sit inter perjurium & mendacium sacerdotis, dicente scriptura quòd verba sacerdotis aut vera sunt aut sacrilega, debent ecclesiastici viri, & præsertim qui prælationum obtinent dignitates, reatum perjurij & crimen mendacij penitùs evitare & sic fugere inconstantiæ levitatem ne... sit eis si terram duabos viis ingredi convincantur, & si culpam incurrerint, non effugiant disciplinam. Miramur igitur non modicùm & movemur quòd cùm carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo fidelitatis præstiteris joramentom, & ab eo de regalibus fueris investitus, postquam per venerabilem fratrem nostrum Sifridum Maguntinum Archiepiscopum consecrationis beneficiom suscepisti, tepuisti penè penitùs circa eum, & ipsi tuæ devotionis obsequium subtraxisti. Ne igitur subditis tuis occasio fias similis levitatis, qui eis fortitudinis & constantiæ debes exempla præstare, fraternitatem tuam monemus & exhortamur attentiùs & per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus quatenus sic de cetero in ejus fidelitate persistas & sic ei patenter adhæreas & potenter quòd præterita negligentia per subsequentem diligentiam expictur, nec tam citò incurrisse notam perjurij videaris, quia id non possemus æquanimiter tolerare.

Scriptum est Abbati Corbeiensi in eundem fere modum usque juramentum, & ei à suæ promotionis initio auxilium præstiteris & favorem, nunc ultimò tepuisti penè penitùs circa eum &c. *usque* expietur, nec incurrisse notam perjurij &c. *usque ad finem.*

ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI.

Epist. 126. QVaIiter juramentum coram nobis præstitum & postmodum exhibitum in manibus Legati nostri observaveris, ne dicamus violaveris, qualiter irrita feceris quæ de tuis labiis processerant, dum veniens contra propriam sponsionem, promissiones infregeris redactas in scriptis & sigilli proprij munimine roboratas, qualiter in obedientia & devotione non perstiteris, tua prudentia non ignorat. Nos autem, licèt possemus ex iis tamquam notoriis, & quæ nulla poterant tergiversatione celari, canonicæ severitatis in te sententiam promulgare, credentes tamen quòd patientia nostra te ad pœnitentiam revocaret, excessus tuos dissimulavimus hactenus & te duximus ex multa gratia supportandum. Verùm quoniam secundùm impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, ita ut superbia tua semper ascendat, nec adicias ut conditionis propriæ recorderis, finaliter & peremptoriè tibi scribimus, sub debito juramenti & quanta possumus districtione mandantes ut carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo potenter adhæreas & patenter, per te ac tuos publicè ipsi auxilium tribuens & favorem. Alioquin securim ad radicem arboris infructuosæ immo etiam perniciosæ ponemus, ne terram inutiliter occupet, & florentem vineam sterilitatis suæ umbra confundat. Quòd si aliqui de Ecclesia Trevirensi favorem tibi præsumerent adhibere, præsumptionem eorum taliter puniremus quod eorum pœna multis proficeret ad cautelam; immo etsi tota Ecclesia Trevirensis in erroris tui defensione peccaret, nos in eam animadvertere curaremus, & honoris metropolitici dignitatem, quam per sedem est apostolicam assecuta, alias transferre propter ingratitudinis vitium cogeremur.

PRÆPOSITO, ARCHIDIACONO,
Canonicis, & ministerialibus Ecclesiæ Trevirensis.

INconstantiam & facilitatem, ne perjurium & infidelitatem dixerimus, Archiepiscopi Epist. 127.
Trevirensis vobis credimus per ejus opera patuisse. Nos autem memores dilectionis antiquæ quam apostolica sedes exhibuit Ecclesiæ Trevirensi, pro cujus defensione interdum persecutiones etiam gravissimas est perpessa, & recolentes devotionem illam quam Ecclesia Trevirensis Ecclesiæ Romanæ solita fuerat exhibere usque modò, mitiùs egimus contra eum, & ipsum duximus æquanimiter tolerandum, credentes quòd patientia nostra eum ad pœnitentiam revocaret. Verùm quoniam superbiæ ejus semper ascendit, ne videamur errorem ejus dissimulando fovere, similiter ei ac peremptoriè scribimus &c. *ut suprà usque* confundat. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eundem Archiepiscopum ad mandatum apostolicum exequendum diligentiùs moneatis, parati, cùm super hoc secundò vobis scripserimus, quod mandavimus humiliter adimplere. Credimus enim & pro certo tenemus quòd Ecclesia Trevirensis Ecclesiæ Romanæ matris & magistræ suæ dispositioni parebit, nec ejus obviabit aliquando institutis. Quòd si forsan, quod non credimus, in erroris ejusdem Archiepiscopi defensione peccaret, in eam animadvertere curaremus, & in pœnam ipsius honoris metropolitici &c.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN
Romanorum Imperatorem electo

CVm inter te ac dilectam in Christo filiam Epist. 118.
natam Ducis Brabantiæ sponsalia fuerint Vide suprà
approbante Legato nostro contracta, nostræ epist. 13. 66.
voluntatis existit ut quod initiatum est legitimè, 111.
nisi per alium steterit, compleatur. Cùm ergo puella ipsa ætati nubili sit vicina, monemus serenitatem tuam & exhortamur attentiùs quatenus usque ad nubilem ejus ætatem expectes, & si pater ejus eam tibi tradere noluerit requisitus, ex tunc liberè cui volueris, in Domino tamen, nubas.

ILLVSTRI REGI ANGLORVM.

QVantum tuæ serenitatis excellentia bono- Epist. 119.
ris & exaltationis reciperet incrementum, si carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi promotio felicem sortiretur eventum, si diligenter attendas, intelliges per te ipsum, cùm te latere non possit quòd ei non solùm adver-

ſarij ſui potentia, ſed & tuæ conſanguinitatis reſpectus multiplicavit æmulos & hoſtes adauxit. Ne igitur ad onus ſit ei potiùs quàm honorem quòd te proxima linea conſanguiniratis attingit, oon ſolùm ex abundantia divitiarum toaium ejus deberes indigentiæ providere, ſed molta etiam tuæ neceſſiати ſubtrabere ut ejus neceſſitudinem ſublevares. Cùm ergo inclitæ recordationis Richardos Rex Angliæ frater tuus ei certam legaverit pecuniæ quanritatem, & to illam te juraveris, ſicut accepimos, ſoluturum, jurantibus tecum Epiſcopis regni tui, rogamus ſeteniratem regiam & exhortamur attentiùs quatenus pecuniam ipſam eidem in multæ neceſſitatis articulo conſtituto perſolvas, ne te ac nos in eam neceſſitatem inducas ut cùm juſta petentibus favorem teneamur apoſtolicum impertiri, te ad ſolvendum debitum, quod non denegas te debere, cogere compellamur poſt commooitiones moliotiens iteraras, per quas te non potuimos hactenus emollite.

PRIORIBVS ET CAPELLANIS Colonienſibus.

Epiſt. 132. QVòd Colonia ſedis apoſtolicæ filia ſpecialis exiſtat & veteris ſigilli ſcriptura teſtatur, & Colonienſium manifeſtat aſſertio, & evidenriùs omnibus opera profitentur. Ecce etenim, ut in devotione ſedis apoſtolicæ civitas ipſa ſolidaretur ex toto, oec ex aliqoa ulteriùs parte nutaret caput languidum & cor mœrens, qood ulceris ſui ſanie moliebatur inficere totum corpus, ut à planta pedis uſque ad verticem oulla in eo ſanitas remaneret, ad mandatum apoſtolicum excidiſtis à vobis, & virum idoneum & Eccleſiæ Romanæ devotum in caput veſtrum hilariter aſſumpſiſtis, qui vobis concordaret operibus, & ſervarer corporis puritatem. Gaudemos igitur & congaudemus vobis in Domino & ſinceritatem veſtram proſequimur actionibus gratiarum quòd expurgato fermento veteti, ne corrumperet totam maſſam, in azymis ſinceritatis & veritatis vos ipſi azymi ambulatis, & in fidelitate cariſſimi in Chriſto filij noſtri illuſtris Regis Ortonis in Romanorum Imperatorem electi de die in diem perſiſtitis fortiores. Monemus igitur dilectionem veſtram & exhortamur in Domino & ſub quanta poſſumus benignitatis affectione mandamus quatenus in devotione noſtra & fidelitate Regis ipſius proficiat·s jugiter, & ſicut bene cœpiſtis, fideliter perſiſtatis, nec imperum formidetis illius qui tamquam poſſet fluvium abſorbere, vobis exilium & depopulationem civitatis veſtræ, licèt fruſtrà, minatur: cui reſiſtite fortes in fide, conſtantiam veſtram & fortitudinem urbis veſtræ in hoc pariter oſtendentes, & potiſſimùm confidentes in eo qui projecit in mare currum & exercitom Pharaonis, & qui nunquam deſerit de ſua miſericordia confidentes; nec exaltationem hoſtis vel extollentiam potiùs formidetis; quoniam omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur juxta teſtimonium veritatis. Nos autem, qui puritatem veſtram in multis hactenus & nunc præſertim in facto Adolphi quondam Archiepiſcopi veſtri, ounc depoſiti, ſumus evidenter experti, ad honorem & profectum tam Eccleſiæ quàm civitatis veſtræ, dante Domino, efficaciter intendemus.

Scriptum eſt in eundem modum Plebanis Colonienſibus. Item Scabinis & univerſo populo Colonienſi.

ILLVSTRI REGI ANGLORVM.

Epiſt. 131. QVantum honoris & gloriæ qoantumque fortitudinis & virtutis accreſceret tibi & regno tuo, ſi cariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Otto ſereniſſimus nepos tuus ad coronam imperij tuo ſuffragio perveniret, regalis prudentia non ignorat. Cùm igitor eidem Regi ſcripſerimus ut ad hoc diligenter intendat, ad quod etiam nos intendimus diligenter, quoniam ex quo imperij coronam haberet, Principes qui coronæ imperij tenentor aſtricti, ei tamquam domino procul dubio adhærerent, ſerenitatem tuam rogamus, monemus, depoſcimus, & hortamur quatenus ei ad obtinendum coronam imperij, ſicut caram habes gratiam divinam & noſtram, & toum diligis commodum & honorem, auxilium tribuas opportunum, de noſtra circa ipſum gratia plena ſecutus quòd ad ſublimationem ejus efficaciter aſpiramus. Vnde ſi ei curaveris non minutatim, ot hactenus, licèt raro, ſed ſimul & plenè, prout decet & expedit, ſubvenire, negotium ejus non tam ſibi quàm tibi ad optatum perducetur effectum.

EIDEM.

Epiſt. 132. CVm cariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Regi Ottoni nepoti tuo tenearis magnificè ſubvenire, non ſolùm ratione carnis & ſanguinis, verùm etiam conſideratione commodi & honoris, quoniam ſi per tuæ ſubventionis aoxilium idem Rex nepos tuus ad coronam imperij perveniret, ſtatus otique regni toi robur ſuſciperet & augmentum, plus utique quàm oporteat litteris explicare miramur non modicùm & movemur quòd ei vel de tuo ſubvenire non curas, vel ſaltem de ſuo, videlicet quod ex teſtamento inclitæ recordationis Richardi Regis germani tui ſibi ſolvere ſine dubitatione teneris. Volentes igitur tam tibi quàm ipſi paterna ſollicitudine providere, ſerenitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, fideliter conſulentes quatenos ei ſuper his qoæ prædictus Rex frater tuus ei teſtamento legavit non differas ulteriùs ſatisfactionem debitam exhibere, ne per tuum defectum ſuus impediatur profectus; quatenus ſi per te fuerit adjutus, negotium ejus optatum ſortiatur effectum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum XII. Kalend. Martij, pontificatus noſtri anno octavo.

Scriptum eſt ſuper hoc Helienſi, Dunelmenſi, & Vvigornienſi Epiſcopis. Cùm cariſſimo &c. *in eundem fere modum uſque in finem.* Quocirca fraternitatem veſtram rogamus & monemus attentiùs, per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes quatenos enndem Regem ad hoc moneatis prudenter & efficaciter inducatis. Et ſi fortè per exhortationes veſtras ad id induci nequiverit, vos eum per diſtrictionem eccleſiaſticam compellere non tardetis, non obſtante compoſitione quæ facta eſt inter ipſos;

præſertim cùm in ea de relaxatione pecuniæ ſibi teſtamento legatæ nulla mentio habeatur. Datum Romæ,

Scriptum eſt ſuper hoc in eundem ferè modum aliis Epiſcopis & magnatibus regni Angliæ, ut ipſum Regem ad hoc moneant & inducant, & ipſi etiam Regi Ottoni, ſicut habent caram gratiam divinam & Domini Papæ, ac regni ſui diligunt commodum & honorem, ſtudeant ſubvenire. Datum ut ſuprà.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN *Romanorum Imperatorem electo.*

Epiſt. 133. VEnientem ad apoſtolicam ſedem venerabilem fratrem noſtrum Cameracenſem Epiſcopum benignè recepimus, & ea quæ nobis propoſuit notavimus diligenter. Licèt autem idem Epiſcopus, cùm ad te Domino duce redierit, non ſolùm de propoſito noſtro, verùm etiam de ſtatu imperij te poſſit reddere certiorem, ut tamen interim nullius aſtuta malignitas circumvenire te poſſit, ſerenitatem tuam præſentibus litteris præmunimus, reddentes te de gratia noſtra plenè ſecurum, quam velut columnam immobilem ſemper invariabilem comprobaſti. Quocirca prudentiam tuam, cujus fortitudinem & conſtantiam apud nos idem Epiſcopus multipliciter commendavit, monemus & exhortamur attentiùs quatenus nec adverſitates te frangant, nec ſuggeſtiones ſeducant, quò minùs ad ſublimationem tuam prudenter intendas, ad quam nos intendimus diligenter, ut ad ſuſcipiendam coronam imperij valeas feliciter pervenire. Datum Romæ &c.

EBORACENSI ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 134. SI eximia facta progenitorum tuorum, quibus multimodæ laudis titulo renitebant, ſedula meditatione diſcutias, ſi qualiter per inſignia geſta ſuam dilataverint famam & regiæ domus ampliaverint decus ſubtiliter perſcruteris, ad imitandum eos totis te convenit viribus laborare, ut per oſtenſionem operum ſectator ipſorum meritò comproberis. Nam arbor à fructu cognoſcitur, & clarum heredem opera clara depingunt. Cùm itaque cariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Otto nepos tuus tuo & aliorum conſanguineorum ſuorum adminiculo ad præſens indigeat, miramur non modicùm & movemur quòd ita tepidus & remiſſus hactenus extitiſti quòd nullum vel modicum ei curaſti ſubventionis vel favoris auxilium exhibere; cujus negotium ſi ad optatum perducatur effectum, quantum honoris & gloriæ tibi & cariſſimo in Chriſto filio noſtro Iohanni Regi Anglorum illuſtri ac regno ejus accreſcat, quantumque regalis regia ſuper hoc facto debeat reflorere, non eſt opus litteris explicare; cùm, ſi prudenter attendas, ipſa rei evidentia mentis oculis profiticus eniteſcat. Illud enim inter cetera deberet te ad id inducere vehementer, quòd ſi præfato Regi in hujus temporis articulo adeſſe curaveris ac favorem tuum efficaciter impertiri, menti ſuæ inextricabiliter infigetur; quoniam in neceſſitate probatur amicus, & qui verè diligit, per experientiam operis comprobatur. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus attentiùs, & per apoſtolica tibi ſcripta præcipiendo mandamus quatenus, ſicut caram habes gratiam divinam & noſtram, & proprium diligis commodum & honorem, præfato Regi nepoti tuo opem efficacem impendas, & de tuis non prætermittas tam hilariter quàm liberaliter ſubvenire; ut ejus honor in tuum cedat honorem, & ipſius profectus in tuam poſſit gloriam redundare. Datum Romæ.

BRVNONI ARCHIEPISCOPO, *majori Decano & magiſtro H. Scholaſtico ſancti Gereonis Colonienſis.*

CVm inter cetera documenta fidei Chriſtianæ nihil ſit glorioſius quàm fidem illibatam ſervare, miramur admodum nec immeritò commovemur quòd venerabilis frater noſter Monaſterienſis Epiſcopus, de cujus meritis virtutis exempla deberent ad alios derivari, juramentum quod præſtitit cariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo, quòd ei potenter & patenter deberet adeſſe, diſſimulare videtur, nec conſiderat quòd ſi ſal evaneſcit in ipſo, ad nihilum valet ultrà niſi ut foras mittatur & ab hominibus conculcetur, & ſi caput ſit languidum, ſubjecta membra ſalutis propriæ reddat robore deſtituta. Volentes igitur quod ab eodem Epiſcopo temerè præſumptum eſt in melius emendari, mandamus quatenus eundem Epiſcopum ut prætermiſſis quibuſcunque obligationibus impietatis ad ſervandum juramentum præfato Regi exhibitum ſollicitis monitis inducere ſtudeatis. Quòd ſi ad commonitionem veſtram idem Epiſcopus quod præmiſſum eſt adimplere fortè noluerit, vos eum ad id per diſtrictionem eccleſiaſticam ſublato appellationis obſtaculo compellatis. Datum ut ſuprà. Epiſt. 135.

In eundem modum ſcriptum eſt eiſdem judicibus contra Oſnaburgenſem Epiſcopum.

SCRIPTVM PHILIPPI *ad Dominum Papam.*

SCriptum eſt & multiplici utriuſque teſtamenti auctoritate poſſe probari credimus quoniam in manu mediatoris Dei & hominum ſunt omnium poteſtates & jura regnorum. Ipſe enim altiſſimus Dominus & Rex cæli & terræ, cui voluerit & quando voluerit dabit illud. Equidem ipſe mutat regna, & transfert & curvat imperia. A plena notitia veſtra, Pater ſanctiſſime, minimè credimus alienum quid factum ſit Romano imperio divina permiſſione ſic ab æterno proviſum & præordinatum. Scit ſatis prudentia veſtra qualiter poſt mortem dilecti Domini ac fratris noſtri Henrici Romanorum Imperatoris Auguſti turbatum fuerit imperium, & multis turbationum incurſibus non minùs mirabiliter quàm miſerabiliter lacerari cœpit & agitari, & per omnes angulos & fines ſuos ita concuti ut à prudentibus non immeritò deſperari poſſet ipſum Romanum imperium diebus noſtris in priſtinum ſtatum nunquam poſſe reſtaurari, cùm quilibet jam ſine judice viveret & ſine lege, & quicquid libitum foret, faceret pro motu & arbitrio ſuæ voluntatis. Nos inter hæc malorum initia, ut vobis conſtat, in Tuſcia fuimus conſtituti, ab inde revertentes in Alamanniam non ſine periculo & labore; & tunc totam Theutoniam minùs bene diſpoſitam reperimus & inordinatam. Qualiter demum, Pater reverende, nos animum concepimus ad obtinendum Romanum imperium per juſtam Principum electionem cum pura ſimplicitate & ſimplici veritate ſub teſtimonio illius qui ſecretorum ſcrutator eſt, & cui omnia nuda ſunt & aperta, vobis duximus ſignificandum, nihil falſitatis admiſcentes, nec ſubtrahentes aliquid veritati. Sciat Epiſt. 136.

igitur

igitur vestra reverenda paternitas quòd cùm nos de partibus Tusciæ reversi fuissemus in Alamanniam, totam terram non minùs turbatam invenimus quàm mare ab omnibus ventis posset conturbari. Tunc nos omnes imperij Principes, qui in diebus illis in Alamannia fuerant, (nam, ut scitis, quidam eorum transfretaverant) litteris & nunciis nostris sollicitare cœpimus ut ipsi filio dilecti Domini ac fratris nostri Henrici Romanorum Imperatoris Augusti, quem jam eis in Dominum ac Regem elegerant, & cui juraverant fidelitatem, sicut ex juramento tenebantur, assisterent & ipsum vellent habere pro Rege: & nos, tum quia de jure naturali & legali ad hoc tenebamur, tum etiam pro conservando honore imperij, onus tutelæ subire volumus usque dum ipse puer ad eam perveniret ætatem quòd ipse per se regere posset imperium & juxta ejus requirere. ad quod nullum eorum prorsus potuimus inducere. Asserebant enim se ex electione illa quam in eum fecerant & ex præstito sibi sacramento non teneri. Nam affirmabant antequam ipse puer fuisset baptizatus hoc fuisse facta, & ideò nullius esse valoris. Dicebant ipsum puerum non sufficere ad regimen imperij, nec decere nec expedire ipsos Principes & Romanum imperium sine Domino fore & Imperatore. Insuper allegabant ipsum puerum esse electum maximè pro summa patris potentia, & ut per hoc patri placere possent. Et sic nullo modo eos ad hoc potuimus inducere ut ipsi jamdictum puerum pro Domino & Rege vellent habere. ad quod nos, Deo teste, omni studio & omni ingenio fideliter laboravimus. Ipsi verò Principes constanter alium Regem sibi creare voluerunt, & diversi diversos. Quidam Principum, de quibus vobis constat, ut credimus, cum Duce Bertoldo Zaringiæ tractatum habere cœperunt ut ipsi eum in Regem eligerent, pro quo ipse cum eis plusquam sex millia marcarum expendit: qui cùm post multam hanc expensam in negotio processum optatum habere non posset, ipse tanto labori & futuris expensis se subtrahens, ab incepto negotio conticuit. Tunc iidem Principes cum Duce Bernardo Saxoniæ consimilem acceperunt habere tractatum; & ipse de partibus Saxoniæ usque ad partes Rheni, videlicet Andernacum, venit sub hac spe quòd ab eis eligi deberet in Regem. Sed cùm ipse, sicut vir prudens & circumspectus, videret hoc non posse fieri sine pecuniæ suæ maxima effusione, considerans etiam quòd ipse depressus gravissima corporis sui gravitate tanto labori non sufficeret, se subtraxit ab eis ingeniosè. Tunc quoque omnes Principes Saxoniæ, Bavvariæ, Austriæ, Oliuæ, Karintiæ, Civeniæ, Franconiæ, & multi alij magnates & nobiles nobis consuluerunt ut nos laborare vellemus pro imperio: ad quod ipsi dicebant suum nobis velle præstare consilium & favorem. Nos tamen adhuc in tantum pro puero laboravimus quòd à multis Principibus & fidelibus nostris ignominiosè objectum est nos non audere recipere imperij dignitatem. Dicebant etiam iidem Principes nullum alium Principem sufficere ad sustinenda opera imperij vel sua divitiis condignè posse respondere imperij dignitati. Vidimus etiam quòd si nos non reciperemus imperium, talis debebat eligi cujus generatio ex summa antiquitate nostram exosam habebat generationem, & cum quo nos nunquam pacem & concordiam habere possemus. His igitur omnibus inspectis & consideratis, animum ad hoc applicuimus ut nos per justam & concordem Principum electionem imperium obtineremus. Dicimus hoc quoque in fide Iesu Christi, in quâ salvari cupimus, quòd hoc non fecimus ob alicujus honoris ambitionem, non ob fastum gloriæ & potentiæ, non ob aliquam rerum avaritiam. Pro his omnibus onus & laborem regiminis imperij nunquam affectassemus vel suscepissemus. Indubitanter enim credere potestis, immo verè scire quòd tunc inter omnes Principes imperij nullus nobis fuerit ditior, nullus potentior, nullus gloriosior. Habuimus enim amplissimas & diffusas possessiones, habuimus etiam castra plurima & fortissima & inexpugnabilia. Habuimus etiam tot ministeriales quòd nos eos sub aliquo certo numero vix comprehendere potuimus. Habuimus castella, civitates, villas, burgenses ditissimos. Habuimus pecuniam multam nimis in auro & argento & in multis gemmis pretiosis. Habuimus etiam in potestate nostra sanctam crucem, lanceam, coronam, indumenta imperialia, & omnia insignia imperij. Benedixerat quoque nobis Deus in multis bonis, & crescere fecerat & auxerat domum nostram. Hereditas etenim multa ceciderat nobis in præclaris; ideoque necesse nobis non fuit ut nos ambitiosè laboraremus pro imperio obtinendo. Nullus in Regem potuit eligi qui plus nostro non indigeret & voluntario obsequio quàm nos ejus gratia & benevolentia videremur indigere. Nulla igitur ambitione; sed pro causis supradictis, nos in Romanorum Regem eligi permisimus & consensimus id ea feria sexta qua cantatur *Fac mecum Domine signum in bonum*. Fecit quoque nobis Deus signum in bonum. Multi enim nos viderunt & oderunt, & confunduntur. In ipso quoque exordio electionis inter hoc in firmo habuimus proposito ut nos principaliter defensores essemus Ecclesiarum & restauratores, & ut cultum Dei & religionem Christianam pro posse nostro semper ampliaremus, & ut justitiam faceremus omnibus oppressis & injuriam patientibus, & ut dignis supplicio nunquam parceret oculus noster, juxta juris æquitatem & rigorem sub temperamento justitiæ & misericordiæ in omnibus negotiis nostris procedendo; sicque nos post ipsam electionem nostram per continuas decem septimanas sine contradictione fuimus in imperij quieta possessione. Medio quoque tempore cum maximo & gloriosissimo exercitu ad sedem Aquensem pro recipienda corona ire volentes, astutia & dolis adversariorum nostrorum circumventi, exercitum nostrum remisimus, accepto cautè prius ab eis sacramento quòd etiam ipsi in nos vota sua deberent transfundere. Cùmque nos ipsi sic decepissent, recepta multa pecunia à Rege Angliæ, qua magni viri sæpe corrupti sunt, consanguineum nostrum Dominum Oddonem Comitem Pictaviæ elegerunt. Hæc de processu electionis nostræ in fide veritatis, licet, ut putamus, multotiens vobis aliter suggestum sit, vera esse non dubitetis. Ceterùm de Domino Luipoldo hoc scitote. Contigit statim post mortem Conradi Maguntini Archiepiscopi nos venisse Maguntiam & ejus interesse sepulturæ. Et tunc concordi & unanimi electione cleri, accedentibus votis ministerialium & omnium eorum quorum intererat & assensu & mirabili clamore populi, ipse Luipoldus fuit electus, sic quòd nobis præsentatus. Et quia nostrum non est discutere de Episcoporum electione, tantummodo ut ipsa sit concors & unanimis, de regalibus eum investivimus. Postmodum Dominus Sifridus apud Pingwiam, ut verè putamus, à tribus vel ad plus à quatuor se permisit eligi. Sed cùm nos à dilecto fideli nostro Vvolkero Patriarcha Aquilegensi & à latore præsentium venerabili Priore * voluntatem vestram intelleximus, statim concepimus animum dimittendi Luipoldum ob honorem & reverentiam sanctitatis vestræ & ob dignitatem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam nos recognoscimus esse matrem & dominam omnium Ecclesiarum, & quam nos semper revereri volumus & honorare, sicut matrem nostram catholicam & apostolicam, & pro posse & viribus nostris eam semper defendere volumus & efficaciter suæ intendere exaltationi. Ita quoque volumus dimittere Luipoldum ut & vos inspecto honore imperij, cujus exaltationi & honori vos tenemini, plenitudine auctoritatis quæ apud vos est Dominum Sifridum cessare faciatis; & nos tunc ad voluntatem vestram & pro honore vestro ipsum Dominum Sifridum in gratiam nostram recipiemus, quamvis in multis gravissimè ipse nos offenderit, & vel in curia nostra honorificè tenebimus eum, vel de bonis nostris honestos redditus sibi assignabimus quousque nos provideamus ei in loco magnæ & honestæ dignitatis, accedente ad hoc auxilio vestro & apostolica auctoritate. quod, ut putamus, fieri posset in brevi. Ad hæc, sicut petistis, pro reverentia vestra, & licèt nobis non multùm esset honorificum vel expediens, inter nos & Dominum Oddonem treugas libenter admisissemus, si præfati nuntij vestri usque ad eum pervenisse potuissent. Præterea pro reformanda pace & concordia inter vos & nos, inter sacerdotium & imperium, quam nos semper desideravimus, subjiciemus nos vestris Cardinalibus & nostris Principibus, qui tales sint qui, ut viri catholici, pacem & concordiam sine omni scrupulo dolositatis debeant affectare. Item si nos in aliquo vos vel sacrosanctam Romanam Ecclesiam offendisse videmur, nos ad satisfaciendum vobis supponimus nos vestris Cardinalibus & nostris Principibus, qui vobis & nobis & familiares sint, viri probati & perfecti. Si verò vos in aliquo nos vel imperium læsisse videmini, nos pro honore Domini nostri Iesu Christi, cujus vicem in terris geritis, & ob reverentiam beati Petri principis Apostolorum, cujus vicarius estis, & ob salutem nostram, conscientiæ vestræ super iis vos relinquimus. Cùm enim nos piè credamus & ante passionem & post passionem Dominum nostrum

* Camaldulensi

Iesum Christum beato Petro Apostolo claves regni cœlorum commisisse & tradidisse jus ligandi atque solvendi, scimus & protestamur quòd vos, qui in locum suum cum plenitudine potestatis successistis, in hujusmodi articulis ab homine non estis judicandus, sed judicium vestrum soli Deo reservatur; cujus judicium & examen, quod sibi soli debetur, nobis non quærimus usurpare. Ad hæc, Pater sanctissime, quòd nos putamur à quibusdam æmulis nostris fuisse excommunicationi innodati ab antecessore vestro, nunquam verum esse sensimus, & tantum præsumimus de nota honestate vestra & prudentia quòd si super hoc testimonium vestrum invocaremus, vos hujus rei diceretis nos esse innocentes. quod utique verè dicere possetis. Et utinam apud Ecclesiam triumphantem ab omni vinculo secretæ excommunicationis nos sciremus esse solutos, sicut apud Ecclesiam militantem, cujus nos membrum esse confidimus, verè scimus nos nullomodo unquam manifestè fuisse ligatos. Super omnibus autem aliis quæ nobis objecta decreveritis, sicut devotus filius vester obedienter nos discretioni & ordinationi vestræ submittemus. Confidimus quoque in Domino quòd manifestata vobis tota veritate, & cùm plenè vobis constiterit quòd multa falsa de nobis sæpissime vobis sunt gesta sunt, vos in intimis visceribus paternæ vestræ dilectionis nos colligendo, pio nos adhuc affectu diligere debeatis, & cùm sciveritis obedientiam & devotionem nostram, quam nos vobis ut carissimo patri nostro spirituali cum omni humilitate procurabimus exhibere. Scimus quoque verissimè quòd in omni nostra tribulatione nunquam adhuc vos vel sacrosanctam Romanam Ecclesiam dictis vel factis offendimus, quod etiam, Deo dante, nunquam faciemus. Ceterùm verbis latoris præsentium fidem firmam adhibere dignemini.

AQVILEGENSI PATRIARCHÆ.

Epist. 137. DIgnas fraternitati tuæ gratiarum referimus actiones quòd circa Principem illum

* Philippum. * quem nosti mandatum nostrum fideliter exequi studuisti, credentes quòd, quantum in te fuit, nihil apud eum omisisti de contingentibus, quamvis ex iis quæ tibi mandata fuerunt aliqua videaris apud alios omisisse. Responsionem autem ipsius gratam in multis habemus, tum quia sapit catholicam veritatem, tum quia piam devotionem ostendit. Veruntamen in facto Ecclesiæ Maguntinæ nec justè nec honestè respondit; quia, sicut ex ipsius scripto perpen-

Vide epist. 136. ditur manifestè, sic vult dimittere Liupuldum intrusum ut & nos Siffridum Archiepiscopum faciamus omninò cessare. quod quàm sit iniquum, frivolum, & absurdum, tua, sicut credimus, fraternitas non ignorat. Nos igitur postquam correctionem ipsius diutiùs expectavimus, cumque fecimus frequentiùs admoneri, super hoc auctore Domino procedemus sicut viderimus expedire. Illud autem habemus acceptum quòd inter ipsum & adversarium suum treuguas libenter, ut asserit, admisisset, si ad illum nostri potuissent nuntij pervenisse. Cùmque nos ad pacem imperij aspiremus, suggerimus alteri parti ut treuguas non solum recipiat, sed exposcat, & tu, venerabilis frater in Christo, sicut pacis amator, suggeras Principi memorato ut cùm treuguæ fuerint postulatæ, illas sine difficultate concedat; quatenus nos ex illis occasionem & materiam assumamus ad pacem imperij salubriter procurandam, quam utique toti orbi Christiano necessariam reputamus. Datum &c.

ILLVSTRI REGI OTTONI.

NOverit regalis prudentia quòd nos Patriarcham Aquilegensem ad Philippum Ducem Sueviæ destinavimus, ut moneret illum ex parte nostra ne Liupuldum quondam Vvarmaciensem Episcopum, Maguntinensem intrusum, damnatum & excommunicatum à nobis, foveret, sed ab ejus favore cessaret; alioqui post expectationem & commonitionem procederemus in ipsum sicut ratio postularet. Eidem etiam Patriarchæ dedimus in mandatis ut induceret ipsum Ducem ad treuguas tecum & cum Coloniensibus componendas; quia, sicut venerabilis frater noster Cameracensis Episcopus nobis suggessit, ipsæ treuguæ, præsertim hoc tempore, necessariæ tibi forent. Philippus autem per litteras suas nobis in hæc verba respondit, quòd licèt nec honorificum nec expediens sibi esset, pro reverentia tamen nostra treuguas hilariter admisisset, si ad te nostri potuissent nuntij pervenisse. Monemus igitur celsitudinem tuam & exhortamur in Domino quatenus si tibi & parti tuæ videris expedire, significes illi quòd ad mandatum nostrum treuguas recipere sis paratus, & si forsan ipse consenserit, ineas treuguas saltem unius anni cum ipso; ex quibus materiam assumentes nos, ad pacem imperij meliùs intendamus. Tu ergo de plenitudine gratiæ nostræ securus, prudenter & constanter agere non desistas, non acquiescens immissionibus quæ solent fieri per angelos malos. Datum &c. Epist. 138.

SALZEBVRGENSI ARCHIEPISCOPO.

AD universa capitula quæ per tuas nobis litteras expressisti cogimur respondere, Epist. 139. ne possimus de inconstantia vel duritia seu etiam injustitia reprehendi. Primum capitulum fuit, ut tuis verbis utamur, quòd multorum didicisti relatu; immo Legatorum nostrorum tibi assertio patefecit, quòd inter nos & Philippum medium constituimus Patriarcham Aquilegensem verborum pacis & concordiæ portitorem. Ad hoc tibi veraciter respondemus quòd etsi, quantum in nobis est, cum omnibus hominibus juxta verbum Apostoli pacem volumus habere, non tamen præfatum Patriarcham ad Philippum Ducem Sueviæ destinavimus ut inter nos & ipsum pacem tractaret, sed principaliter ut ipsum ex parte nostra moneret quatenus fovere desisteret Liupuldum Maguntinensem intrusum, damnatum & excommunicatum à nobis, & ab ejus favore cessaret; alioquin post expectationem diutinam & commonitionem præmissam procederemus in ipsum prout canonica censura deposcit; secundariò injungentes eidem ut præfatum Ducem induceret quatenus cum Rege Ottone treuguas iniret, per quas meliùs intendere possimus ad pacem imperij, quam utique affectamus. Si quis ergo jactavit contrarium ut de duobus prædictis unum extolleret & alterum infirmaret, mentita est iniquitas sibi, nec dolosa fallacia prævalere poterit simplici veritati. Secundum capitulum fuit, quòd non sinit ratio nec discretionis patitur ordo ut Domino arma ponente, servus pugnam non

deserat, sed gerat se, quod non decet, domino fortiorem. Et ad hoc tibi taliter respondemus, quòd arma nostra, quæ non materialia sunt ab homine, sed spiritualia sunt ea Deo, nec hactenus deposuimus nec amodo deponemus, illo nos misericorditer protegente qui si fuerit nobis adjutor, non timebimus quid faciat nobis homo. Non enim fortitudinem nostram ponimus in ensibus Regis Ottonis, sed in clavibus Simonis Petri; cui veritas ait, quæ mentiri non novit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam; & tibi dabo claves regni cælorum &c.* Illius enim, licèt indigni, vicem gerimus & locum tenemus qui circa passionem audivit à Domino: *Sathanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; sed ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Videas ergo, frater, ne tu sis expetitus à sathana, ut sicut triticum ab illo cribreris; quia fides nostra non deficit, sed ad bonum & in bono te potiùs confirmamus; quamvis non tanta sit pugna de qua mentionem fecisti ut plusquam nimis oporteat te timere; quoniam etsi præfatum Ducem personaliter non sequaris ad pugnam, in omnibus tamen aliis diceris efficaciter illi favere, nec ipse tantum desiderat corporale sibi juramentum præstari quantum acceptat fidele sibi obsequium exhiberi. Tertium verò capitulum fuit, quòd repetitas sæpe preces recepimus ut dignaremur tibi obligationis vinculum relaxare quo nobis es in facto imperij obligatus. Sed & nos ad hoc tibi respondemus hoc modo, quòd preces hujusmodi repetitæ non sunt ex illis de quibus veritas ait: *Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Utinam non sint ea illis de quibus Dominus ait: *Nescitis quid petatis.* Quod sequens capitulum innuit, quo dixisti quod expediret tibi eò tendere quò jam omnium vota Principum transierunt; & si plurium, non tamen omnium, & si voces, non tamen vota. Quòd si vota etiam plurimorum non sequeris, ait Dominus, turbam ad malum, putasne quòd foveat pars illa justitiam, & custodiat honestatem? An oblitus es rationum quas à nobis audisti? Quidam autem, ut nosti, quia declinaverunt, jam inutiles facti sunt, & digna pro meritis stipendia receperunt. Aliorum, etsi dilatum, non tamen est sublatum judicium; quia nisi cessaverit causa, non cessabit effectus. In quarto capitulo admiratus cur hoc tibi negetur quod Legato nostro & legationis tempore licuit Patriarchæ. Nos autem ex hoc capitulo admiramur ampliùs; tum quia super tali legatione te non decuit alicui æmulari, nec nobis tacitè insultare quòd talem præelegimus in hac legatione personam. Novit enim ille qui nihil ignorat quòd nos proposueramus te illi collegam adjungere. Sed quia legatio non videbatur memorato Principi favorabilis, nisi quatenus propter aliquos roborandos & alios infirmandos simulatoriè gloriatur quòd nos legationem mittamus ad ipsum, ut ab eo quæ pacis sunt requiramus, non detrahendo tibi, sed providendo, hujusmodi propositum mutavimus ad cautelam. Etsi prædictus Patriarcha, quem tu Legatum nostrum appellas, contra primum & principale propositum nostrum aliquid egit, id ex nostra sibi concessione non licuit, sed illud ex sua temeritate forsitan attentavit. Ex quinto verò capitulo, quo dixisti quòd hæc exempla & multa similia quæ in tua quotidie leguntur præsentia suadere tibi non possunt nec poterunt ut manus tuæ ad id se velint extendere quod nostra eis indulgentia non concessit, gratiarum tibi referimus actiones, commendantes in te prudentiam, devotionem, & fidem quòd nullorum tibi exemplis persuaderi potest aut poterit quòd manus tuas velis extendere ad id quod tibi non sit ea indulgentia nostra concessum. Præfers enim, ut debes, spiritualia temporalibus, & subicis humana divinis, optimam partem eligens, quæ non auferetur à te. Oportet tamen nos aliquid per antiphoram respondere propter id quod de multis exemplis tangere voluisti, tamquam illud quod de Babembergensi Episcopo fecimus velis deducere in exemplum. Sed in veritate cognoscas quòd non remisimus illi pœnam nisi postquam satisfecit de culpa. Nam plus obligavit se postmodum quàm negavit primùm. Sed mandatum facere sibi distulimus, cùm in proximo debeat nostro se conspectui præsentare pallium & privilegium recepturus. Ex prædictis itaque plenè potes & planè nostram cognoscere voluntatem & intelligere quid agere debeas, quid vitare. Ponas igitur semper ante oculos mentis tuæ quòd prædecessores tui Salzburgenses Archiepiscopi prædicantur fuisse viri religiosi, honesti, providi, fideles, veraces, & fortes; ut eorum vestigia imiteris in merito quibus in officio successisti. Si verò pro pace imperij aliqui fuerint ad nostram præsentiam destinandi, gratum nobis existet si tu cum eis fueris destinatus. Datum &c. Vide infrà epist. 181. & lib. 12. epist. 118. & seqq.

LITTERÆ PHILIPPI
Ducis Sueviæ.

Epist. 140.

REverendo in Christo Patri Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Philippus Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, salutem & cum omni reverentia filialis dilectionis affectum. Dilectum ac familiarem nostrum Vualterum venerabilem Aquilegensem Patriarcham & præcipuum imperij Principem, unà quoque cum ipso alios fideles ac familiares nostros G. Burgravium Magdeburgensem, Henricum de Smalinecht, & Evihardum de Lutra præsentium latores, à latere nostro ad vestram destinavimus sanctitatem: quibus dedimus plenitudinem potestatis & auctoritatem omnimodam inter Ecclesiam & imperium & inter vos & nos pacem & concordiam reformare, & periculosam regni & sacerdotij scissuram feliciter restaurare. Prædictos itaque nuntios, quos ad tam excellens factum idoneos reputavimus, ad vos accedentes à vestra hilaritate postulamus recipi paternitate; rogantes attentiùs & commonentes quatenus omnibus his quæ ex parte nostra prudentiæ vestræ intimaverint fidem & certitudinem dignemini adhibere. Ipsi enim à nostra sublimitate tali modo & eo fine recessere quòd sacrosancta Romana Ecclesia semper in nobis tamquam mater in filio sinceram dilectionem & debitam inveniet devotionem, dum tamen nos ejus & vestrum aliquando sentiamus affectum. Quæcunque etiam præfati nuntij nostri pro nobis polliciti fuerint, ut Romanæ Ecclesiæ benevolentiam habeamus & favorem, nos parati sumus gratanter eadem affectu prosequente complere & ipsorum ordinationem per omnia gratam habere & inconcussam.

VNIVERSIS TAM ECCLESIASTICIS quàm ſecularibus Principibus Alamanniæ.

Epiſt. 141. AD deſignandam onitatis concordiam & concordiæ unitatem quæ inter regnum & ſacerdotium eſſe debet, Moyſes in veteri lege regnum ſacerdotale prædixit, & Petrus in nova regale ſacerdotium appellavit. Mediator quoque Dei & bominum Deus homo Chriſtus Ieſus per aſſumptæ carnis origiuem de regali ſimul & ſacerdotali ſtirpe proceſſit ſecundùm ordinem Melchiſedech, in æternum Rex pariter & ſacerdos, qui ſecundùm Apoſtolum aſſimilatus per omnia Dei filio, Rex Salem & ſacerdos altiſſimi legitur extitiſſe. Hi ſunt equidem duo gladij, de quibus Dominus ſatis eſſe reſpondit. Hæc ſunt duæ ſpecioſæ columnæ in templi porticu conſtitoræ, quas ambit linea duodecim cubitorum. Hæc ſunt in firmamento cœli luminaria duo magna, quæ ſuis vicibus diem & noctem illuſtrant, videlicet pontificalis anctoritas & regalis poreſtas; quæ ſi concordi fuerint amicitia & amica concordia coünitæ, profectò ſol & luna in ordioe ſuo ſtabunt. Vtinam autem, ſicut eſt vetus, ſic eſſet inveterata ſciſſura quæ tam in ſacerdotio quàm in regno & in regno ſimul ac ſacerdotio frequenter evenit; ſicut non ſolùm veteribus, ſed & novis declaratur exemplis. Sommo ſiquidem Pontifici Aaron in ipſo quaſi principio Levitici ſacerdotij Dathan & Abiron cum Chore ac complicibus ſuis ſuſcitaverunt ſcandalum & ſchiſma moverunt. Regnum quoque primi Regis Hebræorum Saülis juxta verbum Samuëlis eſt ſciſſum, inuncto in Regem David filio Yſai; ac demum poſt obitum Salomonis inter Roboam & Ieroboam diviſum eſt regnum; fanoque pariter & altari conſtructis, duo ſunt vituli aurei conſtituti, unus in Dan, & alter in Bethel; & ſic etiam ſacerdotium eſt diviſum. Modernis quoque temporibus diviſum eſt ſimul regnum & ſacerdotium, oppoſito contra Lotharium Regem Conrado, & contra Papam Innocentium Anacleto. Deinde regno in unitate manente, ſchiſma diviſit Eccleſiam, ſchiſmatico illo qui ſe Victorem dicebat Alexandrum catholicum impugnante. Nuper autem viris illuſtribus, Philippo videlicet & Ottone, ad invicem diſcordantibus, dum Eccleſia in unitate perſiſteret, imperium in ſciſſura manebat. De qua profectò ſciſſura quot incommoditates & mala, quot anxietates & pericula imminerent univerſo populo Chriſtiano, nedum lingua referre, vix mente ſufficimus cogitare. Vt enim effectus miſeros ſeu potiùs miſerabiles hujus cauſæ defectus à publicis calamitatibus ordiamur, hinc impeditur terræ ſanctæ ſuccurſus, dum trucidantibus ſe invicem Chriſtianis, ſævientibus in eandem Chriſti non reſiſtitur inimicis; hinc iniquitas oritur, moritur juſtitia, pietas relegatur, evaneſcit religio, fides perit, hæreſes invaleſcunt, vaſtantur ſegetes, fames inducitur, egeſtas augetur, committuntur incendia, ſacrilegia fiunt, homicidia perpetrantur, truncantur homines, ſpoliantur viduæ, virgines corrumpuntur, opprimuntur pauperes, itinera obſidentur, & per malefaciendi licentiam, terra malefactoribus circumquaque repletur. Super quibus nos, ejus imitando veſtigia qui omnium viſcera in ſe gerens aiebat, *Quis ſcandalizatur & ego non uror*, paterno condolentes affectu, ſi forſan ſommi ſacerdotis exemplo, qui reconciliatio factus eſt in tempore iracundiæ, hujuſmodi poſſemus reconciliare ſciſſuram, ad reſtaurandam concordiam in imperio & ſtabiliendam inter ipſum & Eccleſiam veram pacem diligens ſtudium & operam impendimus efficacem, & ad hoc ſpecialiter exequendum venerabilem fratrem noſtrum Hugolinum Oſtienſem Epiſcopum & dilectum filiom Leonem tituli ſanctæ crucis Preſbyterum Cardinalem apoſtolicæ ſedis Legatos in Theutoniam deſtinamus. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatenus eorom ſalubribus monitis & mandatis humiliter intendentes, tales vos erga ipſos exhibere curetis quòd nos devotionem veſtram debeamus meritò commendare; ſcituri pro certo quòd cùm eos inter ceteros fratres noſtros merito ſuæ probitatis ſpecialiter diligamus, quod fuerit eis factum, reputabimus nobis impenſum.

PROCESSVS LEGATORVM apoſtolica ſedis.

HIc fuit Legatorum proceſſus. Primò receperunt publicè juramentum à Philippo Duce Sueviæ quòd pareret univerſis mandatis Domini Papæ ſuper omnibus pro quibus erat excommunicatus, & ſic eum ſecundùm formam Eccleſiæ ſolemniter abſolverunt. Secundò injunxerunt eidem ut dimitteret Brunonem Colonienſem Archiepiſcopum, quem in captione tenebat; quem liberè abſolutum aſſignavit eidem ad ſedem apoſtolicam perducendum. Tertiò induxerunt illum ad hoc quòd ipſe accepit regalia, licèt invitus, à Luipuldo Maguntino intruſo, & idem intruſus ſpiritualia reſignavit in manibus Legatorum. Quartò apud ipſum obtinuerunt cum difficultate non parva ut permitteret Siffridum Maguntinum Archiepiſcopum per procuratorem ſuum in ſpiritualibus miniſtrare. Quintò fecerunt ipſum dimittere magnum exercitum quem congregaverat adversùs Regem Ottonem. Sextò bis eos ad colloquium perduxerunt tractantes cum ipſis de pace, quam cùm conſummare non poſſent, ſeptimò ſtatuerunt inter eos treugas unius anni; & ſic tractatum pacis redigentes in ſcriptis, ad ſedem apoſtolicam redierunt cum nuntiis utriuſque. Epiſt. 142. Vide Arnold. Lubec. l. 7. c. 6.

PHILIPPO DVCI SVEVIÆ.

POſtquam abſolutionis gratiam per apoſtolicæ ſedis Legatos ſecundùm formam Eccleſiæ percepiſti, ſalutationis & benedictionis tibi litteras deſtinamus, gratias referentes ſuper iis quæ ad exhortationem noſtram prompta devotione feciſti. Sed & nos ad tuum honorem, quantum cum Deo poſſumus, promptam gerimus voluntatem, ſicut dilectus filios frater S... lator præſentium Prior domus Camaldulenſis, vir providus & honeſtus, tibi poterit viva voce fideliter intimare, & ea quæ de ore noſtro veraciter intellexit; ſerenitatem tuam rogantes & exhortantes in Domino quatenus ad pacem imperij reformandam diligenter intendas. Hæc breviter & ſimpliciter tibi ſcribimus, ſicut expedire credimus, ad cautelam. Datum Corneti Kal. Novembris, pontificatus noſtri anno decimo. Epiſt. 143.

HVGOLINO OSTIENSI EPISCOPO & Leoni tituli sanctæ crucis Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 144. LIcèt Luipuldus Episcopus vehementer offenderit, non solùm apostolicam sedem, verùm etiam Ecclesiam generalem, quia tamen redire volentibus nolumus aditum obserare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus recepto ab eo in publico clericorum & laicorum conventu corporaliter juramento quòd universis mandatis nostris parebit super omnibus pro quibus excommunicatus existit, eum secundùm formam Ecclesiæ absolvatis; injungentes eidem ex parte nostra sub debito præstiti juramenti, salvis aliis mandatis quæ sibi duxerimos facienda, ut ex tunc infra mensem iter arripiat ad sedem apostolicam veniendi, quod sine malitia prosequatur donec apostolico se conspectui repræsentet, recepturus & servaturus quæ sibi fuerint ab eadem sede mandata; ea conditione solemniter interjecta, ut si mandatum hujusmodi contempserit infra mensem implere, in excommunicationis sententiam relabatur & ab omnibus arctiùs evitetur; cùm in eo sic flecti velimus nervum ecclesiasticæ disciplinæ ut tamen nullatenus dissolvatur. Credimus autem ei potiùs expedire ut ad præsentiam nostram absolvendus accedat. Datum Corneri, ut suprà.

EISDEM.

Epist. 145. LIcèt Adolphus quondam Coloniensis Archiepiscopus &c. *ut suprà usque* dissolvatur. Provideatis autem prudenter & cautè ne angelus Sathanæ in lucis angelum se transformet, ut hujus absolutionis prætextu contra Coloniensem Ecclesiam malignetur. Datum Corneri, ut suprà.

HVGOLINO OSTIENSI EPISCOPO & Leoni tituli sanctæ crucis Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 146. REcepimus litteras vestras, & quæ significastis per eas notavimus diligenter, discretioni vestræ breviter rescribentes quòd ex quo Princeps petit & rogat, subeatis laborem ad nostram præsentiam revertendi, monentes eundem ut animum propensiùs inclinet ad pacem, quia longè majora de pace provenient quàm flagitentur pro pace; nuntios autem dirigat providos & fideles quibus super iis quæ spectant ad pacem & voluntatem aperiat & tribuat potestatem; ad hoc ipsum alterum Principem inducentes, ut utrinsque nuntiis vobiscum præsentibus tractatus pacis possit habere progressum; qui ne valeat impediri, procuretis ut treugæ firmiter observentur. Ad plenariam verò liberationem venerabilis fratris nostri Brunonis Coloniensis Archiepiscopi efficaciter intendatis, & committatis procurationem Ecclesiæ ac diocesis Maguntinæ alicui viro provido & fideli, qui ad mandatum nostrum de procurationis officio debeat respondere, congruam redditurus tam de spiritualibus quàm de temporalibus rationem; ut sic interim & necessitati Ecclesiæ consulatur, & jus Archiepiscopi conservetur, ita quòd ad suffraganeos & eorum Ecclesias se ipsius procuratio non extendat. De negotio verò Trajectensis Episcopi nondum ad plenum deliberare potuimus propter absentiam creditorum; quos tamen in proximo expectamus, & tunc remittemus cursorem pro eodem negotio destinatum.

EISDEM.

LIcèt tractatus pacis nondum ex toto potuerit consummari, quia tamen per Dei gratiam & sollicitudinem vestram multùm est in illo processum, discretionem vestram rogamus attentiùs & monemus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ad bonum pacis adhuc propensiùs insistatis secundùm formas quas vobis duximus præfigendas. Non est enim aliquatenus admirandum si tantum negotium tam citò consummari non potuit, quoniam & magnum ædificium non potest in brevi tempore ad consummationem perduci. *Epist. 147.*

EISDEM.

LArgitori omnium gratiarom grates referimus copiosas quòd tantam vobis tribuit gratiæ largitatem ut injunctum vobis legationis officium onus non mediocre continentis prudenter & honestè geratis, sicut laudabile vobis testimonium perhibetur, & ipse rerum protestatur effectus. Licèt autem hoc propter Dominum principaliter procuretis, quia tamen etiam propter nos specialiter vos id agere minimè dubitamus, præter retributionem divinam, nostram quoque fiducialiter expectetis, præsertim cùm pro certo sciamus vos manus vestras ab omni turpi munere penitùs excussisse. Ne verò super litteris illis quas nuntij vestri perdidisse dicuntur nimia vos sollicitudo conturbet, tenorem earum præsentibus vobis litteris mittimus interclusum, ut nullatenus doleatis si etiam ad manus Principis eædem litteræ devenissent; cùm in iis nihil reperiatur reprehensione dignum, sed laude, satisque per illas appareat quòd non in duplicitate dolosa, sed in pura simplicitate procedimus, non declinantes ad dexteram vel sinistram. Vos igitur secundùm tenorem hujusmodi procedatis quantò cautiùs videritis expedire, scientes quòd nos ipsum venerabili fratri nostro Spirensi Episcopo duximus intimandum, ut liberiorem super eo possitis habere processum. Quia verò super negotio regni Siciliæ nihil adhuc nobis rescribere procurastis, nolentes forsan illud litteris commendare, devotionem vestram monemus attentiùs quatenus super illo geratis sollicitudinem diligentem, nihil de contingentibus omittentes; ut cùm Deo duce ad nostram præsentiam redieritis, super omnibus nos possitis reddere certiores. *Epist. 148.*

EISDEM.

LIcèt apud districtissimum judicem de nostris meritis diffidamus, de ipsius tamen benignissimi patris pietate confidimus quòd non secundùm peccata nostra, sed secundùm suam misericordiam nos respiciet propter nomen suum sanctum & gloriosum, quod invocatum *Epist. 149.*

est super nos, in illis præcipuè quæ per vos sine fuga duplicitatis pura intentione tractamus. Illa quippe veritatis promissio dicentis ad Simonem, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, quasi firmissima spei anchora navem Ecclesiæ per pelagus hujus seculi sic deducit ut nec demergatur in Scyllam, nec incidat in Charybdim, quantumlibet quatiatur interdum inter turbines & procellas. Ea igitur quæ nobis de perfido VValdemaro scripsistis, licèt proposito vestro videantur adversa, speramus tamen in eo cui venti & mare obediunt imperanti quòd prospera vobis fient & convertentur in bonum, quemcunque assumptum negotium exitum sortiatur. Vnde spem in illo ponentes qui beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, dicens ad illum, *Modicæ fidei, quare dubitasti*, ut doceret indubitatam semper de ipso fidem esse tenendam, injunctum vobis legationis officium exequamini, tam super hoc quàm etiam super aliis Domino inspirante facturi quod ad honorem & profectum Ecclesiæ videritis expedire, illud semper habendo præ oculis quod Dominus discipulis suis ait: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. quod & nos præ oculis habere studemus. Luipuldum verò noveritis apud Senas hostilibus actibus implicatum, ad nostram præsentiam non venisse; cujus insolentiam & stultitiam diligenter Principi exponatis, vestrum nobis significaturi progressum quotiens oportuerit; ut nostris instructi consiliis & exhortationibus roborati, securiùs procedatis ad ea quæ vobis frequenter occurrent.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN Augustum electo.

Epist. 150. Litteras tuæ serenitatis accepimus, & quæ continebantur in eis notavimus diligenter, super eis opportuno tempore processuri sicut viderimus expedire. Quia vero adversarius tuus solemnes nuntios ad præsentiam nostram disposuit cum Cardinalibus destinare, prudentiam tuam sollicitam reddimus & attentam ut & tu nuntios tuos providos & fideles mittere non omittas, ne tuum remaneat negotium indefensum; satisque poteris illis venerabilem fratrem nostrum Cameracensem Episcopum in procuratione negotij sociare, quem profectò devotum tibi novimus & fidelem.

EIDEM.

Epist. 151. Affectum dilectionis & gratiæ quem ad tuam regalem personam habuimus & habemus non oportet nos verbis exprimere, cùm hactenus operibus expresserimus, & amodo etiam exprimere intendamus, in tantum ut nuntiij partis adversæ publicè conquerantur quòd dominus eorum meliorem potuit tecum pro se quàm possit nobiscum pro te compositionem inire. Quid autem tractatum sit & dispositum per nostros Legatos & tuos nuntios in brevi tibi curabimus intimare, quorum adventum cum gaudio præstoleris.

DOMINO PAPÆ.

Sanctissimo Patri suo & Domino Innocentiu divina providentia summo Pontifici, Hugolinus miseratione divina Ostiensis & VVellerrensis Episcopus, cum debita devotione salutem. Cùm essem Mantuæ, ibique Dominum * Cardinalem corporis infirmitate gravatum per dies aliquot expectassem, feria secunda proxima post festum Apostolorum Petri & Pauli de morte Domini Philippi graves invaluere rumores; eademque die mercatores Placentini qui mercimoniis suis à Comite Hugone de Munfort in ducatu Sueviæ fuerant spoliati, firmiter asserentes Dominum Philippum à Comite Palatino Bavvariæ nequiter interemptum, ad Curiensem Episcopum & Abbatem sancti Galli à me super restitutione direptarum rerum commonitorias litteras impetrarunt. Viatores quoque & peregrini ac litteræ Episcopi, Decani, & Capituli Tridentini Domino Patriarchæ * etiam ejusdem rei seriem concorditer referentes, direptiones & prædæ, occupationes regalium quæ à Comitibus & Castellanis, sicut à multis dicebatur, cœperant exerceri, argumentum maleficij commissi validum inducebant. Tandem cùm ad preces & instantiam Domini Patriarchæ & sociorum ipsius usque Veronam ivissem ut hujus rei cum ipsis certitudinem expectarem, auarius fratris Luipuldi VVarmatiensis, qui ad ipsum Loipuldum quantum poterat properabat, de loco in quo facinus fuit commissum se venisse cum festinatione dicebat; qui coram Patriarcha & sociis suis, me præsente, tristis casum tristem exposuit eo ferè modo & ordine quo exprimebatur in litteris Capituli Tridentini per cursorem proprium, quem illuc transmiseram, destinatis. Dixit enim quòd Sabbato proximo ante festum sancti Iohannis Baptistæ, quo treugas interpositas Dominus prævideral non sine alterius exterminio terminari, Dominus Philippus cum paucis de familia sua, exercitu in campo dimisso, civitatem Papenbergensem intravit, eoque hora nona in palatio Episcopi quiescente, dictus Palatinus Comes, cui Dominus Philippus filiam dederat & abstulerat, cum Duce Bavvariæ & Marchione Istriæ fratre ejusdem Episcopi & aliis decem viris armatis palatium in quo Dominus Philippus erat ingressus, pulsansque ad ostium cameræ, more admittitur consueto; à quo cùm Dominus Philippus verba jucunda & joculatoria, sicut consueverat, expectaret, ille statim cultellum quo erat accinctus exeruit, & Domino Philippo gladio ludere prohibenti respondit, *Non erit hic tibi ludus*: & incontinenti, Dei timore postposito, ipsum transfodit gladio, & Henrico * imperij Senescalco facinus prohibere volenti lethale vulnus infligens, eum quem jam occiderat timens vivere jugulavit, & sic homicida fautorum suorum auxilio munitus exiliit, ac piaculare flagitium, toto jam dissoluto exercitu, adhuc, sicut Domino placuit, extitit impunitum. Officio igitur legationis injunctæ judicio divini numinis expirante, ad vos cum festinatione regredior; à quo invitus, licèt obedire non renuens, sum egressus.

Epist. 152.

* Leonem tit. S. crucis

* Aquilegensi

Vide Arnold. Lubec. lib. 7. c. 14.

* Vide Cæsar. Heisterb. lib. 6. c. 26.

ILLVSTRI REGI OTTONI in Romanorum Imperatorem electo.

Novit ille qui scrutator est cordium & cognitor secretorum quòd personam tuam de corde puro & conscientia bona & fide non ficta diligimus & ad honorem & profectum tuum efficaciter aspiramus, sicut opera manifestant quæ pro te non dubitavimus exercere. Licèt autem te deseruerint quasi solum amici pariter & propinqui, nos tamen in tua dilectione constantes, ea studio diligenti non destitimus operari quæ secundùm tempus tibi credimus expedire, vigilantes pro te quando tu forsitan dormiebas; quin etiam propter te multa passi sumus adversa, quæ nec etiam tibi voluimus intimare cùm adversitas te premebat. Quidam enim civium Romanorum adversarij tui corrupti pecunia gravem seditionem adversùs nos commoverunt in urbe, consanguineis nostris Epist. 153.

multa damna & opprobria inferentes, nosque non sine multis & magnis expensis seditionem populi potuimus mitigare. Nunc autem adversario tuo sublato de medio, ne contra te alius suscitetur, quamvis nepos ipsius jam tibi adversarium se opponat, diligenti studio præcavemus, ad promotionem tuam efficaciter intendentes, sicut apostolica scripta testantur, quæ pro te diversis personis super variis articulis destinamus. Tu ergo, fili carissime, benignitatem & humilitatem cunctis ostendens, honorem & gratiam exhibeas universis, à sermonibus asperis & injuriosis operibus abstinendo; nec in concessionibus durus, nec in promissionibus sis avarus, fideliter tamen observans utrasque; quia non dabis unum pro mille, immo recipies plusquam mille pro uno. Principes quoque tam ecclesiasticos quàm mundanos per idoneam cautionem de omni reddas indemnitate securos, ad gravitatem & consuetudinem regiam te informans. Personam verò tuam cautè custodias, & torpore deposito, sollicitudinem geras in omnibus vigilantem. Si verò tibi videris expedire, ad consummationem matrimonij jam tractati * securè procedas; super quo nos matri puellæ, Patriarchæ, Aquilegensi, & Henrico de Calandrino, nec non & Henrico de Massech, nostras litteras destinamus. Super altero verò conjugio, si tibi & imperio expedire cognoveris, tuum nobis non differas beneplacitum intimare, de plenitudine gratiæ nostræ securus quòd ad omnia quæ tibi noverimus profutura diligens studium impendemus & operam efficacem; sicut dilectus filius magister Henricus nuntius tuus regali prudentiæ poterit exponere viva voce, qui diligentiam & sollicitudinem nostram, propositum & affectum quem circa te gerimus, plenissimè intellexit.

* cum filia Philippi Beatrice. Vide infrà epist. 169. 178. 181. 182.

ARCHIEPISCOPO ET EPISCOPIS suffraganeis Magdeburgensis Ecclesiæ.

Epist. 154. CVm dissensionis materia quæ peccatis exigentibus hactenus in imperio pullulavit nimis damnosa fuerit, non tantùm Romano imperio, verùm etiam toti populo Christiano, nos, qui ad regimen universalis Ecclesiæ superna sumus dispositione vocati, diligenti debemus sollicitudine præcavere ne per alicujus insolentiam reviviscat, quæ per divinum judicium est sublata, quamvis illud crudele facinus detestemur quod à filiis Belial nequiter est commissum. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus & in virtute obedientiæ districtè præcipimus quatenus ad pacem imperij fideliter intendentes, nullatenus permittatis, quantum pro viribus impedire potestis, ut quisquam de novo eligatur in Regem, ne fiat novissimus error pejor priore. Vt autem omnis tollatur occasio malignandi, nos tam vobis quàm aliis Archiepiscopis & Episcopis sub interpositione anathematis auctoritate apostolica interdicimus ne quis alterum inungere vel coronare præsumat; ita ut ipso actu excommunicatus existat quicunque contra hoc apostolicum interdictum de novo præsumpserit impendere vel suscipere hujusmodi sacramentum; sciatque se dignitatis & ordinis periculum incursurum si quis in hac parte præsumpserit nostrum violare mandatum.

In eundem modum Archiepiscopo & Episcopis suffraganeis Ecclesiæ Maguntinæ.

In eundem modum Archiepiscopo & Episcopis suffraganeis Ecclesiæ Coloniensis.

In eundem modum Archiepiscopo & Episcopis suffraganeis Ecclesiæ Salzburgensis.

In eundem modum Archiepiscopo & Episcopis suffraganeis Ecclesiæ Trevirensis.

In eundem modum Episcopis suffraganeis Ecclesiæ Bremensis.

Item Patriarchæ Aquilegensi & suffraganeis ejus.

VNIVERSIS PRINCIPIBVS TAM ecclesiasticis quàm mundanis in Theutonia constitutis.

CVm dissensionis materia &c. *usque* Quocirca universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, & in remissionem peccaminum injungentes, quatenus ad pacem imperij fideliter intendatis, consentientes dispositioni divinæ, quæ circa carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem evidenter elucet, eique ad regendum imperium efficaciter assistatis; ne si secus à quoquam damnabili fuerit occasione præsumptum, præter divinam offensam, apostolicam quoque censuram incurrat. Nos enim eidem Regi, quem divino judicio credimus approbando, nostrum in hac parte judicium approbante, parati sumus ad honorem & exaltationem imperij favorem & auxilium impertiri; cùm credamus quòd & ipse ad honorem & exaltationem Ecclesiæ studium velit & operam adhibere; ita quòd eo faciente qui est actor unitatis & pacis, diebus nostris utrumque per alterum optatum suscipiet incrementum. Epist. 155.

ILLVSTRI REGI BOEMIÆ.

SIcut nuntiis & litteris tuis nobis multotiens intimasti, ab obsequio carissimi in Christo filij nostri Regis Ottonis illustris non voluntas, sed necessitas, te subduxit, integram ei fidem servans in pectore, quam non poteras in opere demonstrare. Cùm ergo jam ipsa necessitas divino judicio sit sublata, excusationem honestam prætendere non valeres, si ei de cetero non impenderes auxilium & favorem. Tu ergo, fili carissime, divinæ dispositioni consentiens, quæ causam ipsius Regis evidenti judicio approbavit, nostrum in hac parte judicium approbando, patenter & potenter eidem adhæreas, fidem ei præstitam conservans illæsam; ut per hoc divinam & apostolicam gratiam uberiùs merearis. Alioquin, præter divinam offensam, apostolicam quoque censuram incurreres; cùm eidem Regi nolimus in suo jure deesse, qui sumus omnibus in sua justitia debitores. Epist. 156.

In eundem modum nobili viro Langravio Thuringiæ.

In eundem modum Duci Brabantiæ, principio sic mutato: Certa multorum relatione didicimus quòd ab obsequio &c.

In eundem modum aliis Principibus qui præfato Regi aliquando adhæserant.

SALZBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 157. CUm dissensionis materia &c. *ut in alia usque* sublata. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam; per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes sub debito juramenti quo nobis in hac parte teneris, & in remissionem peccaminum injungentes; quatenus divinæ dispositioni consentiens, quæ circa carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem evidenter elucet, nostrum judicium approbando, ei patenter & potenter adhæreas, impendendo sibi auxilium & favorem, recepta tamen ab eo super indemnitate Salzburgensis Ecclesiæ idonea cautione. Alioquin &c. *ut in alia.*

In eundem modum Maguntino, Treverensi, Coloniensi, & Magdeburgensi Archiepiscopis; & Episcopo Alberstadensi, ita quod unicuique seorsim.

In eundem ferè modum Judicibus, Scabinis, & civibus Coloniensibus. Certa multorum relatione didicimus &c.

NOBILI VIRO DUCI Zaringia.

Epist. 158. CUm dissensionis materia, quæ peccatis exigentibus hactenus in imperio pullulavit, nimis damnosa fuerit, non ipsi tantùm imperio, verùm etiam toti populo Christiano, nos, qui ad regimen universalis Ecclesiæ superna fomus dispositione vocati, diligenti debemus sollicitudine præcavere ne per alicujus insolentiam revivifcat quæ per divinum judicium est sublata, crudele facinus detestantes quod pius animus perhorrescit. Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus divinæ dispositioni consentiens, quæ circa carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem evidenter elucet, nostrum in hac parte judicium approbando, ei patenter & potenter adhæreas, impendendo sibi auxilium & favorem; ut per hoc divinam & apostolicam gratiam uberiùs merearis. Alioquin præter divinam offensam, apostolicam quoque censuram incurreres, cùm eidem Regi nolimus in suo jure deesse, qui sumus omnibus in sua justitia debitores.

In eundem modum Duci Moraviæ, Duci Saxoniæ, Duci Bavvariæ, nobilibus viris vassallis ducatus, Marchioni Misuensi, Marchioni de Brandeburc, Marchioni de Landesberc, Duci Austriæ.

IOHANNI ILLUSTRI REGI Angliæ.

Epist. 159. ECce jam tempus advenit in quo si carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni nepoti tuo curaveris magnificè subvenire, te ipsum magnificare valebis ultra quàm expediat nunc litteris explicare. Cùm igitur ad honorem & profectum tam ipsius Regis quàm tuum, efficaciter aspiremus, serenitatem tuam monemus & exhortamur attentiùs, fideliter consulentes quatenus circa subventionem ipsius te nec durum exhibeas nec avarum, sed taliter et simul ac semel studeas subvenire quod tuo accedente subsidio quod commodè nunc prævalet expediri, per nostræ sollicitudinis studium feliciter consummetur.

LITTERÆ OTTONIS REGIS in Romanorum Imperatorem electi.

REverendo in Christo Patri ac Domino carissimo Domino Innocentio Dei gratia sanctæ Romanæ sedis summo Pontifici, Otto eadem gratia & sua Romanorum Rex & semper Augustus, debitam subjectionem ac reverentiam cum filiali dilectione. Quod hactenus fuimus, quod sumus aut erimus, quantum ad regni pertinet promotionem, totum vobis & Ecclesiæ Romanæ post Deum debentes, quod & gratantissimè recognoscimus, pro omnibus vestræ gratiæ beneficiis uberrimas sanctitati vestræ referimus actiones, erga vos & omnes quibus bonum vobis exhibitam nobis benignitatem studiosissimè semper memorari. Vestræ proinde paternitati attentissimè supplicamus ut intuitu omnis devotionis nostræ & honoris Dei ac vestri ipsius, ac promotionis Ecclesiæ Romanæ respectu, ex quo misericordia Dei, ut speramus, consanguineo nostro sublato de medio, tempus vobis contulit faciendi, etiam vestræ discretionis consilium & auxilium nostræ promotioni, quæ sine dubio vestra est, propensiùs impendatis. Scire præterea vos volumus quod Archiepiscopus Magdeburgensis & Halverstadensis & Mindensis Episcopi ad nostrum auxilium & servitium accesserunt. De Duce Bernardo sciatis nuntios vestros eo die quo has litteras vobis destinavimus cum ipso fuisse, & eo usque cum ipsa actum esse ut eum omnino speremus in nostra fidelitate & servitio permansurum. Præterea noster Palatinus Comes Rheni, Deo gratias, ad nostram integrè rediit caritatem; & ex quo mortuus fuit consanguineus noster, nobis etiam ignorantibus nos in omnibus quibus promovere potuit non cessavit. Spirensis etiam Episcopus nobis securitatem fecit & nostram per omnia studet utilitatem & honorem. Multi præterea Episcopi, Barones, Abbates, & Castellani, & ministeriales tam in Suevia quàm circa partes Rheni superiores & inferiores & aliàs in imperio constituti de suo nobis servitia & fidelitate scripserant, & per fideles nuntios mandaverunt, sed pro angustia temporis & distantia locorum ad nos adhuc corporaliter accedere minimè potuerunt. Orientales etiam Principes diem quendam, videlicet nativitatem beatæ virginis Vvirceburch statuerunt, quasi de imperio ordinaturi, quò & alios Principes venire hortati sunt; & nobis de die & loco mandaverunt. Confisi igitur benevolentiæ vestræ & in omnibus probatæ, iterum devotissimè supplicamus ut sicut nobis & vobis noveritis expedire, generaliter omnibus Principibus, & specialiter ubi necesse vobis visum fuerit & utile, per bonos ac fideles nuntios vestros scribere dignemini, adjicientes preces, consilium, & mandatum; bonam vestram voluntatem omnibus declarantes. Plurimùm autem nobis foret si hæc usque ad diem prænominatam efficere possetis. Archiepiscopos autem Maguntinum & Coloniensem ad nos quantociùs redire faciatis. Civitatibus etiam Italiæ & Tusciæ de nobis scribite, laudantes eas quæ hactenus in nostra & vestra devotione permanserunt, & eas quæ hactenus offendebant nos ad nostrum favorem exhortantes. Rogamus item ut si de Ecclesia Bremensi & ejus electis vobis sive per Regem Daciæ, sive per quemcumque mentio facta fuerit aut petitio, ejus negotij executionem usque ad adventum nuntiorum nostrorum, quos vobis super eo idoneos quantociùs mittemus, differatis, scientes pro certo quia secunda electio, sicut & prior, & contra Deum & contra jus & rationem facta est, & neutrius promotio vel vobis vel nobis noscitur expedire. Super omnia autem nos & causam nostram immo vestram vestro subjecimus consilio & voluntati, certissimi ut quod paternè circa nos cœpistis, in quo benè hactenus perseverastis, ad laudem & gloriam Dei & Ecclesiæ Romanæ & utilitatem optimè perficere debeatis. Epist. 160.

ILLUSTRI REGI OTTONI in Romanorum Imperatorem electo.

PRiusquam ad nos, fili carissime, post occasum Philippi quondam Ducis Sueviæ quisquam ex parte tua nuntius cum litteris pervenisset, peregimus universa quæ post à nobis per Epist. 161.

per tuas litteras postulasti; quin etiam scripsimus multis aliis prout imminenti negotio credidimus expedire, parati semper efficere quæ ad honorem & profectum tuum debeant redundare. Tu ergo de plenitudine gratiæ nostræ securus, non minùs prudenti quàm diligenti studio illa satagas procurare quæ tuæ promotioni conveniunt & saluti, cum in verbis & operibus gravitatem exhibens & cautelam ut in nullo reprehensibilis meritò judiceris. Datum Soræ XIII. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

EIDEM.

Epist. 162. LIcèt antequam ad nos per diversos nuntios tuæ litteræ pervenissent post occasum Philippi omnia peregerimus quæ per easdem litteras postulasti, audito tamen quòd Principes Alemanniæ apud Vvirceburch in nativitate beatæ Mariæ debeant convenire de imperio tractaturi, prorsus per nuntium nostrum cum tuo ad eos litteras apostolicas destinavimus quales promotioni tuæ credidimus opportunas, executorem mandati nostri constituentes dilectum Herbipolensem electum, de quo plenam fiduciam obtinemus. Tu ergo, fili carissime, de plenitudine gratiæ nostræ securus, talem te satagas exhibere ut apud Deum & homines meritò reputeris acceptus. Datum Soræ &c. *ut suprà.*

ARCHIEPISCOPO MAGDEBVRGENSI.

Epist. 163. QVòd carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo sine speciali mandato nostro tuum impendisti obsequium & favorem, sicut idem Rex per suas nobis litteras intimavit, eo præsertim intuitu quòd id nostro reputas beneplacito fore gratum, fraternitatem tuam dignis prosequimur actionibus gratiarum, tuam ex hoc certiùs cognoscentes & devotionis dulcedinem & fidei puritatem. Vt ergo quod laudabiliter incepisti, laudabiliùs prosequaris, fraternitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus eidem Regi potenter & prudenter inhærens, in omnibus & per omnia tuum ei præbeas auxilium & favorem, securus pro certo quòd id nobis existet gratum plurimùm & acceptum. Datum Soræ &c. *ut in alia.*

HERBIPOLENSI ELECTO.

Epist. 164. CVm Principes Alamanniæ, sicut accepimus, apud Vvirceburch in nativitate beatæ Mariæ tractaturi de imperio debeant convenire, nos, qui de prudentia & devotione tua fiduciam gerimus pleniorem, per te verbum nostrum ad eos pro pace imperij volumus diligenter proponi & efficaciter promoveri. Quocirca discretionem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes quatenus receptis litteris nostris, quas ad omnes Principes Alamanniæ communites destinamus, eas eisdem Principibus ex parte nostra prudenter assignes, & ad promotionem carissimi in Christo filij nostri Regis Ottonis illustris diligenter intendens, secundùm tenorem litterarum ipsarum eosdem Principes exhorteris ad nostrum beneplacitum exequendum, prout meliùs tibi fuerit desuper inspiratum. Tu ergo, dilectissime fili, de cujus obedientia plenè confidimus, mandatum apostolicum taliter exequaris quòd tuæ discretionis prudentia clareat in effectu, & nos devotionem tuam debeamus meritò commendare. Datum Soræ &c. *ut suprà.*

PHILIPPO ILLVSTRI REGI Francorum.

PEr tuas nobis litteras intimasti quòd de Philippo quondam Duce Sueviæ, quem tu Regem Romanorum appellas, conqueri meritò poteras & debebas. Primò quidem, quia cùm ipse in die Pentecostes Aquisgrani maneret, & Abbas Castri-Nantonis amicus ac fidelis & quidam Miles ligius homo tui fuissent ad tres Reges in peregrinationem profecti, coram pluribus cum gaudio quasi dixit quòd te confecerant Pictavenses Comites Namorcij & Boloniæ, ac ducentos de melioribus Militibus exercitus tui ceperant, Comites verò Boloniæ & Hollandiæ occiderant, quod veluti de tuo gaudens infortunio publicabat. Secundò verò, quia, cùm ipse jurasset, ac litteras suas patentes inde tibi dedisset, quòd te juvaret contra Regem Ottonem, quem tu vocas quondam Comitem Pictavensem, & quòd sine tuo assensu cum ipso nunquam pacem iniret, demum sine assensu & voluntate tua pacem iniit cum eodem, sicut in veritate te asseris cognovisse. Tertiò quoque, quia cùm Comes Barri dilectus & fidelis consanguineus tuus Ducem Lotharingiæ infestaret, eumque in sua terra cepisset, tu præfato Philippo pacem de ipso Duce pro memorato Comite obtulisti, quæ modis omnibus ad ipsorum, videlicet Philippi & Ducis, cedebat honorem, quemadmodum tibi & aliis pluribus videbatur, qui super hoc per litteras & nuntium suum indebitè tibi respondens, ad aggrediendum prædictum Comitem, precum tuarum immemor, exercitum jam citarat, sed, Domino permittente, in illo fuit itinere interfectus. Ad quæ tuæ serenitati duximus respondendum quòd licèt inter eundem Philippum & præfatum Ottonem pax non fuerit reformata, sed de ipsa reformanda tractatum, per hæc tamen intelligere potuisti quantam fidem habere de ipso valueris quantamque dilectionem in eo debueris constituere, illudque verum fuisse quòd melius tibi erat, quemadmodum sæpius tibi scripsimus, nostris consiliis acquiescere quàm Suevi fraudibus inhærere. Consequenter autem hanc causam odij quod erga te idem Philippus conceperat expressisti, videlicet quòd cùm sæpe per litteras & nuntios requisisset ut haberes colloquium cum eodem, tu ejus nuntiis respondisti quòd regni negotiis occupatus colloquium habere non poteras cum ipso, nisi priùs scires de quo & super quibus inter vos illud celebrari deberet. Qui tibi pro ipso & per ipsum respondentes, dixerunt quòd ipse volebat ut contra nos & Romanam Ecclesiam adhæreres eidem, ac decem millia marcarum à te mutuò postulabat. Et quia contra nos & Romanam Ecclesiam ad exemplum

Epist. 165.

prædecessorum & progenitorum tuorum, qui fideles & devoti semper fuerunt Ecclesiæ, nec unquam pro Imperatore vel aliquo alio desecerunt, illi adhærere nolebas, hujusmodi colloquium habuisti pro nullo, necnon etiam quia te non sustinere putabat quòd ipse per injuriam Comitem exheredaret Barrensem. Sanè quod de tuorum progenitorum religiosa devotione recenses, delectabiles nobis parit delicias audiendi. Fatemur equidem quòd inter ceteros mundi Principes antecessores & progenitores tui Romanam Ecclesiam, sicut & ipsi ab ea specialiter sunt dilecti, specialiter dilexerunt, nec eos ulla prosperitas vel adversitas ab ejus devotione subduxit. Vnde tuam regalem prudentiam affectuosis prosequimur actionibus gratiarum quòd paternæ fidei puritatem hereditans, quantum ad hoc ei contra Ecclesiam non favisti; licèt apostolica sedes, quæ non ab homine constituta est, sed à Deo, confidens in ipso, non timeat quid homo sibi faciat contra Deum, quemadmodum ipsa dicit in psalmo: *In Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi homo.* Iesus Christus etenim fundamentum & fundator ipsius, supra se firmam petram tanta eam soliditate firmavit ut nedum irruentia flumina seu etiam flantes venti, quin immo portæ inferi non prævaleant contra ipsam. Post hæc autem alium articulum addidisti, in quo Romana Ecclesia, sicut asseris, tibi totique regno tuo poterit subvenire, ac progenitorum tuorum merita compensare. Nosse te quidem asseris quòd Romana Ecclesia præfatum Ottonem, ut sæpedictum Philippum posset deprimere, modis procurabat omnibus sublimare, attendens quòd Fridericus pater & Henricus frater ejusdem Philippi multa mala ipsi Ecclesiæ irrogarant, & quoniam omnes filij præfati Friderici cesserunt in fata, nec aliquis de filiis ejus extat qui possit ad imperium promoveri, nobis attentiùs supplicasti ne ipsum Ottonem ad imperium promovere vellemus, quia nepos est Regis Anglorum, cum quo habes inimicitias capitales, & qui te multotiens per satellites suos procuravit occidi, ac idem Otto cùm olim Comes Pictavensis existeret, terram tuam Ecclesiasque combussit, & sibi ac terræ tuæ mala omnia quæ potuit irrogavit, nec aliquam inde satisfactionem impendit. Siquidem persecutio Friderici ab Ecclesiæ mente non excidit, quæ profectò, præter alia impedimenta quæ Philippo ad imperium obtinendum obstabant, non ex minima parte nos fecit ab ipsius declinare favore, Dei zelotis exemplo peccata patrum in filios usque in tertiam & quartam progeniem vindicantis in iis maximè qui oderunt eum, id est, in illis qui contra ipsum paternum odium imitantur. Ceterùm providentiam tuam in Domino commendamus quòd ita piæ devotionis patrum tuorum memoria delectaris ut tamen impietatem detesteris illorum qui sunt Ecclesiam persecuti. Sed cùm Ludovicus illustris memoriæ pater tuus zelo ecclesiasticæ religionis accensus non dubitaverit se opponere Friderico quando in schismate gemebat Ecclesia & imperium in unitate vigebat, quantò tu securiùs, factus robustior patre tuo, potuisti cessare à favore Philippi Suevi filij Friderici & fratris Henrici persecutorum Ecclesiæ sæpe monitus & rogatus à nobis, & maximè tempore quo schisma premebat imperium & unitas Ecclesiam extollebat, præsertim cùm ille causam foveret iniquam. Vnde cùm tu ei duxeris adhærendum qui erat offensus & indevotus Ecclesiæ, habere pro indigno non debes si nos favimus in partem istius humilis ac devoti, cùm tandem meliùs nos tibi cavere potuissemus ab isto quàm tu cavere nobis potuisses ab illo; eò quòd utique nos in isto, tu verò nequaquam jurisdictionem haberes in illo. Præterea subjunxisti quòd idem Otto nunquam posset in imperium sublimari quin in tuum ac regni & Ecclesiarum dispendium redundaret. Enimverò tanta devotione regnum tuum Ecclesiæ tantaque dilectione illa illi est counita ut neutri sine alterius læsione possit contingere detrimentum. Quod utique nos sollicitè attendentes, non tua requisitione jam dudum, sed affectu quem circa te gerimus provocati, indemnitati tuæ ac regni tui super hoc curavimus præcavere, certa promissione ab eodem Ottone recepta sub aurea bulla scripto pariter & juramento firmata quòd de pace vel concordia tecum componenda & observanda nostro per omnia parebit arbitrio & mandato; sicut nuntij tui, quibus rescriptum ipsius ostendimus intuendum, tàm de ipsa quàm de aliis circumstantiis, de quibus contulimus cum eisdem, tuæ regali prudentiæ viva voce poterunt enarrare. Cùm itaque videatur, rebus taliter se habentibus, expedire ut ad faciendum inter vos pacem & concordiam intendere debeamus, tu modum & formam pacis & concordiæ pertractandæ, si eam duxeris acceptandam, nobis poteris intimare; nosque tua voluntate comperta, dante Deo ad ipsam quantò certiùs, tantò efficaciùs procedemus. Præterea super eo quòd de imperij civitatibus tuo regno vicinis per tuas nobis litteras suggessisti, tua regalis prudentia diligenter advertat utrum tibi vel tuo regno expediat ut ad res imperij manum mittas. Datum Soræ xv. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

ADVLPHO QVONDAM
Coloniensi Archiepiscopo.

Dilectum filium Hermannum Presbyterum cum litteris tuis ad sedem apostolicam accedentem ea qua decuit benignitate suscepimus, & verbis ipsius benignam curavimus audientiam exhibere. Quòd autem per ipsum & litteras tuas suppliciter postulasti ut quoniam propter hostiles incursus securè non potes, ut asseris, pro causa tua vel in persona propria vel per responsalem idoneum in nostra præsentia comparere, causam ipsam in regno Theutonico dignaremur personis idoneis delegare, diffinitiva nobis sententia reservata, salva justitia concedere non potuimus cum nostræ famæ ac propriæ conscientiæ puritate. Quia cùm causa eadem utraque parte præsente esset citra litis contestationem in nostro auditorio ventilata, & quibusdam pro bono pacis providè ordinatis, utrique parti peremptorius terminus sit præfixus & ab utraque parte receptus, reliqua nunc absente ad petitionem alterius non decet aliquid Epist. 165.

immutari unde præjudicium ei & nobis posset opprobrium provenire, sed usque ad terminum constitutum & ultrà etiam curabimus expectare, processuri auctore Domino sicut fuerit procedendum. Credimus tamen quòd utilitati tuæ potiùs expediret ut sub manu nostra te humiliare curares, quæ non solùm fortis & potens, sed ampla etiam est & larga, de facili valens sic humiliare superbum sicut humilem exaltare ac singulis reddere secundùm exigentiam meritorum, devotis & obedientibus gloriam, indevotis autem & inobedientibus pœnam, cùm diversis modis in multis locis & variis causis nostrum possimus beneplacitum adimplere. Quapropter si nos in eo placare satageres in quo nos offendere attentasti, ut ad illius auxilium & favorem prompta devotione redires à cujus auxilio & favore indecoro spiritu recessisti, spes tibi non incerta daretur ut quo cecidisti resurgeres, & si non ad illum in quo alius est locatus, ad alium tamen gradum in quo alius est locandus, & nos interim faceremus tibi honorabiliter provideri ad nostrum & ipsius honorem efficaciter intendenti. Inspiret igitur cordi tuo ille qui ubi vult spirat spiritus veritatis, ut sanum amplectens consilium, animæ simul & corpori sine dubitatione salubre illud agere studeas per quod divinam & nostram gratiam merearis, pro certo confidens quòd illius parati sumus vestigia imitari qui dicit: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Alioquin non nostræ duritiæ sed tuæ poteris imprudentiæ imputare, si novissima tua fient pejora prioribus, dum sanis consiliis refugis acquiescere ac justis persuasionibus consentire. Datum Ferentini x. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

PATRIARCHÆ AQVILEGENSI.

Epist. 167. LIcèt post necem illustris memoriæ Philippi Ducis Sueviæ super negotio imperij beneplacitum nostrum tibi pluries curaverimus intimare, quia tamen iteratò illud per nostras litteras tibi postulas aperiri, cùm Ecclesiæ tuæ possit ex hoc dispendium imminere si nescias in quam partem debeas declinare; fraternitati tuæ præsentium insinuatione clarescat quòd cùm per Dei gratiam simus super petram solidam stabiliti, in eodem in quo & priùs proposito permanemus. Quocirca fraternitatem tuam rogamus attentiùs & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo adhæreas, eique assistas viriliter & potenter. Datum Laterani xiv. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

ILLVSTRI REGI OTTONI in Imperatorem Romanorum electo.

Epist. 168. LIcèt per dilectum filium magistrum Henricum sancti Gereonis Scholasticum generales ad omnes Principes & speciales ad multos jam dudum litteras direxerimus, quales tuæ promotioni novimus expedire, quia tamen postmodum quamplures eorum nos consulere curaverunt cui mallemus eos super imperio adhærere, quosdam per iterata scripta duximus exhortari, videlicet Aquilegensem Patriarcham, Magdeburgensem Archiepiscopum, Adolfum quondam Coloniensem, Spirensem Episcopum, Regem Boemiæ, Austriæ ac Zaringiæ Duces, & quosdam alios, ut tibi potenter faveant & patenter, in his & aliis satagentes honorem tuum indefessâ sollicitudine promovere. Quocirca serenitatem regiam monemus attentiùs & hortamur quatenus prima, media, & novissima tua bona soli altissimo ascribendo, talem circa singula studeas te habere quòd honoris tui processus, qui operante divina gratia & nostra cooperante sollicitudine prosperè jam dirigitur, feliciter consummetur, de plenitudine gratiæ nostræ securus quòd ad omnia quæ tibi noverimus expedire diligens studium impendemus & operam efficacem. Datum Laterani ii. Non. Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

EIVSDEM.

CVm de matrimonio contrahendo inter te ac primogenitam quondam Philippi Ducis Sueviæ in nostra præsentia tractaretur, tuis & ipsius consentientibus nuntiis ita providimus ut potestatem dispensandi super linea consanguinitatis, quæ te ac illam contingit, committeremus Legatis qui erant in Theutoniam regressuri. Licèt autem eodem Duce defuncto dispensandi necessitas ex majori parte cessaverit, quia tamen adhuc ad illam aspiras, sicut per tuas nobis litteras intimasti, nos ex illa gratia speciali quam ad tuam regalem personam & habuimus & habemus, quod tunc circumspecta deliberatione providimus, etiam nunc provida circumspectione volumus adimplere, committendo Legatis nostris duobus vel uni, quos aut quem ad præsentiam tuam pro negotiis Ecclesiæ ac imperij proposuimus destinare, ut si urgens necessitas vel evidens utilitas postulaverit, super hoc auctoritate nostra dispensent. Datum Laterani Non. Decembris &c. *ut in alia.* Epist. 169. Vide suprà epist. 153. 178.

SPIRENSI EPISCOPO.

GRatum gerimus & acceptum & tuam in Domino prudentiam commendamus quòd pro reverentia beati Petri & nostra carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo disposuisti firmiter adhærere ipsique imperialia insignia resignare. Super eo verò quod de conjugij conjuramento scripsisti hoc tibi duximus rescribendum, quòd per Legatos nostros, quos disposuimus in Theutoniam destinare, tuæ fraternitati curabimus plenariè respondere, parati semper efficere quæ tibi proficiant ad commodum & honorem in devotione ac fidelitate sedis apostolicæ permanenti. Datum Laterani ii. Non. Decembris, pontificatus nostri anno undecimo. Epist. 170.

NOBILI VIRO DVCI ZARINGIÆ.

EX affectu sinceræ dilectionis & gratiæ quem circa tuam personam gerimus provocamur ut, cùm carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Imperatorem Romanorum electus magnificè jam procedat de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, consilium tibi demus quatenus ei firmiter adhærendo, potenter sibi faveas & patenter, quo- Epist. 171.

niam proculdubio tibi magis credimus expedire ut rei finem præveniens, non expectans, nunc, antequam invaleſcat in toto, quaſi ex diſcretionis propoſito ſatagas id efficere quàm demum, cùm invaluiſſet omnino, in neceſſitatis articulo forſan idem cogereris implere. Credimus enim quòd erga te taliter ſe habebit quòd meritò ſibi poteris eſſe devotus, & nos, à quorum ſanis conſiliis deviaturus ipſe non creditur, ad tui dilectionem eum efficaciter inducemus. Datum Laterani Non. Decembris &c. *ut ſuprà.*

CAMERACENSI EPISCOPO.

Epiſt. 172. Litteras tuas plenas exultationis & gaudij paterna benignitate recepimus, per quas de promotione quinimmo quaſi de confirmatione promotionis cariſſimi in Chriſto filij noſtri illuſtris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi, non ſolùm deſiderata nobis verùm etiam inſperata gaudia nuntiaſti; illud in majori exultatione ducentes quòd, ſicut per eaſdem litteras intelleximus, idem Rex in virum quaſi alterum immutatus, in juſtificationibus Domini magis ſolito delectatur. Sperantes igitur quòd gratiæ noſtræ non ingratus exiſtas, quam circa te ſinceram exiſtere multis experimentis cognoſcere potuiſti, & quòd præfatus Rex inter præcipuos honoris ſui fautores habere te deceat principalem, fraternitatem tuam monemus attentiùs & hortamur, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes quatenùs circa latus ejus ſtudio ſedulæ recordationis & exhortationis inſiſtas ut in legem Domini ſuam dirigens voluntatem, ac in ea nocte dieque meditans, cultui divino ſe ſedulum, apoſtolicæ ſedi devotum, & reſpicientium ſe quieti gerere procuret intentum; ita quòd ſollicitudo tua clareat in effectu, & nos eam dignis in Domino valeamus laudibus commendare. Datum Laterani Non. Decembris &c. *ut ſuprà.*

Vide Godefrid. monach. ſancti Pantaleon. ad an. 1208. 1209.

MAGDEBVRGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epiſt. 173. Litteras tuas plenas exultationis & gaudij paterna benignitate recepimus, per quas de promotione quinimmo quaſi conſummatione promotionis cariſſimi in Chriſto filij noſtri illuſtris Regis Ottonis in Romanorum Imperatorem electi non ſolùm deſiderata nobis verùm etiam inſperata gaudia nuntiaſti. Sperantes igitur quòd gratiæ noſtræ non ingratus exiſtas *ut in alia uſque* laudibus commendare, gratum & acceptum gerentes quòd pro ſedis apoſtolicæ reverentia eidem Regi ceteris factus prævius adhæſiſti. Datum Laterani &c. *ut in alia.*

In eundem modum magiſtro Gerlando uſque cognoſcere potuiſti, devotionem tuam monemus attentiùs & hortamur, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes quatenus &c. *ut in alia uſque* commendare. Datum &c. *ut ſuprà in alia.*

MAGISTRO HENRICO SCOLASTICO *ſancti Gereonis.*

Epiſt. 174 Recepimus litteras plenas exultationis & gaudij, per quas de promotione quinimmo &c. *ſicut in prima uſque* non ſolùm deſiderata nobis verùm etiam inſperata ſunt gaudia nuntiata. Sperantes igitur quòd &c. *ſicut in prima uſque* laudibus commendare. Datum Laterani &c. *ut ſuprà in aliis.*

NOBILI VIRO DVCI AVSTRIÆ.

Nuntium & litteras tuas paterna benignitate recepimus; & cùm inter alios Principes perſonam tuam ſincera diligamus in Domino caritate, petitionem tuam, in quantum honeſtas potuit gratiæ præſtare favorem, curavimus exaudire. Tu ergo litteris quas ſuper epiſcopatus * negotio deſtinamus utaris, ſi videris expedire. Alioquin cùm pro cauſis imperij Legatos ad partes illas mittere diſponamus, dummodo ſtatus ejus taliter, ſicut credimus, dirigatur quòd eos oporteat deſtinari, ſi à te fuerit poſtulatum, executionem eis prælibati negotij committemus, quemadmodum aliis qui dudum ob ſtatum rerum in morte Principis immutatum de arrepto legationis itinere receſſerunt meminimus commiſiſſe. Ceterùm ſuper eo quòd nobis de negotio imperij tam per litteras quàm nuntium intimaſti, hoc tibi duximus reſpondendum, de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta tuæ prudentiæ conſulentes quatenus cùm cariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus magnificè procedere jam inceperit, potenter ei faveas & patenter; quia proculdubio tibi magis credimus expedire ut rei finem præveniens &c. *ut ſuprà epiſt.* CCLXXI. *uſque* inducemus. Prætetea memoratum nuntium latorem præſentium dilectum filium G. clericum tuam nobilitati tuæ propenſiùs commendamus; qui, quantum in ipſo fuit, nihil omiſit de contingentibus ſuper iis quæ apud nos ei commiſeras promovenda, quinimmo ad promotionem eorum fideliter inſtitit & prudenter. Datum Laterani, *ut ſuprà* anno undecimo. Epiſt. 175.

* Vide lib. 10. epiſt. 52.

ILLVSTI REGI BOEMIÆ.

Super eo quòd à nobis de negotio imperij per tuum nuntium & litteras requiſiſti, ſerenitati tuæ hoc duximus reſpondendum, de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta conſilium tibi dantes quatenus cùm cariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus magnificè jam procedat, potenter ei faveas & patenter; quia proculdubio &c. *ut in alia uſque* cogeretis implere; præſertim cùm adhuc ex juramento ſibi præſtito teneatis. Credimus enim quòd erga te &c. *uſque* inducemus. Datum Laterani IV. Idus Decembris, pontificatus noſtri anno undecimo. Epiſt. 176.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN *Romanorum Imperatorem electo.*

Iucundus tuorum nuntiorum adventus ita nos eſt in ea qua tenebamur ægritudinis moleſtia conſolatus ut ex gratis rumoribus quos de tuis ſucceſſibus tulerunt quadam medicinali virtute nos fecerit de languoris doloribus in ſanitatis gaudia reſpirare. Licèt autem ſuper negotiis pro quibus latores præſentium, viros utique providos & fideles, ad noſtram præſentiam deſtinaſti conſueverint ſecundum morem Epiſt. 177.

antiquum, maximè pro petitione imperialis coronæ, magni Principes ad sedem apostolicam destinati, quia tamen hoc fuit magis in modum consultationis quàm petitionis propositum, & quod nondum est factum adhuc poterit fieri, nos, qui, ut tuo deferre possimus honori, hoc æquanimiter ferimus ex gratia speciali, auditis & intellectis petitionibus quas iidem nuntij tuo nobis nomine porrexerunt, super earum aliquibus litteras fieri mox præcepimus sicut novimus expedire, ac per Legatos nostros, quos ad tuam regalem præsentiam è vestigio destinamus, gratum responsum tibi cum Deo tam super negotio* matrimonij quàm etiam super aliis impendemus, cùm eos & ob hoc inter cetera specialiter providerimus destinandos ut ad negotij tui robur ipsi, qui vice nostra fungentur, circa singula quæ contingent auxilium tibi conferant opportunum, & ex eorum adventu honorificentia tibi major accrescat. Adeo namque tuum zelamur honorem ut honori nostro reputemus accrescere quicquid per nos tuo regali accrescit honori, firmam gerentes de tua serenitate fiduciam quòd idipsum de nobis zelanter affectes. Datum Laterani Non. Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

* Vide suprà epist. 153.

E I D E M.

Epist. 178.

CVm olim ex officij nostri debito de pace in imperio reformanda sollicitudo nos indefessa pulsaret, de cujus scissura ipsi non tantùm imperio, verùm etiam orbi penè toti grave periculum imminebat, consilium nobis incidit ut per Legatos nostros de matrimonio contrahendo inter te ac inclitæ recordationis Philippi Ducis Sueviæ primogenitam tractaretur. Postmodum autem eodem Duce à filio Belial nequiter interfecto, cùm adhuc de scissuræ periculo non minùs quàm antea timeretur, tibi nostras litteras destinavimus ut ad confirmationem hujusmodi matrimonij securè procederes, si tibi cognosceres expedire. Interim autem cùm jam Domino imperante ventis & mari tranquillitas redire cœpisset, & redeuntibus ad cor multis ac tibi fideliter adhærentibus, de pace spes firmior haberetur, per tuas à nobis litteras postulasti ut cùm inter te & memoratam puellam linea consanguinitatis existeret, super vestro dispensare conjugio dignaremur. Cui nos meminimus respondisse quòd licèt necessitas dispensandi jam ex magna parte cessasset, super hoc tamen vicem nostram nostris eramus commissuri Legatis, quos pro causis Ecclesiæ ac imperij disponebamus ad tuam præsentiam in proximo destinare. Quia igitur super dispensatione matrimonij prælibati, quod diceris jam jurasse, nobis iterum cum multa instantia supplicasti, forsan prudenter intelligens per præmissum consilium, in quo nulla de consanguinitatis linea mentio habebatur, non esse super consanguinitatis linea dispensatum, sed hoc tibi consultum ut ad matrimonij consummationem procederes legitimè quidem, dispensatione videlicet præobtenta, ut sic & quantum ad conscientiam & quantum etiam ad Ecclesiam matrimonium ipsum legitimum haberetur, venerabili fratri nostro Hugolino Ostiensi Episcopo & dilecto filio Leoni tituli sanctæ crucis Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legatis dedimus in præceptis quatenus inquisita & cognita veritate, si urgens necessitas & evidens utilitas pro pace in imperio reformanda hujusmodi matrimonium contrahi postularint, ipsi auctoritate nostra suffulti super illo contrahendo dispensent. Nos autem quod ab eis super hoc providè factum fuerit ratum habebimus, & decernimus illud inviolabiliter observandum. Datum Laterani xv. Kal. Februarij &c. *ut in alia.*

Vide suprà epist. 153.

E I D E M.

Epist. 179.

BEnedictus Deus, qui per suam misericordiam ineffabilem nostrum circa te desiderium ex majori parte complevit, & sicut pro certo confidimus, non cessabit omnino donec adimpleat illud ex toto ad laudem & gloriam nominis sui, ad honorem & profectum tam Ecclesiæ quàm imperij ac totius populi Christiani: quia, sicut veraciter intelleximus, cum secularis virtutis augmento, incrementum quoque spiritualis virtutis mirabiliter suscepisti, ut de te voce dominica gloriari possimus quòd invenimus virum secundùm cor nostrum. Ecce, fili carissime, sic anima nostra conglutinata est animæ tuæ, sicque cor tuum compaginatum est cordi nostro, ut idem per omnia velle ac sentire credamur, quasi cor unum & anima una; ex quo quanta speretur utilitas proventura, nec calamus sufficit scribere, nec lingua referre, nec etiam animus cogitare. Nobis enim duobus regimen hujus seculi principaliter est commissum: qui si unanimes fuerimus & concordes in bono, profectò, sicut Propheta testatur, sol & luna in ordine suo stabunt, eruntque prava in directa & aspera fient plana, cùm nobis duobus favente Domino nihil obsistere vel resistere possit, habentibus duos gladios, de quibus Apostoli dixerunt ad Dominum, *Ecce gladij duo hic*, & de quibus Dominus respondit Apostolis: *Satis est.* quia nimirum pontificalis auctoritas & regalis potestas, ambæ videlicet in nobis supremæ, quæ per illos duos gladios designantur, plenè sibi sufficiunt ad suum officium feliciter exequendum, si utraque pars per reliquam fuerit potenter adjuta. Equidem sic expedit & oportet ut utraque per reliquam efficaciter adjuvetur, quatenus status mundi, qui superabundante malitia quasi versus est in ruinam, per nostræ sollicitudinis studium restauretur, resecatis vitiis, & virtutibus propagatis. Vnde jugi nobis est vigilantia providendum ne inimicus homo possit inter nos superseminare zizania, dissensionis scandalum vel suspicionis scrupulum ingerendo; quoniam ad hoc malum nequiter operandum multi procul dubio sunt parati, omnes videlicet qui mala vellent impunè committere, quique desiderant in aqua turbata piscari; à quibus autem tuam prorsus avertas. Pullulante namque discordia inter regnum & sacerdotium, utrumque pariter propter reliquum dissimulabat & sustinebat insolentiam malignorum; quibus concinnantibus dolum & acuentibus linguas ad malum, dissensionis materia suscipiebat jugiter incrementum in grande rerum dispendium & grave periculum anima-

rum, utriuſque profectu, ſcilicet tam regni quàm ſacerdotij, multipliciter impedito. Cùm ergo per Dei gratiam vera pax & firma concordia inter Eccleſiam & imperium nunc exiſtat, ad tollendam in poſterum omnem diſſenſionis & ſuſpicionis materiam quædam ad præſens à te, fili cariſſime, duximus poſtulanda, quæ utique debes ſine difficultate concedere, utpote rationi conſona & saluti; pro certo ſperantes quòd longè majora in futuro concedes, cùm nihil unquam à te obtinere velimus niſi quod te deceat impertiri, tuum per omnia zelantes honorem & commodum procurantes. Ad ea igitur obtinenda & exequenda, quantum cum Deo poſſumus, tam illa quæ nuper per tuos nuntios poſtulaſti quàm & alia quæ per te ipſum duxeris poſtulanda venerabilem fratrem noſtrum Hugolinum Oſtienſem Epiſcopum & dilectum filium Leonem tituli ſanctæ crucis Preſbyterum Cardinalem apoſtolicæ ſedis Legatos, viros utique providos & honeſtos, quos inter ceteros fratres noſtros ſpeciali diligimus caritate, ad tuam præſentiam deſtinamus, ſerenitatem regiam rogantes attentiùs & monentes quatenus eos ſicut perſonam noſtram devotè ſuſcipias & benignè pertractes, ipſorum ſalubribus monitis & conſiliis acquieſcens, plenem de ipſis tamquam de nobis fiduciam obtinendo quoniam ad tuum commodum & honorem efficaciter aſpirabunt. Ad hæc, regalem depoſcimus excellentiam quatenus clericos & Eccleſias diligas & honores, manuteneas & defendas, ut devotus ac pius Princeps in omnibus comproberis. Datum Laterani XVII. Kal. Februarij, pontificatus noſtri anno undecimo.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS & dilectis filiis Abbatibus & aliis Eccleſiarum Prælatis in Theutonia conſtitutis.

Epiſt. 180. CVm acceptam angelus dudum phialam iracundiæ Dei plenam in populos Theutonicos effudiſſet, effuſa eſt contentio ſuper Principes eorundem; qui diuturnitate ſchiſmatis hoſtilitate contriti, quaſi de torculari ſuæ contribulationis expreſſum calicem iræ Dei profundum & latum non ſolùm ipſi bibere, verùm etiam aliis propinarunt. Dominus autem, qui cogitat conſilium, non afflictionis, ſed pacis, reprobans conſilia Principum, & cogitationes diſſipans populorum, ab eis tandem diſcordiæ cauſam abſtulit, ipſoſque ad viam concordiæ revocavit. Quapropter nos, qui ex officij noſtri debito ad hujuſmodi ſcandalum removendum indefeſſa ſollicitudine laboravimus, non poſſumus non gaudere quòd fidelis Dominus ſperantes in ſe tentari ultrà quàm poſſent ſuſtinere non pertulit, & in ira miſericordiæ memor factus, flagellum dignæ ſuæ indignationis avertit; faciens ita multos ipſius diſciplina proficere quòd exercitatis per eam pacatum videtur fructum juſtitiæ reddidiſſe. Iam per Dei gratiam non pœnitet nos conſtanter curſum cœpti cucurriſſe certaminis, jam feliciter Dominus labores noſtri conſummavit agonis, jam illa Gamalielis ſententia noſtrum probat à Domino proceſſiſſe conſilium, quem humana vis impedire non potuit cæleſtis voluntatis effectum. Nam altiſſimus id diſpoſuit; & quis potuit interrumpere? Omnipotens hoc decrevit, & quis valuit immutare? Æmulabaris hactenus te ad invicem, Theutonia omnis, & in partes diviſa, mutuis te ammoſitatum tuarum ſimoltatibus conterebas. Immiſſo namque deſuper in te ſpiritu circumferebare vertiginis, & erroris fræno, quod juxta Prophetam erat in maxillis populorum, abducta per graves circuitus ducebaris. Filij quippe tui fœdera fraterna diſſolverant, & invidiæ ſauciati livoribus ſeſe paſſim alter alterutrum trucidabant. Vocaverat enim Dominus exercituum in te tempus in quo juxta vaticinium ſancti viri vir non parceret fratri ſuo, & quaſi carnem brachij ſui unoquoque vorante, Manaſſen Effraïm & Effraïm offenderet Manaſſen. Hinc igitur non tu ſola, quin immo penè totus offendebatur populus Chriſtianus, lugentibus equidem viis Sion, ideo quòd non eſſent qui ſolemnitates dominicas viſitarent. Ora Deum canentium ex magna parte concluſe torpebant, cultuque divino per uſum bellicum minorato, hoſtilibus impendebatur excubiis quod ſpiritualibus vigiliis debebatur. Denique terra ſancta debita ſibi & lugebat & luget ſuffragia defuiſſe; quæ pro peccatis noſtris in extremam neceſſitatem perducta, operas & impenſas quibus ipſa juvari potuerat in domeſticæ cladis excidium fruſtra pertranſiſſe deplorat. Vt de malis ceteris taceamus, quæ præter multiplicem deſolationem regni dudum in ſe ipſo diviſi univerſam quoque Dei Eccleſiam offendebant. Nos autem pericula tot & tanta videntes, nimiaque ſcandalizantium caritate peruſti, duro compaſſionis eorum frixorio frigebamus; ac ſcientes opera juſtitiæ pacem eſſe, juſtitiæ non defuimus, donec Dominus de cœlo proſpexit & multo à nobis ſtudio procuratæ initia pacis dedit, potens adhuc in tantum eam ſua gratia dilatare ut juxta prophetantis eloquium populus ſuus in pulchritudine pacis ſedeat & plebs ejus in juſtitiæ tabernaculis ac requie opulenta quieſcat. Quia igitur plagam quæ de novo circumligata eſt negligi non oportet, eò quòd cuſtodita poteſt ad perfectam ſanitatem proficere, neglecta verò in deteriorem corruptelam redire; venerabilem fratrem noſtrum Hugolinum Oſtienſem Epiſcopum & dilectum filium Leonem tituli ſanctæ crucis Preſbyterum Cardinalem apoſtolicæ ſedis Legatos, viros utique providos & honeſtos, quos inter ceteros fratres noſtros ſpeciali caritate diligimus, ad partes ipſas duximus deſtinandos, qui more prudentium medicorum, prout quævis morbi cura popoſcerit, vinum ſciant & oleum ſuperfundere, ac pace jam ex parte in imperio reformata, ſatagant unumquemque perfectiùs informare, commiſſa ſibi pariter poteſtate diſſipandi & evellendi, ædificandi nihilominus & plantandi quæ utrorumlibet horum opera noverint indigere. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus attentiùs & monemus, per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes quatenus eos, immo nos in ipſis, cum debito ſuſcipientes honore, providis monitis & mandatis ipſorum efficaciter intendaris. Alioquin ſententiam quam tulerint in rebelles ratam habebimus, & uſque ad ſatisfactionem

condignam auctore Domino faciemus inviolabiliter observari. Datum Laterani XVII. Kal. Februarij, anno undecimo.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS in Theutonia constitutis.

Epist. 181. Vide suprà epist. 178.

CVm olim ex officij nostri debito de pace in imperio reformanda sollicitudo nos indefessa pulsaret, de cujus scissura ipsi non tantùm imperio, verùm etiam orbi penè toti grave periculum imminebat, consilium nobis incidit ut per Legatos nostros de matrimonio contrahendo inter carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum & inclitæ recordationis Philippi Ducis Sueviæ primogenitam tractaretur. Postmodum autem eodem Duce à filio Belial nequiter interfecto, cùm adhuc de scissuræ periculo non minùs quàm antea timeretur, præfato Regi nostras litteras destinavimus ut ad consummationem hujusmodi matrimonij securè procederet si sibi cognosceret expedire. Interim autem, cùm jam Domino imperante ventis & mari tranquillitas redire cœpisset, & redeuntibus ad cor multis ad eidem Regi fideliter adhærentibus, de pace spes firmior haberetur, idem Rex per suas à nobis litteras postulavit ut cùm inter ipsum & memoratam puellam linea consanguinitatis existeret, super eorum dispensare conjugio dignaremur. Cui nos meminimus respondisse quòd licèt necessitas dispensandi jam ex magna parte cessasset; super hoc tamen vicem nostram nostris eramus commissuri Legatis quos pro causis Ecclesiæ ac imperij disponebamus ad ejus præsentiam in proximo destinare. Quia igitur dictus Rex super dispensatione matrimonij prælibati, quod dicitur jam jurasse, nobis iterum cum multa instantia supplicavit, forsan prudenter intelligens per præmissum consilium, in quo nulla de consanguinitatis linea mentio habebatur, non esse super consanguinitatis linea dispensatum sed hoc sibi consultum ut ad matrimonij consummationem procederet legitimè quidem, dispensatione videlicet præobtenta, ut sic & quantum ad conscientiam & quantum etiam ad Ecclesiam matrimonium ipsum legitimum haberetur, venerabili fratri nostro Hugolino Ostiensi Episcopo & dilecto filio Leoni tituli sanctæ crucis Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legatis dedimus in præceptis ut inquisita & cognita veritate, si urgens necessitas & evidens utilitas pro pace in imperio reformanda hujusmodi matrimonium contrahi postularint, ipsi auctoritate nostra suffulti super illo contrahendo dispensent. Nos autem quod ab eis super hoc providè factum fuerit ratum habebimus, & decernimus illud inviolabiliter observandum. Datum Laterani XVII. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

HVGOLINO OSTIENSI EPISCOPO & Leoni tituli sanctæ crucis Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 182.

CVm olim ex officij nostri debito &c. *in eundem modum ut in alia usque* legitimum haberetur, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus inquisita & cognita veritate, si urgens necessitas & evidens utilitas pro pace in imperio reformanda hujusmodi matrimonium contrahi postularint, vos auctoritate nostra suffulti super illo contrahendo dispensare curetis. Nos autem quod à vobis super hoc providè factum fuerit ratum habebimus, & decernimus illud inviolabiliter observandum. Datum ut suprà.

EISDEM.

Epist. 183. Vide suprà epist. 139. & lib. 11. epist. 110.

PLenam gerentes de vestra discretione fiduciam, negotium Papembergensis Episcopi sub hac forma duximus committendum ut si super nece claræ memoriæ Philippi Ducis Sueviæ, accusatore contra eum legitimo comparente, culpabilis coram vobis fuerit comprobatus, vos eum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo ab omni officio & beneficio ecclesiastico deponatis. Alioquin indicatis ei purgationem canonicam; in qua si fortè defecerit, eadem ipsum censura damnetis. Quòd si legitimè se purgaverit, denuntietis eum super objecto crimine penitùs innocentem. Ante omnia providentes, ut si quid contra eum vel ejus Ecclesiam est perperam attentatum, in statum debitum revocetur. Datum ut suprà in altera.

MAGDEBVRGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 184.

FIrmam gerimus de tua sinceritate fiduciam ut nostrum desideres beneplacitum adimplere, cùm & nos ad tuum profectum efficaciter intendamus. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus ad ea feliciter promovenda quæ venerabilis frater noster Hugolinus Ostiensis Episcopus & dilectus filius Leo tituli sanctæ crucis Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legati tibi ex parte nostra suggesserint diligens studium & operam efficacem impendas; ita quod in iis tuam devotionem experti, grata tibi debeamus vicissitudine respondere. Datum Laterani XVII. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

POTESTATIBVS, CONSVLIBVS, & populis civitatum Lombardiæ.

Epist. 185.

QVemadmodum vultis ut carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus jura vestra vobis integra & illæsa conservet, ita vos sibi debetis imperij jura illæsa & integra conservare; ad quæ utrinque servanda nos, qui summi mediatoris, licèt indigni, locum obtinemus in terris, tam ipsum quàm vos debemus inducere studio diligenti. Cùm igitur idem Rex venerabilem fratrem nostrum Vvalterum Patriarcham Aquileiensem Legatum statuerit in Italia pro negotiis imperij procurandis, universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ei super iis quæ ad jus imperij pertinere noscuntur, efficaciter intendatis; ut sicut pro ipso apud vos interponimus partes nostras, ita, si necessitas postulaverit, pro vobis apud ipsum partes nostras interponere debeamus. Datum Laterani V. Kal. Martij, pontificatus nostri anno XII.

In eundem modum Potestatibus, Consulibus, & populis civitatum Tusciæ ad imperium pertinentium.

VVALTERO PATRIARCHÆ, Aquelegensi.

Epist. 186. GRatum gerimus & acceptum quòd ad mandatum nostrum carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo fideliter adhæsisti, quódque ad mandatum ipsius suscepisti legationem pro ipso in Italia exercendam, cùm pro certo credamus quòd hujusmodi legationis officium ad honorem & profectum tam Ecclesiæ quàm imperij tamquam mediator idoneus intendas utiliter exercere. Vt autem id validiùs exequaris, ecce juxta petitionem tuam scribimus Potestatibus, Consulibus, & populis civitatum Lombardiæ ac Tusciæ ad imperium pertinentium prout magis vidimus expedire. Super eo verò quòd de terra Comitissæ Mathildis nobis per latorem præsentium intimasti, hoc tibi duximus respondendum, ut eam ex mandato prædicti Regis repetas nomine nostro, & ad opus Ecclesiæ Romanæ recipias, si fuerit restituta, cùm idem Rex eam nobis recuperare promiserit, sicut apparet ex rescripto litterarum suarum, quarum tenorem præsenti pagina tibi mittimus interclusum; quem per omnia te volumus observare, ne contra promissum ipsius & contra jus nostrum te fortè, quod absit, venire contingat. EGO OTTO *&c. ut suprà epist.* LXXXVI. *usque* Lodoyci. Datum Laterani &c. *ut suprà.*

LITTERÆ REGIS OTTONIS illustris in Romanorum Imperatorem electi ad Dominum Papam.

Epist. 187. REverendo in Christo Patri Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Otto Dei ac sui gratia Romanorum Rex & semper Augustus, salutem & debitum filialis dilectionis affectum Nuntij nostri M. Notarius noster & magister Hug. Capellanus noster, quos ad vestram destinaveramus præsentiam, ad nos reversi, nobis intimarunt cum quanta ipsos receperitis alacritate, & quòd exaltatio nostra & honoris nostri promotio, quam per eos intellexistis, & gaudium vobis multiplex generavit & de ægritudinis molestia, qua tenebamini, personam vestram ad pristinam reduxit sanitatem. Quapropter paternitati vestræ immensas exsolventes gratiarum actiones, scire vos volumus certissimè quòd optatos eventus nostros post Deum vobis adscribimus, & omnem gloriam qua divina nos dignata fuerit clementia sublimare cum Romana Ecclesia habere semper cupimus pro indiviso, non immeritò perpendentes quòd ipsa nullo unquam in tempore suum nobis subtraxerit auxilium & favorem. Siquidem vestræ sanctitati duximus intimandum à quibusdam veridica nos accepisse relatione quòd filius Imperatoris Henrici damnum & malum nobis velit, & ut nostram & imperij turbare valeat quietem, idem quoscunque potest & precibus & promissis ad hoc inducit & hortatur. Vnde cùm imperij tranquillitas & regiæ eminentiæ finalis promotio à vestra adhuc, sicut hactenus, prudentia pendere videatur, apostolatus vestri æquitatem omni precum instantia rogamus & monemus, supplicantes vobis quatenus præfato puero consilium & auxilium vestrum ad sua contra nos subtrahatis negotia, & ea quæ sibi ad præsens expedire possint, sicut de vobis confidimus, nullatenus faciatis, sicut nobis & vobis utile erit, usque dum Deo auxiliante nos ad partes Italiæ & ad vos veniamus, personaliter vobiscum collocuturi. Sicut enim hucusque in negotiis imperij per omnia vestris obtemperavimus consiliis & mandatis, sic quoque deinceps quæcunque jusseritis non recusabimus, & si Deus aliquando optatæ præsentiæ vestræ copiam nobis dederit, nos juxta consilium vestrum pro communi commodo & pace Ecclesiæ cum sæpefato puero ad honorem imperij & ipsius componere curabimus utilitatem. Cetera præsentium lator dilectus filius familiaris Notarius noster magister H. cujus dictis fidem adhibeatis indubitatam.

ILLVSTRI REGI OTTONI in Romanorum Imperatorem electo.

CVm carissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliæ Rex illustris tam ex paterna quàm materna dispositione finali sit apostolicæ curæ ac tutelæ relictus, ipseque totum regnum Siciliæ à Romana teneat & recognoscat Ecclesia, sicut idem nobis, tamquam vassallus domino, ratione fidelitatis debet astringi, sic nos eidem, tamquam dominus vassallo, ratione legalitatis debemus adesse. Vnde super iis quæ ad regnum ipsius pertinere noscuntur nec volumus nec debemus ei nostrum subtrahere auxilium vel favorem, cùm secundùm Apostolum omnibus simus in justitia debitores. Porrò nec ipsi nec alij nostrum contra te disposuimus favorem vel auxilium impertiri, quem tantopere studuimus promovere; cùm pro certo speremus quòd, sicut per tuas nobis litteras intimasti, tuos optatos eventus post Deum nobis adscribas, & omnem gloriam qua te divina dignata fuerit clementia sublimare cum Romana velis Ecclesia pro indiviso semper habere, absque dubio recognoscens quòd deficientibus ceteris, ipsa tibi nunquam subtraxerit, sed suum semper intenderit auxilium & favorem. Receptis igitur & intellectis apicibus quos per dilectum filium latorem præsentium regalis nobis sublimitas destinavit, hoc tibi duximus rescribendum, quòd de plenitudine gratiæ nostræ securus, de qua nec debuisti nec debes aliquatenus dubitare, tuam secundùm Deum exerceas potestatem; cum quo si corde puro rectè processeris, ipse in viam salutis & pacis diriget gressus tuos. Datum Laterani VI. Idus Martij, pontificatus nostri anno duodecimo. Epist. 188.

SACRAMENTVM FIDEI AB Ottone exhibitum.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Otto quartus divina favente clementia Romanorum Rex & semper Augustus. Recognoscentes ab eo nostræ promotionis donum misericorditer processisse à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, ipsum ejusque vicarium & sponsam ejus sanctam Ecclesiam disposuimus & decrevimus magnificè honorare; ut qui nobis in præsenti temporale contulit regnum, in futuro quoque tribuat sempiternum. Proinde vobis, reverendissime Pater & Domine summe Pontifex Innocenti, quos pro multis beneficiis nobis impensis sincerissimo veneramur affectu, vestrisque catholicis successoribus & Ecclesiæ Romanæ omnem obedientiam, honorificentiam, & reverentiam semper humili corde ac devoto spiritu impendemus quam prædecessores nostri Reges & Imperatores catholici vestris prædecessoribus impendisse noscuntur; nihil ex iis volentes diminui, sed magis augeri, ut nostra devotio clarius innotescat. Illum igitur abolere volentes abusum quem interdum quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dicuntur in electionibus Prælatorum, concedimus & sancimus ut electiones Prælatorum liberè ac canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ quem totum capitulum vel major & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil ei obstet de canonicis institutis. Appellationes autem in negotiis & causis ecclesiasticis ad apostolicam sedem Epist. 189.

liberè fiant, eorumque prosecutionem sive processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus & refutamus abusum quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia verò spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus liberè disponenda; ut quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo recta distributione reddantur. Super eradicando autem hæreticæ pravitatis errore auxilium dabimus & operam efficacem. Possessiones etiam quas Ecclesia Romana recuperavit ab antecessoribus nostris seu quibuslibet aliis antè detentas liberas & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas retinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas verò nondum recuperavit, ad recuperandum pro viribus erimus adjutores; & quæcunque ad manus nostras devenient, sine difficultate et restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra quæ est à Radicofano usque Ceperanum, Marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra Comitissæ Mathildis, comitatus Britennorij, exarchatus Ravennæ, Pentapolis, cum aliis adjacentibus terris expressis in multis privilegiis Imperatorum & Regum à tempore Ludovici, ut eas habeat Romana Ecclesia in perpetuum, cum omni jurisdictione, districtu, & honore suo. Veruntamen cùm ad recipiendam coronam imperij vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab apostolica sede vocati venerimus, de mandato summi Pontificis recipiemus procurationem sive fodrum ab illis. Adjutores etiam erimus ad retinendum & defendendum Ecclesiæ Romanæ regnum Siciliæ ac cetera jura quæ ad eam pertinere noscuntur, tamquam devotus filius & catholicus Princeps. Ut autem hæc omnia memorato sanctissimo Patri nostro Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici ejusque successoribus per nos & nostros successores Romanos Imperatores & Reges observentur, firmaque & inconcussa semper permaneant, præsens privilegium conscriptum majestatis nostræ aurea bulla jussimus communiri.

Signum Domini Ottonis quarti Romanorum Regis invictissimi.

EGo Conradus Spirensis Episcopus vice Domini Siffridi Maguntini Archiepiscopi & totius Germaniæ Archicancellarij, regalis aulæ Cancellarius, recognovi.

Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo nono, Indictione duodecima, regnante Domino Ottone quarto Romanorum Rege gloriosso, anno regni ejus undecimo. Datum apud Spiram xi. Kalend. Aprilis.

LITTERÆ OTTONIS REGIS ad Dominum Papam.

Epist. 190. REverendo in Christo Domino & patri suo dilectissimo Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Otto Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, salutem in Domino & totius filialis dilectionis plenitudinem. Cùm nos omnem honorem nostrum, quem obtinendo Romanum imperium, licèt cum multo labore & sudore, post Deum vobis adscribimus, non immeritò nobis de vobis est præsumendum & in sanctitate vestra est confidendum quòd vos de omni prosperitate & salute nostra sub affectu paternæ dilectionis nobis congaudere debeatis. Significamus igitur vestræ sanctitati quòd nos juxta honorem nostrum & imperij feliciter dispositis & ordinatis in Alemannia nostra & imperij negotiis, cum exercitu forti & glorioso montes magnos transivimus, & jam ad Padum transmeavimus, processuri ad vos ut recipiamus à manu vestra benedicta benedictionem & consecrationem diadematis imperialis. Receptis denique nuntiis vestris, quos ad nos transmiseratis, videlicet Andrea Subdiacono & Clerico vestro, & Thurando fratre Hospitalis sancti Iohannis, auditis quoque omnibus iis quæ ipsi nobis ex parte vestra prudenter & discretè proposuerunt, & iis plenè intellectis, habito consilio Principum & fidelium nostrorum, nuntios nostros, honestos & solemnes latores præsentium, dilectos fideles nostros, videlicet Conradum Spirensem Episcopum & regalis aulæ nostræ Cancellarium, Conradum Brixinensem Episcopum, Johannem Cameracensem Episcopum, & Henricum Mantuanum Episcopum, & magistrum Henricum Scholasticum sancti Gereonis in Colonia, Gunzelinum Senescalcum nostrum, Cunonem Camerarium nostrum, H de Finabuche, viros utique providos & honestos, ad præsentiam vestræ sanctitatis duximus destinandos, verbum nostrum ad vos deferendum ipsis plenissimè committentes. Mandamus igitur vobis & omni precum vos instantia rogamus ut vos iis omnibus fidem indubitatam adhibeatis quæ ipsi ex parte nostra vestræ proposuerint paternitati.

ILLUSTRI REGI OTTONI IN Romanorum Imperatorem electo.

QUantum auxilij & favoris impenderimus tibi, carissime fili, ad imperium obtinendum totus penè orbis agnoscit, & opera protestantur quæ perhibent testimonium veritati, teste veritate quæ dicit: *Arbor ex fructu cognoscitur*, id est, caritas ab effectu. Licèt ergo ferventes & efficaces fuerimus ad tuum promovendum honorem tam in principio quam in medio, longè tamen ferventiores & efficaciores esse desideramus in fine, ut èx omni parte cognoscas dilectionis affectum quam ad tuam regalem personam habemus; pro certo sperantes quòd tu semper tantæ dilectionis memor existens, grata nobis curabis vicissitudine respondere; cùm etsi tua nobis devotio valde sit necessaria, nostra tamen dilectio multùm sit tibi omni tempore opportuna. Recepimus igitur honorabiles tuæ sublimitatis nuntios honorificè ac benignè. Quibus diligenter auditis, gratum solito more curavimus dare responsum. Ut autem intentionis nostræ propositum tibi pleniùs innotescat, mittimus ad tuam regalem præsentiam dilectos filios nobilem virum Petrum urbis Præfectum & magistrum Philippum Notarium nostrum; quibus fidem adhibeas super iis quæ tibi ex parte nostra duxerint proponenda, providens diligenter ut consilium nostrum exequi non postponas. Epist. 191.

OTto Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus. Notum fieri volumus universis præsentem paginam intuentibus quòd nos juramenta securitatis venerabilibus patribus nostris Innocentio Papæ & Cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ & rerum ipsorum & totius populi Romani in coronatione nostra, illuc eundo, ibi stando, & inde redeundo, quæ Principes, Comites, Barones, nobiles, & alij imperij fideles de mandato nostro & in nostra fecerunt præsentia, rata habemus, & ea secundùm quod in scripto distinctum, & bona fide utrinque est intellectum, nos observaturos promittimus, & firmiter & inviolabiliter faciemus observari. Datum in castris in Montemalo IV. Non. Octob. Indictione decimatertia. Epist. 192.

SUMMO PONTIFICI.

REverendo in Christo Domino & Patri suo sanctissimo Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, Otto Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, salutem & filialis dilectionis plenitudinem. Desiderium nostrum jamdiu in corde nostro conceptum per misericordiam Dei & per gratiam vestram nunc est adimpletum, videlicet quòd faciem vestram vidimus desideratam, & quòd à manu vestra benedicta gloriosè coronam suscepimus imperialem. Super quo & Deo & vobis, qui vicem ejus geritis, etsi non debitas, quas tamen possumus gratiarum exsolvimus actiones. Verùm cùm apud vos essemus & apud Viterbium & hic Romæ, tantum spatium temporis habere non potuimus quòd nos super iis ad plenum vobis loqui non poteramus quæ honorem Dei & salutem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & quietem necessariam totius Ecclesiæ respicere viderentur. Summum igitur desiderium super iis loqui vobis habentes, mandamus vobis & humillima & devotissima vos precum rogamus instantia ut vos principaliter propter Deum & Epist. 193.

B

C

D

nistrare

S

T

V

X

Z

FINIS TOMI PRIMI.

